BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
H
15
NAPOLI

X.LVIII
H
5.

Digitized by Google

R. P.
MICHAELIS ALFORDI

ANNALES
ECCLESIASTICI
ET CIVILES
BRITANNORVM,
SAXONUM, ANGLORUM.

TOMVS QVARTVS.

FIDES REGIA ANGLICANA

SIVE

ANNALES ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

UBI POTISSIMUM

ANGLORUM

CATHOLICA, ROMANA, ET ORTHODOXA

FIDES

AB ANNO DOMINI 1066. AD 1189.

E REGUM, ET AUGUSTORUM FACTIS,

Et aliorum Sanctorum rebus è virtute gestis, asseritur.

TOMUS QUARTUS.

AUCTORE

R.P. MICHAELE ALFORDO aliàs GRIFFITH,

Anglo Societatis IESU Theologo.



NAPOLI

LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,

Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ANNALES ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

SIVE

FIDES REGIA ANGLORUM.

TOMUS QUARTUS.

ANNUS CHRISTI 1066.

ALEXANDRI II. PAPÆ 6.

HAROLDI ANGLO. REGIS 1.

I. TURBARUM ORIGO QUÆRITUR.

REGNANDI AMBITIO.

INDE, STUDIA DIVERSA, ET MULTORUM INIURIÆ.

SEQUITUR VINDICTÆ APPETITUS.

Psal. 126.

ECCLESIA IMPRIMIS PATITUR.

SUBLATUM è vivis Edoardum Sanctum, cognomento Confessorem, res turbidæ in Britanniâ exceperunt. Harum initia, progressus, incrementa; an in situm Insulæ referam, Oceani fluctibus, & variis tempestatibus obnoxium, an in provincialium ingenia, naturæ impetum sine freno sequentium, an verò in Deum, præteritorum malorum vindicem, nescio. Hoc unum constat: cum de rerum summâ, & coronæ majestate contenditur, tumultibus omnia misceri, factiones crescere, hominum studia in diversa ferri: &, quod inde necessariò sequitur, utramque Remp. miserè distrahi, atque lacerari. Hoc ubique; sed nusquam meliùs, quàm in regnorum, & Rerumpublicarum alteratione cernitur: ubi summi, medii, infimi quatiuntur, & omnia quærunt per fas, & nefas, quo se tueantur, adminicula. Nec unius sæculi morbus est; sed in filios nepotesque descendit, diuturnitate temporis vires sumit, & in morem denique ac naturam transit. Unde injuriarum in parentes, memores posteri, acriùs insurgunt, vires animosque, malorum recordatione, acuunt; & ex inveterato odio potentiùs feriunt. nam *sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Quod si Fides, aut Ecclesia petitur, quantumvis illustris illa, & meridiana fuerit, alternantis fortunæ cursum sequitur; declinat, inquam; cultum primò & splendorem exuit: mox fervoris & lucis deliquium patitur: denique in occasum tendit, in tenebras, & obscuram noctem.

II. ANGLICANÆ ECCLESIÆ PIETAS PRIMÙM INDE RELICTO, A NORMANNORUM INGRESSU ELANGUIT.

* *Isa. 24.*

GRADUS AD PIETATEM ASCENDENDI, ET A FIDE DESCENDENDI.

Veni Anglia, testare hanc veritatem: Normannorum ingressum, dominatum, & imperia repete. narra Principum dissidia, agrorum vastationes, incendia provinciarum. Dic Ecclesiæ, templorum & monasteriorum casus, atque ruinas, &, quod inde sequitur, occasum Fidei atque pietatis. Ingredere sodes noctis profundum, in quo * *dissipatione dissipatur terra, & direptione prædatur: quia habitatores ejus transgressi sunt leges, mutaverunt jus: dissipaverunt fœdus sempiternum.* Et quia Ecclesiæ causam agis & deploras, scribe posteris, & generationi omni, quæ ventura est, ut à Normannorum ingressu, & deinceps, ab avitâ pietate recessum, ut Orthodoxæ Religionis splendor, & devotionis calor intepuit, ut demum non quidem continuò, uno quasi ictu, sed per intervalla, & spiramenta temporum, descensum est in perfidiæ, & impietatis barathrum; in quo sæculum mergitur decimum-septimum. Ubique Lectorem mone: quibus gradibus à solstitio pietatis, in abyssum impietatis præcipitatur Respublica, & dic audacter: non eisdem, sed omnino contrariis, quibus ascenditur. Dic auroram, ortum, meridiem Fidei, Regularium institutione ac labore, Monasteriorum constructione, Templorum cultu ornatúque, surgere, stare, atque consistere: declivem verò, & occidentem esse, eorundem læsione, atque interitu. Quod licet ubique gentium facilè legitur, in hac tamen Insulâ eminenter colligitur: probaturque non alio fortiùs, quàm factorum argumento; ubi Anselmus, & Thomas Cantuarienses Præsules, tragœdiæ prologum agent, læsam Ecclesiæ

majestatem querentur, & proviribus tuebuntur: quam Laici aliquando, bellorum licentiâ, delibabunt, aliquando restituent, variâ rerum temporumque vicissitudine; ut hoc, & sequenti tomo demonstratur. Nunc ab ovo singula repetamus.

III. Ostensum Edoardo Sancto, effectû consequitur.

Vix obierat Edoardus Sanctus, cùm Deus opt. max. fidem fecit ostento, quod moribundum Regem terruerat. Viderat ille, in mentis excessu duos, sibi olim in Normanniâ exuli, tum conversationis gratiâ, tum sanctitatis opinione, notos: qui de futuro regni statu solicitum docuerunt secreta & occulta sapientiæ Dei. nimirum plena esse vasa furoris ejus in gentem Anglorum, qui vario, & pudendo crimine, Insulam maculantes, relictis majorum vestigiis, cælum terramque in vindictam provocaverant. Ingemuit Sanctus, & sistere conatus iratam manum, ictum deprecando inducias petiit, tempúsque monendi populum, ut citâ, seriáque pœnitentiâ divinum numen propitiarent, prolato Ninivitarum exemplo, aliisque divinæ misericordiæ argumentis. Verùm divinæ mentis interpretes referunt, assuetos flagitiis homines, altùm nimis sceleribus indormientes, obstinasse ad monita aures animosque; nec incantantium voces audire velle, nec posse scindi ad pœnitendum corda eorum: ideo latam, ratámque sententiam esse: tradendam exteris Insulam, & servituram aliis, qui Deo suo servire neglexerunt. venturum ab Aquilone malum, sed mali initium in ipsis Angliæ visceribus nasciturum; nec nisi serâ seriáque posterorum pœnitentiâ expiandum.

IV. Mortuo Rege Edoardo, pro corona contenditur.

Cœpit hujus calamitatis initium, sub annum Domini millesimum sexagesimum sextum; ubi moritur sine liberis, castissimi vir consilii, Edoardus Rex, tunc enimvero apertâ factionibus januâ, ruptisque divini ac humani juris repagulis, miseriarum Oceanus inundavit: cùm pro coronâ, ceu pro aris, focisque pugnatum. Tres omnino fuerunt, qui sive jure propinquitatis, sive promissionis, pactorúmque religione, sive potentiâ, & asseclarum multitudine freti, pro coronâ stare poterant, majestatis candidati. Edgarus cognomento Etheling (*ita vulgo Illustris* dicebatur, & Princeps juventutis) Edoardi illius filius, qui Edmundi Ferrei lateris Regis primogenitus, ob diuturnum exilium Exlex appellatus; & revocatus in Angliam, designatus est * aliquando ab Edoardo Confessore, regni heres & successor. Ejus filio, si partium studia abfuissent, regni corona, sine controversiâ debebatur. Sed *Dominus miscuit in medio Principum, spiritum vertiginis, qui errare fecerunt* Insulam *in omni opere suo.* Haroldus, Godwini Comitis filius, in suam & Angliæ perniciem natus, cùm defuncti Regis aures faciles occupasset, & nihil illi præter Regis nomen, ad summum Principatus fastigium deesset, nihil veritus juramenti sanctitatem, & Sanctorum reliquias, quas olim religiosè veneratus, Guilielmo Normannorum Duci Angliæ sceptrum, & omnem majestatem promiserat, regnum ambitiosissimè, & Regis insignia affectavit. Rivalis alter, fuit Guilielmus Normanniæ Dux; qui meritorum conscius, quæ ipse & parentes, in Edoardum sanctum olim exulem profuderant: conscius etiam quæ Edoardus primùm, inde Haroldus sanctè firmaverant, de regni successione; in spem regni, tot titulis debiti, tumebat maximè. Edgarus patri, quàm avo similior, humiles gerens animos, facilè cessit aliorum potentiæ, & juris sui apices urgere noluit. Haroldus contra, ingentis vir animi, ratus coronam suo capite sessuram benè, illam ambitiosissimis argumentis procatur.

Tres candidati Edgarus Ethelinge,

* v. an. 1057. n. 2.

Isa. 19. v. 14.

Haroldus, Godwini filius,

Guilielmus Normannorum Dux.

V. Haroldus Rex coronatur.

Interim suspensis omnium animis, qui Edoardo succederet, his Edgaro, legitimo heredi suffragantibus, aliis, ob ætatem ejus, regno & turbulentis temporibus imparem, Guilielmo faventibus, cujus animi magnitudinem formidabant, Haroldus cum regii funeris pompâ apparatur: hoc est, postridie mortis, in ipso Epiphaniorum die, (fortè trium Regum auspicio ductus) paucorum procerum Fide impetratâ, coronam induit, & regni insignia. Sed quæ nimiùm amplexus est, infirmiter strinxit; & facilè corruet, qui festinatò scandit majestatis fastigium. Cæterùm fueritne Haroldus laude, an vituperio dignior, incertum est: & multa in utramque partem dicuntur. nam quod ad successionis jura spectat; non fuit ille, in dubiâ litigantium conditione, juris omnino expers: si verum est, quòd è filiâ Ethelredi Regis, continuâ natalium serie descenderit: & matrem habuerit Canuti Regis sororem, ut affirmant aliqui. Sed supplevit virtus quod juri defuit. nam egregia facinora domi forisque, & hostes toties profligati, imperio parem loquebantur. Griffinus Rex ab eo fusus, Herefordensis ager fugato hoste restitutus, & Britanni toties sub jugum missi, argumenta sunto: Quod si coronam temerè præsumpsit, si neglecto Ecclesiastico more, Episcopi benedictionem non accepit, si fidem Normanno datam fefellit, magnarum mentium peccata sunt, & dignitatis privatione expiantur. Quod Haroldo factum brevi cernemus. Interim quis popularium sensus & consensus: quæ etiam civium, & externorum dissensio fuerit, videamus.

Jus ejus, ad regnum et dignitas.

v. an. 1055. n. 4.

Ejus vitia.

VI. Diversa provincialium studia et affectus.

Vix in solio quietus Haroldus sederat, cum studia partium, omnium animos impleverunt. Provinciales ferè præsentem venerabantur, gnari, virum esse, qui dominatus posset & popularium bona defendere, & partam Regis dignitatem tueri; quod calamitati, quæ impendebat Insulæ, remedium erat singulare. Alii tamen aliter sentiebant: periculosum esse præproperè principatum petere, litibus, & multorum ambitioni obnoxium: Rationem habendam Edgari Principis: & rarò perjurii crimen impunitum esse. Hæc tacitè cives murmurabant. Sed major pars plebis ab Haroldo stabat, ejus præsentiâ, lenitate, munificentiâ, & Rege dignis dotibus attracti. Proceres etiam annuebant; quos sibi vel nuptiis, vel affinitate, vel alio fœdere Haroldus conjunxerat. Nihil tamen in crimine tutum. & nullum potentiæ firmamentum si Dei manus abfuerit. Sensit novus Princeps, Regiam dignitatem, imaginem esse adumbratam, quam rectiùs eminùs, quàm juxta positus, laudaveris. Tostius, Haroldi frater, natu minor, sed animo par, sub Edoardo Rege bis exul, & demum è Northumbriæ Comitatu ejectus, magnorum tumultuum causa fuerat, ut * alibi dictum. & commodum nunc videbatur, ad novi principatus exordia, ubi turbata ferè omnia, provinciam sibi olim creditam repetere, & quia exasperatis civium animis illabi non potuit, armatâ manu, viribusque uti

Tostius Northumbriæ Comitatum repetit.

* V. an. 1051. n. 5. an. 1052. n. 1. an. 1064. n. 2. 3. & an. 1065. n. 3.

nec

nec fratris purpurâ cohibuit impetum; sed ursit, & ussit magis. Qui enim prælatum sibi, & auctum honoribus, ab Edoardo Rege, obliquis oculis olim aspexerat; nunc regno auctiorem ferre minùs potuit. Tragœdiam ergo incipit à Vectâ Insulâ; quam hostiliter petens, nullo negotio inermem ferè, & imparatam, cæpit. mox litora legens, in Cantium descendit, & terrore, rapinisque implet. Sed inde ab Haroldo fugatus, in Northumbriam perrexit: ubi à civibus, quibus exosus erat, pessùmè exceptus, ad Scotos recessit. gnarus ibi ad Anglorum perniciem, alimentum esse, & socios factionis. Sed illi, cum plus irarum, quàm virium, & juris oppidò parum, in Tostio cernerent; maluerunt dubiam belli aleam, alienis quàm suis manibus jaci. Itum ergo ad Haroldum Norwegiæ Regem, cognomento Hasfager; qui & ipse regno inhiabat; non prætenso pactorum aut promissorum jure; sed successionis ordine, à Canuto, filiisque, Anglorum Regibus, derivato. Ille spe plenus, & majorum recordatione incensus, Tostii conditionem amplectitur, classem parat, militem scribit: & navali terrestrique apparatu instructus, Oceanumque nostrum ingressus; ad Tinæ fluminis ostium, ubi Dunelmensis est ager, exponit militem. Ibi Tostio conjunctus, ejus copiis auctior: quà mari, quà terrà, Eboracensem provinciam invadit: & principem ibi urbem occupat: Morcaro & Eduino nequicquam obnitentibus.

V an. 1064. n. 3.

VECTAM INSULAM CAPIT.

AB HAROLDO E CANTIO FUGATUS, NORTHUMBROS ADIT: INDE SCOTIAM. DEMUM IN NORWEGIAM VADIT.

HAROLDUS HARFAGER REGNUM ANGLIÆ PRÆTENDIT SUUM NORTHUMBRIÆ PROVINCIAS INVADIT.

VII.

HAROLDUS REX ANGLORUM IN HAROLDUM REGEM NORWEGORUM FELICITER PUGNAT.

Excitatus hoc classico Anglorum Rex; cum se interno, externoque hoste septum cerneret; animum, militemque collegit, utrique parem: adde ut eventus docuit, utroque majorem. nam copias, quas in Normannos pararat, (illos enim unicum sibi hostem finxerat) & in classem, ac maritima coegerat, ad eorum frangendum impetum, in mediterranea educit: & festinatò in Brigantes tendit: ubi Norwegus advena, & Tostius frater, diviserant imperium Insulæ. Ut ventum est ad Derventionem fluvium, qui Orientalem agri partem à Septentrionali disterminat, uterque exercitus consedit castra metatus. Norwegus prior borealem fluminis ripam occuparat. Anglus alteram. Pons inter eos, iratos multum animos, aliquamdiu cohibuit: ubi unius militis præclara virtus, laudem meruit immortalem. Is patria Norwegus, ad pontem excubans, hostilem Anglorum impetum diu solus sustinuit, transitum negans pertinaciter; stationemque tamdiu tenuit; donec Anglus flumen ingressus, sub ligneo ponte constantissimi militis latera fodicavit. Tunc enimvero via facta, in alteram fluvii partem, irarum plenus, miles irrumpens, acriter in Norwegum pugnat: obvios sternit, fugientes insequitur: nec finem pugnandi prius fecit, quàm duorum Imperatorum morte victoriam coronavit. Elatis Ducibus, hostium spolia, quæ plura & multi pretii fuerunt, Haroldus noster invasit: nec militi ex æquo divisit; malè usus insigni victoriâ, quæ diuturnior fuisset, si commilitonum animis munificentius irrepsisset. Hoc prælium recensens Polydorus Vergilius, oscitantiæ accusat Anglos Scriptores, quòd Danos, non Norwegos, Anglis & Haroldo eorum Regi commiserint. Sed venialis est error: quia Septentrionales illæ provinciæ, quæ sub hæc tempora, in alienas terras sese effuderunt, Dani passim appellantur, sive Sueci, sive Norwegi fuerint, populi Danis contermini, & plerumque subditi. Quare à Malmesburiensi & Parisiensi nostro, accuratis Authoribus, miles qui hoc anno Angliam invasit, Noricus appellatur; quo nomine omnis ille arctoi orbis tractus audit. certè paulò enormiùs peccat Polydorus, qui pugnatum scribit ad urbem *Stanfordiam parum ultra Velandam flumen.* fefellit illum Stanfordi pons, vulgo Stanfordbridge; quem locum omnes nominant. Sed ille, non in Coritanis, & Lincolniensi agro, ubi urbs Stanfordia ad Wellandum fluvium; verùm in Brigantibus, & Eboracensi provincia collocari debet, septimo ab Eboraco milliari. nam ibi, non alibi, ab utroque Haroldo pugnatum: non ad Wellandum, sed ad Derventionem fluvium. Unde Camdenus: *Derventio, inquit, Stanfordbrige subluit, qui etiam à bello ibi commisso Battlebridge vocatur. Ad pontem enim Haraldus Rex Angliæ, Haraldum Norvregum, qui ducentis navibus Britanniam infestabat, magna Danorum edita strage, justo prælio interfecit. tantumq; auri pondus victori Anglo inter spolia obvenit, quantum duodecim juvenes cervicibus vix sustinere poterant, ut author est Adamus Bremensis.* Ita ille: quod ad classem attinet Norwegiæ Regis, Malmesburiensis trecentas, Parisiensis mille naves numerant. Unde constat rem ab Anglo feliciter gestam.

HAROLDUS NORWEGUS, ET TOSTIUS OCCIDUNTUR.

Polyd. Verg. hist. l. 8.

LOCUS PUGNÆ MALE A POLYDORO PONITUR.

Camd. in Ebora.

NORWEGORUM CLASSIS QUANTA.

Verùm fortuna belli vitrea est; & frangitur, cum maximè lucet. Venit è Normannia nuntius à Guilielmo Duce missus, qui Haroldi prospera, adversâ legatione temperavit; & diluit gaudium, partum à victoriâ. Petit sui Principis nomine, regnum Angliæ, regnique insignia, olim ab Edoardo sancto promissa, & ab ipso Haroldo nuperiùs illi, cum jurejurando sancita, confirmataque: pacem, amicitiam, pactamque affinitatem pollicetur; si votis annuat: sin minùs, excussâ veste, bellum. Cum fecialis perorasset: respondit Haroldus, privatum se aliquando, & in Normanniâ captivum, nescio quid, de regni successione, Guilielmo promisisse: ad quod nunc sui juris, & privato majorem, non teneri. Regnum Angliæ, Edoardo vivente suum non fuisse, sibique de eo paciscendo, potestatem defuisse. nunc suum esse, & procerum suffragio, & civium voluntate, qui externum Principem habere nollent. Denique parem se, paratumque ad omnem inimicum impetum, si Dux venerit, propulsandum. Hæc ideo fidenti animo Haroldus retulit, quòd sciret Ducem, in Galliâ occupatum, belloque distractum, vix tuendis provinciis suis parem; ægrè posse, in alienas bellum importare; multò minùs aspirare ad imperium Insulæ, & coronæ majestatem. Sed falsus est: & tristi argumento didicit, *Sanctissimum humani pectoris bonum esse*, fidem servare.

VIII.

LEGATIO GUILIELMI NORMANNORUM DUCIS, AD HAROLDUM.

HAROLDI AD LEGATUM RESPONSIO.

Seneca Epistola 80

Sed quoniam de juramenti religione agitur: quam Haroldus dicitur violasse; repeto paulo altiùs, quæ gesta sunt, anno Domini 1059. cum ille in Gallias trajecturus, & fratrem nepotemque, qui obsides ibi tenebantur, redempturus, facultatem discedendi ab Edoardo sancto postulavit. quam sanctus quidem, sed invitus concessit, edito vaticinio, quod hic annus 1066. verissimum fuisse confirmavit. En illud, ex Edmero, authore classico, & probatæ fidei. *Haroldus licentiam petiit à Rege (Edoardo) Normanniam ire, & fratrem suum, atque nepotem, qui obsides*

IX.

HAROLDI PROMISSUM, GUILIELMO DUCI: ET EDOARDI REGIS VATICINIUM.

Edmer novo. l. 1. fo. 4.

tenebantur, liberare; liberatos reducere. Cui Rex: *hoc, inquit, non fiet, per me. Veruntamen, ne videar te velle impedire: permitto ut eas quò vis; ac experiare quid possis. Præsentio tamen te, in nihil aliud tendere, nisi in detrimentum totius Anglici regni, & opprobrium tui. Nec enim ita novi Comitem (Guilielmum intelligit) mentis expertem, ut eos alibi quatenus velit concedere tibi, si non præscierit in hoc, magnum proficuum sui.* Narrat inde Author, Haroldi discessum, Oceani pericula, ejectum in terram, captivum in littore. Ita cognitum à Guilielmo invitatum, & liberaliter habitum: denique exponit Normannii Principis consilium, & ambitum coronæ, quam Haroldus fide interpositâ, eidem asserit ea lege, iis pactis, ea sanctitate, quam Author narrat in hunc modum. Guilielmus *tenuit Haroldum aliquot diebus, circa se: & in merâ illa, more prudentis, aperuit ei, quod habebat in mente. Dicebat itaque, Regem Edvvardum; quando secum juvene, olim juvenis, in Normanniâ demoraretur, sibi interpositâ fide suâ, pollicitum fuisse; quia si Rex Angliæ foret, jus regni in illum, jure hereditario, post se transferre. Et subdens ait: Tu quoque si mihi te in hoc ipso adminiculaturum spoponderis: & insuper castellum Dofris, cum puteo aquæ, ad opus meum, te facturum; sororemq; tuam, quam unis de principibus meis dem in uxorem te, ad me, tempere quo nobis conveniet, destinaturum nec ne * filiam meam, te in conjugem accepturum fore promiseris: tunc & modo nepotem tuum: & cum in Angliam regnaturus venero, fratrem tuum incolumem recipies. In quo regno, si aliquando fuero, tuo favore confirmatus; spondeo quia omne quod à me tibi rationabiliter concedi petieris, obtinebis.* Ita dixerat Guilielmus. Quid ad postulata responderit Haroldus: & quomodo fidem obligaverit, ex eodem Authore repetamus. Sic enim pergit. *Sensit Haraldus in his periculum undique: nec intellexit, quà evaderet; nisi in omnibus illius voluntati Guilielmi adquiesceret. Adquievit itaque. At ille, ut omnia rata manerent, prolatis Sanctorum reliquiis; ad hoc Haraldum perduxit; quatenus super illas jurando testaretur, se cuncta quæ convenerant inter eos, opere completurum: nisi communi mortalibus sorte, præsenti vita privaretur.*

Edme sup. fo. 5.

* Vide infra 1083. 14.

Edmer. novo. l. 1 fo. 5.

X. Iterata Guilielmi ad Haroldum legatio.

Hæc causâ legationis Normanno fuit: qui ut vidit obstinatum Regis animum; non statim ausu temerario jus suum prosecutus, ad arma festinavit, sed iterum tertioque oratores misit: qui defuncti Regis olim promissa repeterent, & nuperas ultimæ voluntatis tabulas inspicerent: in quibus jus suum ad regni coronam legi vocalibus argumentis posset. Enimvero si Ingulpho Abbati fides (& passim omnes habent) Edoardus præter olim promissa, etiam moriturus Guilielmum cognatum suum, heredem scripserat. Sic enim ille. *Edoardus Rex senio jam gravatus, cernens Clitonis Edvvardi à nuper defuncti, filium Edgarum, Regio solio minus idoneum, tam corde, quam corpore: Godvviniq; comitis multam malamq; sobolem, quotidie super terram crescere: ad cognatum suum VVilhelmum, Comitem Normanniæ, animum apposuit & eum sibi succedere in regnum Angliæ, voce stabili sancivit.* Cum hæc Oratores stipulati essent: nec astipulari vellet Haroldus: Guilielmus gravissimam controversiam, non suo, non Haroldi, sed Romani Pontificis arbitrio terminandam censuit. Ille enim non solùm communis omnium Christianorum pater, & animarum pastor: sed magnâ, continuaque Anglo-Saxonum Regum pietate, sibi ac Ro. Ecclesiæ Insulam habet obnoxiam: Cæterùm noluit Harodus ad illud tribunal litem dirimere; quo inconsulto coronam præsumpserat; ratus possessionis titulum, omni prætenso jure potiorem esse: nec eundem in dubiam servitii imperii aleam, cum certo procerum suffragio sceptrum teneret. Guilielmus contra, Romanam Sedem appellavit, ibi ursit apices juris sui; Haroldi perfidiam incusans, invasum præter fas principatum Insulæ; violatâ fœdera humana, divinaque: & certum insolentiæ compendium esse, nolle stare Sacerdotis arbitrio.

Ingulph. hist. fo. 090.

Romano Pontifici arbitrium permittitur.

Haroldus Rom. Pontificis iudicium fugit.

XI. Alexander Papa Guilielmo favet,

Alexander tunc Romæ sedebat in Petri cathedrâ, eo nomine secundus; qui Guilielmi oratione auditâ, Haroldi pertinaciam perfidiamque detestans, graviter tulit, Anglicani regni jura, præter omnem juris ordinem, se inconsulto, & neglecto, in eum transferri, qui emptis paucorum suffragiis, nullo alio merito, coronam induisset. * Annuit ergo Guilielmi postulatis jubetque illum, jus suum prosequentem; unà Petri honorem, & Ro. Ecclesiæ dignitatem tueri, quam alter nimium præsumendo læserat. Quoque sciret, se pro Petro, justitiaque pugnare: vexillum ad corpus principis Apostolorum benedictum, mittit futuræ victoriæ, & concessæ potestatis authoramentum. Quod ubi Normannus Dux accepit, convocato Principum suorum, & provincialium conventu; sua imprimis parentisque in Edoardum exulem, beneficia commemorat. ejus etiam promissa, de coronæ translatione, si sine prole moreretur: addit regnantis postea constantiam, in fide servanda: profert ultimæ voluntatis tabulas, ac demum Rom. Pontificis, cui causam permiserat, in sui patrocinium, latam ratamque sententiam. Transit inde ad Haroldi perfidiam, præsumptamque, è paucorum mente, nullo jure meritòve, tyrannidem: quam ut averteret, blanda legatione se iterum, iterumque conatum asserit. sed frustra omnia. Quamobrem paratum se nunc vi & armis repetere, quod precibus promissisque extorquere non poterat: modo Senatus populusque Normanniæ, consilio, reque, sententiæ faverent suæ. Non fuit difficile pugnaci populo, & aliorum provinciis incubanti persuadere, pro corona pugnandum; quam sancti in cælo, & Petri successor offerebant. Assensum igitur: promissaque in belli fortunam subsidia, & apparatus terra marique, par novo regno Normannis ascendo. præsertim si Deus, propitio Numine, votis annuendo, perfidiæ crimen ulcisceretur.

et sacrum vexillum mittit.

Guilielmus Senatum solicitans, auxilium petit pro Anglia invadenda.

XII. Haroldus, Guilielmo contempto, Clerum sibi conciliat

Haroldus interim conscius eorum quæ foris agebantur; Guilielmum è pellice natum, unius provinciæ Regulum, externum hominem, Danorum progeniem, Anglis invisam, minùs formidabat. Qui enim nuper domesticum hostem presserat, & Regem Norwegiæ fregerat, ipsa Insulæ viscera occupantem; levi manu externum, & toto Oceano dissitum, arcere & prohibere à descensu poterat. Quare non tam scribendo militem, aut muniendo litora; quàm Clero sibi conciliando operam dedit: ratus eâ pietate; & faventiorem sibi populum, & Clerum benigniorem, & Deum magis propitium fore. Addunt aliqui eum ideo Ecclesiasticorum benevolentiam captasse; quod eorum animos exasperasset tunc,

Nam ab Episcopo coronatus?

cum

cum præproperè coronam induit, sine impositione manus Episcopi: quam labem jam abstergere templorum ædificatione, Monasteriorum erectione, omniq́ue religionis genere cupiebat. Verùm hic hæreo; quia Ingulphus, probatus Author hujus temporis, disertè affirmat, Haroldum, *per Archiepiscopum Eboraca Aldredum solenniter coronatum.* Hæreo, inquam; non solùm, quia alii passim, inter Haroldi crimina, recensent neglectum illum: Sed quia Sogandus adhuc Cantuariæ sedebat. Malè quidem infulam & nequiter pallium gestans, sed necdum de crimine postulatus. Cæterùm licet Guilielmus, (ut post dicetur) ab Aldredi manu regni insignia sumpserit; id tamen non priùs factum, quàm lite Stigando intentatâ; quòd simoniacè sedem invasisset. Iterum Guilielmus impensè Aldredum coluit; indubiè non ita facturus, si Haroldum coronasset. Illis ergo magis assentior; qui missâ inauguratione, solenniq́ue benedictione, ac Haroldum dicunt Regis thronum intrasse. Quæ enim in Ecclesia solennitas, aut quis Rege coronando dignus apparatus: cum eodem ipso die mortem piissimi Principis ploravit, & luxit Ecclesia? Opinor itaque, ideo Haroldum piis operibus Clerum demereri studuisse quia Romani Pontifici censuram timuit, cujus injussu thronum ascenderat; cujus sententiam iniquè declinaverat. Hanc igitur eluere satagens, pia largitione peccatum illud redimere voluit.

Ingulp. histo. fo. 900.

XIII. CRUCI TEMPLUM EXTRUIT ET MONASTERIUM. ET QUARE?

Inter ea pietatis opera, unum ab omnibus nominatur. quod Monasterium erexerit, Ecclesiamq́ue dedicari fecerit, Cruci sacram. Multa illi hanc mentem injicere poterant, è religione petita argumenta. Olim [a] Constantinus, eo trophæo hostem prostraverat; ita Romanum adeptus imperium. [b] Oswaldus Pendam Cruce profligaverat: [c] Ethelredus, Danorum impetum, Cruce fregerat: & innumera alia suppetebant ei domestica exempla, quæ mirandam Crucis virtutem loquerentur. Qui ergo domi forisque inimicum impetum meritò formidare poterat; non malè arcendo hosti adminicula quærebat. Sed remotiora hæc. proximiùs Haroldi mentem excitaverat Deus novo prodigio: cum crux ex ultimo Occidente, in Trinobantes & Essexiensem agrum mirabiliter delata, stupore, pietateq́ue Regem affecerat adeo; ut rei divinitus gestæ memoriam voluerit esse perpetuam. Quare ad Waltham oppidum, quod Edoardus sanctus illi donaverat, Monasterium extrui fecit, ædemq́ue sacram, quam à sancta Cruce nominatam, Canonicis secularibus assignavit. Quem locum impensè postmodum coluit: eidem preces, votaque porrexit; quoties, aut eundum in hostem, aut à Deo aliquid extorquendum censuit. Ibi denique, mortuus sepeliri, & orationum suffragiis post mortem adjuvari statuit. quod olim Magnum Constantinum fecisse diximus. Et ita hoc anno factum. nam Haroldi regnum paucorum mensium fuit. nec respexit Deus rapinam in holocausto. Sed Normanni dextram apprehendit, qui eum principatu dejectum, coronâ, vitaq́ue exueret.

[a] V. an 312. n. 26.
[b] V. an. 635. 2. &c.
[c] V. an. 871. 17.

CRUX IN ESSEXIENSEM AGRUM MIRABILITER DELATA.

V. an. 337. 11.

XIV. GUILIELMI EXPEDITIO IN ANGLIAM.

Guilielmus interim, solicitatis suorum provincialium animis; cum Clerum, & laicos omnes voto obsequentes, & sua, in belli fortunam, liberaliter profundentes reperisset: militem animis armisque instructum, educit; ad portum sancti Valerici, navem ascensurus. Cum eò ventum, porrò pergere nec miles potuit, nec aura permisit. nimirum divinum Numen exorandum priùs erat, quàm aggrediendum tantæ rei negotium. Dum ibi Guilielmus navigandi tempus expectat, expeditionem omnem Deo hominumq́ue precibus committit: & verò cives non solùm illi omnia fausta precantur; sed pecuniis armisq́ue augent apparatum ejus. Inprimis Monachi Fontanenses, qui misso Monasterii Priore discedentem Guilielmum munere salutarunt: & ille vicissim, pia largitione, eorum Monasterium auxit. Dicat hoc qui missus est à Monachis, Ingulfus prior: ille nimirum qui olim è Guilielmi familia; nunc ex hac legatione illi conjunctior: factus est inde Croylandensis in Angliâ Abbas. ita ergo ille: *Hoc in tempore, inclytus Dominus meus Comes Normanniæ Guilielmus, ad transfretandum pro jure suo conquirendo, cum fortissimo exercitu, auram favorabilem, in portu S. Valerici diutiùs expectabat. Quò tunc ego accedebam, cum Domini Abbatis mei Xenio. & explorato opportuno aditu, duodecim juvenes electos equites, armatos cum centum marcis pro suis sumptibus, in suam expeditionem, ex parte prædicti Patris, Abbatis mei offerebam. Regratiatusq; abundantissimè, pro tam necessario munere; etiam chartam suam, de donatione totius vineæ chari loci, munificentissimâ largitate domus nostra in perpetuum obtinens, lætus & laudans ad meum Monasterium revertebar.* Ita ille.

QUAM FONTANENSES MONACHI PROMOVENT.

Ingulf. fo. 914.

XV. CORPUS S. VALERICI PIE EXPOSITUM, AURAM ET OCEANUM SERENAT.

Huic pietatis operi Dux aliud addidit, quo Fidem in Deum, fiduciamq́ue in Sanctos, ac eorum patrocinia, testaretur. Cum enim inclementior aura & non fineret classem è portu solvere: & vehementior circius nautas terreret: Jubet ille Sancti Valerici corpus, quod in eo oppido depositum, piè à fidelibus colebatur, efferri, Deoq́ue ab omnibus supplicari: quo cæli terræ, & Oceani dominus, vento mariq́ue imperans, per Sancti Valerici merita placatus, tutum navigantibus commeatum concederet. Mirum dictu! vix vota Guilielmus conceperat: vix lipsanotheca in publicum prodierat: cum cælum ridere, & arridere cepit Normannorum conatibus; & ventus, quem optassent nautæ, prosperum classi cursum polliceri. Quod Matthæus Parisiensis ita paucis absolvit. *Congregatis igitur, ad terminum præfixum universis; felix aura, quæ Normannos in Angliam transferret, defecit. Dux itaque corpus Sancti VValerici, pro vento deprecando, foras portari jussit, & sub dio reponi. Et sine mora, ventus optatus vela sinnavit.* Ita Deus Sanctum gloria & honore coronavit. Fuit Valericus illius Columbani discipulus, qui * anno Domini quingentesimo octogesimo nono, è Britanniâ nostrâ egressus, plures in Galliâ, Italiaque Monachos collegit: quos inter Valericus, cum multa dedisset, sub ejus disciplinâ, pietatis & sanctitatis argumenta, à Clotario Rege, Cœnobio præficitur in agro Ambianensi, ad Somonæ fluminis ostium. *Cujus deinceps nomen* (ita canit Gallicanum Martyrologium) *non modò Cœnobio illi; sed & oppido, quod subinde ibidem surrexit, inditum, perpetuam ibidem habet venerationem.* Ita Deo, Sanctis, cæloque faventibus Normanna classis è portu solvens, felicissima navigatione ad Anglicanum litus applicuit.

Mat Parisi. hic.

S. VALERICUS, COLUMBANI DISCIPULUS.

* V. an. 589. 2.

Gallic. Mart. 12. Dec.

XVI.

Descensum est apud Regnos, in agro Sussexiensi, inter Pevensem & Hastingas oppida, in

GUILIELMUS E NAVI DESCENDENS, LABITUR: VARII LAPSUS INTERPRETES.

loco qui Bulver-Hith appellatur. Ibi Guilielmus, cum pedem incautè fixisset in terra totus procubuit: & faustone dicam an infunesto omine, militem distraxit: fuerunt enimvero, qui lapsum inter adversa numerantes, infeliciter pugnandum, & actum de rei summâ censuerunt; cum Ducis & Imperatoris gloria in occasum tenderet. Alii mitius fortuitum casum interpretati, nihil inde solidè constanterque eliciendum. fuerunt etiam qui nutantes militum animos, & Ducem erigerent hoc problemate: Anglia (Dux) tua est, illam toto sinu excepisti: nihil dubita: tene fortiter, quod cælum, quod superi, quod terra ipsa offerunt; etiam nolenti. Accepit omen Guilielmus, & in hoc opinionum dissidio, quo omnium mentes firmaret ad victoriam; magnorum Imperatorum more, ignem mandat navibus injici, precluso omni fugæ præsidio. Unde ignavi si qui essent, aut moriendum esse scirent, aut pugnandum fortiter. ne tamen temerè rem aggredi videretur, aut exercitum omnem, provincialium subitis furoribus objicere, munitionem eo loco erexit, tutum suis, ubi opus, suffugium. Interim monuit, ab incolarum injuriis, bonisque avehendis, aut lædendo agro, temperarent: sed potiùs cives, civiumque bona, & provinciam; brevi sui juris futura, strenuè constanterque defenderent. Inde Hastingas profectus, per dies quindecim, tam modestè se miles continuit; ut pacémne, an bellum adferret, esset incertum. Haroldum magis terruit fama adventus externorum. ille procul positus, & sceleris sui conscius; aut bellum sciebat suscipiendum, aut regnum deponendum. auxit metum nupera contra Danos victoria: quæ vel robur exercitus sui fregerat, vel non æqua prædæ divisio, militum animos exasperarat adeo; ut cum exiguâ manu, è Septentrione in austrum pergere, & obvios quosque colligere, in supplementum coactus sit.

MONITA DATA MILITI.

XVII. HAROLDUS CONTRA GUILIELMUM PERGIT.

Ut ventum in Sussexiam est, Haroldus cautè præmisit, qui Normannorum castra, vires, animosque explorarent. Illi referunt, bellicosum esse militem, tam numero militum, quàm fiducia magnum. cæterùm omnes sacris initiatos videri: quod rasi, quod imberbes, incederent. Risit Haroldus nuntii candorem: & intulit: id militis & robusti militis signum, non Sacerdotis esse. Adfuit Haroldi frater, Gurtha nomine: qui ita fatur. Si robusti militis argumentum est; opinor, Rex, Tibi, nobis, ac Reip. utilius est, robusti militis iram declinare; Guilielmo Duci mitiùs respondendo. Intercesserant enim inter eos legationes variæ, & cruda responsa Haroldus dederat. Guilielmus, per Monachum, Haroldo trium rerum optionem dederat: vel regno cederet, juxta pacta olim fœdera in Normannia; vel suo nomine Pro rege esset: vel singulari secum certamine, pro regno, dimicaret. Haroldus contra, sacrum oratorem, præter Regis dignitatem, torvo vultu, verbisque exceptum abegerat, nullo alio responso dignatus. Quod Gurtham movit fratrem ut moneret; ne exiguum, coactum, & novitium militem, multo, animoso, & veterano objiceret. Sed voluit Deus, ut qui, spreta religione juramenti, & Romani Pontificis arbitrio, bellum inchoaverat: nunc spreto saniore consilio, pœnas dando, & solvendo, suo sanguine multorumque, illud absolveret.

PROPOSITÆ CONDITIONES PACIS

AB HAROLDO REIECTÆ.

Normannus itaque, cum spretum feciasem, & Haroldi fastum audisset: gladium, iram, animumque in vindictam acuit: gnarus Deum superbis resistere: & humilibus dare victoriæ gratiam. quam certè prumeritus videri poterat, vel ideo; quod cum Deo in Anglos pugnare: cum in belli societatem, multiplici obsequio vocare (utrumque alter omisit) aggressus sit.

XVIII. ACIERUM ORDO QUALIS? ET MILITUM DISCIPLINA DIVERSA.

Etenim cum utraque acies, in planitiem descendens, ad prælium postridiè ineundum, se pararet; & ordines interim explicaret: non uno id more, sed dispari factum. Anglus noctem, insomnem quidem illam, sed cantu, cibo, potuque græcando, traduxit atque fœdavit; de Deo parum, aut incertâ martis aleâ, sollicitus. Sanctiùs à Normanno factum: qui Deum multa prece votis propitiatus, conscientiam expiando, & Sacramentorum gratiâ muniendo, paratior, summo mane in aream descendit. Ut eò ventum: Haroldus peditem bipennibus instructum, & conserta Scotorum testudine munitum, exercitui præmittit: ipse cum proceribus, ad vexillum stabat. suis omnibus ne fugerent, firmamentum. Guillelmus arcubus, & sagittis, armatum peditem, Anglis objecit: equites in duas alas divisit, robur exercitus. tunc classico canente, dum Guilielmus loricâ inducitur; inversam accipit, induitque. Quam ubi conspicatus est vice versa compositam: & convertere incipit, facetè subintulit: exuere debeo Ducis titulum, & Regis induere. Tunc acriter cæptum pugnari: his pro patriâ tuendâ, defendendoque. illis pro imperio proferendo, & novo regno acquirendo, diu, & æquo marte certantibus. Normannus, facto impetu, peditum ordines, qui pro Haroldo pugnabant, irrumpere, & perturbare satagens; à consertâ Scotorum testudine arcebatur adeo; ut cuneus ille, pugnaci quantumvis milite, impervius esset. Quod ubi vidit peritus Imperator, jubet suos simulare fugam: quò testudine solutâ, & fugientes persequente; faciliùs hostem adorirentur. Ergo: Normannus, confertam aciem pugnamque declinans, canit receptui, terga hostibus vertit, & simulanter cedit: Anglus ad prædam, & persequendum, præceps, sine ullo militaris disciplinæ freno, sugientes insequuntur, de victoriâ certus, de prædâ tantum sollicitus. Tunc Guilielmus, conversâ in Anglum acie, pedites aggressus, & obvios sternens, alios in fugam cogit. Mox Anglus, occupato montis supercilio, in subeuntes facilè pugnat: multa ibi Normannorum strages, magna militis carnificina fuit. quos enim cominus ferire non poterant Angli, eminus lapidum, & saxorum nimbo obruunt, aut in præruptam fossam præcipitio collidunt. In hunc modum diu, acriterque dimicatum: Normanno, ut iniquiore loco, sic copiosiore sanguine, pro victoriâ decertante. Eminuit in hoc prælio, duorum Imperatorum fortitudo maximè: dum uterque contempto mortis periculo, & suæ dignitatis oblitus; manu hostem, voce commilitones, urgebat. potior, tamen conditio fuit è superiore loco pugnantis: ita Guilielmus dum obvios, ancipiti ferro, cæsim punctimque obtruncat; tribus, quibus insidebat equis occisis, majore semper impetu in hostem surgebat. Haroldus contra, suos animando, nunc militis, nunc Ducis munia exequendo, spe victoriæ plenus; tamdiu Normannos pressit, donec

GUILIELMUS LORICAM INVERSAM INDUIT.

NORMANNI FUGAM SIMULANTES, FORTIUS IN ANGLUM PUGNANT.

perfosso

Haroldus occiditur.

perfosso capite, & effuso cerebro in terram corruit. Tunc enimvero languere gregarius miles cœpit; arma animosque abjicere, & demum fugæ præsidio se tueri. Quibus tamen nobilior animus, & omni periculo major; nihilò remissiùs, à misso Rege, sed multò constantiùs pro patriâ, aris, focisque pugnabant: verùm pedite destituti, incassum omnia tentant: sic procerum pars maxima desiderata, & Anglicana nobilitas cum egregiæ fortitudinis argumento sepulta, Normanno cessit victoriam.

Et procerum plurimi.

XIX. *Fatalis Anglorum pugna.*

Fatalis hæc pugna Anglis, nec læta Normanno fuit: nam utrimque magnus pereuntium numerus; omnino sexaginta millia numerantur: victori etiam caro stetit victoria: quam Deus Anglo, ob Anglorum demerita, subduxit, & non nisi mirabiliter, Normanno concessit. Unde scripsit Edmerus ita: *De hoc prælio testantur adhuc Franci, qui interfuerant: quoniam licet varius casus hinc inde extiterit: tamen tanta strages ac fuga Normannorum fuit; ut victoria, qua potiti sunt, verè & absque dubio, soli miraculo Dei ascribenda sit: qui puniendo per hanc, iniquum perjurii scelus Haroldi, ostendit se; non Dominum esse volentem iniquitatem.*

Edmer. Novo. l. 1.

Guilielmus Deo acceptam victoriam refert.

Hoc victor agnovisse videtur, & ideo benignam Dei manum osculo amplexans; Haroldi vexillum Alexandro summo Pontifici, Dei vicario, anathema obtulit, accepti beneficii monumentum. Erat illud *in hominis pugnantis figurâ, auro & lapidibus arte sumptuosâ contextum*, inquit Malmesburiensis. Pugnatum est pridie idus Octobris, ipso Sancti Callisti sacrâ luce; qui Romani Pontificis violatam ab Haroldo prærogativam, Romanus ipse aliquando Pontifex creditur vindicasse. Sed nihil magis probat miraculi conscientiam in victore: quàm erectio nobilis Monasterii eodem in loco, quo Haroldus cecidit: quod ille Deo victoriæ largitori, & Sancto Martino Turonensi sacrum amplissimis latifundiis, & privilegiis munivit: ac viris regularibus implevit, qui animas ibidem interfectorum piis precibus, præsertim sacrificiorum frequentiâ, Deo commendarent. Quod fidelibus Christianis, omni ævo, solenne fuit. Eo modo surrexit Abbatia de Bello dicta in agro Sussexiensi; quam tam Normanni Principes, quàm Angli nunc subacti, ob fusum ibi, ex utraque natione, sanguinem, ornaverunt. & quidem Guilielmus, inter cætera beneficia, quæ loco illi indulsit, hanc immunitatem suo diplomate scripsit: *Si quis latro, vel homicida, vel aliquo crimine reus, timore mortis fugiens ad hanc Ecclesiam pervenerit; in nullo lædatur; sed liber omnino dimittatur. Abbati verò ipsius Ecclesiæ liceat ubique latronem, vel furem de suspendio liberare, si forte supervenerit.* Ita Victor, cui Deus indulgentissimè victoriam concesserat: in Deum liberalis, in homines pius, & indulgens fuit. Qua etiam pietate ductus, bello confecto permisit promiscuè omnibus, suos ibi mortuos sepelire: & Haroldi corpus, quod ejus mater misso multo pretio postulaverat; remisso pretio gratis concessit. quod illa in Essexiam delatum ad Waltham oppidum condidit in Ecclesiâ, quam Christo crucique ejus, Haroldus consecrarat, ut dictum suprà.

Malmesb. de Reg. l. 3.

Monasterium erigit in loco pugnæ.

Apud Camd. in Sussex.

Monasterii privilegium.

Haroldus apud Waltham sepelitur.

V. hic n. 13

XX. *Guilielmus Rex.*

Dum funera religiosè curantur, Eduinus, & Morcardus, Northumbriæ Comites, Londini novas res moliri; nunc Edgarum in Regem efferre: nunc seipsos offerre, propugnatores patriæ; nunc cives ad arma, ad libertatem tuendam, verbis, factisque excitare cœperunt. Sed Normannorum terror hebetaverat mentes, impleverat omnia: & sacri Præsules, Ecclesiarum populationi timentes, Victori cedendum rati; manum alteri, coronamque imponere formidabant. In hac hyeme temporum, cum nobilium etiam sanguis frigeret, Guilielmus Londinum properans, in urbem admissus, à civibus, tutiora semper sequentibus; honore magis, quàm amore exceptus, cum Christo nascente, in Regem nascitur, ungitur, atque coronatur. Noluit tamen temerè, aut inconsulos utriusque Reip. principibus, Regis titulum præsumere: voluit ergo, orthodoxo Regum more, à consecratis Episcoporum manibus, coronam, & cum eâ regnandi jus accipere: quod ab Haroldo omissum, regni ejus inconstantiam præsagivit. Hoc ut Catholicè fieret, & inoffenso Domino Pontifice; qui dudum illi manum, vexillumque porrexerat; laboratum aliquamdiu est. Ad Stigandum Cantuariensem, primæ in Anglia sedis Episcopũ, spectabat coronationis officium: sed ille, vitio sedem intraverat: & infulam malè gestando, plura præter Ecclesiastici hominis dignitatem, fecerat. Ab eo itaque noluit Guilielmus inungi, aut eo dispensante, coronam accipere: Quamobrem Aldredus Eboracensis Antistes, ad inaugurationis solennia advocatur: & ille, sub finem hujus anni, Guilielmo, inter Missarum solennia, ad altare procumbenti, jurantique se Ecclesiæ privilegia defensurum, concepta verborum formula, cum sacro oleo inunxisset, sceptrum & coronam tradidit: blandiente, potius, quàm applaudente populo.

Guilielmus Dux coronatur, ab Aldredo Eboracensi.

XXI. *Britannici regni varia vicissitudo.*

Hic siste, Lector, & contemplare, vel Guilielmum, è Normanniæ Duce, Regiis ornatum insignibus: vel rerum omnium, regnorum etiam, & rerum publicarum vicissitudines varias: vel certè Deum ludentem in rebus humanis; nunc efferentem, nunc prementem sceptra: nunc punientem, nunc præmiantem mortales: cæterùm ubique, aut bonitatis suæ, aut justitiæ argumenta præbentem. Sub duro Romanorum, & infideli jugo, gemuerat Insula in variâ fortunâ annos propè quingentos: sed mores induerat paulò cultiores; indolem acuerat politioribus disciplinis. Deus etiam, eo artificio, mentes paraverat ad sementem meliorem. Successit Romanorum imperio Germanus miles: & fortiter primò, sub principatus initia, suam, non Christi causam, egit. Sed postea Christi fidem amplexus, & sub cruce ejus militans; mutavit fortitudinem suam, assumpsit pennas, sicut aquilæ: & demum ad sanctitatis culmen, magnis virtutum passibus festinavit. Tunc gloriosa dicta sunt de te, Insularum nobilissima: sed omnis consummationis vidi finem. Sol noster, à suo zenith declinans, lucem quidem ille diu retinuit: sed per splendoris, fervorisque decrementa, regni, gloriæque suæ, addo & fidei, tandem sensit occasum. Perierat pulchritudo justitiæ, temperantiæ leges siluerant, vitiorum farrago successerat, & homines, sine freno, in criminum præcipitia ferebantur. Nec erat à malorum communione innocens clerus: Ipse Ecclesiarum princeps Stigandus ob multa infamis; terram potiùs, quàm cælum aspexerat. Deus itaque scelerum vindex, qui olim permisit Saxonem, Britannos

Isa. 40. 31.

Anglorum peccata causa malorum.

vexare, regnoque omni & imperio exuere: qui deinde Danos è Septentrione vocavit, flagellum Saxoni. nunc eandem Danorum progeniem, ex eodem quondam Septentrione profectam; ideoque Normannos dictos, excivit: ut rebellem Insulam, nullâ castigatione meliorem, novo excidio, ad perpetuum exterminium condemnaret, & longè diutius ejus cervici incumberet. Eo consilio Guilielmi dextram apprehendit, victoriam illi concessit; ut Haroldi perfidiam, principum avaritiam, populi peccata, & imprimis neglectum domus Dei, puniret, Normanno *jus Regis* concedendo. Superest ergo, & Annalium ratio requirit, ut exponam: quomodo Guilielmus Rex, jus suum, cum Anglorum captivitate atque pernicie, inchoaverit, prosecutus sit, atque perfecerit: utriusque Reipublicæ proceres, nunc premendo, nunc sedibus, & totâ demum Insulâ movendo. quod è sequentibus annis fiet manifestum.

Reg. 8. 9. 22.

ANNUS CHRISTI 1067.

ALEXANDRI II. PAPÆ 7.

GUILIELMI I. REGIS 2.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus sexagesimus septimus. quem Guilielmi Regis secundum appellamus. Licet enim sub finem anni superioris, unctionem acceperit: priùs tamen, omnirum ab Idibus Octobris, principatum arripuit: & plurimi proceres Regem agnoverant. Etenim à prælio, mediterranea ingressus; cum Sussexiam, Cantium, aliasque provincias vastare inciperet, & hostiliter impetere: visum pluribus, humili supplicio furorem ejus, & militis insolentiam sistere. Itaque Aldredus Eboracensis, Wulstanus Vigorniensis, & Walterus Herefordensis, Episcopi, pro Ecclesiis oraverunt, & è procerum numero, Clito Edgarus, Eduinus, & Morcardus Comites, Londinensium denique præcipui, obviam facti, seipsos cum juramento illi subdiderant. quod etiam in causâ fuit, cur Aldredus vicissim ab eo juramentum exegerit, Ecclesiarum jura sarta tecta servandi: ut supra paucis innui. Sed reverà sanctitas rei, & juramenti religio, indeque orta Regum obligatio, postulant, ut non cursim sacra illa cæremonia, & in Regum inauguratione præcipua, describatur. præsertim cum antiqui pariter ac recentiores ejus meminerint. Sciendum itaque, Ecclesiam, Reges, unctos præsertim, & sacris ritibus inauguratos, præcipuo quodam honore, ceu filios primogenitos coluisse. & vicissim ab eis, ceu matrem & parentem, cultu solenniori, solitam honorem. Unde quemadmodum cum sceptri, & coronæ, & sacri olei traditione, Ecclesia Regibus titulos cumulabat, adeo, ut sacrosancta Majestas illa diceretur & esset: ita Reges, humile matri obsequium, jura sua integra atque illibata, non promittebant modò: sed jure etiam jurando interposito, religiosè asserebant. & ita factum in Guilielmi auspiciis, Aldredo dictante, illo excipiente juramenti formulam. Unde scripsit Hovedenus in hunc modum. Guilielmus *ipsa nativitatis die, quæ illo anno feria secunda evenit, ab Aldredo Eboracensium Archiepiscopo, in VVestmonasterio, consecratus est honorificè. Sed prius, ut idem Archipræsul, ab eo exigebat, ante altare S. Petri Apostoli, coram Clero & populo, jurejurando promittens, se velle sanctas Dei Ecclesias, ac Rectores earum defendere. necnon & cunctum populum sibi subjectum, justè, ac regali providentia regere; rectam legem statuere, & tenere; rapinas, injustaque judicia penitus interdicere.* Hæc ille.

ALDREDUS A GUILIELMO IURAMENTUM EXIGIT.

REGII IURAMENTI RELIGIO.

Rog. Hoved. in Guiel. fol. 450.

II. REGES SACRA TUERI DEBENT.

Hinc constat, Regiæ dignitati ac honori, hoc onus annexum: ut non modò manus ab injuriâ Ecclesiis, Ecclesiarumque Prælatis inferendâ, debeat continere: sed eandem debeant toties extendere, ac porrigere; quoties factiosorum tyrannide, & laicorum insolentiâ laborat Ecclesia. Hoc si fiat, Christi religio propagatur, florent Ecclesiæ; & Regio vertici corona sedet ornatissimè. enimvero utraque Resp. feliciter à suo principe regitur, tunc cum dextra & sinistra manus, amicè in rerum procuratione ac regimine conjungitur. Tunc si quid sinistrum subditis acciderit; corrigitur facilè, juvante dextrâ. Verùm, si Reges ambidextri esse contendunt, obliti creationis suæ: pulcherrimus monarchiæ ordo invertitur, & non potest esse diuturnus. Quomodo se gesserit Guilielmus Rex, & quàm religiosè votum solverit, sequentium annorum series declarabit: monito priùs Lectore, si quid in hoc genere peccarit (& fatendum est peccasse plurima) morum potiùs militarium, quam fidei nævum fuisse. Etenim, qui Ecclesias & Monasteria invenit divitiis, amplitudine, clientum & subditorum numero florentissima: qui novæ dignitatis tuendæ studiosissimus fuit: qui in Anglorum Rep. peregrinus semper, & nuper hostis intraverat; succidere & enervare voluit quicquid potentiæ suæ atque ambitioni adversari poterat: & inducere id omne quod futurum erat cupiditati suæ firmamentum. Hinc nata Ecclesiarum & Monasteriorum ab Anglis Præsulibus ad Normannos translatio: & quia militem alere ad timores nocturnos diurnosque oportebat; loca sacra, quæ priores & pientissimi Principes, ab omni subjectione, eximia fecerant; militum avaritiæ, ac voluptati servierunt. Sic jacta sunt fundamenta factionis illius, quæ per varia temporum spiramenta, primò in Henricianum schisma erupit: inde in Babelis nuperæ culmen surrexit: ubi Ecclesiarum jura plebiscito stant, caduntque.

QUOMODO BENE REGITUR RESP.?

UNDE NATA ECCLESIARUM VASTATIO?

III. Cæterùm nunquam ita Guilielmus insanivit: nam licet studio tuendi parta, insolens aliquando fuerit: didicerat tamen Ecclesiæ Prælatos, & Monasteria revereri. imò Ecclesias ipse, & Monasteria fundavit, ornavitque, (ut hoc anno* dicitur in Cambria, ad Arnethwait, Monialibus ædes posuisse) & Eboracensem Archiepiscopum, qui manum & coronam imposuerat, summo semper in honore habuit; & offensum aliquando supplici corporis cultu placavit, ut refert Nubrigensis in hæc verba. *Contigit aliquando Aldredum Pontificem, in quadam petitione, a Rege repulsam passum, iratum avertere scapulam; recedentem maledictionem pro benedictione comminari. Cujus motus ille non sustinens: ad pedes ejus procidit, veniam petit, satisfactionem spopondit. Cumque optimates, qui aderant, suaderent ut Regem erigeret. Sinite illum, inquit, jacere ad pedes Petri,* Si ergo videris Guilielmum quandoque infulas tangere; Episcopos,

GUILIELMI REVERENTIA ERGA PRÆLATOS.

* *Sped. in Catalo.*

ET ALDREDUM EPISCOPUM.

Neubrigen. l. 1. c. 1.

è Normannis

è Normannis eligere; Abbates Anglos premere, & ſuos efferre: puta peregrinum hominem, dubiúque juris; contra potentes incolas, ſeque coronamque ſuam tueri aliter non poſſe. Noli putare eum à prætoriorum Regum fide degenerem; aut ex eâ hominum ſectâ fuiſſe, qui ſexcentos poſt annos, in Eccleſiarum jura involarunt, Epiſcopos novo, & inaudito à majoribus modo creaverunt: & eos ſic tumultuariè creatos, pro libito exauthorarunt: denique ipſam Epiſcopi appellationem nomenque proſcribere & obliterare conati ſunt. Nunc priora & meliora tempora relegamus.

IV. GUILIELMI METUS OS ANGLORUM POTENTIAM.

Vix erat Guilielmus in regni ſolio conſtitutus; cum novæ dignitatis onus ſentire cæpit: & ſe illud ſuis humeris ſuſtinere non poſſe; niſi eos fortiter premeret, quos ſibi jure belli ſubdiderat. Vidit oculatus homo multam ſeditionum materiam ſupereſſe, & uberem factionum ſementem: quæ facilè enaſci, in turbato rerum ſtatu, poſſet. Novit plurimorum in Edgarum ſtudia: Eduini & Morcari turbulenta ingenia, & plebis inconſtantiam. Senſerat unius Abbatis, ſibi in faciem reſiſtentis audax facinus, & impavidam vocem. & meritò formidavit plures per Angliam eſſe; qui quoties opportunum, negotium illi faceſſere, & ſecum de jure quo Angliam invaſerat, contendere & poſſent & auderent. Superiori anno cum Londinum properaret, per Cattieuchlanos tranſiens, è Dobunis & Oxonienſi agro: impeditum iter invenit, & arborum truncis ramiſque obſtructum. Nimirum Albanenſis Monaſterii Abbas Frethericus; vir tam potentiâ, quàm natalibus clarus (Canuto Regi conſanguineus dicitur) Monaſterium ſuum contra militum rapinas muniverat. Quod ubi victor intellexit, acciri Abbatem jubet; datâ fide quod impunis rediret. Adeſt Frethericus, & ſciſcitanti, cur arbores, cur ſilvam cæcidiſſet; quæ nunquam cædua fuerat? Feci, inquit, quod debui, & quod paſtoralis officii ratio poſtulabat. Si alii Prælati ſimiliter feciſſent, ad quod reverà tenebantur, tu nunquam impunè hucuſque penetraſſes. Stupuit Guilielmus ad intrepidam vocem: & clarè vidit, quantumvis litore potitus, plures provincias unâ victoriâ terruiſſet; invictas tamen eſſe plurimorum mentes, nec uno prælio domandas. Hæc menti hæſerant, cum coronam induit; & meritò timuit, non fore conſtantem; ſi proceres & Prælati, in tanta rerum omnium trepidatione, tam vocales tanta linguæ libertate fruerentur. Quamobrem tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum hominum potentiam, clientelam, divitias; vel minuere ſtatuit, vel ſibi poſteriſque obligare. atque ita audaciæ nervos ſuccidere, & factionum lenocinia.

FRETHERICI ABBATIS CONSTANTIA.

V. COMPOSITA REP. IN CANTIUM TENDIT, ET PARICULO DEFUNGITUR.

Verùm hæc cogitantem res in Normannia turbidæ diſtraxerunt: quas ut componeret, eò ſibi abeundum ſtatuit, & conſulendum patriæ; unde ſibi præſidia ſuppeterent, potentiæ firmamentum. Sed crudis adhuc rebus in Angliâ diſcedere, & Remp. illis permittere, qui necdum iras poſuerant; erat regnum inimicis, & coronam credere. Itaque proceres regni, & Eccleſiarum præſides fidelitatis Sacramento obſtringit: jubetque ſibi, & ſuis obſequium præſtare: Inde Odonem fratrem Baiocenſem Epiſcopum, & Guilielmum Fitzoſburnum Proregem conſtituit; Londinenſem urbem, & caſtella ſibi ſuiſque opportuna munit: litora præſertim auſtrum ſpectantia, ad externorum claſſem arcendam. Quibus ordinatis ſub Quadrageſimæ exordium, in Cantium tendit; ducens ſecum è proceribus eos, à quibus in abſentiâ periculum eſſet: ratus ſubducto fomite, non futurum incendium. Sed vix provinciam ingreſſus, periculum incurrit, quod niſi blandè ſopiviſſet; actum omnino de principatu erat. Provinciales Cantuariæ convenerant, numero multi, robore firmi, audaciâ ſingulares: illos Stigandus Archiepiſcopus, & Egleſinus Monaſterii Abbas (quod ab Auguſtino & Ethelberto fundatum, ſanctis Petro & Paulo, Apoſtolorum Principibus, ſacrum erat) accenderant, ad fortiter ſtandum, atque faciendum pro aris focisque, pro popularium privilegiis quæ tot ſæculorum ſerie præſcripſerant: & nunc Normannorum rapacitati, militumque inſolentiæ, & externorum cupiditati, ſubſtrata jacebant; niſi novi Principis tyrannidem ſiſterent: & audaci facto notam diluerent, quam cæteræ provinciæ, à majorum fortitudine degeneres, & ignavæ, contraxerant. Non erat porrò opus, oleum incenſis & exaſperatis provincialium animis infundere; nam ſtatim flammam concepere; eò ſecuriùs, quòd calculo ab altari, & Eccleſiaſtico folle exciretur. Itaque hoc claſſico moniti, in aciem prodeunt, obviam Guilielmo. Cum ventum eſt Graveſendam; quà Regem tranſire neceſſum erat; ad duo inde milliaria, militari ordine procedunt: locumque inſidiis quærunt opportunum, ad Swanſcombe oppidum. ubi cæſis arboribus, ramiſque manu prehenſis; nè eminùs conſpicerentur, facilè effecerunt. Ibi cum juxta ſilvam conſiſterent, quæ tutiores inſidias fecerat: ecce adeſt Guilielmus Rex; & propior factus, ut ſilvam moveri videt, obſtupuit ſcilicet: mox viros conſpicatus & ingentem exercitum, ſilvæ parem, exiſtimans! illico ſe inſidiis circumventum ſenſit: tunc maximè cum miles abjectis ramis; vexilla explicaret, & gladiorum aciem: ac tenſo ad feriendum arcu, extrema minaretur.

CANTII PROVINCIALES IN REGEM ARMANTUR.

VI. STIGANDI AD REGEM ORATIO.

Dum ad inſolens ſpectaculum Guilielmus ſtupet, & meritò coronæ timet; Stigandus & Egleſinus ex acie prodeuntes, Regem ſic affantur: Adſunt, Rex, provinciales noſtri, tibi ad omne obſequium parati, & expediti, hac lege; ut eorum leges, jura, conſuetudines, illæſa intactaque permaneant. Quod ſi nolueris, æquiſſimæ interceſſioni precibuſque locum concedere: ſcito, pugnacem hunc populum, & patriis legibus addictiſſimum, ad bellum, ad mortem, ad omnia dura ſubeunda devotum eſſe potiùs, quàm ad tyrannicæ ſervitutis jugum, cui hactenus nunquam inſueverant, induendum. Tuum eſt Rex, palam edicere: veliſne horum votis obſequi; & eos habere ſubditos; an precibus adverſari; & milites experiri. Quod animo ſederit ſcire cupimus, & erimus populo, tuæ mentis interpretes. Conſtrictus hoc dilemmate Guilielmus, & armatam multitudinem meritò formidans; non diu reſponſum diſtulit. Annuit ergo, & ſe jura Cantiani populi ſarta tectaque, & omnino integra ſervaturum, & ſervanda præcepturum, datis utrimque obſidibus, ſpopondit. Cantii Comitatus hoc modo in Regem tranſlatus, è veſtigio eodem inveſtitur Odo frater. Caſtrum etiam in Dover, magnum regni firmamentum, in manus traditur, & permiſſa eſt provincia ſuis legibus vivere: quæ

REGIS RESPONSUM, ET INOUITA CANTIO PRIVILEGIA.

tamdiu religiosè servatæ sunt; quamdiu Regia Anglorum Fides, summos, & infimos, in Fide continuit. Sed ubi optimorum morum nervus elanguit: & cerebri vitia, pro fide fuerunt: tunc, cadente Ecclesiarum splendore, & ornatu, omnium Ecclesiarum, & provincialium jura passa sunt deliquium.

VII. Acceptis secum obsidibus Rex in Normanniam trajicit.

Compositis in Cantio rebus, motuque presso: premi tamen non potuit metus, nè Regis absentia novas turbas pareret. Si enim in unâ provinciâ, tantus animorum motus fuit: major enimvero futurus erit, si cæteræ omnes in unum sociale bellum coirent. Guilielmus ergo in Normanniam profecturus, plures juratæ fidei obsides, & è Clero, ac proceribus præcipuos, secum mare trajicere, & perpetuò sibi adesse voluit, servitutis instrumenta. Et Clero Stigandus Cantuariensis, Eglesinus & Egelnotus Glastoniensis Abbas, Monasterii præpositus jubentur ad iter se accingere. Proceres fuerunt, Edgarus Ethelinge, Edwinus, & Morcarus, Comites, qui nuper coronæ inhiaverant; Walteofus Siwardi Comitis filius, ingentis vir animi: Rogerus Hertfordiæ, Ranulphus Cantabrigiæ, Gospatricus, Cumbriæ Comites. hos omnes in Normanniam duxit; ut demptis provinciarum capitibus, minùs forent quæ remanserant, membra animata. Sed nunquam deest factionis materia; ubi novæ tyrannidis timor animos exasperat; ubi in fortium virorum pectore calet sanguis; ubi denique externa dominatio servitutem minatur, aut liberis jugum collis.

Edricus Silvaticus turbas ciet.

Ita animatus Edricus quidam, cognomento Silvaticus, è Merciorum Comitibus oriundus; cum in factionis societatem Britannos vocasset; noluit Normannorum imperio subesse: nec cogi potuit à Roberto Fitzscrops; quem Guilielmus provinciæ præfecerat. Unde Herefordensis ager enormiter læsus, provincialium bona distracta, & multus utrinque sanguis effusus est:

Exonia in Regem surgit.

In Occidente etiam tumultuatum, & Exonia urbs firmissima, externum dominatum exuens, vel potiùs induere nolens, palam renuit Normanno servire: pulso inde Roberto Cumin Prorege: Nec defuerunt ibi, qui generosos spiritus alentes, pudenda ignominiæ nota novorum hominum imperia eluserint. adeo novam servire servitutem, aut peregrinis legibus, moribusque subjacere, ingenuæ nobilitatis indoles formidabat.

VIII. Rex in Angliam reversus, fortius premit cives.

Hæc Regem pupugere; qui facilè intellexit, ni reditum acceleraret, hos seditionum igniculos, populari aurâ succensos, in magnum erupturos incendium. Quare rebus in patriâ, majori quàm putarat compendio ordinatis, expeditis nominibus, ac soluto ære quod contraxerat, in Angliam festinus revertitur, fortius impressurus jugum cervicibus duris. Enimvero vix eò redierat, cum nobilium terras, & prædia, Normanno militi divisit: ea largitione tumentes Anglorum animos debilitans, & suorum provincialium excitans ut strenuè pro adeptâ tuendaque dignitate, pugnarent. Nec eo contentus; tributum à singulis exegit, durissima conditione impositum; quod viritim pendere vel inviti cogebantur. Inde in Damnonios profectus Exoniensem urbem gravi obsidione cingens, plebem quidem terrere potuit, & muros urbis concutere; non potuit tamen nobilium animos ad obsequium flectere; donec disjectâ mœnium parte, aperta est in urbem via. Tunc scilicet cives trepidare, pars urbe excedere, pars abjectis armis deditionem offerre. Tunc † Githa Comitissa, Haroldi Regis mater, & Swani Danorum Regis soror, inde fugiens & in Belgium secedens, tyrannidis jugum declinavit: author fuisse creditur, & princeps factionis, quæ Cornubiensem quoque & Somersetanum agrum pervasit.

Nota: quod de Exoniâ dicitur: ad Oxoniam alii transferunt. Sed fortè Malmesburiensis, & Paris nuper impressi, malè Oxoniam pro Exonia, ponunt.

† Githa Comitissa in Belgium fugit.

* Haroldi filii Insulam vexant.

nam Godwinus & Edmundus * Haroldi filii, qui à parentis morte in Hiberniam trajecerant; inde hoc anno in nostrum Occidentem descendentes, provincias ibi plures populati sunt: & occiso Adnotho, qui loca illa pro Normannis tenebat; actaque præda magna, in Hiberniam redierunt. nec ibi diu, aut quieti fuerunt. nam sequenti anno, eodem reversi, cum Beorno Cornubiæ Comite congressi sunt; & mox vastato agro, in Hiberniam regressi, demum ad Swanum Danorum Regem, fratruelem suum, pergentes, ibi tandem mortui quieverunt.

IX. Rex Anglorum bona Normannis dividit.

Guilielmus interim Anglorum ingenia detestatus, cum nullum turbarum finem cerneret: quamdiu dives populus, & proceres, clientela potentes essent: utrosque vexare cœpit, & eorum alas succidere, ne ad pristinam libertatem surgerent, aut spe ad recuperandum majestatis fastigium aliquid ultra moliri possent. quod quia arduum erat, quamdiu Reip. munera penes Anglos essent; statuit rerum omnium procurationem, & Officia, Normannis paulatim dividere: & paucorum incolarum animis, sibi clementiâ, aut pietatis imagine, conciliatis; (sic aulæ vitia facilè capiuntur) cæterum Anglorum populum fortiùs premere: & quia magna bonorum, honorumque pars, penes Clerum, & Ecclesiam erat; thesauri, & opulentiæ plurimum: illa etiam, factionum lenocinia vel omnino tollere, vel certè in Normannorum manus deponere, artis esse putavit. Sic brevi cernemus, pulsis vita, vel sedibus Episcopis, & è Monasteriorum præfectura, Abbatibus; Normannos succedere; & utriusque Reip. summum, in externorum potestate esse.

X. Moritur Wulfsinus Dorcacestrensis Episcopus,

Cæterùm quod ad hunc annum spectat, moritur Wintoniæ Dorcacestrensis Episcopus, Wulfsinus nomine; quem sacra infula donatum anno millesimo quinquagesimo primo diximus * suprà. Is cum captivam Rempublicam alteram vidisset, & brevi sanctiorem quoque captivandam; petivit animæ suæ ut moreretur. quod commodùm Guilielmi rebus accidit. nam vacare sedem permisit per annos aliquot: & demum vocatum è Normannia Remigium, Fescamnensem Monachum, mortuo Præsulem substituit, ut infra. Fuit Wulfinus, vel Wulffinus, ultimus eorum qui Episcopalem Cathedram Dorcestriæ, in Dobunis collocarunt. nam qui secuti sunt Episcopi, humiles Anglorum sedes, ad nobiliora loca, oppidaque extulerunt. & sedes hæc, quæ nunc Dorcestriæ, nunc Sidnacestriæ; omnem primo Occidentem, mox etiam Mercios rexerat, Birino sancto fundatore; Lincolniam brevi transferetur. ubi ad octavi Henrici tempora fixam videbimus. inde ad annum 1641. Lincolnienses quidem appellati sunt Episcopi: sed heterocliti omnino, & alterius declinationis fuerunt. aliter creati, aliter generati. Et qui a Romano Pontifice baculum & annulum, majorum more, accipere noluerunt; sed magis, nescio quâ Comitiorum

* V. an. 1051. n. 11.

V. an. 1070. n. 8.

Episcoporum nova, sed non diuturna creatio.

authoritate

authoritate instituti: ideo breyis vitæ fuerunt, & qua creati sunt authoritate, eâdem esse desierunt. quod nunc factum cernimus: & lugemus, non eos quidem qui nupera creatione sic dicti sunt. Sed sanctissimum Episcopi nomen; & omni sæculo reverendum: & unà Ecclesiarum bona, certissimum Christi crucifixi patrimonium; & orthodoxæ fidei honestamentum; obliterari, distrahi, & factiosorum cupiditati, amicitiæque famulari.

ANNUS CHRISTI 1068.

ALEXANDRI II. PAPÆ 8.

GUILIELMI I. REGIS 3.

I. ALEXANDER PAPA AD REGEM SCRIBIT.

INTELLEXERAT Alexander Papa, Guilielmum è Normanniæ Ducibus, ad Angliæ regnum electum, & coronatum esse. vexillum etiam ab eodem acceperat, insignis victoriæ monumentum: sed tributum Romanæ sedi debitum; & multa sæculorum serie penitus solitum, non acceperat. Imo Haroldus, qui nuper suâ tantùm authoritate regnavit, illud pietatis officium, forte bellorum & factionum mole obrutus omiserat. Alexander igitur scriptis ad Guilielmum literis; in mentem illi revocat; quid Anglorum Reges olim Romanæ sedi præstitissent, & quo honoris cultu parentem honorassent. Perierunt, quod dolendum est, illæ literæ: è quibus, si integræ extarent, colligere esset Fidei Regiæ argumenta plurima. Earum tamen pars etiamnum legitur in Vaticanâ Bibliotheca. quam Baronius recitat ita hunc annum auspicatus. *Annus sequitur Redemptoris millesimus sexagesimus octavus, sexta Indictione notatus: quo Alexander Papa ad Guilielmum Regem in Angliâ, pro exactione denarii sancti Petri, literas ex more Apostolicas dedit. quarum fragmentum tantum, ex ipsis relatum, habemus in libro censuum Romanæ Ecclesiæ, qui extat in Vaticana Ecclesia his verbis.*

Baron. hic n. 1.

II. REGNUM ANGLORUM SUB PETRI PATROCINIO.

Idem Alexander, Guilielmo Anglorum Regi inter cætera. *Novit prudentia tua Anglorum regnum; ex quo nomen Christi ibi clarificatum est; sub Apostolorum principis manu & tutela, extitisse; donec quidam, membra mali capitis effecti, zelantes superbiam patris sui satanæ, pactum Dei abjecerunt; & Anglorum populum, a via veritatis averterunt.* & paulò post. *Nam ut benè nosti; donec Angli fideles erant, piæ devotionis respectu, ad cognitionem religionis, annuam pensionem Apostolicæ Sedi exhibebant. ex quâ pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur. Hæc tantum ibi. Quæ esset summa exactionis, ibidem recensetur.* Hactenus Baronius. Cæterùm nos suprà, de pensitatione denariorum S. Petri, plura diximus. cur, quando, à quibus; & quomodo solvi sit solita: denique quæ summa fuerit exactionis. distinximus etiam pensum illud ab eo, quod scholæ Anglorum, seu peregrinis Anglis in urbe commorantibus persolvi, de more solebat. Ubi etiam quæ fuerit, & ubi sita schola illa, fusiùs disserui. Hic solum assero Guilielmum Regem, præcedentium Regum vestigia secutum, integrè tributum exolvisse; ut prolatis alibi ejus literis ostendam. nam reverà Romanæ Sedis

V. an. 726. à num. 5. ad n. 36. V. an. 727. à num. 2. ad n. 10.

SCHOLA ANGLORUM ROMÆ PENSUM EX ANGLIA HABEBAT.

Episcopum semper veneratus est: licet Anglorum Ecclesiæ detulerit parum: jeceritque ea defectionis semina, unde secutæ mox factionis zizania surrexerunt. Quamobrem Edmerus ita regni ejus exordia vellicat. *Non ergo pati volebat, quemquam in omni dominatione suâ, constitutum Romanæ urbis Pontificem, pro apostolico, nisi se jubente recipere. aut ejus literas, si primitus sibi ostensæ non fuissent, ullo pacto suscipere. Primatem quoque regni sui, Archiepiscopum dico Cantuariensem seu Doroberuensem; si coacto generali Concilio præsideret; non sinebat quicquam statuere, aut prohibere, nisi quæ suæ voluntati accommoda, & a se primò essent ordinata. Nulli nihilominus Episcoporum suorum concessum iri permittebat, ut aliquem de Baronibus suis, seu ministris; sive incestu, sive adulterio, sive aliquo capitali crimine denotatum, publicè, nisi ejus præcepto implacitaret, aut excommunicaret, aut ulla Ecclesiastici rigoris pœna constringeret.*

Edmer. l. 1. fo. 6.

REX IN ECCLESIAM PRAVA DECERNIT.

III. PAULATIM A REGUM PRIORUM PIETATE DEGENERAT.

En ab avitâ Anglo-Saxonum Regum pietate, degenerem Regem: qui ut gladio viam sibi ad regnum aperuit; ita violenter, & iniquè Ecclesiæ jura invadit. opinor tamen eum, needum hoc anno insulas nequiter tractasse: aut sedentibus adhuc Anglis ea præsumpsisse. nam quæret postea impietati suæ fucum, Romanum Pontificem appellabit ipse: & ille legatos mittet ab Apostolica Sede; quorum ope authoritateque incipiet jura figere, & refigere; Episcopos, & Abbates, amovere, & Normannis cedere. Tum denique, nec priùs, opinor, pro libito aget, & indebita nec hactenus usitata, præsumet. Enimvero magis ad eum spectabat alterius Reip. procurationem suscipere, & ab iis auspicari quæ erant propria brachii sæcularis. quod hoc anno præstitit, cum laicorum prædia, terrasque Normanno militi, qui nuper secum in Anglos pugnaverat; nullo, nisi belli, jure dimisit: quod tyrannidis ejus exordium fuit. tunc factus elatior, cum Mathildem conjugem è Normanniâ vocatam; regiis insignibus ornatam, ab Aldredo Eboracensi jussit hoc anno coronari. Ad illa solemnia, & ad persolvendum militi stipendia, Anglorum summos infimosque tributorum & nummorum exactione vexavit adeo, ut facilè perspexerint, hoc unum agi; eoque dominationem tendere; ut Normanni prædiorum & terrarum domini ubique principari, provinciales Angli servire illis, æternùm debeant. Quod Matthæus Parisiensis ita paucis expressit. *Guilielmus ad Angliam rediens, commilitonibus suis, qui bello Hastingensi regionem secum subjugaverant; terras Anglorum, & possessiones affluentiori manu contulit, illudque parum quod remanserat, sub jugo posuit perpetuæ servitutis.*

A LAICORUM BONIS AUSPICATUR.

MATHILDES AB ALDREDO REGINA CORONATUR.

Paris. hic.

IV. EDGARUM REGEM FACERE CONANTES, A REGE FUGANTUR.

Edgarus tamen, & alii proceres, servire noluerunt hanc servitutem: rati melius, & magis decorum esse latere in alieno solo; cum lucere non possent in suo. Priùs tamen extrema tentantes, Edwinus & Morcarus fratres, adjunctis in fœderis societatem è nobilioribus aliquot, Edgarum in Regem efferre conantibus eum legitimum Edoardi heredem, & coronâ donandum, stipulantur. profuisset id forsan, si primo tempore unanimes in id fuissent: sed tunc cum singulis suis cupiditatibus famularentur, universam Anglorum gentem, factione perdiderunt. Guilielmus enim ad omnem populi motum intentus, & primam tumultus scintillam extinguens;

nullo negotio avertit, quod timebat, incendium. Unde factionis capita, capitibus suis dum timentes, solum verterunt, seque sparserunt in varias provincias, Edwinus & Morcarus, & aliquot Ecclesiarum Præsules, Scotiam: Gospatricus & Markswinus, Daniam: Edgarus, cum matre Agatha, & sororibus Christina, atque Margarita, Pannoniam; ubi diu olim versati; exilii loca elegerunt. Edgarus tamen sociique, diu cum ventis luctati, tandem & ipsi Scotiam tenere coacti sunt. † Ibi Malcolmus Rex eo nomine tertius, benignè profugos excepit, & imprimis prolem regiam; quam tanta amoris benevolentiæque significatione amplexus est; ut Margaritam, Edgari sororem, matrimonii lege, sibi conjunxerit. Hæc est illa regia conjux, quæ Mathildem Malcolmo peperit, Henrico primo, Guilielmi primi filio, nuptam; unde corona jam ad exteros translata, ad Saxonem denuò redibit juris saltem fictione. ut * suprà innui. Sed major Margaritæ laus, quod in Romano, & aliis passim Martyrologiis, cum sanctis sancta nominetur. Traxit hæc affinitas, regiaque in profugos humanitas, Anglorum plurimos; qui apud Scotos incommodè & inglorii vivere, quàm domi externorum imperia ferre maluerunt. & Malcolmus eos, eorumque sortem miseratus; eò lubentiùs excepit, quò sibi posterisque suis, è vicini regni dissidio, tutiùs prospiceret. Christinam, Edgari sororem alteram, infrà in Rumscicensi Cœnobio, monialem induemus.

Edgarus cum matre et sororibus in Pannoniam vadit: inde in Scotiam rejicitur.

† Malcolmus III Scotorum Rex profugos excipit, et Margaritam ducit uxorem.

* V. an. 1057. 3.

V. an. 1086. n. 18.

V. Guilielmus a Malcolmo profugos repetit.

Interim oculatus vir Guilielmus Rex, suorum defectione, & ad Scotos secessione, vidit enervari Remp. suam, & vicini Principis potentiam crescere. quod obliquis oculis aspiciens, & animo recolens, quàm graves olim Romano imperio, aquilonares illi populi fuerint; Britannorum cervicibus, ut occasio serebat, imminentes. ut inde Saxones, omni ferè sæculo, nunc victi, nunc vincentes, rarò quieverint. denique ut Scoti sedibus suis nunquam contenti, è frigido cælo, incultoque solo, ad culciora aspirantes, pomœrium suum ex Anglo-Saxonum dissidio, ampliaverint: statuit Edgarum, & socios, aut procul ab Insula ablegare, aut è vicino perdere. Quare misso feciali, ad Malcolmum Regem, Edgarum repetit, subditum suum: aut valida manu, se reducturum minatur. Sed Malcolmus nobilem nactus prædam noluit ignobiliter illam perdere: Refert ergo, se fidem Edgaro dedisse, & jus hospitii: illud si proderet; reum se læsi divini humanique juris, principibus opprobrium fore: Quare rem, viro, nedum Rege, indignam, nè urgeret porrò petere. sciret insuper se Edgari sororem, lecti sociam, Sacramento conjunctam habere. quo fœdere nihil sanctius esse: malle se ergo coronæ regni periculum facere, quàm sacrosanctum fœdus infringendo, perjurus & sacrilegus haberi, & esse. Normannus, ut vidit nullum precibus, minisque locum esse; ad alia se convertit. regni sui, & coronæ firmamenta. Hostem formidabat omnino duplicem; unum, qui è mari descendens, & litora occupans, exasperatos pluriuoorum animos, in belli societatem unire; & eo modo posset jus prætendere, quo ipse Haroldi regnum invaserat, alterum è vicino, & periculosius pugnantem: domesticum scilicet. & Insulæ viscera incolentem. In utrumque ergo provinciam munire, & Normannos suos armare constituit. Scotos, inquam, omnemque inimicum impetum, tam terrâ, quàm litore arcere.

Malcolmus negat.

VI. Rex Insulam præsidiis munit.

* Hastingensi.

Quatuor igitur, hoc anno, designata sunt loca, quæ arcibus & præsidiis munita, hostibus terrori, civibus tutamento essent. In Sussexiensi agro ad * Hastingas, ubi nullo negotio militem exposuerat, castrum erexit, firmum austrino litori, & Galliæ objacenti, propugnaculum. Iterum duo in Coritanis castella construxit; ut Insulæ meditullium, militem haberet & præsidia, ad omnem vim hostilem, quoties opus, frangendam, aut declinandam. Unum in Lincolniensi agro, & urbe principe; quæ non procul à mari, tam litus posset quàm mediterranea tueri. Erat enim eo tempore, *una ex populosioribus Angliæ, urbs illa, emporium, terrâ mariq; venientium*, inquit Malmesburiensis. Nottinganiæ etiam, propè Trentam fluvium, castrum erexit *ad frenandos Anglos*, inquit Camdenus: illudque *naturâ & manu ita munitum erat, ut solâ inediâ, si defensores idoneos habeat, expugnabile videatur.* ita Neubrigensis. Cæterùm eo loco arcem munivisse videtur, ubi olim, anno octingentesimo sexagesimo octavo, Dani se tuentes, Ethelredi Regis obsidionem eluserant; nimirum in præruptâ petrâ. ad Occidentale urbis latus. ubi etiamnum castrum cernitur: *nec temporum inclinationibus communem magnis castris sortem subiit*, inquit accuratus locorum observator, Camdenus. Hæc duo in Merciorum regione: hoc est, in corde Insulæ. nam illo vitiato, vel factione corrupto; nunquam diu sana esse membra potuerunt. Verùm quod impræsentiarum Guilielmum exercebat, distrahebatque, metus à Septentrione: ubi Scotus; & suopte ingenio ad res novandas excubans; & auctior nunc & erectior Anglorum coloniâ; Northumbriæ provinciis imminebat. Ibi ergo præsidium collocat in principe Brigantum urbe, Eboraco, Aquilonarium gentium furori semper obnoxio. ibi quingentos milites, duobus in castris exponit, armatque: ut quod olim Romani Severus, Constantius, aliique Augusti viri ibidem præstiterant, Pictos, Scotosque premendo; earum rerum locique recordatione accenderentur & ipsi ad egregia facinora: nimirum ad defensanda fortiter Insulæ cultiora, contra agrestem populum, & cælo, soloque suo, non contentum.

Lincolniensi.

Apud Camd. in Coritanis.

Camd. in Nottingh.

Nottingamiensi.

Neubrig apud Camd.

V. an. 868. n. 10.

Camd. supra.

* Eboracensi.

VII. Regis cautio, ne noctu aliquid innovaretur.

Nec hic stetit Guilielmi Regis, militaris disciplinæ ars, & prudentia. non enim existimavit satis esse munire se, regnumque; contra omnem occursum, & dæmonium meridianum; contra certum, inquam, & constantem hostem: si timores nocturni provincialium animos distraherent, aut rebus novandis ansam darent: quâ plures prehensâ perniciem molirentur. Itaque edicto per omnem Insulam publicato, præcepit; vesperi, ut se omnes domi continerent adeoque ab omni opere feriarent, ut octavâ post meridiem horâ, nullum domi lumen, nullus candelarum usus esset: & ignis vel cinere obductus, vel certè tectus, aut coopertus. Cæterùm quo scirent universi horam tempusque mandato parendi, jussit ære campano signum dari: quod etiam nunc eadem prorsus horâ, quibusdam in provinciis, factitari vidimus; diciturque campana illa, gallico adhuc vocabulo Curfu: quod, à cover seu contractum, notat igne tegendum, aut operiendum esse. Hoc fræno cohibitæ nocturnæ coitiones, consilia, susurri. Sed frenari omnes noluerunt.

Aliqui

Aliqui relictis domibus, tectisque suis, per aviâ & invia vagari potiùs, & è prædâ vivere; quam sub despotico Normannorum imperio vivere maluerunt. Alii humiliùs agere, & jugum subire; non se, suaque, & omnem patriam externo militi prodere prudentius esse putaverunt. Sed his quietis esse non licebat; aut parte libertatis frui: nisi omnia Normannorum imperia, leges, moresque induerent: atque ita eorum factioni accederent: ut Anglorum consuetudines, ritusque aversati; & idioma ipsum, se Normannos ubique mentirentur. Hinc misera rerum facies, & intuta omnia: nam Angli in Anglos arripabantur; & qui devia petierant, indiscriminatim in Anglos Normannosque grassantur: nec rapinam arbitrantur, aut sua repetere, aut Normannum & in Normannum propensos, æquo jure tractare.

Angli ad Normannorum ritus et idioma coguntur.

VIII. Priora sæcula posterioribus componuntur.

Cum hic Anglicani regni excidium cogito: libenter repeto, quid olim in Britannorum Rep. quid in Saxonum heptarchiâ, atque eorundem monarchiâ gestum. quibus incrementis, quibus etiam decrementis, surrexerint illinc, subsiderint istinc. & ubique veneror tam ferientis Dei, quam præmiantis, & omnia ad suum honorem dirigentis, constantem providentiam. Quod enim in hoc Angliæ excidio cernimus, & lugemus: idem, si in posteriora descendimus, & eadem divinâ mente factum recolemus. Olim Deus Insulam, filio suo, è Virgine nascituro, paraturus: & duras Britannorum mentes, ad fidei sementem subacturus; Romanum illis hostem immittit; qui agros, tecta, domosque vexavit: militarem tamen disciplinam, & humaniores mores edocuit; Agricola pro illis tunc pugnante. Qui, teste Tacito, solebat: *Principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum Gallorum studiis anteferre: ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.* Ita Dei gloriæ Britannisque, Britannorum castigatione, consultum. Emerserunt enim Britanni è multâ barbarie; &, bono Christo & Roma ducente, surrexerunt ad magnum gloriæ & sanctitatis culmen; Lucium, & Constantinum, illustria cæli, terræque sydera, produxerunt. nec minora fuerunt Albanus, Patricius, David Menevensis, & alii plurimi, primi excidii fructus. Si iterum peccat Insula, iteatim punitur. Deus, Cyrum habet cujus apprehendat dextram, ut Reges & regna sibi subjiciat. Saxo in Britanniam mittitur: durum diu Britannis flagellum; quia multum illi peccaverant. tamen è veneno illo, salutare pharmacum conficitur: Româ iterum manum & aromaticas species porrigente. Hæc olim facta, & quia supra illorum excidiorum causas, cum Gilda flevimus, & Dei justitiæque, ac misericordiæ ejus causam egimus: juvat nunc quoque divinæ pietatis opera legere; vel Anglo-Saxones ob peccata puniemus: vel è præteritorum criminum nequitia, bonitatis suæ argumenta promentis. Enimvero etiam in hoc, quem navigamus, miseriarum Oceano, & rerum omnium naufragio, invenire est tabulas; quarum ope, non modo ex undarum fluctibus enatare: sed ad portum etiam feliciter possumus pervenire. Et licet sanctior Resp. pallere ad tempus, & lugere videatur: revera tamen frontem explicabit, & non modò luctum ponet, sed magis quàm antea lucebit; illustrior, inquam erit, & circumdata varietate augustior. Sic Deus facit è tenebris lumen splendescere.

Tacit. in Agricola. V. an. 81. n. 2.

Deus facit è tenebris lucem splendescere.

Fatendum igitur, Anglorum scelera, Normannorum hanc noctem provocasse: cum ipsi avitæ pietatis obliti, oscitanter Deo servirent, Ecclesiarum cultum negligerent; indeque gradu facto, in vitiorum profundo mergerentur. Ita non solùm à plebe; sed à summis, infimisque factum. nec Clerum hic & sacros ordines absolvo: illi etiam nitorem amiserant primitivæ Ecclesiæ, & rugas maculasque contraxerant, hac sine dubio tempestate eluendas, quam Malmesburiensis Monachus ita describit. *Literarum*, inquit, *& religionis studia, ætate procedente, absoleverunt; non paucis ante adventum Normannorum annis. Clerici literaturâ vix Sacramentorum verba balbutiebant: stupori, & miraculo erat cæteris, qui grammaticam nosset. Monachi subtilibus indumentis, & indifferenti genere ciborum, regulam ludificabant. *Optimates, gula & veneri dediti, Ecclesiam more Christiano, manè non adibant. Sed in cubiculo, & inter uxorios amplexus, matutinarum solennia, & Missarum, à festinante Presbytero, auribus tantùm libabant. Vulgus in medio expositum, præda erat potentioribus: ut vel eorum substantiis exhaustis vel etiam corporibus, in longinquas terras distractis, acervos thesaurorum congererent: quanquam magis ingenitum sit illi genti commessationibus, quam opibus inhiare. Illud erat à natura abhorrens, quod multi ancillas suas, ex se gravidas, ubi libidini satisfecissent; aut ad publicum prostitutum, aut ad æternum obsequium vendicabant. Potabatur in commune ab omnibus; in hoc studio noctes perinde, ut dies perpetuantibus; parvis & abjectis domibus totos sumptus *absumebant. Francis & Normannis absimiles, qui amplis & superbis ædificiis, modicas expensas agunt. Sequebantur vitia, ebrietatis socia, quæ virorum animos effæminant. Hinc factum; ut magis temeritate, & furore præcipiti; quàm scientia militari; Willelmo congressi, uno prælio, & ipso perfacili, servituti, se patriamq; pessundederunt.* Hactenus ille.

IX. Utraque Resp. à pietate defecerat.

Malm. de Willel. l. 3. fo. 101. fin.

* abligurriebant.

X.

Habes, Lector, eversi Anglorum regni, & ad externos translati genuinam causam: quæ talis compendio est. Anglorum Resp. tam sacra, quàm profana; quæ sanctissimos Episcopos, Monachos, & illustrem Clerum, per omnes virtutum gradus, ad magnum sanctitatis fastigium erexerat, & illi secum Reges, Principes, & omnem ordinem eodem traxerant: declinare paulatim cœperat, à virtutum orbitâ, & tandem in vitiorum abyssum labi, ibique in scelerum luto hærere, adeo pertinaciter, ut non nisi calamitatum Oceano elui, aut purgari possent. Quod tamen, ut rectè monet Malmesburiensis, de omnibus omnino Anglis non debet intelligi. fuerunt enim, in utraque Rep. qui ordinis sui decorem servantes; innoxii, & à peste intacti vixerunt. Sed & iratam Dei manum, cohibentes, diu ictum averterunt ut Edoardus Rex nuper mortuus argumento est. Wulstanus quoque Wigorniensis Episcopus, etiamnum vivit, sanctioris Reip. ornamentum singulare. Eò sine dubio respexit Malmesburiensis, cum supradictis addit: *Sed hæc mala de omnibus generaliter Anglis dicta, intelligi nolim. Scio Clericos multos, tunc temporis simplici viâ, semitam sanctitatis trivisse. Scio multos Laicos omnis generis, & conditionis, in hac eadem gente, Deo placuisse. facessat ab hac relatione invidia, non cunctos pariter involvit hæc calumnia. Verum sicut in*

Edoardus Rex, et Wulstanus Episcopus, sancti.

Malmesb. sup. fo. 102.

tranquillitate, malos cum bonis fovet plerumque Dei serenitas: Itaque captivitate, bonos cum malis nonnunquam ejusdem constringit severitas.

XI. ECCLESIARUM SPLENDOR E NORMANNORUM ADVENTU.

Restat videamus; quale fuerit honoris divini incrementum, ex Anglorum castigatione collectum. nam omnia propter seipsum operatus est Dominus. & suprà vidimus Britanniæ excidium, Britannorum, & Saxonum saluti fuisse, & divinæ gloriæ augmentum. Itaque de Normannorum accessu, hæc Author qui suprà. *Religionis normam in Angliâ usquequaque emortuam, adventu suo suscitarunt. videas ubique in villis, Ecclesias; in vicis & urbibus Monasteria, novo ædificandi genere consurgere, recenti ritu patriam florere. Ita ut sibi perisse diem, quisque opulentus existimet, quem non aliqua præclara magnificentia illustret.* Ita ille. Nec laude vacat Guilielmus Rex; qui licet Anglos premere, illos sedibus, & præfecturis ubique exuere laborarit, & revera effecerit; imo Ecclesiarum jura, præter Anglo-Saxonum Regum morem, delibarit: viros tamen è Normannia, illustres profectò, & tum eruditione, ubi opus tum sanctitate magnos, in Episcoporum & Abbatum sedes præfecturasque substituit; Ecclesiarum Antistites, qui humiliùs hactenus, & obscuriùs vixerant; in sublime extulit: & non in agris, ut antea, desertisque locis; sed in urbe semper principe, sedere, ibique solenniter sacris operari, divinam Majestatem decere putavit.

Malmesb. sup. fo. 102

REX ECCLESIASTICOS REVERETUR.

ipsos etiam Episcopos, Anglos licet, & perperam gestantes infulam, reverenter habuit, & nihil in eos, Romano Pontifice inconsulto, præsumpsit. Stigandus brevi erit in exemplum. Quem Normannorum factionis minùs studentem; imo Cantii populum illis opponentem; tractavit tamen immaniter, reveritus Sacerdotium ejus. Et si quid in eum paulò posteriùs gessit, illæsa id factum est Ecclesiæ libertate, ut sequenti anno apparebit. Enimvero gnarus Rex, se Dei, Ecclesiæque præsidio, magis quàm suo marte coronam adeptum; primis saltem annis, multa grati animi argumenta præsetulit. Et licet Normanno, & præservido ingenio, attentaverit aliqua: tyrannidis tamen in Ecclesiam rudimentum potiùs jecisse: & filiis posterisque Regibus prælusisse; quam justum aut constans imperium usurpasse, dicendus est. Templum Londini Sancto Paulo sacrum excoluit, confirmans suo chirographo, quæ quondam Ethelbertus Rex, eidem loco donaverat. Vide an. 604. n. 60.

XII. GUILIELMI REGIS FILII. NASCITUR HENRICUS PRIMUS.

Et quoniam facta est filiorum mentio, qui nequiùs peccaverunt. Unus hoc anno Guilielmo nascitur, Henricus nomine: qui grandior factus & coronam tandem adeptus, Anselmum aliquando iniquiùs tractabit; quàm Stigandum tractavit Guilielmus pater. Non fuit ille filiorum natu maximus: nam liberos plures è Mathilda Victor susceperat prius, quàm coronam induisset Regiam. Robertum primogenitum, Richardum & Guilielmum cognomento Rufum, in Normanniâ. de quibus erit infrà opportunior mentio, primi præsertim & ultimi. nam ille primogeniti jure fraudatus, ab isto supplantatur: diu quidem sed miserè tragicèque vitam producet: & non tantum Guilielmo fratri, sed Henrico quoque nunc nato, coronam sedemque Regiam cogetur cedere.

AD SELBY OPPIDUM.

Nec omittendum nasci Henricum in ea Brigantum regione, ubi Ousa fluvius oppidulum irrigat, Selby dictum: quod inde solum celebritatem meruit: nisi mavis dicere ideo locum illustrem fuisse, quia Guilielmus Rex nobilem ibi Abbatiam condidit Sancto Germano sacram. forte nati ibi filii monumentum perenne. nam malo loca & oppida celebria, sanctis, quàm aliis hominibus obnoxia esse. ut inde hæreticorum insolentia, qui Sanctos conantur ex hominum memoria exturbare, magis appareat.

ANNUS CHRISTI 1069.

ALEXANDRI II. PAPÆ 9.

GUILIELMI I. REGIS 4.

I. TURBÆ IN SEPTENTRIONE.

SEQUITUR Christi annus millesimus sexagesimus nonus, tam Anglis, quàm Normannis fatalis: illis pro patria, & penatibus, istis contra pugnantibus. Guilielmus prudenter Septentrioni timens, & Scotorum incursibus; cum Eboracensem agrum, ut suprà, præsidiis munivisset: porrò progressus, Dunelmensem provinciam, simili arte frenare, & fidos ibi ministros ac satellites collocare statuit. Itaque Robertum Cuminum, qui nuper infeliciter rem Exoniæ gesserat, Northumbriæ Comitem creatum, Dunelmensi agro præficit; exauthoratis fratribus, Eduino & Morcaro, qui olim rem ibi publicam procurabant. vix ille magistratum inierat: nimirum sub hujus anni exordium (quo necdum tertium regni annum Victor impleverat) cum Septentrionalis ille populus, servitutis impatiens, & ad parendum semper difficilis; inhumaniter hospitem excepit, tractavitque: & tragœdiam auspicatus est, nonnisi misera catastrophe terminandam. Illam ego, quia patriæ miserias, aversis ferè oculis lego, aliorum verbis exhibeo. Rogerus Hovedenus rem ita narrat.

II. DUNELMENSES IN COMITEM NORMANNUM SURGUNT.

Hoved. in Guilel. primo fo. 451.

Anno millesimo sexagesimo nono, misit Rex Willielmus Northumbris ad aquilonalem plagam Tinæ, Comitem Robertum Cumin, tertio regni sui anno. At illi omnes in unam coacti sententiam, ne alienigenæ domino subderentur; statuerunt aut illum interficere; aut ipsi omnes, simul in ore gladii caderent. Cui appropinquanti Dunelmensis Episcopus Egelwinus occurrens, insidias sibi præcavere præmonuit. Sed ille neminem hoc audere existimans, despexit admonentem. Dunelmum itaque cum multa militum manu ingressus; permisit suos hostiliter ubique agere: occisis etiam aliquibus Ecclesiæ rusticis. Susceptus autem est ab Episcopo, cum omni mansuetudine, & honore. At Northumbri tota nocte festinantes Dunelmum, summa vi, diluculo per portas irrumpunt: & socios Comitis imparatos ubique locorum interficiunt. Atrociter nimis res geritur, postratis per domos & plateas militibus, domum Episcopi, in quam Comes fuerat susceptus, aggrediuntur pugnantes. Sed cum non ferrent jacula defendentium, domum cum inhabitantibus concremarunt. Tanta fuit interfectorum multitudo, ut omnia penè urbis loca replerentur cruore. nam de septingentis hominibus, nemo præter unum evasit. Hæc cædes hominum facta est quinto Calendas Februarii feria quarta. Ita ille. Hinc anni rei gestæ, & temporis ratio sumenda. nam Author annum auspicatur à Calendis Januarii: nec

Matthæo

Matthæo Parisiensi adversatur, à Dominica Incarnatione tempora annosque metienti. qui ad annum Domini 1068. ita loquitur. *Eodem anno Rex VVillielmus, Roberto Comiti dedit Northanhumbriæ Comitatum. Cui statim homines illius Regionis adversantes; ipsum cum nongentis viris peremerunt. Sed VVillielmus superveniens, omnes hujus rei actores, usque ad unum delevit.*

Paris. ad 1068.

III. SWANUS DANIÆ REX FILIOS ARMAT, AD REPETENDAM ANGLIAM. GUILIELMUS DUNELMENSEM AGRUM VASTAT.

Multi tamen cognito Victoris adventu, se periculo subducentes, in Daniam trajecerunt: quos Swanus eò libentius & humaniùs excepit; quò magis ab eis, aliisque profugis, accendebatur ad imperium Insulæ repetendum possessæ nuper à majoribus suis. Tractus ergo hac illecebra, classem parat, filiosque armat, Haroldum & Canutum: qui avita jura, vel jussu suo, vel Martis beneficio repetant. Dum hæc parantur, Guilielmus in Septentrionem profectus, Roberti Comitis, & sociorum necem, multorum sanguine & agrorum populatione expiat; eo modo quem refert Malmesburiensis. *Villielmus*, inquit, *coactâ peditum & equitum manu, aquilonares Insulæ partes petiit. & primo urbem Metropolim* (Dunelmum intelligit) *quam Angli cum Danis & Scotis obstinatè tenebant, in deditionem accepit. Civibus longâ inediâ consumptis. Maximum quoque hostium numerum, qui obsessis in auxilium convenerant, ingenti & gravi prælio fudit: non incruentâ sibi victoriâ, multos suorum amittens. Tunc totius regionis vicos & agros corrumpi, fructus & fruges, igne, vel aquâ labefactari jubet: maritima maximè cum propter recentem iram, tum Cnutonem Danorum Regem, filium SVVani, sua vi adventare, rumor sparserat. Ea præcepti ratio, ut nihil circa oram maritimam, prædo piraticus inveniret, secum asportaturas, si citiùs remeandum; vel fami consulturus, si diutius manendum putaret. Itaque provincia quondam fertilis, & tyrannorum nutricula, incendio, præda, sanguine, nervi succisi: humus per sexaginta, & eo amplius milliaria, omnifariam inculta, nudum omnium solum, usque ad hoc tempus. Vrbes olim præclaras, turres proceritate sua in cælum minantes, agros lætos pascuis, irriguos fluviis, si quis modo videt peregrinus ingemit: si quis superest vetus incola, non agnoscit.* Hæc ille Dunelmensis agri calamitatem exprimens.

Malmesb. de Willel. l. 3. fo. 103.

IV. S. CUTHBERTI CORPUS VASTATIONI SUBDUCITUR.

Dandum est provincialium pietati, & avitæ fidei studio: quòd in hac rerum omnium vastatione, & communi naufragio, corpus Sancti Cuthberti; quod Dunelmi, incorrupti corporis miraculo, religiosissimè colebatur, prædictæ calamitati subtraxerint. Noverant enimvero, quid olim à majoribus factum; cum Danorum tempestas Britanniam inundaret: quâ curâ, ac religione sacrum illud depositum, è Lindisfarnensi Insulâ, ad tutiora loca translatum: quâ solicitudine, metuque, & quoties, sedem mutaverint, ut denique, post centum viginti annos, Dunelmi mirabiliter quieverit; ab anno nongentesimo nonagesimo quinto, magnum semper civibus pietatis alimentum. Itaque ne sacer thesaurus, vel barbaro militi in prædam cederet: vel indecorè, & sine cultu haberetur: Egelwinus Episcopus, qui Dunelmi hoc anno sedebat, antiquam sedem repetere, & in Lindisfarnensem Insulam, à mediterraneis tumultibus procul cum corpore secedere; ibique maris patrocinio se tueri, decrevit. distabat Insula quatuor dierum itinere. & civilis discordiæ, ac metus ab externo hoste, fugam maturabant. Ita primo die Girvium usque, propè Tinæ fluminis ostium processum est. Inde superato fluvio in Bitlington: tertia statio apud Tughal fuit: quarto demum die, cum ad litus Ventum; unde, recedente æstu transitus erat in Insulam: noctis quidem tenebræ urgebant sacri pignoris bajulos, ut nullâ interpositâ morâ, in Insulam contenderent; sed obstabat maris fluxus, qui in immensum crescens, omnem spem transitus absciderat. Sed Deus, qui ventis & mari imperat: qui Israëlem ex Ægypto profugum, per siccum maris fundum duxit: etiam Cuthberto sancto mirabiliter favit. Nam undæ præter naturæ cursum, reverentiæ causâ, cesserunt; & siccum incedentibus iter præbuerunt. Quod ita breviter in Cuthberti vita describitur. *Tempore VVillielmi Conquestoris, Robertus, Comes Northumbriæ, Dunelmum veniens, ab his quibus dominari debuerat, circumventus; cum suis omnibus, ob suam occisus est crudelitatem. Vnde offensus Rex, illuc direxit exercitum suum. Tunc Episcopus, assumpto corpore sancto, versus Lindisfarneam properabat. Et quamvis mare plenum esset, siccum tamen introeundi aditum in loco, in quo, in refluxu iter esse solet, inveniunt. Mox omnes cum gaudio ingressi, siccis pedibus Insulæ litus attingebant. Sed & milites feretrum portantes, postea Monachi effecti, quomodo se præcedentes fluctus maris vestigia illorum sequebantur, cum magnâ cordis compunctione attestati sunt.*

CORPUS IN INSULAM MIRABILITER DEFERTUR.

Apud Capgra. in Cuthberto fo. 77.

V. DANORUM INCURSUS.

Certè festinato opus, & miraculo: nam Danorum classis ad Humbri fluminis ostium appulsa, Northumbrorum provinciis terrorem injecerat. Ita ducentas quadraginta naves vehebat, & multos è Dania principes viros: Quibus se adjunxerant Edgarus Clito, & plures alii è Northumbria, Normannorum jugum non ferentes. Hi in unum coëuntes, provincialium plurimos in factionem traxerunt adeo, ut formidandum Insulæ exercitum conflaverint. Guilielmi tamen animus, omni major periculo; ubi nuncium accepit appulsæ classis; collegit se ut potuit, memor causæ, memor dignitatis: tum in iram solutus, nescio an impatientiæ, an verò fortitudini habenas laxaverit, minatus extrema hostibus. Sed ubi se, vel imparem vidit: vel certè dubiam martis aleam; prece pretioque avertere statuit externum impetum; quò potentiùs, cum domestico congressus, eundem premeret. Dicat hæc omnia, sed paulò articulatiùs, Rogerus noster, qui cum Roberti Comitis mortem retulisset, addit: *Quo anno, ante nativitatem S. Mariæ SVVani Regis Danorum filii, Haroldus, Canutus, & eorum patruus, Osbernus Comes, & Episcopus eorum Christianus, & Comes Turkillus, 240. navibus, de Danemarchia venientes, in ostio Humbri fluminis applicuerunt. Vbi eis Clito Edgarus, Comes Aldeus, & Marlesvein, multiq; alii cum classe, quam paraverant, occurrerunt. Affuit & Gospatricus Comes, cum totis viribus Northumbrorum; unanimiter omnes contra Normannos congregati. De quorum omnium adventu, Eboracensis Archiepiscopus Aldredus, valdè tristis effectus, in magnam decidit infirmitatem, & decimo anno sui Archipræsulatus, tertio idus Septembris, feriâ sextâ, ut Deum rogaverat, vitam finivit, & in Ecclesia S. Petri est sepultus.*

Hoved. fo. 452.

MORITUR ALDREDUS EBORACENSIS.

VI. CAUSA MORTIS EXPONITUR.

Aliam mortis causam refert Malmesburiensis in Aldredo: quæ tamen in unum recidere pietatis affectum, studiumque in Ecclesiæ, patriæque

quietem potest. Consecraverat ille quidem Guilielmum, Regem inunxerat; adjectâ conditione, & promisso, juramento firmato, se Anglos, Normannosque indiscriminatim habiturum, & pari utrosque moderamine recturum: nunc, viso turbatissimo rerum statu, & unam Anglorum gentem immani pensitatione tributi, ad turbas sedandas, peti, premique; præmissâ etiam Ecclesiæ suæ vastitate, ac ruinâ; petivit animæ suæ, ut moreretur; cum priùs, malè Normanno Regi, & semini ejus, precatus fuisset. Quod ita ab Authore narratur.

Malmesb. de Pontif. l. 3. fo. 271.

Aldredus consecrationem egit, exacto priùs coram omni populo jurejurando: quòd se modestè erga subjectos ageret: & aquo jure Anglos atque Francos tractaret. Itaque illum quamdiu erga suos temperiem habuerit, dilexit ut prolem, veneratus est ut Regem. Sed cum importabilis tributi pensum à provincialibus exigeret: convenit eum per Legatos Antistes: quos agrè admissos, cùm turbulento responso abegisset: non moratus ille maledictionis telum in illum, & omnem ejus vibrabat progeniem: præfatus, posse se maledictionem dare merito, qui benedictionem dedisset immerito. Quod cum relatum esset Regi, amicorum admonitione delinitus, misit qui Episcopum exorarent. Veruntamen prævenerat nuntios mors Antistitis: qui ægritudine animi (ut plerumque fit) morbo contracto decubuerat, & obierat.

ALDREDUS GUILIELMO REGI, FILIISQUE MALEDIXIT.

Hæc ille. An Rex, progeniesque Regia, hoc fulmine siderati sint; meliùs sequentia indicabunt. Interim sciat Lector, Guilielmum rapinæ suæ pœnas dedisse: cum post extortum violenter regnum, & expilata provincialium bona, agrosque vastatos; mortuus, diu invenire non potuit, sed litigari debuit, ubi corpus conderetur. Progeniem etiam habuit, si unquam, rebellem. primogenitus in patrem surrexit, eum bello petivit; & si non vitâ, & regno; è quo tamen sellaque dejectum, adeo ejus animum exulceravit, ut Aldredum imitatus pater, maledictione, & juris ad regnum privatione filium puniverit. Sed & memoriâ dignum est: Nullum è Normannis, Regem, per annos centum quinquaginta, primogenitum, dignitatis Regiæ successorem, & heredem, à morte, reliquisse. Formidanda ergo Episcoporum maledictio; & quò eminentior est locus, eò certiùs descendit imprecatio. Testis iterum Aldredus, qui Ursum Vice-Comitem, Ecclesiæ jura pessundantem, maledictione castigavit, eo modo quem recitat Malmesburiensis ita.

MALEDICTIONIS EFFECTUS.

URSO ALDREDUS MALEDIXIT, ET QUARE?

Malmesb. de Pont. l. 3. fo. 272.

Vrsus erat Vice-comes VVigorniæ, à Rege constitutus; qui in ipsis penè faucibus Monachorum, castellum construxit; adeo ut fossatum cœmiterii partem divideret. Querela ad Archiepiscopum (Aldredum) qui tutor esset Episcopatus, delata: Ille, cum vidisset, Vrsum his verbis adorsus est: Hatest thou Vrse: have thou Gods course. Eleganter his verbis, sed durè, nominum euphonia alludens. Vocaris, inquit, Vrsus: habeas Dei maledictionem. & (quod Anglicè non apposui) meam, & omnium consecratorum capitum: nisi castellum hinc amoveris. Et scias profectò, quòd progenies tua, non diu de terrâ Sanctæ Mariæ hereditabitur. Dixit illa implenda, quæ nos videmus impleta. Siquidem non multis annis, filius ejus Rogerius, paternarum possessionum compos, gravi Regis Henrici indignatione pulsus est; quod quendam ex ministris Regis, præcipiti furore jussisset interimi. Hactenus Author: & de Aldredo satis, qui anno millesimo quadragesimo sexto electus Wigorniensis Episcopus, in Eboracensem sedem transivit, anno 1060. ut ibi dictum. nunc moritur anno decimo Archipræsulatus, ut suprà dixit Rogerus. qui Northumbriæ calamitatem prosecutus hæc habet.

V an. 1046
V. an. 1060. 1.

Roger. Hoved. fo. 452.

VII. EBORACENSE OPPIDUM IGNE SUCCENDITUR.

*Octavo, post Aldredi mortem die; scilicet decimo tertio Calendas Octobris, Sabbato, Normanni, qui castella custodiebant, timentes, ne domus, quæ propè castella erant, adjumenta Danis, ad implendas fossas castellorum essent; igne eas succendere cœperunt; qui nimis excrescens, totam civitatem invasit, Monasteriumq; S. Petri, cum ipsa combussit. Sed ultione divina citissimè in eis vindicatum est gravissimè. nam priusquam tota civitas esset combusta; Danica classis supervenit, feria secunda. & hinc Dani, illinc Northimbri, expugnantes castella, eadem die, infregerunt; & plus tribus millibus ex Normannis trucidatis: Willelmo Mallet, qui tunc Vice-Comitatum gerebat, cum suâ conjuge. & duobus liberis, & Gilleberto de Gant, aliisq; perpaucis vita reservatis: naves Dani cum innumeris * manibus, suisq; sedes repetiere Northimbri. Quod ubi Regi Guilielmo innotuit, nimia commotus irâ, juravit omnes Northimbrenses, unâ se lanceâ peremptururm. Ac mox exercitu congregato, in Northimbriam efferato properavit animo. eamq; per totam hyemem, devastare, hominesq; trucidare, & multa alia non cessabat agere.*

* fortè manubiis.

Hæc fortiter: illa, quæ sequuntur, callidè gesta: ut ambidextrum Imperatorem decuit: qui gnarus, Northumbriæ numerosum populum, & exasperatis animis pugnacem; domari quidem aliquando posse; sed auctum externorum subsidio, prædæ avidissimo; superari, & premi omnino non posse: hac arte hostilem divisit exercitum: ut qui junctis Anglorum, & Danorum viribus imparem se senserat: uni saltem par esset. Subsidiarium itaque militem & (ut plerumque fit) pecuniæ avidum, pecuniarum esca pellectum, à domestico subtraxit: quod ad Guilielmi laudem, & ad Danorum vituperium ita refertur, ab eodem Authore.

REX FORTITER CUM ANGLIS: SUAVITER CUM DANIS AGIT.

Interea nuntiis ad Danicum Comitem missis, Guilielmus spopondit se clanculum daturum illi non modicam summam pecuniæ, & permissurum licenter exercitui suo victum, circa ripas maris sibi rapere: eâ tamen interpositâ conditione, ut sine pugnâ discederet, peracta hyeme. Ille autem auri argentiq; avidus, non sine magno dedecore sui, petitis adquievit. Normannis igitur Angliam vastantibus in Northimbriâ, & quibusdam aliis provinciis, anno præcedenti; sed præsenti & subsequenti ferè per totam Angliam, maximè verò per Northimbriam, & contiguas illi provincias: adeo fames prævaluit; ut homines, humanas, equinas, caninas, & catinas carnes, & quicquid usus abhorret, cogente inediâ comederent. Alii verò se in perpetuam servitutem vendiderunt: dummodo qualitercumque miserabilem vitam sustentarent. Alii extra patriam profecti in exilium, medio itinere deficientes, animas emiserunt. Erat horror ad intuendum, per domos, plateas, & itinera, cadavera humana dissolvi, & tabescentia putredine, cum fœtore horrendo scaturire vermibus. Neque enim supererat, qui ea humo cooperiret, omnibus extinctis, vel gladio & fame: vel propter famem, paternum solum relinquentibus. Ita terra cultore destituta, lata ubique solitudo patebat, per novem annos. Inter Eboracum & Dunelmum nusquam villa inhabitata, bestiarum tantum & latronum latibula magno itinerantibus fuere timori. Mox subdit Author quid factum ab Egelwino Dunelmensi Episcopo;

VIII. GUILIELMUS REX CUM DANIS PACISCITUR.

NORTHUMBRIÆ CALAMITAS.

ut

ut præfatam tempestatem declinarit: ut sacrum Cuthberti corpus reverenter extulerit: ut Oceanus mirabiliter se submittendo viam fecerit, quæ supra, aliorum etiam authoritate roborata retuli.

IX. ECCLESIA CALAMITATI ACCESSIT.

Quantum fuerit operæ pretium, illa Egelwini industria, & aliorum piorum; qui Ecclesiæ ornamenta, pretiosamque supellectilem, militum avaritiæ subduxerunt; satis probat tempestas hæc, quæ Ecclesias etiam, & loca sacra omnia inundavit; nam quantumvis miles Catholicus in fide, & orthodoxus esset: tamen malo genio suggerente, Calvino videtur prælusisse, cum sacra æquè ac profana temeravit. Non ille quidem cruces, & imagines, è templis ejecit; non fregit, aut profanavit: (Antichristi tempora, manebit illa impietatis palma) auro tamen argentoque illas exuit, quod militaris licentiæ idolum est. Sanctior Guilielmus Rex, qui profanari Ecclesias noluit; & profanantes, in speciem; castigavit. Quod ita ab antiquis Ecclesiarum luctum deplorantibus refertur.

Roger. fo. 413.

Dunelmensis Ecclesia omni custodiâ, & Ecclesiastico officio destituta erat, ut ait Scriptura, sicut desertum: spelunca erat pauperum, & debilium & agrotantium; qui fugere non poterant; illuc declinantes, fame ac morbo deficiebant. Imago crucifixi, quæ sola de ornamentis Ecclesiæ remanserat (quoniam non facilè pro sui magnitudine, à festinantibus poterat asportari) auro suo & argento est spoliata, detrahentibus Normannis. Rex autem, cum longè esset; agnoscens Ecclesiæ solitudinem, & crucifixi expoliationem, graviter satis tulit: ipsosque, qui hæc fecerant, perquiri præcepit. Non multo post eosdem ipsos, fortè sibi obvios habuit; quos cum à viâ publicâ declinare conspiceret; illicò intellexit homines mali alicujus esse conscios. Qui protinus comprehensi, aurum & argentum, quod de crucifixo tulerant, ostenderunt. Quos tamen ad judicium Episcopi, & eorum qui cum illo erant, jam de fugâ regredientium transmisit; sed illi à reatu absolutos impunè dimittunt. Instante namque verno tempore, redeunte ad Suthumbriam Rege: Egelwinus Episcopus, cum omni populo, transactis in Ealande (Lindisfarnem Insulam intelligit) *tribus mensibus, & aliquot diebus, cum thesauro sacri corporis, ad Dunelmensem Ecclesiam reversus est.*

CORPUS S. CUTHBERTI DUNELMUM REDUCITUR.

X. REX ECCLESIAM PICTE REVERETUR.

Ægrè tulit Victor Rex, Ecclesiam à privato milite violari, & auro argentoque investem esse: Ipse tamen plura, & magis facinorosa præsumpsit: cum Ecclesias, & Ecclesiarum capita; quæ laicâ manu tractari non poterant; pro arbitrio pressit: & Monasteriorum bona, militum obsequiis substravit; prætiusque Reip. publicus, & cum prætenso privilegio, expilator. Non potuit huc impietatis descendere, quamdiu ad Ecclesiarum clavum sedebant Antistites Angli qui jura legesque mutari, ægrè laturi erant. Callidè ergo in Episcoporum, & Prælatorum vitas inquirit; eorum studia, electiones, promotiones exploras: ubique criminationis materiam investigat, ut sedibus exutis Normannos substituat. dissimulanter tamen hæc omnia, & inducto aliquando religionis fuco. Ita cùm Sogando egit, Cantuariensi Antistite: cujus exauctorationem cum maximè cuperet, eum tunc maximo honore prosecutus est. Cum coronam noluit ab eo recipere: Romani Pontificis metum prætexuit, illud prohibentis: denique cùm supra in Normanniam duxit: honoris id causa factum, videri, putarique voluit: adeo fucum suis rebus fecit.

GUILIELMI REGIS CALLIDITAS, ET SIMULATIO.

Testatur hæc omnia, qui tunc vivebat Malmesburiensis. *Coronam regni*, inquit, *de manu ejus Rex detrectavit suscipere; astutiâ, qua consueverat, prohibitores ex parte Apostolici subornans. Nec multò post in Normanniam navigans; sub velamine honoris; illum renitentem secum traxit: ne quid perfidiæ, se absente, per ejus authoritatem in Anglia pullularet. Inter quæ difficile dictu est, quantis eum exceperit officiis; dignanter ubicumque locorum assurgendo: & contra eum in omnibus Episcopatibus Normanniæ, & Abbatiis, longa serie pompæ procedi faciendo. Sed quicquid hisce tegebatur involucris, erupit in clarum veniente in Angliam Ermenfredo, Sedunensi Episcopo, Legato Alexandri Papæ: qui ad voluntatem Regis, coacto concilio Stigandum deposuit, fidem Willielmi appellantem, & violentiam reclamantem. Et quamvis ille, se blandè excusans, præceptum Papæ objectaret: non tamen opinionem affectatæ depositionis exclusit: quod eum toto ævo in vinculis Wintonia habuerit.* Sed de his anno sequenti, quo nunc properandum.

Malmesb. de Pontif. l. 1.

ANNUS CHRISTI 1070.

ALEXANDRI II. PAPÆ 10.

GUILIELMI I. REGIS 5.

I. GUILIELMUS IN ECCLESIAM GRASSATUR.

SEQUITUR Christi annus millesimus septuagesimus, rerum varietate nobilis. Normannus Rex, qui Angliæ regnum, sibi, suisque substraverat; qui proceres Anglos sedibus, fortunis, & omni provinciâ extruserat: qui castra & munitissima quæque Normannis impleverat: necdum sibi visus est felicitatis culmen attigisse: quamdiu sanctior Resp. Principes haberet, numero plures, opibus & potentiâ magnos, patriæ paternisque legibus obnoxios. Meminerat quid unus Stigandus in Cantio; quid Albanensis Abbas, in Cattieuchlanis, moliti: quomodo in faciem, & qua libertate restiterint. Amoturus igitur hoc ambitioni suæ obstaculum, Monasteriorum & Ecclesiarum bona invadit, pessimorum Regum exemplo. Deplorat id Parisiensis ita scribens: *Anno Domini millesimo septuagesimo, Rex Willielmus pessimo usus consilio: omnia Anglorum Monasteria, auro, & argento spolians, insatiabiliter appropriavit: & ad majora sanctæ Ecclesiæ opprobria, calicibus, & feretris non pepercit. Episcopatus quoque & Abbatias omnes, quæ baronias tenebant. & eatenus, ab omni servitute sæculari libertatem habuerant: sub servitute statuit militari: inrotulans singulos Episcopatus, & Abbatias pro voluntate suâ, quot milites sibi, & successoribus suis, hostilitatis tempore, voluit à singulis exhiberi. Et rotulas hujus Ecclesiasticæ servitutis ponens in thesauris; multos viros Ecclesiasticos, huic constitutioni pessimæ reluctantes, à regno fugavit.* En habes Lector calamitatis fontem, unde miseriarum flumina Angliam inundarunt. Normanni milites, & Normannorum militum ductor, in regnum quidem, sed non in priorum Regum pietatem successerant: & Rex nativo impetu bellum, & coronam, affectans; non potuit per fas & nefas possessa tueri; nisi fas, & nefas omne committeret atque impleret. Hinc Monasteriorum prima clades, quam

Parisbio.

sequentes Reges aliquando resarciunt, aliquando segniore genio continuant. Malè tamen inde factiosi argumentantur. nihil præsumere posteriora hæc tempora, quæ priora tempora non probarunt. nam damus, ita à quibusdam peccatum; ut Sacerdotia interdum, non Sacerdotes tetigerint: ut Monasteria, laica manus invaserit; ut infulas, & pedum Reges dispensarint: Id tamen vel Romanorum Pontificum indulgentia, vel nequiore, & peccante impetu; non jure factum, sexcentis argumentis, & multiplici pientissimorum Regum exemplo, probamus.

II. QUO JURE, TITULOQUE REX ECCLESIAM TRACTARIT.

Sed quia ad hæc Guilielmi Regis tempora novi juris consulti, inconsultè provocant, videamus an ille insaniverit adeo; ut Monasteriorum bona, & Episcoporum sedes, suo arbitrio, & authoritate tractaverit: An verò tribunal aliud, & suo majus, appellaverit: petieritque inde, qua carebat ipse, faciendi supradicta facultatem. nam ita controversiæ cardo, quem imperitè aliqui movent, faciliùs movebitur. Certum est Regem, non solùm ante, sed à victoria etiam. Romanam Sedem pulsasse, & robur inde quæsivisse: licet veris aliquando falsa miscendo, fucum fecerit suis precibus: & plus animo insederit; quàm literis, aut oratione expresserit. Certum etiam est, Romanos Pontifices, Regum jura indulgentissimè tueri solitos; quicquid aulæ vitia contra insusurrent, atque mentiantur. Unde facili consequentia fit, ut indulta potestas ad plura flectatur, præter mentem concedentis. Sic factum, peccatumque à Guilielmo; qui, orthodoxorum Regum more, armavit se potestate Pontificia; & Pontifex illam porrexit, ut Ecclesiam, regnumque defenderet: sed ille, militiæ magis, quam Canonici juris studiosus; armorum prærogativâ abusus; læsit, quam defendere debuit, majestatem Ecclesiæ. forti non tam suopte ingenio, quàm aliorum impulsu; qui Regum auribus famulantes, eorum gratiam in primis; Ecclesiæ religionisque decus, in postremis habent. quod ideo Matthæus suprà expressit, *pessimo usum consilio*. & alius antiquior, consiliarios nominat, ita scribens: *Anno millesimo septuagesimo, Willielmi Comitis Herefordensis, & quorundam aliorum consilio, tempore Quadragesimali, Rex Willielmus, Monasteria totius Angliæ, fuos perscrutari fecit: & pecuniam, quam ditiores Angli, propter illius authoritatem, & depopulationem in eis posuerant, jussit auferri.* Benè dixi, non ita Regem insanisse, ut volunt factiosi; non enim, opinor, bona Monasteriorum invasit: sed deposita solùm repetiit, quæ cives, & alii, rapinæ subduxerant.

Rog. Hoved fo. 452.

VEL MALO USUS CONSILIO,

III. VEL PRÆTENSA RO. PON. AUTHORITATE.

Quod verò ad Episcoporum, & Abbatum infulas spectat: Guilielmus religioni duxit; illas, Romanâ Sede inconsultâ, tangere. Quamobrem superiori anno, cum Alexandro, omnium Ecclesiarum parente, & sacrorum omnium Principe egerat; ut legatos à se, suamque cum illis potestatem, ad componendam Ecclesiæ œconomiam mitteret: quæ luxata admodum, rerum omnium mutatione, ægrè aliter redire poterat ad statum ordinemque suum. Alexander, Regis vota probaverat: Vices & authoritatem suam in Angliam hoc anno mittit: & ita communi consilio, non uno Regis arbitrio, Episcoporum & Abbatum vita, vitiaque puniuntur. Quod ideo necessarium; quia revera Ecclesia Anglicana laborabat capite: & Stigandum, Cantuariensem diu sustinuerat, telluris inutile pondus. Hunc sua sede moveri, cum cuperet Rex; sciretque non esse subsellii sui; spirituale brachium vocaverat: & Roma vocanti adfuit, misitque Episcopum, & Presbyteros duos Cardinales, quos passim Authores nostri nominant: & illi Britanniam ingressi, in Wintoniensem urbem Synodum indicunt, & Ecclesiarum negotia, ac jura definiunt. De quibus ita scribit Hovedenus: *Eodem anno* (1070.) *Concilium magnum, in octavis Paschæ, Wintoniæ celebratum est, jubente & præsente Rege Willielmo, Domino Alexandro Papa consentiente, & per suos Legatos Hermenfredum, Sedunensem Episcopum, & Presbyteros, Ioannem, & Petrum Cardinales Sedis Apostolicæ, suam authoritatem exhibente. In quo Concilio Stigandus Dorobernia Archiepiscopus degradatur, tribus de causis scilicet: quod Episcopatum Wintoniæ, cum Archiepiscopatu injustè possidebat: & quod vivente Roberto Archiepiscopo; non solum Archiepiscopatum sumpsit: sed etiam ejus pallio, quod Cantuariæ remansit, dum vi, & injustè, ab Anglia pulsus est, in Missarum celebratione aliquamdiu usus est: & à Benedicto, quem Sancta Romana Ecclesia excommunicavit; eò quòd pecuniis Sedem Apostolicam invasit; pallium accepit. Frater quoque ejus Agelmarus, Est-Anglorum Episcopus, est degradatus. Abbates etiam nonnulli ibi degradati sunt; operam dante Rege, ut quamplures ex Anglis, suis honoribus privarentur: In quorum loco suæ gentis personas subrogaret; ob confirmationem scilicet sui, quod noviter acquisierat, regni. Hinc & nonnullos, tam Episcopos, quam Abbates, quos nullâ evidenti causâ, nec concilia, nec leges regni damnabant, suis honoribus privavit. & usque ad finem vitæ custodiæ mancipatos detinuit. Suspicione (ut diximus) tantum inductus novi regni.* Hæc Author, de Wintoniensi Concilio.

ALEXANDER PAPA LEGATOS MITTIT.

Roger. fo. 459.

ERMENFREDUM EPISCOPUM, JOANNEM ET PETRUM CARDINALES.

STIGANDUS ARCHIEPISCOPUS DEPONITUR.

ET AGELMARUS ESTANGLORUM EPISCOPUS.

IV.

Hic vera falsis miscuit Guilielmus Rex, & Alexandri Legatis imposuit, specie fucoque pietatis. Stigandus crimina commiserat, quæ superiori tomo, recensui pluribus locis: & meritò dignitate exuitur, quam nullo merito induerat: merito custodiæ mancipatur, & suâ magis, quàm aliorum culpâ, fame extinguitur, hoc eodem anno, homo pecuniarum & honorum magis, quàm vitæ amator. Verùm hæc omnia, non in Regem, aut prætensam ejus potestatem in Episcopos: sed in Romanum Pontificem, referenda esse, ipsi Pontificiæ potestatis hostes fatentur: & Guilielmus Rex palam affirmavit, cum ejus patrocinium Stigandus implorasset. de quo ita Parkerus. *Stigandus ad summum jam adductum discrimen: deprecatione, ad Guilielmum, an justa expostulatione uteretur, incertus: eum per fidem tam firmiter utrimque datam, ac interpositam, instanter obsecravit: ne se tam iniquis permittat calamitatibus. At Rex, lenissimis & mansuetis verbis, ejus rei authoritatem, & atrocitatem sibi derogavit, ac Papalibus mandatis attribuit.* Idem habet, sed paulò clariùs modernus alter, Godwinus Pseudo-Episcopus. *Stigandus* (inquit) *Regem per datam fidem multum obtestatur, ut misero sibi velit subvenire: respondente illo: Id, quod Pontificia authoritate constitutum est; sibi integrum non esse rescindere.* Quo oraculo manifestè docuit; laicam Regum potestatem, in Episcoporum causis, rebusque illam Remp. spectantibus, Pontificia minorem esse. Malè igitur factiosi, è rerum gestarum cortice, quam solum spectant; de medullâ, fideique substantiâ pronuntiant. Quicquid

V. an. 1038. 2. 1047. 3. an 1052. 9. 1058. 2.

STIGANDUS MORITUR.

Antiq Britan. in Stigando.

Godwin. in Catalogo in Stigando.

panarum

pœnarum Stigando infligitur; à Synodo Episcoporum, à Sedis Apostolicæ Legatis, denique ab Alexandro Papa; non à Rege Guilielmo profectum constat.

V. Pontificii Legati, Regiæ voluntati famulantur.

Non abnuerim tamen, Pontificiæ sedis Legatos, in hac Synodo, Regiæ voluntati, simul & Canonum sanctitati obsecutos, cum Stigandum sede moverunt. & pœnam hanc Guilielmi votis respondisse: ipse enim memor Cantiani tumultus, & potentiæ ac clientelæ primæ sedis: existimavit firmam se pacem in regno habiturum nunquam, quamdiu Anglus illi sedi præesset. Sciebat tamen sui juris non esse, aut litem Stigando movere: aut alium, eo sedente, substituere. Fecit ergo quod erat Regium: Stigando, omni in re, honorem reverentiamque tamdiu detulit; quamdiu in primâ cathedrâ sedere permittitur. Interim, facti ratione redditâ Alexandro Papæ; judicium illi, sententiamque permisit: latæ tantum sententiæ strenuus executor. nam Stigando nequicquam supplicante, se durum satis ostendit: & una, præstiti honoris ac benevolentiæ signa, nulla pacati amicique animi argumenta fuisse. Quod Guilielmus Malmesburiensis ita expressit, ubi Stigandi pœnam mortemque describit. *Sed quicquid* (inquit) *hic tegebatur involucri: erupit in clarum, veniente in Angliam Ermenfredo, Sedunensi Episcopo, Legato Alexandri Papæ: qui ad voluntatem Regis, coacto Concilio, Stigandum deposuit, fidem Guilielmi appellantem, & violentiam reclamantem. Et quamvis ille se blandè excusans, præceptum Papæ objectaret: non tamen opinionem affectatæ depositionis exclusit, quod eum toto ævo, in vinculis, Wintoniæ habuerit. Ibi ergo Stigandus tenui victu, vitam toleravit; quod ei parùm de fisco ferebatur; & ipse ingenitâ mentis duritia, nihil de suo inferri pateretur. Quin & hortantibus amicis, & præcipuè Reginâ Edgithâ, Edwardi Regis relictâ: ut se delicatius vestiret, & pasceret: per omne sanctum pejerabat, se non habere nummum, nec valens. Sed huic Sacramento soliditatem veri abfuisse probavit ingens vis opum, post mortem ejus, in subterraneis specubus inventarum. Ad quarum indicium ut veniretur; auxilio fuit clavicula collo exanimati dependens: quæ familiaris scrinii esset custos. Ea sera immissa, manifestavit per seras inventas & qualitatem metallorum, & quantitatem ponderum.* Hæc ille. Mortuus est Stigandus sub finem hujus anni, cum ab anno Christi millesimo quadragesimo septimo Wintoniensem sedem: & ab anno millesimo quinquagesimo secundo, Cantuariensem occupasset.

Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 205.

Edithæ Reginæ pietas in Stigandum.

VI. Agelmarus quid peccavit?

Quid ab Agelmaro, fratre ejus, & Helmhamensi Episcopo peccatum sit, non invenio: nisi dixeris Helmhamensem sedem, à Stigando semel iterumque occupatam, & aliquoties venalem, ut superiori *tomo ostensum; Agelmaro tandem cessisse, Stigandi fratris potentiâ: cujus jam acta, ad libram revocata, inventa sunt minus habentia. Unde qui fratri innixus ascenderat; eodem descendente, non decuit sublimem esse: Et verò, eo amoto, vacaret Sedes altera, & Normanni non deerant successuri, de quo infrà. Abbatum fuit eadem ratio, quos leviter incusatos, graviter Synodus punivit: gemente quidem Clero; sed non valente resistere: cum Rex, & Legati, quibus refragari nec tutum erat, nec pretium operæ, Canonum sanctiones, & juris apices contra urgerent. Sic Ecclesiarum privilegia, præcedentium Regum diplomata, Monasteriorum prærogativæ, & concessæ olim prædiorum, & terrarum donationes, siluerunt: Rege nunc Romani Pontificis, hoc est, supremam Ecclesiæ potestatem, opponente. Unus Synodo adfuit Wulstanus Episcopus; vir vitæ innocentiâ, & sanctitate clarus; quem silentium solvere, & pro Ecclesiâ suâ loqui, pastoralis officii ratio admonuit. Is docuit Patres, Wigorniensis Ecclesiæ prædia in Eboracensem sedem aliquando translata; nunc in Regiam laicamque manum, temporum injuriâ descendisse: illa se nunc postliminii jure postulare, atque repetere. Sed quia vidua erat Eboracensis Ecclesia; nec erat, qui pro illa loqueretur, aut ostenderet, quo demum modo Aldredus prædia, à Wigorniensi, cui etiam præerat, ad Eboracensem Ecclesiam transtulerit; dilata est illius nodi solutio: decretumque, non priùs controversiæ cardinem peritè verti posse, quàm aliquis Eboracensi sedi præesset. In hac Wintoniensi Synodo, accusatur Lichfeldensis Episcopus; quod tacent Authores nostri, nomenque Episcopi non prodit Lanfrancus, cum super eo ad Alexandrum scribit. hoc anno, ut statim dicam. Opinor tamen Leofwinum fuisse, quem illi Ecclesiæ præfectum dixi anno 1053. Vocatus ad Synodum Leofwinus, non comparuit scelerum conscientia, illum premente. postea tamen spontaneam à sua sede missionem petiit & impetravit; Lanfranco apud Alexandrum pro illo mediante. Nec aliud actum in Synodo. Qua solutâ, Joannes, & Petrus, Presbyteri Cardinales, in Urbem reversi sunt, facti rationem de more Alexandro reddituri: & Cantuariensem Ecclesiam, Stigando exauthorato vacantem, eidem commendaturi. Nec dubium, quin hominem Rex nominaverit, qui primæ sedis honore revera dignus, eandem administraret. de quo statim.

*V. an. 1044. 7. & an. 1038. 2.

Wulstanus pro sua Ecclesia advocat.

VII.

Wintoniensi Synodo solutâ, urget Ermenfredus, Legatorum alter, qui remanserat, Ecclesiæ luctum, ob plurium Sedium vacationem. nam præter Cantuariam Metropolim, vacabat altera in Septentrione princeps Ecclesia: Wintoniensis etiam, quam Stigandus pariter invaserat. Sed & Orientales Angli, Agelmari depositione, Præsulem non habebant. Denique Wulfsinus Dorcacestrensis obierat, & triennio jam vacabat Sedes illa. Ergo Regem monet lugentibus Ecclesiis ut succurrat; nominetque viros, qui cum dignitate infulas gestent. nec abnuit Guilielmus: Thomam, Baiocensem Canonicum, in Aldredi mortui locum surrogat: virum ob naturæ gratiæque dona, Eboracensi sede dignum: de quo multa inferiùs. Wintoniensem Ecclesiam Walkelino donat quem Malmesburiensis Walkelmum scribit: & ita de eo: *Stigando deposito, successit Walkelmus, à Guilielmo Rege datus: cujus bona opera famam vincentia, senium à se vetustatis repellent, quamdiu ibi sedes Episcopalis durabit. Mauritius eum Rhotomagensis Archiepiscopus, viam mortis meditans, in fideipignus commendaverat; quod esset in eo spes indolis laudandæ; si haberet materiam, qua virtus posset innotescere. Sponsionem Pontificis Walkelmus produxit ad verum, faciens quanta non possent sperari in religione, & numero Monachorum, in ædificiis domorum.* Laudanda enimvero Guilielmi Regis industria pietasque: qui licet sibi, Normannos evehendo, consuluerit: non minùs tamen Ecclesiæ, fideique consuluit, tales præficiendo

Thomas Eboracensis Archiepiscopus.

Walkelmus Wintoniensis Episcopus.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 240.

Ecclesiis, qui provinciam cum dignitate, & eruditionis fama sustinerent. Quod maximè eminuit, ubi Lanfrancum ab Alexandro postulavit, Cantuariæ Archiepiscopum: quod factum hoc tempore, Petro & Joanne, pro Rege Romæ orantibus. Lanfrancus quidem ad Regis postulata horruit: & quod magnis, sanctisque viris familiare est, à claustro noluit avelli: nec avelli omnino potuisset, nisi Alexandri mandatum Regis voto accessisset.

LANFRANCUS AD CANTUARIEN. SEDEM POSTULATUR.

VIII. *SYNODUS APUD WINDESORAM.*

Interim ad novorum Præsulum inaugurationem, al aque Ecclesiam spectantia, indicta est iterum Synodus in crastino Pentecostes. nam ad solenniora illa tempora, nascentis, resurgentis Christi, mittentisque Spiritum sanctum, Anglo-Saxonum Regis, proceres, & Præsules, ad colloquium invitabant: & illi cum Rege majoris momenti res utramvis Remp. spectantes transigentes, suffragium dabant plebe amissa; quæ nunc non solùm cum Rege, Præsulibus, & proceribus esse contendit: sed extrusis Episcopis, omnibus præesse. indubiè fœtus adulteratæ fidei. Sed ad Synodum cujus acta sic paucis recitat Hovedenus. *Guilielmi jussu, in crastino Pentecostes Sedunensis Episcopus Armenfredus Synodum tenuit apud Windesoram, Ioanne, & Petro, Cardinalibus, Romam reversis. In qua Synodo, Agelricus South Saxonum Pontifex, non Canonicè degradabatur: quem Rex, sine culpâ mox apud Mearlesberge in custodiam posuit. Abbates etiam complures sunt depositi. quibus depositis, Rex suis Capellanis, Arfracto, Orientalium Anglorum Præsulatum & Stigando Suth-Saxonum dedit Episcopatum. Nonnullis etiam Normannicis Monachis, Abbatias dedit: & quia Dorobernensis Archipræsul depositus est, & Eboracensis erat defunctus, jussu Regis, in octavis Pentecostes, ab eodem Armenfredo, Sedunensi Episcopo, Sedis Apostolica Legato, ordinatus est VValkelinus.* nimirum Wintoniensis Episcopus. Nec plura Author de hac Synodo. quæ benè dicitur, *jussu Regis* habita: quia à Canonum sanctitate devians, sæculare magis quàm Ecclesiasticum judicium sapit. Sed illud, quale quale, breviter percurramus. Opinor imprimis hac in Synodo, alios Ecclesiis Præsules datos, Guilielmo Rege postulante. Itaque in Wulfsini Dorcacestrensis Episcopi, nuper mortui locum, Remigius consecratur, qui Guilielmo Angliæ principatum ambienti, subsidia plura, hac lege submiserat, ut ille, regno potitus, Episcopatum aliquem pro subsidiis condonaret. quod anno sequenti Lanfrancus, Canonum peritissimus, ad Alexandri Papæ tribunal deferet, & simoniæ labem Remigio impinget. ubi plura de illo.

Hoved. fo. 453.

ARFRACTUS ORIEN. ANGLORUM EPISCOPUS. STIGANDUS SOUTH-SAXONUM EPISCOPUS.

IX.

Agelricus, in Synodo condemnatus, nodus est quem nescio solvere: adeo illum nominis variatio impedivit. Consecratus ille quidem est, australium Saxonum Episcopus, anno millesimo quinquagesimo septimo: & nono post anno, in Edoardi Regis diplomate, Agelsius (opinor) appellatur. iterum cum degradationis causâ ut parum Canonicâ, ad Alexandri Papæ tribunal excutitur, Alricius vocatur, Cicestrensis Ecclesiæ Præsul, ut dicam anno sequenti. Sed nec ibi, ex Alexandri literis elicere possum, quid Antistes ille peccaverit, aut quem fucum Guilielmus fecerit, sententiam illam extorquendo. Fucum certè fuisse, sequens annus aperiet, cum Lanfrancus in Urbem, pro pallio profectus, Anglorum Prælatorum nunc exauthoratorum causam aget. Cæterùm ideo Agelricus nominatur, Cicestrensis Ecclesiæ Præsul, nomine hactenus inaudito: quia Stigandus, qui hoc anno succedit Guilielmi Regis Sacellanus; latere noluit in Selesciensi oppido (unde priores Episcopi dicti sunt Selescienses) sed sedem suam ad nobiliorem & illustriorem locum, Cicestriam transtulit: unde posteriores Episcopi, Cicestrenses nuncupantur: quod factum anno 1079. ut ibi Agelrici causâ, ad Alexandrum delatâ, illam Alexander ad ineundem revocandam censuit: ita inter cætera scribens ad Guilielmum Regem: *Præterea Eminentiæ vestra notum esse volumus quod causa Alricii, qui olim Cicestrensis Ecclesiæ Præsul dictus, à suppositis Legatorum nostrorum depositus est; non ad plenum nobis tractata videtur. Ideoq; sicut in Canonibus cautum est, debere restitui judicavimus. Deinde causam ejus, juxta censuram Canonica traditionis, diligenter retractandam, & definiendam fratri nostro Archiepiscopo Lanfranco commisimus.* Ita Synodi sententiam præter juris ordinem latam, correxit Alexander. Quid inde factum, nemo, quod sciam, tradit. Stigandus certè locum tenuisse videtur, ad annum usque millesimum octogesimum septimum. Agelricus tamen, apud Guilielmum, tunc in pretio videtur fuisse; cum controversiæ inter Lanfrancum, & Odonem Regis fratrem uterinum, arbiter constitutus est: quam ille in lege consultissimus, cum laude composuit; & prædia Cantuariensi Ecclesiæ subrepta, reddenda postliminio censuit. ut infrà.

AGELRICUS SUBETUR AD SEDEM SUAM RESTITUI.

Apud Baron. an. 1071. n. 22.

V. an. 1077. n. 7.

X. *AGELWINI ZELUS IN ECCLESIAM.*

Synodi acta, non tantum Alexander, sed Anglorum Antistites, improbarunt. nemo tamen religiosiùs, quàm Dunelmensis Episcopus, Agelwinus; qui nihil majestatem reveritus, à Sacramentorum participio, & societate fidelium ejecit omnes, qui præter juris ordinem, infulas temerassent. aut certè id facere conatus est. De eo sic Matthæus Westmonasteriensis. *Solus inter omnes Angliæ Prælatos Ægelwinus Dunelmensis Episcopus, videns fratrum injustas oppressiones, condolens, & zelum Dei habens, exulavit spontaneus ab Angliâ, volens oppressores vinculo excommunicationis innodare.* addit Matthæus alter: *Excommunicavit universos Ecclesiæ invasores, & rerum Ecclesiasticarum raptores.* Inde conscensâ navi, Coloniam trajecturus; adversante Oceano in Scotiam delatus, diuturnam ibi sedem figere non potuit. Sic in Angliam regressus, inter Elienses paludes tamdiu latuit, donec eum Guilielmus Rex inde abstractum, Abendoniensi Monasterio inclusit, de quo postea. Ermenfredus Sedunensis, legationis munere defunctus, in Normanniam rediit; ubi Lanfrancum, Cadomensem Abbatem conveniens, & Regis Guilielmi votum, & Romani Pontificis imperium exposuit, de induendâ Cantuariensi Infulâ. Quam invitis aversisque auribus, hoc nuntium Lanfrancus exceperit, hoc loco non exponam; quia ejusdem literæ, quas statim subjiciam, id loquentur multò elegantiùs. Interim dico quod Ermenfredus Lanfranco suggessit, Guilielmi Regis interpres; idem è mente Alexandri suggessit Hubertus Cardinalis, quem in Normanniam ab eodem Alexandro missum, ad idem extorquendum, Lanfranci literæ testabantur. Cessit ergo Cadomensis Abbas, & missa Monasterii quiete, cui se voverat, Britannici maris fluctibus exponitur.

Westmon. hic.

Parisien. hic.

Adventum

XI. LANFRANCUS VENIT IN ANGLIAM.

Edmer Novorum l. 1. fo. 6.

Adventum ejus in hanc Insulam, passim Authores omnes, cum laude prosequuntur: Edmerus ita loquitur in Guilielmo Rege: *In hujus regni anno quinto, Lanfrancus Cadomensis Cœnobii Abbas, vir strenuus, & in divinis, atque humanis rebus, excellenti scientia preditus, Angliam ex precepto Domini Papæ Alexandri, & predicti Regis advenit, & pauco post tempore Archiepiscopatum Cantuariensem regendum suscepit. Sacratus est autem in ipsâ Metropoli Sede, quarto Calendas Septembris, à cunctis fermè Episcopis Angliæ.* Non nominat hic Author Episcopos, qui inaugurationi adfuerint: quos alii nominant, Wigorniensis & Hovedenus, atque ita de Lanfranco.

Wigorniens. Hovedenus hic.

Rex de Normanniâ accito Lanfranco, Cadomensi Abbate, genere Longobardo, viro undecunque doctissimo, omnium liberalium artium, divinarumq; simul, ac secularium literarum scientiâ peritissimo, consiliis quoque ac gubernatione rerum mundialium, æquè prudentissimo: Die Assumptionis Sanctæ MARIÆ, Archiepiscopum constituit Cantuariensis Ecclesiæ. & in festivitate S. Ioannis Baptistæ, die Dominicâ consecrari fecit Cantuariæ. Consecratus est autem ab Episcopis, Gisone VVellensi, & à VValtero Herefordensi: qui ambo Romæ à Nicolao Papa ordinati sunt, quando Aldredus Eboracensis Archiepiscopus pallium suscepit. Vitabant enim à Stigando, qui tunc Archiepiscopus Cantuariæ præsidebat, ordinari: quia illum noverant non canonicè pallium suscepisse. Hermannus etiam Sarisberiensis Episcopus, cum quibusdam aliis, ejus interfuit consecrationi.

CONSECRATUR CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

V. an. 1060. 7.

Hæc illi. Quinam alii fuerint, omitti non debet; quia Episcoporum qui in Angliâ fuerunt, notionem continet, quod potissimum spectat Ecclesiasticorum Annalium scriptio. audi ergo ipsum Lanfrancum de se ita scribentem, teste Malmesberiensi.

Malmesb. de Pont. l. 1.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo, intravit Anglicam terram Lanfrancus, Cadomensis Cœnobii Abbas, monentibus, & præcipientibus, VVillelmo, glorioso Rege Anglorum, & felicis memoriæ Alexandro totius sanctæ Ecclesiæ summo Pontifice. Is post paucos sui introitus dies Dorobernensem Ecclesiam suscepit regendam. Consecratus est autem quarto Calendas Septembris; in Sede Metropoli, a Suffraganeis ipsius Sedis. VVillielmo Londinensi Episcopo, Sewardo Roffensi; VValkelino Ventano (Wintoniensem nunc dicimus) *Remigio Dorcacestrensi, sive Lincolniensi. Herfasto Helmhamensi sive Theofordensi, Stigando Selesiensi, Hermanno Schirburnensi, Gisone VVellensi. Cæteri qui absentes fuerunt, causas suæ absentiæ, tam legatis quam literis ostenderunt.*

XII. V. an. 1050. 2. &c.

Hic est Lanfrancus ille, qui anno millesimo quinquagesimo in Berengarium pugnavit doctissimè: & Christi corporis veritatem in Eucharistiâ asserendo; nascentem tunc paucorum pruriginc scabiem sanavit; ut dictum ibi. qualis quantusque evaserit, ità ab origine narrat Malmesburiensis.

Malmesb. sup.

LANFRANCI ELOGIUM. ET EXORDIA.

Lanfrancus gente Longobardus; non adeo abjectâ & obscurâ progenie ortundus erat. Sed literaturâ perinsignis; liberales artes, quæ jamdudum sorduerant, a Latio in Gallias vocans, acumine suo expolivit. Teneriorem ætatem in secularibus deterens, in Scripturis divinis, animo & ævo maturuit. Quibus edoctus, mundi fumos, & ampullata gentilium eloquia parvi pendens; Monachatus desiderium imbibit. multisq; diu locis circumspectis, ex omni Abbatiarum copia, Beccum apud Normanniam, potissimum elegit: paupertate loci, & Monachorum religione captus. (Siquidem eo fortè adveniens, ipsum Abbatem Herlevvinum nomine, ad coquendos panes succinctum, & manus fimo oblitum conspicatus esset.) Factus ergo ibi Monachus, homo qui nesciret agresti opere victum quærere; publicas scholas de Dialecticâ professus est: ut egestatem Monasterii, scholarum liberalitate temperaret. Exivit fama ejus remotissimas latinitatis plagas: eratq; Beccum, magnum & famosum literaturæ gymnasium. Gloria laudis conflavit apud improbos viro invidiam: Capellanis, qui infra ejus scientiam se viderent, animum Comitis VVillelmi in ipsum turbantibus; quod unum illorum palam de inscitiâ irrisisset literarum. Quapropter Lanfrancus edictum accipiens, ut Normanniam suâ importunitate vacuaret, curiam venit: moxq; indulgentiam Comitis meruit: quod ille statim vivacitate sensus intellexisset; quanta prudentia Lanfrancus esset, ex dignitate frontispicii, & facetiâ responsi, interiora conjectans. Nec multò post apud Cadomum, Abbatem fecit: ubi sancto Stephano Monasterium à fundamentis levaverat. Hæc ille.

XIII. THOMAS A LANFRANCO CONSECRANDUS, CANONICAM ILLI OBEDIENTIAM NEGAT.

Malmesb. apud Godvvinum in Ebora.

Lanfranci virtus, constantia, eruditioque, tunc eminere cœperunt; cum statim ab inauguratione, consecrandus offertur Thomas, in Eboracensem Antistitem. fuerat vir ille, Baiocensis Ecclesiæ Canonicus, ortu Normannus, Sacerdotis filius: *Cæterum omni vita integer* (inquit Malmesburiensi) *& cum nihil, vel in gestis, vel in dictis succenseri debeat: nisi quod primo Archiepiscopatus tempore, in causa primatus Cantuariensis, magis errore, quàm pertinaciâ certavit.* Hoc nimirum tempore cum ad Sacerdotium majus assumitur. nam jussus, de more, Cantuariensem Sedem agnoscere, illique obedientiæ Canonicæ sponsionem facere; renuit vir ingentis animi, & Regio favore tumidus. Tunc, inquam, Lanfrancus, licet hospes in Angliâ, & in Episcopali Sede novitius: veteranum se tamen, & prima infula dignum, constanti argumento probavit. Quid gestum inter utrumque? & quomodo sopita, si tamen sopita dici potest, controversia, quæ sæpiùs recruduit; è Lanfranci scriptis accipe. sic enim scribit.

Apud Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 202.

Ipso anno (1070.) *Thomas Eboracensis Ecclesiæ Antistes electus, Cantuariam ex priscâ consuetudine, à Lanfranco sacrandus advenit. A quo cum Lanfrancus scriptam de obedientia sua professionem, cum adjectione jurisjurandi, custodito antecessorum suorum more, exposceret: respondet Thomas: Se id nunquam facturum; nisi prius scriptas de hac re authoritates legeret: nisi testes hujus antiquitatis assertores cerneret: Postremò nisi congruas super hac re rationes audiret; quibus id justè & rationabiliter, sine suæ Ecclesiæ præjudicio facere deberet. Hoc autem ignorantiâ magis, quàm spiritus elati pertinaciâ faciebat. Novus enim homo, & Angliæ consuetudinis penitus expers; verbis adulatorum plùs æquo, & bono, fidem exhibebat: Lanfrancus tamen in præsentiâ paucorum Episcoporum, qui ad eum pro hac consecratione advenerant; quod postulabat, ostendit. At ille aspernatus omnia, non sacratus abscessit. Quod Rex audiens graviter accepit, existimans Lanfrancum injusta petere: & scientiâ literarum magis, quàm ratione & veritate confidere: quamvis nec ipsi Thomæ deesset literarum peritia, multo ingenio, multoq; studio comparata.*

REX OFFENDITUR.

XIV. SED A LANFRANCO PLACATUR.

Paucorum dierum spatio evoluto, Lanfrancus ad Curiam venit; à Rege audientiam postulavit: redditis rationibus ejus animum mitigavit: transmarinis qui aderant, suæ parti justitiam adesse suasit, & persuasit. Angli enim, qui rem noverant, assertionibus

ejus per omnia constantissimè testimonium perhibebant. Itaque Regio edicto, communiq; omnium decreto statutum est, ad præsens debere Thomam, ad matrem totius regni Ecclesiam redire, professionem scribere, scriptam legere, lectam, inter examinandum, in præsentiâ Episcoporum Lanfranco porrigere: in qua præceptis quidem ejus in omnibus, quæ ad Christianæ religionis cultum pertinent, se obtemperaturum absolute, nullâ interpositâ conditione, promitteret: successoribus verò ejus non ita; nisi prius vel coram, vel in Episcopali Concilio competens ei ratio redderetur: quâ antecessores suos, Dorobernensis Ecclesiæ primatibus id fecisse, & facere debuisse, evidentissimè comprobaretur. Igitur rediit, quæ jussa sunt implevit, sacratus abscessit. Non multos post dies, Lanfrancus ab universis Anglici regni Episcopis, qui diversis temporibus, diversis in locis, ab aliis Archiepiscopis, vel à Papa, tempore Stigandi, sacrati sunt, professiones petiit, & accepit. Hactenus de re gestâ, Lanfranci narratio quæ inter ejus Epistolas habetur. ubi etiam professionis forma, quam Thomas porrexit, ad posterorum memoriam, & Dorobernensis juris firmamentum, in hunc modum legitur.

XV. THOMÆ EBORACENSIS PROFESSIO, ET SUBJECTIO CANTUARIEN. SEDI.

Apud Baron. an 1072. n 14. & Malmesb. de Pon fo. 200.

Decet Christianum quemque Christianis legibus subjacere: nec his, quæ à sanctis Patribus salubriter instituta sunt, quibuslibet rationibus contraire. Hinc namque iræ, dissensiones, invidiæ, contentiones, cæteraq; procedunt, quæ amatores suos in pœnas æternas demergunt. Et quantò quisque altioris est ordinis, tantò impensius divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, auditis cognitisq; rationibus, absolutam tibi, Lanfrance, Dorobernensis Archiepiscope, tuisq; successoribus de Canonica obedientiâ professionem facio. & quicquid à te, vel ab eis justè & Canonicè mihi injunctum fuerit, servaturum me esse promitto. De hac re autem, dum a te ordinandus essem, dubius fui: Ideoq; tibi quidem sine conditione, successoribus verò tuis conditionaliter obtemperaturum me esse promisi. Non tantum præstitit Thomas professione hac, quantum Lanfrancus postularat: voluit enim, & multo argumento contendit, Professionem jurejurando firmandam esse. Sed intercessit Guilielmus Rex, pro Thoma Episcopo: & Lanfrancus simplici sponsione contentus est. sine tamen successorum præjudicio, ut ipse fusiùs Romano Pontifici exponet infrà.

XVI. SYNODUS AD PEDRIDAN IN CAUSA WULSTANI.

Eboracensi Ecclesiâ, capite, & infulâ, coronatâ; Wulstani Wigorniensis causa, quam suprà motam, & remotam diximus, cœpta est ventilari. Quod ut cum dignitate fieret, & pace Ecclesiarum; indicta est Synodus ad Pedridam oppidum in agro Somersetano, nunc Pedderton dictum. Cujus acta, causamque Wulstano adjudicatam, ita recitat Hovedenus, è Florentio Wigorniensi. qui cum Thomam dixissent majori Sacerdotio, à Lanfranco ornatum, hæc subdunt.

Wigornien. & Hoved. hic.

His gestis, Reverendi Wulstani Wigorniensis Episcopi, mota est iterum querela, Episcopo jam consecrato, Thoma; qui pro Eboracensi loqueretur Ecclesiâ: & in Concilio, in loco, qui vocatur Pedreda, celebrato, coram Rege, ac Dorobernia Archiepiscopo Lanfranco, & Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & totius Angliæ (Dei gratia adminiculante) est terminata. Cunctis siquidem machinamentis, nequaquam veritate suffultis, Thomas Eboracensis Episcopus, ejusq; fautores, Wigorniensem Ecclesiam deprimere, & Eboracensi Ecclesiæ subjicere, ancillamq; facere modis omnibus satagebant. Veruntamen justo Dei judicio, ac scriptis evidentissimis detritis, & penitus annihilatis: non solum vir Dei Wulstanus, proclamatas, & expetitas possessiones recepit: sed & suam Ecclesiam (Deo donante, & Rege concedente) ea libertate liberam suscepit; quâ primi fundatores ejus, Sanctus Rex Ethelredus, & Osbernus Wicciorum Subregulus, cæteriq; Merciorum Reges Kenredus, Ethelbaldus, Offa, Sanctus Kenulfus, pater Kenelmi Martyris, illorumq; successores: ac postea totius Angliæ Monarchiam obtinentes; scilicet Edoardus Senior, Athelstanus, Edmundus, Edredus, Edgarus, pater Edoardi Regis & Martyris, illorumq; successores liberaverant.

WULSTANUS CAUSAM OBTINET.

WIGORNIEN. ECCLESIÆ FUNDATORES.

XVII. WULSTANUS DE INSCITIA ARGUITUR: SED ACCUSANTES REDARGUIT.

Baron anno 1072. 15.

Omittunt hi Authores aliquid in hac Synodo gestum, Annalibus non indignum, & Wulstani Episcopi sanctitatis, ac ingenuæ simplicitatis magnum argumentum. Recitat illud è Malmesburiensi nostro Baronius in hunc modum. *Quid præterea in Concilio contigerit, de Sancto Wulstano Wigorniensi Episcopo, sanctitate vitæ celebri: sed qui morum simplicitate, & literarum imperitiâ visus fuit suo Metropolitano, ad regimen Episcopatus non satis idoneus; causam dicere jusso, Malmesburiensis sic narrat. Hic sancta simplicitas Beati Wulstani, Wigorniensis Episcopi, imo magnanima in Deo confidentia, laudanda, & plausu excipienda est. Cum enim & de hac re, & de parvâ scientiâ literarum pulsatus, foras exisset; ut strictiori consilio responsum contexeret suum, à tumultibus remoto animo. Credo mihi (inquit) nondum cantavimus horam sextam: Cantemus ergo. Tunc quoque sociis referentibus: ut prius propter quod venerant, expedirent; quod satis, superq; sufficeret cantibus tempus. Regem, & Proceres si hæc audirent, risui se haberi opinaturos. Priùs, crede mihi, inquit, faciamus Dei servitium: & post agitabimus hominum litigium. Horâ igitur cantatâ, nullâ excogitatâ falsi tergiversatione, nullo commentato veri splendore; confestim aulam Concilii ingredi pergebat: suis eum retinere tentantibus, persuaderi non potuit. Quin potiùs timentibus causa, pro certo noveritis, ait, me hic visibiliter videre Beatos Archiepiscopos * Dunstanum Cantuariensem, & Oswaldum Eboracensem: qui hodie suis precibus me tuentes, falsiloquorum acumen hebetabunt. Ita data benedictione Monacho, minima facundia viro, sed Normannicâ linguâ sciolo, rem perorans obtinuit: ut qui suæ Diœcesis ante indignus putabatur regimine, ab Archiepiscopo Eboracensi suppliciter rogaretur, ut suas dignaretur lustrare partes: quo ipse pro timore hostium, vel sermonis ignorantiâ cavebat accedere.* Refert hæc Baronius ad annum 1072. & Synodum tunc habitam, de quâ inferiùs: sed rerum gestarum series, connexioque, persuadent, ad hujus anni Synodum referenda.

* fuerat uterque Sanctus, Wigorniensis Episcopus.

XVIII. LANFRANCUS CUPIT ONUS ANIMARUM DEPONERE.

Lanfrancus interea sentire cœpit curam animarum, onus esse suis humeris impar; & se è portu quietis, in altum inquietis Oceanum solvisse; quod semper formidarat: & ad monasticæ tranquillitatis solitudinem suspirans, statuit vela contrahere, nitique quantum poterat, Monasterium repetere. nec aliud votis deerat, quàm navarchi indulgentia, permittentis reditum ad se, suosque. scribit ergo ad Alexandrum Papam, instat opportunè, importunè; arguit, obsecrat, increpat in omni patientiâ & doctrinâ, ut Pastorali curâ solutus, sibi Deoque vacare liceat. & demum ita loquitur.

Summo

Summo sanctæ Ecclesiæ Pastori Alexandro Papæ: Lanfrancus indignus Antistes, Canonicam obedientiam.

Lanfranci Epistola ad Alexandrum Papam.

Apud Baron. hoc n. 32.

Nescio cui aptiùs calamitates meas explicem, quàm tibi, Pater, qui ipsarum mihi calamitatum causa existis. Nam cum de Beccensi congregatione, in qua habitum Religionis assumpsi, à Principe Northmannorum Willielmo abstractus, Cadomensi præessem Cœnobio; imparque existerem paucorum regimini Monachorum: incertum habeo, quo judicio omnipotentis Dei, factus sim, te cogente, speculator multorum, numeroque carentium populorum. Quòd cum præfatus Princeps, jam Rex Anglorum factus, multis variisque modis laboraret efficere; cassis tamen laboribus suis; à me nullo modo potuit impetrare; quoadusque Legati tui, Hermenfredus videlicet Sedunensis Episcopus, & Hubertus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in Northmanniam venerunt; qui Episcopos, Abbates, ejusdemque patriæ nobiles, convenire fecerunt: atque in eorum præsentia, ut Cantuariensem Ecclesiam, regendam susciperem, ex Romanæ Sedis authoritate, præceperunt. adversus hoc imbecillitas mearum virium, morumque indignitas prolata in medium nihil profuit: excusatio incognitæ linguæ, gentiumque barbararum, nullum apud eos locum invenire prævaluit.

XIX. Conqueritur de molestiis Episcopatus.

Quid plura? assensum præbui, veni, suscepi. In quo tot molestias, tot tædia, tantamque ab omni ferè bono defectum mentis quotidie sustineo, tot aliorum in diversis personis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, spurcitias, tantumque sanctæ Ecclesiæ casum incessanter audio, video, sentio; ut tædeat me vitæ meæ, doleamque plurimùm, me usque ad hæc tempora pervenisse. Mala siquidem sunt, quæ in præsenti cernuntur, multa verò deteriora, ex istorum consideratione in futuro conjiciuntur. Et ne diu Celsitudinem vestram, multis magnisque negotiis occupatam, prolixæ orationis ambitu protraham. Rogo quatenus propter Deum; & animam vestram: sicut vestrâ, cui contradici fas non fuit, me authoritate alligastis; sic quoque alligatum, abrupto, per eandem authoritatem, hujus necessitatis vinculo absolvatis: vitamque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis. Nec in hujus rei sperni petitione debeo; quam tam piè, tamque necessariè, tam justis ex causis concedi à vobis deposco.

XX. Memorem facit eorum quæ præstitit amicis Pontif. in Gallia.

Meminisse siquidem debetis, nec tradi oblivioni oportet: quàm benignè vestros consanguineos, aliosque à Roma scripta deferentes, in præfatis adhuc Cœnobiis constitutus, sæpè recepi; quàm studiosè eos, pro captu meo, ingeniique ipsorum, tam in sacris, quàm sæcularibus literis erudivi. ut taceam multa alia quibus vobis, vestrisque antecessoribus, pro rerum ac temporum qualitate, nonnunquam servivi. Nec hoc jactando, aut improperando, teste conscientiâ, dico: nec favorem gratiæ vestræ, quasi prolatis obedientiæ meæ obsequiis, solito majorem captare requiro. Hoc tantum studeo, harumque literarum is solum meus finis est; ut congruam rationem justamque causam possim ostendere, quâ id peto à vestrâ munificentiâ, Christo aspirante, valeam obtinere. Quod si fortasse, consideratâ aliorum utilitate, secus agendum, mihique id denegandum esse decernis: Valde vobis cavendum; atque timendum est; ne unde vos mercedem apud Deum habere existimatis: inde, quod à vestris actibus semper procul sit, peccati periculum incurratis. Nullus est enim à me, aut per me, in hac terrâ animarum profectus: aut si ullus existit, tam parvus est, ut detrimentis meis comparari non possit. De his hactenus.

XXI. Excusat quòd invitatus Romam non venit.

Cæterùm quando Romæ fui, vestramque faciem videre, vestroque colloquio frui, divinâ gratiâ concedente promerui: rogastis me, quatenus in sequenti anno, circa Nativitatem Christi, ad vos venirem, vobiscum in palatio, vestris stipendiis, tribus aut eò ampliùs mensibus moraturus. Verùm hoc sine magna rerum, corporisque incommoditate, me facere non potuisse, testis mihi est Deus, testes Angeli ejus. Cur autem non potuerim, plures variæque causæ effecerunt: quæ Epistolari brevitate, pro sui prolixitate comprehendi non possunt. Sed si superna majestas vitam mihi atque incolumitatem, cum rerum commoditate concesserit: sanctosque Apostolos, & vos, sanctamque Romanam Ecclesiam visitare desidero. Quod ut fiat rogate, obsecro, divinam clementiam: quatenus Domino meo Regi Anglorum, longam vitam concedat, pacemque ei de omnibus sibi adversantibus faciat: cor ejus ad amorem suum, ut sanctæ Ecclesiæ, spirituali semper devotione, compungat. Eo enim vivente, pacem qualemcumque habemus. Post mortem verò ejus, nec pacem, nec aliquod bonum, nos habituros speramus. Hæc omnia ad Alexandrum Lanfrancus: qui vix Oceanum nostrum ingressus, præsentium malorum conscius, & futuræ tempestatis, atque jactationis præscius, nauseâ laborat, cupitque, ut navigantes solent, litus repetere, primamque stationem. Sed noluit Alexander, qui ad Ecclesiæ clavum sedebat, importunis licet precibus, locum dare, rescripsitque, quod olim Magnus Gregorius, cum Monachos primùm in Britanniam destinavit, simili ferè nauseâ, sub ingressum itineris, laborantes. Et verò pientissimè factum ab Alexandro, qui rem Anglicanæ Ecclesiæ publicam, privatis affectibus, quantumvis pietate conditis, anteponens; Lanfrancum voluit Apostolico muneri insudare, Deumque pro Deo, quod perfectorum est, Christoque proximum, derelinquere.

Alexander negat, quod Lanfrancus postulati

V. an. 596. n. 34.

XXII. Lanfrancus pallium sibi ex urbe mitti petit.

Amistes sanctus, spe suâ frustratus, cum navigationis cursum tenere cogeretur; ad omnia præsentis, futuræque tempestatis pericula accinxit se virtute ex alto; & humeris oneri supposuit: quod ut constantiùs, & cum dignitate faceret; pallium ex Urbe, & superhumerale petiit, Archiepiscoporum more; ad id constrictus. Oportebat quidem ipsum, ejus causâ, Romam proficisci: quod hactenus ab Archiepiscopis factum ostendimus, sed itineris magnitudo, negotiorum moles, Cantuariensis Ecclesiæ orbitas,

pallium per Legatos petere suaserunt. Mittit ergo à suo nomine Oratores; quos Hildebrando commendat, Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, qoi post annos duos audiet Gregorius septimus. Et illi, cum in Urbem venissent, & legationis summam Archidiacono retulissent; pro responso, hoc literarum, Lanfranco offerendum acceperunt.

LANFRANCO Venerabili Cantuariorum Archiepiscopo HILDEBRANDUS, S. R. Ec. Archidiaconus, In Domino salutem.

HILDEBRANDI LITERÆ AD LANFRANCUM.

Apud Baron. hic n. 28.

„ VERBA Legatorum vestrorum graviter accepimus: Sed quod voluntati vestræ in mittendo absenti personæ vestræ privilegio, ut illi petebant, ritè non potuimus satisfacere, valde doluimus. Neque id ægrè ferat vestra prudentia: quoniam si alicui Archiepiscoporum, vestris temporibus, absenti hoc concessum fuisse vidissemus; profectò religioni vestræ, promptissimâ charitate, honorem hunc, absque vestrâ fatigatione, impenderemus. Unde necessarium nobis videtur, vos Apostolorum limina visitare: quatenus de hoc & cæteris, unà vobiscum efficaciùs, quod oportuerit, consulere valeamus, atque statuere. De cætero, si Legatos nostros, ad vos venire contigerit, solitâ charitate recipite. Quod vobis in aure dixerint, prout charissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, & religiosum decet Sacerdotem, procurare studete.

XXIII. HERMANNUS SCHIRNBURNEN. EPISCOPUS, PETIT AB ONERE LIBERARI.

*V. an. 1045. 5. * 1035 6 & an. 1058. 7.*

Necdum hæ literæ, Legatique ad Lanfrancum venerant; cum rursus ad Alexandrum scribere, & Suffraganeorum suorum causas, ad ejus tribunal deponere, cogitur Lanfrancus. Hermannus Wiltunensis olim; inde, hoc tempore, Schirburnensis quoque Episcopus: quem * suprà relictâ Wiltunensi Sede, Monachum in Sancti Bertini, apud Morinos, Cœnobio, indui: unde reversus, cum Schirneburnensis etiam Ecclesiæ procurationem suscepisset: jam senio, & annis gravior, sentire cæpit animarum pondus, suis viribus majus esse: seque illi sustinendo imparem. Intellexerat fortè Lanfrancum, eadem meditari, velleque loco, ac honori cedere. Ille ergo; cum ab Ecclesiâ suâ divertere statuisset, divortii consilium, & rationes aperit, petitque sibi licere, Monasterium repetere; quò liberiùs conscientiæ suæ, mortique consuleret. Verùm Lanfrancus, qui nuper repulsam, in hoc orationis genere, ab Apostolicâ Sede senserat; Hermanno noluit indulgere, quod sibi non fuerat indultum. Jussit ergo, & pro imperio mandavit, nec baculum, nec infulam ponere; donec Romanæ Sedis suffragium, ejus voto accederet; pollicitus se cum Alexandro enixè acturum, ejusque arbitrio rem omnem permissurum.

LANFRANCUS NON CONSENTIT.

V. hic n. 6.

Iterum Lichfeldensis Episcopi causa, quæ nuper in Wintoniensi Synodo ventilata, componi, decidique non potuit, ab Apostolicæ Sedis Legato: Antistite nunc cedente, Lanfranci operâ feliciter terminatur. Ille enim mulieris consortio, & filiorum procreatione infamis, ad dictam Synodum vocatus, ideo non comparuit: quòd crimina manifesta, nullo fuco tegi, nullâ poterant tergiversatione excusari. Itaque à Legatis, fidelium communione privatus, censurisque subjectus est; quibus Nicæna, pluresque aliæ Synodi, incontinentem Clerum notat; quas ille sine dubio incurrerat qui Ecclesiastico ordini, Monachi professionem adjecerat. Nunc verò criminum memoriâ conscientiam mordente, sponte Episcopali dignitate privari, illamqoe Episcoporum judicio, & dispensationi permittere, paratus cum esset. Lanfrancus noluit, inconsultâ Romanâ Sede, alium substituere. Has ergo literas, in utriusque Episcopi gratiam, Alexandro dictat, priusquam Legati redussent.

Universæ Christi Ecclesiæ summo Rectori ALEXANDRO indignus Anglorum Archiepiscopus LANFRANCUS finem inferre bonum, bono principio.

XXIV. LANFRANCI LITERÆ AD ALEXANDRUM PAPAM.

Apud Baron. hic n. 2.

„ NECESSITATE urgente expectare non potui, quoadusque redirent, (quos ad vos transmisi) priores Legati nostri. Hermannus siquidem nostræ regionis Episcopus; qui tempore venerandæ memoriæ Leonis Papæ, antecessoris vestri, relicto Episcopatu, monachicam vitam petiit. Nunc iterum hoc idem facere omnibus modis petit. Et nisi ego censurâ Canonicâ obstitissem; jam pridem, aut Regi Episcopatum reddidisset, aut clam ad Monasterium confugisset. Et quidem, dum virili robore, atque juventâ viguit, scientiâ divinarum, atque mundanarum rerum præditus, ad pastorale officium satis utilis persona extitit. Sed jam senili ætate, prolixaque ægritudine confectus, debitam officio curam impenderè ulteriùs non valet.

XXV.

„ Nec existimet sancta colendaque Beatitudo vestra: quòd aut quibuslibet injuriis lacessitus, aut Regalibus angariis ultra vires prægravatus, hoc facere velit; Deum omnipotentem, dulcissimamque gratiam vestram testor: quòd nec in verbis ejus, dum familiari colloquio consilium animæ suæ, à me, quæreret, suasque mihi negligentias confitendo aperiret, deprehendere id valui: nec à quoquam hominum tale aliquid, unquam de eo audivi. Sed sicut puto, & reverà est, exactis in hac vita compluribus annis; jam tandem proximus morti; priusquam moriatur; à vinculis, ac mole tanti oneris desiderat absolvi, ac liberari: & in extremo saltem vitæ suæ, psalmis, hymnis, orationibus, lectionibus occupari. Præterea Apostolicæ Sedis celsitudinem consulendam putavi: quatenus ab eâ instructi, certissimè teneamus; quid in tam excellenti; tamque necessariâ re concedere, vel facere debeamus. Nec id differri oportet; quia valdè timendum est; nisi solertia vestra provideat; ne ejus corporalis incommoditas, multis animabus causa perditionis existat. De hac re ista sufficiant.

XXVI. LICHFELDENSIS EPISCOPI CESSIO.

„ Lichfeldensis verò Episcopus, qui apud Legatos vestros, de incontinentiâ carnis, cui uxor publicè habita, filiique procreati, testimonium perhibebant, aliisque criminibus accusatus, ad Synodum tamen eorum venire noluit. Unde & prædicti Legati vestri eum excommunicaverunt: Regique substituendi successorem, ut dicitur, licentiam concesserunt. In Paschali solennitate ad Curiam venit, de

„ illatis culpis causam inire noluit: Regi in conventu Episcoporum, atque Laicorum, Episcopatum reddidit, se ampliùs non habiturum. „ nec successori calumniam, aut damnum illaturum, jurejurando spontanea voluntate firmavit. Dehinc ad Monasterium, in quo ab „ infantiâ Monachus nutritus, repedavit. Ego „ jam novus Anglus, rerumque Anglicarum, nisi „ quantum ab aliis accipio, adhuc penè inscius: „ in locum ejus non præsumpsi, vel Episcopum „ consecrare; vel consecrandi licentiam aliis „ Episcopis dare; quoadusque præceptio vestra „ veniat; quæ in tanto negotio, quid oporteat „ fieri, informare nos debeat. Ne id quoque dis„ferat Paternitas vestra: quia diu est, ex quo illa „ miserrima Ecclesia pastore est destituta. Omni„potens Dominus det vobis, semper audire de „ vobis, quod audire cupimus, & audire desidera„mus, diligende, colende & Reverende Pater.

XXVII. Quid factum in causa duorum Episcoporum.

Quid responsi, ad hasce literas Alexander dederit; quid, inquam, in duorum Episcoporum causâ judicatum, præscriptumque sit; nec Authores nostri, qui Ecclesiastica tractaverunt, aut Episcoporum vitas, & gesta, nec Baronius ipse, qui Lanfranci literas recitat, docent: conjecturâ igitur, & è rerum postea consequentiâ, colligenda est responsio. Hermanno Schirburnensi permissum non est, Ecclesiam, quam baculo, annuloque desponderat, derelinquere. nam post annum hunc, & sequentem, in Episcoporum numero ponitur. Imo anno millesimo septuagesimo quinto, Synodo adfuit Londinensi: ubi latâ lege jubentur Præsules, è locis villisque humilioribus, ad nobiliores urbes sedem figere: Quod ab ipso factum constat. nam è Schirburniâ in Durotrigibus, & agro Dorsetano, in Sarum oppidum Wiltunensis provinciæ transtulit, inde dictus primus Sarisburiensis Episcopus; ubi, paulò post erectam sedem, fundatamque, novo opere Ecclesiam, vivere, & sedere desiit. ut dicam suo loco. Lichfeldensis Episcopus, in sacco, & cinere, permissus est pænitere, locumque meliori cedere. Quem Petrus, hoc, vel sequenti occupavit. nam in dictâ Londinensi Synodo, cum aliis multis Episcopis nominatur, & scribitur. Unde corrigendus est Godwini Catalogus, qui Petrum hunc, ad Lichfeldensem Sedem consecratum dicit, anno millesimo sexagesimo septimo. Verùm cùm è Lanfranci literis, quas indubiè non vidit Godwinus, constet; Lichfeldensem, incontinentiâ notatum, sua etiam sponte, judicioque sedem reliquisse. sub Lanfranci exordia: in Petrum cadere nequaquam potest, quod de uxore, filiisque dicitur. Fuerit ergo Petri prædecessor; quem passim Authores Leofwinum vocant, ex Abbate Coventrensi assumptum, sub annum Domini millesimum quinquagesimum tertium; ut dictum ibi: nunc alteram Rempublicam invisamus.

Petrus eligitur Lichfelden. Episcopus.

V. an. 1053.

XXVIII. Guilielmi Regis prospera.

Ibi Guilielmus, vel amotis, vel debellatis, vel conciliatis sibi adversariis, in regni sede firmior, constantiorque sedebat. nam fracti Northumbri, qui servitutis jugum impatienter tulerant; Osbernus Danorum ductor, Guilhelmi auro emptus, discesserat: Edricus Silvaticus, adversariæ factionis Princeps, rerum desperatione, fœdus cum Rege percusserat: nec erat Normannico imperio satan, aut occursus malus; nam Edgarus Scotiæ finibus, & Regiâ affinitate contentus, aliud non ambivit; ubi Edwinum, & Morcarum venisse in Guilielmi potestatem intellexit. Foris quidem, & à Danorum in patriam reditu, periculum erat, sed victoris animi magnitudo illud contempsit. Osbernus Danorum Regem, sua nundinatione, suorumque proditione offenderat: unde aqua & igni interdictus exulare cogitur. quod nostri Authores ita referunt ad hunc annum. *Comes Osbernus, cum classe, quæ in Humbro flumine hiemaverat, Danemarchiam adiit. Sed frater suus, Rex Danorum Swanus, illum propter pecuniam, quam contra voluntatem Danorum, à Rege Willielmo, acceperat, exlegavit.* Digna avaritiæ merces, & justum operæ pretium. Interim Anglorum victor, victoriâ usus, & abusus; palam cœpit potentiorum bonis inhiare, & servitutis jugum, quod Anglorum cervicibus injecerat, fortiùs premere: Canutum Danorum, & Anglorum olim Regem accusans; quod leviter agens, imperium nepotibus non reliquisset: professus se nolle premere vestigia ejus: & fecit verbis fidem. Anglorum idioma, Normannico mutans, publicas regni leges, à Saxonum Regibus latas, & multo seculorum usu ratas, aut omninò refixit arbitrio suo: aut Gallicâ dialecto efferri, & in eâ, forensi lite, disceptari mandavit. Quo legum laqueo; vel civium bona intercepta; vel Actoris defectu, Normannis prostituta, exterorum ambitioni servierunt. Nec illud solùm, sed militari vir ingenio, musis iratus, aut parum benevolus: stipendia, prædiaque, Oxoniensi studio; piorum Regum munificentiâ, collata; sustulit: volens Martem, Mercurium præcedere: Sed veriùs ut Anglorum gens, inculta & illiterata, & hinc contemptior fieret. Nascitur illi hoc anno Henricus quarto genitus ejus filius, ad Selbeæ oppidum, ubi paulò post Monasterium Rex extruxit, nativitatis filii ornamentum.

Wigorn & Hovedenus hic.

Osbernus a Swano in exilium ejicitur.

ANNUS CHRISTI 1071.

ALEXANDRI II. PAPÆ 11.

GUILIELMI I. REGIS 6.

I. Cantuarien. et Eboracen. Archiepiscopi Romam petunt.

Anno Christi millesimo septuagesimo primo, Anglicana Ecclesia, duobus (ferè dixeram tribus) palliis, ex urbe petitis, ornata est. Hoc deerat Metropolitanis insigne; ex quo Aldredus Eboracensis; & Robertus, è Londinensi, Cantuariensis consecratus, Archiepiscopi esse desierunt. Stigandus enim, multis nominibus infamis, honorem illum, à legitimo Pontifice, nunquam meruerat. Itaque Lanfrancus, qui superiore anno, eundem primo, inde pallium, sibi mitti petierat; cum neutrum impetrasset; Romam ipse ire, ibique pallio, majorum more, indui decrevit. Eadem Thomam Eboracensem necessitas urgebat; nam Sedi illi, è Magni Gregorii institutione, pallium debebatur. Ambo igitur, Remigio Dorcacestrensi Episcopo Comite, Romanum iter, hoc anno, ingressi; cum in Urbem pervenissent, Insulæ fidem testati, Alexandrum Pontificem venerati, sunt. & vicissim Alexander, quo honore magistrum excipere debeat discipulus, illustri argumento ostendit: cum

LANFRANCUS AB ALEXANDRO COLITUR.

ipse, Pontificiæ dignitatis, & suæ prærogativæ oblitus; Lanfranco priùs assurrexit, quàm ille sedentem in Petri cathedra suppliciter coluisset. Addidit etiam in pignus amoris, præter pallium, è Petri corpore dari solitum; aliud, quo ipse Alexander in Missarum solennitate uti consueverat. Rem gestam narrat Malmesburiensis, in gestis Pontificum. ubi cum Thomam Eboracensem, à Lanfranco consecratum dixisset, hæc subdit.

II.
Malmesb de Pont f. l. 1, fo. 206.

Sequenti anno Lanfrancus cum præfato Archiepiscopo, Romam ivit & honorificè a Sede Apostolica susceptus; unum quidem pallium, ab altari, Romano more, accepit: alterum verò, in indicium sui amoris; videlicet cum quo Missam celebrare solebat, Alexander Papa sua manu porrexit. & paulò inferiùs. *Erat tunc temporis Lanfrancus, in doctrinâ & mundi sapientiâ famosissimus, & quem venerabiliter suspiceret Alexander Apostolicus. Honoris maximum fuit indicium, cum Romam venienti, sequestrato ille Romani supercilii fastu, dignanter assurgeret: professus hanc venerationem, non se illius Archiepiscopatui, sed magisterio literarum deferre. Quapropter se fecisse quod esset honoris: illum debere facere, quod esset justitiæ: ut pro more omnium Archiepiscoporum, S. Petri Vicarii vestigiis advolveretur. Reddidit ille debitum, tanti amoris expertus insignia: ut quæcumque petenda putasset, haud dubiè impetraret.*

Idem supra fo. 219.

Quod Edmerus Malmesburiensi paulò antiquior ita refert paulò clariùs. *Lanfrancus Romam pro debito sibi pallio ivit, Thomam Archiepiscopum Eboracensem, quem ipse facta sibi, de subjectione suâ Canonicâ professione, Cantuariæ consecraverat, & Remigium Lincolniensem Episcopum Comites itineris habuit. Qui Romam simul pervenientes, urbanè suscepti sunt, honore singulis congruo. Post quæ, statuto die, Pater Lanfrancus, Apostolicæ Sedis Pontifici Alexandro præsentatur. Cui (quod Romanam scientibus consuetudinem fortè mirum videatur) ipse Papa ad se intranti assurgens, eum ut gressum figeret, dulciter hortatus est. Ac deinde subdens: Honorem, inquit, exhibuimus, non quem Archiepiscopatui, sed quem magistro (cujus studio sumus in illis quæ scimus, imbuti) debuimus. Hinc, quod ad te pertinet, ob reverentiam B. Petri te exequi par est. Residente igitur illo, Lanfrancus progressus, humiliat se ad pedes ejus: sed mox ab eo erigitur ad osculum ejus.*

Edmer. l. 1. fo. 6.

III.
LIS INTER CANTUARIENSEM, ET EBORACENSEM SEDEM.

Cum pallia uterque ab Alexandro accepisset; quisque suæ Ecclesiæ negotia, cum Apostolicâ Sede, omnium Ecclesiarum parente, communicat: gravia illa quidem, non uno tempore, non hoc anno, nec sæculo terminanda: litem intelligo inter Cantuariensem, & Eboracensem Episcopum. Quis eorum videatur esse major: quam priusquam ingredior, ordine prosequar, quæ præmissa sunt. Lanfranco enim, ejusque orationi, Alexandri aures primùm apertæ sunt. Ille igitur utrumque Comitem, Thomam atque Remigium, vitio consecratum, in Canones peccasse criminatus; accusatorem primò, inde advocatum, non nimis doctè, quàm prudenter, egit. quod malo antiquorum, quàm meis verbis referre. Ita ergo Edmerus consequenter ad supradicta. *Sequenti luce, cum jam diversa negotia in medium ducerentur; calumniatus est (Lanfrancus) coram Papa, memoratum Thomam, cum præfato Remigio; quod neuter illorum, jure fuerit promotus ad Pontificatum. Primus, ea scilicet re, quod sacri Canones, filios Presbyterorum, quos religionis ordo non ornat, à sacrorum Ordinum promotione removeant. Sequens verò, pro eo quòd, factâ conventione, illum à VVilielmo, post Rege facto, emerit, officio videlicet, quo ei, in excidium Angliæ properanti, multifariâ contentione, ac multiplicibus impensis deservierat. Adhæc illi nullam, quâ excusari possent, probabilem causam habentes, redditis baculis, & annulis, cum curâ Pontificali, ad petendam misericordiam conversi sunt.* Ita Lanfrancus, accusatorem, actoremque, ad supremum in orbe tribunal egit. Quod & rei videntur agnovisse cum nec judicem, nec judicium declinarunt, Canonum reverentiâ ducti.

Edmer su pra fo. 7.
THOMÆ, ET REMIGII CONSECRATIO CONTROVERTITUR.

UTERQUE BACULUM RESIGNAT.

IV.
SELDENI EXCEPTIO EXCUTITUR.

Intercedit tamen, post aliquot annorum sæcula, pro Eboracensi Thoma, Seldenus, J. C. & nullum hactenus ab Ecclesiâ Canonem, ejus causæ adversantem reperit; præsertim ubi conditionis insertæ mentio est (*quos religionis ordo non ornat*) magis ergo probat, quod habet Malmesburiensis; ideo Thomam, baculo privatum, quòd *filius esset Presbyteri*, & talis reverà Thomas: ideoque à sacris, vetere, novoque Canone, arcendus. *Non ingredietur Mamzer, hoc est, de Scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* quod in Anglicanâ Ecclesiâ ratum sanctumque fuisse videtur omni sæculo: præsertim ex quo Bonifacius noster, Germaniarum Apostolus, in filios ex incontinentiâ natos, doctè disputavit, in Epistolâ ad Ethelbaldum, Merciorum Regem; quam retuli, anno, quo scripta est, septingentesimo quadragesimo quinto. Opinor itaque Anglorum Episcopos, externum hominem, & defectu natalium minùs celebrem, celeberrimâ sede indignum judicasse: cum nullus religionis ordo labem abstergeret: quod Lanfranco, in urbem proficiscenti suggestum: cæterum conditionem illam *de religionis ordine*, consuetudine primum, inde Canone, ratam lubens admitto, ut infra. Majus erat Remigii crimen; non origine, sed sponte, contractum. nam Gulielmo Duci temporale obsequium vendidit: ut Gulielmus Rex Episcopatum & animarum procurationem, redderet. quod nullâ, ut apparet, tergiversatione celari, excusarique poterat. Submisit ergo, & Apostolicæ Sedi judicium suum, & baculum, Lanfranco. Qui utriusque Episcopi modestiam, insigni, modestaque sententiâ commendavit: cum illi Alexander Papa judicium permisisset.

Deutero. 23. 2.

V. an. 745. n. 12.

V.
UTERQUE EPISCOPUS HONORI LOCOQUE RESTITUITUR.

Etenim cum Thomas, & Remigius, à Canonum severitate, ad juris æquitatem, patrisque misericordiam, appellassent: pro utroque Lanfrancus, non piè magis, quàm doctè intercessit: cujus supplicio motus Alexander, eum litis arbitrum judicemque fecit. Quid inde factum, atque conclusum; sic pergit Edmerus dicere. *Thomæ & Remigii precibus, sese Lanfrancus medium injiciens: Sicut erat vir pietate, ac sapientiâ pollens: eos multarum rerum scientiâ fultos, novo Regi, in novi regni dispositionibus pernecessarios, multis præstare, oratoriâ facultate ostendit. Quibus auditis, Pontifex summus conversus ad eum: Tu videris, inquit, Pater & patria illius; ac per hoc, industria tua consideret, quid expediat. Virgæ pastorales quas reddiderunt, ecce hic sunt: accipe illas, atque dispensa, prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris. At ille susceptis illis, illico in præsentia Papæ, revestivit præfatos viros, quemque suâ.* Hæc Edmerus. Sententiam pro Thoma latam, non

Edmer. l. 1. fo. 7.

modo probavit Alexander; sed in simili casu consultus, ita decrevit, legiturque in Gratiano. *Apostolica authoritate præcipimus vobis, ut si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, Canonicamq; ejus electionem probaveritis, fulti nostra authoritate consecretis. Nam pro eo quod filius Sacerdotis dicitur (si cæteræ virtutes in eum conveniant) non rejicimus, sed suffragantibus meritis, conniven-do eum recipimus.* quæ verba indulgentiam magis, quàm juris rigorem sonant. Quod Urbanus Papa II. intellexit, cum paulò post, à Turonensi Ecclesiâ pulsatus, quid in Cenomanensi Episcopo, facto opus, Alexandri Canonem sequutus, ita illum restrinxit: *Cenomanensem electum, pro eo quod filius Sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conveniunt, non rejicimus, sed suffragantibus meritis eum patienter suscipimus. Non tamen ut hoc pro regulâ imposterum assumatur, sed ad tempus Ecclesiæ periculo consulitur.* Ita Episcoporum & Ecclesiarum causæ, ad principem Ecclesiarum delatæ; ab eodem, non uno semper ore, sed eadem mente, spirituque terminatæ, illustrem sacrarum rerum œconomiam, & suavissimum concentum reddunt.

Distin 56. c. Apostolicâ.

Distinct 56. c. Cenomanensem.

VI. THOMÆ EBORACENSIS ELOGIUM.

Et verò; non erravit Lanfrancus; cum Thomam ob plurimas virtutes, prima Insula dignum censuit: nam Malmesburiensis illas enumerans, hæc habet. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo. Thomas Canonicus Baiocensis, a VVillielmo Rege Archiepiscopus Eboraco datus est: permansitq; in honore triginta annis, omni vita integer: & cui nihil, vel in gestu, vel in dictis succenseri debeat: elegantia personatus spectabilis, desiderio videntibus erat: juvenis vigore, & æqualitate membrorum commodus; senex vivido faciei rubore, & capillis cygneus. Liberalitate sua successores suos contristavit: ut qui multam Episcopalium terrarum partem, in Clericorum usum, nimis (ut dicunt) prodigus distraxerit: Clerum sufficientem opibus, & literis adunavit: Ecclesiam a fundamentis inchoatam consummavit. Cælibatum ejus nunquam sinister rumor aspersit: Philosophus, antiquis scientiâ comparandus: nec elatus sermone, & vultu comis, moribus dulcis. Nec cantu, nec voce minor, multa Ecclesiastica composuit carmina. Si quis in auditu ejus, arte joculatoriâ, aliquid vocale sonaret, statim illud in divinas laudes effigiabat. Illud apud Clericos, quàm maxime ageret ut masculam in Ecclesia musicam haberent, nec quicquam effeminatè diffringentes, tenero supplantarent verba palato. Ævo igitur, & honore seculi, & gratia Dei abundè plenus, obiit anno primo Henrici.* Hæc de Thoma. Nec minor Remigii laus: sed in eo major, quod virtutum & miraculorum gloria illustris, cum Sanctis in nostro Martyrologio numeretur. eum paucis ita ornat Malmesburiensis. *Remigius ex Monacho Fiscamensi, pro exiguitate corporis penè portentum hominis videbatur: luctabatur excellere & foris eminere animus, eratq;*

Malmesb de Pontif. l. 3. fo. 271.

REMIGII LAUS.

Malm. de Pontif. fo. 290

Gratior exiguo veniens è corpore virtus.

Quem ideo natura compegisse videtur, ut sciretur beatissimum ingenium, in miserrimo corpore habitare posse. plura dicam de Remigio Sancto infrà, suis locis. nam duo ipse Monasteria construxit: authorque Gulielmo fuisse dicitur, duo alia construendi.

VII. EADEM OMNIUM SÆCULORUM ECCLESIASTICA OECONOMIA.

Priora sæcula in re Ecclesiasticâ, & sacrorum œconomiâ; hisce, in quibus versatur historia sæculis, libenter confero: ut fidei, rituumque harmonia cernatur. Olim Kentigernus, Glascuensis Episcopus, cum, conscientiâ ipsum mordente, de consecrationis suæ sanctitate, ac valore, dubitaret; semel iterumque, Romano Pontifici causam omnem submisit: & tandem anno Christi quingentesimo nonagesimo tertio, cum Magni Gregorii sententiam explorasset: eo defectus omnes supplente, in Glascuensi Sede confirmatus, sanctitate plenus consenuit; antequam Augustinus noster in Britanniam legaretur. Inde, quis dubitat, omnis Saxonum, & Anglorum Ecclesia, omnis Episcoporum inauguratio, dubiaque inde emergentia, Romanæ Sedis oraculo stabant, cadebantque. Nec alia nunc Normannorum Fides: ut in Lanfranco, Thoma, Remigioque cernitur, qui primas principesque Ecclesias, Alexandro submittunt; ab eo jura, legesque & omnem in sacris potestatem derivant: ad pedes ejus, infulas & baculos deponunt, denique nonnisi ejus nutu imperioque resumunt. Unde fateri necessum est, eos ab avita fide plurimum recessisse: & à majorum sanctitate degeneres esse; qui primò in Romanam Sedem perduelles; inde sacra petere, & Episcoporum institutiones, nolunt; tum novâ, & omnibus sæculis inauditâ creatione Antistites legunt; lectos laico imperio subjiciunt: & demum ipsum nomen Episcopi execrantes, omnem Ecclesiæ œconomiam turbant, atque confundunt. His gradibus ut à fide ad perfidiam; ita à sanctitatis orbitâ descenditur, ad impietatis abyssum. Sed Romam repetamus, ubi Lanfrancus, & Thomas, de Sedium prærogativâ, litem, quam anno superiori moverant, contestantur.

VIII. EPISCOPORUM LITES IN ANGLORUM SYNODUM REMITTUNTUR.

Hanc litem Alexander, tanti momenti esse putavit; ut eam non privatis in ædibus, aut procul Angliâ, sed in publico Episcoporum procerumque conventu, in ipsis Insulæ penetralibus; ubi certiora rei argumenta, & vivi testes, in causâ gravissimâ loqui possent, determinandam censerit. Thomas ad controversiam illam, aliam addidit, voluitque Alexandrum judicem esse, super Diœcesis suæ amplitudine; quam injuriâ restrictam esse, causabatur. nam aquilonares Mercios; ubi Wigorniensis, Dorcacestrensis, Lichfeldensis Sedes; ad Eboracensem, non ad Dorovernensem provinciam, spectare; è primâ Sedium erectione, & Magni Gregorii institutione, docuit. Cum Lanfrancus intercessisset; hanc etiam quæstionem, communi Episcoporum concilio, in Angliâ solvendam Alexander decrevit. Quæ omnia à Malmesburiensi sic referuntur. *In Alexandri præsentiâ, Thomas calumniam movit, de primatu Dorobernensis Ecclesiæ, & de subjectione trium Episcoporum, Dorcensis, sive Lincolniensis, VVigorniensis, Lichfeldensis, qui nunc est Cestrensis: dicens Cantuariensem Ecclesiam, atque Eboracensem, parem ad invicem honorem habere: nec alteram alteri, secundùm Beati Gregorii constitutionem, debere ullatenus subjacere: excepto quod alter utrius Archiepiscopum priorem, & digniorem oporteat esse eo, quem constiterit posterius esse ordinatum. Prædictos verò tres Episcopos Sedi suæ, suisq; antecessoribus, ab antiquis temporibus extitisse subjectos. Lanfrancus hoc audiens, etsi molestè tulit; modestâ tamen discretione, verba illius, veritate penitus carere respondit: asseverans Gregorianam illam constitutionem, non de Cantuariensi, & Eboracensi Ecclesiâ, sed de Londoniensi, & Eboracensi esse prolatam. De quare, & de tribus Episcopis, multis hinc inde verbis*

Malmesb de Pontif. l. 1. fo. 206.

prolatis, decrevit Alexander Papa, oportere causam hanc in Anglicam terram audiri, & illius totius regni Episcoporum, & Abbatum testimonio, & judicio definiri.

IX. Lanfrancus pro Anglorum Ecclesia laborat, ne Reges, Ecclesiam; ne Episcopi Monachos turbent.

Cum ita dictum, decretumque esset, Lanfrancus, frequens cum Alexandro esse, ejus familiari alloquio frui; ex eo multa sciscitari, Anglorum Ecclesiis necessaria. docere etiam quid Guilielmus Rex in Ecclesiam moliatur: quid in Monachos Episcopi. Duplex enim malum enasci tunc cœpit: unum à priorum Regum pietate admodum abhorrens: Aliud olim, & ipsius Augustini ævo natum, nunc renasci cœperat: utrumque medicâ Alexandri manu curandum. Orat igitur Alexandrum Lanfrancus, Guilielmo Regi, ut scribat, Episcopos, & Ecclesiam Christi, oculi pupillam esse. nec posse laicâ manu innocenter tangi. Quod Episcopos, & Monachos spectat; magnum operæ pretium fore putavit, si Pontificiis literis (quod olim factum à M. Gregorio) eorum cupiditas frenaretur; qui Monachis, & Monasteriis molesti fuissent, vel futuri essent. Omisissem ego controversiam hanc, nisi Baronius, è Malmesburiensi, ita scripsisset. *Rursum apud eundem Pontificem (Alexandrum) Lanfrancus effecit, contra ea, quæ tentarant plures Anglorum Episcopi: simulq; Rex ipse; nempe, ut pulsis ab Ecclesiis Cathedralibus, Monachis; ubi erant, Clerici subrogarentur, ne id fieret; & ut ipse Alexander suis Apostolicis literis prohiberet. Rem gestam Willelmus* (Malmesburiensem intelligit) *sic narrat. Providens præterea, per totam Angliam Monachis; ut nec deplorarent necessaria; nec claudicarent à regulâ. Iam enim Episcoporum livor increverat, volentem ab Episcopalibus Sedibus, Monachos, Clericis immissis, extrudere. Auctor hujus factionis fuit, Walkelmus, Episcopus Ventanus, ad cætera bonus: sed in hoc ad pravum consiliis susurronum flexus: plusquam quadraginta Canonicos, cappis, & superpelliciis ornaverat. Regem in sententiam traxerat: & tantum mora in medio, ut Archiepiscopi consensum eliceret. Is quo minus haberetur, nihil dubitandum. At ille auditum facinus exhorruit; & tot potentum excogitatas machinas; ut casses aranearum, solo nutu dissolvit. Quin etiam ne id auderent posteri, egit; ut Alexander scriptis inhiberet. Magnum id, & laudandum: ut quod sæculò sanctorum benignitas, tempore Regis Edgari inchoaverat; iste labefactari non permiserit. Quamvis nunquam comparatione factum hujus, cum illorum facto pensitetur. Nam illi totius Angliæ magistri, arridente etiam Rege, facilè quod vellent, efficerent; iste autem solus, contra tot obsistentes rem profligaverit, & vicerit.* Hactenus è Barouio.

Baron. hic n. 6.

Walkelmi conatus in Monachos.

X. Regularium oppressio, Ecclesiæ exterminium.

Verè magnum, & laudandum, eos non premi, qui primi fidem Insulæ porrexerunt: quorum ope, industriaque, Ecclesiæ fundatæ, erecta sunt Monasteria, & demum Anglia doctior. nam quoties illi pressi, aut pessundati sunt; toties gemuerunt Ecclesiæ, profanata sunt sacra, facta est fides vilior, & demum (quod ferè non advertitur) ipsius Ecclesiasticæ œconomiæ compago, debilitatur, evertitur, & planè dissolvitur. Quis enim nescit, soluto Antemurali, murum non firmiùs, sed imbecilliùs stare. Lanfrancus hoc probè intellexit, cum murus ipse, pro antemurali advocavit: & nos tristissimo experimento scimus; ejectis Monachis, mansisse quidem initio inane nomen Episcopi: inde, ne nomen quidem. Quotquot ergo Regulares premunt, factioni præludunt, quæ pugnat in Ecclesiam. Ita Lanfrancus, Walkelmum docuit, & dedocuit odisse Monachos. nam quod Pontificatus sui initio, aliorum suasu tentaverat; correxit postmodum, & amavit plurimùm, quos antea nesciverat: *Faciens* (inquit Malmesburiensis) *quanta non possent sperari in religione, & numero Monachorum, ædificiis domorum. Et primò quidem advena novus Monachos exosus fuerat: sed facilè correctus, umbraticum illud odium sæpè deploravit: Deinceps fovens eos ut filios, diligens ut fratres, honorans, ut Dominos: nihil minus pro dissimilitudine vestis, exhibens eis, vel adjutorii, vel familiaritatis.* Ita ille.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo 246.

Walkelmus Monachos fovet.

XI. Itaque Lanfrancus, priusquam urbe excederet, literas ab Alexandro impetrat; quibus Guilielmus Rex moneretur, Ecclesiam diligere, tueri, atque venerari: ab Episcoporum causis abstinere: Agelricum exauthoratum, gradui restituere; Lanfranco denique Ecclesias permittere. Quæ ita literis exprimuntur.

Alfxander Episcopus servus servorum Dei: charissimo filio Guilielmo, Anglorum Regi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Alexander ad Guilielmum Regem scribit.

Apud Baro. hic n. 9.

Monet de bono regimine.

„Omnipotenti Deo laudes gratiasque referimus: quòd in hoc tempore; licet mundus in maligno positus, plus solito pravis incumbat studiis: tamen inter mundi Principes, & Rectores, egregiam vestræ religionis famam intelligimus: & quantum honoris Sanctæ Ecclesiæ, tum simoniacæ hæresis vires opprimendo, tum Catholicæ libertatis usus, & officia confirmando. vestra virtus impendat, non dubia relatione cognoscimus. Sed quia, non eis, qui bona demonstrant, justitia, sed in fine probatis præmium, & corona promittitur. Excellentiam vestram plenâ dilectione monemus; ut in studio Christianissimæ devotionis vestræ persistatis. Et primò quidem Ecclesias Christi, quæ in regno vestro sunt, religioso cultu, & justis dispositionibus exornetis: commissa vobis regni gubernacula, ita justitiam tenendo tractetis, ut ex operum rectitudine, quod scriptum est, Cor Regis in manu Dei; vobis manifestè congruat.

XII. „Rogamus etiam dilectionem vestram, ut Ecclesiasticas personas, ab injuriâ defendatis: viduas, & orphanos, & oppressos misericorditer relevando protegatis. Quoniam licet ille Rex Regum, & supernus arbiter totius regni, quod vobis tradidit; rationem à vobis exigat: pro his tamen districtiùs appellabit, quibus non fuerunt vires & arma; nisi vestra potentia. Ad hæc igitur perficienda, & aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci, Cantuariensis Archiepiscopi monitis, & consiliis, gloriam vestram hortamur acquiescere: quem charissimum membrum, & unum ex primis Romanæ Ecclesiæ filiis, lateri nostro assiduè non adjunctum esse dolemus: sed ex fructu, quem Ecclesiæ, in regno vestro, tribuit, consolationem ejus absentiæ sumimus.

XIII. „Præterea Eminentiæ vestræ notum esse volumus: quòd causa Alricii (nos suprà Agelricum

V. an. 1070. n 9.

Agelrici Episcopi depositio non probatur.

„ vocavimus) qui olim Cicestrensis Ecclesiæ
„ Præsul dictus, à suppositis Legatorum nostro-
„ rum depositus est; non ad plenum nobis tra-
„ ctata videtur. Ideoque, sicut in Canonibus
„ cautum est; in pristinum locum restitui debe-
„ ri judicavimus. Deinde causam ejus, juxta
„ censuram Canonicæ traditionis, diligenter re-
„ tractandam, & definiendam, prædicto fratri
„ nostro Archiepiscopo Lanfranco commisimus.
„ Item sibi negotium de discernenda lite, quæ
„ inter Archiepiscopum Eboracensem, & Epis-
„ copum Dorcacestrensem, de pertinentiâ Diœ-
„ cesis eorum est, firmiter injungendo com-
„ mendavimus. ut hanc causam diligentissimâ
„ disquisitione pertractet, & justo fine determi-
„ net. In causis autem pertractandis, & defi-
„ niendis: Ita sibi nostræ, & Apostolicæ autho-
„ ritatis vicem dedimus; ut quicquid in eis, ju-
„ stitiâ dictante, determinaverit: quasi in nostrâ
„ præsentiâ definitum deinceps firmum, & in-
„ dissolubile teneatur. Multa vobis, præter hæc,
„ significata dedissemus: nisi quod ea, in hujus
„ dilectissimi fratris nostri Lanfranci, & ejusdem
„ fidelissimi vobis, ore posuimus: ut ejus viva
„ voce, & nostræ dilectionis affectum, plenius
„ cognoscatis, & reliqua nostræ legationis ver-
„ ba attentius audiatis. Deus autem omnipo-
„ tens det vobis, quæcumque sibi sunt placita,
„ velle, & posse: ut & hic author sit vestri gu-
„ bernaculi; & retributor in gloriâ sempiterni
„ gaudii. Hæc omnia Alexander.

XIV. Cur Alricus Cicestern. Episcopus appellatur?

Recitat has literas Baronius, & hoc anno scriptas non malè auguratur. nam Lanfranci præsentiam in Urbe, & negotia nunc gesta significant. Unum tamen oculatum Lectorem morari poterit: quod Alricius, sive Agelricus, vocetur. hoc anno, Cicestrensis Episcopus; cum nunquam ibi sederit. nam certum, & ab ipso Lanfranco *infra testatum est, non nisi sequenti anno, Australium Anglorum Præsules, Cicestriæ sedisse; dictosque priùs Selesiensẽs Episcopos. Sed veniale est mendum, & Amanuensibus familiare, qui interpretem agere officiosiùs aliquando gestiunt. Cæterùm Lanfrancus, his literis munitus, eodem quo Romam ivit anno, in Angliam cum sociis reversus, *A Cantuaritis* (loquitur Edmerus) *debitâ reverentiâ receptus, Primas totius Britanniæ confirmatus est.* Verùm sequenti anno, de Primatus prærogativâ fusiùs disputabitur. Interim quid factum in alterâ Rep. & à Guilielmo Rege, videamus. nam vereor ne Lanfranci absentia, & duorum Antistitum, exasperatis provincialium animis; ansam det res novas moliendi. Scoto præsertim turbis favente, foventeque turbulenta ingenia, quæ ad asylum illud nuper confugerant.

*V. an. 1072.

Edmer. l. 1. fo. 7.

XV. Eliensis Insula a profugis occupatur.

Ita est: è Scotiæ finibus erumpentes profugi, Angliæque mediterranea percurrentes; inaccessa paludibus loca occuparunt; Normannis & Normannorum fautoribus infestissimi. Nominat illos Matthæus Parisiensis, & unà successum, ita. *Anno Domini millesimo septuagesimo primo, Eadwinus, Mercherus, & Siwardus Comites, cum Egelwino Dunelmensi Episcopo, & multis millibus Clericorum, & laicorum; deserta regionis loca, & nemorosa petierunt, Regis Willielmi indignationem ferre non valentes. Cumque multa mala ad injuriam Regis, in locis diversis perpetrassent: ad Eliensem Insulam tandem venientes, locum mansionis, & refugii, illuc elegerunt. Qui sæpiùs inde hostiliter exeuntes; Duce Herewardo, de gente Anglorum, viro nobilissimo, ac strenuo; Regionem illam in Regis dispendium, non mediocriter affligebant. Castrum quoque ligneum, in ipsis paludibus construxerunt; quod usque in hodiernum diem, castellum Herewardi, à comprovincialibus nuncupatur. Quo divulgato Rex Willielmus, cum universâ sua ditionis fortitudine, veniens ad Insulam navali, pedestri, & equestri exercitu, eam circumcinxit. Deinde vias emensa longitudinis, in ipsis paludibus, & pontes valde sumptuosos construens; voragines profundas, & aquosas, bestiis & hominibus reddidit permeabiles; & castellum, in loco, qui * Weseberum dicitur, à fundamentis erexit. Quod cùm adversarii ejus cognovissent, omnes, præter solum Herewardum, qui socios suos ab Insulâ potenter eduxit, ad manum venientes, Willielmo sese præsentarunt, quodlibet supplicium subituri. Tunc Rex Egelwinum Episcopum sub custodiâ tradens, aliorum quosdam interfecit, quosdam redemit, & nonnullos perpetuo carceri mancipavit. Herewardus verò, quamdiu superfuit, Regi Willielmo paravit insidias exquisitas.* Hæc Matthæus: qui Agelwini Dunelmensis Episcopi mortem consignat anno sequenti. Alii tamen communiùs hoc ipso anno mortuum, & successorem habuisse affirmant: in Matthæo, error, opinor, irrepsit, nam Agelricus, pro Agelwino legendus, qui in Westmonastrio moritur anno sequenti: ut dicetur.

Parisien. hoc.

meliùs * *Wisbecum.*

XVI. Agelwinus Episcopus moritur.

Godw. in Agelwino.

Abendoniensi Monasterio inclusum Agelwinum, ibique hoc anno mortuum volunt Wigorniensis & Hovedenus; nulla de mortis genere factâ mentione. Godwinus ergo corrigendus, qui scribit ita. *Florentius Wigorniensis author est, incarceratum, ex nimio cordis dolore comedere noluisse: adeoq; inediâ simul, & dolore absumptum. Cum non desint, qui asserant, cibaria illi subtracta; ut inediâ, non spontaneâ, sed coactâ interierit.* Quicquid sit, Dunelmensis Ecclesia novum hoc anno pastorem habuit: Walkerum, patriâ Lotharingum, in Leodiensi Ecclesiâ educatum. *Vir fuit* (inquit Malmesburiensis) *neque immodestus, neque illiteratus: qui Canonicos, Monachili servitio assuetos, quod semper Monachum habuissent Episcopum, ad usum Clericorum redegit.* Quæ verba, nescio cur Godwinus in hunc sensum reddiderit, ut diceret: *Clericos seculares, à Walkero, Dunelmensi Ecclesia ejectos, & Monachos tum primùm introductos, Rege, Papa & Episcopo Eboracensi, id probantibus.* Cujus potius contrarium dici debet, è mente sensuque Malmesburiensis, quem Harpesfeldus Cantuariensis Archidiaconus multo melius intellexit, cum ait. *Preces autem Horariæ, quibus hactenus Canonici Dunelmensis Ecclesiæ utebantur, propterea quod semper Monachum Episcopum habuerant, erant ad hæc tempora, id genus, quæ Monachis præscribuntur: Gualterius* (sic Walkerum vocat) *ad eam precandi formam, quâ Clerus utitur, eos abduxit. At successor ejus, postquam q. indecim annis sedisset, Guilielmus; non solum veterem precandi formam restituit: sed deturbatis inde Canonicis, Monachos in eorum locum suffecit.* Walkerus iste ut post dicetur, violentâ morte perimitur; Deo id permittente, non quia ejectis Clericis Monachos substituit, ut Godwinus insinuat; sed potiùs quia regularem precandi modum minùs dilexit; quod faciunt plurimùm irregulares viri. Walkerus in Wintoniensi Ecclesiâ consecrationis Sacramentum accepit, præsente

Succedit Dunelmo Walkerus.

Malmesb. de Pon. l. 3. fo. 277.

Godwin. in Walkero.

Harpesf. sæc. undecimo c. 20.

V. an. 1080. n. 9.

Editha, Sancti Edoardi Regis relictâ: quæ piè afflicta, immaturam novi Præsulis mortem vaticinata dicitur. de quo ita Malmesburiensis.
Malmesb. sup. *Prædicta est mors, ab Edgithâ Reginâ relicta Regis Edoardi, quæ cum vidisset VValkerium VVintoniæ ad consecrandum duci, cesariê lacteolum, vultu roseum, statura prægrandem. Pulchrum, ait, hic Martyrem habemus: conjecturâ videlicet immoderatæ gentis, ad præsagiendum inducta.*

XVII. HERIVVARDUS QUIS? V. an. 1062 n. 2. Quoniam facta est supra Herewardi mentio, factionis hujusce antesignani: Quis ille, & quorsum in Regem surrexerit, est hic dicendum. Fuit Leofrici Comitis filius (de quo ad annum 1062.) admirandæ indolis juvenis. quem Ingulphus ita describit. *Leofricus ex uxore Edina filium genuerat fortissimum robore, nomine* * *Hervardum, procero quidem corpore, pulcherrimum Ephebum; sed nimium bellicosum, animoque ferocem, supra modum. juvenilibus etiam ludis, & luctu, tam severum; ut manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum multoties moverentur.* Plura refert Author fortitudinis ejus argumenta, ob quæ sub Rege Edoardo Sancto, patre etiam id petente, in exilium pellitur. tum pergit Author in hunc modum: *Strenuissimus adolescens Hervardus exlegatus, Northumbriam, hinc Cornubiam, inde Hiberniam, deinde Flandriam petens & ubique fortissimè se gerens, nomen in brevi gloriosum valde, & magnificum acquisivit. omnibus periculis se intrepidè ingerens, & feliciter evadens. in omni militari conflictu, se semper fortissimus objiciens, & fortiter vincens: dubium fuit, utrum felicior, an fortior fuerit.* Hactenus de ejus exordiis, & exilio; quod parentes, & amici procurarant. Sed crevit adeo, in adversis, & eminuit fama facinorum ejus: ut gemens Anglia sub Normannorum tyrannide; quem ejecerat juvenem, summis infimisque precibus, revocarint. & ille, sub hæc tempora rediit: quoque ad defensionem patriæ instructior, militari cingulo, religiosè præcingitur. Quod quia Anglis in more positum, & Ecclesiam spectat, instituti mei ratio postulat, non esse silentio transeundum. Ita ergo Author supra, post plurima Hevvardi enumerata facinora, ejus reditum describit. *Comitatus, & Baronias, Episcopatus, & Prælatias totius terræ suæ Normannis Rex distribuit; & vix aliquem Anglicum, ad honoris statum, vel alicujus dominii principatum ascendere permisit. Solus prætactus Hevvardus prospero fine rem terminabat. Audiens enim, in Flandria, terram Angliæ alienigenis subjugari: suamque paternam hereditatem, mortuo patre suo Leofrico, munere regio, cuidam Normanno donari: matremque viduam multis injuriis, & maximis molestiis affligi; tactus dignissimo dolore, cum Thurfridâ uxore suâ, Angliam advolat: collectaque cognatorum, non contemnenda manu, super matris injuriatores gladio fulminat: & de sua hereditate procul fugat, & eliminat. Considerans etiam, tunc se fortissimis viris præfectum, nonnullisque militibus præpositum; ac necdum, militari more, balteo legitimè se accinctum: assumptis secum, de sua cohorte, paucissimis, simul legitimè militia cum ex tyronibus consecrandis: patruum suum, tunc Abbatem Burgi, nomine Brandum, virum valde religiosum, & pauperum eleemosynis valde deditum, & omnibus virtutibus adornatum, adiit: & se fieri legitimum militem, præmissa penitus omnium peccatorum confessione, & eorum percepta absolutione, instantissimè supplicavit. Quoniam Anglorum erat consuetudo, quod qui militiæ legitimè consecrandus esset; vespere præcedente diem suæ consecrationis, ad Episcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem contritus, & compunctus de omnibus suis peccatis, confessionem faceret; & absolutus orationibus, & devotionibus, & afflictionibus deditus, in Ecclesiâ pernoctaret. In crastino quoque Missam auditurus, gladium super altare offerret, & post Evangelium, Sacerdos gladium benedictum, collo militis, cum benedictione, imponeret: & communicatus ad eandem Missam sacris Christi mysteriis, denuò miles legitimus permaneret.* Hac ratione Hevvardus consecratus miles, in Eliensi Insula, præ cæteris principatum obtinuit. nunc anni reliqua prosequamur.

Idem supra (margin, at "modum: Strenuissimus…"); Ingulph. fo. 899. (margin, at "modum. juvenilibus…"); Ingulph. sup. (margin, at "reditum describit."); * Herevvardus. (margin, at "Hervardum")

Baldunus Monasterii Abbas, quod à S. Edmundo dicitur, hoc anno, Romam profectus: ab Alexandro Papa hasce literas, in Monasterii sui favorem, impetrat. XVIII.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei: dilecto in Christo filio BALDUINO, Abbati Monasterii S. Edmundi, quod Badrices hurde nuncupatur, in Angliâ constituti, ejusque successoribus in perpetuum.

„ QUANQUAM Sedes Apostolica, universalis „ mater, & omnium Ecclesiarum princeps, „ universas Ecclesias communi jure, & dispositione contineat: pleræque tamen inveniuntur, „ quæ in singulare patrocinium S. R. E. commendari, ac propriè ejus juri applicari, ac summitti cupiunt: quatenus singulari providentia, „ & charitate suæ matris amplexæ, usquequaque „ liberiores & munitiores existant: & ad exercenda divinæ servitutis obsequia; inde tranquillitatis, & præsidii munitiones accipiant; „ unde magisterium sacræ Traditionis expectant. „ Si igitur in eadem Apostolica Sede præsidenti, „ hæc solicitudo, & cura singularis incumbit, ut „ ex ipsa consideratione regiminis, omnibus tam „ in defensione, & corroboratione diligentiam, „ quàm in spirituali speculatione, & doctrinâ vigilantiam, quantum, Deo auxiliant, prævaler, „ circumferre debeat: valde congruit, ut si „ quando ea, quæ ad honorem, & utilitatem „ Ecclesiarum Dei pertinent, ab eo postulantur; „ benevolà donatione concedat: & ad sinum matris, idest, S. R. E. domicilium, propriæ commendationis devotione fluentes, egregià benignitate, affectuque custodiendi suscipiat. „ Nos itaque, dilectissime fili, Balduine, in Apostolatus administratione, non nostris meritis, „ sed divinâ locati gratiâ, æquitatem tuæ postulationis, & commissæ tibi congregationis: „ necnon charissimi filii nostri Willelmi Regis „ benignæ interpellationis vota attendentes: videlicet ut prædictum Monasterium S. Edmundi; cui divinà dispositione præesse dinosceris; „ in tutelam & defensionem S. R. E. susciperemus, ejusque statum, & attinentia bona, Apostolici privilegii firmamento muniremus; cum „ omni benevolentiâ, & caritate vobis concedendum esse pervidimus.

XIX. „ Quapropter in hac præsenti sanctionis nostræ pagina; salva quidem in omnibus hujus „ Sedis reverentiâ; concedimus, & confirmamus

tibi,

„ tibi, tuisque successoribus, præfatum Monasterium, cum omnibos quæ nunc sibi jure pertinent, aut in futurum, Deo annuente, ibi conferenda sunt: ut sine omni molestiâ, & inquietudine, illud in vestrâ gubernatione teneatis, statuentes, & Apostolicâ authoritate corroborantes; ut idem Monasterium, in hoc statu, & monastico ordine, perpetuâ stabilitate permaneat: nec aliqua potestas secularis, aut Ecclesiastica, eundem venerabilem locum, ad Episcopalem Sedem mutare possit, aut debeat. Et quæcumque donationes rerum, aut libertatis, eidem Monasterio, regiis statutis, & præceptis traditæ sunt, aut in posterum, pro Dei nomine conferendæ; ex nostrâ Apostolicâ confirmatione ratæ illibatæque permaneant. Salvâ Primatis Episcopi Canonicâ reverentiâ. Igitur ad honorem Dei, & prædicti Monasterii utilitatem, cupientes hanc nostram Constitutionem sempiternâ stabilitate teneri; sancimus, & Apostolicâ authoritate firmamus; ut nullus Rex, Dux, Comes, Episcopus, Abbas, seu aliqua persona secularis, aut Ecclesiastica, jam sæpè fatum Monasterium, vel fratres ibi, Deo servientes inquietare præsumat. nec aliquid eorum, quæ nunc jure habet, aut in futurum, Deo concedente, adquisierit, cujuscumque modi sint, ab eo alienare, aut invadendo diripere, nec aliqua occasione vexare, aut sine licentiâ Abbatis tenere audeat. Si quis autem temerario ausu, hæc nostra statuta contaminare præsumpserit, aut infringere; anathematis laqueo se innodatum, & judicio superni judicis plectendum esse, cognoscat. Qui vero piæ devotionis intuitu, hujus nostræ sanctionis custos, & observator extiterit: & bona sua, ad amplificationem ejusdem Monasterii contulerit, aut conferre studuerit; Apostolicæ benignitatis gratiam consequatur, & æternæ retributionis gloria repleatur. Bene valete. Datum Lateranis VI. Kal. Novemb. per manus Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Bibliothecarii anno XI. Pontificatus Domini Alexandri II. Papæ: Anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo primo. Indictione VII. Ita Pontificium diploma, è Schedis Cothonianis recitat Seldenus, in notis ad Edinerum: & bene notat perperam Indictionem signari, reponitque Indictionem VIII.

ANNUS CHRISTI 1072.

ALEXANDRI II. PAPÆ 12.

GUILIELMI I. REGIS 7.

I. Concilium generale super Cantuarien. Ecclesiæ primatu.

REDIERANT ex Urbe, Lanfrancus, & Thomas, Archiepiscopi nostri; Comitemque itineris ac negotiorum, conduxerant, Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, anno Christi millesimo septuagesimo secundo. Cum Guilielmum Regem convenientes, Alexandri literas, & vota, Anglicanam Ecclesiam spectantia, eidem porrexerunt. Ille sacrorum Principi parere doctus, omnem sanctioris Reipublicæ œconomiam Pontificio Legato, & Episcopis permisit. Quid inde factum, narret ex Authoribus nostris, Annalium conditor Baronius, nam labori & spicilegio parcendum puto, cum ipse operarum maximus præcesserit. Ait ergo ad hunc annum ita. *Hoc item anno in Angliâ, jussione Alexandri Papæ, celebratur generale Concilium totius Insulæ Episcoporum, sexto Idus Aprilis. In quo ventilata est quæstio, de primatu Ecclesiæ Cantuariensis, super Eboracensem. Cujus Concilii acta magnâ ex parte recitata habes à VVilhelmo Malmesburiensi, de gestis Pontificum Anglorum. Ex quibus aliqua hic reddenda esse putamus: ut illud, quo potissimum terminata est controversia. Cum enim negaret Eboracensis, privilegium a S. Gregorio concessum Ecclesiæ Cantuariensi, extendendum esse ad successores ejus Sedis. primi Archiepiscopi Augustini; eo quod de successoribus ejus nulla ab eodem S. Gregorio mentio facta esse reperiatur. Lanfrancus inanem tergiversationem adversarii, exemplo simili mutuato, sic elusit, & confutavit.*

Baronius hoc n. 6.

Negat Eboracensis privilegium concessum a B. Grego. Cantuariæ.

Porrò quod dicis, potuisse B. Gregorium; si voluisset; successoribus Augustini confirmare dicto, quod concesserat Augustino: verum omnino est, nec potest ambigi: sed quod quæso præjudicium hoc Cantuariensi Sedi affert? A simili causam proponam. Nam quando Dominus, & Salvator noster, IESVS CHRISTVS. dixit B. Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum; potuisset adjicere, si voluisset, eandem potestatem successoribus tuis concedo. Verum dicti prætermissio nihil reverentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? reserésne adversa. Enimvero omnium Christianorum conscientiis est inditum: ut nihilo minus quam B. Petro successoribus ejus, & minantibus attremant, & serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Estque, tunc demum omnium Ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum Beati Petri fuerit comprobata judicio. Quid illud agit, nisi vis divinæ liberalitatis, per Dominum IESVM, à Beato Petro in vicarios ejus diffusa. Et inferiùs, de generalitate Romanæ Ecclesiæ locutus pluribus, subjicit ista. *Ipsa est mater omnium Ecclesiarum: & quod in eâ valet; debet & valere in minoribus: ut potestas primi cujuscumque Ecclesiæ Principis, in succedentes dimanet. Nisi si quid personaliter, & nominatim excipiatur. Quare sicut Christus dixit omnibus Præsulibus Romanis, quod dixit B. Petro: ita dixit Gregorius omnibus successoribus Augustini, quod dixit in Augustino. Hinc conficitur, ut sicut Cantia subjicitur Romæ, quod ex ea fidem accepit: ita Eboracum subjiciatur Cantiæ, quæ eò prædicatores misit, &c.* Hæc è Malmesburiensi Baronius, qui ornandæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ intentus; omisit plura, quæ Author narrat, Anglicanis Annalibus inserenda. Illa ego non omittam, cum Synodi gesta, è Lanfranci ad Alexandrum literis, collegero. Literarum hæc est series.

II. Confutat illum Anselmus.

Domino totius Christianæ Religionis summo speculatori ALEXANDRO Papæ LANFRANCUS, sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Antistes, debitam cum omni servitute obedientiam.

III.

„ MEMINISSE debet humiliter excellens, excellenterque humilis Beatitudo vestra; Quia, quo tempore, apud vos fuimus;

EXPONIT LITEM EBORACENSIS.

Eboracensis Ecclesiæ Antistes, adversum me palam murmuravit, clam detraxit, in præsentiâ Celsitudinis vestræ, calumniam suscitavit, dicens; me injustè velle agere, eò quòd super se, suamque Ecclesiam, jure vestræ Ecclesiæ, primatum niterer obtinere. De quorundam quoque subjectione Episcoporum, quos Ecclesiæ suæ conatus est aggregare, antiquam suâ querelâ non est veritus consuetudinem temerare. Quibus de rebus, vos; sicut sanctum prudentemque Pastorem decuit, & oportuit; per scriptum sententiam promulgastis: quatenus conventus Anglicæ terræ Episcoporum, Abbatum, cæterarumque religiosi ordinis personarum, utriusque partis rationes audiret, discuteret, definiret. Factumque est ita. Convenerunt enim ad Regalem Curiam apud Wentanam civitatem, in Paschali solennitate, Episcopi, Abbates, cæterique ex sacro, ac laicali ordine; quos Fide, actione, morumque probitate, par fuerat convenisse; in primis adunati sunt à nobis ex vestrâ authoritate, per sanctam obedientiam. Deinde Regia potestas per semetipsum contestata est eos, per Fidem & Sacramentum, quibus sibi colligati erant: quatenus hanc causam intentissimè audirent; auditam, ad certum rectumque finem, sine partium favore perducerent. Utrumque omnes concorditer susceperunt, seseque ita facturos sub præfata obligatione spoponderunt.

IV. CANTUARIENSIS ECCLESIÆ PRÆROGATIVA EXCUTITUR.

Allata est igitur Ecclesiastica gentis Anglorum historia, quam Eboracensis Ecclesiæ Presbyter, & Anglorum Doctor Beda composuit. Lectæ sententiæ; quibus pace omnium demonstratum est; à tempore B. Augustini, primi Dorobernensis Archiepiscopi, usque ad ipsius Bedæ ultimam ætatem; quæ ferè centum & quadraginta annorum spatio terminatur; Antecessores meos, super Eboracensem Ecclesiam, totamque Insulam, quam Britanniam vocant; necnon & Hiberniam, primatum gessisse, curam pastoralem omnibus impendisse: in ipsa Eboracensi urbe persæpè, locisque finitimis, ubi eis visum fuit, Episcopales ordinationes, atque Concilia celebrasse. Eboracenses Antistites, ad ipsa Concilia vocasse: & cum res poposcisset, de suis eos actibus rationem reddere compulisse. Episcopos quoque, quorum subjectionem, in quæstionem Thomas adduxerat; infra illud centum quadraginta annorum spatium, per Dorobernenses Archiepiscopos fuisse sacratos, ad Concilia vocatos: quosque culpis exigentibus, ab eis, cum Romanæ Sedis authoritate, depositos. Multaque in hunc modum, quæ Epistolaris modestia, per singula explicare non potest. diversa ad legendum porrecta Concilia, quæ diversis temporibus, diversis de causis, à meis sunt antecessoribus celebrata. Quæ tametsi eandem suæ institutionis non habuere materiam: eandem tamen de Primatu, & subjectione Episcoporum tenuere sententiam. Recitatæ eorundem, de quibus quæstio versabatur, Episcoporum ante prædecessores meos, factæ electiones, & per eos ordinationes; qui Dorobernensi Ecclesiæ, de suâ obedientiâ, scriptas reliquerunt professiones. Urbs namque, quæ nunc Cantuaria vocatur, antiquis temporibus, ab ipsius terræ incolis, Dorobernia vocabatur.

V. ALIA ARGUMENTA PRO PRIMATU CANTUARIEN. ECCLESIÆ.

Nec defuerunt gesta, quibus reseratum est: cum Anglia, per plures esset Regulos divisa; Northanhumbrorum Regem, ubi sita est civitas Eboraca, accepto pretio, cuidam simoniaco, Episcopium vendidisse. Pro quâ culpâ, à Dorobernensi Archiepiscopo, ad Concilium vocatum esse: nolentemque venire, pro suâ inobedientiâ, excommunicationis sententiam pertulisse. Cujus communionis atque consortii, omnis illarum partium Ecclesia, tamdiu abstinuit: quoadusque Concilio seipsum exhibuit, & quod malè gestum est, correxit. Ultimum quasi robur, totiusque causæ firmamentum. Prolata sunt antecessorum vestrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii: Item Gregorii, Leonis, Joannis, privilegia, atque scripta; quæ Dorobernensis Ecclesiæ Præsulibus Anglorumque Regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de causis sunt data, atque transmissa. Reliqua enim reliquorum, tam authentica, quàm eorum exemplaria, in eâ combustione, atque abolitione, quam Ecclesia nostra, ante quadriennium perpessa est, penitùs sunt assumpta. His atque aliis, quæ particulariter, breviterque explicari non possunt; ex parte Ecclesiæ nostræ, in causâ peroratis; contra tantam tantarum authoritatum evidentiam, paucissimas contradictiones opposuit; Epistolam illam præcipuè ferens in medium: qua Beatus Gregorius, Londoniensem, atque Eboracensem Ecclesiam, pares esse; nec alteram alteri subjacere, instituit. Quam Scripturam, cum in rem nihil facere, concordi sententiâ cuncti protinùs definissent: pro eo quòd, nec ego Londoniensis Episcopus essem, nec de Londoniensi Ecclesiâ esset quæstio instituta; vertit se ad alia egena, atque infirma argumenta; quæ post paucam moram, Christo revelante, paucis sunt objectionibus abolita. Quem cum Rex dulci paternaque reprehensione argueret; quod contra tantam argumentorum copiam, tam inops rationum venire præsumpsisset. Respondit se antea ignorasse Dorobernensem Ecclesiam, tot tantisque authoritatibus, tamque perspicuis rationibus esse munitam. Versus itaque ad preces est. Rogavit enim Regem, ut me rogaret; quatenus omnem mentis rancorem, adversus eum, pro hac causâ susceptum, omitterem; pacem diligerem, concordiam facerem: aliqua, quæ mei essent juris, studio charitatis, ei concederem. Cui petitioni ego libenter, & cum gratiarum actione consensum præbui: quia miserante Deo: non ego, sed ille, priscæ consuetudinis violator, causa erat istius scandali.

VI.

Facta est igitur, communi omnium astipulatione, de hac re quædam scriptura: cujus exemplaria, per principales Anglorum Ecclesias distributa, futuris semper temporibus testimonium ferant; ad quem finem causa ista fuerit perducta. Cujus exemplar, vobis quoque, quibus sanctam totius mundi Ecclesiam constat esse commissam, transmittendum curavi. ut ex hoc, atque aliis, quæ transmissa sunt, perspicuè cognoscatis; ex more antecessorum, quid mihi, Christique Ecclesiæ,

quam

„ quam regendam suscepi, concedere debeatis. Quod peto honestè, & sine dilatione, per indultum Sedis Apostolicæ privilegium, fieri; quatenus ex hoc quoque, quantum me diligatis, evidenter possit ostendi. De me autem reverà æstimate; quod de fideli, & servo Beati Petri, ac vestro, sanctæque Ecclesiæ Romanæ. Nunquam enim res quælibet, de arrâ mei pectoris ejicere, quavis occasione poterit, inauditam illam humanitatem, quam mihi extremo hominum, tantis indigno honoribus. Romæ exhibuistis. Quodque duo pallia, unum de altari ex more; alterum, quo sanctitas vestra Missas celebrare consueverat, ad ostendendam circa me benevolentiam vestram, mihi impendistis. Illud quoque quod omnibus, quorum mediator extiti, quicquid justè & salubriter petierunt, me interveniente protinus concessistis. Ut taceam alia plura, quæ in hac parte, ab his minimè discrepant. quæque mihi memoriam vestri nominis, si quid boni facio, dulciter repræsentant. Epistolam, quam Berengario schismatico, dum adhuc Cadomensi Cœnobio præessem, transmisi, Paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curavi. Omnipotens Dominus vitam vestram, ad honorem sanctæ Ecclesiæ, vestris dispositionibus, divinitùs commissæ, in tempore prolixam faciat: quatenus post tempus, quæ sine tempore sunt, prolixa æternitatis spatia concedat.

VII. Diplomata varia pro Cantuarien. Ecclesiæ Primatu.

His subjicit Lanfrancus, in dictorum firmitatem, ex Romanorum Pontificum diplomata, literasque, quarum supra meminerat. Malmesburiensis in Lanfranco integras recitat: Ego illas hoc loco reponerem, quia lectu sunt dignissimæ. Sed quia, suis supra locis, & eo anno quo scriptæ sunt, commodiùs retuli, eò debeo curiosum Lectorem remittere. Imprimis Bonifacii Papæ literas ad Ethelbertum Cantii Regem datas, posui ad annum sexcentesimum decimum: quando Mellitus, Londinensis tunc Episcopus, ad Bonifacium Romam mittitur, & ab eodem remittitur in Britanniam. Fuit is Bonifacius eo nomine quartus, illius decreti author, quod incipit: *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti*, &c. Refertur dist. 16. q. 1. Pergit Lanfrancus, & Quinti etiam Bonifacii literas, Dorobernensi Episcopo Justo scriptas recitat, ubi Ecclesia illa *Metropolitana, & primitiva Sedes appellatur, cui omnes provinciæ regni Anglorum subjiciantur.* Integras posui, ad annum sexcentesimum vigesimum quartum. Sequuntur Honorii, Romani Pontificis, scripta, ad Honorium nostrum Dorobernensem: ubi inter cætera: *Interea tua Sedis authoritatem, nostræ authoritatis privilegio firmari postulasti. Nos vero absque ulla dilatione, gratuito animo annuentes, quod rectum est, ut quod semel statutum, atque dispositum, à prædecessoribus nostris, cognovimus: hoc ipsum, & nos confirmemus: eorumq; vestigia sequentes; juxtà ritum priscæ consuetudinis, quæ à tempore sanctæ recordationis Augustini, prædecessoris vestri, nunc usque Ecclesia tua detinuit. Ex authoritate Beati Petri, Apostolorum Principis, Primatum omnium Ecclesiarum Britanniæ, tibi Honorio; tuisq; successoribus in perpetuum obtinere concedimus. Tuæ ergo jurisdictioni subjici præcipimus, omnes Angliæ Ecclesias, & regiones. Et in civitate Doroberniâ, Metropolitanus locus, & honor Archiepiscopatus, & caput omnium Ecclesiarum Angliæ, semper, in posterum servetur: & à nullâ personâ, per aliquam malam suasionem, in alium locum mutetur*, &c. quæ retuli anno sexcentesimo trigesimo quarto.

V. an. 610. n. 27.

Vide ibi n. 35.

V. an. 624. 3.

V. an. 634. n. 13.

VIII.

In eundem sensum Vitaliani Pontificis literæ recitantur, quas ad Theodorum Dorobernensem scripsit. Vide illas anno, quo datæ sunt; sexcentesimo sexagesimo nono. Sequuntur in Lanfranci literis, binæ Sergii Papæ in favorem Dorovernensis Ecclesiæ. unæ, ad Reges Ethelredum, Alfridum, Adulfum: ubi Brithwaldus, *Cantiæ Sedis Præsul, totiusq; Britanniæ primus Pontifex* commendatur. alteræ omnibus Britanniæ Episcopis inscriptæ; in quibus legitur: *Brithwaldus Cantuariæ provinciæ Præsul, à B. Petro Apostolorum Principe, primatum omnium Ecclesiarum sortitus*: & infra. *Quocirca hortamur; fratres, vestrum à Deo dicatum consortium; salubriq; consilio monemus: ut propter amorem; atque futuræ vicissitudinis spem, eidem fratri, vestræ regionis Archiepiscopo, ac si nobis, debitum ministerii honorem exsolvere, & ut Præsuli Primatum gerenti efficaciter sciatis obedire. non ignari, quod vas electionis insinuet: Obedite Præpositis vestris.* Vide annum sexagesimum nonagesimum tertium. Gregorii etiam tertii Romani Pontificis literæ exscribuntur, quas ad Angliæ Episcopos dedit; cum Tatwinus ad Dorovernensem Sedem assumitur. Ibi hæc leguntur Primatus argumenta: *Sicut ergo prædecessoris nostri Gregorii Romani Pontificis decretum, Augustino fratello suo, prædicatori vestro, omnes Episcopos Angliæ subjecit: sic nos, Deo authore, & B. Petro, Apostolorum Principe, licet indigni ejus nomine vicem gerentes. Tibi Tatwine, Dorobernia civitatis Archiepiscopo, tuisq; successoribus legitimis, omnes Ecclesias Britanniæ, earumq; Rectores, subjicimus: Authoritate Apostolicâ præcipientes: ut omnis homo totius Angliæ; tuis Canonicis jussionibus obediat, & te sciat esse Primatem, atque speculatorem totius Insulæ: cui vices nostras, per omnia, gerendas; in regione illâ commisimus.* Hæc, aliaque, suæ causæ firmamenta, Lanfrancus transcripsit, misitque unà cum literis ad Alexandrum.

V. an. 669. 13.

V. an. 693. n. 4.

V. an. 693. n. 6.

Scripsit quoque, eodem tempore, ad Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum, quem, sequenti anno, Gregorium septimum appellabo: & illi Dorovernensem Ecclesiam, ejusque privilegia concessa, & concedenda, sic commendat.

Domino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiacono Hildebrando Lanfrancus suus, sanctis principiis sanctum conjungere finem.

Lanfranci ad Hildebrandum Literæ.

„ Explicare literis mens mea non potest, quantâ dilectione vestræ sinceritati connectitur; quantaque dulcedine gratiarum vestrarum, quas mihi tam præsenti, quàm absenti, benignitas vestra semper exhibuit, indesinenter reminiscitur. Propterea si, donante Deo, in quibuslibet rerum generibus; aliquid boni facio; salutem vestram, tam temporalem, quàm tempora carentem, tradere oblivioni non valeo. Et hoc oro omnipotentem Deum: quatenus vitam vestram, ad honorem & firmamentum sanctæ Ecclesiæ suæ, prolixam, in hoc sæculo, faciat, incontaminatam ab omni peccati contagione custodiat: & in futuro, centuplicatis operibus vestris, vitam vobis permanentem, copiosus remunerator retribuat. Porrò

De determinata lite cum Eboracensi.

„ calumnia, quam Eboracensis Ecclesiæ Antistes, „ adversum me movit, de Primatu. & subjectio- „ ne quorundam Episcoporum; secundùm præ- „ ceptum Apostolicæ Sedis, audita, & determi- „ nata est. Cujus negotii gestionem, breviter „ ex ordine scriptam, Domino nostro Papæ „ transmisi, quam volo. & rogo, à vobis, com- „ petenti diligentiâ legi: quatenus charitas vestra „ certissimum teneat; quid mihi, Ecclesiæque „ meæ, Sedes Apostolica confirmando concede- „ re, & concedendo confirmare per privilegium „ debeat. Hactenus ille.

X. Hic n. 6. Missa quoque in Urbem est, *scriptura illa*, quam suprà Lanfrancus memorat, & cujus exemplaria, ad æternam rei memoriam, sparsa per provincias affirmat. Intelligit indubiè decretum à Wintoniensi hac Synodo factum, quod in Malmesburiensi, & Baronio, legitur in hunc modum. *Malmesb. de Reg. fo. 117.*

XI. DECRETUM SYNODALE, DE PRIMATU DOROBERNEN. *Anno ab Incarnatione Domini nostri IESU CHRISTI, millesimo septuagesimo secundo; regni vero VVillelmi, gloriosi Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, sexto: Pontificatus autem Domini Alexandri Papæ undecimo* (corrigit marginali nota Baronius, & reponit duodecimo: sed fortè eo sensu dicitur Alexandri annus undecimus, quo Willielmi sextus; quem nos incompletè numerando septimum vocamus) *In præsentia Regis, Episcoporum, & Abbatum, ventilata est causa, de Primatu, quem Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus, super Eboracensem Ecclesiam, jure suæ Ecclesiæ proclamabat: & de ordinationibus quorundam Episcoporum, de quibus, ad quem specialiter pertinerent, certum minimè constabat. Et tandem aliquando diversis diversarum causarum authoritatibus probatum, atque ostensum est; quod Eboracensis Ecclesia, Dorobernensi Ecclesiæ debeat subjacere: ejusq́; Archiepiscopi, ut Primatis totius Britanniæ depositionibus, in iis, quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire.*

XII. QUÆ SPECTABANT AD EBORACENSEM ECCLESIAM. *Subjectionem vero Dunelmensis, hoc est, Lindisfarnensis Episcopi, & omnium Regionum, à terminis Licefeldensis Episcopi, & Humbræ magni fluvii, usque ad extremos fines Scotiæ. & quicquid ex hac parte prædicti fluminis, ad parochiam Eboracensis Ecclesiæ, jure competit: Cantuariensis Metropolitanus, Eboracensi Archiepiscopo, ejusq́; successoribus, in perpetuum obtinere concessit. Ita ut si Cantuariensis, Concilium cogere voluerit, ubicumque ei visum fuerit; Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam, cum omnibus sibi subjectis Episcopis, ad nutum ejus exhibeat: ut ejus Canonicis dispositionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis Archiepiscopus professionem Archiepiscopo Cantuariensi, facere etiam cum juramento debeat; Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus, ex antiquâ antecessorum consuetudine ostendit. sed ob* SACRAMENTUM EBORACENSI RELAXAVIT SCRIPTUM TANTUM PROFESSIONEM EXCEPIT. *amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi Sacramentum relaxavit, scriptamq́; tantum professionem recepit; non præjudicans successoribus suis, qui Sacramentum, cum professione à successoribus Thomæ exigere voluerint. Si Archiepiscopus Cantuariensis vitam finierit, Eboracensis Archiepiscopus Doroberniam veniet; & eum qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ Ecclesiæ Episcopis, ut Primatem proprium jure consecrabit. Quod si Archiepiscopus Eboracensis obierit; is qui ei successurus eligitur; accepto à Rege Archiepiscopatus dono; Cantuariam, vel ubi Cantuariensi Archiepiscopo visum fuerit, accedet; & ab ipso ordinationem Canonico more suscipiet.*

XIII. *Huic constitutioni consenserunt, præfatus Rex, & Archiepiscopus Cantuariensis Lanfrancus, Thomas Eboracensis, Hubertus S. R. E. Subdiaconus, & cæteri qui interfuerunt Episcopi, & Abbates. Ventilata est autem hæc causa prius, apud VVentanam civitatem, in Paschali solennitate, in capella Regiâ, quæ sita est in castello: postea in villâ Regiâ, quæ vocatur VVindleshore, ubi & accepit finem, in præsentiâ Regis, Episcoporum & Abbatum diversorum ordinum, qui congregati erant, apud Curiam Regiam, in festivitate Pentecostes.*

Signum WILLIELMI Regis.
Signum MATHILDIS Reginæ.

*Ego Hubertus S. R. E. * Lector, & Domini Alexandri Papæ Legatus, subscripsi.* ** Subdiaconus.*
Ego Lanfrancus, Dorobernensis Archiepiscopus, subscripsi.
Ego Thomas, Eboracensis Archiepiscopus, subscripsi.
Ego VVillelmus, Londinensis Episcopus, consensi.
Ego Heremannus, Sebireburnensis Episcopus, subscripsi.
Ego VVulstanus, Episcopus VVigorniensis, subscripsi.
Ego VValterus, Herefordensis Episcopus, consensi. malè
*Ego * Giso, VVellensis Episcopus, consensi.* ** Giso.*
Ego Remigius, Doracensis Episcopus, subscripsi.
*Ego * VValkelmus VVentanus Episcopus, subscripsi.* ** VValkelinus.*
Ego Herefastus, Helmeanensis Episcopus, subscripsi.
Ego Stigandus, Cicestrensis Episcopus, consensi.
Ego Sivvardus, Rofensis Episcopus, consensi.
*Ego * Osbertus, Exoniensis Episcopus, consensi.* ** Osbernus.*
Ego Odo, Baiocensis Episcopus, & Comes Cantiæ, consensi.
Ego Goffridus, Constantiensis Episcopus, & unus de Primatibus Anglorum, consensi.
Ego Scotlandus, Abbas Cœnobii S. Augustini, consensi.
Ego Thurstanus, Abbas Cœnobii, quod in Insula, quæ Heli dicitur, situm est, consensi.
Ego Elnothus, Glastoniensis Abbas, consensi.
Ego Elfvvynus, Abbas Cœnobii, quod Rameseia dicitur, consensi.
Ego VVlnotus, Abbas Cœnobii, quod Certesere dicitur, consensi.
Ego Ailfvvinus, Abbas Cœnobii de Evesham, consensi.
Ego Fridericus, Abbas Sancti Albani, consensi.
Ego Goffridus, Abbas Cœnobii S. Petri, quod non longè a Londonia situm est, consensi.
Ego Baldvvinus, Abbas Cœnobii Sancti Edmundi, consensi.
Ego Turaldus, Abbas de Burgo, consensi.
Ego Adelelmus, Abbas Abindoniæ, consensi.
Ego Rualdus, Abbas novi Monasterii VVintoniæ, consensi.

Omisit Baronius subscribentium nomina: Malmesburiensis illa collegit; quæ, quia sincera in omnibus videntur, Annalibus digna judicavi. XIV. Episcoporum omnium, hoc, & superiori tomo, facta est mentio; si Exoniensem excipias, qui Osbernus appellatur. Dicendum ergo illum, hoc anno, post mortem Leofrici, Sedem intrasse: OSBERNUS EXONIEN. EPISCOPUS. & corrigendus est Godwinus, qui dicit Leofricum mortuum, anno 1073. & Osbernum successisse anno sequenti. Illi etiam corrigendi sunt, qui Galfridum sub hæc tempora nominant, Exoniensem Episcopum: nam plane Goffridum intelligunt, qui non Exoniensis, sed Constantiensis fuit Episcopus. Qui scribitur Turaldus Abbas de Burgo; ab aliis Thoroldus dicitur. de quo hæc habet Ingulphus. *Hoc tempore, defuncto abbate Burgi, Brando, patruo Hevvardi successit Thoroldus alienigena ex collatione Regis VVillelmi. Quod* *Ingulphus fo. 902.*

Hervardus ægrè ferens, super cognatos & notos, alienigenam dominari Burgum invasit, Abbatem fugavit. & licet Dominus abbas Thoroldus, Ivonem Talbois, potentissimum tunc Normannum, & dono regio, in vicinia, super totam Hoylandiam dominantem, in suam defensionem adduxisset: tamen illum aperto bello cepit, & ingenti summa redemptione pecuniaria, absolutum, de custodia liberum dimisit redire ad propria. Ita ille; plura de Ivone referens, inferius ponenda. De Osberno etiam fusius dicam, cum moritur, an. 1103. n. 29. nunc ad Synodum redeo.

XV. Causâ definitâ, Thomas Eboracensis Archiepiscopus professionem hanc, quæ sequitur, emisit. *Decet Christianum quemque*, &c. nimirum eam professionem, quam superius cum consecratus est, retuli. & puto nunc repetitam esse. Ita enim Lanfrancus, ad Alexandrum scribens, rem gestam refert: & Baronius, non anno millesimo septuagesimo: sed hoc præsenti anno professionem exscripsit. Cujus tamen professionis clausula, arguit: non hoc anno, sed priùs factam. Clausula hæc est: *De hac enim re* (nimirum de professione faciendâ) *dum adhuc ordinandus essem, dubius fui. ideóq; tibi sine conditione, successoribusq; tuis conditionaliter obtemperandum me esse promisi.* Cæterùm opinor, nunc *causâ* (pro successoribus etiam) *definitâ*, nullam professioni conditionem adjectam: Thomas enim Concilii sensum excepit, sensumque, & sedem suam non gravatè submisit. Unde Malmesburiensis, cum Lanfranci argumenta collegisset; *Succubuit* (inquit) *tamen rationibus Thomas: & placitum ad moderationem transferens; libenter conditioni concessit animum: ut ulterior ripa Humbræ fluminis esset principium suæ Diœcesis, citerior esset limes parochiæ Cantuariensis.* Succubuerat priùs, Lanfranco absolutè professionem faciendo: nunc succubuit, successoribus, idem, eodem modo, præstando. non enim Lanfrancus, aut in Urbe, aut modo Wintoniæ, pro se; sed pro successoribus, peroravit. ut disertè Malmesburiensis, cum ait: *Lanfrancus, quamvis alligatum illum, suo tempore, factâ ab eo professione, teneret: maluit tamen pro successoribus laborare; quàm eis in posterum, indiscussam hanc tantam calumniam, discutiendam reservare.*

V. an. 1070. n. 15.

PROFESSIO THOMÆ EBORACENSIS.

Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 213.

Malmesb. supra fo. 206.

XVI. Quid porrò in hac Synodo gestum, Authores nostri non produnt. Quod Baronius, de Wulstano sancto, Wigorniensi Episcopo, refert, in priori conventu actum supra dixi. Restat ergo, ut Lanfranci industriam, in tuendâ Rep. suâ, quæ nunc maximè enituit, exponamus. Cæterùm licet nemo, quod sciam, ad hunc annum consignet labores ejus, in Monachorum & Monasteriorum causâ susceptos: cogor tamen opinari, factum, infectumque esse, in hac Episcoporum Synodo: quod de Monachorum depressione & exterminio, constat à quibusdam Episcopis tentatum: à Lanfranco Archiepiscopo enervatum esse. Ego sanè non libenter ingredior ubi sacri Præsules, in sacros ordines; hoc est; *filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Sed quia scriptum hoc ibi: & idem hic factitatum, Annalium ratio, & futuri cautio, postulant, ne silentio morbus, morbique medicina, tegantur. Erupit igitur hoc sæculo malum, quo sòlum pientissimi Principes, & sanctissimi Reges, quique pro suo tempore curaverunt: sed semper inimicus homo vigilat, ut in agro Dominico superseminet zizania: semper circuit, quærens quem devoret: & nunquam magis, quàm cùm sanctioris Reip. membra, inter se committit. Nascente Anglo-Saxonum Ecclesiâ; Episcopi è Monachorum ordine ferè legebantur. Crescente fidelium numero, & auctâ Ecclesiarum dote; Sacerdotes è Clero, majora Sacerdotia ambiverunt. nec obstiterunt Monachi, licet manum in messem primi injecerint: sed paucis sedibus, quas M. Gregorius, aliique Pontifices, Monachorum ordini permiserant, contenti; nihil de cæteris, ut dulciùs Christo fruerentur, quæsiverunt. Verùm hoc Normannorum sæculo; cum Guilielmus Rex, Anglorum bonis inhians, etiam Christi patrimonium ad externos transferret; plures Episcoporum sedes in Clerum diviserat: & illi, jam numero aucti, & Regis potentiâ, Anglis non favente, Monachis litem movere; illos ad majora Sacerdotia ineptiores esse: primas & amplissimas Sedes illis invidere, & demum exuere inceperunt: & omninò exuissent, nisi Lanfrancus se murum opposuisset, pro domo Dei. Intercessit ergo, exhorruit facinus, & Pontificiam Regiamque manum appellavit; ut enato ulceri pharmacum apponeret; doceretque posteros (quod nos tristi experientiâ nunc didicimus) Monachorum depressionem, & exterminium; schismati januam, & hæreseων, omnium errorum seminarium esse: sive Regularium decrementum, irregularium hominum incrementum esse. Quid egerit Lanfrancus, ut malo occurreret; malo Edmeri, quàm meis verbis dicere. Sic ergo ille.

V. an. 1070. 16.

Eisdem fermè diebus, omnes circiter qui ex Clericali ordine, per Regem Willielmum, in Angliâ constituti Pontifices erant; Monachos, qui in nonnullis Episcopatibus Angliæ, ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt: & Regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt. In quo tamen se effectu potituros certi extiterant; ut Walckelinus Episcopus, adunatos penè quadraginta Clericos, Canonicorum more, tonsurâ ac veste redimitos haberet; quos, ejectis Monachis, Wentanæ Ecclesiæ, cui præsidebat, mox intromitteret. Sola mora hac peragendi, nondum requisita ab Archiepiscopo Lanfranco licentia fuit. Ut autem eam, dicto quoque citiùs impetraret; nulla mentis ejus dubitatio inerat. Sed aliter, ac sibi mens sua spoponderat, exitus rei provenit. Nam ubi, quod Episcopus moliretur, insonuit auribus ejus; illicò facinus exhorruit: nec se, dum viveret, ut effectum quoquomodo talis voluntatis obtineret, consensurum asseruit. Ita ergo, & Clerici, qui succedere Monachis fuerant, per Walckelinum collecti; & in sua dimissi sunt: & Monachi, qui cedere Clericorum præjudicio quodam damnati erant; gratiâ Dei, & instantiâ boni Lanfranci, pristinæ conversationis in suâ Ecclesiâ, compotes effecti sunt.

XVII. *Edmerus Novo. l. 1. fo. 10.*

CLERUS IN MONACHOS SURGIT.

Nec ista, pro sedandis quorundam animositatibus; quas ad dejectionem Monachorum conceperant; sufficere poterant. Namque pari voto, simili conamine, uno consensu, concordi animo, Pontifices, quos Religionis ordo non sibi astrinxerat, enisi ceperunt; quatenus saltem, de Primatu Cantuariensi Monachos eradicarent: intendentes, se hoc facto, facillimè alios alìunde exclusuros. De illis etenim potioribus, sicut eis videbatur; rationibus, ad id agendum fulciebantur: partim ob sublimitatem Primatus Sedis; quæ dispositioni, & correctioni Ecclesiarum, per suas personas, quaque per Angliam invigilare habet; partim ob alias multiplices causas; quarum executio, juxta quod ipsi

XVIII. PONTIFICES ALIQUI NITUNTUR EXCLUDERE MONACHOS CANTUARIÆ.

confingebant; magis Clericorum, quam Monachorum officium spectat. Deductus est in sententiam istam Rex, & alii Principes regni: Lanfranco, ut sui moris erat, totis viribus obnitente, & omnium molimini, & invidiæ, viriliter resistente. Ne tamen post obitum suum fieret; quod se superstite sciebat, per auxilium Dei nequaquam perficiendum: nesciens mortis suæ diem, vel horam: egit sagacitate, & industriâ quâ pollebat. ut authoritate Romanæ & Apostolicæ Sedis, Monachorum habitatio, in eadem Ecclesiâ, confirmaretur; & inconvulsa, dum sæculum duraret, in perpetuum stabiliretur. Quod privilegio tali summus Apostolicæ Sedis Antistes Alexander ita scripto suo roboravit.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo Fratri in Christo LANFRANCO, Venerabili Cantuariorum Archiepiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

XIX. ALEXANDRI RESCRIPTUM PRO MONACHIS. „ACCEPIMUS à quibusdam venientibus de vestris partibus, ad limina Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli: quod quidam Clerici, associato sibi terrenæ potestatis, Laicorum videlicet auxilio, diabolico spiritu repleti, moliuntur de Ecclesiâ Sancti Salvatoris in Doroberniâ, quæ est Metropolis totius Britanniæ Monachos expellere, & Clericos inibi statuere. Cui nefario operi molitionis suæ, hoc adjicere conantur, ut in omni Sede Episcopali, ordo Monachorum extirpetur: quasi in eis non vigeat authoritas religionis. Qua de re, zelo Dei compulsi, scrutinium de privilegiis Ecclesiarum fieri præcepimus, & venit ad manus statutum prædecessoris nostri, beatæ memoriæ, Gregorii majoris, de Ecclesiis Angliæ; quomodo scilicet præcepit Augustino, gentis vestræ Apostolo; ut ejusdem ordinis viros, cujus & ipse noscitur esse, poneret in præfatâ Sede Metropolitanâ. Cujus præceptionis, inter alia, hæc subnexa sunt.

V. an. 601. n. 20. Quia tua, inquit, fraternitas, Monasterii regulis erudita, in Ecclesiâ Anglorum; quæ nuper auctore Deo, ad fidem perducta est; hanc debet conversationem instituere; quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris: in quibus nullus eorum, ex iis quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat. sed erant illis omnia communia. Quam communionis regulam, ordini Monachorum per maximè congruere, nemo qui dubitat. Hinc habetur Epistola Bonifacii, qui quartus à Beato Gregorio, Ecclesiæ Romanæ, cui (authore Deo) præsidemus, præfuit: quam Athelberto Regi Anglorum, & Laurentio Archiepiscopo prædecessori vestro misit. In quâ quibusdam præmissis hujusmodi censurâ anathematis usus est.

XX. V. an. 610. n. 16. „Gloriosè, inquit, fili: quod ab Apostolica Sede, per Coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus: Id est, ut vestra benignitas in Monasterio in Doroberpensi civitate constituto, quod sanctus Doctor * noster Augustinus, beatæ memoriæ, Gregorii discipulus, Sancti Salvatoris nomini consecravit (cui ad præsens præesse dinoscitur dilectissimus frater noster Laurentius) licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem statuat, Apostolicâ authoritate decernentes, ut ipsi vestræ salutis prædicatores Monachi. Monachorum gregem sibi associent: & eorum vitam sanctitatum moribus exornent. Quæ nostra decreta si quis successorum nostrorum, Regum, sive Episcoporum, Clericorum sive Laicorum irrita facere tentaverit: à Principe Apostolorum Petro, & à cunctis successoribus suis, anathematis vinculo subjaceat: quoadusque quod temerario ausu peregit; Deo, placitâ satisfactione pæniteat: & hujus inquietudinis vestræ emendationem promittat. Unde, quia ratione dictante, quieti Ecclesiarum utile esse perspeximus; præsens Decretum supranominatorum Patrum, confirmamus, & vice Apostolorum, sub eodem anathemate, eos constringimus, quicumque huic obviare contenderint.

* forte vester.

XXI V. an. [illegible] n. 15. HARMONIA ECCLESIASTICA QUOMODO STA[illegible] QUE? Recensui has Alexandri literas tomo secundo, ad annum Christi sexcentesimum decimum, quando Mellitus Romæ Monachorum causam egit, coram quarto Bonifacio. Et hic cupio Lectorem duo advertere. 1. Suavissimum summorum Pontificum, & sanctorum Episcoporum, in tuendâ Monachorum Republicâ, concentum atque constantiam. Quod enim Augustinus, Laurentius, Mellitus; quod Odo, Dunstanus, Ethelwoldus, & innumeri, quos sanctitatis nomen illustrat; pro Monachorum quiete, olim postularunt: Hoc olim M. Gregorius, Bonifacius, & consecuti Pontifices, scriptis literis, Decretisque æternis, concesserunt. & nunc, eodem sancto Spiritu Ecclesiam, Ecclesiæque præcipua membra vegetante: quod è priorum sanctorum mente postulat Lanfrancus; concedit Alexander, conaturque quantum potest, æterni juris esse. Iterum adverto; humani generis hostem, cum Ecclesiasticam œconomiam cupit evertere (quod semper, & indesinenti studio laborat, ex quo cælesti hierarchiâ excidit) ab iis exordium sumere, quorum opera Fides plantata, irrigata, propagata est. ut eo modo ædificii machinam, molemque solvat; quo ceptum perfectumque est. A Saxonum ingressu, Fides in Angliâ. Ecclesiarum, & Templorum fundamenta, latifundia, dotes; addo Episcopatuum erectiones, & honores amplissimi; regularium industriâ, Deo illam promovente, inceperunt, atque creverunt. Nec meliùs, constantiusque integra consistent; quàm si regularium instituto, suus locus, suus ordo, servetur. Hunc si solveris, si impugnaveris, si dejeceris, Fidem, & Ecclesiarum fundamenta turbasti: Templorum bona & dotes profanasti; nec Episcoporum infulas reveritus, illos & illas temerasti: & porrò si perrexeris: ipsum Episcopi sanctissimum nomen, officiumque obliterasti. His verbis fidem adhibebit, quisquis Christianæ religionis incrementa & decrementa considerans, à primo fidei ortu, in sæculum decimum septimum; hoc est, in occasum fidei, descenderit. ubi post ejectum, & pessundatum regulare institutum, non solùm Fides est passa deliquium: sed omnis etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ compago soluta. Quæ quia olim à Christo instituta, ejus sanguine ferruminata, per Spiritum sanctum compacta: non nisi per contrarium, & adversarium spiritum dissolvitur: ideo Alexander Papa, *diabolico spiritu repletos* vocat: qui aut Monachis bellum, aut Monachorum

ordini

ordini molestiam creant. Ut Lanfrancus, meliori genio Monasteria, & Religiosos viros foverit; & ita Ecclesiæ rem sanctissimè procuraverit, dicetur inferiùs.

XXII. Anglorum fuga in Elien. Insulam

Potuit Lanfrancus, Cleri, & Episcoporum, sequiores impetus moderari: Guilielmi Regis rapinam & sacrilegia non potuit. Conati tamen sunt, illum, & illa sistere proceres aliqui: eoque nomine Eliensem Insulam deouo petiverunt. Illuc etiam se contulit Albanensis Monasterii Abbas, Frethericus, & adversariæ factionis, Regique resistentis, antesignanus fuit. Ansam etiam præbuit ejus fuga, diuturnæ lites, Elienses inter, & Albanenses Monachos: illis asserentibus, his negantibus, Albani Martyris corpus, fugæ comitem fuisse, de quo dixi tomo primo, & latiùs inferiùs, cum rei gestæ veritas patuit: nimirum anno Christi millesimo treecentesimo decimo tertio. Interim de Fretherico loquatur Matthæus, ejusdem Monasterii Monachus, & fugæ causam explicet. *Cœpit (inquit) Abbas Fredericus, vehementer formidare; ne Rex, vel suus Lanfrancus, in ipsum, tanquam in præcipuum Anglorum fautorem, hostiliter desæviret. ita ut, à culmine suæ dignitatis præcipitatum, carceri, vel morti truculenter mancipa-ret. Et cum posset ipsum VVulstanus Episcopus (cui ipse Abbas sanctitate & ætate fuit simillimus) Regi, & Archiepiscopo pacificare: ipse Abbas nolens ei credere, tristis venit in Capitulum, & coram fratribus prorumpens in lacrymas, ait: Fratres, ac filii, secundùm præceptum Evangelicum, fugiendum est à facie persequentium, à civitate in civitatem. De licentiâ igitur conventus, & consilio. assumptis secum quibusdam libris, & pannis, & viatico necessariis, in Insulam clanculò fugit Eliensem.* Hæc ibi. Receperant se eò procerum plurimi, & numerum fecerant Regi formidabilem. *Fuit autem* (pergit idem Author, & quid demum in Insulâ factum, & perfectum, narrat in huoc modum) *Inter omnes Anglos, Dux & Promotor efficacissimus, Abbas Sancti Albani Frethericus; tanquam vir generosus, opibus & viribus non mediocriter formidabilis. Cœpit igitur Rex vehementer sibi timere: ne totum regnum, quod tanti sanguinis effusione, adquisierat, turpiter amitteret, etiam trucidatus. Archiepiscopi igitur prudentia feliciter eruditus, mitiùs cœpit agere cum regni primatibus: ea quæ pacis sunt, humiliter rogitando. Et serena facie vocavit eos ad pacem, sed subdolam; sicut rei series finalis clarius patefecit. Occurrerunt igitur Angli, nihil mali cogitantes, in regimine & ducatu Abbatis Frederici, apud Berkamstude. ubi post multas disceptationes; præsente Archiepiscopo Lanfranco; Rex, pro bono pacis, juravit super omnes reliquias Ecclesiæ Sancti Albani, tactisq; sacrosanctis Evangeliis (* ministrante juramentum Abbate Frederico) bonas, & approbatas antiquas regni leges; quas sancti & pii Angliæ Reges, ejus antecessores; & maximè Rex Edvvardus statuit; inviolabiliter observare. & sic pacificati ad propria læti recesserunt.*

Paris in vitis Abbat. in Abbate 13.

V an 287. n. 16.

Idem supra

Frethericus Abbas S. Albani eò fugit.

Guiliel. vocat eos ad pacem subdolam.

* ministrante.

XXIII. Frederici Abbatis importuna responsio.

Priùs tamen quàm recederent, Anglorum indolem geniumque, vel sugillans, vel certè nosse peritiùs cupiens, Guilielmus Rex; sciscitatur à conventu procerum, satis familiariter: undè, & quo fato, Angliæ regnum, ipse unius diei, & prælii fortunâ, vicisset: quod Dani tot annis, & tanto sanguine, nec plenè vincere, nec diu servare potuerunt? Cui Frethericus Abbas, verè quidem, sed intempestivè respondit. Insula olim habuit militem, numero multum, robore fortem, gladio ad pericula propulsanda lateri accinctum; quem nunc Altari, Deoque consecrarunt. Inde rubigine contracta, non ita nocenter, ut olim, adversantium pectora fodicare potest. Et verò nervus ille belli, qui militiam animare solebat, emarcuit, sanctèque in Dei obsequium consenuit. Bona, inquam, prædiaque, quæ aliquando militi serviebant, nunc Ecclesiis, & Monasteriis dicata, sanctiori militiæ deserviunt. Quare tu, Rex, piis his ædibus acceptam ferre debes coronam regni, quam tam facilè induisti. non debes illas, per quas nunc regnas, violare. Vix verba finierat Abbas, cum illum Guilielmus Rex excepit. Si bona Clericis, Monachisque cesserunt, ut illis benè beatèque esset: & Laici interim nudi, Danorum & externorum injuriis patent: meum erit hoc malum avertere, regno patrocinium, militi annonam providere: Tu autem, & Monasterium tuum, hanc scenam primi ornabitis. Dictum, factum. Guilielmus, non obstante juramenti sanctitate, Edoardi sancti leges violat: illas imprimis, quæ Ecclesiis securitatem, pacemque confirmant. Albanense Monasterium, quod pii Principes amplissimè dotaverant, deprædatur, latifundia plurima Normannis dividit; & Fretherico mortuo (quod statim accidit) in Eliensi secessu; omnia Monasterii bona invadit, ceu hæres ex asse. nec mitiùs agit cum alterâ Rep. Unde Edgarus, aliique, qui cum Rege fœdus percusserant, se Sacramento solutos arbitrati, sacrilego Principi parere noluerunt. & Scotiam iterum, miserorum perfugium, petiverunt, Malcolmo sedem, sed non diuturnam, præbente, Guilielmus enim profugos insequutus, in Scotos omnem iram effundere, regnumque illud, nè porrò Anglis molestum esset, debellare contendit. & sanè feliciter, nam expeditionem illam ita Rogerus, & alii explicant.

Edgarus iterum Scotiam petit.

XXIV. Hoveden. hic.

Scotia Guilielmo subditur.

Anno millesimo septuagesimo secundo, post Assumptionem Sanctæ Mariæ; Rex Guilielmus, habens in Comitatu suo Edricum cognomento Silvaticum, cum navali, & equestri exercitu, Scotiam profectus est: ut eam suæ subjugaret ditioni. Graviter namque Rex Scotorum Malcolmus eum offenderat; qui anno præterito, regni sui terminos tam atrociter depopulatus fuerat. Sed ubi Rex Anglorum Scotiam intraverat; Rex Scotorum occurrit ei in loco, qui dicitur Abernithi, & homo suus devenit. Rediens autem inde VVillelmus, Gospatricum Comitatus honore privavit: imponens illi, quòd consilio, & auxilio affuisset eis, qui Comitem in Dunelmo, peremerant. & quia in parte hostium fuisset, cum Normanni apud Eboracum necarentur. Quo dejecto, VValteosus in Comitatum sustollitur, ei ex patris & matris prosapia debitum. fuerat enim Sivvardi Comitis filius, ex filiâ Ealdredi quondam Comitis, Elfredâ. Hæc ibi. de Siwardo Northumbriæ Comite, viro strenuo, & Scotis infesto, plura diximus * tomo superiori. nec degener filius Walteosus; qui Guilielmi tyrannidem, parum patienter ferens, post triennium vitam & honores posuit; sanctè interim conversatus. nam de eo hæc habentur. *Fuerunt amicissimi sibique mutuo acclives VValckerus Episcopus, Dunelmensis) & VValteosus Comes. Vnde unà cum Episcopo, & in Synodo Presbyterorum residens, humiliter & obedienter prosequebatur, quicquid pro corrigendâ, in suo Comitatu, Christianitate statutum ab Episcopo fuisset.* Pulchra & optanda semper

Walteofus Comes Northumbriæ, et eius laus.

* V. an 1053. n. 2. & an. 1054. n. 1.

Hovedenus his.

conjunctio, cum dextra sinistraque manus, in Reip. procuratione conveniunt.

XXV. *Dunelmi castellum conditur.*

Victor Rex, & Scotiæ domitor, cum Dunelmum hoc anno fugato hoste venisset; castellum ibi, ad premendos provincialium impetus, loco commodo extrui, & muniri mandavit. Id ingenti, civium pietate perfectum, quod sancto corpori tuendo propugnaculum esset. Cuthbertus enim sanctus, ob incorrupti corporis miraculum, eo in loco, ab universis eò confluentibus colebatur, verè oppidi illius conditor, & patronus tutelaris. Quod cum Guilielmo Regi à plurimis narraretur, & quam mirabilis Deus, in Cuthberti sanctitate asserendâ fuisset: præsertim inviolati corporis miraculo: ille de Angliæ sanctis humilius sentire, miracula prinum hæreticorum ferè more, non curare, mox assensum suspendere: demum curiosiùs, quàm par est, scrutari Dei majestatem. Sed Deus, pro sancto stetit, fecitque. Rem gestam narrent antiqui.

De S. Cuthberti corpore, quæstio.

Hovedeñ. hic fo. 424.

Eodem tempore, scilicet, quo Rex de Scotiâ reversus fuerat, in Dunelmo castellum condidit; ubi se Episcopus, cum suis, tutè ab incursantibus habere potuisset. Et quoniam Normannorum quidam discredebant, Beatum Cuthbertum, vel esse sanctum, vel corpus ipsius ibidem haberi. in ipsâ Sanctorum omnium festivitate, celebrante Missam Episcopo: præcepit Rex duobus Capellanis, ut ingredientes sanctuarium, aperto sepulchro, visu, & manu explorarent, utrùmne sanctum corpus ibi haberetur. Iam enim disposuerat Rex: ut si ibidem non esset, universi majores natu obtruncarentur. Itaque omnibus paventibus Capellani intendebant jussa perficere. Erat autem multa frigoris asperitas. Interea Rex intolerabili capit æstu fatigari; ac nimium sudare, & horrore nimio concuti. Moxq; ad Capellanos mittens, imperavit ne præsumerent attingere sepulchrum. Confestimq; ascendens equum, donec Teisam videret (is fluvius est, & Dunelmensis provinciæ, austrum versus, terminus) urgere in cursum non destitit. Atque deinceps ipsum sanctum in multo honore habuit. legesq; Ecclesiæ ipsius, & consuetudines, quas meliores retractis temporibus habuerat, in perpetuum firmavit servandas. & insuper dedit, & concessit: & charta sua confirmavit Deo & Sancto Cuthberto, & Priori, & Monachis ibidem Deo servientibus, in puram, & perpetuam eleemosynam, regium manerium suum; videlicet villam de Hemingburch, cum omni terrâ de Brakenholm; & cum omnibus terris adjacentibus, cum Ecclesiâ villæ prædictæ, & cunctis rebus eidem pertinentibus in bosco, & plano, moris, ac prato, in silvis & paludibus, aquis, molendinis, & stagnis; cum Mere, & Mere, & Sach, & Sochene, & Tol, & Them, & Infangenthef, & omnibus rectis, divisis ejus; ita bene, & quiete, & liberè, cum rectitudinibus, & omnibus consuetudinibus suis: sicut unquam S. Cuthbertus alias terras suas melius, & quetius habuit; cum omnibus consuetudinibus regiis, & libertatibus, quas ipse Rex habuit in ipso: dum illud post victoriam Angliæ, in manu propriâ tenuit, & per easdem divisas, quibus ipse, sive ante eum Tostius, vel Sivvardus, ipsum manerium tenuerunt. Hæc omnia Rogerus.

Miraculo deciditur.

Guilielmus ornat S. Cuthbertum.

XXVI. Vides Lector Deum velle sanctos etiam à Regibus coli; imo reluctantes mirabiliter cogere: docereque omnes, majorum scita, sancitumque multo miraculo cultum, non controvertere; sed credere, & venerari. Habes etiam Guilielmi pietatem, fidemque in cultu Sanctorum, atque Monachorum. Licet enim militaris homo effrenatiùs aliquando egerit, acturusque sit: Deus tamen, in chamo, & fræno, eum sæpè constringit; ut saniore mente moderetur exorbitantem impetum. Egelricum, Dunelmensem olim Episcopum, specioso titulo; quod Ecclesiam expilasset; Londinum è Petroburgensi Monasterio evocatum, Westmonasterio Rex inclusit; ubi hoc anno 1072. moritur: quem perperam Matthæus Paris Agelwinum vocat. Quomodo Egelricus Ecclesiam expilasse dictus fuerit, habet ad annum 1049. n. undecimo.

Moritur Egelricus Dunelmensis Episcopus.

ANNUS CHRISTI 1073.

GREGORII VII. PAPÆ 1.

GUILIELMI I. REGIS 8.

I. *Moritur Alexander Papa.*

CHRISTI annus millesimus septuagesimus tertius, Alexandri Pontificis obitu, & successoris creatione illustris, de utroque dicendi materiam præbet. Ego quæ nostræ Ecclesiæ sunt propria, missis aliis, prosequar: & aio, utrumque paternam nobis manum porrexisse; ad Ecclesiarum, & fidei incrementum. De Alexandro suprà, ut Regi, ut Lanfranco, ut Episcopis faverit, memoravi. De successore inferiùs plura dicentur: frequens enim per literas, per nuntios, cum Rege, & Lanfranco egit. Hic de ejus exordio, & ad Sedem ingressu; ideo pauca dicenda sunt: quia non uno, sed pro partium affectu; diverso impetu, sursum & deorsum trahitur. Qui schismati, qui factioni, & cupiditatibus suis ancillantur. Hildebrandum (ita enim ante initam sedem dicebatur) durum & severum patrem traducentes, conviviis lacerant, & facta ejus omnia pervertunt. Verùm qui spiritu Dei aguntur: Gregorium, eâ notione septimum, ex Hildebrando ita vocatum, miris, sed veris laudibus efferunt, & sanctitatis opinione celebrem, venerantur. Baronius enucleatè adversariorum figmenta referens doctè, more suo, evertit. Mihi sufficiet ea solum in Annales digerere, quæ Insulam nostram spectant. E quibus Lector, si non absolutam viri effigiem, colligere tamen poterit, ceu ex ungue, leonem. Et verè leonem appellavi; qui alterius è tribu Juda vestigia secutus; ejecit è templo vendentes oves, & boves; & mensas nummulariorum, ipso Pontificatus exordio, evertit: dixitque, quod est verissimum: *Domum Dei decet sanctitudo*, intelligens, non illam modo, quæ lapide & cæmento surgit: sed multò magis sacratos Sacerdotio homines, quos à mulierum consortio, ad unius Christi amores trahere conatus est. Hæc duo; simoniæ, inquam, odium, & amor castitatis; perversorum hominum calamos acuerunt: Gregorium incusantes, quod avaritiæ, & libidinis fomenta subtraxerit. De quibus anno sequenti.

Gregorius Septimus, Papa. Et laus ejus.

II. Vix Petri sedem ascenderat Gregorius; cum de Anglicanâ Ecclesiâ solicitus, Lanfranco Cantuariensi literas dedit; suscepti oneris gravitatem, & officii sui rationem testantes. Illas è Lanfranci literis Baronius recitat ita præfatus. *Idem verò Gregorius, ubi creatus est Pontifex, ad amicum Lanfrancum, videlicet Cantuariensem Archiepiscopum, literas in Angliam misit: quibus quas invenerit difficultates in regimine Apostolatus, aperuit.*

Baron. hic n. 40.

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei: charissimo fratri in Christo LANFRANCO, Venerabili Cantuariorum Archiepiscopo: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

GREGORII LITERÆ AD LANFRANCUM.

,, QUALITER nobis Apostolici regiminis honor, & onus impositum sit, & quantis undique stringamur angustiis, præsentium tibi portitor indicabit: cui respectu tuæ dilectionis, etiam nonnulla, nostris adhuc familiaribus occulta, aperimus. De cætero imprimis fraternitatem tuam rogamus; ut Deum pro nobis jugiter exorare non pigeat: & subditos sibi, vel conjunctos fraternis nos suis orationibus, apud Deum juvare commoneat. Quanto enim in majori periculo positi sumus; tanto ampliùs tuis, & bonorum omnium suffragiis indigemus. Nos etenim si divinæ vindictæ judicium effugere volumus: contra multos insurgere, & eos in animam nostram provocare compellimur. Nam dum omnes ferè, sicut ait A… ˙tolus: quæ sua sunt, non quæ JESU C… i…, quærunt; regnorum Principes, & hujus mundi potentes; ut cupiditates suas expleant; legem Dei, & justitiam, non jam negligenter deserunt; sed summis conatibus impugnant. Ut illud prophetæ nunc sub oculis videamus impletum. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

III.

,, Episcopi verò; & qui Pastores animarum esse deberent; mundi gloriam & delitias carnis, insatiabili desiderio prosequentes: non solùm in semetipsis, quæ sancta, quæque sunt religiosa, confundunt: sed subditos suos, ad omne nefas, operum suorum exemplo, pertrahunt. Quibus non contraire, quàm nobis periculosum; resistere autem, & eorum nequitiam refrenare, quàm difficile sit, tua prudentia novit. Sed quoniam, quos dolores, inter has patiamur angustias; ut suprà diximus, huic communi filio nostro tibi referendum * excruimus; plura de his dicere supersedemus. Tuam verò fraternitatem, etsi monitore non egeat, impellente tamen nos solicitudine admonemus; quatenus graviora usquequaque vitia resecare studeat. Et inter omnia, & præ omnibus, nefas, quod de Scotis audivimus: quod plerique videlicet proprias uxores, non solùm deserunt: sed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat. Adhæc enim Apostolicâ te authoritate fultum esse volumus: ut non solum in Scotis hoc scelus; sed etiam in aliis, si quos in Anglorum Insula, tales esse cognoveris, dura animadversione punias, & radicem tanti mali, prudenti sarculo correctionis, penitus extirpare non differas. Hucusque ad Lanfrancum Gregorii Epistola, Apostolicæ sine dubio dictata spiritu. Nam fontes malorum aperit, unde vitiorum inundatio sequuta est: quos obturare; quoniam ad primam imprimis sedem spectare sciebat; & utriusque Reip. principes obstituros: prævidit etiam, & merito conquestus est, impositum suis humeris onus formidandum. Cæterùm quod simoniam & libidinem, utrobique, insectetur, & literarum series satis indicat, & quæ sequenti anno decrevit, clariùs eloquuntur.

* exaravimus.

SCOTI VENDEBANT UXORES.

IV.

Nævus ille, in Scotorum Republicâ, de divortio, & venditione uxorum; arguit in Septentrione nostro, durasse adhuc barbarum morem, quem latè exposui tomo secundo, cum Allæ, Northumbriæ Regis provinciales, in Romano foro prostituti, Gregorium primum erexerunt, ad totius Insulæ conversionem. Cæterùm an labes illa inter Anglos fuerit, non reperio: & puto omninò non fuisse, quod uxores spectat; quas cum Deus & Ecclesia viris conjungat nexu indissolubili: quis non videt, nexum illum solvi non posse? Aliarum tamen rerum, quæ mancipi dicuntur, dominium apud Anglos, venditione etiamnum, aut donatione, ad alios transibat: quod in servorum etiam distractione, & priùs, & posteriùs factum, cernimus. Prioris argumentum est Thoroldi donatio Croylandensi Monasterio, quam anno millesimo quinquagesimo primo retulimus: ubi plures glebæ ascripti, servorum nomine, quos inde villanos (vulgo villaynes) appellamus: in Monasterii dominium donatione transferuntur. Venditionis contractus mentio est, hoc etiam tempore, cum Lanfrancus sederet, de quo Malmesberiensis ita scribit: *Ejus consilio Rex pronum se fecerat, ut nihil negandum duceret, quod is faciendum diceret. Ipsius etiam impulsu, ambitum nebulonum fregerat. Qui consueto more mancipia sua Hiberniam venditabant. Cujus facti præconium, cui potius imputem, Lanfranco, an VVulstano VVigorniæ Antistiti, pro vero non discerno: qui Regem pro commodo venalitatis, quod sibi pensitabatur, renitentem vix ad hoc coegerint: nisi quod Lanfrancus laudaverit, VVulstanus præceperit, authoritate Episcopali, pro conscientia sanctitatis abunde exuberans.* Viguit mos ille, & mancipii contractus, ad Anselmi Cantuariensis tempora; qui anno millesimo centesimo secundo in plena Synodo hanc legem tulit. *Ne quis illud nefarium negotium; quo hactenus homines in Angliâ solebant, velut bruta animalia venundari; deinceps ullatenus facere præsumat.* Gregorius, nulla servorum mentione, de uxorum tantummodo venditione cavens pro matrimonii sanctitate pugnat: & jubet Lanfrancum, pro Scotorum salute solicitum esse, & malo illi medicam manum apponere. Unde Scotorum Ecclesias Cantuariensi subjectas; & juris in eas dictionem, penes Anglos fuisse, constans argumentum est: quod infra etiam probabitur.

V. an. 588. 1. 2. &c.

VENDITIO UXORUM NON … VINETUR FUISSE AP… ANGL.

V. an. 1051. n. 13.

Malmesb. Reg. fo. 110.

V.

Vigilavit etiam hoc anno Gregorius, in Monasteriorum tuitione; quæ non solum Guilielmus Rex, sed Episcopi aliquando deprimere, & delibare conati sunt. Dixi suprà, Abbatiam S. Edmundi in Icenorum regione, & agro Suffolciensi, ab Alexandro Papa, in singulare Romanæ Ecclesiæ patrocinium acceptam, munitamque privilegiis, & à Diœcesani Episcopi jurisdictione exemptam fuisse. Hanc Herfastus, nuper in Orientalium Anglorum Episcopum assumptus, vexare cum cepisset, & de prærogativæ firmitate disputare, Balduinus Abbas, qui Alexandrum coram veneratus, privilegia impetrarat: nunc Alexandri successorem solicitasse videtur, ut prædecessoris vestigia premendo, Monasterium defenderet; & legem ab eo latam, ratam firmamque juberet esse, contra Herfasti Præsulis inimicum impetum. Fecit Gregorius

V. an. 1071 n. 17.

HERFASTUS CÆDIT IURA MONASTERII S. EDMUNDI.

septimus;

V. an. 610. n. 19.

septimus, quod primum, magnumque Gregorium fecisse, & dixisse norat in *Constituto de Monachis*: ad Lanfrancum Cantuariensem, hoc anno scribit; monetque, concessa ab Apostolica Sede privilegia, ab Episcoporum tribunals oon pendere: sed rata, sanctaque esse debere. Harum literarum meminit Baronius, partemque exscribit: atque ita de illa: *Scripta* (inquit) *reperiuntur litera* (*Gregoris nimirum*) *ad Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum, adversus Arfastum Episcopum, Abbatiam Sancti Edmundi, sub protectione speciali Sedu Apostolica positam, sibi vindicare satagentem, quem jure compescat, admonens ait: Prudentiam quippe vestram ad plenum cognoscere nos non latet; Sanctam Romanam Ecclesiam, jure à Deo dato sibi, defendere Ecclesiarum, Sacerdotum, Episcoporum consecrationes: & à nullo sumptâ licentiâ debere, & posse celebrare, & suu prabuisse, & Deo annuente prabituram firmissimam, in hoc etiam, defensionem; qui Romam venerint, & Sedu Apostolica consilium & auxilium petierint. Quibus Arfastus, dictus Episcopus, qua novâ audaciâ resistat, nisi forte istâ: ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo; ignorans* &c. *Monet ut eum compescat; & quiescere nolentem Romam venire pracipiat.* Ita scripsit Gregorius, cum Capuâ, Cassinum hoc anno rediisset, ut ex datâ literarum apud Sanctum Germanum, constat.

Baron. hic n. 70.

GREGORIUS AD LANFRANCUM SCRIBIT.

VI. REMIGIUS LINCOLNIENSIS GREGORIUM CONSULIT.

Iterum, cum Cassino Romam versus Tarracinam venisset: binas à Remigio Dorcacestrensi (qui postea Lincolniensis dictus est) literas accepisse videtur. illas ergo integras libenter darem, quia Gregorii & Apostolicæ Sedis authoritatem; simul etiam Anglicanæ Ecclesiæ fidem luculenter explicant. Sed cogor literarum tantum capita, donec major facultas datur, summatìm è Baronio colligere. Ille, Romani Pontificis itinera legens hæc habet de rescripto Gregorii. *Cassino recedens Gregorius, Tarracinam se contulit, ubi quarto Nonas Decembris. ad Lincolniensem in Angliâ Episcopum, scripsit: qui miserat homicidam Presbyterum ad Apostolicam Sedem pro dispensatione dicendi Missam. quam omnino idem Pontifex denegavit. Indulsit tamen, si verè panitens fuerit, ut stipendium suscipiat ab Ecclesia. Cum autem idem Episcopus suis literis ab eodem summo Pontifice petiisset suorum peccatorum absolutionem, quam usitatiori voce Indulgentiam appellamus: eam his verbis impendit. Absolutionem praterea peccatorum tuorum (sicut rogasti) authoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli, fulti; quorum vice, licet indigni fungimur; tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. Vt appareat* (nunc, loquitur Baronius) *Sedis Apostolica indulgentias, illis communicari, qui quantum suppetunt vires, benè operari non pratermittunt: non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* Ita ibi. Episcopi nomen non exprimitur: constat tamen Remigium fuisse: qui nuper ab Alexandro Papa, simoniæ vitium fassus, ab eodem, baculo primùm exutus; inde Lanfranci patrocinio, restitutus: conscientiam denuo Gregorio aperit, petitque Alexandri firmari sententiam. Firmat Gregorius, & jubet simoniæ labem, lacrymis, & bonorum operum instantiâ elui. quod Remigius integerrimè præstitit, multo magnarum virtutum exercitio, Ecclesiarum & Monasteriorum constructione,

Baron. hic n. 71.

PETIIT INDULGENTIAM PECCATORUM.

morte denique pientissimè obiit. de quâ inferiùs.

VII. GUILIELMUS IN GALLIA CENOMANNOS PREMIT.

Dum hæc in faustiore Rep. geruntur, quieta omnia, majori Regis lenitate, & Lanfranci prudentiâ, fuerunt in alterâ. Unde Guilielmo vacavit novos in Galliâ motus componere. Ibi Cenomanni tumultuari cœperant, & Normannorum provinciæ imminere: nec nisi validâ regiaque manu, premi potuerunt. Hoc ergo anno, classe militeque instructus, in Normanniam trajicit, Cenomannensem agrum ingreditur, hostilem vim frangit, & illatas civibus suis injurias, severâ ultione compensat. Eminuit in hac expeditione Anglorum virtus; quorum imprimis auxilio; & spolia ex agris, & insignem ex hoste victoriam, consecutus est. Hæc obiter tantum ab Authoribus nostris narrantur. Florentius, Hovedenus, & Florilegus hunc annum consignant, Matthæus etiam Parisiensis, qui ita scribit: *Anno Domini millesimo septuagesimo tertio, Rex Wilhelmus, in Normanniam factam jam sibi rebellem, transiens, in manu potenti eam subjugavit. Sed Angli in hac expeditione urbes, vicos & vineas, cum frugibus depopulantes, omnem provinciam debiliorem simul & pauperiorem, multo post tempore reliquerunt.* Hinc crevit Guilielmi Regis in Anglos benignitas; qui meliùs sub ipso, quàm contra, militarant. & Angli simul & Britanni ejus jugum patientiùs induerunt. De quo Malmesberiensis ita. *Rex Wilhelmus in subjectos leniter, turbidè in rebelles agens, feliciter omni Angliâ potiebatur, Wallenses omnes tributarios habens. Iam vero trans mare nunquam otiosus, Cenomannico solo penè exterminium indixit, ductâ expeditione illuc de Anglis: qui sicut facilè in solo suo potuerant opprimi: ita in alieno semper apparuerunt invicti.*

Mat. Paris hic.

Malmesb. de Willelm. l. 3 fo. 103.

VIII.

Guilielmum Regem in Normanniâ detinuit facinus aliud: quod regulares aliqui irregulariter patrarant. Parisiensis noster ita breviter de illo. *Invaserunt Monachi S. Audoëni Ioannem Archiepiscopum Rhotomagensem, Missam celebrantem in festivitate ejusdem Sancti, cum armatâ manu virorum. Vnde judicatum est in Concilio, in eadem civitate congregato, prasidente Rege Anglorum Willelmo; Monachos hujus criminis reos, per Abbatias, carceribus retrudi, & perpetuam agere panitentiam, super tam gravi delicto.* Hæc tristia: jucundiora fuerunt illa, cum Clito Edgarus, qui hactenus in Scotiâ, factionis seminarium fuerat; in Normanniam hoc anno veniens, Guilielmi Regis clementiam imploravit: nam illâ submissione, & probatâ contra Ceomannos fide Anglorum, plurimùm gavisus Rex; Edgarum deinceps benignè habuit, inter aulicos & domesticos censuit, & libram argenti per dies singulos in commeatum dedit. Sic opimo spolio auctus, hoc anno in Britanniam rediit: ubi novæ nuptiæ novas turbas crearunt, quæ nunc captæ, sotæque; posteriùs in apertum prodierunt. Guilielmo in Normanniâ classicum canente, hymeneum in Angliâ cecinit Estanglorum Comes Radulphus, Rogeri Herefordensis Comitis sorore, matrimonii jure, acceptâ. Inde nata, insana in Regem conspiratio, de quâ anno sequenti.

Paris hic.

MONACHI IN EPISCOPUM SURGENTES PUNIUNTUR.

EDGARUS GUILIELMO RECONCILIATUR.

ANNUS CHRISTI 1074.
GREGORII VII. PAPÆ 2.
GUILIELMI I. REGIS 9.

I. Anglorum Regum ad Gregorium legatio.

MILLESIMUS septuagesimus quartus Christi annus, Legatione nostrorum Regum, ad Rom. Pontificem, fideique suæ professione, illustratur. Quod enim olim Britanniarum Rex, & Europæorum omnium Principum primus, Lucius Eleutherio præstitit: quod Ethelbertus, & innumeri post eum Anglo-Saxones, in Heptarchiâ: quod Ethelwolfus, Alfredus, & alii, in Monarchiâ: quod denique inter Danos, Canutus, obsequium, submissionemque Romanæ Sedi obtulerunt: Idem, hoc anno, Normannus Rex, & Mathilda Regina, majorum vestigia sequuti, præstiterunt: cum scriptis literis, missisque muneribus, Gregorium VII. in Petri Cathedrâ sedentem, venerati, se Romanæ fidei filios, subditosque professi sunt. Hoc tacent antiquiores Historici nostri, quia in Insulâ frequentissimum; & crambe toties recocta fastidium pareret: qui nuper Annales texuerunt, à majorum Fide degeneres, libenter hæc pietatis officia prorsus obliterant, & valde cupiunt Guilielmum Regem in partes suas, hoc est, in Romani Pontificis odium, trahere; cùm dicunt Gregorium, missâ ad Guilielmum legatione, Fidei ab eo professionem exegisse: eumque recusasse, quod paradoxum infrà suo loco excutiam. Interim quid externi Authores de Guilielmi facto, fideque scripserint, hîc dicendum.

II. Baronius, rerum in Urbe gestarum scientissimus scriptor, de Guilielmi Regis legatione, hæc habet: *Inter hæc perferuntur Romam literæ à Guilielmo Anglorum Rege, & ab ejus conjuge, Mathilde Reginâ, ad Gregorium Papam: quibus de ipsius, in Pontificem, electione gratulatur; qui de obitu prædecessoris Alexandri Papæ, cui plurimùm debebat, tristatus est. Accepit literas, & acceptavit officium ipse Gregorius; ad Regemque ipsum scripsit eruditionis plenas Apostolicas literas: & alias ad Reginam; quam, ut maximè piam fœminam hortatur, ut viro sit adjumento in iis, quæ spectant, ad animæ ipsius salutem, dicens: Insta viro tuo: animæ utilia suggerere ne desinas. Certum est enim, si vir infidelis per mulierem fidelem* (ut ait Apostolus) *salvatur: vir etiam fidelis, per mulierem fidelem in melius augmentatur. Datæ sunt literæ Gregorii ad eos, hoc anno, pridie nonas Aprilis, quibus etiam meminit de legatis Apostolicæ Sedis Petro & Ioanne, in Angliam missis, deque redditibus sancti Petri, Regis opera exigendis.* Hæc omnia Baronius. Si datæ utrimque literæ, præ manibus essent; vel ex ipsarum epigraphe, constare posset, Regiæ Fidei professio, quam semper Reges, & imprimis, facere consueverant: unde inscitè, valde cupiunt adversarii, Normannorum fidem, ab Anglo-Saxonum fide distrahere. Extat Guilielmi hujus posterior Epistola, ad Gregorium VII. data, post annos tres, quæ ita inscribitur: *Excellentissimo sanctæ Ecclesiæ Pastori, Gregorio, &c.* si Guilielmus Pastorem agnoscit, & Pastorem excellentissimum sanctæ Ecclesiæ: indubiè, Anglicanam Ecclesiam intellexit, se membrum illius, & ovem, professus, amplissimum orthodoxæ Fidei argumentum.

Baron. hic n. 64.

Epist. 70. & 71.

Guilielmus Gregorium Pastorem vocans, se ovem agnoscit.

III. Quod si mordicùs aliquando jura regni, per vim acquisiti, victor defendit; si Ecclesiæ monenti, & tyrannidem moderanti, minùs paruit; durioris quidem cerebri id vitium esse potuit, non peccatum in fide. Qui enim florentissimam in Angliâ Ecclesiam, & Anglo-Saxonum Principum pietate divitem invenit: & laicos proceres, clientum numero, & Prælatorum conjunctione potentes: facilè vidit, has premi non posse; nec ingentem (quo opus erat) exercitum ali, sine Episcoporum & Abbatum adminiculo, & Ecclesiarum aliqua læsione. Hîc fateor intemperanter se gessit Guilielmus; Mathilde aliqua indigens, & consorte, quæ saniora suggereret. Illi tamen videntur intemperantiùs agere: qui ex hoc facti barbarismo, solœcismum fidei colligunt. & paucorum Principum res exorbitanter gestas, fundamentum faciunt factionis suæ. Quisquis undecimi sæculi faciem lustrat, & Principum ubique mores contemplatur: Guilielmum, si non cum primis sanctisque Regibus componet: superiorem tamen, & si fidem Romanam spectes, illustriorem cæteris eo sæculo Principibus fatebitur. quod Gregorius Papa luculenter testatus est, libro nono Regesti, Epistola quinta. locum aperit, & verba refert Baronius, hoc anno, ita præfatus: *Quod ad Guilielmum Regem Angliæ pertinet: hic præ cæteris Christianis Regibus Borealibus, à Gregorio Pontifice commendatur. Nam cùm Henricum Germaniæ Regem sit passus persecutorem: Philippum Francorum Regem Ecclesiarum expilatorem* (ut prætereamus dicere de Roberto Guiscardo Invasore: Godefredo Lotharingio prævaricatore, & aliis de quibus suis sæpe literis queritur) *hic optimus habetur comparatione malorum, de quo hæc ipse. Rex Anglorum, licet in quibusdam, non ita religiosè, sicut optamus, se habeat: tamen in hoc, quod Ecclesias Dei non destruit, non vendit, & pacem justitiámque in subditis suis moderari procurat, & quod contra Apostolicam Sedem, rogatus à quibusdam inimicis Crucis Christi, pactum inire, consentire noluit: Presbyteros uxores, laicos decimas, quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit: cæteris Regibus se satis probabiliorem, ac magis honorandum ostendit. Unde non indignum debet existimari, potestatem illius mitius esse tractandam: atque respectu probitatis ipsius, subditorum, & eorum, quos diligit, negligentias, ex parte fore portandas.* Ita censuit de Guilielmo indulgentissimus Pater, & *excellentissimus sanctæ Ecclesiæ Pastor Gregorius.*

Guilielmus Rex a Gregorio laudatus.

Baron. hic n. 64.

Gregor. l. 9 epist. 5.

IV. Illustre argumentum Regii obsequii in Romanam Sedem, fuit; quod Guilielmus compulerit consecratum Deo Clerum, vitare consortia fœminarum. Enimvero Gregorius, hoc annô, Romæ Synodum indixerat, sub initium Quadragesimæ. in quâ Ecclesiasticam disciplinam, vitio temporis, variis in locis, labefactatam restauraturus, leges tulit; aut potiùs olim latas, iterum ratas esse præcepit, pro Cleri Ecclesiæque sanctitate. Meminerunt hujus Synodi passim Authores nostri: sed non uno, parique impetu, eam referunt. Florentius Wigorniensis, qui hoc sæculo scribebat, hæc habet ad annum millesimum septuagesimum quartum. *Hildebrandus, qui & Gregorius, Romanus Archidiaconus, Papa est electus, & factus. Iste Papa Synodo celebratâ, ex decreto Sancti Petri Apostoli, & Sancti Clementis, aliorúmque Sanctorum Patrum, & banna, interdixit Clericis, maximè divino ministeria*

Gregorius Clericorum incontinentiam et simoniam damnat.

Wigorniens. hic.

consecratis, uxores habere, vel cum mulieribus habitare: nisi quos Nicæna Synodus, vel alii Canones exceperunt. Decrevit quoque sub sententiâ S. Petri, ut cum Simone Mago damnaretur, non solum emptor, & venditor cujuscumque officii, ut pota Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decania, vel decimationis Ecclesiæ sed quicomque consentiret eis. Ita Florentius noster. Ubi, quod Cleri cælibatum spectat, nihil novi, nihil ab Ecclesiæ consuetudine, aut Sanctorum Patrum scitis alienum, habes. nam suprà, omni post Christum sæculo, manifestè ostendimus, domum Dei decuisse sanctitudinem, & Clerum castitatem. Unde nescio, cur uxorii homines, Matthæum Westmonasteriensem ita nuper impresserint: *Anno gratia millesimo septuagesimo quarto, Gregorius, qui & Hildebrandus dicebatur; celebratâ Synodo, simoniacos anathematizavit.*
Westm. hic. *Sacerdotes uxoratos à divino Officio amovit, novo exemplo, & ut multis visum est inconsiderato præjudicio, contra Sanctorum Patrum sententiam.* Idem, sed paulò fusiùs, habetur in Matthæo Parisiensi, & Thoma Walsinghamo: quod moderno nostro, & ultimæ editionis Clero, admodum arridet. Sic enim pro se, & uxoribus suis, loquentes habet Monachos. Unde Watsius qui nuper Parisiensem edidit, cum dixisset Manuscripta, Wendoverum, & Walsingamum, pro uxoribus esse: addit, in Adversariis. *Hæc sufficiat*
Watsius in Adversariis ad fol. 9. l. 3. *historicè duntaxat, sed non polemicè, notasse.* Breviter quidem, & acutè. Cæterùm ego ita historiæ campum ingressus sum: ut non nuda rerum gestarum relatione contentus; ardua explicare, implexa expedire, & pugnantia convellere statuerim, quoties se obtulerit occasio. alioquin veritas, quæ animat historiam, in postremis esset; quæ imprimis & potissimùm debet intendi.

V. Excutiuntur Gregorii Decreta: et aliorum super iis commenta.

Fatendum est, duo illa Gregorii decreta, de Sacerdotum cœlibatu, & pactione simoniacâ; illam, è Clero, fæcem turbasse, quæ decretis petebatur. nec mirum hoc, aut insolens, reos timere censuram quam merentur; & horrere factiosos, quod factionem dissipat, aut convellit. Unde Lambertus Schafnaburgensis, qui tunc vivebat, cùm Synodi, & Decreti mentionem fecisset, mox addit * *Adversus hoc Decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum.* De Germaniarum provinciis loquitur, quæ Decreti causa fuerunt. non ergo mirum illos recalcitrasse, aut medicam manum horruisse, qui phrenesi illâ laborabant, & æstu libidinis. Sed mirum sanè Monachos nostros factioni accedere, qui omni sæculo (ut suprà ostensum) pro cœlibatu dixerunt, feceruntque. Unde quis non miretur Matthæum Parisiensem (unde Walsinghamus ad verbum omnia, Westmonasteriensis sua, sumpserunt) ita loqui:
Paris hoc. *Anno Domini millesimo septuagesimo quarto, Gregorius sedit in Cathedrâ Romanâ annis duodecim, mense uno, & tribus diebus, qui Hildebrandus vocatus antea fuerat. Ille Papa, in Synodo generali, simoniacos excommunicavit, uxoratos Sacerdotes à divino removit officio. & laicis Missas eorum audire interdixit; novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato judicio, contra Sanctorum Patrum sententiam qui scripserunt, quòd Sacramenta, quæ in Ecclesia fiunt, Baptisma, Chrisma, Corpus Christi, & Sanguis, spiritu invisibiliter cooperante, eorundem Sacramentorum effectum habeant, seu per bonos, seu per malos, intra Dei Ecclesiam dispensentur. Tum quia Spiritus Sanctus mysticè illa vivificat, nec bonorum meritis amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Ex qua re, tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore, sancta Ecclesia graviore sit schismate discissa: his pro justitiâ, illis contra justitiam agentibus. Porrò paucis continentiam observantibus: aliquibus eam, causa lucri, ac jactantia, simulantibus: multis incontinentiam perjurio multiplicione adulterio cumulantibus. Ad hæc, hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni Ecclesiasticâ subjectione excutientibus; laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido aurium humore, pro sacro Chrismate utentes, & olio, in extremo vito viaticum Dominicum, & ositatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ, à Presbyteris uxoratis accipere parvi pendunt. Decimas etiam Presbyteris debitas, igne cremant. Corpus Domini à Presbyteris uxoratis consecratum, pedibus sæpè conculcant & Sanguinem Domini voluntariè frequenter in terram effundunt.*

*apud Baron. hic n. 30.

Fuit Matthæus hic Albanensis Monachus, vixit sæculo decimo tertio: moritur anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. vir planè eruditus, cui Anglorum historia lucem, & laudem debet. An ista de Gregorio, ejusque Synodo scripserit, & quo demum impetu, nunc videndum: sic enim Walsingamo, Westmonasteriensi, aliisque qui recentiùs scripserunt, ejusque verbis inhæserunt, fiet satis. Imprimis dubio locum facit: qua ratione vir omninò literatus, & in historicis admodum versatus, videatur Decretum de castitate servandâ, *novum exemplum, & contra Sanctorum Patrum sententiam*, appellare, cùm certo certius sit, non solum Sanctos Patres, à Gregorio stare: sed Monachos nostros in hac Insulâ, eorum sanctitate, & veterum sacrorum Canonum argumento, acriter in Clerum pugnasse; cùm sua Monasteria uxorii homines occupassent: potuit fortè Clericorum factio aliqua (ut aliquando in hac Insulâ factum supra diximus) castitatis legem odisse: sed Monachos adeò intemperanter eorum advocatos esse, valde mirandum est; & illi monstro non absimile, quod in Nicænâ Synodo apparuisse dicitur; cùm, uno præco teste, Paphnutius, pro re uxoriâ, *vehementer vociferatus est:* quod quia, vel leve, minimi ponderis alibi exufflavimus: cur non hoc idem eâdem veritatis lance libramus? Præsertim cùm inauditum hactenus sit, Scriptores nostros, Romanæ Sedis authoritatem elevasse: & hoc ipso anno, Guilielmum Regem, Gregorius, præ omnibus Borealibus Regibus commendaverit, quod Synodi Decreta veneratus, Sacerdotes compulerit, libidinis fomenta dimittere. Hæc me suspicari fecerunt, hædinas pelles iterum alienis manibus injeci; ut dicere jure possimus: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau.* Gen. 27. v. 22. Auxit suspicionem Bellarmini censura, de Matthæi Parisiensis historiâ, quæ talis est: *Hæc historia, multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis: sed quoniam edita est ab hæreticis Tigurinis, cautè legenda est; non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad invidiam conflandam Romanæ Ecclesiæ.*

Socrates l. … Bellarm. de Scriptor. in Matthæo Paris.

Quod si dixeris: Matthæi Manu-scripta, cum editis consentire, & verba, vocem, manumque, ejus utrius esse: id manifestæ falsitatis arguitur VII.

Sigebertus pro Mattheo Parisien. supponitur.

Sigebertus in Chronico hic.

quia Sigebertus, ducentis annis, Matthæo Senior, Gregorio Septimo infensus historicus, eadem prosus quæ Matthæus habet, in odium Pontificis effutiit. Et quia ex eo fonte, rivi aliquot, Annales nostros vitiarunt: vel Authoribus ipsis aliorum, verbis vacuos annos implentibus: vel aliis pejori impetu, suo genio indulgentibus; duxi pretium operæ Sigebertum exscribere, ad hunc annum ita loquentem. *Gregorius Papa, celebratâ Synodo, simoniacos anathematizavit: uxoratos Sacerdotes à divino Officio removit: & laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, &, ut multis visum est, inconsiderato præjudicio, contra Sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt, quòd Sacramenta quæ in Ecclesiâ fiunt; Baptismus, scilicet, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante, eorundem Sacramentorum effectum, seu per bonos, seu per malos, intra Dei Ecclesiam dispensentur. Tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa vivificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Vnde est hic qui baptizat. Ex quâ re, tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore, sancta Ecclesia graviore schismate scissa sit: his pro justitiâ; illis contra justitiam agentibus:* & paulo infra: *Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus tam, modo causa quæstus, ac jactantiæ, simulantibus; multis incontinentiam, perjurio, aut multipliciori adulterio cumulantibus. Ad hoc, hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines; & ab omni Ecclesiasticâ subjectione excutientibus: Laici sacra mysteria temerant: & de his disputant: infantes baptizant, sordido humore aurium, pro sacro Oleo, & Chrismate, utentes. In extremo vitæ Viaticum Dominicum, & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ, à Presbyteris conjugatis accipere parvipendunt. Decimas Presbyteris deputatas igni cremant. & ut in uno cætera perpendas: Corpus Domini à Presbyteris conjugatis consecratum, sæpè pedibus conculcaverunt: & Sanguinem Domini voluntariè effuderunt: & multa alia, contra jus, & fas gesta in Ecclesia sunt. Et hac occasione, multò pseudo-magistri exurgentes in Ecclesiâ, profanis novitatibus plebem ab Ecclesiasticâ disciplinâ avertunt.* Hæc omnia Sigebertus.

VIII. Gregorii mens, et Sigeberti oscitantia exponuntur.

Hic vel caligans Isaac, Matthæum nostrum, à Germano Sigeberto potest distinguere: præsertim si posterioris genium, si Germaniæ sensum, si factionis impetum, consideret. quæ quia ad historiæ mentem faciunt, paucis aperiam. Henricus, Germaniarum Imperator, multorum criminum, & simoniæ reus; quem brevi Anselmus noster, Neroni & Juliano Apostatæ comparabit: à Gregorio Papa sæpè, ut resipisceret, monitus; nec factus monitione melior, Sanctorum communione, per ejusdem sententiam, privatur. Hinc turbarum in Germaniâ origo: bonis pro Gregorio, & morum sanctitate: aliis pro Henrico, & impietate, in Gregorium pugnantibus. Sigebertus, regiæ cupiditati famulatus, ejus defendendi partes suscepit, Gregorium ubique in invidiam vocat; & cum sanctissimè Decreta convellere nullâ justâ ratione posset; pessimo fuco, falsoque commento, Synodi leges ac scita traducit: conaturque incautè Lectori persuadere: Gregorium velle, Sacramentorum vim, à conjugato Sacerdote confectorum, enervare: quod revera inauditum hactenus in Ro. Ecclesiâ, & contra Sanctorum Patrum mentem fuisset. Cum ipse, nec conjugatos ritè Sacerdotes, nedum eorum ministeria elevarit. Solum enim Decreto sanxit, quod centies sanxerat Ro. Ecclesia: quod Patres constantissimè docuerant; sacrificio deputatos, procreandis liberis, prorogandisque nepotibus, vacare non debere; ac proinde procul esse, non uxorum, quos revera nullas habebant, sed aliarum atque omnium fœminarum commercio. & nè impuris manibus Sacramenta tractarent, ab altaris ministerio, non conjugatos, sed fornicantes Sacerdotes, suspensos dixit: unde consequens erat: nec illos debuisse Sacramenta porrigere: nec laicos illa ab eis accipere, salva nimirum Sacramentorum sanctitate. Hæc & non alia Synodi sententia: quam omni sæculo castè servavit latina Ecclesia. cætera quæ Gregorio imponuntur; aut rudis vulgi errata, aut factiosorum hominum figmenta fuerunt. Jam verò quomodo hæ sordes, hæc odia Sigeberti, in Authores nostros irrepserint; vix habeo dicere: conjicio tantùm, Matthæum Parisiensem, notæ eruditionis virum, Sigeberti amanuensem non fuisse; aut ejus commentaria pro suis obtrusisse. sed quia, prono in patriam affectu, Romani Pontificis gravamina liberiùs aliquando, & præter morem aliorum, arguit: hæc ille, vel oscitanter arripere: vel alii potiùs illi imponere, faciliùs potuerunt. Sed ex impuro Sigeberti fonte, Henriciano schismati obnoxio, illimes aquas quis expectet? Audiendus potius Marianus Scotus, & è nostris, Florentius Wigorniensis; qui Matthæo, Westmonasteriensi, Walsingamio multò seniores, & Sigeberto suppares, ab omni factione remotissimi, supra benè dixerunt latam de castitate legem; *è decreto S. Petri, Clementis, aliorumq; Sanctorum Patrum*, hoc est, è purissimo primitivæ Ecclesiæ fonte, manasse.

Marian. Scotus hic.

IX. Anglorum Ecclesiæ continentia.

Hunc Ecclesiæ Anglicanæ sensum fuisse, è multis probari potest. non solùm, quia olim frequentibus Synodis, eadem, de Sacerdotum castitate, sancita lex est: sed quia, hoc etiam tempore, Gregorii Decretum, à Clero populoque religiosè observatum constat. Quis enim dicet Lanfrancum, Wulstanum, Remigium, aliosque hoc anno Episcopos, sequentium sæculorum suffragio sanctos, castitatis legem non amasse: aut non pro viribus egisse; ut Ecclesia sibi commissa, sine rugâ & maculâ esset? præsertim cum Guilielmus Rex, sæculare brachium porrexerit, & authoritatem suam, ad exactam Canonis observantiam. Eoque nomine ab externis Authoribus commendetur. Unde Baronius, cum Romanam Synodum, & Gregorii Decreta recitasset, hæc habet de eo. *Magnam quidem tunc temporis comparavit sibi laudem, ex eo, Guilielmus Rex Angliæ quòd cum promulgata essent sancita, hoc anno, Synodalia Decreta, de cælibatu Clericorum, adversus concubinarios, & adversus simoniace ordinatos, atque contra laicos, Ecclesiarum decimas occupantes: tumultuantes regiâ authoritate compresserit.* Hæc ille, quæ si contuleris cum eis, quæ supra in ejusdem Regis laudem scripsit Gregorius; concludes opinor, omnem Insulam, procul ab Henriciano schismate, & factione illâ Clericorum fuisse. Quod clariùs apparebit, si dixeris Lanfrancum, convocatâ Episcoporum Synodo, Romanæ Synodi Decreta, suâ, & Episcoporum manu, firmasse. quod revera dicendum est, cum plures Authores asserant, hoc anno Londini apud Westmonasterium, plures Ecclesiarum Prælules convenisse:

Guilielmus Rex, Gregorii Decreta defendit.

Baron. hic n. 45.

Conventus apud Westmonasterium.

convenisse: & quamvis Actorum ibi sit parva mentio; vix tamen dubium esse potest, quin Romanæ Sedis oracula, imprimis, more solito, excepta, rata, probataque sint. Quo posito, quid porro in eo conventu factum videamus.

X.

Imprimis distingui debet hic Prælatorum conventus, ab eo, qui anno sequenti, in eadem urbe colligitur: nam utriusque Authores, & indiscriminatim aliquando meminerunt; sed si penitiùs locum, quò convenerunt, inspicias; invenies è loci differentiâ, differentem quoque conventum fuisse. Sequenti anno in Paulinâ, hoc est, principe Londinensis urbis Ecclesiâ, generale omnium Episcoporum Concilium cogitur, ut infra: hoc anno in suburbano loco, ad Westmonasterium, convenitur. & hujus meminit, præter Authores nostros, hoc anno Baronius, ita: *Quo pariter anno*, (inquit) *celebrata in Angliâ Synodus reperitur. In quâ sanctus VVulstanus deponitur, sed magno Dei miraculo restituitur.* Westmonasteriensis etiam ad hunc annum, paucis idem refert. *Beatus VVulstanus*, inquit, *per Lanfrancum Archiepiscopum, injustè depositus, miraculosè restituitur: cum baculum pastoralem sepulchro Beati Edoardi infixisset; nullus præter eum, à lapide evellere poterat.* Miraculum quod hoc anno contigit Matthæus Parisiensis ita describit. Simulque conveniendi causas explicat. *Rex*, inquit, *Guilielmus de negotiis agere constituens Ecclesiasticis, anno Domini millesimo septuagesimo quinto* (quarto potiùs) *apud VVestmonasterium Synodum coëgit: cui Præsidens Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, cum suis Suffraganeis, capit corrigenda corrigere: Clericis etiam & Monachis honestiorem vivendi formam præbere. Cumque apud hunc Archiepiscopum, Beatus VVulstanus, simplicitatis, & illiteraturæ accusatus esset: & quasi homo idiota, qui linguam gallicanam non noverat, nec regiis consiliis interesse poterat: ipso Rege consentiente, & hoc dictante; decernitur deponendus. Lanfrancus etiam, inter cætera Concilii statuta, viro Dei VVulstano jubet, ut baculum cum annulo resignaret. At VVulstanus, nec vultu, nec animo mutatus; virgam pastoralem manu tenens, respondit: Verè, inquit, Domine mi Archiepiscope, verè scio; quia nec hoc honore dignus sum, nec oneri, nec huic par labori; sed non æquum est, ut tu pastoralem exigas virgam, quam non tradidisti. Tuæ sententiæ tamen cedens, baculum resignabo. Rectius verò me facturum arbitror, si illum sancto reddam Edvvardo, cujus baculum authoritate suscepi.*

Baron. hic n. 60.

Westmon. hic.

WULSTANI EPISCOPI EXAUTHORATIO, IN CONVENTU TRACTATUR.

Paris an. 1095.

XI.

WULSTANUS BACULUM RESIGNAT S. EDOARDO.

Et his dictis, cum suis accessit ad tumbam marmoream, quâ gloriosi Regis reliquiæ claudebantur, & stans ante sepulchrum ait: Tu scis, inquit, sanctissime Rex Edvvarde, quàm invitus hoc onus susceperim: quoties me, cum quærerer, absentaverim: nec diffiteor, quam insipiens factus sum: sed tu me coegisti. Nam licet fratrum non deesset electio, plebis petitio, voluntas Episcoporum, & gratia procerum: his tamen omnibus tua præponderabat authoritas, tua voluntas. Sed ecce nunc novus Rex, nova lex, novus Pontifex; novas sententias promulgat. Te erroris arguunt, qui me Pontificem fecisti: me arrogantiæ, & confidentiæ, qui consensi. Non tamen illis, qui exigunt, quod non dederunt: sed tibi baculum resigno, qui dedisti: Tibi curam eorum demitto, quos mihi commendasti. Et cum hæc dixisset, elevata paululùm manu, in lapidem, quo corpus Sancti tegebatur; impressit baculum: Accipe, inquiens, Domine mi Rex: & cui placuerit trade illum. Et sic descendens ab Altari, Pontificalibus exutus, inter Monachos, ipse jam Monachus simplex resedit. Quid plura? admirabantur omnes, intuentes virgam pastoralem silici impressam, quasique in marmore radices habentem: nec enim declinabat ad dextram, neque ad sinistram. Tentabant illam quidam evellere; sed illa immobilis permanebat. Cumque res deferretur ad Synodum; Lanfrancus fidem dictis non adhibens, accersito Roffensi Episcopo Gundulpho; jubet, ut accedens ad tumbam, baculum quem deposuerat VVulstanus, in Synodum reportet. Paret dicto Gundulphus; baculum tentat evellere: sed virtus VVulstani baculum silici facit immobiliter adhærere.

XII.

SED ITERUM BACULO ORNATUR.

Tunc Lanfrancus, novitatem rei admirans, Rege comite, ad tumulum properabat, factâ oratione manus apponit, baculum trahit, sed optato caret effectu. Exclamat Rex, luget Pontifex, & Beatum Edvvardum, in promotione VVulstani non errasse advertunt. At Lanfrancus, ad sanctum accedens VVulstanum: Verè, inquit, cum simplicibus graditur Deus, & in humilibus requiescit. Derisa est à nobis, frater, tua sancta simplicitas: sed væ tenebris nostris, quibus excæcati, dicimus malum bonum, & bonum malum. Authoritate itaque quâ fungimur; imo Dei judicio, quo convincimur; curam quâ te inconsultiùs exuimus, iterum tibi committimus; scientes prævalere simplicitatem, quæ cum fide, & dilectione operatur, sapientiæ sæculari; quâ multi per avaritiam abutuntur. Accede nunc, frater mi, accede ad baculum: credimus enim quod sancta Regis dextera, quæ illum nobis negavit; tibi facilè resignabit. His auditis sanctum Pontifex, VVulstanum, sua simplicitate usum, paruit humiliter imperanti: & accedens ad tumbam Sancti, dixit: Iam Domine, mi Rex, cujus me commisi judicio; & tui baculum quem commiseras, resignavi: quid nunc tibi placet, ostende. Servasti dignitatem tuam, purgasti innocentiam meam: & si adhuc de me, tua stat antiqua sententia, redde baculum: vel si mutata est, cui tradatur, ostende. Hoc quoque dicto, levi tactu tentat sanctus virgam accipere; quæ mox manum ejus sequuta, exilit; ac si in molli luto fuisset impressa. Accurrunt Rex, & Pontifex, prostrati veniam VVulstanum deposcunt: atque sanctis precibus se commendant. At ille, qui didicerat à Domino mitis esse, & humilis corde; ipsis æquè prostratus, à tanto Archipræsule benedictionem precatur. Tunc Rex Guilielmus, amore cognati sui Sancti Edvvardi, inflammatus, sanctissimum ejus sepulchrum auro & argento fabrefactum, miro studio decoravit.

REX COLIT SEPULCHRUM S. EDOARDI.

Nescio an Wulstani innocentiæ, an Edoardi Regis sanctitatis, illustrius fuerit argumentum, hocce miraculum. Unum constat, ab eo tempore, utrumque tam viventem Wulstanum, quàm cælo donatum Regem, in ore populorum, cultuque fuisse. Sed & Guilielmus Rex, cognati memoriam cupiens perennare: & suæ fidei, & Edoardi sanctitatis nobile monumentum fieri curavit. Jacuerat hactenus regium cadaver, in terrâ, de more reconditum: sed hoc ostento, aliisque rebus mirabiliter ab eo patratis; censuit Guilielmus Rex, sanctiore tumulo dignum. sarcophagum auro, argentoque ornatum, fieri mandat; ubi sancti Confessoris exuviæ solenniùs conderentur. Hoc Regis votum, nunc cæptum impleri, diu postmodum perfectum est: cum nimirum Alexander III. Pontifex maximus, Edoardum Regem, sanctiorum Confessorum numero ascripsit, sub annum Domini millesimum centesimum sexagesimum primum. tunc enim

XIII.

post

post annum sequentem Cantuariensis Archiepiscopus Sanctus Thomas, regnante, & jubente Henrico Rege, eo nomine secundo, sacrum Confessoris corpus, è terra, & tenebris elatum, sarcophago imposuit, quod Guilielmi Regis imperio, hoc anno conficitur. Iterum Henricus Tertius, anno 1269. aureum feretrum, eidem corpori inferendo, parari jussit: & opinor illud ipsum est in substantiâ, quod hodie in Westmonasteriensi Ecclesiâ prostat, visitur ab omnibus, à Catholicis etiam Catholico ritu colitur. In circumstantibus proculdubio aliud est; nam prius illud auro, argentoque, & vario anathemate ornabatur, ut supra Matthæus: nunc auri argentique sacra fames, Edwardi fidem, cultum, & ornamenta sustulit, nudis templis, nullo sacrificio, nudâ, imo nullâ fide contenta. nunc ad Synodum revertamur, ubi Lanfrancus dicitur *corrigenda corrigere, & Monachis honestiorem vivendi formam præbere.* quod quomodo, ipso præeunte, sectum videamus. Prius tamen de Gundulfo Roffensi differendum est, quomodo & quando Sedem illam intraverit, cum supra ad annum Domini 1072. Siwardus ibidem sederit: nec mortuum adhuc diximus. Adde eo mortuo, non Gundulfus, sed Ernestus, vel Ernostus illi Sedi successit; ut passim omnes. Hic nodus, infra solvetur cum Synodum sequenti anno ingredior.

XIV. Tumultus nuperi, scelera præterita, tot regni ac Reip. mutationes, Anglicanæ Ecclesiæ faciem ubique fœdaverant. jacebant ædes sacræ, & pristini splendoris tenuia tantum argumenta monstrabant: Monasteria, Monachique in squallore erant; & regularis disciplinæ fervor tepuerat. denique Dominicus ager vepribus passim & tribulis scatens, fructuum vice, zizania protulerat; & industrio indigebat agri cultore. Lanfrancum manebat hæc provincia: qui cum Ecclesiarum præsides pastoresque animarum officii commonuerat; ipse primus manum operi admovens, Cantuariensem Ecclesiam, & Monachos illi ministrantes, cœpit perpolire: ut principe membro piè sanato; faciliùs totius corporis pulchritudo consurgeret. nam frustra vulgus, à vitiis, in virtutis semitam flexeris; si capita, ducesque Reip. deviare permiseris, Lanfrancus in hoc pietatis genere laudem meruit, & cum fru-

Edmer. l. 1. fo. 9.

ctu laboravit: nam teste Edmero. *Erat Dei rebus non mediocri curâ intentus. Quapropter magno semper operam dabat; & Regem Deo devotum efficere; & religionem morum bonorum, in cunctis ordinibus hominum, per totum regnum, renovare. Nec privatus est desiderio suo. multum enim illius instantia, atque doctrina, per totam terram illam, religio aucta est. & ubique nova Monasteriorum ædificia, sicut hodie apparet, constructa. Quorum ædificiorum constructoribus ipse primus exemplum præbens, Ecclesiam Christi Cantuariensem cum omnibus officinis. quæ infra murum ipsius Curiæ sunt, cum ipso muro ædificavit.*

LANFRANCUS LABORAT PRO ECCLESIA REFORMANDA.

Quâ vero prudentiâ, & quo paternitatis officio, Monachos, in eadem Ecclesiâ consistentes, à sæculari vitâ, in qua illos invenit plus æquo versari, crexerit, omnique sancta conversationis tramite imbuerit; ac multiplicato illorum numero, qua eos dum vixit benignitate foverit; cui unquam ad plenum declarare possibile erit? Quos, quia sine penuriâ, & solicitudine, Dei servitio semper intendere desiderabat; apud Regem, sua sagacitate, & industriâ egit; quatenus ferè omnes terras quas Normanni de jure ipsius Ecclesiæ, cum primo terram cepissent, invaserant; & etiam quasdam alias, quæ ante illorum introitum, propter diversos casus perdita fuerant, ipsi Ecclesiæ redderet.

XV. MONASTERIA PER ANGLIAM REFLORESCUNT.

Nec in Cantio solum, hac ratione, consultum est Ecclesiis, Monasteriisque; quorum ædificia, passim per Insulam, Monachorum inopiâ, vel minitabantur ruinam; vel ab inquilinis deserta, ad extraneos transierant. Jam verò, è Synodi Decreto, Episcopis commendata: vel pristino splendori, dominisque restituta; vel de novo structa, regularem disciplinam sanctiùs exceperunt. Jacuerat prorsus in Northumbriæ regno (ubi olim florentissima) monastici instituti ratio: sacræ Monachorum ædes, seu Danorum, seu Normannorum inundatione perierant, & ipsum ferè nomen Monachi, vitio temporis sepultum. Hoc tamen anno, Lanfranci, opinor, procuratione surrexit, eo modo quem narrat Hovedenus ad hunc annum ita scribens.

Hoveden. hic.

Tres Monachi pauperes spiritu, de provinciâ Merciorum, id est, Evesham, divinitus missi in provinciam Northimbrorum venerunt Eboracum; petentes ab Hugone, filio Baldrici, qui tunc Vicecomitatum gerebat; ut eis ducem itineris inveniret usque locum, qui Munkecester, id est, Monachorum civitas appellatur; qui nunc novum castrum nominatur. Quo perducti venientes, ad tempus ibidem morati, cum nullum antiquum ibi servorum Christi reperirent vestigium, diverterunt ad Girvum; ubi ruinis vix ostendentibus, quid antiquitùs fuerit, Monachorum, cum semirupeis Ecclesiis visebantur ædificia multa; Episcopo Walchero summa gratulatione illos suscipiente, & necessaria præbente. Horum nomina fuerant, Prior eorum, ætate, & moribus erat Aldwinus; secundus verò Elfwinus; tertius, Remfredus. Ex his tribus, tria in regione Northimbrorum instaurata sunt Monasteria. Unum Dunelmi, apud Patris Cuthberti sacrum corpus, & incorruptum, in honore Sanctæ Mariæ virginis.

DUNELMENSE. EBORACENSE.

Aliud Eboraci in honorem ejusdem Dei Genitricis Mariæ. ubi factum nobile Cœnobium, primum habuit Abbatem Stephanum, secundum Richardum, tertium Gausredum: quartum, qui & in præsenti, Severinum. Tertium autem in loco, qui quondam Streoneshalf, id est, sinus phari, nunc Whitiby appellatur, hodie habet Benedictum Abbatem. Hæc omnia Rogerus, nobilis historicus, qui floruit sub annum Domini millesimum ducentesimum.

WITHBIEN. SEU PHARENSE.

XVI. Pergit idem Author vivis coloribus faciem depingere, hujus, in quo versatur historia, temporis; quæ in Northumbriæ regno tristissima, Christianæ religionis occasum luget, è Monasteriorum casu, & ruinis: & quomodo ex eorundem novo ortu, aut restauratione, religio rursum floruerit, aperit. ait ergo.

Hoved. supra.

TRISTISSIMA FACIES NORTHUMBRORUM ECCLESIÆ ANTE MONACHORUM ADVENTUM.

Postquam sævissima Paganorum devastatio, gladio, ac flammâ, Ecclesias, ac Monasteria, in cineres redegerat, deficiente penè Christianitate: vix aliqua Ecclesiæ, ex virgis, & fæno contexta, sed nulla usquam Monasteria, per ducentos annos readificabantur: tepescente paulatim fidei religione; cultu verò religionis penitùs deficiente, Monachorum nomen erat provincialibus inauditum: in stuporem vertebantur, cum quemlibet Monachicis habitus, & vita, fortè conspicerent. Sed prædictis tribus viris, inter illos habitare incipientibus; incipiebant & ipsi, de bestiali vitâ, mores in meliùs commutare: illis ad restauranda sancta loca opem impendere: ipsi semirutas Ecclesias renovare: vel etiam, in quibus antea erant locis, novas ædificare. Multi de sæculari vita, etiam in Monachalem militiam concurrere:

TURGOTI EXORDIA.

sed hi pauci ex provincialibus: plures verò de remotis Angliæ partibus, fama illorum acciti, eis adjungebantur unanimes. Horum Turgotus erat unus, postea Scotorum Episcopus. Is prosapiam de genere Anglorum non infimo trahens, dum erat inter alios obsides, qui nuper, subjugata Normannis Angliâ, pro tota Lindissea, in Lindicollino castro custodiebantur. Ille pecunia emolliens custodem; cum magno suorum periculo, fugit clanculum ad Norvvegenses, qui tunc apud Grimsby navem mercatoriam, usque Norvvegiam oneraverant. In qua navi, etiam Legati Regis VVilhelmi, Norvvegiam mittendi, subvectionem sibi paraverant. Iamque navis illa, totis advolans velis, terras aspectibus subtraxerat; cum ecce fugitivus obses Regis, ab inferioribus navis partibus; ubi Norvvegenses eum absconderant; in medium erumpens, Legatos, eorumq; socios in stuporem convertit. nam ubique locorum perquisitus fuerat; & in navi eadem, exactores Regis scrutinia fecerant; sed calliditas abscondentium delusit oculos perscrutantium.

XVII. TURGOTI FUGA IN NORWEGIAM.

Itaque Legati instabant, ut depositis velis, navem cum fugitivo Regis ad Angliam quoquomodo reflecterent: Norvvegenses acrius repugnabant, ut capta velificatio prospero cursu iter ante perferret. Fit partium altercatio, ita ut adversum se invicem armarentur. Sed cum major vis erat Norvvegensium, citiùs compressa est audacia Legatorum: quantoque magis terræ appropinquabant, tanto magis illis se humiliabant. Veniens autem illò juvenis fugitivus, honestè, & castè se agebat, nobilibus, & optimatibus gratus apparebat; pervenit ad notitiam Regis Olavi; qui cùm valde religiosus erat, sacros codices inter manus tractare, & literas inter regias curas consuevit addiscere: sæpe etiam Sacerdoti ad altare assistere; & induentem vestimenta sacra adjuvare, aquam manibus fundere, & cætera ejusmodi devotè peragere. Audito itaque quod de Anglia Clericus venisset; quod magnum tunc temporis videbatur; eum ad discendum psalmos, quasi magistrum sibi adhibuit. Inter hæc, satis superq; abundabat rebus, Regis, virorumq; nobilium largitate profluentibus. Compungebatur sæpè animus illius ad contemptum mundi; & ubi poterat, convivia lætantium declinans, solitarius delectabatur: in lacrymis orans Dominum, ut eum dirigeret in viam salutis: quia religiosa desideria dum differuntur, sæpe mutantur: & ab illo statu paulatim animus defluebat; quem jucunditas sæculi, ex successu rerum, ad se trahebat. Sed qui invitatus sponte venire noluit; quandoque compulsus, domum cælestis patris familias intravit. Post aliquot namque annos, patriam cum multà pecuniâ renavigabat. Sed medio in mari (navi prævalida tempestate dissoluta) rerum omnium jacturam, pereuntibus sociis, sustulit: solamq; vitam, cum quinque vel sex aliis, vix cum multo labore servavit. Veniens Dunelmum ad orationem, VValchero Episcopo, omnia circa se acta exposuit, & quod monachilis propositi animum gereret, indicavit. Quod Episcopus, satis humiliter suscepit: mittensq; ad Alvvinum, de quo supra dictum est; Hunc, inquit, filium precor, & jubeo, ut suscipias, atque monachili habitu indutum, vitam quoque monachilem doceas servare. Quem susceptum ille regulariter probavit: & probato Monachicum quandoque habitum tradidit: atque ita verbo informavit & exemplo, ut eidem defunctos; jubente VVillielmo Episcopo; in Dunelmensis Ecclesia succederet Prioratum: quod per viginti annos strenuè administravit, duodecim diebus minùs. Anno enim Episcopatus Ranulfo (qui VVillelmo successit) octavo, impetrante Alexandro Rege Scotorum, ab Henrico Rege Anglorum, assumitur ad Episcopatum Ecclesiæ Sancti Andreæ.

OLAVI REGIS PIETAS.

TURGOTUS OLAVUM DOCET.

IN ANGLIAM REDIT.

FIT MONACHUS.

XVIII. Habes ....m, cur accuratum Authorem fusiùs exscripserim. Turgotus iste in Annalibus infra sæpe legetur, illustre Anglorum & Scotorum Ecclesiæ ornamentum, & ordinis sui. quem cum supra audiveris, ab Alwino Monacho probatum, ad monachalem habitum assumptum, & in Dunelmensi Ecclesiâ Alwini successorem, ope, opera, jussuque Walkeri Præsulis. vel certè Guilielmi successoris ejus: puta eum, non è Clero unum, ut aliqui volunt; sed Monachum fuisse. Aldwinus, hoc anno, cœpit è Monasteriorum ruinis nova excitare; ductâ, ut audisti, ex Eveshamensi (Harpesfeldus dicit è Winchelcumbensi) Cœnobio coloniâ. Et primùm quidem, apud Girvium, & antiqua illa rudera, videtur resedisse: ubi, anno Domini sexcentesimo octogesimo secundo, Egfridus Northumbrorum Rex *pro redemptione animæ suæ*, religiosam familiam, sub Ceolfrido Abbate constituit, ut dictum ibi. Inde porrò in Septentrionem pergens; relicto apud Girvum Elfwino; unà cum Turgoto, Mailrosense Cœnobium invisit: *Unde*, inquit Harpesfeldus, *per VValkerum Episcopum revocatus est, & VViremutham, nutritiam olim Bedæ sedem, penitus jam deformatam, incoluit; agresti & inculta ædificatione utcumque reparatam. quo loci cùm Monachorum societas inciperet crebrescere, VValkerus possessionibus Cœnobium auxit: quibus accessionem adjecit Guilielmus Episcopus. Atque hæc restauratio, post ducentesimum & amplius annum occæpta est, à Cœnobii per Danos eversione.* Interim Remifredus, qui & Rainfredus, Whitby secessit, Monachosque ibi collegit; ubi nobile olim Monasterium Hilda struxerat, sub annum Domini sexcentesimum quinquagesimum quintum: cujus Beda cum laude meminit l. 4. historiæ c. 23. & nos supra ad dictum annum. & hæc omnia prius facta videntur, quàm aut Aldwinus, aut Monachi Dunelmum transferrentur. Walkerus quidem Episcopus id animo conceperat, ædesque Monachorum disciplinæ commodas inchoarat: sed Deo illum ad meliorem vitam vocante; opus, votumque suum successori permisit. Nunc paululùm quid in alterâ Rep. actum, videamus.

V. Harpesf. fo. 279. b. 46.

Harp. fac. 11. c. 29.

V. an. 682. n. 4.

Harpesf fac. 11 c. 29

WIRMUTHENSE CŒNOBIUM DENUO INCOLITUR.

V. an. 655. n. 9.

XIX. Dixi suprà, è Guilielmi Regis absentiâ, & novis in Angliâ nuptiis, enatam inter proceres factionem, quæ hoc anno in magnum erumpens incendium, non potuit, nisi multo fuso sanguine, extingui. ortum, progressum, tragœdiæ denique occasum describunt Florentius Wigorniensis, & Rogerus Hovedenus, hunc in modum. *Eodem anno, quo Hildebrandus Papa celebravit Concilium; Rogerus Comes Hereferdensis, filius VVillielmi Comitis Estanglorum, Comiti Rodulpho, contra præceptum Regis VVillielmi, sororem suam conjugem tradidit, nuptiasq; permagnificas, cum plurimâ multitudine optimatum in Grantebrigensi provinciâ, in loco, qui Ixninga dicitur, celebrantes, magnam conjurationem, plurimis assentientibus contra Regem VVilhelmum fecerunt: Comitemq; VValteofum, suis insidiis præventum, secum conjurare compulerunt. Qui mox, ut potuit, Lanfrancum Doroberuensem Archiepiscopum adiit; pœnitentiamq; ab eo, pro facto, licet non sponte, Sacramento accepit: ejusq; consilio, Regem VVilhelmum, in Normannia degentem, expetiit, eiq; rem gestam ex ordine pandens, illius misericordiæ ultro se dedit. Verùm illi supra memorati Principes,*

V. an. 1073. n. 8.

PROCERES IN REGEM CONSPIRANT.

Wigorn. & Hoved. hoc.

conjurationis capitis operam daturi, sua castella operire, rebellionemq; adoriri, omni conatu, cum fautoribus capere. Sed Herefordensi Comiti, one Sabrinâ transvadatâ, Rodulpho Comiti ad locum destinatum, cum suo exercitu occurreret, restitit venerabilis Wulstanus Wigorniensis Episcopus, cum magna militari manu, & Agelwinus Eveshamensis Abbas, cum suis ascitis sibi in adjutorium, Ursone Vicecomite Wigorniæ, & Waltero de Laceio, cum copiis suis, & cætera multitudine plebis. At verò Rodulpho Comiti propè Grantebrigam castra metanti Odo Baiocensis Episcopus, frater Regis; & Godefridus, Constantiensis Episcopus, congregatâ magnâ copia, tam Anglorum, quàm Normannorum, ad bellum parati occurrerunt. Ipse autem suos conatus infirmari cernens, multitudine essillentium, ad Norwic clanculo refugit, & castello, sua conj gi, militibusq; sub commendato, ascensa navi, de Anglia ad minorem Britanniam fugit. Quem fugientem adversarii illius insecuti; omnes quos de suis comprehendere poterant, vel interemerunt, vel diversis pœnis debilitaverunt. Dein Principes castellum tamdiu obsederunt; quoad pace datâ, permissu Regis, Comitissa cum suis exire de Angliâ liceret. His gestis, Rex, autumnali tempore, de Normanniâ rediens, Comitem Rogerum in custodiâ posuit: Comitem etiam Waltcofum, licet ab eo misericordiam petierit, custodiæ similiter tradidit.

Wulstanus conjuratis obsistit, cum aliis Episcopis.

Rogerus & Walteofus incarcerantur.

XX. Ratio temporis expenditur.

Quod ad tempus spectat horum motuum, & rebellionis substantiam, paucis Huntindonius illa explicat: *Willielmi Regis*, inquit, *anno nono, Radulfus, cui Rex consulatum Est-Angle dederat, Regem a regno expellere, præcogitavit, consilio Walteof Consulis, & Rogeri, qui fuit filius Willielmi, filii Osberti: cujus sororem Consul prædictus duxit, & in ipsis nuptiis hanc proditionem prolocuti sunt.* Sed carò stetit Remp. turbantibus: nam sequenti anno, Walteofus, quem alii etiam Waldenum vocant, quantumvis à multis innocens scribatur, capite pœnam luet, ut infra pluribus.

XXI. Editha olim Regina moritur virgo et sancta.

Cæterùm hoc anno meliori morte defungitur, Editha, Edoardi Regis, sanctissimi Confessoris uxor: cujus superiori Tomo frequens mentio: & nunc debet illa cum laude sepeliri, quæ meritò vitam, sanctè, piéque actam, debet comitari. Fuit Godwini Comitis filia, soror Haraldi, qui nuper regnavit. Sed patrem, fratrémque sanctitatis opinione superavit. Edoardo nupsit anno Domini millesimo quadragesimo tertio: vixitque vel uxor vel vidua ad hunc annum, in utroque statu virgo, ut alibi ostensum. Epitaphii loco exscribam quæ habet Ingulphus, cum nuptiarum ejus meminit: Edoardo *data est*, inquit, *in uxorem, filia Godwini Comitis, puella pulcherrima, literis apprimè erudita, moribus autem, & tota vita, virgo castissima, & humilitate sanctissima, nomine Egitha* (sic eam ille, aliique non pauci vocant) *in nullo patris, aut fratrum barbariem sapiens; sed mitis & modesta, fidelis & honesta, & nulli unquam infesta: unde de illa dicebatur illud Elegiacum:*

an. 1043. n. 3.

Ingulf. fol. 895.

Sicut spina rosam genuit Godwinus Egitham.

Vidi ego illam multoties, cum patrem meum, in Regis curiâ morantem, adhuc puer inviserem: & sæpiùs mihi de scholis venienti, de literis ac versu meo apponebat, cum occurrerem: & libentissimè de grammaticæ soliditate, ad Logicam levitatem, qua callebat, declinans: cum argumentorum subtili ligamine me conclusisset, semper tribus aut quatuor nummis per ancillulam numeratis, ad regium penu transmisit, & refectum dimisit. Hæc ille. Moritur Wintoniæ quinto Kalendas Januarii, & Guilielmi Regis jussu Londinum delata, ad Westmonasterium, propè Edoardi tumulum, cum honore sepelitur.

ANNUS CHRISTI 1075.

GREGORII VII. PAPÆ 3.

GUILIELMI I. REGIS 10.

I. Tum celebrandi Conciliis potestati consulitur.

ITERUM Romæ, à septimo Gregorio: iterum in Britanniâ, à Lanfranco Archiepiscopo, Concilia celebrantur: Capite conante, & admodum laborante membris consulere. Anglorum Ecclesiæ humiliùs jacebant, quàm Christi sponsam decebat: Episcopi olim sanctioris vitæ cupidi, solitudinem amaverant; & à populorum strepitu remoti, sedes ad contemplativam magis, quàm activam vitam fixerant. Alia Normannorum indoles, & genius fuit, qui è populorum salute, & Ecclesiæ dignitate, putabant esse, si in medio gregis, cum splendore & imperio, Pastor resideret. Itaque anno Domini millesimo septuagesimo quinto, cum necdum Guilielmus Rex, nonum regni annum complesset, Lanfrancus omnes Angliæ Episcopos, Abbates plurimos, & alios regularis vitæ sectatores, ad Synodum vocat, Ecclesiarum negotia tractaturus. Quid ibi factum, decretúmve, parcè admodum Authores nostri, vel non omnino loquuntur. Et tamen Ecclesiastico Scriptori excidere non debuit, quod ad rem Ecclesiæ faciebat maximè. Unus Malmesburiensis, è Lanfranci Epistolis, acta collegit, sed Lanfrancum integrè non exscripsit; omittit Concilii locum, & Episcoporum, qui adfuerunt, nomina; quæ tamen jucundissimè leguntur: quia inde statum Insulæ, & Ecclesiarum præsides, qui alioquin in tenebris laterent, eruimus. Baronius omnia supplevit, cum lustrato terrarum Orbe, ad finem hujus anni hæc habet: *Ad postremum*, inquit, *de Anglicanâ Synodo, hoc itidem anno habita, nobis agendum quam inter Lanfranci Epistolas intextam, repertam hic reddendam curavimus.*

Malmesb. de Pont. fol. 218.

Baron. hic n. 31.

II. Concilium generale Londinense.

Anno Incarnationis Dominica millesimo septuagesimo quinto, regnante glorioso Anglorum Rege Willelmo, anno regni ejus nono; congregatum est Londonia, in Ecclesia Beati Pauli Apostoli, Concilium totius Anglica regionis, Episcoporum videlicet, Abbatum, necnon & multarum religiosi ordinis personarum; jubente atque eidem Concilio præsidente Lanfranco, sancta Dorobernensis Ecclesia Archipræsule, totius Britannia Insula primate; considentibus secum viris venerabilibus, Thoma Eboracensi Archiepiscopo, Willelmo Londinensi Episcopo, Goffrido Constantiensi; qui cum transmarinus esset Episcopus, in Angliâ multas possessiones habens, cum cæteris in Concilio residebat: Walchelino Wintoniensi; Hermanno Syreburnensi; Wulstano Wirecestrensi; Gualdero Herefordensi, Gisone, Wellensi; Remegio, Dorcacensi seu Lincolniensi; Herfasto Helmeanensi seu Norwicensi; Stigando Slengensi; Osberno Exoniensi, Petro Licesfeldensi: Roffensis Ecclesia, per id tempus, pastore carebat: Lindisfarnensis, qui & Dunelmensis Episcopus, Canonicam excusationem habens, Concilio interesse non poterat. Hæc è Lanfranci Epistolis

Episcoporum nomina.

Eorum Sedes rectius distinguuntur. Baronius: ubi omnium Episcoporum Sedes numerantur: vitiosè quidem aliquando, sed facilè corriguntur. Hermannus rectius scribitur Schirburnensis; Wulstanus, Wigorniensis; Walterus, Herefordensis; Remigius, Dorcacestrensis, qui hoc anno, ut dicetur, Lincolniam migrans, inde Lincolniensis dictus; Herfastus, Helmhamensis, qui hoc anno, non Norwicum, sed Tedfordiam, sedem transtulit; quam ejus successores, Norwici demum locaverunt. Stigandus perperam Sleugensis dicitur. nam Australium Saxonum Episcopi, hactenus Selesienses dicti, ab hoc anno, & deinceps, Cicestrenses vocabuntur. nunc pergunt Acta:

III. Eorum ordo et sessio definitur. *Et quia multis retrò annis, in Anglico regno, usus Conciliorum obsoleverat: renovata sunt nonnulla, quæ antiquis etiam noscuntur Canonibus definita. Ex Concilio igitur Toletano quarto, Milevitano, atque Bracarensi, statutum est; ut singuli secundum ordinationis suæ tempora sedeant, præter eos, qui ex antiquâ consuetudine, sive suarum Ecclesiarum privilegiis, digniores Sedes habent. De qua re interrogati sunt senes, & ætate provecti, quid vel ipsi vidissent, vel a majoribus, atque antiquioribus, veraciter, atque probabiliter accepissent. Super quo responso petita sunt induciæ, ac concessæ usque in crastinum. Crastinâ autem die concorditer protulerunt; quod Eboracensis Archiepiscopus, ad dexteram Dorobernensis sedere debeat: Londoniensis Episcopus, ad sinistram; Wentanus juxta Eboracensem; si verò Eboracensis desit, Londoniensis ad dexteram, Wentanus ad sinistram.* Hæc de Episcoporum ordine, & sessione in Synodo: quod exinde semper observatum. Quod ubi Lanfrancus, & Patres, autoritate, & antiqua traditione sanxissent: mox de Regulari observantiâ, quæ passim jacuerat in Monasteriis, restauranda; conatum omnem, & sententias verterunt. Sequitur ergo Decretum:

IV. Monachorum proprietas prohibetur, et punitur. *Ex regulâ Beati Benedicti, dialogo Gregorii, & antiqua regularium locorum consuetudine, ut Monachi ordinem debitum teneant: infantes præcipuè, & juvenes, in omnibus locis deputatis sibi idoneis magistris, custodiam habeant. Si quis verò aliquid proprii, sine præfatâ licentiâ, habere, in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore, peccatum suum confessus: nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmiterio sepeliatur.*

V. Trium Episcoporum Sedes alio transferuntur. *Ex Decretis summorum Pontificum, Damasi videlicet & Leonis: necnon ex Conciliis, Sardicensi, atque Laodicensi: in quibus prohibetur Episcopales Sedes, in villis existere: concessum est regia munificentiâ, & Synodali authoritate, tribus præfatis Episcopis; de villis ad civitates transire. Hermanno, de Syrabuma, ad Sarisberiam; Stigando de Selengo* (lege de Selescia) *ad Cicestrum* (lege potius Cicestriam) *Petro de Licifeldo ad Cestrum* (id est Cestriam) *de quibusdam, qui in villis, seu vicis adhuc degebant, dilatum est, usque ad Regis audientiam, qui in transmarinis partibus tunc temporis bella gerebat.* Nihil ergo de Remigio Dorcacestrensi; nihil de Herfasto Helmhamensi, dictum decretumque: sed tantum id Regi permittendum. Illi tamen, hujus authoritate Decreti, Sedes suas mutaverunt, paulò posteriùs.

Hermannus impatiens ignobilis Sedis. Benè Hermannus primo loco nominatur: nam satis impatienter tulit, infulam in vilis ignobiliter jacere. unde cum Wiltoniensis esset primum electus; voluit inde Sedem Malmesburiam transferre, ad nobile illud Monasterium: verùm Monachorum intercessione impeditus, ipse Wiltoniæ sedere noluit: sed in Bertiniano, apud Morinos, Cœnobio; assumpto Monachorum habitu, latuit; donec Schirburnensis Episcopus Sedem, sua morte vacantem, reliquisset. Tunc Hermannus, in Angliam rediens, nobiliorem Sedem ascendit: *Sed neque tunc quiescens* (loquitur Godwinus) *cùm Sedes Episcopales Guilielmus Normannus, a locis obscuris, ad urbes celebriores transferri juberet; occasionem arripuit, vir nobilis* (ut videtur) *ingenio prædictus, Sarisburiam migrandi.* *Godwin. in Sarisb.* Urbem illam Malmesburiensis describit in hunc modum: *Vice civitatis, castellum est, locatum in edito, muro vallatum non exiguo: cæteris commeatibus utcumque valens: aquæ penuria laborans adeo, ut miserabili commercio, ibi aqua veneat.* **Sarisburia Sedes Episcopi.** *Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 250.* Olim locus ille Sorbiodunum erat, de quo hi versus:

Est ibi defectus lymphæ; sed copia Cretæ:
Sævit ibi ventus, sed philomela silet.

Ibi Hermannus nobilem Ecclesiæ fabricam inchoavit. sed multæ ætatis vir, coronidem operi, morte impeditus, non imposuit.

VI. De Selesiensi peninsula. Sequitur Stigandus, qui Australium Saxonum Ecclesiæ præfuerat, apud Selesiam, peninsulam. ubi Wilfridum sanctum, ex Eboracensi Sede pulsum, Episcopalem cathedram erexisse diximus, ad annum sexcentesimum octogesimum primum. *V. an. 681. n. 5.* A quo tempore sederant ibi duo & viginti, dicti Selesienses Episcopi. Et quoniam semel apud Malmesburiensem, locus ille Selegese dicitur. *Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 257.* hinc fortè, vel in Lanfranci Epistolas, vel in Baronii amanuensem irrepsit; quod Hermannus dicatur Sleugensis; & de Seleugo migrasse. Cæterùm Beda in historia lib. 4. cap. 13. cum Ecclesiæ illius primordia describit, sic loquitur: *Rex Edilwalch donavit Reverendissimo Antistiti Wilfrido terram octoginta septem familiarum, ubi suos homines, qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo Seolesen: quod dicitur latine Insula vituli marini, est autem locus ille undique mari circumdatus, præter ab Occidente; unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundæ; qualis locus a Latinis Peninsula, a Græcis solet Chersonesus vocari. Hunc ergo locum cùm accepisset Wilfridus, fundavit ibi Monasterium, ac regulari vita instituit, &c.* *Beda l. 4. c. 13.* Hæc Sedis initia, ut cæterarum fere per Insulam Ecclesiarum fuerunt. Unde Minster, quasi Monasteria, dicebantur. Sed quia locus ille à frequenti turbâ remotior, & in ultimo Sussexiensis agri recessu fuit. non malè Cicestriam, nobiliorem urbem, nec procul inde distantem Episcopi nomen dignitatemque concessit: *Ubi antiquitus & Sancti Petri Monasterium, & congregatio sanctimonialium fuerat,* inquit Malmesburiensis. **Cicestria Sedes Episcopi.** *Malmesb. suprà.*

VII. Cestria Sedes Episcopi. Petrus, qui ab anno Christi millesimo septuagesimo, electus in Præsulem, Lichfeldensem Ecclesiam administravit: nunc è Synodi sententiâ in Cestrensem agrum (ubi Romanorum legio consedit, & inde nomen dedit Legio Cestria) cathedram posuit. Sed exiguo tempore urbs illa cæteroquin illustris, Episcopi Sede gloriari potest. nam Petri successor, inde Coventriam, mox etiam, postliminii jure, Lichfeldiam, Episcopus cum Sede rediit. Horum trium Antistitum exemplo, hujus etiam Synodi suffragio; Guilielmo pariter Ecclesiarum splendori patrocinante; Remigius Dorcacestrensis, Lincolniam elegit: *Quæ urbs* (inquit Malmesburiensis) *una ex* *Malmesb. de Pont. l. 4.*

Lincolnia Sedes Episcopi.

populoſioribus Angliæ emporium eſt hominum terra mariq́; venientium. Eminuit eo loco Remigii pietas, decorem domus Dei diligentis, quam Deus à morte ejus, multâ miraculorum gloriâ probavit. nam templum, quod in ea urbe, intuentium oculos ad amorem Dei reverentiamque excitat, ab eo cœptum, quomodo terrena faſtidierit, & amarit cœleſtia, nobile argumentum eſt.

Remigii Episcopi laus.

De eo ſic loquitur Huntindonius. *Remigius mercatisq́ prædiis in ipſo vertice urbis, juxta caſtellum, turribus fortiſſimis eminens, in loco forti, fortem, pulchro, pulchram; virgini virginum conſtruxit Eccleſiam: quæ & grata eſſet Deo ſervientibus, & (ut pro tempore oportebat) invincibilis hoſtibus.*

Huntind. fo. 371.

Lincolnien. Sedis amplitudo.

Addit Author hujus facti migrationisque cauſam. *Cum,* inquit, *Epiſcopatus ille major omnibus Angliæ, à Thameſi, uſque ad Humbram duraret: moleſtum viſum eſt Epiſcopo, quod in ipſo termino Epiſcopatus, Sedes eſſet Epiſcopalis. Diſplicebat autem ei, quod urbs illa modica (Dorceſtria) erat: cum in eodem Epiſcopatu civitas clariſſima Lincolniæ, dignior Sede Epiſcopali videretur.* Remigii ſanctitas non fuit tam illuſtris, in murorum elegantiâ; quàm in miniſtrorum Eccleſiæ procuratione. nam illi Eccleſias animant, populum ædificant, Deoq́ue, quod ſuum eſt, devotè perſolvunt. Benè ergo de illo Malmeſburienſis: *Remigius*, inquit, *in honorem Dominæ Matris fundatam Eccleſiam, Canonicis multis implevit, & ipſis literarum ſcientiâ, & divitiarum affluentiâ, quas ex ſuo coemerat, eminentibus. Cœnobium Monachorum apud Stou ex novo fecit: alterum apud Bardeney, ex veteri, favore ſuo innovavit.*

Malmesb. ſupra.

VIII. Tedfordia Sedes Episcopi.

Reſtat Herfaſtus, qui ſupra in Actis, Helmhamenſis, ſeu Norwicenſis dicitur; eo ſenſu; quod qui hoc anno apud Elmham exiguum oppidulum ſederat: Sedem ſuam Synodi authoritate, aliò tranſtulerit: non quidem Norwicum (quod poſtea factum, unde Præſules Norwicenſes dicti) ſed Tedfordiam: in eadem quidem Icenorum regione: ſed locum aptiorem; nimirum rerum antiquitate, & populi frequentia notiorem. Quem Antoninus Sitomagum vocat, Romanorum tempore. nos à Tet fluviolo, & vado commeantibus opportuno, Tetfordiam dicimus, vel Tetfordum: ut Malmeſburienſis in Herfaſto loquitur, cum ait. *Ille, nè nihil feciſſe videretur; ut ſunt Normanni famæ in futurum ſtudioſiſſimi; Epiſcopatum de Helmaham, tranſtulit ad Thethfordum.* Unde cum in Actis dicitur *Norwicenſis*; adjectitium eſt; & ſuperioris, non hujus, aut Lanfranci ſæculi dialectus. nunc Synodi reliqua proſequamur.

Malmesb. de Pont. l. 2. fo. 238.

IX. Aliæ Synodi Decreta. De commendatitiis literis. a De silentio in Synodo. b Matrimonia cum consanguineis prohibentur ad 7. gradum. c Simonia. d Sortilegio. e Judicium in causa sanguinis prohibetur.

Ex multis Romanorum Præſulum decretis, diverſiſq́; ſacrorum Canonum authoritatibus. ne quis alienum Clericum, vel Monachum, ſine commendatitiis literis retineat, vel ordinet. [a] *Ad comprimendam quorundam indiſcreetorum inſolentiam, ex communi decreto ſancitum eſt, ne quis in Concilio loquatur, præter licentiam à Metropolitano acceptam, exceptis Epiſcopis, & Abbatibus.* [b] *Ex Decretis Gregorii Majoris, necnon & Junioris; ut nullus de propriâ cognatione; vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatam habuit, uxorem accipiat: quoadusque parentela, ex alterutra parte, ad ſeptimum gradum perveniat.* [c] *Ut nullus ſacros ordines, ſeu officium Eccleſiaſticum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim ſcelus à Petro Apoſtolo, in Simone Mago, primitus damnatum eſt. poſtea à Sanctis Patribus vetitum, & excommunicatum.* [d] *Ne oſſa mortuorum animalium, quaſi pro vitanda animalium peſte alicubi ſuſpendantur. Nec ſortes, vel aruſpicia, ſeu divinationes, vel aliqua hujuſmodi opera diaboli, ab aliquo exerceantur. Hæc enim omnia ſacri Canones prohibuerunt: & eos qui talia exercent, datâ ſententiâ excommunicaverunt.* [e] *Ex Conciliis Elibertano, & Toletano undecimo ut nullus Epiſcopus, vel Abbas; ſeu quilibet ex Clero, hominem occidendum vel membris truncandum judicet: vel judicantibus ſuæ authoritatis favorem commodet.*

Ego Lanfrancus, Dorobernienſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Thomas Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Subſcripſerunt & alii Epiſcopi, vel Abbates, qui interfuerunt. Ita è Lanfranci Epiſtolis, Acta recitat Baronius: nec plura ſubſcribentium nomina adjicit.

Moritur Guilielmus Londinensis Episcopus.

Itaque poſt Thomam Eboracenſem primo loco ſubſcripſiſſe putamus Guilielmum Londinenſem, qui inter alios ſupra nominatur. Et corrigi debet Godwinus in Catalogo, qui Epitaphium ejus recitans, ait eum anno 1070. mortuum: quod rectiùs opinor diceretur, anno milleſimo ſeptuageſimo quinto. nimirum poſt habitam abſolutamq́ue Synodum: & ſedis annos viginti quatuor. nam ſuperiori tomo, ad annum milleſimum quinquageſimum primum, Londinenſi infulâ donatus, ab Edoardo Sancto, hucuſque ſuperfuit. Erat genere & natione Normannus, cum Emma Regis matre in Angliam venerat: vix Roberto Londinenſi, ad Cantuarienſem Sedem tranſlato, ſucceſſerat: cum Normanni omnes, Godwini Comitis operâ, curiâ, omniq́ue Inſulâ proſcribuntur. nec eximius fuit Guilielmus; licet eximiè ab omnibus coleretur. Brevi igitur, in regnum ſedemq́ue reverſus; ita ſe civibus gratum exhibuit, præſertim Guilielmi Regis tempore; à quo plurima civibus privilegia impetrarat: ut beneficii loco, morienti monumentum hoc ſepulchro affixerint.

Guilielmo viro ſapientia, & vita ſanctitate claro:
qui primum Divo Edoardo Regi, & Confeſſori familiaris, nuper in Epiſcopum Londinenſem erectus:
nec multo poſt, apud invictiſſimum Principem Guilielmum Angliæ Regem, ejus nominis primum, ob prudentiam, fidemq́; ſingularem, in conſilium adhibitus,
ampliſſima huic urbi celeberrima privilegia impetravit
S.P.Q. Londinenſis
Benè merenti poſuit. Sedit Epiſcopus annos 20.
deceſſit anno à Chriſto nato 1070.

Hæc tibi, clare pater, poſuerunt marmora cives
Præmia, non meritis æquiparanda tuis
Namque ſibi populus te Londinenſis amicum
Senſit, & huic urbi non leve præſidium
Reddita libertas, duce te, donataq́; multis
Te duce, res fuerat publica muneribus.
Divitias, genus & formam brevis opprimit hora
Hæc tua, ſed pietas, & benè facta manent.

X. Hugo Lond. Episcop.

Malmesb. de Pont. fo. 256.

Mortuo ſucceſſit Hugo, cognomento (ut opinor) de Orivalle. licet apud Malmeſburienſem, Orinal dicatur. de quo hæc addit. *Is poſt paucos ordinationis annos, in morbum incurabilem incidit. Siquidem regia valetudo totum corpus ejus purulentis ulceribus occupans; ad pudendum remedium tranſmiſit. nam credens aſſerentibus unicum*

fere subsidium, si vasa humorum receptacula, verenda scilicet exsecarentur; non abnuit. Itaque & opprobrium Spadonis tulit Episcopus, & nullum invenit remedium, quoad vixit, leprosus. Sed hæc postea.

XI. De Roffensi Episcopo absente a Synodo.

Superest quærere, quis ille Roffensis Episcopus; qui nuper mortuus, Ecclesiam viduam fecit; & ideo Synodo interesse non potuit. Dubium inde oritur, quia superiori anno Lanfrancus dicitur, Gundulfo Roffensi mandatum dedisse, refigendi pastoralem baculum, quem Wulstanus fixerat mirabiliter. & fidem superat, ipsum hoc anno, è vivis sublatum; cum frequens infra fieri debeat ejus mentio. Nodus hic fateor impeditus, non potest aliter expediri, quàm dicendo, mirabilem illam de Wulstano narrationem, vel posterius contigisse: vel Gundulfi nomen vitio irrepsisse. Ille enim, non ante annum millesimum septuagesimum septimum, Roffensem infulam induit; quam & plures postea annos cum laude gestavit.

Ernostus Roffensis Episcopus, Siwardo successit.

Ernostus igitur; quem Lanfrancus Sivvardo successorem fecerat in illâ Ecclesiâ, intelligi debet hoc anno mortuus. & tunc demum, hoc est, post annum hunc sequentem, Gundulfus consecratur. priores duo paucis tantum annis, à Normannorum ingressu, Roffensi Ecclesia præfuerunt. de quibus ita scribit Malmesburiensis.

Malmesb. de Pont. l. 2. fo. 232.

Sivvardus eo tempore erat Episcopus, quo Normanni venerunt Angliam, paucisq́; diebus supervivens, fatum explevit, derelictâ Ecclesiâ miserabili & vacuâ, omnium rerum indigentiâ, intus & extra. vix enim quatuor Canonici erant; qui victu exili, & ipso ad horam, vel prece, vel pretio comparato, & indumento plebeio, vitam tolerarent. Has miserias corrigere pergens sapientissimus Lanfrancus Archiepiscopus, Arnostum quendam Monachum loco dedit. Sed eo veloci morte prærepto, Gundulfum æquè Monachum induxit. Quomodo Lanfrancus Roffensis Ecclesiæ miserias sublevarit, dicam infra, cum Gundulfus Ecclesiam administrat. nunc de Ernosto pauca dicentur. qui Sivvardo in ea Sede succedens, Monachus Monacho, Episcopale officium parvo tempore, cum magnis luctatus incommodis gessit. Fuit ille Anselmo tunc Monacho (postea Cantuariensi Archiepiscopo) familiaris: qui intellecto, quod infulas, & cum eis, summos dolores induisset, hanc illi, in solatium literas misit.

Olim Socio, & Fratri, coævâ fragilitate diligendo: nunc Domino, & Patri, cum dilectione Reverendo Rochestrensi Episcopo Hernosto: Frater Anselmus in hac vita integram incolumitatem: in futuro perfectam felicitatem.

XII. Epist. 44.

Anselmi Epistola ad Ernostum.

„ CUM audio, quod frequentibus & gravibus molestiis, ferè usque ad mortem caro vestra atteritur: contristat me humanâ mœstitiâ meus affectus. Sed cum considero; quia per hæc, anima vestra ad æternitatem nutritur: consolatur me spirituali lætitia vester profectus. Notum quippe est Sanctitati vestræ; quia in tribulatione carnis, & per ustionem rubigo peccatorum exuritur: & per patientiam, justi vita perficitur. Scriptum namque est; quia flagellat Deus omnem filium quem recipit: & quia tribulatio patientiam operatur; patientia probationem: probatio spem. Spes autem non confundit. Et quia, patientia opus perfectum habet. Unde procul dubio cognoscitur; quia tanto affectu est in tribulatione gaudendum: quanto conatu est per spem, & operis perfectionem (ad) filiorum hereditatem nitendum. Cum enim semper gratum sit Deo, si nunquam ab ejus ordinatione dissentimus: tunc utique valde illi placemus: si & in nostrâ adversitate, ejus voluntati hilariter consentimus. Et quanquam sit justissimus; nequaquam tamen, cum sit misericordissimus, coget nos peccata in futuro sæculo, vindicta repetita luere: quos hîc viderit ultioni cum animi hilaritate occurrere. Tantò itaque districtum judicem expectare poterimus leniorem: quantò nunc patienter sustinebimus severiorem. His igitur, & aliis hujusmodi meditationibus, mi Reverende Domine; sicut scit paterna vestra sanctitas, ex carnis defectu, animæ considerando profectum: ex carnis ægritudine, animæ salutem: ex ultione, indulgentiam trahat: ex ipsa tribulatione consolationem: & ex mœrore, lætitiam. Omnipotens & clementissimus Deus; sic vos in hoc sæculo per omnia suæ faciat concordare voluntati; ut ipse in futuro, per omnia vestræ concordet felicitati, dulcissime mi Pater, & Reverende Domine. precor ut Paterna vestra sanctitas non obliviscatur servi sui, corpore absentis, sed mente adhærentis. Valeat semper in Domino, corpus & anima vestra. Ita scripserat superiori anno, ad Ernostum Anselmus, qui diu non superfuit, sed eodem vel sequenti anno infulam simul & vitam exuit. Unde nec Concilio adesse, nec cum aliis Episcopis suffragium ferre potuit. De ejus consecratione hæc notat Parisiensis, cum Lanfranci obitum recenset. *Ecclesiam*, inquit, *Roffensem restauravit: & in eâ Monachum Becci, Hernostum Episcopum ordinavit. In cujus consecratione versus ille inventus est super altare. Citò proferte stolam primam* &c. *Quem cum vidisset Arch.episcopus, prædixit eum cito moriturum. nam eo anno nondum completo decedenti successit Gundulfus Monachus Beccensis, qui perseveravit usque ad tempora Henrici Regis.*

Paris. anno 1089.

XIII. Walteofus Comes occiditur.

Dum hæc in Synodo geruntur, Guilielmus Rex, ut suprà dictum, in Normannia versatur. Prius tamen quàm eò concederet, crudelitatis suæ in Anglorum nobilissimos argumentum reliquit: cum Walteofum, Sivvardi Northumbrorum Comitis filium, securi percuti mandavit. quod passim Annales nostri cum gemitu referunt. *Anno millesimo septuagesimo quinto* (inquit Hovedenus) *Comes VValteofus jussu Regis VVilhelmi, extra civitatem VVintoniam ductus est indignè, & crudeliter securi decapitatur: & in eodem loco terra obruitur. Sed processu temporis; Deo sic ordinante, corpus ejus de terrâ levatur; & cum magno honore Croyland deportatur; & in Ecclesiâ honorificè tumulatur.* Multi Regiæ sententiæ enormitatem accusant: & multa fuerunt, quæ enormiter gesta, accusationem extorserunt.

Hovedenus hic.

Expressit illa Ingulfus; cum Croylandensis Cœnobii miserias explicat, & Normannorum avaritiam, illud deprædantium. ubi de Waltheofo, quem Waldenum vocat hæc habet. *Accedit etiam, hoc eodem tempore, ad cumulum calamitatis Croylandiæ, Comitis VValdeni; qui omnibus religiosis benignissimus, & maximè Monasterio Croylandensi præcipuus, &*

Ingulf. fo. 902.

præstantissimus

præstantissimus amicus extiterat; crudelis decollatio. Et licet eum venerabilis Archiepiscopus Lanfrancus, confessor suus, totius factionis & conjurationis eum assereret penitus immunem: & si moreretur, in causâ, futurum pro innocentiâ Martyrem. impiissima tamen uxore sua (Iuditha) novis nuptiis affectante, ac ideo viri sui mortem sceleratissimè maturante: inhiantibus etiam nonnullis Normannis ad ejus Comitatus, videlicet Northamptoniæ, & Huntingdoniæ: cupidissimo maximè Comite Andegavensi Yvone Talbois pro terris suis & tenementis; quæ plurima erant in omnibus finibus Angliæ; suum sanguinem sitiente; innocens & innoxius apud Wintoniam pridie Calend. ...... martyrizatur: & confestim ibidem corpus martyris humili cespite sepelitur. Post quindecim autem dies, Regis permissione, per venerabilem Vulketulum Abbatem, corpus Martyris, ex tumulo tollitur: & ita integrum, recentiq; cruore respersum; ac si eodem die occisus fuisset. & cum debita veneratione Croylandiam defertur: & in ejusdem Monasterii Capitulo honorificè tumulatur. Ibi cum Dominus ad ostendendam innocentiam sui martyrii, per miraculorum potentiam, mirabilis in suis Sanctis, & in perpetuum laudabilis apparuisset: uxor sua, thalamo relicto suo, audiens Christi magnalia, ad tumulum viri sui accessit: & videntibus nobis, pallium sericum super tumulum obtulit: quod, quasi manibus alicujus rejectum fuisset, longiùs à tumulo resiliit. Tunc etiam manerium de Bernake, quod Monasterio nostro dederat, de nobis tollitur: inque dotem impiissimæ Iezabel, quondam uxoris suæ, cum cæteris terris suis circa Trentam, donandum jussu Regio confiscatur. Hæc Ingulfus.

Juditha Waltheofi uxor. Hæc Juditha nupsit postea Davidi, Scotorum postmodum Regi. Vide an. 1125. 25.

Wulketulus Croylandiæ Abbas.

XIV. Nec stetit hic Normannorum rapacitas, uno aut altero Croylandiæ prædio contenta. Abbatem ipsum Wulketulum vexare primùm, inde loco, Monasterioque suo, movere aggressi, denique eum exauthorarunt; quod Waltheofum martyrem prædicasset. *Venerabilis autem Abbas Vulketulus* (loquitur Ingulfus) *tito post Sancti Martyris sepulturam; miracula Dei, quæ quotidie Dominus operabatur, circa Sanctum suum, apertè convicinis suis prædicavit, & palam omnibus publicavit. Unde Normanni nimium indignati, & contra virum justum, insulse irati, præcipuè Yvone Talboie, præ cæteris atrocius eum persequente; ad proximum Concilium Londoniis celebrandum, personaliter adesse submonitum: & ad diem compatentem, pro debitá reverentiâ, Sancto Martyri habitâ; factâ conspiratione nefaria. de idololatria nequiter accusant. & de Monasterii curâ nequius privant: & privatum clanstro Gasconiæ, sub cruentissimo tum Abbate Tharstano, procul à nobis, & à sua patria, nequissimè condemnant.* Quis hic Tharstanus fuerit, vix alibi repetio: opinor tamen eum intelligi qui anno millesimo octogesimo primo, in Glastoniensem Abbatem eligitur, Thurstinus nomine. nam eo etiam anno, & deinceps, usque ad annum millesimum octogesimum quintùm, Wulketulus Glastoniæ captivus vixit. Cæterùm cur cruentissimus appelletur, tunc dicam, cum armatum militem in Monachos inermes, impotenter immisit; vulnerum, & mortis plurimorum author, & incentor, Normannus Abbas, durus in Anglos pater. E dicto Ingulfi loco, ubi *proximi Concilii* mentio est: colligo, hoc anno Londini Episcopos convenisse: & Regi, ubi placerent Wulketulum in ordinem redegisse. Sequenti quidem anno, Episcopi iterum convenerunt, non Londini, sed Wintoniæ: & ibi nulla de Wulketulo mentio. Adde Ingulfus paulò posteriùs disertè affirmat, de Wulketulo: *Depositus erat anno Dominicæ Incarnationis 1075. & decennio supervixit.* Corrige ergo Parkeri Antiquitates, ubi mendosissimè (ut ferè omnia) hæc habentur. *Decimo sexto anno* (Pontificâtus Lanfranci) *Concilio Docestria habito, Wlfecetelum Exulandensis Cœnobii Abbatem privavit.* & dic, Lanfrancum sexto suæ Sedis anno, Concilio Londini habito, Wulketulum Croylandensis Cœnobii Abbatem privasse.

Wulketulus deponitur. Ingulfus fo. 910.

Et carceri mancipatur.

Tharstinus Abbas Glastoniensis.

XV. Duram omnino servitutem, hoc tempore, sub Normannorum imperio Angli servierunt: Rege Guilielmo, non modò Procerum bona Normannis, sed Ecclesiarum & Monasteriorum etiam jura, eisdem dispensante. Unde Normanni, Anglorum bonis saginati; illis despotico jure dominati sunt. Testis Andegavensis Comes, Yvo Talbois, cui Guilielmus Rex, cum Luciam dedisset uxorem, & omnia quæ fratrum ejus Edvvini, & Morcari, Comitum, erant: superbè admodum, tam laicos, quàm Monachos pressit. illos arroganter tractans; illos, sedibus, terrisque suis exuendo; ut Andegavenses Monachos induceret. Deplorat hæc Ingulfus in Croylandensi historia, ita. *Huic Yvoni Talbois post necem duorum fratrum Edvvini, & Mortarii, Luciam sororem eorum, cum omnibus terris & tenementis ad eos pertinentibus, inclytus Rex Willielmus dederat in uxorem: quæ quia in Hoylandiâ potissimè jacebant (ea Lincolniensis provinciæ portio est, ubi Croylandiæ Cœnobium) omnes Hoylandenses eum attentissimè honorabant: & genu flexo deprecabantur, ut Domino. Cui licet universos honores quos valebant, ac omnia servitia quæ debebant, promptissimo animo impenderent: non tamen eos reciprocâ confidentiâ diligebat: sed torquens, & tribulans; agens, & angarians; incarcerans, & excrucians. ac quotidie novis servitiis onerans: plurimos omnia sua vendere, ac alias patrias petere, crudeliter compellebat. Contra verò Monasterium nostrum, ac omnes Croylandenses, diabolico instinctu, tanto furore efferatus est; ut variè Croylandensium animalia in mariscos, cum canibus suis insectans, longiùs effugaret, lacubus immergeret; nonnulla caudis, auribus mutilaret; ac crebro spinis, & tibiis jumentorum fractis, penitus inutilia redderet. Dominum etiam Vulketulum tunc Abbatem, pro viribus destruere jugiter incursans, & injurians deterreret, ac demum accusans deponeret.*

Fo 907. fine.

Ivo Comes Croylandensis Monachis gravis.

Ingulf. fo. 92.

XVI. Sequitur lugubris narratio mutilationis ejusdem Monasterii; cum nobile membrum à suo capite separatum, alteri, in Monachorum præjudicium subjicitur. Recensui *superiori tomo Thoroldi Vicecomitis Lincolniæ pietatem in Croylandenses Monachos; cum villam de Spalding, omniaque eò pertinentia, illis, scripto super eo diplomate, concessit. Ibi paulò post; structa æde sacra, in honorem Deiparæ, Croylandenses Monachi sedem figunt, *Ad exhibendam hospitalitatem ibidem supervenientibus, more Monasteriali, tam pauperibus, quam divitibus; quorum creber illuc concursus erat.* inquit Ingulfus. Hunc locum, hanc cellam; cum Monachi ab anno millesimo quinquagesimo octavo, pleno liberoque jure occupassent: Ivonis lacessiti injuriis, tandem deserere coacti sunt. Quam nactus occasionem Yvo, Andegavenses Monachos primùm induxit: Sed quæ lugubria præcesserint, narret Ingulfus, Yvonis facinora sic recensens

Villa de Spaldinge a Croylanden. Monasterio separatur.

*V. an. 1051 n. 11.

Ingulf. fo. 098.

Ingulf. fo. 902.

In cellam quoque nostram, fratresq; nostros, suos convicaneos, Priorem & Commonachos, in ejus januis commorantes, & tota die in ejus facie conversantes; tanta tyrannide debacchatur: ut jumentis eorum, tam bobus, quam equis multoties mutilatis; ovibus ac avibus, quotidie enectis; porcis, & porcellis innumeris percussis, perditis, & necatis etiam frequentissime, famuli Prioris, in Curia Comitis exactionibus importabilibus opprimerentur; gladiis & fustibus in compitis sæpe caderentur, ac aliquoties occiderentur. Hinc Prior, & Monachi, post preces, & xenia, post innumera sua Ministris donaria, post peracta omnia: quæ pati putabant necessaria; cum nihil valeret eorum industria; sed semper incresceret tyranni nequitia, & ministrorum suorum fervens malitia: assumptis secum sacris calicibus, libris, ac suis lectisterniis; relictâ cellâ in manu Domini, excutientes pulverem pedum suorum, in filios ignis æterni, ad suum Monasterium Croylandiam revertuntur.

XVII. *Transmittentes deinceps quotidie ad Capellam ligneam Sanctæ Mariæ unum Monachum de Croylandiâ, qui divina ibidem populo celebraret; laborem immensum, & supra vires tædiosum, arbitrantes, tam Abbas Wulketulus, quam totus suus Conventus: alternis diebus Monachum denuò transmittendum, communi consilio decreverunt. Ubi hoc aliquamdiu agebatur (prout apud omnes compatriotas nimis est cognitum, & notorium) in festo S. Luciæ virginis, summo mane, exortâ maxima tempestate, similiter & * ladone in naviculam irruente, transmissus Monachus Dominus Manerius, venerabilis senex, & valde religiosus, apud Medelade est submersus. Tanto namque infortunio turbati, & territi unanimiter omnes Monachi Monasterii Croylandiæ, deinceps quenquam transmittere, longo tempore, cessaverunt. Ivo verò Comes gaudens, quod Dominus etiam secum, quasi videretur contra nostrum Monasterium dimicare: Andegaviam mittit ad Dominum Natalem Abbatem S. Nicolai, exorans, quatenus Monachos dirigat: & cellam honestam, & sufficientem, pro uno Priore, & quinque Monachis, in suâ villâ de Spaldinge paratam & ædificatam, etiam terris & tenementis satis ditatam spondet & promittit. Veniunt itaque Andegavenses Monachi, & cellam nostram occupant: aliciuque, coram nobis, terras nostras devorant. Et Domino Wulketulo Abbate, super hoc, in Curiâ Regis calumniam movente; omnes Normanni mutuo fœderati, prædas & pressuras, cædes, & cæteras injurias universas Ivonis Tailbois, contra Croylandenses justificant, & acceptant. & velut in corpore Behemot, squama squamæ conjuncta fuisset, veritatis omne spiraculum refutant.*

* nomen canis.

ANDEGAVENSES MONACHI IN ANGLIAM INVITANTUR.

Ita conqueritur Ingulfus. Hæc omnia, cum Wulketulo Abbate, facta sint. Andegavenses Monachi, primi ex alienigenis fuere; qui à Normannorum ingressu, externorum Monachorum imperio subjecti; disciplinam inde, & ritus acceperunt. quos Cluniacenses aliique secuti sunt. Hinc fortè Yvo Talbois, Spaldingensis hujus Prioratus fundator dicitur, in Catalogo ædium destructarum: & à Clemente Reynero in Apostolatu. Verùm, qui prior est tempore, Thoroldus Vicecomes, qui de suo dedit: cur non sit jure potior, eo qui posteriùs rapinam fecit in holocausto, disputent alii. Ego interim hujus anni reliqua prosequar.

Camd. in Lincol. Apost. tract. 2 fo. 156.

XVIII. GUILIELMUS DOLENSE CASTRUM CINGIT.

Dum res Ecclesiastica componitur à Lanfranco, & à Normannis evertitur, Guilielmus Rex, in transmarinâ Britanniâ, castrum Dolense, milite cingit, conaturque illud sui juris facere. Irarum causa, Regem acuens, fuit Radulfus Comes, castri dominus; qui nuper Regis injussu, Rogeri Herefordensis Comitis sororem, matrimonio sibi conjunxerat, rebellionem meditatus. Sed inanis Guilielmi conatus fuit. nam Philippus Francorum Rex, Anglorum Regis potentiam veritus, ejus impetum coercuit: & missâ hostili manu, & prohibito omni commeatu; obsidionem solvere, multo etiam amisso milite, coegit. Nec multò feliciùs in Normannia pugnatum à Guilielmo: ubi Robertus ejus primogenitus, in quem Normanniæ principatum aliquando transtulerat, in patrem surrexit; qui concessum provinciæ dominium repetere, & ibidem, ut antea, dominari gestiebat: quod ægrè ferens Robertus filius, Philippum Francorum Regem, translationis dominii & transactionis testem appellavit, armavitque in parentem. Quid inde factum dicat Parisiensis, ad hunc annum: *Per idem tempus,* inquit, *Robertus, Willielmi Regis filius, Normanniam hostiliter invadit: quam Rex, antequam Angliam subjugaret, coram Philippo Rege Francorum ei dederat. Quia verò pater filio eam possidere non permittebat; Robertus Franciam adiit, & auxilio ejusdem Regis frequenter ex Normanniâ prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat: & patri suo non modicam anxietatem, & molestiam inferebat. Unde Rex Willielmus, contra Robertum filium suum bellum agens, apud Gerberay castrum Galliæ, equo pulsus est & Willielmus filius ejus vulneratus; & multi de suâ familiâ interfecti. Quapropter Rex maledixit Roberto filio suo: quam maledictionem, antequam obiret, expertus est evidenter.* Hæc ille. Quàm gravis fuerit & evidens maledictio, omnis posthæc Roberti vita, argumentum esto.

Parisien. hist.

XIX. CÆCILIA GUILIELMI REGIS FILIA, MONIALIS EFFICITUR. ET ABBATISSA CADOMEN.

Illustrius illud Guilielmi Regis factum in Normanniâ: cum hoc anno Cæciliam primogenitam filiam Deo consecrandam virginem obtulit in Monasterio Fiscamensi. Hanc olim in Normannia natam, inde à Mathilde Reginâ, piè in Angliâ institutam, Guilielmus in Normanniam reduxit; & in festo Paschatis, solenni cærimoniâ, Christo, virginum sacrarum sponso, despondet, ubi cum sanctitatis præcepta, & regularis vitæ exempla imbibisset; Cadomensi Monasterio, quod Guilielmus parens mox fundabit, virginibus sacris præerit: ibique sanctè morietur, multarum in Angliâ Regiarum puellarum secuta vestigia: sed in novo Normannorum imperio præcessit omnes.

ANNUS CHRISTI 1076.

GREGORII VII. PAPÆ 4.

GUILIELMI I. REGIS 11.

I. CONCILIUM WINTONIEN. ET ACTA EIUS.

QUI sequitur Christi annus millesimus septuagesimus sextus, Wintoniensi Concilio illustratur: cui Lanfrancus de more præfuit: & causam Agelrici Episcopi excutiendam, è mente, jussuque Alexandri Papæ, Patribus exposuit. Quid actum ibi, è libro Constitutionum Wigorniensis Ecclesiæ, ita colligunt Antiquitates Britanniæ. *Anno ab Incarnatione Domini 1076. Indictione 14. regnante in Britanniâ gloriosissimo Rege Wilhelmo: Præsidente Cantuariæ Lanfranco, totius*

Parker. Antiquit. fo. 114.

Britannia Primate: in Eboraco verò Thoma Archiepiscopo. Eo, inquam, anno, in Kalendis Aprilis habita est Synodus VVintonia, convocata ab eodem Cantuariensis Ecclesiæ Primate. In quâ Fratris nostri Ailrici, Cicestrensis quondam Episcopi, causa Canonicè definita, & ad certum finem perducta est. Decretumq́, ut nullus Canonicus uxorem habeat. Sacerdotes verò in castellis, vel in vicis habitantes habentes uxores, non cogantur ut dimittant: non habentes interdicantur ut habeant. & deinceps caveant Episcopi; ne Sacerdotes vel Diaconos non præsumant ordinare, nisi priùs profiteantur, ut uxores non habeant. Ita Decretum hoc uxorium recitat Parkerus, inaccuratus ubique Author. & libenter Lectori suaderet, Lanfrancum, Sacerdotibus conjugatis, uxorum usum indulsisse, contra Nicæni Canonis sanctitatem. Sed non persuadet: nam Sacerdotii ante sacros ordines initi mentio est: & tunc fœminæ cohabitatio aliquando conceditur: usus, & fruitio semper inhibetur.

II. *Nullus Clericus* (pergunt Acta) *aut Monachus, in Episcopatu alicujus suscipiatur, absque Episcopi sui literis. Si quis verò Monachus etiam Canonicè susceptus fuerit; non permittatur Ecclesiis publicè deservire, &c. Statutum etiam est, ne aliquis Clericus civilis, vel rusticus, de beneficio Ecclesiæ aliquod servitium reddat præter illud, quod fecit tempore Regis Edoardi. Laici verò, si de crimine suo accusati fuerint, & Episcopo suo obedire noluerint; vocentur semel, & iterum, & tertiò. Si post tertiam vocationem emendari noluerint, excommunicentur. Si autem post excommunicationem, ac satisfactionem, venerint, forisfacturam suam quæ Anglicè vocatur oferhyrnesse, seu, lahslite, pro unaquaque vocatione, Episcopo suo reddant. Præterea statutum est; ut nullus filiam suam, vel cognatam det alicui absque benedictione Sacerdotali. Si aliter fecerit: non ut legitimum conjugium: sed ut fornicatorium judicabitur. Supplantationes verò Ecclesiarum omnibus modis interdicimus.* Hactenus Acta, quæ alibi quàm in Authore inaccurato non reperi, & ut vides mutila. Cæterùm quid barbara vox illa Lahslite sonet, dixi tomo superiori; nimirum, mulctam esse non lege expressam, sed pro pertinaciæ gravitate, metiendam.

V. an. 887. n. 28 & an. 978 n. 9.

III. Guilielmum Regem, hic annus, è Normannia reduxit, viribus quidem, sed non animo fractum. nam graviter in eos, qui antea tumultuati sunt, inquisivit: Britannos imprimis persequutus; qui montibus muniti, & magnis animis instructi; ejus ferociam vel frangere, vel eludere sperabant. Sed contra cessit. nam Regi illorum fines ingresso, Provinciæ Principes supplices fuerunt. Majus periculum à Danorum classe, quæ hoc anno Insulam terruit: illam Swanus Danorum Rex, ad repetendam Angliæ coronam, olim majoribus suis debitam, instruxerat. Radulfus insuper Comes, quem Guilielmus proscripserat, Danorum impetum acuerat: & vindicaturus injuriam Dolensibus factam, se classi socium adjunxerat. de quo hæc habet Huntindonius. *Radulfus Consul, adducens Cnuth, filium Svvein Regis Dacorum, & Hacon Consulem, rediit in Angliam, cum ducentis puppibus: sed cum non auderent, contra Regem Guilelmum pugnare, transfretaverunt in Flandriam.* Ita ille. Alii Danos à Guilielmo iterum pecuniâ expugnatos referunt; quod & Adam Bremensis Danorum Scriptor affirmare videtur. Malmesburiensis noster, de utroque Danorum adventu; tam illo, inquam, quem ad annum 1069. retuli: quàm isto hujus anni hæc habet. *Svvanus, regno Danorum restitutus, ægrè quietem ferens, in Angliam bis Cnutonem filium misit. primò cum trecentis: secundò cum ducentis navibus. Prioris classis socius fuit Osbernus frater Svvani: sequentis Hacco. Utrique acceptâ pecuniâ, conatus adolescentis fregere; domum sine effectu repatriantes. Quare à Svvano Rege, gravi contumeliâ multi, quod fidem pecuniâ læsissent, in exilium acti sunt.*

Dani Canuto duce in Angliam veniunt.

Huntind. l. 7. fo. 369.

V an. 1069. n. 3. Malmesb. de Regib. l. 3. fo. 100.

IV. Deerat Croylandensi Cœnobio Pastor, & Prælatus: cum anno superiori, ut vidimus, Wulketulus, pravorum hominum suggestione, in ordinem redactus, & custodiæ mancipatus est. Guilielmo Regi constans consilium fuit, nobilissimo loco, vel Normannum hominem, vel Normannis obnoxium, sufficere: Ingulfus itaque; quem supra non semel loquentem induxi; Regi occurrit, Abbatiali dignitate dignissimum: quia olim Guilielmo Comiti familiaris, & in obsequio plurimus fuerat: inde Monachi vestem, in Normanniâ indutus, Guilielmi rebus semper studuerat. Hunc ergo, hoc anno, Croylandensem Abbatem Rex renuntiat: quod malo ex Ingulfo, pro se loquente, & vitæ suæ incunabula repetente, audire. Sic ergo ille. *Venerabili Patre VVulketulo de regimine pastoralis officii deposito; totoq́ thesauro Monasterii direpto, & in usus regios confiscato; mea parvitas subrogatur. Ego enim Ingulfus, humilis minister S. Guthlaci, Monasteriiq́ sui Croylandensis; natus in Angliâ, & à parentibus Anglicis, quippe urbis pulcherrimæ Londoniarum: pro literis addiscendis, in teneriori ætate constitutus, primum VVestmonasterio, postmodum Oxoniensi studio traditus eram. Cumque in Aristotele arripiendo, supra multos coætaneos meos profecissem, etiam Rhetoricam Tullii primam & secundam talo tenus induebam. Factus ergo adolescentior, fastidiens parentum meorum exiguitatem, paternos lares relinquere, & palatia Regum, aut Principum affectans; mollibus vestiri, pomposisq́ lacinus amiciri, indies ardentiùs appetebam. Et ecce inclytus nunc Rex noster Angliæ, tunc adhuc Comes Normanniæ, VVillielmus; ad colloquium tunc Regis Angliæ Edvvardi, cognati sui, cum grandi ministrantium Comitatu Londonias advenabat.* (Hunc duorum Principum conventum retuli suprà, suo loco, ad annum Domini millesimum quinquagesimum primum.) *Quibus citiùs insertus, ingerens me ubique ad omnia emergentia negotia peragenda; cum prosperè plurima perfecissem; in brevi agnitus illustrissimo Comiti, & astrictissimè adamatus, cum ipso Normanniam enavigabam. Factus ibidem scriba ejus, pro libito, totam curiam ejus, ad nonnullorum invidiam, regebam: quosque volui, humiliabam; & quos volui, exaltabam. Cumque juvenili calore impulsus, in tam celso statu, supra meos natales, consistere tæderem; quin semper ad altiora conscendere, instabili animo, ac nimium prurienti affectu, ad erubescentiam ambitiosus avidissimè desiderarem: nuntiatur per universam Normanniam, plurimos Archiepiscopos imperii, cum nonnullis aliis terræ Principibus, velle pro merito animarum suarum, more peregrinorum, cum debita devotione Hierosolymam proficisci.*

Ingulfus fit Abbas Croylandensis. Ingulfus Croylandensis Abbas; et eius exordia.

Ingulf. fo. 903.

V. an. 1057 n. 9.

V. Hic parce Lector, si Ingulfum sequens longiuquum iter ingredior: & missa parumper Anglorum Rep. Palæstinam inviso, & loca illa, quæ peregrini isti, pietatis causâ petiverunt. nam

Ingulfi peregrinatio Hierosolymam.

rerum pulcherrimarum narratio itineris fastidium diluet; & mirabile divinæ bonitatis patrocinium, quo peregrinos suos, nunc humiliat, ob nimiam fortè expeditionis pompam: nunc exaltat ob Catholicum piumque devotionis affectum, legentem sua varietate recreabit. Addere non piguit Baronium, Ingulfum hunc nostrum exscribere: & plures, quas ille omiserat, itineris circumstantias, fusiùs exponere, ad annum hujus sæculi millesimum sexagesimum quartum: quo nimirum numerosa hæc omnium ordinum instituta est peregrinatio. quam Ingulfus ita prosequitur.

Ingulf. fo. 904.

*De familia ergo Comitis Domini nostri, plurimi tam milites, quam Clerici; quorum primus, & præcipuus ego eram: cum licentiâ, & Domini nostri benevolentiâ, in dictum iter nos omnes accinximus. & Almanniam pssentes, equites triginta numero & ampliùs, Domino Moguntino conjuncti fuimus. Parati namque omnes ad viam, & cum Dominis Episcopis connumerati, septem millia; pertransëuntes prosperè multa terrarum spatia, tandem Constantinopolim pervenimus. Ibi * Alexium Imperatorem ejus adorantes, Hagiosophiam vidimus, & infinita sanctuaria osculati sumus. Divertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus: eviscerati; de infinitis pecuniis, cum mortibus multorum, & maximo vita nostra periculo, vix evadentes, tandem desideratissimam civitatem Hierosolymitam læto * introitu tenebamus.*

* Ducam dicere debuit.

* introitu. Baron.

VI.

Omittit Author narrare pericula, quæ pius hic peregrinantium grex, cum pastoribus incurrit. omittit etiam mirabilem Dei manum peregrinos suos protegentem, priusquam loca sacra inviserent. Germani Scriptores illud non omittunt. inter eos Lambertus Schafnaburgensis ejus temporis scriptor, hæc habet.

Apud Baron. an. 1064. n. 47.

ILLUSTRISSIMA IN PALÆSTINAM PEREGRINATIO.

Interea prædicti Episcopi (nimirum Sigefridus, Archiepiscopus Moguntinus; Willelmus, Trajectensis: Guntherus, Bambergensis; Otto, Ratisponensis) *Hierosolymam pergentes, dum magnitudinem opum suarum gentibus, per quas iter habebant, inconsultius ostentarent; ultimum sibi periculum consciverunt: nisi rem humanâ temeritate prolapsam, divina misericordia restituisset. Nam barbaros, qui ex urbibus, & agris, ad spectandos tam illustres viros, catervatim profluebant: primo peregrinus cultus, ac magnifici apparatus ingens miraculum: deinde ut fit, non minor prædæ spes, & desiderium cepit. Itaque cum transita Lyciâ, in fines Saracenorum introissent. & jam in civitate, cui Ramulo nomen est, una vel paulo plus mansione abessent; proxima Parasceve ante Pascha, circa tertiam diei horam, incursionem passi sunt ab Arabibus. Qui compertô tam insignium virorum adventu; undique ad spolia diripienda sequentes, armatiq; confluxerant.*

PEREGRINI AB ARABIBUS INVADUNTUR.

Plerique Christianorum religiosum putantes, manu sibi auxilium ferre. & salutem suam, quam peregre proficiscentes Deo devoverant, armis corporalibus tueri: prima statim congressione prostrati, vulneribus multis confecti; omnibus quæ habebant, a filo subtegminis, usque ad corrigiam caligæ, expoliati sunt. Inter quos Willelmus quoque Trajectensis Episcopus, brachio penè plagis debilitato, nudus, ac semivivus relictus est; cæteri Christiani jactu lapidum (quod genus teli fortè locus ille affatim ministrabat) *non tam periculum propulsabant; quàm mortem, quæ præsens urgebat, differre conabantur. Pedem etiam paulatim subtrahendo, ad villam declinabant, quæ ab ipso itinere, spatio mediocri distabat. Capharnaum hanc fuisse ex similitudine vocabuli conjiciebant.*

Quam ut ingressi sunt, Episcopi omnes atrium quoddam occupant humili septum maceria, & tam fragili, ut etiam si nulla vis adhiberetur, sola vetustate facile corrueret. In cujus medio, domus erat, cœnaculum habens satis editum, & ad repugnandum, quasi ex industriâ præparatum. Hujus superiora Episcopus Moguntinus, cum Clericis suis, & Bambergensis: inferiora cæteri Episcopi sibi vendicant. Laici omnes, ad arcendam vim hostium, & maceriam defendendam, impigrè discurrunt. Et primam quidem certaminis procellam, lapidum jactu, ut prædictum est, sustinuere. Deinde, cum barbari magnam telorum nubem, in castra conjecissent. & ipsi plerumque impressione in eos facta, clypeos & gladios, e manibus eorum vi extorsissent. non solum jam maceriam tueri sufficiunt: sed portas etiam interdum erumpere, & pugnam cominus lacessere audent. Quorum impetum; cum jam Arabes nullo in loco, nulla acie sustinere possent: consilium tandem à tumultuariâ congressione, ad obsidionem vertunt: & mediâ atque lassitudine conficere aggrediuntur, quos ferro expugnare non poterant. Itaque multitudine, qua superabundabant, conglobatis scilicet circiter duodecim millibus; partiuntur, ut alii aliis vicissim ad oppugnationis studium succederent; nullam illis, vel paululum respirandi copiam facerent: suspicantes quod propter inopiam rerum omnium, quibus vita humana sustentari solet, dimicandi laborem non diu toleraturi forent. Ita Christiani toto Parasceve, toto Sabbatho sancto, usque ad tertiam fere horam Paschalis diei, sine intermissione oppugnabantur: nec illis hostilis improbitas, vel modicum temporis punctum, quo saltem somni perceptione corpora recrearent, indulgebat. Nam & cibum, & potum, mortem præ oculis habentes, non desiderabant. nec si magnopere desideraretur quid sumerent, omnium inopes habebant.

VII. EPISCOPI, ALIIQUE FUGIENTES, RURSUS IN DISCRIMEN ADDUCUNTUR.

Cum autem die tertio, labore & inediâ exhausti, ad extremum pervenissent: & fortia plerumque conatos, virtus, jejunio fracta, frustraretur. Quidam ex numero Presbyterorum exclamavit. non rectè eos agere, qui in armis suis, plusquam in Deo, spei, ac roboris ponerent: & calamitatem, quam, eo permittente, incidissent, propriis viribus propulsare conarentur. Propterea placere sibi, ut se dederent; præsertim cum triduana jam abstinentia militaribus rebus eos inutiles prorsus reddidisset. Non esse Deo difficile ut deditis eis, & ab hostis sub jugum missis, misericordiam præstaret, qui suos toties, etiam in ultimâ necessitate conclusos, mirabiliter liberasset. Id hoc quoque inferrit. barbaros nequaquam propter ipsos occidendos tanto molimine grassari: sed ut pecunias eorum auferrent: quibus si potiti fuissent, liberos eos deinceps, intactosq; sine vi, sine molestiâ abire passuros. Placuit consilium omnibus: statimq; ab armis, ad preces versi, per interpretem, ut in deditionem acciperentur, orabant. Quo comperto, Dux Arabum, citato equo in primos advolat: & cæteros quidem longius submovet: cavens ne temerè, admissa multitudine, præda confusè distraheretur. Ipse decem & septem honoratissimos gentis suæ secum assumens; castra ingressus est patentia: relicto ad portas, præsidii causa, filio suo: ne quis fortè prædæ avidus, post se non vocatus, irrumperet. Cumque admotis scalis cœnaculum, ubi Moguntinus, & Bambergensis Episcopi latitabant, cum paucis ascendisset: Bambergensis Episcopus, cui, licet junior ætate esset, tamen propter virtutum prærogativam, & totius corporis admirandam dignitatem, præcipuus a cunctis honor deferebatur, rogare eum cœpit: ut omnibus quæ haberent, usque

VIII. PEREGRINI SE DEDUNT ARABIBUS.

ad

ad novissimum quadrantem sublatis, nudos se abire sineret. Ille, & victoriâ elatus, & propter ingenitam morum barbariem; accepta quoque tot congressionibus clade, nimium efferatus, ait: se adversus eos jam triduo, non sine grandi damno exercitus sui, ea mente bellum gessisse; ut suis conditionibus erga victos uteretur: non quas ipsi constituissent. Nè ergo falsâ spe eluderentur, se omnibus quæ haberent sublatis, carnes eorum comesturum, & sanguinem bibiturum.

IX. ARABES INDIGNE EPISCOPUM TRACTANTES, COMPREHENDUNTUR.

Nec moratus, linteum, quo caput more gentis obvolverat, expediens, facto vinculo, in collum Episcopi conjecit. Episcopus, ut erat liberalis verecundiæ, & maturæ admodum gravitatis, ignominiam non ferens: tanto nisu pugnum ei dedit in faciem, ut uno ictu consternatum ad pavimentum usque præcipitem dederet: vociferans insuper. prius eum pœnas pro impietate daturum, quod impuras manus in Sacerdotem Christi, profanus & idololatra mittere præsumpsisset. Irruunt protinus alii Clerici, & laici: & tam hunc quam cæteros, qui cœnaculum ascenderant; adeo arctis nexibus manus a tergo astringunt; ut sanguis plerisque, rupta cute, per ungues proflueret. Perlato audacis facti indicio, ad eos qui in inferiori parte domus consistebant: ipsi quoque his, qui apud se erant, Arabum Principibus, idem faciunt. Deinde laici omnes, sublato in altum clamore, vocatoq; in auxilium sibi omnium rerum opifice Deo, rursum arma capessunt, maceriam occupant, præsidium quod circa portas erat, confertâ manu fundunt, fugantq;: & sic alacres, sic innovatis inopino successu viribus; ubique rem peragunt, ut nihil lassitudinis, nihil incommodi, ex triduanâ esuriе mediâ, ac labore accessisse putares. Alacritatem tantam repentè ex trepidis rebus, & ultimâ desperatione coortam, nimium admirati Arabes: nec aliam novitatis hujus causam suspicati; quàm quod de Principibus suis sumptum fuisset supplicium: infestissimis animis in pugnam ruunt. & facto grege, per arma, per viros, in castra irrumpere parant. Et acta res foret, nisi maturo consilio, Christiani, vinctos eo loco Principes statuerent; ubi atrocissima vis hostium, & creberrimus telorum imber incumbebat: apposito super capita eorum spiculatore; qui districtum in manibus gladium tenens, clamitabat per interpretem: Nisi ab oppugnatione quiescerent; non armis se, adversus eos, sed Principum capitibus dimicaturos.

X. PEREGRINI AB OMNI PERICULO MIRABILITER LIBERANTUR.

Tum ipsi Principes, quos præter vinculorum acerbitatem, imminens quoque gladius terroribus vehementer angebat: cum magno ejulatu suos obtestabantur, ut moderatiùs agerent; ne obstinate hostibus certamen inferentes, eos ad supplicium, necemq; suam, cum incisa spes esset veniæ, inflammarent. Paterni periculo attonitus filius Ducis Arabum, quem ad portam atrii, causa præsidii relictum supra memoravi; citato gradu in confertissimos suorum cuneos se dedit: & furentis exercitus impetum, voce & manu increpitans, retinuit, & tela in hostes jacere prohibuit: quæ non hostes, ut ipsi putabant: sed principes sui, propriis pectoribus excepturi forent. Per hanc occasionem paululum ab armis, & incursionibus, vacatione datâ; nuntius venit in castra, ad Christianos, missus ab eis qui in Parasceve, omnibus amissis, nudi & saucii usque Ramulo percenderant. Is amaritudine, & metu confectis mentibus magnum attulit refrigerium: indicans Ducem prædictæ civitatis, licet paganum; divino tamen, ut putabatur, instinctu animatum, cum ingentibus copiis, ad eos liberandos advenire. Nec latere potuit Arabitas adventantium hostium famа. statimq; omnes, aversis ab aliorum oppugnatione, ad seipsos salvandos, cogitationibus; præcipiti fugâ, quò quemque spes evadendi vocabat, dilabuntur. In ea trepidatione; dum alii, ad alia curanda discurrerent; unus vinctorum evasit, opera usus Saraceni cujusdam, quem ducem itineris Christiani habebant; tanto omnium dolore, tanto gemitu; ut ab eo, cujus indulgentiâ dimissus fuerat, vix manus inhiberent. Non multò post Dux ipse, ut nuntiatum fuerat, cum exercitu advenit; pacificeq; in atrium à Christianis susceptus est: suspensis tamen omnibus, inter spem, & metum, nè forte non sublata calamitas, sed hostis tantummodo mutatus esset: & propter novitatem rei difficilè credentibus, quod satanas satanam ejicere: hoc est Paganus, Paganum ab infestatione Christianorum cohibere vellet. Primo omnium vinctos sibi præsentari jussit: quos cum aspexisset, & quæ facta fuerant, ordine audisset: maximas Christianis gratias egit, pro magnificè gestis rebus, & expugnatis Reip. acerrimis hostibus, qui regnum Babylonicum jam per multos annos assiduis populationibus infestassent: & magnas plerumque adversum se instructas acies, commisso certamine obtriviissent. Traditos eos custodibus, Regi Babyloniorum vivos servari jussit. Ipsi accepta à Christianis, quanta convenerat pecuniâ, secum eos Ramulo perduxit. Inde adhibito eis expeditorum juvenum præsidio, ne qua denuo latronum incursione periclitarentur, usque Hierosolymam eos perduci jussit.

XI. INGULFUS HIEROSOLYMAM ET LOCA SANCTA LUSTRAT.

Hactenus ex Angliâ Hierosolymam digressus sum, occasione Ingulfi, peregrinam vestem induentis, priusquam Croylandensi Monasterio præesset. Adjeci pericula, quibus ille interfuit: & omnipotentis Dei manum, illum, aliosque è periculis liberantem. nunc legamus eum sacra loca lustrantem: è Palæstinâ reducem: & quo demum modo Abbatis dignitatem, non sine divino nutu, obtinuerit. Nemo id meliùs, quàm Ingulfus ipse enarrabit. Pergit ergo ille, & Hierosolymitanæ urbis ingressum sic exponit. Ab ipso, inquit, tunc Patriarchâ, Sophronio nomine, viro, veneranda canitie honestissimo, ac sanctissimo, grandi cymbalorum concrepitu, & luminarium immenso fulgore suscepti, ad divinissimam Ecclesiam sanctissimi sepulcri, tam Syrorum, quàm Latinorum solenni processione deducti sumus. Ibi quot preces inoravimus, quos lacrymas * inflevimus, quot suspiria † inspiravimus, solus ejus inhabitator novit Dominus noster IESVS CHRISTVS. Ab ipso igitur gloriosissimo sepulchro Christi, ad alia sanctuaria civitatis invisenda circumducti; infinitam summam sanctarum Ecclesiarum, & Oratoriorum, quæ Athim Soldanus dudum destruxerat, oculis lacrymosis vidimus. Et omnibus ruinis sanctissimæ civitatis, tam extra, quàm intra, numerosis lacrymis intimo affectu compassi, ad quorundam restaurationem, datis non paucis petuniis; * exire in patriam, & sacratissimo Iordane intingi, universaq; Christi vestigia osculari, desiderantissimâ devotione suspirabamus. Sed Arabum latrunculi, qui omnem viam obserrabant longiùs à civitate evagari, suâ rabiosâ multitudine innumera non sinebant. Vere igitur accedente, stolus navium Ianuensium in portu Ioppensi applicuit. In quibus cum sua mercimonia Christiani mercatores, per civitates maritimas commutassent, & sancta loca similiter adorassent: ascendentes omnes, mari nos commisimus. Et jactati fluctibus, & procellis innumeris, tandem Brundusium appulimus. & prospero itinere per Apuliam Romam petentes, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina & copiosa Sanctorum Martyrum monumenta, per

Ingulfus fo. 904.

* efflevimus. Baro.

† suspiravimus. Baro.

* al. exdire.

REVERSUS ROMAM VENIT.

omnes

omnes stationes osculati sumus. Inde Archiepiscopi, cæterique Principes Imperii, Alemanniam per dexteram repetentes; nos versus Franciam ad sinistram declinantes, cum inenarrabilibus, & gratiis, & osculis, ab invicem discessimus. Et tandem de triginta equitibus, qui de Normannia pingues exivimus: vix viginti pauperes peregrini, & omnes pedites, multâ macie extenuati, reversi sumus.

XII. Et Monachum in Normannia induit.

Profuit hæc afflictio, deditque Ingulfo intellectum: quo mundo, mundique rebus vale dicto, ad cælestia ferventiùs suspiraret. nam hactenus ille, in Principum curiis versatus, altos spiritus aluerat: ubi plurima cupiditatum alimenta repererat. Et quia arridentem sibi fortunam semper hactenus senserat, fortè existimavit non posse irasci. Sed doctior è Palæstinâ rediit: ubi visis Christi Servatoris incunabulis; & contemplatus ingressum ejus in hunc mundum, atque egressum: cæpit meliùs philosophari; putaretque aliquid, in hac vitâ, reperiri posse, mundi gloriâ præstantius: nec alibi thesaurum illum, citiùs quàm in Monasteriis inveniri. ubi a seipso, & prioris vitæ cursu, in seipsum descendens; ad intimam Christi notitiam, amicitiamque ascenderet. Ingulfus itaque hæc meditatus scribit in hunc modum, consequenter ad supra dicta.

Ingulfus fo. 904.

*Cumque nos Comites universi, ad sua refugia, citius dispersi festinassent: ne de cætero mundi vanitatibus me involverem, domum meam scopis mundatam, deinceps mundam conservare, & septem spiritibus nequitiæ reclusam obfirmare; sanctissimum * Fontanellense Cœnobium involabam ubi a Venerabili Patre Domino Gerberto Abbate, Monachicum stemma* (lego schema) *suscipiens, delicta juventutis meæ, & ignorantias meas universas* (*prout gratia Spiritus sancti instrabat*) *emundare, & emendare, indefessa vigilantia satagebam. Deinde non paucis interlabentibus annis, decedente Venerabili Priore Domino Winoto, in partem suæ solicitudinis, Venerabilis Pater meus, Dominus Abbas Gerbertus, meam exiguitatem evocavit: ac Priorem Monasterii sui, licet indignum, & renitentem, tandem tamen obedientia funibus constrictum constituit, & effecit.*

* Fontanellense.

XIII. Ingulfus Prior ad Guilielmum legatur. Vi. an 1066 n. 14.

Dum Prioris munere fungitur Ingulfus; Gulielmus tunc Normannorum Dux, ad portum Sancti Valerici priùs subsistere (ut ante dictum) quàm in Angliam solvere, Oceani inclementiâ cogitur. Tunc Ingulfus, è Monasterio ad eum legatus, munera, subsidiumque, Abbatis & Monachorum nomine, porrexit, de quibus suprà. Cujus memor effectus Rex, cum hoc anno in Wulketuli, Croylandensis Abbatis locum substituit. Sed quia Regio Gulielmi suffragio, videtur etiam divinum accessisse: audiamus Ingulfum, vocationis suæ exordia explicantem. Sic ergo. *Currente aliquanto annorum numero, depositoque de regimine Pastoralis officii Venerabili Patre, Domino Wulketulo, Abbate Croylandensi prædecessore meo; inclytus Dominus meus Rex Willielmus, ad Venerabilem Patrem præfatum meum Dominum Gerbertum, Abbatem Monasterii Fontanellensis, pro exilitate mea, nuntium dirigens; quod petiit, obtinuit: & me tristissimum ad tam grave onus subeundum: sed lætissimum, quod ad natale solum me cernerem transferendum; super candelabrum Croylandensis Ecclesiæ, in Christi templo sacratissimo collocavit. Dimittendum autem in partes istas; tam Venerabilis Abbas meus, quam tota cætera fratrum sancta congregatio, suppliciter & sæpius exorabant: quatenus semper sancti nutrimenti mei memor, matrem meam ab animo meo non dimitterem: sed loquerer pro eis bona, contra omnes, coram Domino meo Rege: cujus* (*ut præsupponebant*) *frequentissimè colloquio fruerer, sæpissime interessem contubernio, aliquoties participarem convivio, secum in Anglia moraturus. Interim de sanctorum sarcophagis, qui plurimi in dicto pausant Monasterio, tollerem mecum aliquod memoriale monumentum: quo & devotio mea cresceret ad Deum, & dilectio perseveraret ad locum.*

Ingulf. fo. 904. fin.

XIV. Visio Ingulfi et præsagium.

Sequitur mirabile ostentum, quod à candidi religiosique pectoris scriptore profectum, fidem (opinor) impetrabit, & est hujusmodi. *Pernoctans igitur in Ecclesia ante sanctorum scrinia: scilicet Wandragesili Abbatis: Wulfranni, & Ausberti Episcoporum; effudi mea præcordia: & quatenus Dominus dirigere dignaretur viam meam; meritis & precibus dictorum patronorum, debitâ devotione postulabam. Erat enim Sancti Andreæ Apostoli vigilia: & iam suo cursu medium iter tunc ferè peregerat. cum post multa precum dictamina; tandem dicti Sancti Apostoli lecta passione victoriosa, somno subito obrepente; super lectrinum, quod ante stabat; in latus alterum reclinabar. Et ecce videbam venustissimum quendam Abbatem; quem duo Reverendissimi Episcopi allaterantes comitabantur; de retro altaris procedere: ac totidem Sanctis; quorum duo Sacerdotalibus stolis refulgebant: & tertium medium inter se, quasi Consulem splendidissimum, qui torquem aureum in collo gestabat; cum summâ reverentiâ deducebant, in medio eboso obviare. Ubi cum se mutuo salutassent, & orationem Dominicam consummassent: Alter Episcoporum me advocat: & quod hospites suos in hospitium deducerem; & diligenter ministrans, ignem hospitiis summopere conservarem, quousque pro me mitterent, solicite monet, & mandat: ac Sancti cæteri similiter supplicabant. Cumque acquiescere eorum jussionibus aliqualiter detrectarem: addidit etiam sanctus Episcopus, meam confortans pusillanimitatem: Vado, & verè dextra mea erit tecum. & sic visio disparuit. & ad matutinas vigilias, de præfato Apostolo persolvendas, noster Secretarius nolam pulsavit, pro fratribus excitandis.*

XV. Visionis interpretatio.

Interpretationem verò hujus visionis, pluribus annis penitus ignorabam: quousque veniens in partes istas, & de dicta visione recogitans: sic ejus prognosticon assumebam. Duo Episcopi erant duo Patroni Fontanellensis Cœnobii, Wulfrannus, & Ausbertus. Abbas medius erat Sanctus Wandragesilus, Abbas & hujus loci fundator, & inhabitator primus. Isti de retro altaris procedebant; quia eorum ibi sacra corpora pausant. Quibus duo occurrentes, Sacerdotalibus stolis adornati; sunt Sanctus Gurblacus, & Sanctus Neotus, ambo sanctissimi Sacerdotes Dei, & Croylandiæ speciales advocati. Consul medius torque aurea, circa collum, insignitus, erat sanctissimus Martyr Comes Waldevus (Waltheofum superiori anno appellavi, securi percussum) *innocentissimè decollatus, & in isto Monasterio tumulatus. Horum ministerio assignatus eram, dum pastoralis officii curam, in hoc Croylandensi Cœnobio assumebam. Manus Sancti Præsulis Wulfranni perseverat mecum: quia dextri brachii sui os cubitale, munere totius conventus, in perpetuum memoriale, mecum consequutus sum. Donatus ergo dicto sancto brachio, ad Dominum meum Regem, Londonium accedebam. Ubi investiem de baculo pastoralis officii, Croylandensis Monasterii & a Venerabili Patre, Archiepiscopo Lanfranco, ac a Reverendissimo Episcopo Lincolniæ admissus, & benedictus,*

Reliquiæ S. Wulfranni Episcopi, Ingulfo datæ.

in ipso die Natalitii Domini in Conversione S. Apostoli Pauli Croylandiam primum introibam: installatus anno Domini millesimo septuagesimo sexto.

XVI. STATUS MONASTERII CROYLANDENSIS.

Ingulfus fo. 903.

Quis fuerit illius Monasterii status, quæ leges, quæ Monachorum conditio, cum eò Ingulfus translatus est; ideò scire est pretium operæ: quia inde plurimorum per Insulam Monasteriorum mores, situsque colligimus. Illud paucis expressit idem Author, sic Cœnobii sui historiam prosecutus. *Inveni (inquit) in isto Monasterio (cui authore Deo deservio) Monachos numero sexaginta duos: quorum quatuor fratres laici erant: præter aliorum Monasteriorum Monachos, nostri Capituli comprofessos. qui omnes cum advenirent, stallum in choro, sedem in refectorio, & lectum in dormitorio habebant. Et hi numerum centenarium transcenderant. Quando volebant; quidam post dimidium annum; quidam post annum, ad propria Monasteria remeabant. Maximè in tempore guerrarum, minimoque turbine pacis personante, tanquam apes ad alvearia, pluvia imminente; ita undique ad Croylandiam confluebant. Fuerunt enim tunc nostri comprofessi, de Thorney, decem. de Burgo, sex: de Ramsey, octo: de Hely, tres. de Sancto Edmundo, novem: de S. Albano, duodecim: de Westmonasterio, decem: de S. Andrea, Northamptoniæ, duo: Ecclesiæ Christi Norwici, quatuordecim: de Tetford, quindecim: de Coventria, septem: S. Maria extra Eboracum, sex: S. Maria, Storvia, decem: de Michelneia, sex: & de Malmesburia, quinque: præter adventantes quotidie, & semper aliquos nobiscum commorantes: qui visa loci securitate, & fratrum Croylandensium mutuâ charitate, nostro collegio adunari devotissimè supplicabant. Urbanitas innata Monasterio, ab antiquo, raro vel nunquam aliquem pulsantem repellebat.* Hæc omnia Ingulfus: qui deinde narrat industriam, qua in rerum temporalium procuratione usus, Monasterio prospexerit: & quo amore, quo cultu, Wulketulum Exabbatem, in Albanensi Monasterio captivum, sit prosequutus: de quo infrà.

V. an. 1084. n. 5. 6. 7. an. 1085.

XVII. NORMANNI MONASTERIA RESTAURARUNT, PROPRIUS, QUAM FUNDARUNT PRIMO.

Hæreo aliquantisper, in hoc Monasteriorum censu; quomodo sub Ingulfi adventum, Sancti Andreæ Northamptoniensis; Ecclesiæ Christi, Norwici: Thetfurdensis etiam Monasteriorum mentio fiat: cum illa, non hoc anno, sed posteriùs fundata sint. Andreani Cœnobii fundator audit Simon Silvanectensis, vulgò de Santlyz Comes, anno Guilielmi nunc regnantis, decimo octavo. Norwicense Monasterium condidit Heribertus Losinga, multò posteriùs: idemque Thedfordensis conditor, agnoscitur. Quo modo igitur hoc anno millesimo septuagesimo sexto, dictorum locorum Monachi nominantur? Scio quempiam affirmare: Simonem supradictum, non primò fundasse, sed restaurasse potiùs, Sancto Andreæ dedicatas ædes; & Monachos denuò eisdem præfecisse: quod etiam eodem modo de Norwico, & Thetfordo dici potest. Cui ego volens lubensque assentirem, si vel minima Monachorum vestigia reperirem. Sed nec mirari admodum possum, aut debeo; si tanta temporum iniquitas: tanta nationum inundatio; tot bellorum discrimina: Reip. facies toties mutata, obliterarunt omnia antiquitatis monumenta. Sed quia mox dicam Normannos incipere fidem suam, Monasteriorum ædificatione, explicare; cur non opinemur inde auspicatos, ubi aliquando Monachi consederant?

ANNUS CHRISTI 1077.

GREGORII VII. PAPÆ 5.

GUILIELMI I. REGIS 12.

I. HOBERTUS S. R. E. SUBDIACONUS IN ANGLIAM MITTITUR.

ANNUS Christi millesimus septuagesimus septimus, Apostolica ex Urbe legatione, ad Guilielmum Anglorum Regem insignitur. nimirum Gregorius Papa, vigilantissimus animarum Pastor, Anglicanam Ecclesiam, externo domesticoque bello laceram resarcire; moresque ad Christianæ disciplinæ legem componere satagens; Hubertum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, in minorem primo Britanniam mittit: inde jubet in majorem trajicere: & Guilielmum Regem officii monere; censumque solvere, quem olim Reges, Romanæ Ecclesiæ solvendum edixerant. Quid porro aliud in mandatis acceperit, non reperio: adeo parva, aut nulla potius apud Authores nostros, hujus legationis mentio. Nec ego illam retulissem, nisi Baronius, ita ad hunc annum scripsisset. *E Gregorii Epistolis apparet, tum ob diversa negotia Ecclesiastica, ad diversos misisse legationes. Primum quidem Hugonem Diensem Episcopum, Hubertum Subdiaconum Romanæ Ecclesiæ, & Lensonem Monachum; Legatos mittit, ad cognoscendam causam Dolensis Episcopi in Britanniâ: ipsum verò Hubertum, ad Angliam ad Regem Willielmum perventurum, & ad alia negotia diversarum Ecclesiarum investiganda, & persolvenda.* nec plura habet ad rem nostram. Extat tamen inter Lanfranci literas, M. S. Epistola Guilielmi Regis, ad Gregorium data, ubi legationis mentio est, & negotiorum summa, quæ Regem spectabant. Unde colligimus Gregorium, per Legatum, petiisse præstitam olim Romanæ Sedi ab Anglorum Regibus observantiam; debitique solutionem, quo Romanis Pontificibus se obnoxium fateretur. Sed Victor Guilhelmus, qui carnem posuit brachium suum, ægrè verbis concessit; regnum, sua vi, virtuteque possessum, alteri fateri obnoxium. concessit tamen reipsâ: quod imprimis intenderat & postularat Gregorius. sic enim scribit.

Baron. hic n. 19.

Excellentissimo Sanctæ Ecclesiæ Pastori GREGORIO gratia Dei Anglorum Rex, & Dux Normannorum WILLIELMUS, Salutem cum amicitia.

II. *Apud Seldenum in notis ad Edmerum fo. 164.*

GUILIELMI REGIS EPISTOLA AD GREGORIUM.

„HUBERTUS Legatus tuus, Religiose Pater, ad me veniens, ex parte tuâ me admonuit: quatenus tibi & successoribus tuis, fidelitatem facerem: & de pecuniâ, quam antecessores mei, ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, meliùs cogitarem. Unum admisi: alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo: quia nec ego promisi: nec Antecessores meos Antecessoribus tuis, id fecisse comperio. Pecunia tribus fermè annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est. Nunc verò, divinâ misericordiâ, me in regnum meum reverso; quod collectum est per præfatum Legatum mittitur: & quod reliquum est, per Legatos Lanfranci Archiepiscopi, fidelis nostri, cum opportunum fuerit, transmittetur. Orate pro nobis, & pro statu regni nostri,

„ quia Antecessores vestros diliximus: & vos „ præ omnibus sincerè diligere, & obedienter „ audire desideramus.

III. MALE REGIS LITERAS FACTIOSI COMMENTANTUR.

Has literas recitat Seldenus in Spicilegio: & nescio quid causatur, quo Guilielmum ad nuperam factionem trahat: quæ ut orthodoxæ fidei, ita Romano Pontifici rebellis; adminicula omnia, quantumvis imbellia, amplectitur, atque suaviatur. Dixerat Edmerus, Guilielmi genium incusans, & cervicem duram: cavisse eum, ne quis, *pro Apostolico*, nisi se jubente, reciperetur. Hoc Seldenus, qui neminem pro Apostolico recipit, probare videtur. & addit, in notis: *Huc spectat Epistola illa Guilielmi primi, qua obsequii, fideiq́ professionem Gregorio VII. Pontifici Romano, eam per nuntium petenti, avito juri subnixus pernegat.* Quæ nota facilè trahitur in eum sensum; Guilielmum, non Gregorianæ fidei; sed alterius esse. Adde, nihil spectat hæc Epistola ad Guilielmi legem, de Apostolico, suo injussu, non recipiendo. nihil etiam ad Catholicæ & orthodoxæ fidei professionem quæsivit Gregorius; quam sufficienter explicant verba, syllabæ, & apices singulæ. nam excellentissimum Sanctæ Ecclesiæ pastorem agnoscit Gregorium Septimum: unde se illius Ecclesiæ ovem, eleganter exprimit: denique dilectionem & obedientiam disertis verbis profitetur. Claudicare solùm videtur in fidelitatis & homagii sponsione, quam militaris homo, tumidoque ingenio, cum regiâ dignitate pugnare, imperitè satis putavit. Gregorius tamen non aliud per legatum postulavit; quàm ut ipse Romanam Sedem, ceu parentem, & matrem, majorum more, agnosceret; & tributo in servitutis argumentum, coleret. Quod abundè Guilielmus per literas, & Legatos præstitit. Sed trepidavit *timore, ubi non erat timor.* Si ille tributi, pensique exacti solutionem negasset, possent factiosi, secessionem suam, ab illa sese, Guilielmi Regis exemplo firmare: Sed cum ille solverit; cum Gregorium, Pastorem agnoverit; cum se obedientem spondeat: abeant factiosi, & in trivio quærant, non in Regum palatiis, qui Romanæ Sedis majestatem lædant.

Seldem. in notis fo. 163

Psal. 13. 5.

IV. GUNDULFUS ROFFENSIS EPISCOPUS.

Jamdudum Roffensis Ecclesia Pastore viduata luxerat: & inopem Sedem, cum Episcopali dignitate parum constantem, nemo ambibat: Regis etiam absentia, cujus nutu dispensantur infulæ, tam diuturnum luctum induxerat. Lanfrancus itaque, qui vicino Episcopo carere non poterat; Gundulfum nominat, vitæ sanctitate & morum honestate, in Beccensi Monasterio, probatum. de cujus electione hæc habet antiquus Author vitæ ejus, Manuscriptus: *Lanfranco Ecclesiasticæ dignitatis summum apicem in Angliâ tenente, & sapienter administrante: Rovecestrensis Ecclesia suo est Pastore destituta; defuncto Ernosto Episcopo; qui Monachus, Sevvardo, & ipsi Monacho, in Episcopatum quidem successerat: sed in eo anno tantum dimidio vixerat. Volens autem Pontifex, ut ex more antiquorum, Monachus succederet Monacho: cogitare cœpit, quem potissimum Monachorum eligere posset; qui hoc onus sibi injunctum portare valeret. Cogitanti tamen Gundulfi citius occurrit sanctitas; quæ jam certis experimentis satis ei fuerat approbata. Hunc igitur, habito cum sapientibus consilio, ad Pontificatum elegit: & ut ejus electioni Rex assensum præberet; ipsum transmarinas ad partes ad Regem direxit. Gaudio autem Rex repletus non modico; quia occasionem Dei hominem exaltandi invenerat; de cujus sanctitate jam ad eum satis clara fama pervenerat; Pontificis petitionibus justis libens assensum præbuit: & honore Pontificali virum Dei dignissimum judicavit. Acceptâ igitur Lanfrancus authoritate Regiâ; Præsules convocat, Primores Roffensium mandat: Regis, & suam voluntatem omnibus pandit: omnibus assensum præbentibus, & gaudentibus, fidelem domus Dei dispensatorem constituit. Non fuit obnitendi potestas, cum eum urgeret Regis magni, & Præsulis tanti authoritas. Vox se indignum clamantis opprimitur: cùm quò se clamat indigniorem, eò dignior acclamatur.*

Apud Seldenum in notis ad Edmerum fo. 190.

V. GUNDULFUS CONSECRATUR ROFFEN. EPISCOPUS.

Ordinatur itaque vir Dei, verè dignissimum Episcopatu, Gundulfus, in Ecclesiâ Dorobernensi duodecimo Calend. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini, millesimo septuagesimo septimo. undecimo verò adventus Normannorum in Angliam, sub Comite Guilielmo, Rege postea Angliæ nobilissimo. Consecratus autem, ex more, propriam tendit invisere sedem; tripudiantibus turbis, Roffensem ingreditur Vrbem, Pontificali Sede inthronizatus inducitur: Præsul omni veneratione ex eo habetur. Redduntur & ei denique possessiones quædam Roffensis Ecclesiæ; quas præsulantibus antecessoribus suis Lanfrancus in suâ tenuerat ditione. Ea vero conditione redduntur; ut in Ecclesia Roffensi; sicut jam Præsul uterque deliberaverat; Monachi ponantur. Audierant enim ibi quondam Monachos fuisse. Vnde ad antiqua studia redeuntes, Monachorum ibi ordinem statuere sanxerunt. Tempore ergo brevi elapso, Ecclesia nova, veteri destructa, incipitur: officinarum ambitus convenienter disponitur: opus omne inter paucos dies, Lanfranco pecunias subministrante multas, perficitur. Igitur perfectis omnibus: quidam, ex quinque tantum Clericis, qui ibi inventi sunt, ad religionis habitum confluentes, associatis multis aliis, ad sexagenarium & amplius numerum, in brevi, sub doctrina Patris Gundulfi, succrevere Monachi. His Gundulfus, vivendi speculum, his totius religionis factus est documentum. Hæc Author anonymus, M. S.

MONACHI IN ROFFENSI ECCLESIA.

VI.

Hic Gundulfus in Beccensi quidem Monasterio educatus, sed inde ad Cantuariensem Ecclesiam, Lanfranci, opinor, opera translatus est. ubi sanctitatis opinione admodum eminuit. Ad eum Anselmus, è Beccensi Cœnobio, frequentes literas, amicitiæ plenas, dedit: & cum ad majus Sacerdotium assumptum audisset, ita scripsit, inscripsitque:

Olim dilectissimo Fratri, nunc dulcissimo Patri: olim, & nunc Reverendo Domino, Venerabili Episcopo, GUNDULFO: Frater ANSELMUS semper suus. Sic explere Episcopale officium; ut æternum consequatur beneficium.

Libro primo Epist. 69.

„ ANTEQUAM mihi liceret dulcissimæ sanctitati vestræ, literas exultationis, pro vestrâ exaltatione mittere: audivi, quòd non ad regimen, sed ad laborem; non ad jucunditatem, sed ad tribulationem; vobis provenerat Pontificalis electio. Ex unâ igitur parte volo vestræ paternitati congaudere: sicut illi, cujus præteritam vitam, * divinam gratiam sibi placere ostendit: in hoc, quod vos inter Principes Ecclesiæ suæ commemorare dignatur. Ex alterâ verò parte, cogor vestræ fraternitati

** forte divina gratia.*

condolere: veluti illi, qui eo ipso, quò magis exaltatus est; majori tribulatione gravatur. Sed item, cum considero: quoniam teste divinâ Scripturâ, de tribulatione nascitur patientia; quæ opus perfectum habet: & probatio, quæ operatur spem; quæ non confundit. Utique non intelligo, non tantum esse condolendum vestræ sanctitati, in tribulatione, propter laborem, quem ex illâ suscipitis; quantum congratulandum, propter perfectionem, & spem, ad quas, per illam, proficitis. Gloria igitur in excelsis Deo, cui vita vestra sic placuit; ut eam ad exemplum exaltaret: Et gloria in excelsis Deo, qui sic vos dilexit; ut vos in igne tribulationis collocaret. Quatenus opera vestra, usque ad perfectionem, & spem vestram, usque ad debitum robur excoqueret. nam si diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: cur diligentes eum, non in omnibus exultantes, gratias agant pro bono. Sic tamen hoc agere debent: & quoniam nescit homo, utrum amore dignus sit, an odio: serviant Domino in timore, & exultent ei in tremore. Hoc tamen omnis servus Dei observare debet: ne tribulationem putet, quod tribulatio non est. Ne cum id quod nec sentire debet, tribulationem deputat: ibi judicandus sit eo ipso quod dolet, quod dolere non debet, ex infirmitatis temeritudine succubuisse: ubi se putat per patientiæ fortitudinem superasse. Sic enim æstimando se esse aliquid, cum nihil sit; ipse se seducit. Hortor itaque sanctitatem vestram; ut nullo modo tribulationem putetis; quod nec corpus, nec animam lædit. Nec si adversitas earum rerum, quas servus Dei contemnere debet vos contristat; probetis vos plùs quàm oportet, transitoria diligendo, minus quàm decet æterna diligere. Apertè enim unusquisque homo ostendit se ea diligere, quorum læsionem pati, non potest sine tristitiâ. Nemo enim molestiam pati existimat, nisi cum in his quæ diligit, adversitatem tolerat. Dilectum Fratrem nostrum Richardum, eâ quâ possumus, charitativâ solicitudine vestræ Paternitati commendo: quatenus non illi obsit, quod à nostrâ conversatione sejungitur: sed magis illi prosit, quod vestræ familiaritati conjungitur. Hæc Anselmus.

VII. Lanfrancus curat bona Ecclesiarum restitui Ecclesiis.

Quod ad possessiones Roffensi Ecclesiæ redditas, de quibus in M.S. mentio; Lanfranci industria adinódum commendatur: qui in eo plurimus fuit; ut Ecclesiarum bona, quæ militaris licentia, & Normannorum avaritia, distraxerant; Deo, Deique ministris, redderentur. Cantium in eo impietatis genere abundabat: ubi Odo Baiocensis Episcopus, & Guilielmi Regis frater uterinus; Comitis titulo insignitus; ita Remp. procurabat; ut prædia sacris ædibus dedicata; vel suo, vel clientum suorum, dominio, servitutique substerneret. Cum eo principe luctandum Lanfranco fuit: qui aliquoties, in Guilielmi absentiâ, totius Insulæ principatum & procurationem obtinebat. Ille tamen nihil veritus viri potentiam; sed Deo, justitiæque suæ fidens; pro Cantii imprimis Ecclesiis, Cantuariensi, inquam, & Roffensi; cum egregiè advocasset; Regem tandem eò impulit: ut jura omnia, quæ ad Ecclesias illas spectare, proborum hominum stipulatione, probarentur: iisdem, postliminii jure, redderentur. Sed præstat Edmerum audire, ejus ævi hominem; qui de Lanfranco hæc habet. *Alias quoque consuetudines, quas priscis temporibus, Ecclesia Cantuariensis ut liberrima in cunctis existeret; Reges Angliæ suâ munificentiâ contulerunt; & stabiles in perpetuum manere, sacratissimâ sanctione constituerunt; quorundam imprudentiâ perditas, suâ prudentiâ recuperavit. Odo siquidem Episcopus Baiocensis, ut de aliis taceam, frater prædicti Regis VVilhelmi, & Cantii Comes, priusquam Lanfrancus Angliam intrasset, magnus & præpotens per totum regnum habebatur. Hic dominatione, quâ immensum sustollebatur, non modò terras, sed & libertatem nominatæ Ecclesiæ, nullo ei resistente, multipliciter invaserat, oppresserat, tenebat. Quæ ubi Lanfrancus, ut erant, didicit; apud Regem de illis egit, sicut oportere sciebat. Unde præcepit Rex, quatenus adunatis primoribus, & probis viris; non solum de Comitatu Cantiæ, sed & de aliis Comitatibus Angliæ: querelæ Lanfranci in medium ducerentur, examinarentur, determinarentur. Disposito itaque apud Pinnedene Principum conventu; Goffridus Episcopus Constantiensis, vir ea tempestate prædives in Angliâ: Vice Regis, Lanfranco justitiam de suis querelis strenuissimè facere jussus, fecit. Lanfrancus enim validâ ratione subnixus, ex communi omnium astipulatione, & judicio; ibi cuncta recuperavit, quæ ostensa sunt antiquitùs, ad jura Ecclesiæ Christi Cantuariensis pertinuisse; tam in terris, quàm in diversis consuetudinibus.* Ita Edmerus. Edmer. l. 1 fo. 9.

VIII. Goffridus Constantien. et Agelricus, iudices constituti.

Huic judicio, causæque ita præfuit Goffridus Cõstantiensis; ut è mēte jussuque Regis, Anglorū in jure periti assessores, illi judicesque fuerint constituti: eos inter Agelricus, quondā Australium Saxonum Episcopus, quem * suprà dixi, præter juris ordinem exauctoratum, princeps fuit, in sacrorum Canonum, & municipalium legum scientiâ doctissimus. & ille pro Lanfranco suffragium dedit, & Ecclesiarum sanctitate. vir erat provectæ jam ætatis, & equo insidere non valens, ad judicii locum, suaviori curriculo devehitur: quod ita Godwinus expressit. *Agelricus, propter insignem legum nostræ gentis municipalium peritiam, a Rege Guilielmo primo, arbiter honorarius constitutus est, unà cum Gosfrido Constantiensi; ut litem agitatam inter Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum, & Odonem Cantiæ Comitem, Regis vero fratrem uterinum, de prædiis quibusdam dijudicarent; & secundum æquum & bonum componerent. Homo igitur grandævus, jumenti succussionem non ferens; vehiculo ad locum destinatum deportatus est Pikenden heath, quasi dicas Ericetum Pikendonense: quò ingens provincialium numerus confluxerat; ut testimonium pro Archiepiscopo suo dicerent: secundùm quem judicatum est.* Ita ibi. Cæterùm ad tribunal illud, non solum Cantuariensis, sed Roffensis etiam Ecclesiæ rebus prospectum est. & prædia plura Odo, aliique invaserant, quæ Gundulfo, hoc anno electo & consecrato redduntur. Celeberrimus hic Conventus, & Ecclesiæ utilissimus fuit. Manetque adhuc Judicum sententia, ad hanc usque ætatem promissa, digestaque in M. S. Codice Roffensis Ecclesiæ, quam Annalibus dignam censemus. licet enim plura sint, quæ barbarum sonant, tamen Antiquitatis studiosi, non verborum, sed sensus lenocinio capientur. In dicto igitur Manuscripto Codice, quem Seldenus in lucem extulit; hic titulus legitur.

* V. an. 1070. n. 8.

Godwinus in Cicestren.

De Placito apud Pinendenam, inter Lanfrancum, Archiepiſcopum, & Odonem, Baiocenſem Epiſcopum.

IX. *Apud Selden innotis ad Edmerum fo. 197.*

Placitum Pinneoenen.

„ Tempore magni Regis Gulielmi, qui Anglicum regnum armis conquiſivit, & ſuis ditionibus ſubjugavit; contigit Odonem Baiocenſem Epiſcopum, & ejuſdem Regis fratrem, multò citiùs, quàm Lanfrancum Archiepiſcopum, in Auglīam venire, atque in Comitatu de Kent, cum magnâ potentiâ reſidere, ibique poteſtatem oon modicam exercere. Et quia illis diebus in Comitatu illo quiſquam non erat, qui tantæ fortitudinis viro reſiſtere poſſet, propter magnam, quam habuit poteſtatem, terras complures de Archiepiſcopatu Cantuarberiæ, & conſuetudines nonnullas ſibi arripuit; atque uſurpans, ſuæ dominationi aſcripſit. Poſtea vero, noo multo tempore contigit prælatum Lanfrancum, Cadomenſis Eccleſiæ Abbatem, juſſu Regis, in Angliam quoque venire; atque in Archiepiſcopatu Cantuarienſi, Deo diſponente, totius Angliæ regni Primatem ſublimatum eſſe. ubi cum aliquamdiu reſideret; & antiquas Eccleſiæ ſuæ terras multas ſibi deeſſe inveniret, & ſuorum negligentiâ anteceſſorum, illas diſtributas, atque diſtractas fuiſſe reperiſſet: diligenter inquiſitâ, & benè cognitâ veritate; Regem quàm citiùs potuit, & non pigrè, inde requiſivit. Præcepit ergo Rex Comitatum totum, abſque mora conſidere; & homines Comitatus omnes Francigenas, & præcipuè Anglos in antiquis legibus, & conſuetudinibus peritos, in unum convenire. Qui cum convenerunt apud Pinendenam, omnes pariter conſederunt. Et quoniam multa placita de diratiocinationibus terrarum, & verba de conſuetudinibus legum; inter Archiepiſcopum, & prædictum Baiocenſem Epiſcopum, ibi ſurrexerunt: & coam conſuetudioes Regales, & Archiepiſcopales, quæ prima die expediri non potuerunt: ea cauſa totus Comitatus, per tres dies fuit ibi detentus.

X. Prædia ad Eccleſiam pertinentia, quæ Odo uſurpaverat, et deſtruxerat.

„ In illis tribus diebus diratiocinavit ibi Lanfrancus Archiepiſcopus plures terras; quas tunc ipſe Epiſcopus, & homines ſui tenuerunt: videlicet Herebertus, filius Ivonis, Turoldus de Roveceſtria, Radulſus, de Curva-ſpina; Hugo, de Monte-forti, cum omnibus conſuetudinibus, & rebus, quæ ad eaſdem terras pertinebant. Scilicet Raculſe, Sandwic, Rateburge, Wedetune; Monaſterium de * Lunning, cum terris & conſuetudinibus, ad ipſum Monaſterium pertinentibus: Saltunde, cum Burgo Hethe, ad Salmnde pertinente: Langport, Hiwendenne, Rokinge, Detlinge, Preſtitune, Sunderheſte, Earhethe, Orpintune, Einesford: quatuor præbendas Broche, de Niwentune, Stoches, & Devintune. In Suthreia, favente Rege Wilhelmo, diratiocinavit ipſe Archiepiſcopus Muttelache. In Londoniâ, Monaſterium Sanctæ Mariæ, cum terris, & domibus, quas Livingus Preſbyter, & uxor ejus habuerunt. In Middleſexe Hergas, Heiſam. In Bochingeamſire, Riſebergam, Haltune. In Oxenfordſire, Nivventune. In Eaſtſexe, Stiſtede. In ſutfolchiâ, Frachenham. Item ſuper Radulſum de Curva-ſpinâ ſexaginta ſolidatas de paſturâ in Grean. Et omnes illas terras, & alias diratiocinavit, cum omnibus conſuetudinibus, & rebus, quæ ad eaſdem terras pertinebant, ita liberas atque quietas: quod in illa die, qua ipſum Placitum finitum fuit, non remanſit homo in toto regno Angliæ, qui aliquid inde calumniaretur: neque ſuper ipſas terras, etiam parvum quicquam clamaret. Stokes verò & Devintune, & Frachenham reddidit Eccleſiæ S. Andreæ; quia de jure ipſius Eccleſiæ antiquitus fuerunt.

** forte Luninge.*

XI. Eccleſiæ reſtituuntur.

„ Et in eodem Placito, non ſolùm iſtas prænominatas, & alias terras; ſed & omnes libertates Eccleſiæ ſuæ, & omnes conſuetudines ſuas renovavit, & renovatas ibi diratiocinavit: Soca, Saca, Tol, Team, Flymena, Fyrmthe, Grithbreche, Foreſteal, Haunfare, Infangenneihcof, cum omnibus aliis conſuetudinibus, paribus iſtis, vel minoribus iſtis, in terris, & in aquis, in ſilvis, in viis, & in pratis, & in omnibus aliis rebus, infra civitatem, & extra; infra Burgum, & extra; & in omnibus aliis locis. Et ab omnibus illis probis, & ſapientibus hominibus, qui affuerunt; fuit ita ibi diraoocinatum, & etiam à toto Comitatu recordatum atque judicatum: quod ſicut ipſe Rex tenet ſuas terras liberas & quietas, in ſuo Dominico: ita Cantuarienſis Archiepiſcopus tenet terras ſuas omninò liberas, & quietas, in ſuo Dominico. Huic Placito interfuerunt Gotsfridus Epiſcopus Conſtantienſis; qui in loco Regis fuit, & juſtitiam illam tenuit: Lanfrancus Archiepiſcopus; qui ut dictum eſt placitavit, & totum diraoocinavit: Comes Cantiæ; videlicet prædictus Odo, Baiocenſis Epiſcopus: Ernoſtus Epiſcopus de Roveceſtriâ: Ægelricus Epiſcopus de Ciceſtrâ; vir antiquiſſimus, & legum terræ ſapientiſſimus: qui ex præcepto Regis advectus fuit, ad ipſas antiquas legum conſuetudines diſcutiendas, & edocendas, in unâ quadrigâ. Richardus de Tunnebregge: Hugo de Monteforti: Willielmus de Arces: Haymo, Vicecomes: & alii multi Barones Regia, & ipſius Archiepiſcopi: atque illorum Epiſcoporum homines multi: & alii allorum Comitatuum homines, etiam de toto iſto Comitatu, multæ, & magnæ authoritatis viri; Francigenæ, ſcilicet, & Angli.

XII. Jura Regis in Cantio.

„ In horum omnium præſentiâ, multis & apertiſſimis rationibus demonſtratum fuit: quòd Rex Anglorum, nullas conſuetudines habet, in omnibus terris Cantuarienſis Eccleſiæ, niſi ſolummodò tres. Et illæ tres, quas habet, coonſuetudines, hæ ſunt, Una, ſi quis homo Archiepiſcopi effodit illam regalem viam, quæ vadit de civitate in civitatem. Altera ſi quis arborem incidit juxta regalem viam, & eam ſuper ipſam viam dejecerit. De iſtis duabus conſuetudinibus, qui culpabiles inventi fuerint, atque detenti, dum talia faciunt: ſive vadimonium ab eis acceptum fuerit; ſive non, tamen in ſecutione miniſtri Regis, & per vadimonium emendabuot, quæ injuſte emendanda ſunt. Tertia conſuetudo talis eſt. Si quis in ipsâ regali viâ ſanguinem ſuderit: aut homicidium, aut aliud aliquid fecerit; quod nullatenus fieri licet: ſi dum hoc facit,

deprehenſus

,, deprehensus atque detentus fuerit, Regi emendabit. Si verò deprehensus ibi non fuerit: & inde absque vade dato semel abierit: Rex ab eo nihil justè exigere poterit. Similiter fuit ostensum, in eodem Placito: quod Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesiæ, in omnibus terris Regis & Comitis, debet multas consuetudines justè habere. Etenim ab illo die; quo clauditur Allelnia; usque ad octavas Paschæ: si quis sanguinem fuderit, Archiepiscopo emendabit. Et in omni tempore, tam extra Quadragesimam, quàm infra; quicumque illam culpam fecerit quæ Childvvite vocatur; Archiepiscopus, aut totam, aut dimidiam emendationis partem habebit. Infra Quadragesimam quidem, totam; & extra, aut totam, aut dimidiam emendationem. Habet etiam in iisdem terris omnibus, quæcumque ad curam & salutem animarum videntur pertinere.

JURA ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

XIII. ,, Hujus Placiti multis testibus, multisque rationibus, determinatum finem postquam Rex audivit; laudavit: laudans, cum consensu omnium Principum suorum confirmavit: & ut deinceps incorruptus perseveraret, firmiter præcepit. Quod propterea scriptum est hîc, ut & futuræ in æternum memoriæ proficiat: & ipsi futuri ejusdem Ecclesiæ Christi Cantuariensis successores sciant, quæ & quanta in dignitatibus ipsius Ecclesiæ, à Deo tenere: atque a Regibus, & Principibus hujus regni, æterno jure debeant exigere. Hactenus Punedensis conventus Decretum. quod antea latum: nimirum Ernosto, Roffensem Infulam gestante: sub hæc tempora executioni mandatum, cum Gundulfus Roffensem Sedem intravit. Priùs enim noluit Lanfrancus Ecclesiæ illi Pastorem præficere; quàm & loco ornamenta, & Pastori alimenta procurasset. Cæterùm diu jacuerant Roffenses Antistites, principum avaritiâ, cum paupertate luctantes: præsertim ex quo Godvvinus Comes Cantii, Edoardi Confessoris patientia, potentiaque abusus, prædia invaserat: quæ nunc primum restituta. Quod notatum invetuo in tabulis Gulielmi censualibus, de quibus infra: ubi sic legitur. *Elstoches Maucrium* (quod in Placito suprà Stokes appellatur) *fuit, & est de Episcopatu Roffensi: sed Godvvinus Comes* * *T. E. R. emit illud de hominibus, qui illud tenebant de Episcopo: & eo ignorante facta est hac venditio. Postmodum verò regnante VVillelmo Rege, diratiocinavit illud Lanfrancus, contra Baiocensem Episcopum: & inde modò Saisita est Roffensis Ecclesia.* Nimirum, ex quo Gundulfus ad illam consecratur.

* *Tempore Edoardi Regis.*

XIV. Nec minor Monasteriorum cura Lanfranco fuit: quia inde regnum; inde Ecclesiæ; ut primum rudimenta fidei, sic postea semper pietatis alimenta acceperunt. Exordium à Cantuariensibus Monachis fuit: quorum ædes vetustate collapsæ, monasticam quoque disciplinam distraxerant. Cathedrales illi, & Sancti Salvatoris templo ministrantes; præcedentium Archiepiscoporum negligentiâ, abiverant ab eâ morum bonitate, quæ monastico instituto deditos decebat. Obviaturus huic malo Lanfrancus, cum collapsa primùm ædificia, murosque erexisset; erigere tum cœpit collapsos Canonicorum animos ad Monachi nominis sanctitatem. Edmerus hoc expressit ita: *Lanfrancus cum Cantuariam primò venisset; & Ecclesiam Salvatoris, quam regere susceperat, incendio, atque ruinis pene nihili factam invenisset, mente consternatus est. Sed cum magnitudo mali illum cogeret desperare: rediit in se; animique magnitudine fretus, sua commoditate posthabitâ, domos ad opus Monachorum necessarias, citato opere consummavit.* Idem Albanensi Monasterio, à Lanfranco factum: ubi mortuo in Eliensi Cœnobio, Frederico Abbate, Paulum substituit. de quo ita scribit Parisiensis. *Paulus Abbas, natione Neuster, consanguinitate Archiepiscopo Lanfranco propinquus; Monachus fuit Cadomensis Ecclesiæ. Hic Ecclesiam B. Albani suscepit regendam, procurante dicto Archiepiscopo Lanfranco: qui eundem Paulum filiali dilexit amore: Promotus in Abbatem anno gratiæ millesimo septuagesimo septimo, quarto Calen. Iunii, tempore Regis VVilhelmi Majoris, scilicet Conquestoris, anno regni ipsius undecimo. Hic primus Abbas fuit hujus Ecclesiæ: postquam Anglia Normannis fuit penitùs subjugata.*

LANFRANCUS ETIAM MONASTERIIS CONSULUIT.

Edmerus l. 1. fo. 7.

Parisien. in vita Abbat. in Paulo, Abb. 14.

FREDERICO ALBANENO MORTUO, SUCCEDIT PAULUS.

XV. Extat ad hunc Paulum, Anselmi nostri Epistola, quæ illum in suscepto munere, sanctè obeundo, animat & hortatur, sic inscripta.

Domino, & Patri Abbati Reverendo & diligendo PAULO Frater ANSELMUS: sic sanctè vivere in temporali prosperitate: ut beate vivat, in æterna felicitate.

L. 1. Epist. 71.

,, GLORIA in excelsis Deo, cujus conspectui sic in occulto vita nostra placuit; ut eam ad exemplum in aperto sublimaret: & eam de terra ad cælum, per semitam virtutum tendentibus perviam, constitueret. Quatenus non solius suæ sanctitatis retributione, in regno cælesti lætetur: sed pro multis, quos Deo lucrabitur gaudium illi fælicitatis æternæ multiplicetur. Quamvis enim barbaris vestra prælata sit sanctitas: quos verbis docere propter linguarum diversitatem nun potestis: non tamen omnino vos apud districtum judicem excusare valetis; si alios lucrari Deo negligitis. Quod enim illis sermone non potestis dicere, vitâ potestis ostendere. Tantò namque efficacius bonum exemplo, quàm verbo persuadetur: quantò boni mores, in tacente diliguntur, & facundia in torpente contemnitur. Plùs itaque studete diligi ab omnibus mansuetudine, & misericordiâ: quàm timeri nimis austerâ, & nulli parcente justitiâ. Gaudeant cujuslibet ordinis homines, vobis commissi, sese commendatos esse Patri, & Pastori: non horreant sese traditos esse tyranno, & exactori, Lætentur affines Consultorem, & adjutorem, sibi à Deo venisse: non conquerantur, alienarum rerum invasorem, aut persecutorem, à sinistra parte irruisse. Sunt enim multi Prælati nostri ordinis: qui quasi soliciti, ne destruatur res Dei, in manibus eorum: agunt, ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum. Nam tantum conantur esse prudentes, ne decipiantur ab aliis, ut fiant astuti, ad decipiendum alios. Adeo sunt cauti, ne fiant prodigi: & quæ habent, irrationabiliter perdant: ut avari fiant, & quæ servant, inutiliter putrescant. Sic studiosè servis & pauperibus Dei, sancto loco semper satagunt aliquid acquirere: ut dolosè semper alicui tentent aliquid auferre. Sic

„ animantur zelo corrigendi ſtultos; ut accen-„ dantur crudelitate, aut cupidine colligendi „ nummos. Hæc igitur veſtra prudentia ſolicitè „ caveat: ita exteriora vobis commiſſa diſpo-„ nite; ut interiora veſtra, mandata Dei di-„ ſponant. Et ſemper mens veſtra dicat Deo: „ De vultu tuo judicium meum prodeat. Sic „ vos defendite, per prudentiam, à nocentibus; „ ut per ſimplicitatem nulli velitis nocere: ſicut „ ſcriptum eſt. Eſtote prudentes ſicut ſerpen-„ tes, & ſimplices ſicut columbæ. Sic cuſto-„ dite res Monaſterii veſtri, ut non obliviſca-„ mini, quod ſcriptum eſt. Si quis habens „ ſubſtantiam mundi, viderit fratrem ſuum ne-„ ceſſitatem habere; & clauſerit viſcera ſua ab „ eo: quomodo charitas Dei manet in eo? & „ alibi: Date, & dabitur vobis. Sic eaſdem res „ augere curate, ut à mente non excidat: Non „ concupiſces rem proximi tui. Taliter peccan-„ tes arguite, ut nec crudelitas adſit, nec avari-„ tia: quia ſcriptum eſt: Si præoccupatus fuerit „ homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales „ eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: „ conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. & rur-„ ſum. Neque avari, regnum Dei poſſidebunt. „ Non idcirco hæc, dilectiſſime mihi, veſtræ Pa-„ ternitati ſcribo: quod putem vos aliter agere: „ ſed quoniam, & vos juſſiſtis, & ego volui; ut „ literæ noſtræ vos ſequerentur. quod ut fieret, „ neceſſe fuit aliquid dicere. Hactenus Anſelmus.

XVI.

Noli Lector putare Lanfrancum, conſanguineos evehendo; ſuo potiùs nomini, quàm Eccleſiæ rebus famulatum: nam Paulus loco digniſſimus, adeptam provinciam, cum laude adminiſtravit: & Lanfranco auxilium, manumque porrigente, Monachorum mores, vitio temporis, degeneres compoſuit, atque correxit: & Albanenſe Monaſterium, ſanctitatis opinione florentiſſimum fecit. dicat hoc ejuſdem Cœnobii Monachus, qui ſupra. *Iſte Paulus Abbas, vir religioſus, & eleganter literatus, & in obſervantiâ ordinis regularis rigidus, & prudens: totius monaſticæ religionis normam (quam jam olim, tam Prælatorum, quàm ſubditorum remiſſioris vitæ illecebroſa voluptas eliminaverat) cautè, & paulatim, ne repentina mutatio tumultum generaret, reformavit. Et facta eſt Eccleſia S. Albani, quaſi ſchola religionis, & diſciplinaris obſervantiæ, per totum regnum Angliæ. Attulerat namque ſecum conſuetudines Lanfranci, & ſtatuta monaſtica, à Domino Papa merito approbata, conſcripta. Vnde odor bonæ famæ hujus Eccleſiæ, Romanam Curiam, & remota regna, illuſtrando pervolavit: & multorum tam Prælatorum, quàm Magnatum corda, feliciter ei inclinavit. Hujus equidem ſtudio, & prudentiâ, quibus affluebat, & eloquentiâ, reddita ſunt Eccleſiæ S. Albani, tria prædiola, cum ſilvâ amœniſſimâ, & Eccleſiâ vicinâ, Evvodâ, Tivvâ, Apſâ, & Cnicumbâ: quæ tempore Edvvardi Regis, eadem Eccleſia, antiquo jure poſſidebat: ſed poſtea tempore diſcriminum, pignori obligata, iniquorum violentiâ fuerant retentas; & ſic ferè alienata. nam cum Odo Baiocenſis Epiſcopus, & Comes Cantiæ, tempore Abbatis Fretherici, ex his prædiolis duo, ſcilicet Tivvam, & Apſam cum dictâ ſilvâ Evvodâ, in dominio ſuo haberet: & Remigius Epiſcopus Lincolnienſis tertium prædium, id eſt Cnicumbam cum injuſte poſſideret: tandem, tum importunis precibus Abbatis; tum pretio minima pecuniæ victi: tum metu Martyris perculſi, prædicta prædiola cum ſilvâ, liberâ reſtituerunt.*

Monaſterium Albanen. ſchola Religionis.

Prædia Monaſteria reſtituantur.

XVII.

Cæterùm hæc omnia in Lanfranci laudibus, paſſim ab Authoribus ponuntur. unde Edmerus ita. *Quid referam,* inquit, *de Abbatia Sancti Albani, quam intus, & extra, ad nihilum ferè devolutam; ipſe* (Lanfrancus) *ut ſuam, inſtituto ibi bonæ memoriæ Paulo Abbate, à fundamento reædificavit: & intùs magnâ religione, foris multarum rerum donatione auxit, honeſtavit, ditavit.* Nec dubitari debet, aut citra pertinaciam controverti: quæ morum ſanctitas, aut Cantuarienſes, aut Albanenſes Monachos auxerit: hoc eſt, cujus inſtituti fuerint, quos Lanfrancus, & Paulus formaverunt. nam Matthæus Weſtmonaſterienſis clarè loquitur. *Ipſe Archiepiſcopus Lanfrancus, Monachorum ordinem ſecundum Regulam Beati Benedicti, in multis Cœnobiis Angliæ conſtituit. Primò verò in Eccleſia Cantuarienſi. poſtea in Eccleſiâ S. Albani Protomartyris, ubi etiam decedente Frederico Abbate, ſubſtituit nepotem ſuum Paulum, qui fretus adminiculo avunculi ſui, Eccleſiam reſtauravit: & ordinem penè lapſum reformavit.* Hæc reformatio non alia fuit, quàm Benedictinæ regulæ ad integrum, & ad primitias ſpiritus reſtitutio. quas *olim tam Prælatorum, quàm ſubditorum remiſſioris vitæ illecebroſa voluptas eliminaverat:* inquit ille. Quemadmodum ergo ſuperiore ſæculo, cum Monachorum nomen, pietaſque jaceret, cum aliarum rerum viciſſitudine, paſſa naufragium; Excivit Deus Dunſtanum, & Ethelwoldum, ad monaſticæ vitæ perfectionem reducendam: ita nunc Lanfrancum, alioſque vocat; ad illud proſequendum quod Auguſtinus noſter primùm induxerat; quod poſtea Benedictus Biſcopus perpoliverat: quod deniqùe ruinam minitans Dunſtanus erexerat. Necdum itaque pervaſerat Angliam, aut Cluniacenſis, aut Ciſtercienſis Monachi nomen: quod brevi tamen cum magnâ ſanctitatis opinione prodibit.

Edmer. l. 1. fo. o.

Monaſtica reformatio Lanfranco tribuenda.

Weſtmonaſt. an. 1071.

Varia Monachorum reformatio.

ANNUS CHRISTI 1078.

GREGORII VII. PAPÆ 6.

GUILIELMI I. REGIS 13.

I.

CREVIT Eccleſiarum ſplendor, Lanfranci induſtriâ, bona repetentis; quæ Deo à fidelibus conſecrata, degeneres Eccleſiæ filii diſtraxerant aliò. Regularis etiam diſciplina plurimùm reſpiravit: cum quod foris pulchrum, boneſtum, ac religioſum erat; è Galliarum hortis delibatum, ad Anglorum clauſtra ſanctarum apum labore transfertur. Eminebat in Galliis Cluniacenſis familia; & plures provincias ad Dei amorem, mundique contemptum, erexerat. Sed necdum in Angliam ſol ille, pietatis ſuæ radios miſerat: donec Guilielmi Regis ſtudio, & Guilielmi alterius induſtriâ, expenſiſque, ſancta illa Monachorum diſciplina, Anglorum etiam Monaſteria penetravit, illuſtravitque. quod factum putamus, ſub annum Domini milleſimum ſeptuageſimum octavum. Quo etiam tempore, alia per Inſulam Cœnobia Lanfranci prudentiam, fortitudinemque æmulata; cum Odonem ab eo premi poſſe cernerent: minorum gentium

Cluniacenſe inſtitutum Anglia amplectitur.

dominos;

dominos; qui bona sua invaserant, premi quoque posse sperabant. Rege præsertim per lucida intervalla, pietatis igniculos, scintillasque emittente. Præsertim sub hæc tempora; cum ad Cluniacense Monasterium, & Hugonem ibi sanctum Abbatem scripsisse putetur; petiisseque pias operas; quæ Ecclesiasticam Anglorum disciplinam exemplo, sanctæque vitæ disciplinis excolerent. Cæterùm licet ille importunâ usus dialecto, repulsam tulerit: alter tamen Guilielmus, à Warrenna dictus, & Regis gener; cum Romam peregrinus pergeret, & Cluniacum lustraret, loci sanctitate captus: opportuniùs intercessit, impetravitque ab Hugone, sacram coloniam in suum Lewiarum agrum deducendam: ut statim dicam. nunc præmitto importunas Guilelmi Regis preces, quas Sanctus Hugo noluit admittere: de quibus in Cluniacensi Bibliotheca hæc habentur.

II. *Apud Reynerum in Apost. Script. 47.*

GUILIELMUS REX PETIT MONACHOS CLUNIACEN. IN ANGLIAM MITTI.

Rex Anglorum VVillelmus, vir magnificus, & in armis strenuus, & infinitis opibus, ac viribus potentissimus: cum præfata regionis potiri cœpisset, ejusq; coronam regni, bello obtinuisset: volens, digne Episcopatus, & Abbatias terræ illius ordinare: misit literas Illustrissimo Abbati, Sancto Hugoni, & mandavit ei supplicando; ut sex ei personas dirigeret, ex fratribus nostris; quorum consilio agere posset; quicquid illi, de Ecclesiis ordinandis foret agendum: eisq; Rectoribus constitutis, securus esset de ovibus custodiendis, atque regendis. Adjecit quoque se daturum pro singulis argenti libras centum, quotannis Cluniaco, sub titulo amicitiæ, & gratiæ: nè fortè esset grave sacro loco carere personis suis, & earum fructum perdere. Sed qui emptor fieri voluit; non potuit; quia Monachorum non invenit venditorem. Respondit enim Philosophus Christi, qui animabus fratrum nihil censebat comparandum.

III. HUGONIS AD REGEM EPISTOLA.

Petitio, inquit vestra, Domini Rex, descendit ex bonâ voluntate: qui vultis gentem vobis à Deo traditam, ad salutem suam ordinare. Verum vestra Majestati, quod poscitis, ita quod jungitis; incongruum nostræ saluti; ut animas, quas in periculo animæ meæ, & capitis mei suscepi; vendam terreni mercimonii cupiditate: & mittam in perditionem, aut generalem, aut specialem: videlicet ubi aut omnes, aut aliqua eorum pereant: & ego pro illis rationem reddam, apud quem nihil valet aurum, nihilq; prodest argentum, aut argumentum vanæ excusationis. Quomodo ergo faciam pro ullo munere: quod si facerem pro toto mundo, mihi parum esset: cum pro uno ex eis perdito, peterem? Quid enim proficit homini, si universum mundum lucretur. seipsum autem perdat, & detrimentum sui fatiat? Igitur, charissime Domine, hoc nolite à me quærere: quod facere, nisi cum perditione meâ, non possum: quia nullo pretio volo animam meam venundare. Quam profectò venalem darem, si unum ex fratribus mihi commissis mitterem; ubi illum perderem. Lubentiùs ego pecuniam darem pro comparandis Monachis, quibus valde indigeo per diversa loca à me ordinanda; quam pro eorum venditione acciperem. Quod enim Capitulum nostrum in partibus illis timerent, ubi nullum viderent Monasterium, ad cujus portum applicare valerent, vel constringi possint? Aliud itaque jubete, & sustinete hoc patienter; si non potest fieri, cum salute animæ vestræ, quod petistis. Valete.

IV. EXPENDITUR

Nescio quid scripserit, aut quâ usus verborum dialecto Guilielmus, has ab Hugone literas extorserit. Sed quia bonarum mentium est ibi culpam aliquando timere; ubi culpa minimè reperitur: opinari quis poterit Regem non absurdè postulasse sanctioris Reipublicæ subsidia, inde mitti, ubi ea fuisse omnium sermone ferebatur. Et quorsum illa periclitari, nedum perire, dicenda essent: cum à Christiano & orthodoxo Principe, ad summum Dei cultum promovendum vocarentur: non alia potest reddi ratio; quàm quia simoniæ vitium, pietatis pallio apertum, videbatur. Et reverà hoc tempore, sub Gregorio VII. illo morbo laborantes vapulabant maximè, & nuper idem Hugo, ab Alexandro Papa missus, ad Robertum Augiensem Abbatem; excommunicationis, & exauctorationis sententiam in eum deprompserit, quod pecuniâ dignitatem nundinatus esset. Sed alia opinor, & sanctior Guilielmi mens, eleemosynæ puræ, non stricti contractus nomine, pecuniam offerentis. Sed quicquid ille fecit, scripsitve: Guilielmus alter, Regis gener, impetravit ab Hugone Sancto, Monachos Cluniaco mitti, conditione non multum absimili. Et tunc, non aliud Hugo objecit, quàm longinqui itineris molestias, atque pericula: quæ tamen Apostolici viri nullo negotio devorare, & magno etiam impetu appetere, consueverunt. Fortè hac datâ occasione, commercioque literarum Guilielmus primus beneficium fraternitatis ab Hugone petiit, & impetravit. de quo Bibliotheca Cluniacen. in vitâ S. Hugonis hæc habet. *Cum Guilielmus primus Anglorum Rex suscepisset donum societatis Cluniacensium à S. Hugone, & ad tanta benedictionis munus, pileo Regali deposito, caput cum summâ humilitate profundè inclinasset: satrapis suis illud factum stupentibus, dicitur hanc suæ reverentiæ causam dedisse. Nolite mirari, quod me tam devotè inclinaverim, tamq; humillimè: quia causa tantæ benedictionis, & investituræ, specialiter exegit, ut facerem, quod faciendum judicavi. Non enim tantum munus unquam suscepi: nec ipso die, tam grande aliquid me acquisivisse putetis, quo hujus regni coronam obtinui: quia cunctis quæ habeo, terminus erit relinquendis: sicut initium fuit capiendis. Cælestis autem gloria (cujus arrham quodammodo suscepi, quando sancto Collegio me Cluniacensi miscui) finis esse non poterit.*

GUILIELMI ET HUGONIS MENS.

Apud Reynerum fo. 36. tract. 2.

V. CLUNIACENSIUM PRIMUS ADVENTUS. PRIORATUS S. PANCRATII.

Quo anno prima Cluniacensium Monachorum missio fuerit; ideo meritò quæritur; ut nobilissimæ illius familiæ exordia, progressusque, ad aliorum institutorum differentiam, pernoscantur. Et quia Prioratus Sancti Pancratii, in agro Sussexiensi, quem fundavit Guilielmus à Warenna, primum in Cluniacensium Monachorum ordine locum præscripsit: ideo investigato tempore, quo ille emersit; habes ejus familiæ in Angliorum primum. Nesciremus profectò annum illum: nisi antiquus liber Manuscriptus; ubi fundationum exordia describuntur, nos ad eum conjiciendum manuduxisset: Ibi igitur inter cætera hæc habentur. *VVillelmus Primus de VVarenna, primus Comes Surregiæ, & fundator Ecclesiæ Lewvensis, diem suum clausit extremum, octavo Kal. Iulii, annô gratiæ millesimo octogesimo octavo, & fundationis Ecclesiæ prædictæ undecimo: à conquestu 23. iste primo non vocabatur, nisi solummodo Guilielmus de VVarenna. Postea verò processu temporis, à VVillelmo filio Regis, & Conquestoris Angliæ, filiam cujus desponsaverat, plurimum honoratus est, atque Comes Surregiæ factus, & appellatus est. Ipse jacet*

Apud Reynerum in Apost. Script. 49.

in Capitulo Levvenſi, juxta Dominam Gundredam, Comitiſſam ſuam, & filiam prædicti Regis Conqueſtoris. Duravit iſte Comes toto tempore VVillelmi Primi Conqueſtoris, per viginti annos; & tempore VVillelmi Rufi, ſecundi Regis per unum annum. Hæc ibi. Ex quibus conficitur, Prioratum illum, ſub hæc tempora; nimirum undecim ante Comitis mortem annis, fundari cœptum. Idem infertur ex eo quod Matthæus Weſtmonaſterienſis de Lanzone ſcribit Priore S. Pancratii: quod ſcilicet ſuperiore anno in Angliam venerit. Cum enim ille Cluniacenſem familiam huc primò duxerit, rexeritque: Monaſterii fundamenta hic commodè collocamus. Adde, Weſtmonaſterienſis ad hunc annum ita ſcribit: *Guilielmus Comes VVarenna, qui venit in Angliam cum Guilielmo Baſtardo, fundavit Prioratum S. Pancratii de Levves.*

VI. Cæterùm quid Guilielmum à Warenna moverit, ad peregrinam Regularis diſciplinæ formam in Anglorum Eccleſias inducendam: & unde in Cluniacenſem familiam ejus amor emerſerit, ipſe candido ſermone, poſterorum memoriæ reliquit in libro ſuprà citato, ubi Prioratus Sancti Pancratii fundatio deſcribitur; ubique hæc principio leguntur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Apud Reynerum in Apoſto Scrip. 48

OCCASIO FUNDATIONIS S PANCRATII.

,, EGo Willielmus de Warennâ, & Gundre-
,, da uxor mea, volentes peregrinationem fa-
,, cere, ad S. Petrum, in Româ; perreximus per
,, plura Monaſteria, quæ ſunt in Franciâ, &
,, Burgundiâ, causâ orationis. Et cum veniſſe-
,, mus in Burgundiam; didicimus quod non po-
,, tuimus securè tranſire, propter guerram, quæ
,, tunc fuit inter Papam & Imperatorem. Et
,, tunc divertimus ad Cluniacum Monaſterium;
,, magnam & ſanctam Abbatiam, in honore
,, S. Petri: & ibi adoravimus & requiſivimus
,, Sanctum Petrum. Et quia invenimus ſanctita-
,, tem, & Religionem, & charitatem tam ma-
,, gnam ibi; & honorem erga nos à bono Prio-
,, re, & à toto ſancto Conventu, qui recepe-
,, runt nos in ſocietatem, & fraternitatem ſuam;
,, Incepimus habere honorem, & devotionem
,, erga illum ordinem, & illam domum ſuper
,, alias domos, quas videramus. Sed Dominus
,, Hugo, ſanctus Abbas eorum, tunc domi non
,, fuit. Et quia longè antea, & tunc magis, ha-
,, buimus in propoſito & voluntate, per conſi-
,, lium Domini Lanfranci Archiepiſcopi, ego &
,, uxor mea; quod faceremus aliquam domum
,, Religionis, pro peccatis noſtris, & ſalute ani-
,, marum noſtrarum: Tunc viſum fuit nobis;
,, quod de nullo alio ordine tam libenter, quàm
,, de Cluniaco eam facere vellemus.

VII. ,, Et ideo miſimus, & requiſivimus à Domino
,, Hugone, & à totâ ſacrâ Congregatione: quòd
,, concederent nobis duos, vel tres, vel quatuor
,, Monachos de ſancto grege ſuo: quibus dare-
,, mus Eccleſiam unam, quam de ligneâ lapideam
,, fecimus, ſub caſtro noſtro Lewarum, quæ
,, fuit ab antiquo tempore, in honore S. Pan-
,, cratii. & illam daremus eis: & tantùm in prin-
,, cipio terrarum, animalium, & rerum; unde
,, duodecim Monachi poſſent ibi ſuſtentari. Sed
,, ſanctus Abbas priùs fuit nobis valdè durus, ad
,, audiendam petitionem noſtram, propter lon-
,, ginquitatem alienæ terræ; & maximè propter
,, mare. Sed poſtquam nos perquiſivimus li-
,, centiam, à Domino noſtro Rege Willielmo,
,, adducendi Monachos Cluniacenſes in Angli-
,, cam terram: & Abbas ex ſua parte requiſivit
,, voluntatem Regis: tunc tandem donavit, &
,, miſit nobis quatuor de Monachis ſuis, Domi-
,, num Lanzonem, & tres Monachos ſuos: qui-
,, bus donavimus in principio, omnia quæ eis
,, promiſimus; & confirmavimus per ſcriptum
,, noſtrum, quod miſimus Abbati Cluniacenſi,
,, & Conventui. Quia noluerunt nobis antea
,, Monachos mittere, quam haberent confirma-
,, tionem noſtram, & Regis, quia eis perquiſivi-
,, mus de omnibus rebus, quas eis donavimus.
,, Et ſic dati ſunt mihi, & uxori meæ Monachi
,, Cluniacenſes, & Conventus in Anglicam ter-
,, ram. Hactenus ibi de primo Cluniacenſium Monachorum ingreſſu: qui feliciſſimè poſtmodum Angliam illuſtrarunt: Lanzone Monachis lucem præferente. de quo ſic loquitur Malmeſburienſis. *Monaſterium Sancti Pancratii, Lanzo quidam Monachus Cluniacenſis, in ſupremo religionis locavit cacumine. Efficaciam viri ſublimitas prætendit loci: adeo ut veraciter aſſeratur, nullum omnino Monaſterium poſſe illud vincere, religione ad Monachos, affabilitate ad hoſpites, charitate ad omnes. Vincit pompam famæ rerum veritas; licet fatiget audientes, referentium verboſitas. Certè de Lanzone plura loquerer, niſi alias non contemnenda dixiſſem. Simulque ejus meritum, omne tranſcendit eloquium.* *Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 238.*

VIII. Surrexerunt etiam alia, per Inſulam, Monaſteria, & ſplendorem quem amiſerant, Rege favente; ſed Deo imprimis pro illis pugnante; receperunt. Ingulfus, Croylandenſis Abbas; ut vidit Lanfranco feliciter ſucceſſiſſe, in Pinnedenſi nuper Conventu; ubi prædia Monaſteriis erepta, magno populorum ſuffragio, reſtituta ſunt: cœpit pro Monaſterio ſuo; quod didicerat olim prædives fuiſſe; vigilanter excubare; fundationis inſtrumenta, donationum chirogra, aliaque inveſtigare ſui juris adminicula: ut pro Monachis Eccleſiaque ſibi commiſſis, advocaret. Sed ea aliquorum avaritia fuit, & cupiditas habendi: ut multa, vel ſilentio tegerent, vel mendacio ſimularent. Verùm Abbas contra, & Guilielmi Regis benevolentiâ, & ſuæ cauſæ æquitate fretus; in judicium vocat, quem Monaſterii ſui expilatorem noverat. Et ille, qui olim Monaſterii rem temporalem procurarat: ſub novo magiſtratu, & alia rerum facie, latere ſperans; ſeculare judicium non formidat. Deus tamen judicii formam, proceſſumque non expectans: ſeveram ipſe ſententiam tulit, & ſacrilegum hominem mirabiliter punit. Rem geſtam, à candidiſſimo Authore ſcriptam, & noſtro ſæculo (cum omnia Eccleſiarum bona expilantur) opportunam, ex Ingulfo accipe, rationem ſic reddente villicationis, & adminiſtrationis ſuæ.

IX. *Ingulfus fo. 905 fine.* INGULFUM PRO MONASTERIO SUO LABORANTEM, *Veniens itaque in Monaſterium: & inveniens univerſos nimium deſolatos, ac ad deſperationem humiliatos; pro variis infortuniis, quæ domum undique depreſſerant: conſului tam laicos, quam literatos; qui Cœnobii ſubſtantiam noverant: quibus auxiliis, aut refugiis, annis anterioribus Monaſterium relevatum viderant: Et quibus in rebus ſubſtantia Cœnobii conſiſtere ſolebat; deprecatus ſum diligentiſſimè, quatenus mihi veraciter, & unde iſta exponentes; nulla, quæ noſſent, neceſſaria, de meâ notitiâ ullo modo*

concelarent.

DEUS IUVAT MIRABILITER.

concelarent. Illi verò responderunt. Asfordum quendam de Helestonâ, Ballivum quondam Domini Wulketuli Abbatis, immediati prædecessoris mei; maneria & reditibus totius Monasterii, à multis annis præfuisse: terras & tenementa firmariis tradidisse: & reditus, & proventus recepisse: omnesq; operarios Cœnobii, pro libito, præmiasse ipsumq; supra modum divitem factum; ruinas Monasterii rarissimè restaurasse: ipsum solum statum Monasterii nostri nosse. ipsumq; solum Monasterium relevare posse. Hoc ego Ingulfus intelligens; ipsum Asfordum accersiri feci: statumq; Monasterii nudè sibi demonstratum, suo consilio ac auxilio indigere innotui. multisq; precibus, & promissis precans, ac procurans ad auxiliandum, suam benevolentiam captare summâ diligentiâ insudavi. Insuper meam ruditatem, & recentiam patenter exposui: & extremam miseriam, tam meam, quàm totius Monasterii, nisi manum apponeret adjutricem, integrè patefeci. Ille ad hæc omnia ferreus, & adamantinâ duritie impenetrabilis, ad modum aspidis surda, & obturantis aures suas, preces meas sprevit; promissa mea risit: & quasi de Monasterii miseriâ concepisset gaudia, omne concilium meum despexit. Quod ego intelligens, & clarius metuens; sui ratiocinii rotulos, de universis terris. & monumenta mihi tradi, suppliciter insistebam postulare: & in quibus villis circumjacentibus nostri reditus consisterent, quatenus edoceret, multis precibus insudabam impetrare.

X. ASFORDUS BONA MONASTERII INIUSTE OCCUPAT.

Ille tandem, magnis promissis inductus, cum plurima tenementa Monasterii per villas declarasset: ad villam de Helestou perveniens, non tantùm nostros reditus concelavit: verum nostra tenementa sua esse, & se hereditariè possidere multis perjuriis ferè fidem fecit. Sed senioribus nostris semper contradicentibus; & chartas & monumenta sufficientia ostendentibus; ille jura nostra sufflavit; & coram regiis justitiariis se palam verificaturum ipsa tenementa, sua esse patrimonia, cum multâ contentione promisit: & sic de Cœnobio nostro processit. Nobis itaque in dictis tenementis, coram Regis Ministris calumniam ponentibus; dies juridicus apud Stanfordiam datus est. Quo die, cum Regis justitiarios, pro negotiis Monasterii aditurus, me Fratrum meorum orationibus commendassem; versus Stanfordiam, confidens in Domino, equitabam. Ille verò confidens in magnitudine divitiarum suarum; & in thesauris pecuniæ ponens omnem spem suam; erecto collo, contra Deum, equitabat. Et ecce, offendens equus suus ad petram scandali, in medio itinere ascensorem dejecit; dejectiq; collum confregit: &

SACRILEGIUM PUNITUR.

animam gradientis contra Dominum, cum superbiâ, ad inferos transmisit. Quod cum Regis curia, ac nobis, judicium nostrum expectantibus, apud Stanfordiam narraretur: non adhibentibus adhuc tali casui plenam fidem, alius dies datus est.

XI. *In crastino verò, cum ille tumulandus, versus Cœnobium Burgi; quo sepulturam suam sæpiùs constituerat; à vicinis & parentibus, in secreto portaretur: decem acras Monasterio nostro pertinentes, quas vivens sibi vindicaverat, portantes feretrum calcabant. Et ecce, nigerrima nube, in suo circuitu, solem obducente, & quasi nocturnas tenebras adducente; tale pluviæ diluvium, cœlum defundebat; quod utique fluentibus aquis, dies Noetica credebantur. Quin etiam subitò feretrum frangitur: & corpus defuncti corruens in terram, in sordido cœno diutissimè volutatur. Quod videntes qui portaverant, manum Domini cognoscentes; clarè suam injustitiam confitebantur. Parentes autem sui, & propinqui nobis, qui de Stanfordiâ, hoc eodem momento temporis adveneramus, occurrentes obviabant: & veniam præstari contra tam violentam injuriam, & apertam Dei vindictam, provoluti nostris pedibus, deposcebant. Nos regratiantes Deo, & Sancto Guthlaco, de suo adjutorio, injuriam dimisimus: & pratum nostrum, cum cæteris omnibus calumniatis, integrè ab iis disclamatum, recepimus: & usque in præsens tempus pacificè possidemus. Per omnia benedictus Deus, qui reddidit impio, juxta opera manuum suarum: & infatuans, infirmans consilia cordis ejus. Hac vindictâ Domini super adversarios nostri Monasterii, per omnium ora longiùs volitante, & ad aures æmulantium terribiliùs intonante, non erat qui deinceps Dominum, defensorem nostrum, auderet in aliquo offendere: nec qui S. Guthlacum, de cætero præsumeret ad iracundiam provocare.*

XII. Terruit enimvero hæc mirabilis vindicta sacrilegas multorum manus; nè porrò illas, in Monasteriorum & Ecclesiarum bona injicerent. Quis enim non timeret miscere sacra profanis, Christi patrimonium invadere, & fidelium Christianorum dona, Deo, ejusque servituti mancipata, aliò convertere. Certè Guilielmus Rex, & Normanni pientiores, hoc docti exemplo: non tantùm loca sacra reverenter deinceps coluerunt: sed aliis extruendis Authores fuerunt; ut anni sequentes indicabunt. Verùm brevis fuit, & non diuturni temporis, terror iste. nam Gulielmus filius, & successor; Vindicis Dei, & vindictæ oblitus, in pejus proficiet; Ecclesiam contemnet, invadet bona: & demum similem Asfordo exitum sortietur, tristissimo infortunio. Uterque undecimi sæculi argumenta sunto: V. an. 1100. 1. &c.
Deum pro Ecclesiâ, pro Monasteriis, pro dote suâ, pugnare: & illis irasci, qui piorum vota impiè temerant. Videant ergo decimi septimi sæculi tribuni-plebis: qui infami, & omnibus futuris sæculis pudendo plebiscito, non unam Ecclesiam, aut Monasterium; sed omnia omnino bona, bono Christo consecrata, invaserunt, deprædati, atque suffurati sunt. Et illa sacri cultus, & divini honoris instrumenta: novæ Babelis, & impiissimæ factionis fundamenta fecerunt. Si Deus iratam hic manum non extendit, fortiùs feriet in futurum. Crediderunt olim majores, templorum & sacrarum ædium ædificiis, utramque Remp. firmari atque muniri. ergo illis destructis atque subversis, utraque Resp. injuriis obnoxia, facilè dissipatur: quod hodie cernitur luce clarius; cum Regia simul & Ecclesiastica majestas jacet, vilescit, atque pessundatur.

TEMPLORUM RUINAM SEQUITUR RUINA REIP.

XIII. Longè feliciora tempora fuerunt; cum Spiritu sancto moti fideles ad Dei, Sanctorumque cultum, & Ecclesiarum ædificia, sua profuderunt; & Reges præiverunt exemplo. Selbeiensis Monasterii, in Brigantibus & Eboracensi agro, exordia, ad hunc annum 1078. à Spedo, & aliis referuntur. Guilielmus Rex locum illum terris, privilegiis, & chartâ munivit, quæ ita loquitur.

SELBEIENSIS MONASTERII INITIA.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Amen. VVILLIELMUS fortissimus, imo potentissimus omnium Regum illorum, à quibus eo tempore sceptra Regalia sub Deo gubernabantur, maximum imperium Anglicæ terræ regens; quod permissione, & voluntate Dei, primum signis, mirabilibusque prodigiis, ac deinde magnis viribus, bellisque debellando Anglos tandem acquisitum gubernat: Viris tam Ecclesiasticis, quàm suis Comitibus, Baronibusque atque Ministris omnibus, Salutem.

XIII.
Reyner. tract. 2. fo. 155.
DIPLOMA PRO SELBEIENSI MONASTERIO.

„ DIVINA providente Dei misericordiâ, & à mea bonitate, divina clementia inspirata, devotè postulanti Benedicto Abbati devotissimo: Cœnobium in honorem Domini nostri JESU CHRISTI, & Beatissimæ ejus genetricis, & virginis MARIÆ, & Germani Antisiodorensis Episcopi, in Selbeiâ fundare concessi. In qua fundatione conjeci, & regali liberalitate posui, & dedi, de propriâ meâ mensâ, ipsam Selbeiam. videlicet unam carrucatam terræ de Swait, & sex Boicatas de Haxley, & Rodeliffe: & dimidiam carrucatam in Biuria: & unam piscariam Witegift, & terras à Thoma Archiepiscopo eidem Ecclesiæ datas: videlicet Fristunam, & Salebiam minorem; tam secundùm vivam vocem, quàm juxta brevis ejus tenorem. Eodem modo Exol hundred, quæ jacet in Vicecomitatu Lincolniæ; & Stanfort, quæ est in Comitatu Hamtoniæ, quas dederunt Gaufridus de la Wirche, & Wido de Ravencourt, sine retentu confirmavi, & dando concessi: & cuncta cum his, quæ undecunque tam in terris, quàm in aliis oblationibus, quæ instinctu sancti Spiritus, à devotis benefactoribus offerri, & quaquà versum jure, prece, & pretio adquiri possunt; sub Regali munimine, ab omni exactione, & molestiâ, & vexatione, solutè, & quietè, & liberè; prout decet eleemosynam Regiam, & propriam Abbatiam; interminabili, & perpetuâ pace tenere; & curiam suam, cum Saca, & Socca, & Tol, & Team, & Infangenctef: & cum omnibus consuetudinibus, quas meliores habet Ecclesia Sancti Petri Eboracensis, habere & perpetuo possidere, ad testimonium & confirmationem hujus eleemosynæ, & donationis, pro salute animæ meæ; & tam præcedentium, quàm subsequentium meorum. Datâ chartâ hac, & confirmatâ apud Londonias in præsentiâ istorum scilicet, Odonis Baiocensis Episcopi; Edouardi de Salebiriâ, Hugonis de Portu, Hugonis de Monteforti, Roberti de Ollei, Roberti filii Comitis Gilleberti, Balduini fratris ejus, Remigii Episcopi, Radulphi Talbois, Rodberti de Tenu, Gaufridi de la Wirche: & totius Curiæ Regis. Annus erat millesimus septuagesimus octavus. Ita diploma recitat Reynerus in Apostolatu. nunc Remp. alteram invisamus.

XIV.
TURRIS LONDINENSIS EXTRUITUR

Ad hunc duodecimum Guilielmi Regis annum, Authores passim referunt Turris Londinensis ædificium, atque structuram. Nimirum, ut sanctior Respublica suis munita præsidiis, florere cœpit, & caput sursum tollere. Sic altera, propugnaculis non careret, quibus cives ab injuria arcerentur. Erat Londinum imperii sedes, emporium Insulæ, Angliæ compendium. Ibi Guilielmus, firmaturus suis posteris coronam, arcem extrui mandat, suis votis, urbisque splendori, parem. Itaque, quà murus Orientem spectat, & in Thamesim desinit; illustrissimæ arcis fundamenta ponuntur: quæ mœnibus undique incincta, turribus excelsa, vallo, latisque monita fossis, securitatem civibus, terrorem hostibus incuteret. Gundulfus Roffensis Episcopus, operi præfuisse, consilioque illam promovisse dicitur. Qui etiam multo certius, ad Cathedralis Ecclesiæ suæ patrocinium, in Roffensi urbe castrum posuit, cujus hodieque extant vestigia. Cæterùm Londinensis urbis munimentum, domibus aliquot ita instructum, ut oppidum æmuletur.

ET ROFFENSE CASTRUM A GUNDULFO EPISCOPO.

ANNUS CHRISTI 1079.
GREGORII VII. PAPÆ 7.
GUILIELMI I. REGIS 14.

I.
WINTONIEN. ECCLESIÆ FUNDAMENTA IACIUNTUR.

DUM in Anglicano agro benè jacta pietatis semina feliciter crescunt: inimicus homo superseminat zizania. Wintoniensis Ecclesiæ fundamenta, anno Christi millesimo septuagesimo nono, Walkelini Episcopi operâ jaciuntur: & alibi res Monastica, læto proventu, spem magni fructus faciebat: cum malo genio Guilielmi Regis pectus occupante; ipsum inter, & Gregorium, Romanum Pontificem, est aliquid simultatis exortum. Et qui paucos ante annos Regem laudaverat, quod inter Christianos Principes, Christianè emineret: nunc infra Paganos etiam Principes, eundem premit. Subaudierat Gregorius Guilielmum Regem, id imperii in Episcopos præsumpsisse; ut eorum accessum ad limina Apostolorum, se inconsulto, prohibuerit. Quod Pontifex summè detestatus; scribit ad Lanfrancum Cantuariensem, & jubet sanctius illi consilium dare; monereque nè temerè infulas tangat, aut in Petri Sedem, & Apostolorum limina præsumat. Omittunt hoc dissidium, & pietatis solœcismum, Authores nostri: unde unis clausum Gregorii literis putamus. Baronius curiosus rerum harum observator, suis in Annalibus illum revelavit: ubi etiam Gregorii literas; aut saltem literarum partem, exhibet; ad Hubertum datas; & ita loquitur,

GREGORIUS PAPA GUILIELMO REGI IRASCITUR.

II.
Baron. hic n. 21.

Accidit his temporibus, quod Gregorii ipsius animum haud mediocriter perturbavit: nimirum quod Willelmus Rex Angliæ, Episcopos omnes prohibuerit; nè se conferrent ad limina Apostolorum. Gregorius autem per Hubertum Subdiaconum, Legatum Apostolicæ Sedis, eum admonendum curavit. Cui etiam in mandatis dedit; ut ex unoquoque Archiepiscopatu, duos Episcopos, Romam ad Synodum venire jubeat. Sic enim de his ad Hubertum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, scribit mense Septembri hoc anno (millesimo septuagesimo nono) tertiâ jam inchoatâ Indictione. Multa sunt, unde Sancta Romana Ecclesia adversus eum (Guilielmum Anglorum regem) queri potest. Nemo enim omnium Regum, etiam

LITERÆ GREGORII AD HUBERTUM.

Papam… m, contra Apostolicam Sedem hoc præsumpsit tentare: quod is non erubuit facere: scilicet ut Episcopos & Archiepiscopos, ab Apostolorum liminibus, nullius tam irreverentis & imprudentis animi, prohiberet. Unde volumus, ut eum nostra vice, prudentia tua studeat admonere: quatenus honorem, quem sibi a subditis suis graviter fert non exhiberi; Sancta Romana Ecclesia, non tantopere laboret imminuere & debitas gratias agendo, gratiam Beati Petri procuret acquirere. Nos enim amicitia nostra pristina, circa eum memores; & Apostolicam mansuetudinem, quantum, Deo authore, possumus imitantes, hucusque illius culpæ pepercimus. Qui, si his, & similibus, quæ tibi nota sunt, modum non imposuerit; omnino sciat se iram B. Petri in se graviter provocaturum. & inferiùs. *Præterea monemus te, ut ex parte B. Petri præcipias, & invites tam Anglicos, quam Northmannicos, ex unoquoque Archiepiscopatu, vel duos Episcopos ad Romanam Synodum, quam in Quadragesimâ, Deo authore, sumus celebraturi, venire. Qui si fortè murmuraverint, & ad eum terminum se dixerint interesse non posse: vel post Pascha studeant Apostolicæ Sedi se præsentare.* Ita Gregorius.

III. Hubertus in Angliam iterum mittitur. *Baron. hoc n. 2. Grego. l. 7 ep. 1.* Guilielmus obedit Ro. Ecclesiæ.

Hubertus hac mandatorum serie munitus, & in Angliam profectus, Gulielmum officii monet, & duræ in Romanam Sedem cervicis. Quid demum effecerit, pleniùs intelligerem, si Gregorii literas, & literarum Regestum nancisci possem. Interim accipe, quæ scribit Baronius, & libris & literis instructior. *Acquievisse* (inquit) *Regem Pontifici, imo & unà cum redeunte Huberto, suos Legatos Romam misisse; ad satisfaciendum ipsi; literæ ejusdem Gregorii ad ipsum redditæ, anno sequenti, satis docent. Sed & præ cæteris Principibus Christianæ religionis, tempore illo turbulentissimo; cum Henricus ab Ecclesia Romana, schismate se divisit, eundem Angliæ Regem perstitisse in obedientiâ Apostolicæ Sedis, ejusdem Gregorii literæ ad ipsum datæ significant.* Ita est: quicquid exæstuantis, & exorbitantis animi impetus, aliquando Regi suggessit: [illegible], *secundæ cogitationes*, sæpe sæpius illum ad saniorem mentem revocarunt. Sciebat enim durum esse, contra stimulum calcitrare. & membra, capiti parere debere. Unde è solutione illius vinculi, quod membra convertit, animatque: totius corporis compagem, & utriusque Reip. ordinem fluere, solvique non ignorabat. Lanfrancus graviùs in mali curatione laborabat. nam ille Regi subditus, & multis nominibus obnoxius, saniora quidem suggerere, & suadere Regi poterat; sed minùs prævalere: quantumvis acribus Gregorii literis ad Regem coercendum aceretur. Unde per Hubertum, ex Anglia Romam redeuntem, has ad Gregorium literas reddidit.

Reverendo Sanctæ universalis Ecclesiæ summo Pastori, Gregorio: peccator, & indignus Antistes Lanfrancus, servitium cum debitâ subjectione.

IV. *Grego. l. 6. ep. 30.* Lanfranci ad Gregorium literæ.

„ Literas excellentiæ vestræ, per Hubertum, sacri vestri Palatii Subdiaconum porrectas,
„ quâ decuit humilitate suscepi. In quarum fere
„ omni contextu, paterna me dulcedine reprehendere studuisti: quod in Episcopali honore
„ positus, Sanctam Romanam Ecclesiam, vosque
„ ob ejus reverentiam minùs diligam, quàm ante
„ honoris ipsius susceptionem, diligere quondam solebam: præsertim cum Apostolicæ Sedis authoritate, ad ipsius apicem honoris me
„ pervenisse non dubitem, nec quemquam dubitare existimem. Et quidem, Venerande
„ Pater, verbis tuis calumniam ingerere, nec volo, nec debeo. Ego tamen, teste conscientia
„ meâ, in memetipso intelligere non possum;
„ quid vel corporalis absentia, vel locorum tanta intercapedo, aut ipsa qualiscumque honoris
„ sublimitas, in hac parte vendicare sibi quicquam prævaleat; quin mens mea, præceptis
„ vestris, in omnibus, & per omnia, secundùm Canonum præcepta, subjaceat. Et si
„ præstante Deo, præsens, præsenti loqui quandoque valerem; me amando crevisse: vos verò, quod pace vestra dictum sit, à pristino
„ amore, nonnulla ex parte defecisse: non tam
„ verbis, quàm rebus ipsis ostenderem. Verba
„ legationis vestræ, cum præfato Legato; prout
„ melius potui; Domino meo Regi suggessi:
„ suasi; sed non persuasi. Cur autem voluntati
„ vestræ omnifariam non assenserit: ipsemet vobis, tam verbis, quàm literis, innotescet.

Hic Gulielmi Regis ad Gregorium literas subdit Baronius: quas ego ad primum Huberti ingressum, importunè forsan, suprà recensui. Ubi Rex, cum pecuniarum pensione, obedientiam profitetur; sed in fidelitatis sponsione claudicavit: ratus incrementum lucis in sole, lucis in lunâ decrementum esse. cum reverà, quò magis lunaris orbis, solari subjicitur; eò pleniùs perfectiusque refulget. Est forsan qui putet, Lanfrancum à Gulielmo, in Gregorium stetisse. cum à Papâ in supra recitatis literis reprehensus videatur. Sed quicquid sit, de benevolentiæ alicujus syncopâ; quæ inter amicissimos sæpè intercedit, dicitur que amoris redintegratio; constat Lanfrancum, Gregorium omni officiorum genere coluisse. Et idem de Gulielmo Rege dicendum; qui duræ cervicis homo; & Victoris, Domitoris, Conquestoris, titulis onustus; verebatur inde ad servitutem aliquam descendere: nesciens servire Deo, regnare esse. Nec aliud ab ipso, in Romanam Sedem peccatum. Licet nupera factio, quæ ex omnium sæculorum fæce surrexit; Regis animi excrementa colligens, unde speret firmamentum. & omne Romanæ servitutis jugum excusserit; quia ille unum servitutis apicem declinavit. Dixi servitutis apicem unum: quia tributum solvendo, quod Romanæ Sedi, è majorum mente, præscriptoque jam more, pendebatur: omnem veræ debitæque servitutis medullam, atque substantiam: hoc est, justitiam omnem implesse videtur.

V. *An. 1077. n. 2.* Quomodo Guilielmus Gregorio paruerit.

VI. Britanni in Guilielmum surgunt.

Sed esto: laxaverit ille obedientiæ vinculum, quo Romanæ Sedi tenebatur: Deus hoc anno solœcismum illum non probavit, cum permisit ejus subditos in illum surgere: & vicinos Scotos provinciam deprædari. Antiqui Britanni, quos olim Saxo ad montes coegerat; Normannorum imperium pati noluerunt. Ibi plures Reguli provinciam diviserant, ab externorum dominatione absoluti: quod Gulielmi pertinax dominandi impetus non ferens; militem colligit, & miserè Britannorum agros populatur. de quo Parisiensis hæc habet. *Anno Domini millesimo septuagesimo nono, Rex Anglorum Willielmus, in Walliam duxit* *Parisien. hic.*

SCOTORUM INCURSIONEM ROBERTUS EVERTIT.

exercitum copiosum: & eam sibi subjugavit: & à Regulis illius ditionis, homagia, & fidelitates accepit. Iterum, occupato illi in Britannorum animis ad servitutem formandis; Scoti negotium facessunt. Illi Anglo-Saxonum invitatu, sub Malcolmo Rege, Northumbriæ regnum ingressi, hoc anno provincialium bonis incumbunt, agros vastant: & usque ad Tinam flumen, prædâ, & rapinis hostiliter agunt. Opportunè tunc veneras è Normannia, Robertus, Guilielmi Regis primogenitus, vir armorum exercitio, & bellicâ virtute nobilis. Is patris jussu, Malcolmo opponitur, & ad Northumbrios mittitur, ut ferocientem ibi Scotum, vel premat, vel exturbet. Qui magnâ militum manu eò profectus, Scotum repulit, & ne rursum Angliam infestaret, ad Tynæ fluminis ostium, illius castri fundamenta jecit quod hodie audit Novum-Castrum, & vulgò New-castle: olim locus ille, ad Monachorum jus pertinens, inde Moncestria dicebatur. nunc in oppidum surrexit, vario mercium genere, & civium numero opulentum.

NOVUM CASTRUM EXTRUITUR.

VII. WALTERUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS MORITUR.

Ad hunc annum Walteri Herefordensis Episcopi mortem refero: licet * Malmesburiensis, & Harpesfeldus insinuent priùs mortuum: dicunt enim eum, olim consecratum, *ad quintum Guilielmi Regis annum pervenisse.* Verùm cum constet, Londinensi Synodo subscripsisse, ad annum 1075. & decimum Guilielmi Regis: aliquamdiu porrò superfuisse existimamus. Quamobrem cum † Hovedenus successorem illi huic anno assignaverit, * Robertum à Losinga; consecratum à Lanfranco quarto Calendas Januarii: de Waltero hic dicendum. fuerat ille à Nicolao Papa Romæ consecratus, * anno millesimo sexagesimo, ut dictum tomo superiori. Nec aliud de eo proditur; quàm quod suspicio fuerit eum infami morte sublatum. Quod quia Malmesburiensis non tacuit, audi ipsum. *Walterus, indecoro exitu, nisi fama mentitur, decessit. Erat in villa muliercula: quam nescio quo infortunio, ex occursu visam, multo arsit tempore. Ignorabat illa flammas Pontificis: & si sciret, contemneret. Interea sæpè cogitans Pontifex, quod nihil est miserius, quam senex amans: luctabatur, pro ætatis, & gradus reverentiâ, morbum depellere. Probéque jam convaluerat, & victus furor terga dederat: cùm ex occasione, quam diaboli fram administravit, intra cubiculum illam accersit. Subjecerat causam, ut cubicularius vestes incideret. Dicebatur enim officii perita. Illa ingressa, & operæpropter quod venerat, ministri clientes secretorum conscii, agmine facto, discedunt. Tum ne multis morer, Episcopo, post obscœna dicta, vim inferre paranti; fœmina forcipibus, quas tenebat, inguina suffodit. Rumor criminis, & ultionis, totam pervagatus Angliam, Regis quoque aures attigit. Ille, dignitate Regiâ, credulitatem dissimulans; ne vel cæteri disseminarent, gravissimo coercuit edicto.*

* Malmesb. l. 4. de Pont. Harpesf. in sæculo 11 c. 25.
† Hoved. hic.
* ROBERTUS HEREFORDENSIS CONSECRATUR.
* V an 1060. n. 4.
Malmesb. de Pont l. 4. fo. 200.

VIII. ROBERTI HEREFORDENSIS ELOGIUM.

Mortuum excepit in Herefordensi Sede Robertus, vir infulâ dignissimus; qui patriâ Lotharingus, [a] *omnium liberalium artium peritissimus*, inquit Malmesburiensis, *lunarem computum, & cælestium astrorum cursum rimatus est.* Hic Remigii Lincolniensis industriam imitatus; Ecclesiam suam; incendio consumptam ab [b] anno Christi millesimo quinquagesimo quinto; cum Griffinus Silurum agros vastaret; à fundamentis, novo opere excitavit. Præter ingenii naturæque dotes, etiam à sanctitate commendatur: Wulstano Wigorniensi Episcopo, non solum morum similitudine conjunctissimus; sed pari mortis exitu eidem comparandus, ut dicam eo anno, quo uterque moritur. nunc pauca de literarum studio, cui Robertus impensè deditus, mirè Marianum Scotum, hoc tempore, coluisse dicitur: *Ita captus ejus ingenio* (loquitur Malmesburiensis) *ut quicquid ille largius dixerit, in arctum contrahens, defloraverit: adeo splendide, ut magis valere videatur defloratio, quàm ingentis illius voluminis diffusio.* Quæ verba Authoris sanè accurati, Harpesfeldum opinari fecerunt; Mariani Chronicon, quod hodie aliquorum manibus teritur, impressum Basileæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono; non genuinum Mariani Chronicon, quod ipse fusiùs texit: sed aliquid contractius esse, à Roberto forsan isto, aut alio ejus studioso, collectum. Hoc Harpesfeldus multis probat: & illud saltem apertè convincit, impressum Mariani Chronicon, variis in locis, vitiosum esse, & à Manuscripto Codice admodum exerrans. quod omnino fatendum est: & ego suprà in Helena [a] Britanna, & Bonifacio [b] Anglo patenter demonstravi. Unde benè probat [c] Bellarminus, in Chronicon impressum fabulam irrepsisse, de portento illo Papâ fœminâ.

a Malmesb de Pont. l. 4
b V. an. 1055 n. 2.
V. an 1095.
Malmesb. supra.
Harpesf. sæculo 11. c. 26.

MARIANI CHRONICON CONTRACTIO EIUS CHRONICI.

a V tom. 1. ad an. 315 n. 2. 5 &c
b V an 741. n. 8.
c Bellarm. in Martino Polono.

ANNUS CHRISTI 1080.

GREGORII VII. PAPÆ 8.

GUILIELMI I. REGIS 15.

I. HENRICI IMPERATORIS SCHISMATE ORBIS TURBATUR.

ANNO Christi millesimo octogesimo, malorum diluvio Christianus orbis obruitur; nec tunica Christi inconsutilis procul ab injuriâ fuit. his pro Henrico Imperatore, in Gregorium Papam; illis, pro Gregorio, in Henricum pugnantibus. Ita distractæ plurimorum mentes, in diversa studia, partesque trahebantur. Et utinam illius tantum sæculi crimen fuisset, nec ad sequentem ætatem factio descendisset. Tunc enim clariùs, & sine nube cerneremus, quid utrimque peccatum. Nunc verò cum Scriptores inter se, pro partium affectu, discrepent; rerum gestarum lectio obscurior est, & caligat interdum oculus in veritatis indagine. Miseriarum origo è Germanis fuit. Ibi Henricus Imperator, cum Deum criminibus irritasset; à Gregorio monitus interdum voluit; sed demum noluit, Sacerdotis imperio obedire. Gregorius itaque Christi oraculo animatus; sicut ethnicum & publicanum dixit eum, qui Ecclesiam audire noluit. Hic tragœdiæ prologus fuit. Hinc Germani, Italique in scenam prodeunt: & prout quemque trahit affectus, laudantis vel exprobrantis personam induit. Qui Deum, & divina sequuntur; à Gregorio fuerunt & sanctissimi viri facta commendarunt: Qui sæculari brachio adulantur, illius majestatis mancipia; enormiter pro Henrico decertant: & quia per se, veritatis fulcro destituti, subsistere nequeunt, aliarum provinciarum animos solicitant, & trahere cupiunt in factionem suam. cum interim Gregorius, suâ sanctitate tutus, Pontificem animarum agens, omnemque ordinem ad Ecclesiæ obsequium cogens; hædos ab agnis, Apostolicâ quâ pollet authoritate, discriminat.

II. GUIBERTUS ANTIPAPA.

Erexit hoc anno Henricus abominationes desolationis, de qua dictum est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto: Guibertum dico Ravennatem Episcopum, in Petri Sedem intrudere conatur. Et ad idolum illud aliquot Italiæ, & Germaniarum Episcopi, procumbunt. Sed quia illi, vel schismate, vel aliorum criminum infamiâ notati priùs, non magnum in Christiano orbe, novæ factioni momentum fuerunt. Henricus aliarum provinciarum, & Episcoporum animos exploraturus; emissarios conducit, pro Guiberto, suo advocatos. qui solicitando Clero, ad novam statuam adorandam, incumberent. Eos inter Hugo Candidus Cardinalis, impigrè suo munere fungitur. Ad Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum literas mittit; Guiberti causam, sub Clementis nomine, agit: Gregorium accusat, & Hildebrandum vocat: peccatur demum Germaniarum Episcopis, qui Guiberto favent, accedat. Ratus hac ratione Anglicanam Ecclesiam, & Episcopos omnes, eodem trahendos, & Primatis arbitrio subscripturos. Cæterùm ut fortius hoc telum Episcoporum animis illaberetur, Imperator ipse ad Guilielmum Regem literas, & oratores mittit; sperans hac arte, utramque Remp. suo voto cessuram. Sed utrobique falsus est: Rex Oratorem non admisit; Lanfrancus ad literas quidem, sed non ad scribentis mentem respondet. testatur hæc omnia Baronius, qui & Lanfranci literas recitat, ita: *Decernuntur inter hac*, inquit, *ab Henrico ipso pro Antipapa legationes, ad Christianos Principes; & inter alios ad Regem Angliæ. à quo non recipitur Legatus missus. Docent hac literæ à Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo ad Legatum reddita, quæ sic se habent.* — *Baron. hic n 27.*

LANFRANCUS * HU.

* HUGONI. III. LANFRANCI LITERÆ AD HUGONEM. * præpostere.

,, LITERAS tuas, quas mihi per portitorem
,, mearum misisti, suscepi, & legi: & displi-
,, cuerunt mihi quædam, quæ in eis inveni. Non
,, probo, quod Papam Gregorium vituperas:
,, quod Hildebrandum eum vocas: quod Lega-
,, tos ejus Spinosulos nominas: Quod Clemen-
,, tem tot, & tantis præconiis tam * properè
,, exaltas. Scriptum est enim: non esse laudan-
,, dum in vitâ suâ hominem; nec detrahendum
,, proximo suo. Adhuc incognitum est humano
,, generi, quales nunc sint, & quales futuri sint,
,, in conspectu Dei. Credo tamen quod glo-
,, riosus Imperator, sine magnâ ratione, tantam
,, rem non est aggressus patrare: nec sine magno
,, auxilio Dei, tantam potuit victoriam con-
,, summare. Non laudo, ut in Anglicam terram
,, venias; nisi à Rege Anglorum licentiam ve-
,, niendi priùs accipias. Nondum enim Insula
,, nostra priorem refutavit: nec utrum huic obe-
,, dire debeat sententiam promulgavit. Auditis
,, utrinque causis, si ita contigerit; perspicaciùs,
,, quid fieri oporteat, provideri valebit.

Ita modestè Lanfrancus, importunum Oratorem repulit. nunquam enim, aut Anglicam terram ingressus legitur: aut suæ factionis socios ibidem invenisse. Imò, quod ad Guilielmum Regem spectat, videtur Gregorio fideliùs deinceps inhæsisse; & quod antea renuit verbo concedere, facto fortiùs expressisse. Enimvero suprà vidimus eum fidelitatis Sacramentum præstare noluisse. nunc autem missa ad Gregorium legatione, se filium fidelemque scripsisse, colligi potest, ex eo, quod Gregorius ad ipsum rescripsit, (& refertur à Baronio) in hunc modum. *Gregorius in ærumnâ, in Henricianâ persecutione positus cum esset; ex diversis orbis partibus, diversas legationes accepit. nempe ab Anglorum Rege Guilielmo: ad quem rescribens, cum amorem suum erga ipsum, quo eum semper fuerit prosecutus, insinuet; de seipso angustiis circumvallato ista commemorat.* — *Baron. n. 19.*

IV. *Grego. L. 7. Epist. 23* GREGORII LITERÆ AD REGEM GUILIELMUM.

,, NUNC tanquam dilectissimo filio, & fideli
,, Sancti Petri, & nostro (sicut in familiari collo-
,, quio facerem) consilium nostrum, & quid te
,, postmodum facere deceat, paucis aperio.
,, Quando enim complacuit ei, qui exaltat hu-
,, miles; ut Sancta Mater nostra Ecclesia ad re-
,, gimen Apostolicæ Sedis, invitum satis ac reni-
,, tentem, Deo teste, me raperet: continuò ne-
,, fanda mala, quæ à pessimis filiis suis patitur,
,, officii mei, quo mihi clamare, & nunquam
,, cessare injunctum est, necessitate compulsus;
,, amore quoque ac timore convictus, dissimu-
,, lare non potui. Amore quidem, quia S. Pe-
,, trus, à puero, me in domo suâ dulciter nu-
,, trierat. Et quia charitas Domini Dei nostri,
,, me quasi aliquid æstimans, tanti Pastoris Vi-
,, carium, ad regendam sanctam Matrem nostram
,, elegerat. Timore autem, quia terribiliter
,, divina lex intonat, dicens: Maledictus homo,
,, qui parcit gladio suo à sanguine: id est, qui
,, doctrinam subtrahit ab occisione carnalis vitæ.
,, Nunc igitur, charissime, & in Christo semper
,, amplectende fili, cum & matrem tuam nimium
,, tribulari conspicias; & inevitabilis nos succur-
,, rendi necessitas urgeat: talem te volo, & mul-
,, tum prò honore tuo, & salute; in verâ, & non
,, fictâ charitate moneo; ut omnem obedien-
,, tiam præbeas: & sicut cooperante Deo, gem- GUILIELMUS DICITUR GEMMA PRINCIPUM.
,, ma Principum, esse meruisti: ita regula justi-
,, tiæ, & obedientiæ forma, cunctis terræ Prin-
,, cipibus esse merearis: tot procul dubio in fu-
,, turâ gloriâ Principum princeps futurus; quot
,, usque ad finem sæculi, exemplo tuæ obedien-
,, tiæ, Principes salvabuntur. Et si quidam il-
,, lorum salvari noluerunt; tibi tamen retribu-
,, tio nullatenus minuetur. Non solùm autem;
,, sed & in hoc mundo tibi, & heredibus tuis,
,, victoria, honor, potentia, sublimitas ampliùs
,, cælitùs tribuetur. Exemplum tibi teipsum
,, propone, &c.

V. AD MATHILDEM REGINAM SCRIPSIT GREGORIUS.

Hæc, & non plura, è Gregorii literis recitat Baronius: qui mox subdit. *Addidit Gregorius alias literas, quas scripsit ad ejus conjugem Mathildem; necnon & ad Robertum, eorundem filium, in regnum futurum successerem; iisdem omnibus monita salutis impartiens; dignas omnes, quæ Annalibus intexerentur, nisi prolixitas prohiberet.* Ego certè, prolixitate non obstante, illas his Annalibus meis intexerem, si copia earundem esset. In illis enim legerem, præteritorum Regum exemplis, Normannos Principes animari, ad fidem Romanæ Sedi servandam; eamque ab omni inimico impetu propugnandam. Quod Anglo-Saxonum Regibus tam solenne fuit: & adeo Normanni Principes conati sunt imitari: ut inde, Defensoris fidei titulus, coronam Angliæ Regiam ornaverit: ornetque adhuc, peregrinâ licet dialecto. Enimvero σολοικίζομεν, & procul imus à mente concedentis prærogarivam illam; si fortè defendentis titulum, offendenti damus. Certè Anglorum hæc laus est singularis, quod hactenus,

quantumvis schismate laceraretur Ecclesia; & aliæ interdum provinciæ, peregrino capiti adhæserint: illi tamen, constanti pietatis, obsequii, & amoris affectu, legitimum Christi Vicarium semper coluerint; & summè caverint schismati misceri. Stigandus huic rei argumentum esto: qui eâ potissimum de causâ, quod à Benedicto pallium impetrasset, ab Episcopis aliis abjectus, & neglectus est, nec sacrari ab eo voluerunt. Quos benè secutus Guilielmus Rex; coronam ab Eboracensi, non à Cantuariensi (cui coronandi prærogativa singulariter concessa) præter
V. an. 1066 n. 20.
juris ordinem, accepit. ut suprà. Nemo igitur in hac Insula factioni Regiæ accessit: nemo statuam, quam novus Nabuchodonosor erexerat, adoravit.

VI. WALKERUS DUNELMEN. EPISCOPUS OCCIDITUR.

Utinam domi tam procul à tumultibus, & constantia inter se, amoris nexu, membra fuissent: & nulla Anglos inter & Normannos, altercationis & alieni animi argumenta. Sed difficulter victis cum victore convenit: & exasperatis mentibus obvia sunt factionis alimenta: quæ nequiore impetu fota, flammam concipiunt; & in magnum sæpè erumpunt incendium. Ita contigit hoc anno, in Septentrione nostro: ubi sanguis sanguinem provocans, adeo efferbuit; ut magnam omnino regionem, multo sanguine irrigarit. Turbarum initium ab invidiâ fuit: quâ primùm Normannus in Anglum: inde plures Angli, in Normannos ardentes, provinciam demum perdiderunt. Rem gestam Authores nostri articulatim referunt, & inter eos Wigornicensis, & Hovedenus, ita:
Wigorn. & Hoved. hic.
Anno millesimo octogesimo, Walkerus Dunelmensis Episcopus, genere Lutharingus, moribus insignis, in loco qui dicitur, ad Caput Capræ (nunc Gatesthead, in Brigantibus, & Novi Castri suburbium) pridie Idus Maii, feria quinta à Northimbrensibus innocenter est occisus: in ultionem scilicet necis Liulfi, nobilis generosique Ministri (Algitham, Aldredi Comitis filiam duxerat, vir pius admodum, & charus provinciæ.)

LIULFUS IMPIE OCCISUS CAUSA TUMULTUS.

Hic itaque vir, latè per Angliam possessiones multas ex hereditario jure possedit. Sed quia ubique locorum Normanni, incessanter ea tempestate, operam dabant suæ feritati: cum suis omnibus ad Dunelmum se contulit; quia Sanctum Cuthbertum sincero corde dilexit.

COLUIT S. CUTHBERTUM.

Quippe cui idem Sanctus, ut ipsemet Aldredo Eboracensi Archiepiscopo, & aliis viris religiosis narrare consueverat; & dormienti, & vigilanti persæpè apparuit. & quæ fieri voluit; ut suo fideli amatori, revelavit. Sub cujus pace nunc, & in oppido; nunc in suis possessionibus, quas illis in partibus habuerat, longo tempore degit.

VII. LEOBWINUS LIULFUM PERSEQUITUR ET OCCIDIT.

Cujus Liulfi adventus Episcopo Walkero non extitit ingratus; quia eidem Sancto valde devotus extiterat in omnibus. Idcirco ab ipso in tantum diligebatur; ut absque illius consilio, majores secularium negotiorum causas nullatenus agere vellet, aut disponeret. Ob quam rem suus Capellanus Leobwinus; quem ita exaltaverat; ut & in Episcopatu, & in Comitatu fere nil sine illius arbitrio agitaretur; invidiæ stimulis succensus, & propter suam potentiam, tantæ superbiæ nimis inflatus, se contra prædictum virum arroganter erexit. Quapropter nonnulla ejus judicia, atque consilia, flocci pendebat; omnibusque modis annullare studebat. Frequenter etiam totam Episcopo (nomine minus cum eo litigans), illum verbis probrosis sæpius ad iracundiam provocabat. Quadam itaque die cum idem vir, jussus, ab Episcopo vocatus ad consilium, legalia quæque, ut rectè decerneret; obstinatius ei Leobwinus obstitit, & loquelis illum contumeliosis exacerbavit. Sed quia ille respondit ei duriùs, solitos de Placitis loco discessit illico: & evocans ad se Gillebertum; cui Præsul, quia suus propinquus erat, Comitatum Northimbrensium subregendum commiserat, ut se vindicaret, obnixe rogavit. & Liulfum, quam citius posset, morti tradere maturaret. Ille autem confestim iniquis petitionibus acquiescens; suis, & Episcopi, & ejusdem Leobwini militibus, in unum coadunatis, ad villam ubi tunc Liulfus morabatur, nocte quadam perrexit; ac illum cum suâ familiâ ferè tota, in domo propriâ, injustè peremit.

VIII. WALKERUS SE PURGARE CONATUR A CONSCIENTIA HOMICIDII.

Quo cognito graviter Antistes ex corde suspiravit intimo: & capitio de capite detracto, & in terram projecto. Leobwino qui tunc præsens aderat, tristis dixit continuo. Tuis, Leobwine, factionibus dolosis acta sunt hæc, & insidiis insidiosissimis: ideireo volo te scire pro certo; quia & me, & te, omnemque familiam meam, tua lingua peremisti gladio. Hoc dicto, in castellum se proripuit festinatò, confestimque nunciis per Northimbriam missis omnibus nuntiari curavit, se necis Liulfi conscium non fuisse. quin potius ejus occisorem Gilbertum, omnesque socios ipsius, de Northimbria penitus exlegasse; ac paratum fore semetipsum purgare, secundum judicium Pontificale. Deinde missis intercurrentibus, ille, parentesque occisorum, pace ad invicem datâ, & acceptâ, locum & diem, quo convenire, interque se, pacem firmiorem facere possent, statuere. Quo adveniente, loco constituto, in unum convenere. Verum cum illis Episcopus sub dio noluit placitare: sed in Ecclesiam, quæ ibi erat, cum suis Clericis, & honorabilioribus militibus intravit. & consilio habito semel & iterum, de suis quos voluit, pro pace faciendâ, foras ad eos misit. At illi nequaquam petitis acquiescebant; quia Liulfum, illius jussione peremptum fuisse, pro certo credebant. Nam Gillebertum, ejusque socios, nocte, post necem propinqui sui proxima; non solùm in domum suam Leobwinus familiariter, & amicabiliter suscepit. Verum etiam Episcopus ipse, illum, ut priùs, in suam gratiam familiamque recepit. Unde omnes, qui ex parte Antistitis, foris inventi fuerant, primitus occiderunt: paucis fuga reservatis.

IX.

Quo viso: ut hostium furori satisfaceret: propinquum suum præfatum Gillebertum (cujus anima quærebatur) Præsul de Ecclesiâ jussit exire. Quem egredientem milites expugnaturi, e vestigio sunt secuti. Sed mox ab hostibus, undique gladiis, & lanceis appetiti, in momento sunt perempti. duobus tantum Anglicis Ministris, propter consanguinitatem pepercerunt. Leobwinum quoque Dunholmensem Decanum, quia sæpius Episcopo, adversus illos multa dederat consilia, & Clericos alios, statim ut sunt egressi, occiderunt. Episcopus autem, ut intellexit illorum furorem nulla ratione, mitigatum iri; nisi caput & author totius illius calamitatis occideretur Leobwinus, rogavit illum egredi foras. Sed cum penitus, ut egrederetur, ab illo extorquere non poterat. ad Ecclesiæ januas ipsemet accessit: sibique vitam concedi poposcit. Quibus renuentibus, caput suâ chlamydis limbo cooperiens, foras exivit: & mox iisdem cum gladiis percussus occubuit. Deinde Leobwinum egredi jusserunt. Quo nolente, Ecclesiæ tecto parietibusque, ignem imposuere. At ille, potius ustulatione, quam occisione, vitam eligens finire; flammas aliquandiu sustinuit. Sed cum semiustus esset, exilivit; & frustatim concisus nequitiæ suæ pœnas exolvendo misere interiit. Hæc omnia Authores supradicti.

WALKERUS OCCIDITUR ET LEOBWINUS.

Licet alii, aliam mortis causam prætexant: nimirum quòd Episcopus, empto à Guilielmo Rege Comitatu Northumbriæ, tributorum, & mulctarum exactione provinciam gravasset.

X. Walkeri mors ab Editha prævisa. *V an. 1071. n. 16.

Quicquid sit, hic ille Walkerus est, cujus importunam mortem Egitha Edoardi Confessoris uxor, & Regina, prævidisse & prædixisse putatur, cum eum ad majus Sacerdotium vidit consecrari: ut dictum *suprà. Interempti Antistitis corpus, inter mortuos, diu & diligenter quæsitum, vix agnitum est; adeo sacrilegi illud mutilarant. Inde mortis silentio, Monachi Girvienses illud efferentes, in Dunelmensis Ecclesiæ Capitulo condiderunt. non ausi publicè defuncto benè precari. Verùm Guilielmus Rex, intellecto tam immani parricidio, facilè vidit, non unum Episcopum, sed Normannos omnes in Septentrione peti, injuriam ulcisci, & sanguinem sanguine expiari mandat. Odonem Baiocensem Episcopum, cum militari manu, læsæ infulæ vindicem facit: qui eò profectus, noxios & innoxios premit, provinciam vastat. & multorum acerbo funere, defuncto Episcopo parentat. *Cæterùm Odo* (inquit Godwinus) *ne sontibus tantum plectendis eò videretur accessisse: Ecclesia Dunelmensis ornamenta plurima, ac inter cætera, pedum pastorale, pretii immensi, vi erepta, secum abstulit.* Verè hic delirant Reges, plectuntur Achivi, sacrilegæ factionis Principes, vel fuga, vel latebris, vitæ consulunt: minus peccans populus, & meritis Ecclesia, pœnam subeunt, quoties illa ambitiosa, aut avara manu infligitur. Sed Deus, quò seriùs, eò plectit immitiùs. Eadulfus quidam, è Northumbriæ Comitum sanguine, Walkerum creditur, sua manu, peremisse: ille Odonis iram fugâ declinavit: sed postmodum infami morte, & muliebri manu cecidit: nec à morte quietem meritus. nam in Ecclesiâ aliquando sepultus; inde jussu Turgoti Dunelmensis Cœnobii Prioris, exhumatus, agresti sepulturâ donatur: lege latâ, ne qui Infulas temerasset, & Ecclesiæ majestatem, in Ecclesiâ, aut loco sacro conderetur.

Odo Baiocensis Walkeri necem ulciscitur. Godwin. in W. libro. Violat Ecclesiam.

XI. Guilielmus Dunelmensis Episcopus. *Malmesb. de Pont. l. 3.

Cum Dunelmensis Sedes, per semestre vacasset; decimo Novembris hujus anni millesimi octogesimi, successor eligitur Guilielmus Abbas, à Sancto Carileso dictus. ** Qui ore volubilitate promptus, & potens fuit in sæculo*, inquit Malmesburiensis. Hic alternantem fortunam sequutus; nunc Deo, nunc Regi militavit. Principio bonus, Dunelmensem Ecclesiam novam è fundamentis erexit, & amotis Canonicis, Monachos eorum loco substituit, Guilielmo Primo regnante. Sub altero Guilielmo, vicissitudinem passus; nunc serenam, nunc iratam Regis frontem, pro vario rerum eventu experitur: & ipse versipellis, ad ejus ingenium componitur. *Unde factum* (loquitur qui suprà) *ut in turbine, qui inter Anselmum, & Guilielmum surrexit; maximas contra Archiepiscopum turbas iste signifer excitaret: sperans, ut aiunt, vel ad tenendam Regis gratiam; vel se pro Anselmo fore Archiepiscopum.* Consecratus est ab Eboracensi Archiepiscopo Thomâ, sub initium Januarii insequentis.

Idem sup.

ANNUS CHRISTI 1081.

GREGORII VII. PAPÆ 9.

GUILIELMI I. REGIS 16.

I. Gregorius Papa pro omni Ecclesia solicitus.

ADHUC Christi navicula jactabatur fluctibus: & Gregorius furentem Imperatoris animum non potuit componere: cum suo nihilominùs muneri intentus, Apostolicæ Sedis dignitatem constantissimè tuetur. Episcoporum Senatum, pro more, cogit, hædos ab ovibus distinguit, perversos corrigit, & perfecti Principis partes explet, Henrico nequicquam eum aliis refragante. Anno Christi millesimo octogesimo primo, ad plures per orbem Episcopos scribit: eos officii monet, & ut ad Apostolorum limina se conferant, adhortatur; oscitanter venientes objurgat, & pro imperio jubet. Ita Lanfrancum Cantuariensem, quem aliquoties in Urbem vocaverat, per literas objurgat, mandatque ut postpositâ omni tergiversatione Romam se conferat; cui subiratus ita scribit.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei; LANFRANCO Cantuariorum Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem.

II. Greg. l. 9 epist. 20. Gregorii Literæ ad Lanfrancum.

„SÆPE fraternitatem tuam, Apostolicâ legatione invitavimus Romam venire, etiam pro fidei & Christianæ religionis comprobatione: quod hucusque, sicut apparet, aut superbè, aut negligenter, nostrâ abutens patientiâ, distulisti; cum nec etiam Canonicam excusationem prætenderis. Non enim labor, aut difficultas itineris te sufficienter excusat: cum satis notum sit, multos longè remotos, licet corpore invalidos, & infirmos, & à lectulis vix valentes surgere: tamen Beati Petri amore flagrantes, ad ejus limina vehiculis properare. Quare Apostolica tibi authoritate præcipimus; ut postpositâ occasione, & inani formidine; datis induciis quatuor mensium, postquam hæc nostra mandata ad notitiam tuam pervenerint: in præsentis anni festo Omnium Sanctorum, Romæ adesse procures, & satagas: & inobedientiæ tuæ reatum, per tantum temporis supportatum, emendare non ulteriùs negligas. Quod si nec adhuc te mandata Apostolica moverint; sed ea dissimulans, in contemptu durare malueris; & periculum inobedientiæ incurrere non erubueris: quod est quasi scelus idololatriæ, testante Beato Samuele; à Petri gratiâ scias te procul dubio removendum, & ejus authoritate omnino feriendum: ita videlicet, ut si infra prædictum spatium ad nos non veneris, ab omni sis officio Episcopali suspensus. *Hæc Gregorius, jurium S. Petri tempore etiam bellico, studiosus exactor*, inquit Baronius, has literas recitans.

Baron. hic n. 28.

Cæterùm non aliud à Lanfranco petit Gregorius; quàm quod Ecclesiasticâ lege jubebatur: nimirum ut Episcopi omnes, ad communem Christianæ Reip. matrem Romanam Ecclesiam, frequenter conveniant: & ex illo fonte, salutis aquas; ex illo sole, fidei radios; quos suis quique provinciis communicent, defecatiùs hauriant.

Id olim Anacletus Papa; id etiam anno 743. Zacharias Papa præceperant: & habetur c. Juxta. dist. 93. Ubi sic legitur. *Juxta Sanctorum Patrum, & Canonum instituta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacent, & qui propinqui sunt; annuè circa Idus Maii, Sanctorum Principum Petri, & Pauli liminibus præsententur, omni occasione sepositâ. Qui verò de longinquo sunt, juxta chirographum suum impleant. Qui autem hujusmodi constitutionis contemptor extiterit (præterquam si ægritudine fuerit detentus) sciat se Canonicæ subjacere sententiæ.* Ita illi. Admonuit ergo Gregorius Lanfrancum officii munerisque sui; qui ad Alexandrum quidem Romanum Pontificem olim accesserat, & Apostolorum limina: sed Gregorium necdum veneratus fuerat. & quantum conjicio, accedere posthac nullo modo potuit; nisi per chirographum suum, quod sequenti anno, opinor, factum: cum Guilielmus Dunelmensis Antistes ad eum perrexit. Qui enim Italiæ statum, hoc & sequentibus annis contemplatur, obsessam urbem, fugatum inde Pontificem, & omnia milite & factionibus confusa. Qui Guilielmi Regis animum explorat, Lanfranci absentiam ægrè ferentis. Qui denique legit Anglicanæ Ecclesiæ, vix è miseriis respirantis conditionem; Lanfranco suppetere excusationum segetem, facilè existimabit. Missâ ergo Romanâ profectione, Lanfrancum in Angliâ occupatum videamus.

C. Juxta. d. 93

IV.
V. an. 1053. n. 5.
AGELNOTHUS GLASTONIEN. ABBAS DEPONITUR.

Agelnothus, Abbatem egerat Glastoniensis Monasterii, ab anno Domini millesimo quinquagesimo tertio, ut dictum ibi. Sed cum opera ejus justitiæ lance hoc anno librarentur, inventus est minùs habens. Quare, à Lanfranco depositus, jubetur privato sibi prodesse, qui publico nocuit. quod ad tempus spectat, Parkeri Antiquitates ita habent. *Octavo anno* (nimirum sedis Lanfranci) *Publico Cleri Concilio Londini initio, Ailnodum Glastoniensem Abbatem deposuit.* Sed quia ubique peccant Antiquitates illæ, malo Agelnothi egressum, cum successoris ingressu, qui hoc anno contigit, componere. Depositionis & sententiæ hujus causam satis innuit Malmesburiensis in suis Antiquitatibus: ubi hæc habentur: *Mortuo Egelwardo, successit Egelnothus, anno Domini millesimo quinquagesimo tertio. Horum duorum Abbatum fuit regimen perniciosum Ecclesiæ: dum Egelwardus exterius terras proscripsit, & alienavit: & Egelnothus thesauros & ornamenta interiùs distraxit. omnia namque quæ contulerat devotissimus Rex Ina, in auro, & argento: necnon cæteri Reges, erasit & consumpsit. Et ex illo, res Glastonienses retrò labi, & in pejus fluere cœperunt.* Huic malo, nè longiùs serperet, occurrens Lanfrancus, Agelnothum exauthoravit: & Guilielmi Regis arbitrium sequutus; alium Cadomensis Cœnobii Monachum illi substituit, rerum administrationi, & bono Monasterii promovendo magis, ut putabat, idoneum. Sed facilè fallimur; si aut cæcum naturæ impetum sequimur, aut nimis nobis, patriæque adblandimur. nam virum elegit, qui non quidem bona Monasterii, sed Monachos tamen, bona præstantiora, perdidit. unde nulla mali curatio: sed tantum mutatio fuit.

Antiquita. Glaston.

V.
THURSTINUS ABBAS SUCCEDIT.

Itaque Thurstinum in Agelnothi, & Abbatis Glastoniensis Sede collocavit hoc anno, Lanfrancus: quem Guilielmus Rex potiùs videtur elegisse; adeo ab Anglorum gente aversus, & perversus fuit. Principio bonus, & rerum procurationi invigilans adeo; ut prædia distracta, & militum avaritiæ famulantia, Regis operâ receperit. Sed benè cœpta, morum feritas, & nequior in fine impetus corrupit. Utrumque Authores posterorum memoriæ commendarunt. De primo hæc habent Antiquitates Glastonienses. *Guilielmus Rex, Glastoniensem Ecclesiam in suis possessionibus enormiter mutilavit. & quamplures ex suis militibus, de iisdem feudavit. Prioratum de Monte-Acuto fundavit, surripiens Glastoniensibus eandem quæ tunc Lodgaresburgh dicebatur, & Tintanbulle, & plura alia. Postea ordinavit quendam Thurstinum, Normannum, Monachum Cadomensem, in Abbatem Glastoniensem anno Domini millesimo octogesimo primo. & ut injuriam Ecclesiæ Glastoniensi priùs illatam aliquantulum redimeret, quasdam terras, quas Monachi ejusdem loci suo juri spectare dicebant, sed injustè ablatas conquerebantur, eisdem authoritate Regiâ confirmavit in hæc verba.*

VI.
GUILIELMI CHARTA PRO GLASTONIEN. COENOBIO.

Notum sit omnibus, tam præsentibus, quàm futuris: quòd Ego Willielmus, Dei gratia Rex Angliæ; visis & cognitis chartis Ecclesiæ Glastoniensis; concedo eidem Ecclesiæ in perpetuum, ad usum Monachorum inibi Deo servientium, pro salute animæ meæ, quasdam terras, quas calumniabantur pertinere ad præfatam Ecclesiam jure hereditario, confirmo. Subnotantur autem terrarum nomina, videlicet: Middilton, Eulebroc, Berwes, Burnington, Lyme, Blakeford, Witon. Teste Willielmo Episcopo Dunelmensi, & Archipræsule Lanfranco, & Thoma Archiepiscopo, & Roberto Comite de * *Maur, & multis aliis.* Ita refert Antiquitatum Codex Manuscriptus, & subdit: *Sciendum est quod a tempore S. Dunstani, usque ad hunc Thurstinum de Normannis Abbatem primum, fluxerunt centum quadraginta anni.* Quod ad temporis investigationem conducit: præsertim si tempus supputet, non quo nascitur, aut denascitur Dunstanus: sed quo clarere cœpit, & ab Edmundo Rege in pretio haberi. Unde factus est Glastoniensis Abbas. Itaque cum primum Dunstani accessum ad Curiam assignaverimus anno superioris sæculi quadragesimo: inde ad hunc annum descendentes, centum omninò & quadraginta annos numeramus. Hæc præclara Thurstini initia fuerunt. Nec illa minùs illustria; cum statim ab inito Magistratu, pro Monasterii sui prærogativâ, dixit, fecitque fortiter. Rem gestam idem dictus Codex narrat in hunc modum.

* Mauric. Malmesf.

V. an. 940. n. 7.

VII.
Antiquit. Glaston in Thurstino.
ABBATIS GLASTONIENSIS PRÆROGATIVA DEFENDITUR A THURSTINO.

Celebratum est hac tempestate Concilium, sub Lanfranco Archiepiscopo; in quo Michelniensem, & Athelingiensem Abbates, idem Lanfrancus, falsâ delatione Gisonis, Wellensis Episcopi, mordaciter impetebat. Tunc Abbas Michelniensis, qui in sæculi rebus exercitatior erat, respondit: se in Capitulo Glastoniensi, jussu ejusdem loci, & sui Abbatis, responsurum. Cæterum extraordinarias accusationes se non timere. Athelingiensis autem, minante Archiepiscopo baculum auferendum, joculariter eludens. Non curo, inquit, quia meliorem habeo. Nec tamen istum tibi trado. Tunc jussus Abbas Thurstinus, qui ibi tunc præsens erat: ut si sibi competere ferret, causam ageret: surrexit loco sententiæ dicendæ; egitque multa & constanti facundiâ, memoriter retexens privilegia Regum, a Kentwino, & Ina Regibus; usque ad Sanctum Edwardum. Quibus allegavit in ipsos Abbates, nullam jurisdictionem aliquem habere,

nisi

nisi Glastoniensem Abbatem. Adeo ut in prædictam Ecclesiam, nullus debeat Abbas intrare, nisi electus fuerit a Conventu Glaston. Tunc, cum Archiepiscopus, in Regem conversus dixisset, se Beati Dunstani nutriculam nolle minuere: illéq; retulisset: nec se velle matrem Domus contristare: sed pro cautione futurorum, Episcopum Wellensem debere in Capitulo Glastoniæ rem definire. Resumpsit Abbas Thurstinus sermonem, dicens: Privilegia Ecclesiæ suæ authentica esse: nullam cujusmodi dignitatis personam, causâ judicii, Glastoniam venire debere. sua ibi omnia esse, tam in Ecclesiasticis, quam in sæcularibus rebus judicia. facile fore, ut invictus Princeps, & sanctus Archiepiscopus, in re nova constituendâ, perpetuâ pulsarentur invidiâ. Cæterum quod antecessores sui habuissent integrum: se quum in defensandâ dignitate Ecclesiæ suæ, eodem vigilaret spiritu, nequaquam omissurum. Idcirco Episcopus Wellensis, si quid allegandum putaret: suo, non Regis, aut Archiepiscopi jussu, Glaston veniret. Obtinuit causam Abbas; & Episcopus Wellensis in Capitulum Glastoniæ venit; sed purgantibus se Abbatibus, victoria excidit: & inglorius sine honore recessit.

GISO WELLEN. CAUSA CADIT.

VIII. BERMONDSEIA FUNDATUR.

Hactenus Thurstini prospera; & animositatis ejus argumenta: quæ si constanti pietate, prudentiaque temperasset; Abbatis dignitatem, nomenque diutiùs conservasset. Sed brevi legetur, in Monachos suos impius: & Monachis simul & Monasterio privabitur. Interim Lanfranco, rem Ecclesiasticam impigrè procurante, regularis disciplina, & variis in locis, Ecclesiarum structura surgebat. populo ad virtutum studia magis propenso. Alwinus cognomento Childe, Londinensis civis, hoc anno millesimo octogesimo primo, fundamenta jecit illius Ecclesiæ, quæ propè Londinum, trans Thamisin sita, Bermondseia appellatur. ubi Cluniacensium Monachorum Prioratus floruit, *Prioratui de Charitate in Galliis subjectus: & quia inter alienigenas census; eorum aliquando calamitatibus obnoxius. Cæterùm non hoc anno, sed posteriùs, nimirum anno millesimo octogesimo nono, Monachi Cluniacenses eò translati. ut ibi dicam.

BERMONDSEIÆ PRIORATUS.

V. an. 1089. 12.

Interim in Cornaviis, & Salopiensis provinciæ urbe Principe, templum extruitur, Deo, sub Principum Apostolorum nomine sacrum, quod Rogerius, Comes de Monte Gomerico, construxisse dicitur, anno 1081. instituto loci Abbate Fulchardo filio; qui primus Monasterium ecxit. Quo etiam tempore, Ecclesiam aliam, à Sancto Gregorio dictam, Monachorum usui concessit. Horum meminit Camdenus, dum eam provinciam lustrans, ita de Rogero Comite scribit. *Monasterium S. Petro, & Paulo posuit pulcherrimum: cui plures possessiones concessit: & unà cum illis Ecclesiam Sancti Gregorii eo scilicet tenore (ex privatâ Monasterii historiâ loquor) ut cum Canonici, qui in eâ præbendas habebant, morte deficerent, Præbendæ in dominium Monachorum devenirent.*

MONASTERIUM SALOPIENSE.

V Apostolatum Benedictin. tract. 2. fo. 155.

Camd. in Shropshire.

ECCLESIA S. GREGORII.

IX. MONASTERIUM WENLOCENSE RESTAURATUR.

Sub idem tempus (& Catalogus ædium ab Henrico VIII. destructarum, hunc annum nominat millesimum octogesimum primum) restituitur Monasterium aliud, in eodem Salopiensi agro, Wenloc dictum. Ibi olim Milburga virgo, Regia proles, sacris virginibus præfecta, Monasterium struxerat, ut dictum est suo * locò. Sed vitio temporis, & Danorum inundatione, locus ille, fugatis virginibus, primi occupantis fuit. nunc verò Salopiæ Comes, qui & Rogerus, sacrum aliquando locum, profanari porrò vetuit. Sed virginum vice, Cluniacenses Monachos substituit. voluit tamen Ecclesiam, in Sanctæ Milburgæ nomen transire: ad id mirabili prodigio animatus: quod ita Malmesburiensis refert. *Apud Wenloch fuit antiquissima sanctimonialium habitatio. Ibique beatissima Milburga, soror Sanctæ Mildredæ, neptis Pendæ Regis Merciorum ex filio, transegit vitam, & sita est. Sed locum omnino desertum Rogerus Comes de Monte Gomerico Monachis Cluniacensibus implevit. Ubi modò speciosa germina virtutum tonantur in cælum. Enimvero sepulchrum virginis clam erat novis advenis. omnibus videlicet vetustis monumentis, violentiâ hostium, & temporum deletis. Noviter verò dum inchoata novi templi fabrica; quidam puer, cum per pavimentum concitatius cursitaret, effractâ mausolæi foveâ, propalam corpus virginis fecit. Tunc balsamici odoris aurâ, per Ecclesiam spirante, altius elatum, tot miracula præbuit, ut catervatim eò populorum unda confluerent. Vix patuli campi capiebant populorum agmina: dum æquis nu:bonibus dives, & mendicus, se agerent; cunctos in commune præcipitante fide. nec cassum eventum res habuit; ut nullus exinde, nisi extinctâ, vel mitigatâ valetudine discederet. Nonnullos etiam Regius morbus, medicis sane insanabilis, per merita virginis relinqueret.* Cæterùm mirabilis hæc corporis inventio post ædes restauratas, nimirum sub annum Domini 1101. accidit Henrico primo secundùm regnante.

* V. an. 670. n. 5.

Malmesb. l. 4. de Pontif. fo. 207. fine.

MILBURGÆ CORPORIS INVENTIO.

V. an. 1101. n. 37

X. MONASTERIUM APUD TUTBURY.

Enituit etiam Normannorum pietas in Henrico, Domino de Ferrariis, qui hoc anno millesimo octogesimo primo, ut * Stous affirmat: vel millesimo octogesimo octavo, ut Spedus: Monasterium extruxit in Staffordiensi agro: ubi castrum erexit Tutbury dictum: de quo & conditore ejus ita scribit Camdenus: *Cum Trentam propiùs accedit Dorus; Tutbury castrum, quod & Stutesbury dicitur, alabastrino colli affixum visit, ab Henrico Domino de Ferrariis Normanno constructum. cui latifundia amplissima in hoc agro donaverat Gulielmus primus.* Addit idem Author in postremâ editione, Monasteriolum ibidem extructum: Prioratum vocat Catalogus ædium destructarum, nigris Monachis assignatum: & à Virgine appellatum, quam Anglia, quam Normannia (sed parum dixi) quam Beatam dixerunt omnes generationes; omnes, inquam, quæ pietatem Christumque coluerunt. Neol Fossard. dedit anno 1081. Aldwino Abbati de Ramsey. vz, Deo &c. Ecclesiam de Bromham, & terram ad duas carrucas, & Decimas trium villarum, & de duobus Molendinis, & totam decimam de propria aula. Lib. M. S. Ramsey. pag. 240. ita legitur in Spelmans largee work of tuches fo. 164. margine.

* Stous hoc. Sped. in Stafford.

ANNUS CHRISTI 1082.

GREGORII VII. PAPÆ 10.

GUILIELMI I. REGIS 17.

ANNO Christi millesimo octogesimo secundo, Romana Ecclesia Henricianâ factione turbatur: & Ravennas Episcopus Clementis tertii nomine palliatus, cum Romano Pontifice, de supremo in Christianos magistratu,

I. ANGLIA SCHISMATIS TEMPORE A

Roma stat.

contemplit ponit in cælum os suum, & Cathedram in Urbe statuere satagit, Germanorum aliquot, & Italorum Episcoporum suffragio munitus. Quid Anglia in hoc schismate? Illa quidem, si situm Insulæ spectes, procul urbe, sed procul magis à schismate fuit. nam Reges, Episcopi, proceres, Gregorium colebant: ad fontem illum, etiam turbatis rebus, currebant. inde responsa, inde privilegia; inde utrique Reip. necessaria postulabant. Testis Dunelmensis Episcopus Guilielmus; qui negotiorum causâ Romam mittitur Regis Guilielmi, & suæ Ecclesiæ negotia tractaturus. Vir enim fuit, & gregis sui vigilans pastor; & de publico sollicitus: de quo hæc habet Harpesfeldus: *Guilielmus literis tam humanis, quam divinis, eleganter excultus fuit: vir optimè moratus, magnâ ingenii acrimoniâ, & singulari facundiâ, memoriâ ad omnium admirationem tenacissimâ. Quæ & reliqua ejus dotes, summaq; in rebus dextre obeundis industria, cum ita Guilielmo primo commendarunt, ut ejus consilio, atque opera, in multis, & magnis rebus, fit usus. Propter quas dotes, non illi modo; sed & Francorum Regi, atque summo Pontifici gratus & charus fuit. Qui cum eloquenter, & sapienter de rebus differentem, attentè, & cum voluptate audiebant. Cum autem ab Ecclesia suâ, propter Regis, & Regni negotia, abesset dolenter id ferre visus est*, &c. Hæc ille: quem hactenus à Sede mota, nunquam absentem, aut procul illa vidimus.

Guilielmus Dunelmen. Episcopus Romam vadit.
Harpsf. sec. 11. c. 20.
Eius elogium.

II. Causa profectionis.

Nunc verò cum sesquiannum insulas gestasset; Regis, suæque Ecclesiæ nomine Romam proficiscitur. Quid pro Rege dixerit, aut fecerit; non apparet: sed ipsa missio sufficiens argumentum est, Gregorio Romano Pontifici cultum à Guilielmo Rege, & universâ Insula; non Spurio Wiberto, datum. Dunelmensis Ecclesiæ negotia constant. Jacebat ibi Cuthbertus Sanctus, incorrupti corporis miraculo, & plurimorum sæculorum famâ illustris: sed loci templique religio, vitio temporum, nec populorum devotioni, nec majorum consuetudini par erat. Canonici sæculares divina quidem officia celebrabant: sed nec assiduì in precibus; nec eo cultu, ac fervore, quem Dei majestas, Cuthberti sanctitas, & Guilielmi industria requirebant. voluit igitur eorum sedes, Monachis impleri: & illos ad sancti corpus excubare, qui ab anno sexcentesimo octogesimo sexto (quo Cuthbertus moritur) per plurima marisque terræque discrimina, religiosissimè illud servaverant: & cur modò, thesauro illo privarentur, nulla causa, è pietate ducta, occurrebat. Sed quoniam Ecclesiarum ordinatio, personarum distinctio, & rerum maximarum œconomia, altioris ordinis, & multorum sermonibus obnoxia erat: satius putavit à sacrorum Principe potestatem accipere; quam omnis post ætas, sanctam inviolatamque servaret. hæc una causa consiliumque profectionis ejus. Cujus in eo mentem acuisse videtur Deus opt. max. insigni miraculo, quod nuper Thomæ Eboracensi Archiepiscopo, ad vitam salutemque profuerat.

III. Thomas Eboracen. S. Cuthberti

Dudum ille, per biennium, cum molestâ febre luctatus decubuerat: & omnem medicorum operam, industriamque luserat: cum Sancti Cuthberti meritis, sospes & sanus mirabiliter surrexit: Sancto præsentiam suam, & manum ad febris ardorem extinguendum, accommodante. Quod adeo Thomam, erga Sanctum affecit, ut quicquid ad ejus Deique gloriam spectare crederet; id summè conatus sit. Probavit ergo ipse Guilielmi Dunelmensis iter; & non solùm domi, forisque, pro Monachis in Ecclesiâ illâ collocandis, advocavit: sed terras, prædia, prærogativas, omniaque juris adminicula concessit: quibus Monachi in Cuthberti Sancti obsequio excubantes, æternùm fruerentur. Quæ etiam, scripto super his diplomate, confirmavit; quod anno sequenti, cum Dunelmum Monachi transferentur, recitabo. Interim Guilielmus Romam profectus; facile quæ voluit, à Gregorio impetravit: modo Guilielmi Regis, & Metropolitani voluntas accederet. Reversus ergo, & Gregorii literis, coram Rege, Regi que consilio, apud Westmonasterium recitatis; suffragante in omnibus Thoma Eboracensi: jubentur Canonici, vel ad Monachorum mores & instituta vitam componere: vel loco, officioque cedere. Quid inde factum, dicam anno sequenti: quia moram, tantæ rei ingenium, morumque mutatio, requirit, & nihil subitò enatum, nihil violentum; aut crescit feliciter aut perpetuum est.

Auxilio a morbo liberatur.

Concilium apud Westmonasterium. Canonici iubentur Monachis cedere.

IV. Rex a seriis ad ludicra conversus.

Jam Angliæ motus Guilielmus Rex, vi, armis, & legum severitate, composuerat adeo; ut nullus à viribus metus, nec Principum virorum factio, Normannorum cupiditatibus immineret: soluitus ergo, & omni defunctus periculo Rex; ad amœna se transtulit: & ne vires otio languerent, & rubigine militaria tela hebescerent, ludicro armorum genere, otium fallere, & unà corpus ad labores, & discrimina durare, constituit. Itaque cum Anglorum latera satis fodicasset: in bestias pugnare, apros, Cervos, Damasque venari, novæ militiæ rudimentum posuit: non contemnendum juventuti exercitium, si cætera adsuerint, quæ honestam animi, corporisque relaxationem commendassent. Sed importunum in Rege venandi studium infecerunt plurima, Deo hominibusque execranda. oppida, urbes; sed illud primùm, templa etiam, ædesque sacras populatus est, atque destruxit; ut ferarum latibula, & habitacula fierent. quasi pluris essent animalia, Cervus & Dama, quibus non est intellectus: quàm quos creavit Deus, ad imaginem & similitudinem suam. Erant in Anglia, saltus, nemora, luci: tam numero frequentes; quàm ad ludos & elegantiam, ornati: sed nulli, Normannici Regis voto, pares. Unum ergo, in Hamptoniensi agro, inter Alauni, & Trisantonis flumina (ita dixerunt antiqui, quæ nos, Avenam, & Test appellamus) ad multa milliaria ampliavit: quem a rei novitate, Novam Forestam dicimus: occupatque omnem tractum, qui ad triginta milliaria porrigitur: ut autem commodè ferarum greges habitarent; jubet viros fœminasque inde facessere, & bestiis cedere.

Venationi dat operam.

Nova Foresta conditur.

V. Divinæ vindictæ argumenta.

Non diu patienter tulit Deus hoc humanæ conditionis opprobrium: sed hoc ipso anno octogesimo secundo, supra millesimum; feram Regis mentem, magno infortunio castigavit, cum filius illi charissimus portavit iniquitatem patris: & morte violentâ sublatus est; in eo loco ubi parens divina humanaque jura violaverat. Susceperat Rex è Mathilda plures liberos: quos nunc recenseo, cum unum sepelio: & vindicem Dei manum aperio, super Novæ Forestæ erectione. † Robertum primogenitum, quem * suprà,

* Robertus Guilielmi primogenitus.
* V. an. 1075. 18.

parenti perduelles, duxi: qui propterea Normandiæ quidem Dux, nihil ultra fuit. Sed nec Ducatum diu tenuit: à Juniore fratre, inde extrusus, miserimè vitam per viginti annos duxit, & finivit, ut infra: duos ille genuerat è Sibylla

V. an. 1088. 7.

conjuge filios, Guilielmum cognomento miserum, Comitem Flandriæ; & Henricum. Guilielmus è vulnere obiit, in Normanniâ, anno millesimo centesimo vigesimo octavo: & jacet Audomari sepultus ad Sancti Bertini. Henricus junior, dum in Avi Novâ hac Forestâ feras insequitur, arborum ramis impeditus, & suspensus, subitâ morte, & vindice Dei manu, extinguitur.

Richardus Guilielmi secundo genitus.

Sed hoc posterius. Secundo genitus Guilielmi Regis Richardus fuit: in Normanniâ, è Mathilda natus, magnæ spei juvenis, & parentibus charus: quem regni corona, fratre exauthorato, & natalium jure, & parentum voluntate manebat: Hic, inquam, Richardus, dum paterno impetu feras insequitur & conatur cum aliis perdere: hoc ipso anno millesimo octogesimo secundo, furentis cervi cornibus exceptus, & distractus; immaturâ morte, sed Deo maturante vindictam, periit. alii repentinam mortem tabido sideri adscribunt. Sequentur plura irati Numinis

Guilielmus Rufus Guilielmi filius.

argumenta. nam tertio genitus Guilielmi Regis, Guilielmus nomine, cognomento Rufus, parenti succedet à morte ejus: sed post paucos regni annos, dum in Nova Foreestâ, in bestias pugnat, à violentâ morte superatur. in eo loco, ubi olim Ecclesia Deum laudaverat. Sic Jezabeli malè cessit vinea Naboth: oam in loco, in quo linxerunt Reges sanguinem civium: lingunt canes sanguinem Regum

VI. Mors Richardi, Guilielmi F.

Enorme hoc facinus Guilielmi, nec antiqui Scriptores, nec moderni dissimulant. Antiqui, jure conqueruntur: moderni, qui Monasteria omnia destruxerunt, qui omnia Templa, cultu, sacrificio, & altaribus nudaverant, qui denique Guilielmum supergressi antiquam majorum fidem conculcarunt; cur modo conquerantur non video. Inter antiquos Malmesburiensis ita loquitur de Richardo Guilielmi filio, & Novâ

Malmesb. de Reg. l. 3. fo. 111.

Forestâ: *Richardus, magnanimo parenti spem laudis alebat puer delicatus: & ut id ætatula pusio, altum quid spirans, sed tantam primævi floris indolem, mors acerba cito depasta corrupit. Tradunt Cervos, in Novâ Forestâ terebrantem, tabidi aeris nebulâ morbum incurrisse. Locus est, quem VVillielmus pater, desertis villis, subrutis Ecclesiis, per triginta & eo amplius milliaria; in saltus, & lustra ferarum redegerat: infando prorsus spectaculo: ut ubi ante, vel humana conversatio, vel divina veneratio fervebat: nunc ibi cervi, & capreoli, & cætera illud genus bestiæ, petulanter discursitent. Nec ille quidem mortalium usibus communiter exposita. Unde pro vero asseritur, quod in eadem silvâ, VVillielmus filius ejus, & nepos Richardus* (Henricum de quo suprà intelligit) *filius Roberti Comitis Normanniæ, mortem offenderint: severo Dei judicio; ille sagitta pectus; iste collum trajectus: vel ut quidam dicunt arboris ramusculo, equo pertransēunte; fauces appensus.* Ita ille, quem Parisiensis sequitur & exscribit: sed addit legem à Guilielmo latam, in eos, qui Regis delicias, hoc est, cervos offenderint. *Cervum,*

Paris anno 1085.

inquit, *vel Capreolum capientes, oculis eruebantur: nec fuit qui se his opponeret legibus. Amabat enim ferus Rex feras, quasi pater ferarum.*

VII.

His addo modernum hominem, Guilielmum Camdenum; qui Novam Forestam lustrans, & Regis mentem penitiùs ingressus, plures causas aperit, cur tantam agri vastitatem Hamptoniensi agro intulerit, de Alauno flumine ita scribit. *Ad*

Camd. in Hamshire.

hujus ripam Orientalem, Guilielmus Normannus, oppidis, villis, & sacris ædibus, longe lateq; excisis; miserisq; incolis ejectis, omnia per triginta plus minùs in ambitu milliaria. in ferarum lustra, & saltum redegit: quem nos Nevv-forrest: Angli illo seculo Ytene dixerunt. Verùm hanc rem, si placet, antiqui Scriptoris Gualteri Mappæ verbis habe. Terram Deo, & hominibus abstulit, ut eam dicaret feris, & canum lusibus. A qua triginta sex matrices Ecclesias extirpavit: & populum earum dedit exterminio. Hoc autem fecit; vel ob tutiorem accessum in Angliam, Normannis suis præstandum (Normannia enim objacet) si eum quasi bello perfunctum, gravior in hac Insulâ tempestas exciperet. Vel ad voluptatem, quam ex venatione caperet. vel ob pecuniam sibi undequaque corradendam. Ille enim feris, quàm hominibus æquior, pecuniariam mulctam, eamq; gravissimam. & supplicia alia graviora constituit: si quis suas feras venaretur. Sed huic Regis importuno facto, divina vindicta non defuit. Richardus enim ejus filius secundo genitus: & Guilielmus Rufus: alter etiam filius, in hoc saltu perierunt. Hic sagittâ, à Gualtero Tirello fortuito transfixus: ille pestilenti aurâ afflatus. Henricus etiam è Roberto filio nepos, dum in hoc, feras contentiùs insectaretur, ramusculis appensus animam efflavit: ut etiam nepotes parentum delicta luere doceamur.

VIII. Henricus Guilielmi Primi filius.

Quarto-genitus, & ultimus Guilielmi filiorum, Henricus; duobus inter venandum sublatis è vitâ fratribus, regno successit: æquè ac illi, venationi, & captandis feris intentus. Unde eandem etiam sensit vindicis Dei manum: cum è venatione rediens, murænarum esu, mortem hausit. Sic filii omnes & nepotes, parentis Guilielmi scelus expiarunt, & Deus tot ædium, & templorum sepulturis mirabiliter parentavit. Quibus si addideris, ipsius Guilielmi Regis ambesa è templi incendio viscera; & mortem inde sequutam, ut infra: Dices enimvero Deum etiam Regibus irasci: si aut è pauperum ruinis, ludos ædificent: aut sacra loca in usus non sacros profanent. Illud etiam, à prudentibus observatum:

V. an. 1087. 8.

Guilielmi semen, longævum super terram non fuisse: quia ædes sacras temeravit. eo facto, omnium rerum creatarum parentem inhonorans. Enimvero licet filiis, & filiabus pluribus; adde & nepotibus ex eis auctus admodum esset, possetque meritò sperare æternitatem prolis: aut multorum saltem sæculorum heredes; unum tamen sæculum non implevit: sed post sexaginta octo annos, ab hostili sacrarum ædium vastitate; in aliam familiam, regnum & corona transfertur. Qua etiam annorum periodo, cum Nabuchodonosor, qui olim vasa sacra temerarat, & filii ejus, in Babylone regnassent, à Cyro superati, nomen, regnum, omnia perdiderunt. Si descendo inferiùs, ad Henricum octavum, omnium per Insulam Monasteriorum, & plurimarum ædium eversorem: eundem Deum semper invenio. nam licet mutandis conjugiis, procreandis filiis, prorogandisque nepotibus, omnem operam industriamque posuisset: nunquam tamen; nec videre, sed nec habere meruit, è filio, filiave nepotem, regno Angliæ, post annos non plenè septuaginta, ad Scotos translato. ut

Guilielmus non habiit semen longævum.

discant mortales, nihil esse mortalius, quàm sacra profanare: quemadmodum nihil magis ad immortalitatem juvat, quàm sacra, quàm templa, quam Deum, in illis venerari. Sic Ethelberti, Oswaldi, Edwini, Edoardi, pientissimi Reges; non solùm scripti sunt in libro vitæ: sed nomina eorum per omnem terrarum Orbem, in Ecclesiis, in Martyrologiis, & sacris dyptichis, quotannis canuntur: quia Deum & sacra religiosè coluerunt, donariis auxerunt, & erectis sacris ædibus venerati sunt. *Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona: hereditas sancta nepotes eorum. Et in testamentis stetit semen eorum: & filii eorum propter eos in æternum manent. Generatio eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum vivent in sæcula. Sapientiam eorum narrent populi: & laudem eorum pronuntiet omnis Ecclesia Sanctorum.* (Eccl. 44.)

IX. Hæc dicta sunto, argumento ducto à morte Regii juvenis Richardi, qui hoc anno octogesimo secundo, ob parentis delictum, victima cecidit in Nova Foresta, & Wintoniæ sepultus est: cum hoc brevi epitaphio. *Hic jacet Richardus, Filius Guilielmi Senioris, Beorniæ Dux.* ita legit Joannes Stous in Annalibus: aliter legit alter Joannes Spedus, & putat Boloniæ, sive Bononiæ Belgicæ Ducem fuisse. fortè quia Ducatus ille Normanniæ magis conterminus quam Bernia Helvetiorum provincia. & ego illi accederem; si Bononiensium Comitum series non obscura permitteret. Quod si nolit; & Epitaphii characteres adeo exoleverunt, ut legi difficulter possint: Quidni Belsiæ Dux reponendum? certè pars amplissimæ provinciæ, quæ vulgo audit, la Beausse, Ligerim & Normanniam tangit: & eò, jure, vel injuriâ, Ducem imperium dilatasse, invictus Guilielmi animus suadet. Sed quicquid sit, sepulchri summa, quàm exoleti apices, spectanda est magis: & in illa evidenter legimus, Deum Regibus irasci, si humanæ conditionis, & divinæ Majestatis obliti, brutorum animalium potiùs quàm civium commodis, & suis cupiditatibus potiùs, quàm divinæ gloriæ, ancillentur: & venaticorum canum streperos latratus; psalmorum, & Deo laudes solventium canticis præponant. Nunc, quia mentio filiorum Regis Guilielmi facta est: de filiabus dicerem, nisi animus esset, illas sequenti anno, cum Matulda matre, naturæ debitum solvente, referre. Moritur etiam hoc anno Vitalis Westmonasterii Abbas: cui Sulcardus Monachus librum inscripsit: Sepultus est in Australi parte claustri cum hoc Epitaphio:

Usser. fo. 128.

Qui nomen traxit a vita, morte vocante
Abbas Vitalis transiit, hicq; jacet.

ANNUS CHRISTI 1083.

GREGORII VII. PAPÆ 11.

GUILIELMI I. REGIS 18.

I. Monachi Dunelmi

ANno Christi millesimo octogesimo tertio, reversus ex urbe Dunelmensis Episcopus ad Guilielmum Regem, ostensisque literis quas Gregorius dictaverat, pro Girviensium Monachorum translatione, de qua * suprà: Rex convocato Episcoporum conventu, vota Præsulis, Gregorii decretum, & Monachorum ad Cathedralem Ecclesiam migrationem, communi omnium suffragio confirmavit. Quibus in Concilio impetratis, Dunelmum profectus Episcopus, Canonicos docet è mente Pontificis Gregorii, Guilielmi Regis, Lanfranci Cantuariensis, Thomæ etiam Eboracensis Episcopi, ac aliorum Ecclesiæ Prælatorum; Sancti Cuthberti corpus Monachorum curæ, custodiæque tradendum. Quocirca, vel Monachi esse inciperent: vel Ecclesiæ illi, Sanctoque Cuthberto adesse desinerent. Dura plerisque visa conditio: suie stipendio, inglorios esse: qui tot annorum stipendio, Ecclesiæ militarant. Sed nodum illum expedivit prudenter Episcopus; cum seculares Canonicos, ad alia per provinciam Sacerdotalia transtulit: ne prædia olim Monachorum usibus, & Cuthberti cultui donata, aliò verterentur. Erant in Girviensi Monasterio, quod nuper Walkerus Episcopus restaurarat, Monachi quos anno millesimo septuagesimo quarto, ex Oriente nostro eò deduximus. Inde Monachorum colonia, hoc anno, Dunelmum transfertur, Duce, & cæteris Præposito Aldwino: & Dunelmensis Ecclesia deinceps Regularem Clerum excepit. Hoc ipsum tentarat olim Walkerus Episcopus; sed morte præventus non perfecit. licet * Godwinus satis oscitanter dicat eum, ejectis Clericis sæcularibus Monachos primùm induxisse. Sed fidelior testis Harpesfeldus, qui rei gestæ seriem, translationis tempus, & Authores accuratè describit hunc in modum.

Collocantur.
* V. an. 1082. n. 2.
V. an. 1074. n. 15.
Aldwinus Monachis Dunelmi præest.
* Godw. in Walkero.

II. *Walkerus* (Episcopus Dunelmensis) *cogitavit Monachos Dunelmi, ad incontaminatum Divi Cuthberti corpus ponere; quin & ipse Monasticen profiteri. Iamque occeperat ædificationem, huic suo proposito opportunam: sed mors eum priùs occupavit; quàm cogitationes suas, atque ædificia illa absolveret. Quæ Guilielmus successor ejus consummavit: & everso templo, quod erat positum prius ibi, aliud longè magnificentius reposuit: Monachosq; (cujusmodi semper fuere in Lindisfarnensi Ecclesia, ante Dacorum irruptionem) pro Canonicis induxit. Cum priùs rem Regi Guilielmo Primo, & Lanfranco communicasset. A quibus ad summum Pontificem, illius rei gratia missus est. Cujus suasu, & authoritate, Monachos, qui erant apud Girvum, & Wiremuthum, Dunelmum transtulit. Canonici, qui Monasticen recusabant (quam omnes uno excepto recusarunt) ejecti sunt. Huic societati, Aldunus præfectus est. Atque hæc ita contigere, anno trecentesimo nonagesimo septimo, à Divi Cuthberti obitu, & octogesimo nono, postquam illibata ejus reliquiæ Dunelmum sunt traducta: & decimo, quo Aldunus in provinciam illam venit.* Ita Harpesfeldus. quæ omnia opportunè cadunt in nostrorum annorum computum. Nam supra Cuthberti mortem posuimus ad Christi annum sexcentesimum octogesimum septimum: à quo in hunc annum descendendo; tercentum nonaginta septem anni numerantur. Translatas Dunelmum, Cuthberti reliquias, consignavimus ad annum nongentesimum nonagesimum quintum: nimirum ante annos octoginta novem. Demum Aldunum, & socios in Northumbriam deduximus, anno Christi millesimo septuagesimo quarto, à quo præsens annus decimus nominatur. Restaret dicendum; cujus instituti

Harpesf. sæc. 11. c. 29.
Res gesta ex temporis ratio.
V. an. 687.
V. an. 995. n. 1.
V. an. 1074. n. 15.

Monachi

Monachi fuerint, qui è Girviensi Cœnobio, Dunelmum, hoc tempore, transferuntur. & inde solùm oritur ratio dubitandi, quia Author suprà affirmat, ejusmodi fuisse, quales semper in Lindisfarnensi Ecclesiâ fuerant. Illi autem, cum ab Aidano, & Scotis, instituti primùm fuerint, è Columbæ disciplinâ; non è Benedicti familiâ, prodierunt, ut dictum tomo secundo. Sed facilis est solutio. Scotorum Monachismus, ab Aidano introductus, ex Hiensi Monasterio; Scotis ex Insulâ, & sede discedentibus, non statim quidem, sed post unum saltem alterumque sæculum, evanuit, locumque fecit sanctissimo Benedicti instituto. E cujus proculdubio scholâ prodierunt, qui nunc Dunelmi consederunt. Cum enim illi, è Merciorum provinciâ, & Eveshamensi Cœnobio, in Northumbriam transierint; nihil cum Scotorum instituto commune habuerunt. Cujus ad summam epocha, ducentorum quadraginta & uno annorum curriculo clauditur. Ut optimè colligitur è M. S. Codice Abbatiæ de Evesham, ubi sic legitur, de ortu, & occasu Lindisfarnensis instituti.

V an. 635. n. 20.

III.

Apud Reynerum in A ·ex. fo. 42

Scotorum Monachismi epocha.

V. an. 882. n. 5.

Sedem Episcopalem, simul & Monachorum ordinem, in Ecclesia Lindisfarnensi, Sanctus Rex Osvvaldus, & Æydanus Episcopus, & Monachus, secundum Bedam, l. 3. de gestis Anglorum primò statuerunt, circa annum Dominicæ Incarnationis sexcentesimum trigesimum quintum, ab adventu Sancti Augustini trigesimo nono. Quæ sedes & ordo insimul ibidem durabant, annis ducentis quadraginta, & uno. Quo tempore, loco illo Lindisfarnensi, per Danos paganissimos, totaliter destructo, translata sunt dicti Sedes & ordo, usque Conk-Chester. ubi Monachis deficientibus, qui pauci post Lindisfarnensis Ecclesiæ destructionem remanserunt; Clerici sæculares, inter ipsos Monachos nutriti, ac ritum Monachorum, in horis canendis, servantes, Monachorum loco successerunt: primo apud Conk-Chester, post in Dunelm, anno gratiæ nongentesimo nonagesimo quinto; junctis semper secum aliquibus Monachis, ad custodiam corporis S. Cuthberti deputatis. Ex quibus Episcopi ejusdem Sedis, & Ecclesiæ sumebantur. Nam exemplo primi Antistitis ejusdem Sedis Aidani; qui & Monachus erat, & Monasticam cum suis omnibus vitam agere solebat; ad ipsius Ecclesiæ Præsulatum Monachi solebant eligi. Quod ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo trigesimo quinto observatum est, usque ad annum Incarnationis ejusdem millesimum octogesimum secundum. Qui Clerici sæculares, in re, nec sæculares Canonici, nec Monachi, dictam Ecclesiam Dunelmensem, adhibitis secum, ut dictum est, paucis Monachis; occupabant annis octoginta octo; scilicet usque ad annum gratiæ millesimum octogesimum tertium. Quo anno Papa Gregorius VII. Rex Angliæ VVillielmus Conquæstor, & VVillielmus Episcopus Dunelmiæ, dictos Clericos sæculares; propter incorrigibilem eorum vitam, & Episcopi VValkeri interfectionem, de sæpè dictâ Ecclesia amovit: & antiquum Nigrorum Monachorum Ordinem restituit, & renovavit. Hactenus ibi. Unde colligo à Danorum saltem depopulatione, & deinceps, Lindisfarnenses Monachos, ab Aidano institutos, defuisse: & nigros, mistis in adjutorium sæcularibus Clericis (ut olim ab Augustino Dorobernia, & Mellito Londini factum) successisse. Nunc verò aucto Monachorum numero, in justam Monasterii formam coivisse; è mente Regis & Episcoporum omnium.

IV.

Testatur hoc Eboracensis Archiepiscopus Thomas: cujus suasu, & imperio factum, quod factum est: ut ex ejus diplomate datur intelligi: ubi Deo Sanctoque Cuthberto, ob insigne recuperatæ valetudinis beneficium, gratias agens; non solùm factum probat; sed prædia Monachis, & privilegia dispensat, hunc in modum.

Thomas Dei gratia Eboracensis Archiepiscopus: Episcopis Abbatibus, per Angliam, tam constitutis, quàm in posterum successuris; & omnibus sibi in Eboraco Archiepiscopis successoribus in perpetuum: Salutem.

Apud Hoved fo. 439.

Thomæ Charta pro Dunelmen. Monachis.

„ Cum nostrum sit officium, omnibus præstare pietatis obsequium: his tamen maximè Sanctorum Dei debemus obsequium nostræ devotionis impendere; à quibus nos constat, peculiare muneris beneficium percepisse. Nos quidem, flagello Dei castigati; & febrium langoribus, per biennium, modo incredibili, exusti: cum omnes medici, solius mortis exitum nobis prominere promitterent; nilque unquam fuit, in quo communis noxam ægritudinis temperarent. Per visum ergo commonitus; ad tumbam S. Cuthberti gemens, & fremens pernoctavi: qui morbo simul, & mole fatigatus; dum somnum surripui; in visum mihi Beatus Cuthbertus astitit: qui manu suâ, singula membra mea, de infirmitate meâ percurrens, mox vigilantem ab omni infirmitate sanum reddidit: & me sibi in omnibus devotum fore, & quæcunque in mea Diœcesi, ipse, vel sui, possessuri erant; ab omni fatigatione; secura, & libera esse, præcepit. Quique, Beati Confessoris adjutus beneficiis; eò ei devotior extiti; quò majora persolvere debui. Willielmo interim, de Dunelmensi Episcopo, de Sede Apostolicâ literas Gregorii Papæ Septimi; ad Willielmi Regis Concilium, apud Westmonasterium, deferente · Canonicos de Ecclesiâ suâ amovere; & Monachos substituere; omnium consensu impetravit. Quibus plurimum gavisus; ex præcepto præfati Papæ, & ex præcepto Domini Regis Willielmi; Beati Cuthberti amore debito, subscriptas literas Sancto Cuthberto, & ejus Episcopo, & omnibus Monachis ei servientibus; consensu, & promissione Capituli Eboraci, & totius Synodi confirmatione, dedi, concessi, & præsenti chartâ confirmavi: & post propria manu super altare Sancto Cuthberto obtuli.

Episcopus a S. Cuthberto sanatur.

V. an. 1082. 3.

V.

Privilegia Dunelmensibus Monachis conceduntur.

„ Sciant igitur, tam præsentes, quàm futuri, quod Ego Thomas Eboracensis Archiepiscopus, ex præcepto Gregorii Septimi, & confirmatione Domini Willielmi Regis; sub testimonio universalis Anglorum Concilii, & consensu Eboracensis Capituli: Do, & concedo Deo, & Sancto Cuthberto, & omnibus ejus Episcopis successuris; & omnibus Monachis ibidem in posterum futuris: ut omnes Ecclesias quascumque in præsenti, in Diœcesiana parochiâ meâ possident; vel in posterum Canonicè adquirere poterunt, concessione Regum, largitione fidelium; vel ædificaverint in proprio fundo terrarum: habeant liberas, & quietas omnino in perpetuum, à me, &

„ omnibus successoribus meis: ab omnibus, quæ ad me, vel ad successores meos pertinent. Quare volo, & præcipio, ut omnes Ecclesias suas, in manu sua teneant: & quietè eas possideant: & Vicarios suos liberè in eis ponant: qui mihi, & successoribus meis, de cura tantum intendant animarum. Ipsis verò de omnibus cæteris eleemosynis, & beneficiis. Concedo insuper, confirmo, & præcipio: ut tam ipsi, quàm ipsorum Vicarii, liberi, & quieti in perpetuum sint ab omni redditu Synodali, & ab omnibus auxiliis, gravaminibus, vel redditibus, exactionibus, vel hospitiis; tam à me, quàm à Decanis, Archidiaconis, vel omnium nostrorum Vicariis, & Ministris. Sub anathemate etiam prohibeo, ne aliquis ultra, ipsos, vel eorum Clericos, aliqua sub occasione fatiget; vel ad Synodos, vel Capitula ire, nisi velint, sponte, compellant. Sed si quis erga eos, vel suos, aliquam querelam habuerit, ad Curiam Sancti Cuthberti, Dunelmum veniat: ut ibi qualem debuerit rectitudinem percipiat. Omnes enim libertates, & dignitates, quas ego, vel mei sequaces, in Ecclesiis propriis, vel terris nostris possederimus: ipsis, & Sancto Cuthberto in omnibus Ecclesiis, & terris suis, liberè in perpetuum concedimus, & absque tergiversatione, sine calumniâ, a me, meisque successoribus liberas, & quietas confirmamus. Hactenus diploma pro Dunelmensi Ecclesia.

VI. MAIORUM PIETAS IN S. CUTHBERTUM.

Hinc fluxit, & refluxit potiùs, prærogativæ, illi quondam Ecclesiæ indultæ, amplitudo: quæ Saxonum tempore, sub piissimis Regibus, summa fuit: & nunc sub Normanno Principe, cæpit incrementum: nam omnis ille tractus; qui Sancti Cuthberti patrimonium audit; inter Weram, & Tinam flumina: Comitatus Palatini honorem obtinuit: & Episcopus, Palatini Comitis dignitatem. Dixi suprà, quam profusa fuerit Principum manus, in ornandâ ditandaque Dunelmensi Ecclesia: (V. an. 687. n. 16.) nunc cum auctario, paucis repeto, quæ habet Camdenus, è Chartis antiquis, de Alfredo Rege, aliisque, de quibus hæc habentur. (Camden. in Bishop.) *Totam terram inter Were, & Tinam, Cuthberto, & in ejus Ecclesiâ ministrantibus, perpetuo possessionis jure, largiti sunt: ex quâ illis, ne inopiâ laborarent, vitæ subsidia procurentur. Præterea ejus Ecclesiam, tutum profugis locum refugii constituerunt: ut quicumque qualibet de causa, ad ejus corpus confugerit; pacem per triginta septem dies, nullâ unquam occasione infringendam, habeat.* Addit de suo Camdenus: *Edvardus, Athelstanus, & Cnuto, sive Canutus Danus, qui * nudis pedibus, ad Cuthberti tumulum accessit, has leges & libertates, non modo confirmarunt, sed etiam auxerunt. Nec minùs Guilielmus Normannus, à cujus statim tempore, Comitatus Palatinus judicatus est: † Et Episcopi tanquam Comites Palatini sigillo impresserunt. militem cataphractarium, phalarato equo insidentem, alterâ manu gladium vibrantem, alterâ insignia Episcopatus prætendentem, cum Inscriptione. * CRVX VERITATI COMES. Itaq; sua regalia habuerunt Episcopi, adeo; ut proscriptorum bona, illis, non Regi, cederent. Dicebant enim* (historia Dunelmensis pro me loquetur) *se esse Halivverke Folkes; & terras suas tenere, ad defensionem corporis S. Cuthberti: nec debere se exire terminos Episcopatus, scilicet ultra Tinam, & Teysam, pro Rege, vel Episcopo.*

*V. an. 1025. 2.

CANUTUS NUDIS PEDIBUS ACCEDIT AD CORPUS S. CUTHBERTI.

† EPISCOPI DUNELMEN. COMITES PALATINI.

* CRUX VERITATI COMES.

Hæc omnia confirmasse videtur Guilielmus Rex, eo forsan diplomate, quod citat Godwinus, de Guilielmo Dunelmensi Episcopo ita loquens: (Godwin in Dunelmen.) *Monachis prædia à se coempta contulit: quorum donationes sicut privilegia ab aliis Principibus concessa Dunelmensi Ecclesiæ, à Guilielmo Primo, diplomate Regio confirmari curavit.* Ita ille: ubi notandum: tamdiu Christianam, & orthodoxam in Anglia fidem floruisse, quamdiu *Crux veritati Comes* fuit: nunc obliteratâ, ubique per Insulam, Cruce: eadem manu obliteratur Fides. hoc omnis orbis, omnes literæ, omnia symbola loquuntur.

PRIVILEGIA REGIO DIPLOMATE CONFIRMANTUR.

VII.

Non ita, hoc anno, Glastoniensi Ecclesiæ, ac Dunelmensi cessit Deus, qui nuper exaltavit humiles; nunc ambidexter, superbis resistit, & detrahit in terram virtutem eorum, qui ponunt carnem brachium suum. Thrustinum Glastoniensi Cœnobio suprà præfecimus, & prospera ejus, prosequuti sumus. nunc ferocem hominem, & à monastica mansuetudine degenerem, in scenam producimus, Normannum hominem, pessimè in Monachos imperio abutentem. Non est animus, nedum volupe, Regularium rixas, & in illo sole maculas, meo penicillo depingere, quas silentio potiùs texissem, si instituti ratio pateretur. Sed reverà tegi non potest macula, quam Historici omnes, ipsi etiam Regulares Monachi, in Abbate Thrustino, notaverunt. Dicant ergo illi, me tacente, quid Glastoniæ factum ab illo. *Seditio nefanda* (ita ad hunc annum Wigorniensis) *inter Monachos, & indignè nominandum Turstanum,* (alii Thurstinum vocant) *Glastoniæ facta est. quem Rex Guilielmus, de Monasterio Cadomi, nullâ prudentiâ instructum, eidem loco Abbatem præfecerat. Hic inter cætera stultitiæ opera, Gregorianum cantum aspernatus, Monachos cæpit compellere, ut illo relicto, Guilelmi Fiscannensis cantum discerent, & cantarent. Quod dum ægrè acciperent: quippe qui jam, eam in hoc, quam in cætero Ecclesiastico officio, secundùm morem Romanæ Ecclesiæ insenuerant: subitò armatus militari manu, illis ignorantibus, quodam die, in Capitulum irruit: Monachos nimio terrore fugientes in Ecclesiam, usque ad altare persequitur: jaculisq;, & sagittis, cruces, & imagines, & feretra Sanctorum, manu militaris transfigens: unum etiam Monachum, amplexantem altare, lanceâ transverberans interemit. Alium ad altaris crepidinem, sagittis confossum necavit. Cæteri verò necessitate compulsi, scamnis & candelabris Ecclesiæ, fortiter se defendentes; licet graviter vulnerati, milites omnes retrò chorum abegerunt. Sicq; factum est, ut duo occisi, quatuordecim vulnerati ex Monachis; nonnulli etiam de militibus sauciati existerent. Hinc moto judicio; dum maxima Abbatis esse culpa patuit; Rex eundem Abbatem summovit, & in Monasterio suo in Normanniâ posuit. De Monachis verò quamplurimi, per Episcopatus & Abbatias, jussu Regis custodiendi disperguntur.* Ita ille.

THRUSTINUS ABBAS IN MONACHOS SÆVIT.

DEPONITUR.

VIII.

Addunt Antiquitates Glastonienses alia, quæ Thurstinum cum Monachis commiserunt. (Antiquitates Glaston. in Thurstino.) *Res* (inquiunt) *Ecclesiæ, lenocinando consumpsit: nimis severè à Monachis ordinem exegit: & inter hoc eorum victualia restrinxit. Insuper mores ejusdem, tanquam alienigenæ, nec de gremio Ecclesiæ Canonicè instituti, Monachi molestius tolerabant.* Nec illud omittendum, quod ibidem legitur: ubi Christus pro Monachis stetisse, & vulnus excepisse videtur, in eo conflictu: (Ubi supra.) *Unus autem, ex Abbatis familiâ* (ita ibi) *in suo scelere pertinacior cæteris; cernens*

quendam Monachum, crucem argento coopertam manibus tenere, ut eo defensionis clypeum præstaret: animo dedignanti, in eundem sagittam direxit. Sed providente Deo, sagittâ imaginem Dominicam in Cruce defixam, subtus genua vulnerans, sanguinis rivulum, ex eadem, produxit: qui de altari, usque ad gradus, ad terram descendens, ultionis divinæ terrorem infaustis viris incutiebat. Hoc viso sceleris hujus perpetrator, suæ confusionem non sufferens, continuo amens est effectus: & Ecclesiæ limina egressus corruit; & fracta cervice animam efflavit. Cæteri autem, hoc intuentes, ne similia subirent supplicia; egredi Monasterio festinabant. Sed æquitatis divina virga non sinebat eos esse expertes pœnæ; quos in malignitatis perpetratione noverat consortes extitisse. Quidam enim intra, quidam extra, mentis corporisq́; ... prius non immeritas exolvebant. Rege demum Willelmo, querelâ super hoc delatâ, dum in eximia fuisse Abbatis culpa patuit, ab eodem Rege in Normanniam ad Monasterium unde venerat, redire compulsus est inglorius. Crux autem memorata, ab antiquis temporibus, argento vestita, pro ... miraculo conventus venerabilis, populoq́; celebris habetur vulnerisq́; vestigium adhuc ostenditur manifestum. Hic iterum occurrunt Dunelmensis Episcopi insignia: Crux veritatis Comes: nam Monachis dictum: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et impie Thurstinus permisit mittem in eos telorum in hoc sævire, quos paterno affectu, apertisque ulnis, ab omni telorum impetu defendere ac tueri debuisset.

MIRACULUM DE CRUCE.

IX. ODO BAIOCENSIS IN VINCULA CONJICITUR.

Hoc anno, Guilielmus Rex, nihil Infulas veritus, & propinquitatem sanguinis; Odonem, Baiocensem Episcopum; res novas molientem, & Petri cathedram in Urbe affectantem; in vincula conjecit. Rem gestam, liber antiquus Monasterii Cadomensis, sic refert. *Dum fuerunt in orbe tempestates multæ: quidam sortilegi Romanorum: quis in Papatu succederet Hildebrando, indagarunt. Et cum post transitum Gregorii, * Odo, Romanus Papa fore comperierunt. Hoc audiens Odo, Præsul Baiocensis; qui cum fratre suo Guilielmo Rege, Normannis dominabatur, & Anglis: parvipendens potestates, & divitias regni Occidentalis: nisi jure Papatus dominaretur latius, & omnibus terrigenis, Romam misit. Palatium sibi emit: Senatores Quiritum magnis muneribus datis, sibi amicitia copulavit: palatium ... multis sumptibus, & superfluis apparationibus exornavit. Hugonem Cestrensium Comitem, magnamq́; cohortem præcipuorum militum ascivit; ut secum in Italiam proficiscerentur, obsecravit: & ingentia precibus promissa prodigus addidit. Illi vero, quia Normanni leves, & extera videre cupidi sunt; protinus præsumptori Episcopo, cui principatus Albionis, & Neustriæ, non sufficiebat, assenserunt. Ingentes quoque fundos, quos in occiduis climatibus possidebant, deserere decreverunt. ac, ut præfato Præsuli trans Padum comitarentur, per fidem spoponderunt. Apparatus hujusmodi prudens Rex Guilielmus edidicit; sed non approbavit: regnoq́; suo multisq́; aliis nociturum æstimavit. Unde festinanter in Angliam transfretavit: ac Odoni Episcopo, cum grandi pompâ navigare in Normanniam cupiente, ex insperato, in Insula Vecta, obviavit. Ibi nimirum, congregatis in aulâ Regali primoribus regni, Rex ita loquutus est.*

Fragmentum de Guilielmo I apud Walsingamum.

*Odonem Romanum Papam.

ODO SOLICITAT PROCERES AD ITER ROMANUM.

X. ORATIO REGIS AD PROCERES CONTRA ODONEM FRATREM.

Egregii Proceres, verba mea diligenter audite: & salubre consilium mihi quæso tribuite. Antequam transfretassem in Normanniam, regimen Angliæ fratri meo, Baiocensi Episcopo, commendaveram. In Normanniâ multi contra me surrexerunt: & ut ita dicam, intimi me invaserunt. Robertus filius meus, & tyrones, quos enutrivi, & quibus arma dedi, contra me rebellaverunt. eisq́; mei malefidi clientes, & finitimi hostes, gratanter adhæserunt. Verùm Deo, cujus servus sum, me protegente, nil profecerunt: nec de meo aliquid, nisi ferrum in vulneribus suis obtinuerunt. Conglobatos in me Andegavenses, paratus ad bellum terrore compressi: patriq́; modo rebellantes Cenomannos, armis, & viribus compescui. His nimirum occupationibus, ultra mare irretitus fui: ibique diu moratus, publicis utilitatibus laboriosè deservivi. Interea frater meus Angliam vehementer oppressit: & Ecclesias fundis, & redditibus exspoliavit. ornamentis ab antecessoribus, eis datis nudavit: militesq́; meos, qui contra Danos & Hibernenses, & alios hostes, mihi nimis infestos, Angliam tutari debuerant, seduxit; & trans Alpes, in extera regna, me contempto, pertrahere disponit. Nimius dolor cor meum angit, præcipue pro Ecclesiis Dei, quas afflixit. Christiani Reges, qui ante me regnaverunt, Ecclesiam Dei amaverunt: honoribus, & xeniis multi generis locupletaverunt unde nunc, ut credimus, in amœna sede, felici retributione gaudenter requiescunt. Adelbertus, & Edwinus, ac Sanctus Osvvaldus: Athulfus ac Alfredus; Edvvardus Senior, & Edgarus; cognatusq́; meus, & charissimus Dominus Edvvardus, dederunt opes Ecclesiæ sanctæ, quæ est sponsa Dei: & frater meus; cui totius regni tutelam commendavi; violenter opes diripuit, crudeliter pauperes oppressit: frivolâ spe milites mihi surripuit: totumq́; regnum, injustis exactionibus concutiens exagitavit. Quid inde agendum sit, caute considerate, & mihi quæso insinuate.

REGES ECCLESIAM ORNANTES IMMORTALES SUNT.

XI.

Cumque omnes tantum virum timerent, & sententiam in illum proferre dubitarent: magnanimus Rex ait. Noxia temeritas semper comprimenda: multoties olim contra patrem suum litigaverat. & tunc noviter pro quibusdam ineptiis similiter stomachatus, ad Regem Francorum discesserat. Nec plura ibi, de Procerum in Odonem sententiâ. Et fortè nemo ausus virum utrumque majestate reverendum; aut reum dicere; aut contra Regis mentem, absolvere. Unde Guilielmus, & accusatoris & Judicis munere functus, Odonem, custodiæ mancipatum vetuit Insulâ excedere. Addunt aliqui Guilielmum, in Odonem, Comitem Cantii, non in Baiocensem Episcopum, sententiam tulisse: ne Ecclesiam; quam tota oratione defendendam susceperat, offendere censeretur. Odonis nimia potentia, divitiæ, ambitio, ansam Guilielmo præbuerunt eum deprimendi. quod Harpesfeldus candidè ita prosequitur. *Fuit Odo peracuto, sed callido & veteratorio ingenio: quod totum ad pecuniam undique colligendam, & aggregandam convertebat. Quæ ita affluebat, ut suffragatoribus inde delinitis, Romanum penè sibi pontificatum pararit, & coëmerit. Et quoniam omnium in Angliâ animi, in eum eventum erant suspensi; Pontificemq́; Romanum futurum putabant: omnes pene in Angliâ controversiæ, ad ejus arbitrium deferebantur. Unde & in magnam ille Regis offensionem incidebat: à quo in carcerem conjectus est. Qui prædam inde studiose venatus est: & opimam deinde consequutus est. Minis enim, ab iis, qui Odonis erant intimi, confessionem extorsit; qui thesauros ejus detegebant; quos etiam sub fluminibus defoderat, consciis, ne eos proderent, de medio sublatis.* Mansit Odo deinceps toto Guilielmi Regis tempore captivus; licet

Io. Sped. in Guibel.

Harpesf. sæc. 11. c. 6

Gregorius,

Gregorius, sequenti anno, ut dicetur, pro eo intercesserit.

XII. Mathildis Regina moritur.

Moritur hoc anno Regina Mathildis, cum multam prolem Guilielmo peperisset: fœmina, cui Annales ferè omnes laudem tribuunt. De illâ Matthæus Parisiensis ita loquitur. *Anno millesimo octogesimo tertio, Matildis Regina, Balduini Comitis Flandrensis filia, & uxor Willelmi Regis Anglorum, diem clausit supremum; & apud Cadomum, in Monasterio Sanctimonialium, quod ipsa construxerat, honorificè traditur sepulturæ. Matrona admodum nobilis, & religiosa; de cujus largissimâ liberalitate sancta lætatur Ecclesia.* Guilielmo peperit plures liberos: masculinam ejus prolem supra recensui: nunc alterum sexum accipe. Quinque omnino fuerunt, è Mathildæ, genitæ filiæ: primogenitam Cæciliam in Normannia natam, in Angliâ educatam, demum in Normanniâ Deo consecratam dixi ad annum millesimum septuagesimum quintum. Sequitur Constantia, quam Alanus Fergant, Britanniæ Comes, uxorem habuit: & cum illa, nimirum Edwini Comitis Northumbriæ Latifundia: in quibus, erecto insigni castro Richmond dicto, Richmondiæ etiam Comes fuit. Unde factum deinceps, è dote Constantiæ, ut Comites Britanniæ minoris; Richmondiæ quoque Comites appellati sint. licet è Constantiâ Alanus prolem non susceperit. Datum enimvero hoc Alani industriæ, meritisque; qui Guilielmo, in Angliâ subjugandâ, suppetias tulerat. Constantiæ conjugi infeliciter cessit. nam teste Malmesburiensi; *austeritate justitiæ provinciales in mortiferam sibi potionem exacuit.* Sepulta jacet, in Monasterio S. Edmundi, in agro Suffolciensi. Tertia filiarum, è Mathilda genitarum, Adela, vel Adala dicebatur. (nescio cur Spedus Aliciam vocet) Illa, Stephano nupta, Comiti Blesensi, nobilissima prole illustris fuit. nam inter eam, Stephanum genuit Angliæ Regem; Henricum, Monachum primò Cluniacensem; inde Abbatem Glastoniensem, denique Wintoniensem Episcopum. & Emmam filiam, matrem S. Guilielmi Eboracensis Archiepiscopi: de quibus infra. Adala viro superstes, & mundi fastum, religiosâ veste mutavit in Monasterio, quod Marcinniacum in Gallia dicitur; ubi sanctè mortua est. Illam opinor, Anselmus Beccensis, adhuc Monachus, intellexit, cum ita ad Adelam scripsit.

Paris. hic. — Eius elogium. — V. an. 1082. n. 5. &c. — Cæcilia Mathildis filia. V. an. 1075 n. 19. — Constantia. — Malmesb. de Reg. l. 3 fo. 112. — Adela, Mathildis filia. Illustrissima proles eius. Henricus Wintonien. et Emma.

Reverendæ Dominæ suæ, Comitissæ Adalæ: Frater Anselmus Beccensis, vita peccator, habitu Monachus per præsentis vitæ diuturnam prosperitatem transire ad futuræ æternam fœlicitatem.

XIII. Ansel. l. 1. Epistola 77. Anselmi literæ ad Adelam Comitissam.

„ Quamvis me nihil apud vestram Celsitudinem meruisse, aut nostris precibus annuere debeat, cognoscam: nisi quia ex quo parvitati meæ innotescere dignata est; semper eam, coram Deo, volui participem existere nostrarum orationum, qualescumque sint. Si tamen hoc dignum est, vel memorari. Tamen instat mihi Dominus Engelhardus de Castro, quod vulgo dicitur Lenis, amicus noster; ut illum apud vestram pietatem; ut ipse eam adjutricem habeat apud filium vestrum. Jam enim grandævus, & fractæ ætatis homo, vult dimittere militiam, imo malitiam: quam hactenus dum potuit, efficaciter exercuit. & hoc tantillum vitæ, quod superest, sic transigere: ut si bona non potest efficere: saltem à malis possit desinere: ne peccans usque ad finem, puniatur sine fine. Quapropter sperat, desiderat, obsecrat, ut per me, vestrum adjutorium, quietem prædiorum suorum, à filio vestro obtineat. Sed vestra prudentia benè novit omnes homines esse debere adjutores bonorum studiorum; & cooperatores bonorum operum, esse consortes præmiorum. Quapropter licet nihil meruerim à vobis, non tamen impudenter ego servus vester rogo sanctitatem vestram ut præfatum virum, propter Deum, ad adipiscendum quod vult, adjuvetis quia & vobis proderit: & hoc facere, etiam non rogata debetis.

XIV. Malmesb. de Reg. l. fo. 112.

Aliarum duarum è Mathilde genitarum meminit Malmesburiensis, de quibus ita loquitur. *Duarum aliarum nomina exciderunt: unius, quæ Haroldo* (ut diximus) *promissa, infra maturos conjugis annos, obiit. alterius, quæ Aldefonso Gallicia Regi, per nuntios jurata; virgineam mortem impetravit à Domino. Repertus in defuncta genibus callus, crebrarum ejus orationum index fuit.* Harum tamen nomina recentiores Historici invenerunt. Haroldi sponsam, Elam; Alfonsi Regis, Margaritam vocant. & utramque aiunt priùs vivere desiisse, quàm nuptiali thalamo idoneæ essent. Ela virgo moritur, priusquam Haroldus in Anglia regnaret: Unde solutum se ille credidit Sacramento; quo olim Guilielmo regnum promiserat: ut * suprà. Margarita etiam Alfonsum Regem non vidit Lusitaniam subjugantem, in Mauros pugnantem, & multis victoriarum trophæis nobilem. Addunt etiam recentiores, sextam Guilielmi Regis, è Mathilde, filiam, Guntheram nomine: illam inquam, quam suprà, Guilielmo à Warenna nuptam dixi, Monasterii fundatori, quod à Sancto Pancratio nomen traxit. Fuit illa parens Comitum à Surreiâ: & mortua ponitur vigesimo paterni regni anno, sepultaque in Ecclesiâ, quam ad Dei Sanctorumque cultum extruxerat. Hoc etiam anno, in Malverniæ montibus, Wigorniensis provinciæ Monasterium erigitur, ab Ailwino Anachoreta. de quo dicam infrà ad an. 1088. n. 6.

Ela et Margarita Mathildis filiæ, virgines moriuntur. — * V. an. 1066. n. 9. — V. an. 1078. n. 5. Guntreda Mathildis F.

ANNUS CHRISTI 1084.

GREGORII VII. PAPÆ 12.

GUILIELMI I. REGIS 18.

I. Gregorius Romam deserere cogitur.

Hic annus millesimus octogesimus quartus, Henrico Imperatore urbem premente; Romanæ Ecclesiæ gravis, & Gregorio septimo molestus fuit. Enimvero, cum miles Italiam implesset; cum hæretici, schismatici, & pessimi quique in Urbe regnarent: & urbs ipsa flammarum incendio conflagraret: Gregorius exinde, & aliò se conferre cogitur: Nunquam tamen Pontificiæ dignitatis oblitus: nunquam Ecclesiasticæ severitatis nervos, in tantâ calamitate remittens. Sed memor sedis, & prærogativæ suæ, Episcoporum querelas etiam procul latas audit; &

Henricus Imp. excommunicatur.

juris in Reges dictionem exercet: non modò Henricum, ab Ecclesiæ communione removendo: quod multis nominibus meruerat. Sed etiam Guilielmum Regem nostrum ad sanctiora consilia instigando; arguendoque, quòd Odonem Baiocensem Episcopum, contra Ecclesiæ Canones, custodiæ inclusisset. Hoc enim Anglicanæ Ecclesiæ Præsules Gregorio suggesserant, rati suis sedibus præjudicium esse, si vir tantus, Regique tam conjunctus, impunè laicâ mano tangeretur. Gregorius Guilielmi factum indignè tulit; literas ad eum dictat, melle & aculeo mistas; & docet Episcoporum causas & crimina, altioris subsellii esse, & Regum tribunale majoris. Integram Epistolam libemer darem; quia causæ gravitas, & postremæ Gregorii voces ac literæ (nam exinde nullas dedit) id requirunt. Sed negat id nostrorum temporum iniquitas. Interim quæ Baronius è Gregorii literis, delibat, exscribam.

II. *Baron hic n. 17.*

Gregorii constantia in adversis.

Qui innumeris, inquit ipse, *premebatur angustus, coactus extorris ab Vrbe secedere Gregorius, afflictiones Episcoporum longè degentium audiens; promptus assurgere, & opem illis ferre non destitit. Accidit autem his diebus, ut cum audisset Guilielmum Anglorum Regem detinere jam ab anno superiore, in carcere, Odonem Episcopum Baiocensem, ejusdem Regis germanum: pro ipso, ad eundem Regem literas dederit: quæ & ultima numerantur omnium ejusdem Gregorii Epistolarum. Est earum exordium: Communis amor, & sincera devotio, &c. Et quod ad rem spectat, inferius dum pluribus eundem laudat; illud redarguit, quod Sacerdotalis dignitas, apud ipsum, sit contemptui, hæc dicens: Vnum tamen interea nos tangit, & tangendo angustat; atque inter regalium tuarum virtutum insignia monumenta, lætitiam in amico corde violenter obnubilat: videlicet, quod in capiendo germanum tuum Episcopum: non sicut decuit, propria honestati prospiciens: sed sacularem cautelam, & rationem, divina legi praponens, Sacerdotalem reverentiam minùs vigilanter attendisti. Et quidem non latere tuam prudentiam credimus; scriptum esse; quod de Sacerdotibus maximè oportet intelligi: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et alibi. Nolite tangere Christos meos. Et quòd Dominus ipse Sacerdotibus, licet pravis, & indignis, honorem deferre non sit dedignatus, &c. Ostendit idipsum exemplo Magni Constantini, & authoritate S. Ambrosii, eadem pluribus inculcantis.* Nec plura Baronius addidit, è Gregorii Epistola. Dicit tamen: *Certum est Gregorii Papa preces apud Regem nullius fuisse momenti. Quod statuisset idem Rex, ejus pœnam fore perennem. Adeo, ut idem Princeps, proximè moriturus; cum vinctos omnes fore solvendos testamento jussisset; unus ne eximeretur è carcere Baiocensis Episcopus, omnino vetuerit.* De quo nos infrà.

Baron hic n. 24.

V. an. 1087 21.

III. Monasterium S. Andreæ Northamtoniæ fundatur.

Apud Reyne. in Ap. pen. fo. 61.

Hoc anno in Coritanis, & Northamtoniensi urbe fundari cæptum est Monasterium, quod à Sancto Andrea appellationem accepit. Author fundatorque audit Simon Silvanectensis, vulgo Sauliz dictus. De quo, in registro illius Monasterii, & scripturâ quinquagesimâ Clementis Reyneri, hæc habentur. *Simon de Saulix Comes Northamptoniæ, anno regni Guilielmi Conquæstoris decimo octavo, fundavit Domum Sancti Andreæ Northampton, & eam submisit in perpetuum Domui Beatæ Mariæ, de Charitate. Postea tempore Henrici Primi Regis, iste Simon Comes Huntington adivit terram sanctam: & in redeundo obiit apud Charitatem, & ibidem sepultus est.* Sunt qui velint, reparatum tantùm à Simone, quod olim fuerat, Monasterium in urbe illa. Sed cum nulla, vel primi alterius fundatoris, vel antiqui Cœnobii vestigia sit reperire: Cur Simonem fundatoris titulo privamus? Adde ante Normannorum tempora, Tam Episcopi, quàm Monachi, populi frequentiam, & turbas declinantes, humiliores, quàm in urbe, sedes ambibant: ut supra notatum. Et nulli, præ Monachis solitudinem amabant. ut antiquissima per orbem Monasteria testantur.

V. Apostolat. tract. 2 fo. 129.

IV. Rex inquirit in omnia Anglorum bona.

Non minor Guilielmi Regis cura fuit, in alterâ Rep componendâ: Sed priores Reges supergressus, qui Insulam per centurias, & decurias distinxerant: ille subtiliùs terram ingressus, & civium commoda: in omnem terræ angulum inquiri fecit, describi fundos, & jugera metiri. ut cognitis provincialium bonis, & omni substantiâ, illis pro libito incumberet, suisque Normannis illa dispensaret. Quod ad tempus spectat hujus descriptionis: quidam anno superiore, millesimo octogesimo tertio, quidam anno sequenti millesimo octogesimo quinto, factam putant. Sed parum opinior differunt. Ad annum superiorem ita scribit Parisiensis. *Rex Vvillielmus misit Iustitiarios, per omnes Angliæ Comitatus: & inquirere fecit, quot agri, vel jugera terræ, uni aratro sufficerent per annum, in singulis villis: & quot animalia possent sufficere, ad unius hidæ culturam. Fecit etiam inquiri; quem censum, urbes, castella, villæ, vici, flumina, paludes, silvæ redderent, per annum. & quot milites essent in unoquoque Comitatu regni. Quæ omnia in scriptum redacta, & ad Vvestmonasterium delata, in thesauris Regum usque hodie reservantur: Deinde, de unoquoque aratro; id est, hyda terræ totius regni, sex solidos cepit argenti.* Hæc Author conjungit, & in unum annum compingit: quæ meliùs disparantur. Priùs enim, quàm census est ager, quàm censi homines: sciri, describi, æstimari debuerunt. quod hoc anno factum, priusquam Guilielmus in Normanniam trajiceret. Huc ergo pertinet, illa Insulæ descriptio, unde exaratus est liber, qui Doomesdaye appellatur. opus utile ad fundorum terrarumque cognitionem. Unde Ingulfus pro Croylandensi suo Monasterio sollicitus, latifundia sua, mensuramque collegit: Londinum, hoc tempore, ideo profectus: ut eorum, à Guilielmo Rege, confirmationem acciperet: quod Lanfranco, aliisque mediantibus, accepit. De quo ita ipse.

Paris anno 1083.

V. *Ingulph fo. 910.*

Descriptio terrarum omnium in Rotulum relata.

Guilielmus apud Londonias, hominium sibi facere, & contra omnes homines fidelitatem jurare, omnem Angliæ incolam imperans, totam terram descripsit. Nec erat hida in totâ Angliâ, quin valorem ejus, & possessorem suum scivit. nec lacus, nec locus aliquis, quin in Regis rotulo extitit descriptus: ac ejus reditus, & proventus, ipsa possessio, & ejus possessor, regia notitia manifestatus, juxta taxatorum fidem; qui electi de qualibet patriâ, territorium proprium describebant. Iste rotulus vocatus est, Rotulus VVintoniæ: & ab Anglicis, pro suâ generalitate, omnia tenementa totius terræ, integrè continente, Domesday cognominatur. Talem rotulum, & multum similem ediderat quondam Rex Alfredus; in quo totam terram Angliæ, per Comitatus, Centurias, & Decurias descripserat. Qui quidem Rotulus VVintoniæ vocatus est: quia deponebatur apud VVintoniam conservandus:

quæ civitas caput VVest-Saxonici regni sibi hereditarii: porrò tunc, inter omnia regna Angliæ particularia, nobilissimi, & præclari. In illo verò Rotulo VVintoniæ, sic maximè vocato: eò quòd ad illius Rotuli exemplum editus erat; descripti sunt non tantum totius terræ Comitatus, centuriæ, & decuriæ, silvæ, saltus; & villæ universæ: sed in omni territorio, quot carucatæ terræ, quot jugera, quot acra, quæ pascua, & paludes; quæ tenementa, & qui tenentes, continebantur. Adivi ego ipse tunc Londonias, & hæc tenementa nostra, de utroque rotulo prædicto, vulgariter ab Anglicis cognominato Domesdaye, excepta; multo studio, ac non parvis sumptibus, statui meis posteris, saltem breviter annotare. Subdit posthæc Author, prædiorum nomina, ad Croylandiæ Monasterium spectantia, quæ è dicto rotulo collegerat, & æstimationem eorundem. quæ quamvis Antiquitatis studioso non injucunda: omitto tamen, quia barbaræ voces, & legentes, & audientes, morabuntur.

VI. Liber Doomesdaye unde dictus?

Quod ad rotuli appellationem attinet; plerique ideo Doomesday booke indigitant, & latinè *librum judiciarium*: vel quia inevitabilem sententiam, judiciumque continet: vel quia ad diem usque judicii, qui Anglis Doomoday dicitur, nimirum æternum terrarum censum habet. Alii tamen non improbabiliter, non Anglicam aut Saxonicam vocem, sed latinam malunt esse: & quoniam in Ecclesiâ Wintoniensi primùm, inde in Westmonasteriensi, religiosè servabatur; inde inquiunt, *Liber Domus-Dei*, non à judicio dicebatur. Quicquid sit; Ingulfus, libri opportunitate usus, & ope amicorum, qui Londini convenerant: cum etiam Monasterii sui privilegia collegisset; impetravit sub hæc tempora, à Guilielmo Rege omnia confirmari: quod ipse in hunc modum narrat.

Ingulf fo. 912.

Ingulfi industria circa bona Monasterii.

Detuleram etiam mecum tunc Londonias, chartas ac chirographa, & præcipua monumenta nostri Monasterii: scilicet Ethelbaldi quondam Regis, ac nostri fundatoris, & cæterorum Regum Merciorum confirmantium domum nostram: quæ cuncta manu Saxonica scripta erant. Chartas etiam Edredi, quondam Regis, & restauratoris nostri: ac Edgari Regis nostri confirmatoris; & aliorum Regum Anglorum, post eos succedentium, usque ad hæc tempora nostra: quæ partim duplicatè, tam Gallicanâ manu, quam Saxonicâ scribebantur. Manus etiam Saxonica, ab omnibus Saxonibus, & Merciis, usque ad tempora Regis Alfredi, qui per Gallicanos Doctores, omnibus literis apprimè instructus erat; in omnibus chirographis usitata; à tempore Domini Regis dicti, desuetudine viluerat: & manus Gallicana, quia magis legibilis, & aspectui perdelectabilis, præcellebat, frequentiùs indies apud omnes Anglos, complacebat. Et licet omnibus Gallicis, & Normannis, manus Saxonica extiterat inusitata penitùs, & invisa: ac tum maximè, cum gente suâ, contemptui habitâ, & nimium inacceptatâ: cum meritis, & precibus S. Guthlaci, advocati nostri, ac specialis patroni, Spiritus sanctus, in cor inclyti Regis, gratiam, & benevolentiam penes nostrum Monasterium divinitus inspirabat; in tantum, ut universa monumenta nostra, tam manu Saxonicâ, quam Gallicanâ (ut prædictum est) conscripta, coramq; præfato inclyto Rege VVilhelmo, ac Concilio suo, potenter lecta, & diligenter examinata, multo favore fierent accepta, & collaudata. insuper Regia confirmatione, dignissima ab omnibus acclamata, & adjudicata.

VII.

Præcipuè charta inclyti quondam Regis Edredi restauratoris nostri, nostrum Monasterium specialiùs privilegiantis: & plenius nostras terras confirmantis; ab omnibus abundantiùs est accepta: & confirmari ab ipso Domino Rege gratiosissimè concessa; confirmata est, prout ego desiderabam, & postulatam diligentissimè, in his verbis.

Guilielmus confirmat bona omnia Coenobii Croylanden.

Ego VVilhelmus, Dei beneficio, Rex Anglorum, ad humilem petitionem familiaris mei Ingulphi, Abbatis Croylandensis Monasterii, chartam privilegiatam, quam egregius Rex Edredus, prædecessor meus, Deo & S. Guthlaco, ac Monachis de Croyland concessit, & donavit; coram me, & Concilio meo perlectam, & declaratam laudo, approbo, & confirmo; & ab omnibus effectualiter observari præcipio. Prohibeo etiam ne quisquam, sub ditione mea, illos temerariè vexare præsumat; ne excommunicationis gladio intereat; & pro jure Ecclesiastico violato, infernorum acquirat cruciatus. Sed habeant omnes possessiones suas in perpetuam, & regalem eleemosynam, ex meo dono, & confirmatione, ad laudem Dei, & ob reverentiam Sancti Guthlaci Confessoris, ibidem corporaliter quiescentis: cum omni illo, quod appellatur Socha. Sacha, Tol, & Tem. cum legibus & consuetudinibus illis, jure perpetuo, tenendis: cum quibus eas liberiùs, & quietiùs tenuerunt, diebus illis, quibus præfatus Rex Edredus vivus fuit, & incolumis. In hujus scripti robore, optimates in eodem nominati testes affuerunt.

Lanfrancus, Archiepiscopus Cantuariæ.

Thomas, Archiepiscopus Eboracæ.

VValkelmus, Episcopus VVintoniæ.

VVilhelmus, Episcopus Dunelmiæ.

VVilhelmus, Comes: Alfredus, Comes: Alfredus filius Topi: VVilhelmus Mallettus, & alii.

VIII.

Non stetit hic Ingulfi Abbatis industria: sed tempore usus, & amicorum præsentiâ, pleniùs pro suo Monasterio advocavit: & nuperam suis Monachis, ab Ivone Talbois, factam injuriam; quam suprà memoravi; vindicare statuit: & Prioratum repetere: quem ille, rapinam in holocausto, Andegavensibus Monachis dederat. Sed quia Normannorum causa agebatur; & Normanni judices erant; lite causâque excidit. quod ipse in hunc modum refert. *Cernens tunc animum Domini mei Regis, & consiliatorum suorum, penes meam parvitatem, inspirante altissimo, tam benevolum, & faventem: Chartas Theroldi quondam Vice-Comitis, de Cellâ dudum nostrâ de Spalding; quas etiam mecum Londonias attuleram; palam prolatas, coram Domino meo Rege, & universo Concilio suo proponebam, & sufficienter allegato titulo juris nostri, restitutionem Cellæ nostræ prædictæ ad nostrum Monasterium, debitâ diligentiâ postulabam. Cumque durissimè jus nostrum ad dictam cellam, in Regis Concilio ventilaretur: & ferè faventibus universis, ad judicandam nobis illam æstimarem: Regis Concilium censebat transmittendum pro Ivone Talbois, eò quòd in ejus dominio, dicta Cella consistebat. Qui citiùs adveniens, cum nostrum propositum intellexisset: ostendens coram Domino Rege, in petitione meâ, ejectionem Monachorum Gallicorum, quos suo Regio scripto antea confirmaverat: & sibi semper fideles permanserant; promotionemq; Monachorum Anglicorum, sibi semper mala imprecantium, finaliter continere; benevolentiam Regis, à meo proposito funditùs immutavit: & universum negotium meum: Normannis undique, ac Andegavensibus suis assentatoribus, qui Domino meo Regi jugiter assistebant, multipliciter fulsultus, & roboratus, totaliter impedivit. Accipiens itaque mecum dicti Domini mei Regis confirmationem,*

V. an. 1075. n. 18.

Ingulf. fo. 912. fine.

super

super Chartam Regis Edredi, nostri restauratoris: quam gratiosè ante adventum dicti Ivonis ad curiam, à Domino Rege impetraveram; cum omnibus monumentis nostris, salvis, & illæsis, benedicto altissimo; ad nostrum Monasterium, sanus ipse, & incolumis remeavi. Consulens meis successoribus in futurum, qui venturi sunt post me; fortemq; Regem, Anglicis favorabilem feliciter obtinebunt: cum dictam Cellam repetere voluerint; maximè huic Chartæ Thoroldi dictæ Cellæ fundatoris, innitantur. Quam ad jus nostrum conquirendum cæteris præstantiorem, & valentiorem, multo consilio jurisperitorum didici prævalere. Ita Ingulphus qui consequenter Thoroldi Chartam recitat: quam ego suo loco reddidi, tomo superiori ad annum millesimum quinquagesimum primum. Soluto Londini conventu: & hominibus agrisque censis; & collectâ inde ingenti pecuniâ; Guilielmus in Normanniam trajicit: Unde illum sequenti anno reducemus.

V. an. 1051. n. 13. &c.

ANNUS CHRISTI 1085.

GREGORII VII. PAPÆ 13.

GUILIELMI I. REGIS 19.

I. Gregorius Papa moritur.

ANno Christi millesimo octogesimo quinto, Gregorius Romanus Pontifex, laboribus fractus & ærumnis: Urbe primùm pulsus, mox vitâ est, quam ut sanctè egit, ita sancto fine terminavit: quicquid schismatici, aut eorum asseclæ, de postremâ ejus pœnitentiâ scripserint. Nam postremæ ejus voces hæ fuerunt: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem: propterea morior in exilio.* Vir fuit in omni virtutum genere summus: multis certè nominibus celebrandus. nec infimi ordinis est: quòd à nemine, non laodetur, qui non schismati, hæresi, usuris, impudicitiæ servierit: à quibus vituperari, ingens laus, & sanctissimis solùm viris concessa: qualem Gregorium fuisse, non solùm Scriptores optimi, & integerrimi: sed Martyrologia etiam loquuntur, in quibus ille, licet mortuus, perenniter vivit. Ego sanè si vel literarum ejus fragmenta recolo; ex ungue illo leonem judico, de tribu Juda; & eo spiritu plenum, qui Ecclesiæ Rectorem, & animarum ducem, decet.

Ejus elogium.

II. Lanfrancus in Hiberniam jurisdictionem exercet.

Lanfrancus, hoc anno, in Cantuariensi sede agebat annum decimom sextum, de omni re Ecclesiasticâ solicitus, quæ Anglos, Scotos, addo & Hibernos tangebat: nam horum omnium Cantuariensis Ecclesia procorationem habebat: illis Episcopos ordinabat, & emergentia Ecclesiæ negotia componebat. Hoc fortè intellexit Antiquitatum Britannicarum Author, qui Lanfranci sedis annos numerans, ait: *Decimo sexto anno, Donatum Monachum suum Cantuariensem, Dubliniæ Episcopum, solitis sacris instituit.* Cæterùm, quicquid sit de Donato Monacho: de quo statim. certum est Lanfrancum Hiberniæ Episcopos, sub hæc tempora ordinasse: idque more antecessorum suorum: & inter eos Patricium; quem Gothricus, Hiberniæ Rex, Cantuariam miserat, ab eo consecrandum. testatur hoc Lanfranci Epistola, ad eundem Regem data, atque ita inscripta.

Ant. Brit. in Lanfranco.

LANFRANCUS, non suis meritis, sed gratiâ Dei Archiepiscopus glorioso Hiberniæ Regi GOTHRICO salutem orationibus.

III. *Apud Baron. an. 1089. n. 12.*

Lanfranci literæ ad Regem Hiberniæ.

,, VENERABILEM Fratrém, ac Coëpiscopum nostrum, Patricium, quem Reverendissime Fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honestè suscepimus; debitis officiis, secundùm Canonicam institutionem, sancti Spiritus gratiâ cooperante, sacravimus: sacratum, ad propriam sedem, cum testimonio literarum nostrarum, more antecessorum nostrorum, remisimus. Qui quamvis de gloriâ vestrâ, multa nobis bona, multisque laudibus digna retulit: non absurdum tamen credimus esse, si prædicanda vestra studia, nostra adhortatione pulsamus. Sicut enim ignis, flante vento, clariùs lucet, & major efficitur: sic vera virtus veris præconiis pulchriùs enitescit, & in melius augmentatur. Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Ecclesiæ filium; quatenus Fidem rectam, ab ipso Deo, & Apostolis ejus sanctis, atque orthodoxis Patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis: Fidei congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis: superbis austeram, humilibus placabilem vestram Celsitudinem ostendatis. In regno vestro perhibentur homines, seu de propriâ, seu de mortuaram uxorum parentelâ, conjuges ducere. Aliì legitimè sibi copulatas, pro arbitrio, & voluntate relinquere: nonnulli suas aliis dare, & aliorum infanda commutatione recipere, Hæc, & si qua sint alia crimina, propter Deum & animam vestram, in terrâ potestatis vestræ, corrigi jubete: Talesque vos, cum divino adjutorio, vestris subditis exhibete: & ut amatores boni, bona ampliùs diligant: & appetitores mali, pravas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, & diutius, cum rerum temporalium felicitate, in terra regnabitis: & post terrenum regnum, sine fine regnaturi ad cælestia regna migrabitis.

Hortatur ut Fidem tueatur.

Ut tollat abusus circa matrimonia.

,, Plura & proluxiùs vobis scripsissem: sed habetis vobiscum prædictum Antistitem vestrum, monasticis institutionibus à pueritiâ enutritum: scientiâ divinarum literarum, strenuissimè eruditum; bonorum operum ornamentis, in quantum cognosci à oobis potuit, decentissimè adornatum. Quem de animâ vestrâ sæpiùs loquentem, si intento corde audieritis; audientes, ut Patri spirituali, in his quæ ad Deum pertinent, obedieritis: obedientes, ea quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arcâ pectoris vestri reposueritis: speramus per misericordiam Dei; quia neque vos perniciosè errabitis: neque subditos vobis, in privatarum actionum pertinaciâ, stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus, contra inimicos mentis & corporis, balteo virtutis suæ, excellentiam vestram defendat: & post longam hujus sæculi vitam; ad eam quæ finem non habet, feliciter vos perducat. Hæc omnia Lanfrancus, de Hibernorum Fide & salute solicitus. Cæterùm quod ad illius Insulæ mores attinet: multa vitio temporum irrepserant, à communi jure exorbitantia, quæ

IV. Commendat illi Patricium Episcopum, quem consecrarat.

Lanfrancum, ceu Hiberniæ Primatem, corrigenda manebant. Et ipſe ſeriò monitis, & imperio adfuit; ſcripſitque plures in Hiberniam literas, ad Principes viros: quos opportunè, importunè rogat, monetque ad Eccleſiaſticorum Canonum obſervantiam. Eas inter unas ſcribit ad Terdelvacum Hiberniæ Regem (Ferdelvachium vocat Harpesfeldus) quas ad dictorum fidem ſubjicio; & ita inſcribuntur.

Harpsf. ſæc. 11. c. 13.

LANFRANCUS peccator, & indignus S. Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Magnifico Hiberniæ Regi TERDELVACO, benedictionem cum ſervitio, & orationibus.

V. LANFRANCI LITERÆ AD TERDELVACUM REGEM.

„ NULLAM Deus majorem terris miſericordiam impendit; quàm cum pacis, & juſtitiæ amatores, ad animarum ſeu corporum gubernacula provehit. & maximè cum Regibus, regna hujus mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, diſcordia ſopitur, & ut breviter cuncta complectar, Chriſtianæ religionis obſervantia ſtabilitur. Quod populis Hiberniæ divinitùs tunc collatum fuiſſe prudens inſpector intelligit. quando omnipotens Deus excellentiæ veſtræ jus Regiæ poteſtatis ſuper illam terram conceſſit. Tot enim tantaque bona, de magnitudinis veſtræ erga bonos piâ humilitate; contra pravos, diſtrictâ ſeveritate: circa omne humanum genus, diſcretiſſima æquitate; frater, & Coëpiſcopus noſter Patricius narravit: ut quamvis vos nunquam viderimus, tanquam viſos tamen vos diligamus: & tanquam viſis, & benè cognitis vobis ſalubriter conſulere, & ſinceriſſimè ſervire cupiamus. Verùm inter multa, quæ placent, relata nobis ſunt quædam, quæ diſplicent. videlicet, quod in regno veſtro, quiſque pro arbitrio ſuo legitimè ſibi copulatam uxorem, nullâ Canonicâ cauſâ interveniente relinquit: & aliam quamlibet, ſeu ſibi, vel relictæ uxori conſanguinitate propinquam, ſive quam alius ſimili improbitate deſeruit: maritali, ſeu fornicariâ lege, punienda ſub temeritate conjungit. Quod Epiſcopi, ab uno Epiſcopo conſecrantur. Quod in villis, vel civitatibus plures ordinantur. Quod infantes Baptiſmo, ſive Chriſmate conſecrato, baptizantur. Quod ſacri Ordines, per pecuniam, ab Epiſcopis dantur.

HIBERNORUM ERRATA.

VI. „ Hæc omnia, & ſi quæ ſunt ſimilia, contra Evangelicam, & Apoſtolicam authoritatem, contra ſanctorum Canonum prohibitionem, contra omnium orthodoxorum Patrum, qui nos præceſſerunt, fieri inſtitutionem, nullus, qui ſacras literas, vel mediocriter legit, ignorat. Quæ quanto in conſpectu Dei, Sanctorumque ejus, ampliùs ſunt horrenda; tanto ſtudioſiùs, veſtris ſunt, ſine aliquâ dilatione juſſionibus prohibenda: & niſi prohibita corrigantur, diſtrictiſſima terroris veſtri ſeveritate punienda. Nullum enim Deo, vel majus, vel gratius munus offerre poteſtis: quàm ſi divina, & humana, debitis legibus, gubernare ſtudetis. Memores igitur divini judicii, quo de commiſſo vobis regno rationem reddituri eſtis Deo; Epiſcopos, & religioſos quoſque viros, in unum convenire jubete: ſacro eorum conventui, præſentiam veſtram, cum veſtris optimatibus exhibete: has pravas conſuetudines, omneſque alias, quæ à ſacris legibus improbantur, à regno veſtro exterminare ſtudete: quatenus Rex Regum, & Dominus Dominantium; cum viderit Regiam majeſtatem veſtram, præceptis ſuis in omnibus eſſe ſubjectam; ſervis quoque ac fidelibus ſuis, pro timore, & amore ejus manſuetam; inimicis divinæ religionis, divino zelo, infeſtam: ipſe quoque vos, veſtroſque fideles clamantes ad ſe, propitiatus exaudiat, hoſtes conterat, pacemque vobis in hoc ſæculo ſtabilem, & in futuro, vitam æternam concedat. Hæ literæ pro Donato ſcriptæ ſunt: de quo ita ſcribit Harpesfeldus *Fuit inter alios Cœnobii Chriſti, ad tempora Lanfranci Monachos, Donatus, quem Ferdelvachius Rex, & Hiberniæ Epiſcopi in Dublinenſem Epiſcopum ſelegerunt. Qui à Lanfranco Cantuariæ conſecratus, obedientiam & obſervantiam illi, & illius ſedi, pro more reliquorum Hiberniæ Epiſcoporum, promiſit. ut & Patricius ejuſdem civitatis, paucos ante annos, Epiſcopus ab eodem Lanfranco conſecratus.*

Harpsf. ſæc. 11. c. 13.

VII. Ex hiſce literis, collige Lanfrancum Primatis jure uſum, hæc ſcripſiſſe. Unde meritò Edmerus, de hoc tempore ſcribens, Cantuarienſem Eccleſiam vocat, *Totius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, necnon adjacentium Inſularum matrem.* & quod Hiberniam ſpectat, prædictæ literæ argumentum ſunt, Lanfrancum materno munere functum illi verba præbuiſſe. Cæterùm quod ad Scotiam ſpectat, & adjacentes Scotiæ Inſulas; mediante tantum Eboracenſi Eccleſiâ, Cantuarienſi ſubditæ fuerunt. nam ab exordio fidei, in Britannia, & anno Domini centeſimo octogeſimo quinto; quicquid è Northumbriæ regno, ad Septentrionem, longè, latèque porrigebatur: id omne, è Fugatii & Damiani decreto, ab Eleutherio Papa vim legis habente; Eboracenſis Archiepiſcopi juris erat. ut primo tomo oſtenſum. ubi etiam adverti, Juris illam in Eboracenſi Epiſcopo dictionem; licet aliquando controverſam; duraſſe tamen ad annum uſque milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum primum: quo, Sixtus, eo nomine quartus, Epiſcopum, qui ad Sancti Andreæ in Scotiâ ſedebat, totius Scotiæ Primatem dixit. Hoc ergo tempore, Lanfrancus Scotiæ, & adjacentium illi Inſularum procurationem habuit, Eboracenſi Epiſcopo mediante, qui Cantuarienſi, ut ſuprà, ſubjectionem fecerat. In dictorum omnium argumentum eſt Radulfus, Orcadum Epiſcopus; quem Paulus Comes, ad Eboracenſem Epiſcopum, conſecrandum miſit. & Thomas Eboracenſis à Lanfranco petiit conſecrationis adminiſtros, Cantuarienſem Eccleſiam, matrem, ſuam ſedem, filiam appellans. & Lanfrancus appellationem admiſit, miſſis Eboracum Epiſcopis, qui Radulphi inaugurationi adeſſent. Extant Thomæ, & Lanfranci literæ, hæc omnia teſtantes. & Thomas quidem ita ſcribit.

Edmer. l. 1 Novorum ſo. 14.

V. an. 185. n. 7.

V. an. 1072. 15.

Piiſſimo,

Piissimo, & sanctissimo Cantuariorum Archiepiscopo, totiusque Britanniæ summo Pastori, Lanfranco: Thomas fidelis suus, & nisi præsumptuosum sanctitati suæ videatur: Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Cæli portas, Petri vice justis, & injustis, justè aperire, & claudere.

VIII. *Apud Edmeri notas sive spicilegium fo. 221.* Thomæ Eboragen. ad Lanfrancum Cantuariensem Epistola.

ECce. Pater sanctissime, filius tuus ad te clamat: sed magis filia, Eboracensis videlicet Ecclesia, ad eam, cui dispositione divina præsides Ecclesiam; tanquam ad maternum recurrens sinum, piè postulat; ut ex abundantiâ maternarum deliciarum, reparetur inopia se deserentium; imo longè, & inter barbaras nationes positarum, matrum. Siquidem venit ad nos quidam Clericus, quem misit Paulus Comes, cum literis sigillatis, de Orcadum partibus; significans in eis, Episcopatum suæ terræ, eidem Clerico se concessisse. At ille antecessorum suorum ordine custodito, postulat a nobis, Episcopum se consecrari. Cui quod justè petit, injustè denegare non possumus. Precamur ergo, ut nobis duos Episcopos dirigat Paternitas vestra: quorum fulti orationibus & auxilio, tantæ rei Sacramentum Canonicè compleamus. Illa autem procul arceatur suspicio, quam nuperrimè nobis noster Frater, & Coëpiscopus, subintulit Remigius: me scilicet in posterum quæsiturum Dorcacestrensis, vel Wigorniensis Episcopi subjectionem. Dico enim coram Deo, me nunquam hoc facturum. Si placet igitur sanctitati vestræ, ut juxta petitionem nostram, nobis facere dignemini: locum, Eboracum: tempus, quinto Nonas Martias, nobis immutabiliter constituimus, & vobis significamus. Ergo vivas, & valeas, & spiritualibus incrementis usquequaque proficias.

IX. Orcades in Norwagiæ Regis potestate. *Malmesb de Reg. l. 5. fo. 162.*

Erant Orcades Insulæ, hac tempestate, in Norwegiæ Regum potestate: & Paulus Comes pro Rege erat, qui Radulphum consecrari petiit Episcopum: cujus sedes in Pamoniâ Insulâ. Illum Malmesburiensis intellexit; cum de Henrico primo, Guilielmi nostri filio, scribens, ait: *Paulus Orcadum Comes, quamvis Noricorum Regi, hereditario jure subjectus; Ita Regis (Henrici) amicitias suspiciebat, ut crebra ei munuscula mittitaret.* Thomas ergo Eboracensis Radulphum ad majus Sacerdotium assumpturus, à Lanfranco postulat duorum Episcoporum præsentiam; consecrationi, è Canonum præscripto, necessariam. Lanfrancus, duos nominat, Cestrensem, & Wigorniensem, Episcopos: ad quos has literas dedit.

Lanfrancus gratia Dei Sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Venerabilibus Fratribus, Wulstano VVigorniensi, & Petro Cestrensi Episcopis:
Salutem.

Apud Selden in Spicilegio fo. 201.

INsinuavit nobis Venerabilis Frater noster, Thomas, Eboracensis Archiepiscopus; advenisse de Orchadum Insulis ad se, quendam Clericum quem in Episcopatu ipsius terræ; præcipiente, & insinuante Paulo Comite, testatur esse electum. Et quia ex ANTIQUO MORE, sui juris est, præfatarum Insularum Præsules consecrare: petiit à me, ut mittam sibi, de nostris Suffraganeis duos; qui tantæ rei Sacramentum, cum eo, valeant celebrare. Rogantes itaque præcipimus; & præcipientes rogamus, quatenus omni excusatione summotâ, illuc eatis; & ex nostro præcepto, secum, quod justum est, in tantæ rei mysterio, compleans. Non enim decet, ut qui sacrandus in hanc terram venit; & cum omni humilitate, sacrari se postulat; inopiâ adjutorum, à tanto regno, non sacratus abscedat. Terminum hujus consecrationis, lator vobis præsentium indicabit. Et nè fortè soliciti sitis, putantes; quod vel ipse, vel successores ejus, hac occasione, super Ecclesias vestras, jus prælationis, quandoque conentur arripere: literas, quas ipse mihi transmisit, fraternitati vestræ, sollicitudinem de futuro gerens, curavi transmittere. Quas, & has, quas vobis transmitto, Archivis Ecclesiarum vestrarum, ob memoriam futurorum, servatum iri præcipio.

Lanfranci Literæ ad Wigornien. et Cestren. Episcopos.

X. Cantuarien. Episcopus alterius orbis Papa. *Ansel. l. 3 Epistolarum Ep. 55.*

Plura sunt argumenta: pro Cantuariensis Ecclesiæ, in Scotos, Hibernosque Primatu, Lanfranci præsertim, & Anselmi successoris tempore, quæ infra memorabo. Illud tamen impræsentiarum non omitto, quod Mathildis Regina, ad Anselmum scribens, literarum exordium, hoc titulo illustrarit. *Domino, & Patri Reverendo, Anselmo: Primæ Sedis Archiepiscopo: Hibernorum, omniumq; Septentrionalium Insularum, quæ Orchades dicuntur Primati, Mathildis Dei gratia Anglorum Regina,* &c. Fortè ob hanc provinciæ amplitudinem, Concilii Barensis Patres, Cantuariensem Archiepiscopum vocarunt: *Quasi alterius orbis Papam*, ut dicam suo loco. Interim Ecclesia illa, Lanfranco Præsule, longè lateque pietatis sinum aperuit, in pauperes, in Monachos, in omnem sexum, ordinem, & provinciam. Unde Edmerus de Præsule ita prædicat. *Quis unquam pauper clamavit ad eum; & despectus est? Quis peregrinorum, de quocumque ordine hominum, petiit opem ejus; & eam assecutus non est? Quæ congregatio Monachorum, seu Clericorum, ad ipsum aliquando misit, subsidium petens: & copiam largitatis ejus; ultra quam sperabatur; experta non est? Testis horum quæ dicimus Italia, Gallia, Britannia est: quæ usque hodie mortem Lanfranci, miserando suspirio plangit.* Hæc ille & mox aliqua pietatis opera colligit, in Anglorum Ecclesias & Monasteria. Sed malim audire, quæ foris gessit. Ibi Anselmus, Beccensis nunc Abbas, integerrimus testis est, Lanfranci pietatis in Monachos, & Monasterium suum; cum accepto, quod ille miserat eleëmosynæ nomine, ità rescripsit.

V. an. 1097. s.

Edmer. l. 1. fo. 6. Lanfranci pietas in omnes.

Domino & Patri Reverendo Archiepiscopo, Lanfranco: Frater Anselmus, servus conservorum suorum Beccensium, cum eisdem Dominis suis, diuturnam hujus vitæ prosperitatem, & æternam futuræ felicitatem.

XI. *Ansel. l. 1. Epist. Ep. 2.*

GRatias semper agimus multimodis beneficiis Paternæ vestræ Celsitudinis. nam licet non semper hoc dicamus, semper tamen

Anselmi ad Lanfrancum Epistola.

,, hoc in corde servamus. Et certè, sicut scriptum est; Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Benedictio vestræ largitatis, viginti scilicet libræ, quas Dominus Abbas Herbertus, nobis nuper attulit, in tantâ opportunitate, idest, in tantâ constitutis egestate, venit quasi imber nobis temporaneus, & serotinus: ut cum citissimè, tota per saporem consumpta fuerit; non tamen ulla vestigia saturitatis reliquerit: quam cum somnio Pharaonis fertiles spicæ, & pingues vaccæ, à sterilibus, & quasi inediâ consumptis devoratæ sunt: Sustinuit nos tamen, & vix usque modo, nè penitùs deficeremus. Nempe nimis exhauserunt nos caræ emptiones leguminum, & avenæ, ferè per totum tempus, post obitum Domini Herluini Abbatis; & terrarum, quas similiter post ejus obitum emimus. Ut taceam signum magnum, quod ex uno fracto, & altero discordante, improvidi incepimus: sed multò plura, quàm præcogitaveramus, addendo, & insumendo vix perfecimus: & plura alia, in quibus multa, præter prædicta, expendimus. Et quidem multum nos tetigit annus, de quo sumus, utcumque egressi: sed valde propiùs minatur nobis in penuriâ multarum rerum annus, in quem sumus ingressi. Sed Deus qui de cælo prospexit, super filios hominum; respiciat super nos de cordibus abundantium. Præterea cum semper egeamus vestro consilio, & auxilio: nunc multùm vestra, & Cleri indigemus subventione. in his videlicet Ecclesiæ nostræ negotiis; quæ per vivam præsentium latoris vocem, vobis necesse habuimus intimare. Quibus cognitis; si quid scitis, quod ad ea nobis prodesse valeat; quamtocius precamur, sanctitas vestra remandare studeat. De his enim omnibus placitare cogimur, coram Rege, Dominica die post festum Sancti Apostoli Andreæ. Guilielmum intelligit, quem suprà in Normanniam trajecisse diximus.

XII. Guilielmus Rex in Normannia.

Quid illum, hoc anno, in Normanniam traxerit; Authores nostri non explicant. meritò tamen suspicamur, Robertum filium Normanniæ pacem turbasse; quam ipse, Patre adhuc vivente, pleno jure administrare: & Pater, potiore ut putabat, ratione, regere volebant. Hinc turbarum origo; incrementum autem à varia civium factione; qui Orientem ferè Solem sequuntur. Sed nihil magis Reipublicæ nocuit, quàm cum Robertus, vicini Gallorum Regis auxilio fultus; Patrem vexavit & patriam. Verùm invictus Guilielmi animus, par omnibus fuit. & solâ sæpe præsentiâ, provinciam serenavit. Unde hac vice, non diu hæsit in Normanniâ: novo classico in Angliam revocatus. Enimvero Danus, tempore usus; cum eum in Normanniâ occupatum sciret, instructa classe, avitum patrimonium, repetere statuit. Sed effectum nihil, ut fusiùs dicam anno sequenti: nam hic Authores nostri confusè fere, & indigestè, Guilielmi itinera legentes, annos non distinguunt. Placet tamen quod Wigorniensis & Hovedenus notant. *Anno*, inquiunt, *millesimo octogesimo quinto, Canutus, Rex Danorum, filius Swani, cum classe validâ, & auxilio soceri sui, Roberti Flandrensis Comitis, (habuit enim filiam ejus uxorem) in Angliam venire paratus erat.* Hunc Danorum conatum, ut audivit Guilielmus; magnum belli apparatum, quem in Normanniâ collegerat, ad Angliæ defensanda litora transtulit; & Danos hostilia meditantes, solo sui nominis, & militaris apparatus fama, fugavit. ut infra.

Wigorn. & Hoved. hic.

Canutus frustra in Angliam conatur.

XIII. Moritur Hugo Londinensis Episcopus.

Moritur hoc anno Londinensis Episcopus, Hugo de Orivalle: quem suprà, infectum leprâ, nec sectione curatum, diximus. de eo hæc pauca habet Godwinus: * *Hugo, in lepram incidit: ideoq́, ex medicorum consilio exectus est. nec tamen ab eo malo, vel eunuchus, nisi morte, potuit liberari. Obiit Ianuarii duodecimo, anno Domini millesimo octogesimo quinto.* Vacantem Sedem Guilielmus Rex implebit anno sequenti. Vacavit etiam sub hunc annum millesimum octogesimum quintum, Sedes illa, quam nuper ex Helmham Tedfordiam transtulerat Herfastus Episcopus: & rexerat ab [a] anno millesimo septuagesimo: nunc illam cum vitâ deponens. Quo etiam tempore [b] Wulketulus Croylandensis quondam Abbas, naturæ concessit, Guilielmi Regis iram, & decennalem custodiam, expertus. Ingulphus, qui olim illi in Monasterio successerat, & vivum semper coluit, & mortuo piè parentavit. Certè Annalium luce dignum est, cultum recolere, & pietatis obsequium quo Exabbatem Abbas prosecutus est. ita ergo Ingulphus. *Cum prosperiora tempora*, inquit, *nobis successissent: & status nostri Monasterii, tam in temporalibus, quàm spiritualibus, secundante Domino, & amicos multiplicante; multifariè fructificaret. Statui Dominum meum Regem adire: ac aliquam gratiam Domino Wulketulo, prædecessori meo, adhuc Glastoniam, exilium toleranti, quoquomodo procurare: satis eum intelligebam, ipsum Monasterii nostri statum apprimè cognoscere: & tenementa nostra, quæ multis Comitatibus dispersa fuerant: & per malitiam nequissimi Asfordi ferè perdita: mihi vero novitio, nimis inscrutabilia, longo colluctamine, & experientiâ plene scire.*

* *Godwin. in Londinen.*

Moritur etiam Herfastus Tedfordiæ Episcopus.

[a] V. an. 1070. n. 8.

[b] Wulketulus Abbas moritur.

Ingulf fo. 907.

XIV. Ingulfus pro Wulketulo orat.

Vadens itaque Londonias, & inveniens ibidem venerabiles Dominos meos, & aliquos amicos: videlicet Reverendissimum Archiepiscopum Lanfrancum, & Dominum Odonem Baiocensem, fratrem uterinum Domini Regis, ipsumq́, Cantuariæ Comitem, & Principem Palatii (quorum nutu & consilio; tam Rex ipse, quàm regnum ejus universum, in omni negotio regebatur) causam mei adventus confidenter exposui: ac eorum intercessionem, penes Regem, gratiosiùs impetravi. Transmisi is etiam aliis mediatoribus, & amicis: Inter quos Richardus Rulos, Regis Camerarius, præcipuus assistebat: qui penes prædictum prædecessorem meum, Wulketulum, Domini Regis animum explorarent: Repererunt rancorem ejus penes personam, multum mitigatum. Sed nè promoveretur ad aliquam minorem, vel majorem Prælatiam, omnino exorabilem; ac in pristino proposito continuè pertinacem. Intercedentibus itaque prædictis Dominis meis, Domino Archiepiscopo Cantuariæ, & fratre ejus Domino Episcopo Baiocensi, ac Richardo de Rulos, Regis Camerario, aliisq́, pluribus, ex veteri notitiâ mihi in Normanniâ satis amicitiâ propinquâ devinctis; obtinui, quod de Glastoniâ, ad Burgum rediret. Sed illic absque laterii discursu in patriam minimè faciendo, absque omni etiam curâ, & officio resideret. Solummodo quando mihi placitum videretur, ad informandum me de statu mei Monasterii, licenter ad Croylandiam accersirem.

XV.

Hac ergo gratiâ impetratâ, de Glastoniâ illum ad Burgum, transmisso honorifico equitatu, adduxi: & de Burgo ad Croylandiam: omni favore, & filiali

dilectione

dilectione dignam videns ejus venerabilem personam, & sanctissima religione præcellentem, in pristino stallo suo ipsum posui. Nec ipso superstite, me plenum sponsum, sed semper paranymphum, vel procuratorem Monasterii, reputavi. Cernens etiam devotionem meam, ac filiorum suorum dilectionem, nullis tribulationibus, ab antiquâ benevolentiâ immutatam, restituit Monasterio nostro calicem quondam capellæ suæ, unum poresforium de usu nostræ Ecclesiæ: & unum missale, unam cupam argenteam, cum coopertorio argenteo, ad eandem, & duodecim cochlearia de argento: alia etiam promisit, cum quosdam suos Ministros alloqui primitùs potuisset. Ego verò bis, vel ter omni anno, cum debito Ministrorum apparatu ipsum accersens, & per mensem multoties, aliquando per dimidium annum, mecum detinens: ac in omni loco, tam in choro, quàm refectorio, semper cum omni reverentiâ mecum deferens, præter agnitionem status totius Cœnobii, quam libentissimè docebat, reperi, vita sua comite, prospera multa mihi succedere: sicut post decem annos, ipso decedente, plurima adversa nobis indies accessere. Depositus enim erat anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo quinto: & decennio supervixit. subitoq; paralysi percussus, per quatuor menses, ad mortem ægrotabat: impos & mutus ad exprimendum suas ultimas voluntates, toto spatio effectus: obiitq; in die sancti Hieronymi Presbyteri, anno Domini millesimo octogesimo quinto nonnullis nostri Monasterii monumentis, ac jocalibus, apud Burgum adhuc remanentibus, & nobis minimè restitutis: licet sæpissimè reddere, ac restituere promisisset: & in extremis suis officii, & expleri, prout potuit, suis confratribus crebrò præcepisset. Hactenus de suo Monasterio Ingulfus.

ANNUS CHRISTI 1086.

VICTORIS III. PAPÆ 1.

GUILIELMI I. REGIS 20.

I. Victor in Papam eligitur: sed resistit.

CUM aliquamdiu Romana Sedes, ob schisma conflatum, & Gregorii mortem luxisset: Cardinales orthodoxi, Desiderium, ex Abbate Cassinensi, S. R. E. Cardinalem, nominarunt Gregorii successorem, anno Domini, millesimo octogesimo sexto. Verùm licet prima Sedes religiosi viri meritis, & Gregorii morientis designatione votoque deberetur. Ille tamen formidandum Angelis onus, suis viribus majus credens; humeros submittere, sedemque subire noluit. Leo Ostiensis, piam, & dignam Annalibus contentionem, tam Cleri optantis, quàm Desiderii recusantis, sic exponit: *Congregati pariter Episcopi, & Cardinales, & Romani omnes, qui in fide Catholici gregis perdurabant, in Diaconiâ S. Luciæ, omnes unanimiter Desiderium, multis precibus orare cœperunt, ut Romanum Pontificatum suscipere non recusaret: eumq; per divina omnia, & humana obtestari, ut subveniret Ecclesiæ periclitanti, & in naufragio penè consistenti, sæpius ad ejus genua plerisque lacrymantibus, corruentes: Desiderius, qui jamdudum instituerat vitam quietam transigere, tempusq; suum optabat, in divinâ peregrinatione, finire, omnimodis renuere cœpit, & hoc se nunquam facturum protestari. Instare illi vehementer, perseveranter insistere: ipse vehementiùs renuit, resistere perseveran-*

Apud Baron. hic n. 2.

tiùs, dicens; si se invitum, ac per vim ordinarent, ad Monasterium quàm primum rediturum, nullamq; Pontificatus rationem habiturum: eosq; propterea, & Ecclesiam Romanam ludibrio fore exponendam. Ita Leo.

II. Victor Pontificiis vestibus induitur.

Post aliquot dierum luctam, cum flecti Desiderius nullo argumento posset; Clerus omnis invitum & renitentem, Pontificiis vestimentis induit. quod Author suprà ita narrat: *Episcopi Cardinales, unà cum Clero, & populo, Desiderii duritiâ subStomachati, cum precibus nihil profecissent, vi agere instituerunt. Uno igitur animo, pariq; consensu, captum, invitum licet, & renitentem, ad Ecclesiam Christi martyris Luciæ perducunt: ibique juxta morem Ecclesiæ, electo Victoris nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, contra ejus animum fiebant: cappam quidem rubeam induit: Albâ vero eum induere nunquam potuerunt. Post dies quatuor idem electus, egressus Româ, Ardeam venit: ibique triduo remoratus, Tarracinam perrexit: ubi crucem, & chlamydem, & cætera Pontificatus insignia, ita dimisit, ut eis uti, nulla jam ei ratione persuaderi posset: malens omni vitæ suæ tempore, in humiliore habitu vivere; quàm tanti ordinis oneri colla submittere. Instabant ei quotidianis precibus, lacrymisq; creberrimis: objiciebantur Ecclesiæ magna discrimina; ingerebatur animarum perditio, quibus ei manifestissimè divina indignatio intentabatur. Cum inter hæc omnia, rigidus ille persisteus, Casinum revertitur. Sicq; anno ferè integro flecti nullis precibus, nullis rationibus potuit.* Quid inde factum, dicam anno sequenti. Interim aio Desiderium Romana Sede dignissimum, vel adeo videri, quia sibi indignus videbatur. & corrigo Parisiensem nostrum, qui ad hunc annum ita scribit, admodum vitiosè. *Eodem anno (1086.) Gregorius Papa (qui & Hildebrandus dicitur) apud Salernum moritur & moriens Cardinalibus advocatis, confessus est se valde peccasse in curâ Pastorali: & suadente diabolo, contra humanum genus, iram Dei & hominum concitasse. Successit ei in Cathedra Romana, Clemens: cui post paucos dies defuncto; Casinensium Abbas Desiderius successit: & Victor nuncupatus fuit.* Vitiosè omnia. Gregorius superiore anno moritur: non ita confessus: nec Clementem habuit successorem. nam Clemens Pseudo-Papa, Gregorii tempore Guibertus est: nec ille moritur ante; sed diu post Victoris, & Urbani, creationem. Quare figmenta illa, aliaque, Parisiensi assuta videntur. sumptaque è schismatici Sigeberti Chronico: ubi de Hildebrando, ipsissima verba habentur ad hunc annum. quod alibi etiam adnotavi.

Apud Baro sup. n. 3.

III.

Dum ita fluctuat Romana Ecclesia; Guilielmus Anglorum Rex, qui tam avidè coronam ambiverat, quàm timidè Desiderius Infulas ceperat: de suo regno sollicitus; quòd parata superiore anno Danorum classis invadere cogitarat: vim vi repellere, & collecto per Gallias, & Normanniam milite, hostilem impetum prævenire festinat. quod citò effectum; nam Danus aliò vocatus, cum invicto Rege, paratoque ad pugnam, congredi noluit. Cæterùm classe, militeque instructus Rex, in Angliam hoc anno redit. de quo Authores nostri, Wigorniensis, & Hovedenus, ita scribunt. *Rex VVillielmus, de totâ Galliâ, solidariis, pedonibus, & sagittariis multis millibus conductis, & nonnullis de Normanniâ sumptis, autumnali tempore, Angliam redit, & eis*

per

per totum regnum divisis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Vice-Comitibus, ac Regiis Præpositis, victum præbere mandavit. Sed ubi cognovit suos inimicos impeditos fuisse: partem exercitus remisit, partem secum, per totam hyemem, retinuit: & in Nativitate Domini, Curiam suam Glavorna tenuit. Hæc illi ad annum Domini millesimum octogesimum quintum. Sed quia Parisiensis, Curiam hanc Glavornæ, hoc est, Glocestriæ tentam, collocat ad annum Domini millesimum octogesimum septimum; illius anni exordium, à Christi Nativitate supputans; opinor, Guilielmum, hoc anno millesimo octogesimo sexto, sub autumnum è Normanniâ rediisse. cum superiore anno, Henricum filium, in hebdomadâ Pentecostes; apud Westmonasterium, solenni * cærimoniâ, militaribus armis induisset. nec aliter melius componi potest, Authorum nostrorum in computandis annis dissonantia.

HENRICUS GUILIELMI F. MILES CREATUR.

* Vide morem creandi militem, ad an. 1071. 17.

IV.

Cæterùm Guilielmus, in Angliam reversus, & ab hostili metu liber, Reipub. componendæ, vacare potuit: & Monasteriorum, quæ fundaverat, rebus, ultimam manum imponere. Ad Remp. quod attinet, Lanfrancus, *vir strenuus, & in divinis, atque humanis rebus, excellenti scientiâ præditus*, ut suprà dixit Edmerus; cum vidisset aliqua Anglorum legibus judiciisque inserta, quæ tribunalia confundere, causasque tam Ecclesiasticas, quàm civiles, inter se miscere, consueverant: veritus, nè inde præjudicium Ecclesiæ nasceretur. Unde vel Episcopi, nimiùm civilibus rebus adesse: vel laici, Clericorum causis præesse præsumerent: existimavit è Republica futurum; si fora ita distinguerentur, ut Cleri judicia, & laicorum imperia, disjunctim, & locorum, & personarum qualitate, ferrentur. Enimvero * Edgari, & Canuti legibus cautum erat; ut bis térve in anno, Episcopus & Aldermannus (qui postea Vice-comes dictus) rerum tractandarum judices considerent. voluerunt enim pientissimi Principes, nihil præter Cleri Doctorumque conscientiam fieri. unde Athelstani Regis vox illa fuit. *Episcopo jure pertinet omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet, & sæculi.* & iterum, inter ejus decreta ita legitur. *Debent Episcopi, cum sæculi judicibus interesse judiciis; ne permittant, si possint, aliqua pravitatum germina pullulare.* Quod Edgari & Canuti leges efferunt: è Lambardi translatione: ut *jura divina, & humana populum edoceant:* vel ut Jornallensis: *Ut utrique doceant Dei rectum, & sæculi.* Verùm oculatus vir Lanfrancus, vidit nimiam fore Episcoporum curam, & calumniis obnoxiam; si utrique foro animum, auresque accommodarent; satius ergo esse putavit, si Episcoporum curiæ, ab aliorum judicum foro subselliisque differrent. Et facilè Regem impulit, æquissimo postulato brachium porrigere, ac jubere ne Clerus porrò ad Centuriarum forum (quod vulgò Hundret dicebatur; & ubi forenses plerumque causæ agebantur) judicia, Ecclesiam spectantia, exerceret. Quod datis ad tribunalia literis, Guilielmus Rex in hunc modum declarat.

V an. 1070. n. 11

LANFRANCUS TRIBUNALIA DISTINGUIT.

* V an. 967. n. 7.

Apud Spelman. in Synod fo. 404.

Ubi suprà fo. 401.

Apud Seld. in Spic. fo. 166.

WILLIELMUS, gratia Dei, Rex Anglorum; Comitibus, Vice-Comitibus, & omnibus Francigenis, & Anglis, qui in Episcopatu REMIGII Episcopi, terras habenti Salutem.

V.

„ SCIATIS vos omnes, & cæteri mei fideles, „ qui in Angliâ manent: Quòd Episcopales „ leges, quæ non benè, nec secundùm sanctorum Canonum præcepta, usque ad mea tempora, in regno Anglorum fuerunt, communi „ concilio, & consilio Archiepiscoporum meorum, & cæterorum Episcoporum, & Abbatum, & omnium Principum regni mei, emendandas indicavi. Propterea mando, & Regiâ „ authoritate præcipio: ut nullus Episcopus, vel „ Archidiaconus, de legibus Episcopalibus ampliùs in Hundret placita teneant. Nec causam, „ quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium sæcularium hominum adducant. sed quicumque, secundùm Episcopales leges, de „ quacumque causâ, vel culpâ, interpellatus „ fuerit; ad locum, quem Episcopus elegerit, „ & nominaverit, veniat: ibique de causâ suâ „ respondeat, & non secundùm Hundret: sed „ secundùm Canones, & Episcopales leges, rectum Deo, & Episcopo suo faciat.

Apud Seld. in Spicil. fo. 167.

GUILIELMI DECRETUM DE TRIBUNALIUM DISTINCTIONE.

VI.

Hoc Regis Edictum, in Cleri, Ecclesiæque prærogativam, manifestè cedit: Et impetratum ab Episcopis; & à Rege, in eum finem, concessum, constat. Unde cum Seldenus illud in Spicilegio recitasset, mox subjungit. *Transcriptum est autem ex Archivo Regio in arce Londinensi: ubi inter Regia privilegia Ecclesiæ Lincolniensi olim indulta, atque à Richardo secundo confirmata, reperitur.* Cæterùm, cur hoc Regis indultum, à Seldeno recitetur, in argumentum Regiæ potestatis, à Guilielmo exercitæ in Ecclesiam, virosque Ecclesiasticos; planè non video. Quis enim nescit, ideo Reges gladium habere, ut Ecclesiam, Clerumque defendant, ut eorum causis patrocinentur, ut rebelles filios, Episcoporum intercessione, premant? Ita Constantinum è Nicæna Synodo postularum, decreta, literasque scripsisse diximus, tomo primo, & factum ibi laudavimus. Ita Ethelbertus, in Anglo-Saxonum Ecclesiâ, ab Ecclesiæ Præsulibus rogatus; leges tulit, Ecclesiæ præjudicium cavente, ut dictum tomo altero. Denique Edgarus, ita cum omnium sæculorum laude, gladium exeruerat, cum gladio opus erat. cum, inquam, degener Clerus, in terrâ sanctorum iniqua gessit. Sed ita tamen exeruit; ut Petri quoque gladium, ad feriendum, requireret: cum Episcopos alloquens, dixit. *Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus: jungamus dextras: gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi.* Hos Guilielmus Rex imitatus, rogatam ab Episcopis legem, in Cleri Ecclesiæque favorem, probat, & regiâ authoritate corroborat.

SELDENI *παράξαμα* CIRCA DECRETI MENTEM.

Seld. suprà fo. 168.

V. an. 325. n. 30.

V. an. 602. n. 2.

V. an. 969. n. 5.

VII.

Opinor latæ legis exordium. à Remigio Lincolniensi Episcopo fuit. Qui Ecclesiam, quam ibi elegantem cernimus, constructurus; ædes, & latifundia coëmerat; unde lites emerserant, quas laicorum judicio subdi, aut censeri noluit. & tamen. è majorum ritu, non aliter, quàm in Centuriarum foro, decidi poterant. Edgarus enim olim ita edixerat: *Celeberrimus bis quotannus, ex*

CAUSA DECRETI.

V. an. 967. n. 7.

omni satrapiâ, conventus agitur: tum Diœcesis Episcopus, & Aldermannus (vel Senator) intersunto. quorum alter jura divina, alter humana populum edoceto. Mens legis enimverò non alia fuit, quàm secularia omnia judicia, ita moderari, ut nihil præter æqui, bonique rationes fieret; quod eo futurum erat integrius; quo conscientiæ judex magis accederet. Verùm hanc piam legis mentem, consuetudo vitiarat. & Ecclesiasticorum causæ, passim ad hunc Centuriarum conventum trahebantur; in Ecclesiæ, & sacrorum Canonum præjudicium: quod Remigius præcavere volens, Regis brachium imploravit: & Rex Archiepiscoporum & Episcoporum consilio, illud porrexit, ratumque habuit: & insuper, literas Lincolniensi Comitatui dictavit; quas Remigius, & posteri, ceu indultum Ecclesiæ privilegium, conservarunt: & ab aliis legibus confirmari postularunt. Nihil ergò Guilielmus iis literis, in Ecclesiam præsumpsit: nihil de Episcoporum authoritate delibavit; nullum in causis Ecclesiasticorum juris exercuit dictionem. Quemadmodum, nec illi præsumere sacra dicendi sunt Principes; qui ædes sacras, aut ab injuriâ vindicant: aut, ne earum jura violentur, cavent. aut denique, si Monasteria, ex Episcoporum consensu, ab Episcoporum jure exemta & absoluta declarent. ut hoc anno à Guilielmo factum putamus.

VIII.
Duo Cœnobia fundat Guilielmus Rex.

Illc, cum primùm coronam induisset, insigni partam victoria; in grati animi argumentum, Ecclesiam in loco victoriæ, ad Dei Sanctique Martini cultum, erigi ornarique mandaverat. quod sub hæc tempora perfectum privilegiis munivit. Sic Parisiensem intelligo, scribentem ad hunc annum, ita. *Circa eosdem dies, Rex Willielmus duo Cœnobia fundavit. unum in Angliâ, in honorem Sancti Martini, apud Hastingas, quod de Bello nuncupatur: quia ibi consertum legitur prælium, inter ipsum, & Haroldum. Quo in loco Monachos instituit: ut pro animâ Regis Haroldi, & aliorum ibidem occisorum, divina celebrarent. Cœnobiumque illud congruis possessionibus ampliavit. Aliud Monasterium in Normanniâ, apud Cadomum construxit, quod in honorem Sancti Stephani Protomartyris consecratum, prædiis opportunis, & donariis magnificis insignivit.*

Paris hoc.

Ad hunc annum hæc referuntur, quia Guilielmus Rex Anglicano Cœnobio manum ultimam apposuit: cum Monachis, è Galliâ, & Turonensi Monasterio vocatis, Abbatem præposuit; & indulsit privilegia, scripto, firmatoque diplomate, in hunc modum; ut legitur apud Reynerum in Apostolatu.

Willielmus, Dei gratiâ, Rex Anglorum: Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi: Sigeberto Episcopo Cicestrensi, omnibusque successoribus suis, regnum Angliæ obtinentibus: & cunctis Fidelibus, Salutem.

IX.
Apud Reyner in Apostol tract 2. fo 130.
Diploma Regis pro Monasterio de Bello.

„ Notum vobis facio, quod locum victoriæ „ meæ, sicut, Deo juvante, mihi conquisi„ vi, & Rex liberum possedi: ita illum liberum, „ & ab omni exactione hominum, quietum ob„ tuli Deo. Ibidemque Ecclesiam, in honorem „ Sancti Martini ædificavi, quam de Bello appel„ lare volui: eò quòd mihi Deus, in eodem lo„ co, tantam victoriam attribuit; ut de adversa„ riis meis, mihi injustè resistentibus, triumpha„ rem; regnumque mihi debitum, & successo„ ribus meis, jure hereditario perpetualiter possi„ dendum acquirerem. Votum ergo, quod „ Deo, & Sancto Martino vovi, implere fe„ stinans: idem Monasterium Monachorum re„ ligioni dedicans, ex ordine, & religione Majo„ ris Monasterii fundavi: & inde primum Ab„ batem Gausbertum, ad hoc tantum, ut reli„ gionis ibi normam fundaret, constitui: ita ta„ men, ut libera, & quieta in perpetuum, ab „ omni subjectione & dominatione, & querelâ „ Majoris Monasterii, & aliarum personarum „ exactione permaneat: sicut Ecclesia Christi „ Cantuariensis, & sicut mea Dominica Capella, „ & signum Angliæ coronæ, per quam ego re„ gno, & successores mei, regnum Angliæ de„ bent obtinere. Statuimus itaque tam Eccle„ siasticæ, quàm Regiæ prospectu potestatis; ut „ decedente Abbate, de Bello, omnis possessio „ Monasterii, ubicumque fuerit, libera, & in„ tegra, cum omni jure & consuetudine sua, „ remaneat in manu & dispositione Prioris, & „ Monachorum Capituli de Bello.

Gausbertus primus Abbas.

X.

„ Hoc autem ideo statuimus, statutumque „ perpetuo servandum confirmamus: quia Abbas „ de Bello, proprios reditus non habet, sed „ communes cum fratribus. Qui igitur, Deo „ annuente, Canonicâ fratrum electione, Abbas „ substitutus fuerit; ibidem absque venalitate „ omni, benedicatur: sicut primum Abbatem „ Gausbertum in eodem Monasterio de Bello, „ Sigebertus Episcopus Cicestrensis benedixit. „ Abbas itaque de Bello, nec cum suis secula„ ribus consanguineis; seu quibuslibet aliis, „ eleemosynas Monasterii malè utendo disper„ dat. sed pauperibus, & peregrinis, & hospi„ tibus suscipiendis, & fratrum curam gerat. „ Terras censuales, nec ad feudum donet: nec „ milites, nisi in sacrâ veste Christi faciat: Nec „ de possessionibus Ecclesiæ quisquam teneat „ aliquid feudaliter absolutum; sed ad censum „ annuum, & servitium Abbati, & Monachis „ debitum. In Abbatis de Bello, & Monacho„ rum domo, & possessione; nullus intus, vel „ extra, per hereditatem, officium teneat: sed „ in arbitrio Abbatis, & Monachorum consi„ stat; de transmutandis Præpositis, seu quibusli„ bet officiariis aliis. Hanc igitur Monasterio „ de Bello, & omnibus ad ipsum pertinentibus, „ in perpetuum dono, & confirmo liberam im„ munitatem, & immunem libertatem. Quam „ etiam per signo coronæ regni nostri, Regi„ bus post me in Angliâ regnaturis, causa Dei „ commendo servandam. & eam Deus conser„ vet in æternum. Teste Petro, Episcopo Ce„ striæ: Hermanno Episcopo Sarisberiæ. Wil„ lielmo Comite Warennæ: Bernardo de Novo „ Mercato, & Gausberto, nunc ejusdem loci „ Abbate, cum Monachis suis, qui ad hanc „ Chartam faciendam præsentes erant, apud „ Winton.

Miles in veste sacra creandus.

XI.
Reyne suprà fo 137.
Excutitur Charta. De Sigeberto Episcopo.

Ita regium diploma recitat Reynerus: & mox addit: *Non ascripserat exscriptor annum, quâ data fuit hæc Charta: sed apparet circa annum 1080. scriptam fuisse.* Sed erravit indubiè amanuensis: & ego meliùs hunc annum 1086. reponerem, ad quem Authores nostri Monasterii exordia referunt. Sed mendum aliud est in diplomate minùs veniale, ubi Sigebertus scribitur Cicestrensis

Episcopus: quo nomine, nullus in Cicestrensium Episcoporum syllabo, reperitur. Nocarius opinor, cum in literarum epigraphe legisset: *Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi. & S. Cicestrensi*: audaci conjecturâ, Sigebertum vocavit; cum Gulielmus Stigandum intellexerit: qui hoc anno Australium Saxonum Ecclesiam administrat, & primus Cathedram Cicestriæ posuit.

Petrus Cestren. Episcopus moritur. — Petrus, qui confirmationis, & regii privilegii testis asseritur, Cestrensis Episcopus, ad hunc etiam annum, nec diutius superfuit. nam de eo ita scribit Godwinus: *Sedem Episcopalem Lichfeldia Cestriam transtulit, anno millesimo septuagesimo quinto: consecratus est, millesimo sexagesimo septimo: & anno millesimo octogesimo sexto defunctus, Cestria tumulatus est.*

Godwin in Lichfeld. — Wilhelmus, qui scribitur Comes de Warenna, argumentum est, à morte Gulielmi Regis, ejus nomen ita chartæ affixum. necdum enim hoc anno, & hoc Rege vivente, Comitis nomen, aut prærogativam habuit: si fides habenda scripturæ 49. apud Reynerum: *Reyn in Ap fo. 00.* ubi ita legitur. *Iste primò non vocabatur, nisi solummodo Wilhelmus de Warenna. Postea vero, processu temporis, à Wilhelmo filio Regis, & Conquestoris Angliæ; filiam cujus desponsaverat; plurimùm honoratus est, atque Comes Surregia factus, & appellatus est.* Sed nihil hæc ad diplomatis Regii substantiam: aut ad Regiæ potestatis in Ecclesiam assertionem.

XII. Quamobrem Seldenus in aliud diploma incidit, in quo Gulielmus Rex; ut opinatur ipse; sine ullo dubio, juris in Ecclesiam, dictionem exercuit. Nam ita priùs quàm illud referat, ipse præfatur. *Selden. in Spicilegio fo. 103.* *Quantus fuerit Gulielmus iste in imperio, quod circa sacra exercetur; palam videre est in diplomate ejus, quo Cœnobio, quod à bello, in quo vicit Haraldum, ad litus Suffexianum, denominari voluit; plura privilegia, tam sacris officiis, quàm jurisdictioni Episcopi Cicestrensis derogantia; stilo per quàm imperioso concessit. Illud ex ipso autographo, quod etiamnum, sigillo Regis appenso servatur in thesauro, quantivis pretii Cottoniano, subjungam.*

WILLIELMUS Dei gratia, Rex Anglorum,
tam Clericis, quàm Laicis per
Angliam constitutis,
Salutem.

XIII. Alia Regis Charta pro Monast. de Bello.

„ NOTUM sit vobis, me concessisse, & confirmasse, ASSENSU Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, & Stigandi Episcopi Cicestrensis, & consilio etiam Episcoporum, ac Baronum meorum, ut Ecclesia Sancti Martini de Bello; quam fundavi, ex voto, ob victoriam, quam mihi Deus in eodem loco contulit; libera sit, & quieta in perpetuum ab omni servitute, & omnibus, quæcumque humana mens excogitare potest; cum omnibus dignitatibus, & consuetudinibus Regalibus, quas ei regali authoritate concessi: sicut Chartæ meæ testantur. Volo itaque & firmiter præcipio; quatenus Ecclesia illa; cum leuga circumquaque adjacente; libera sit, ab omni dominatione & oppressione Episcoporum; sicut illa quæ mihi oronam tribuit, & p[illegible] quam viget decus nostri regiminis. Nec liceat Episcopo Cicestrensi, quamvis in illius [illegible] sit, in Ecclesia illa, vel in maneriis, ad eam p[illegible] tinentibus, ex consuetudine hospitari, [illegible] contra voluntatem Abbatis. nec ordinationes aliquas ibidem facere: nec Abbatiam in aliquo gravare. Sed neque super illam, dominationem aliquam, aut vim, vel potestatem exerceat: sed sicut mea Dominica capella, libera sit omnino, ab omni ejus exactione. Ad Synodum verò Abbas ire non summoneatur, nec compellatur: nisi propriâ voluntate, pro aliquo negotio ire voluerit. Nec Monachos suos; ubi sibi opportuniùs videat, ad sacros ordines promoveri facere prohibeatur. Nec altarium sacrationes, confirmationes, vel quaslibet Episcopales benedictiones; Abbatis, vel Monachorum requisitione, à quolibet Episcopo, ibidem liberè fieri, ab aliquo contradicatur. Hoc etiam Regali authoritate, & Episcoporum ac Baronum meorum attestatione, constituo: quatenus Abbas Ecclesiæ suæ & leugæ circumjacentis; per omnia judex sit, & Dominus. Defuncto Abbate, dè eadem Ecclesiâ Abbas eligatur: nisi fortè, quod absit, ibidem idonea persona reperiri non possit. Hanc constitutionem meam; sic voto, & regali authoritate confirmatam; nullus successorum meorum violare, vel inminuere præsumat. Quicumque igitur contra libertates, vel dignitates ejusdem Ecclesiæ fecerit: forisfacturæ Regiæ coronæ subjaceat. Hujus rei testes sunt, Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Stigandus Cicestrensis Episcopus, Walkelinus Episcopus Winton. Wulstanus Wigorn. Episcopus. Qui omnes, me præsente, & audiente; horum præceptorum meorum, & constitutionum violatores perpetuo anathemate damnaverunt, apud Winton.

De tempore dati diplomatis nulla mentio: XIV.
Conjicio tamen superiori anno priùs signatum à Rege, quàm in Normanniam proficisceretur. Id locus suadet ubi dari dicitur, Winton. De quo Huntindonius: *Huntindon. fo 370.* *Willielmus Rex fortis, anno decimo nono regni sui; cum de more tenuisset Curiam suam in Natali apud Glocestre, ad Pascha apud Wincestre, (Winton) ad Pentecosten apud Londoniam,* &c. *postea Rex acquisitis magni thesauri copiis, super quoscumque aliquam causam invenire poterat, sive justè, sive injustè, ivit in Normanniam.* Sed missâ conjecturâ de tempore, sciscitemur à Seldeno: quid hic in sacra præsumpsit Gulielmus, qui nihil, sine assensu, consilio, attestatione Episcoporum jubet, aut præcipit? Quod imprimis in controversiam cadere potest, est Monasterii exemptio, à jure, potestateque Stigandi, Diœcesani Præsulis. Verùm, si ille, Monachorum quieti consulens, juri suo cedit; quæ injuria? Si Lanfrancus, & ille, juris æternam cessionem cupientes, sæculari brachio illam corroborari volunt: nullum inde, aut Ecclesiasticæ potestati præjudicium; aut laicorum in sacra imperii argumentum. nam Ecclesiam, aut Monasterium fundans, dotansque; juris patronatus prærogativa; si Rex non esset; legem rogare, donationem extendere, aut contrahere poterat: imo Ecclesiam, cum consensu Ecclesiæ, hic premere, illic efferre. Nec aliud, à Gulielmo factum. Cæterùm adverto: cum penes Reges, & Episcopos; hoc est, utriusque Reip. capita, summa rerum omnium administratio fuit: ut hoc, & præcedentium Regum tempore: Fides & rerum credendarum substantia, una, virgoque, mansit:

Pressis Regibus et Episcopis, quale monstrum enascitur.

& astitit Regina à dextris Christi, in vestitu deaurato circumdata varietate. nunc presso Rege, & exauctoratis Episcopis: pedes Reip. in Reip. capita dominantur. Et ex hoc τῷ πολυκεφάλῳ monstro; hydra nascitur multorum capitum; quæ immani diluvio involvit omnia; in quo nunc mergimur, hoc sæculo decimo septimo.

XV.

Vidit id solers Guilielmi Regis oculus: & ideo noluit Ecclesias pastoribus esse destitutas: nè grex, sine capite, per devia ferretur. Obierant superiori anno, Londinensis, & Tedfordiensis Episcopi: nuper etiam Cestrensis, vacuam Sedem reliquerat. Quare cum Ecclesiarum Præsules, ad Regem convenissent, ad Nascentis Christi solennia; tres Episcopi tribus Ecclesiis conjugantur. Quod ad tempus, & personas spectat; Matthæus Parisiensis, qui annos à Nascente Christo auspicatur, sequentem annum signat: alii, & in idem incidit, præcedentem.

Paris anno 1087.

Ita ergo Matthæus: *Anno Domini millesimo octogesimo septimo, Rex Anglorum VVillielmus, in Natali Domini Curiam suam, apud Glovernianı tenens; tribus Capellanis suis: Mauritio, scilicet, Londoniensem; VVillielmo, Norvvicensem; Roberto, Cestrensem dedit Præsulatum.* Norwicensem Sedem, per Catechresin, nominat: quam alii (Wigorniensis, & Hovedenus) rectiùs Theodfordensem vocant.

Mauritius, Londinensis: Wilielmus, Thedfordensis. Robertus, Cestrensis: Episcopi.

Guilielmus enim cognomento Galsagus, Episcopalem cathedram, Theodfordiæ ascendit; eamque ibi moriens reliquit: quam successor ejus Herebertus, Norwicum primus transtulit. Nisi velis Guilielmum cum Hereberto confundere: quos Godwinus unâ manu distinguit: altera miscet. nam dicit primò Herebertum aliquando Guilielmum Herbertum vocari: inde ait Herebertum Monachis habitacula ædificasse, & primum in fundamenta lapidem posuisse hoc anno 1086. cum hac inscriptione: *Dominus Herbertus posuit primum lapidem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Si ratio temporis rectè initur, unus idemque dicendus est Guilielmus & Herebertus quod Malmesburiensis confirmat, qui nulla Guilielmi facta mentione, Herfasto Herebertum substituit.

Malmesb. de Pontif. l. 2.

Malmesb. de Epis. l. 2.

Mauritii elogium.

De Mauritio Loodinensi hæc habet Malmesburiensis. *Hugoni successit Mauritius, Regis Cancellarius: quamvis in quibusdam minùs prospera fama: prædicabilis tamen efficaciæ. Magnanimitatis certè ipsius est indicium Basilica Beati Pauli, quanta inchoavit Londoniæ, tanta est decoris magnificentia, ut meritò inter præclara numeretur ædificia,* &c. Sed de his inferiùs. nam sequenti anno: vel, ut Godwinus, hoc anno: *Civitatis Londinensis partem multo maximam, fortuito incendio contigit conflagrare. Cumque inter alia ædificia Cathedralis Ecclesia Divi Pauli ab Erkenvvaldo* (ª ut retulimus) *posita, penitus fuisset absumpta:* ᵇ *nova jecit fundamenta: tam spatiosa; ut qui ea tempestate vixerunt, plerique ceptum hoc ejus, tanquam temerarium, & audax nimium reprehenderent: nunquam futurum dicentes, ut molis tam ingentis structura aliquando perficeretur.* Nos perfectam vidimus, orthodoxæ fidei argumentum perenne: & vidimus orthodoxam fidem persequentes; cum Sanctos gloriâ, & honore exuissent; Dei & Sanctorum templis, & huic structuræ iratos, cum Juda dicentes. Ut quid perditio hæc? Sic facta ubique, Fidem loquuntur.

Godwin. in Londinen.

Londinensis urbis incendium. ª an. 675. n. ᵇ Paulini templi nova constructio.

XVI.

Anselmus Guilielmo Regi acceptus

Interim beavit utramque Remp. Anselmi Beccensis Abbatis, frequens in Angliam profectio: qui doctrinæ opinione, & vitæ sanctitate omnibus præluxit. Illum Guilielmus Rex audire, suspicere, & admirari solebat: & eo audito multa faciebat, civibus, & Ecclesiæ proficua. nam ita de eo Edmerus. *Per idem tempus erat quidam Abbas Becci, nomine Anselmus; vir equidem bonus, & scientia literarum magnificè pollens. Contemplativa vita totus intendebat. Hic toti Normanniæ, atque Franciæ, pro sua excellentis sanctitatis merito, notus, carus, & acceptus: magna fama quoque in Anglia habebatur; ac Regi Guilielmo, necne Lanfranco Archiepiscopo, sanctissima familiaritate copulabatur. Huic, cum nonnunquam pro diversis Ecclesiæ, & aliorum negotiis, ad Curiam Regis veniret: Rex ipse, depositâ feritate, quâ multis videbatur sævus, & formidabilis; ita fiebat inclinus, & affabilis; ut ipso præsente, omnino quàm esse solebat, stupentibus cunctis, fieret alius. Hunc itaque, & Lanfrancum; videlicet viros, divinâ simul, & humanâ prudentiâ fultos, præ se magni semper habebat: & eos in omnibus, quæ sibi, quantum officii eorum referebat, agenda erant; dulciori præ cæteris studio, audiebat. Unde, & consilio eorum, ab animi severitate in quosdam plurimùm, & sæpè descendebat: & quatenus in suâ dominatione, ad observantiam religionis, Monasteria surgerent, studiosè operam dabat. Quæ religio, ne nata deficeret, procurabat Ecclesiarum pacem, quamque tueri: & eis, quæ in usus servientium Deo proficerent; in terris, in decimis, in aliis redditibus, ex suo largiri. Hac tamen benevolentiâ super Ecclesias Normanniæ propensiùs respiciebat.* Ita Edmerus.

Edmer. l. 1 fo. 12.

Eius elogium.

XVII.

Extat inter Anselmi Epistolas, una, quæ Beccensibus Fratribus prosperum suum in Angliam adventum nuntiat, data statim ab ejus appulsu, & ita loquitur.

Dominis, & Fratribus dilectissimis, in Beccensi Cœnobio, Deo servientibus: Frater Anselmus, servus, & conservus eorum semper sanctè vivere, & sanctæ vitæ præmium percipere.

Anselm. l. 2. Ep. 9.

Anselmi literæ ad Beccenses monachos.

„ SCiens, & certè sciens, dulcissimam mihi
„ vestram dilectionem, nuntium meæ incolu-
„ mitatis, & prosperitatis, toto affectu deside-
„ re: non potui eam dilatione aliquâ fatigare.
„ Ipsâ itaque die, quâ Dominus Gerardus, ho-
„ râ quæ dicitur prima, à me, mare ingresso,
„ discessit: divina protectio me, vestris oratio-
„ nibus, in Anglicam terram, prosperâ naviga-
„ tione, & sine molestiâ (quam multi navigan-
„ tes pati solent) perduxit: & ad Dominum,
„ & Patrem nostrum Archiepiscopum Lanfran-
„ cum, vespere pervenire, & cum gaudio susci-
„ pi, apud villam ipsius, nomine Liming, con-
„ cessit. In crastinâ vero has literas scripsi, qui-
„ bus & præfatum desiderium vestrum adimple-
„ rem: & sanctum propositum vestrum semper
„ servere, & ad meliora proficere commone-
„ rem. Precor igitur, ut frater; hortor, ut pa-
„ ter: ut hic studeatis in pace, & religione mo-
„ nachicâ conversari: quatenus & vos, ex vestri
„ studii contributione, valeatis beatificari: & ego
„ de vestrâ beatitudine, quandoque congratu-
„ lari. Omnipotens Dominus, sua nos pro-
„ tectione, ab omni adversitate defendat: &
„ suam vobis misericordiam, per continuam
„ corporis, & animæ prosperitatem ostendat, &c.

XVIII. Hæc de Anselmo prælibavi, quia illum brevi, è Beccensi Monasterio, in Angliam reducemus: & Cantuariensem Sedem ascendere, quantumvis renitentem, cogemus. Interim *Clito Edgarus, licentiâ à Rege impetratâ* (inquit Hovedenus) *cum ducentis militibus mare transiit, & Apuliam adiit. Cujus germana virgo Christiana, Monasterium, quod Rumseye nuncupatur, intravit: & vestem sanctimonialis habitus suscepit.* De hac virgine, superius pauca diximus (an. 1068. n. 4.) Cæterùm hoc primùm anno vestem religiosiorem videtur induisse; cum Edgarus frater Angliâ excederet. De Rumsciensi Cœnobio, ab Edoardo seniore primum posito, & ab Edgaro Rege restaurato. V. an. 924. n. 1. & an. 966. n. 10. & an. 968. n. 3. & an. 992. n. 6. Illud ingressa virgo Christina: sic enim ferè appellatur: post breve tyrocinii tempus, Abbatissa, Monasterio præfuit; & demum cum sanctitatis opinione mortua, in Martyrologio nostro, cum sanctis meruit nominari, ad 24. Novembris.

XIX. Hoc demum anno 1086. Rotulus ille, sive Censualis liber Doomesday dictus, quem ante duos annos describi cæptum diximus, est omnino perfectus. Id constat ex ipso census volumine, ubi hæc habentur. *Anno millesimo octogesimo sexto, ab Incarnatione Domini, vigesimo verò Regni Willelmi facta est ista descriptio, non solum per hos tres Comitatus (Essexiam, Norfolciam, & Suffolciam) sed etiam per alios.* Prius ergo tanti operis cæpta moles, adhibita industria, finem & in membranis descriptionem non ante hunc annum habuit. Ita Authores conciliandi. quos Seldenus in præfatione ad Edmerum notat.

ANNUS CHRISTI 1087.

VICTORIS III. PAPÆ 2.

GUILIELMI I. REGIS 21.

I. VICTOR Papa, quem superius ingenti cum difficultate electum diximus; cum diu supremi Magistratus insignia respuisset: tandem anno millesimo octogesimo septimo, *ab Episcopis, Ostiensi, Tusculano, Portuensi, & Albanensi, Cardinalibusq́; & Episcopis, & Abbatibus assistentibus plurimis, Ecclesiastico more sacratus, & in Apostolica Sede locatus est, septimo idus Maii.* inquit Leo Ostiensis. Tunc scilicet religiosa apis, quæ piis devotisque mentibus, inter Cassinensis Cœnobii septa, mel confecerat: aculeum exeruit in impios, atque schismaticos. Beneventum profectus, idolum illud, ab Henrico erectum, excommunicationis fulmine sæpius impetitum. iterum, inquam, Guibertum Ravennatem, qui Clemens Tertius haberi voluit, à fidelium consortio, per omnia juris adminicula exclusum, pronuntiat. Cumque alia, Septimi Gregorii vestigiis insistens, ad conservandam Ecclesiasticæ disciplinæ puritatem, edixisset; consummatus in brevi, dici potest explesse tempora multa.

Apud Baron. hoc n. 2.

MORITUR VICTOR PAPA. Nam moritur hoc anno, dans posteris omnibus, duo eximiæ sanctitatis suæ argumenta. Unum, infulas, animarum curam, nedum summi Magistratus fastigia, non ambire: illa suaviter primò, inde fortiter declinare. Aliud, justitiæ tramitem, & sanctorum vestigia; nullo personarum intuitu, constanti pede, & suaviter simul, & fortiter premere. nunc me Anglia vocat, ad extinguendum incendium, quod Insulæ minatur. Nec enim, uno tantum flagello, provincialium crimina castigat Deus.

II. Siquidem anno superiore, ut notat Parisiensis: *Nimia aquarum inundatio, multis in locis periculosa fuit, & damnosa: ita quod rupes multæ liquefactæ, plures obruerunt, sua ruina, villas.* Cæterùm peccata, quæ illo anno aquis elui, & expiari non potuerunt; hoc anno, Deus igne conatur absumere. nam *ferox flamma* (loquitur Florentius Wigorniensis) *consumpsit omnes fere principales civitates Angliæ. Ecclesiam quoque Sancti Pauli Apostoli, cum majori, & meliori parte * Lundoniæ.* Ita ibi. De Londinensi urbe, & Paulinâ Ecclesiâ, loquuntur Annales omnes: & commodum sanè accidit, Mauritium superiori anno, ad Sedem illam eligi. nam statim ex ædificiorum ruinis, excitare cæpit, quod hodieque cernitur, ad orbis invidiam, elegans templum. Vorax etiam flamma Bathoniensem urbem invasit: & Cœnobium, quod Offa olim, Edgarus, & pientissimi Principes ornaverant, demolitur. Permisit hæc Deus, in Anglorum patientiæ, & Normannorum pietatis exercitium: & verò Normanni (qui passim Ecclesiis à Guilielmo Rege præfecti fuerunt; Dei, Sanctorumque cultum, illustriori structurâ auxerunt. Unde mortuo, sequente anno, Gisone Wellensi Episcopo, Bathoniæ urbs, & novum ibi Monasterium, elegantius surget. Ad ignis, & aquarum diluvia, alia mala accesserunt, ad Insulæ vastitatem. de quibus hæc pauca Florentius. *Hoc*, inquit, *anno millesimo octogesimo septimo, primo febribus, deinde fame, complures mortui sunt.* Verùm priusquam mortuos sepelio, non omittam ingens miraculum quod in combustâ Paulinâ æde accidit, ubi Erken-waldi Sancti sepulchrum, ab omni flammarum injuriâ, illæsum, multorum lacrymas gemitusque diluit. rem gestam, ex ejus vitâ Lector accipe. *Iacuit multis annis in terrâ, sub thecâ ligneâ, propè altare Dominicum corpus ejus reverendum, quodam pallio parvi pretii indecenter præparatum, sed quia vir sanctus duplici honore, in cælo, & in terrâ dignus erat, non permisit Dominus servum suum in loco humili diutius jacere. Accidit enim tempore Mauritii Londoniensis Episcopi, ante festum S. Ioannis Baptistæ, ut in eadem civitate subitò ad vindictam malorum maximum oriretur incendium. In porta namque Occidentali circa horam noctis mediam copiosus ignis accensus est: cujus flammis ex omni parte diffusa, justo Dei judicio, usque ad portam Orientalem, totam combussit civitatem. Excitati autem cives, & ad tam horribile spectaculum conturbati, vix cum vitâ fugere potuerunt: male perquisitas divitias, flammis relinquentes. Interea crescente incendio Ecclesia B. Pauli comburitur, & omnia quæ in eâ erant igne consumuntur. Et ecce jam non erat populo consolatio, sed omnium gemitus, eò quòd sanctas Ecclesia suas reliquias, omni spe gratiæ postposita, se credebant perdidisse. Cum enim Ecclesia inflammata tota caderet, & plumbum liquefactum ex omni parte discurreret, & tamen hujus sancti feretrum integrum inter hæc omnia Dei gratia permaneret. tanta subitò in populo oritur lætitia, ut dolor prævalens oblivioni traderetur in tanti novitate miraculi, quo Deus in Sanctis mirabilis prædicatur. concurrente autem populo, & de tanto miraculo*

Paris anno 1086.

AQUA PRIMUM; INDE IGNE ANGLIAM CASTIGAT DEUS. *Wigornien. hic.*

* LONDINUM INCENDITUR.

BATHONIA INCENDITUR.

ANNUS MORTALIS. *Wigornien. hic.*

vehementer confortati, recognoscunt prædicta quæ facta fuerant, propter suam emendationem meritis sui Pontificis taliter evenisse. Sciebant quippe cives quod ex tunc Dei vindicta justè contra eos fuerat suscitata, eò quòd erga pastorem suum, ac mediatorem apud Deum velut ingratitudinis filii se habebant. Voluit ergo bonus Deus, hoc uno miraculo sanctum suum, quem Caput Britanniæ appellabant, extollere: & imprudentium hominum ignorantiam impostèrum præmunire. Post dies aliquos mitigata jam flamma intrant Ecclesiam cives, prout poterant, de combustis reliquiis aliquid forte requirentes. Adsunt illis ingressis duo Pontifices Londonien. & VVintonien. cum Sacerdotibus & Clericis, & aliis diversorum ordinum Ministris, ut certitudo ipsorum testimonio probaretur. Hi autem omnes ad tumulum Sancti Erkenvvaldi accedentes, quod valdè erat mirabile, omnia salva, & integra invenerunt: & quod plumbeus liquor, & vivi carbones vim virtutis suæ perdiderunt. Præter hæc trabes quadam magna, igne inflammata super palliolum memoratum, quo sepulchrum tegebatur, diu jacuisse invenitur. O quam mirabile ad videndum! omnia in circuitu, in cineres sunt redacta: nec quicquam fuit, quod comburi potuit, quod ignis non consumpsit: & tamen nec filum pallii sepulchro superpositi, naturam suam perdidit, aut colorem mutavit. Currunt hinc inde populi inaudita spectacula admirantes: & ad perpetuam Sancti hujus laudem Deo gratias referentes. Patrata sunt hæc Londoniæ, sub Mauritio tunc Episcopo Londoniensi, imperante primo Rege Normannorum VVillelmo, anno gratiæ millesimo octogesimo septimo. Ita Capgravius in vita Erkenwaldi. Hoc miraculo excitatus & animatus. Mauritius, Londinense templum inchoavit, opere omni post sæculo admirando. nam sequitur in Capgravio. *In hujus igitur novitate miraculi dictus Episcopus aliam Ecclesiam à fundamentis incepit: opus videlicet, ut multis videbatur, inconsummabile. Verùm si consummari posset, honor & decus Londoniæ.* nunc mortuos, de quibus suprà, tempus est sepeliendi.

III. Stigandus Cicestren. Episcopus moritur.

Inter mortuos, duo imprimis numerantur, de quibus nunc agendum. Stigandus Australium Saxonum Ecclesiam rexerat, ab anno millesimo septuagesimo: & primus Sedem Cicestriæ fixerat: nunc mortis debitum solvens, moritur. Sed priusquam moritur; Lanfrancus, Cantuariensis Ecclesiæ jura asserturus, quæ ille violaverat; has ad eum literas dedit: quas Edmerus recitat, ita de Lanfranco præfatus. *Quàm verò securâ libertate, & liberâ securitate; quæque ad jura Ecclesiæ Cantuariensis pertinentia potiri, sæpè fatus Pater Lanfrancus intenderit: & ex his, quæ paucis designavimus; & ex Epistolâ, quam ecce subscribimus, cuivis scire volenti, patere satis erit. Quam Epistolam, de causis Ecclesiasticis scriptam; eâ re maximè placuit, aliis omissis, præsenti operi, commiscere: quatenus hi, qui scientiam talium negotiorum non omnino expertes sunt, ex consuetudinibus aliarum Ecclesiarum animadvertant, quâ dignitate, ipsam Ecclesiam, inter alias constet eminere. Epistola igitur est ista.*

Edmer. l. 1. fo. 12.

Lanfrancus, gratiâ Dei, Archiepiscopus: dilectissimo Fratri Stigando Cicestrensi Episcopo, Salutem.

IV. Lanfranci ad Stigandum Literæ.

„ Clerici villarum nostrarum, qui in vestrâ Diœcesi existunt, questi nobis sunt: „ quòd vestri Archidiaconi, repertis occasioni„ bus, pecunias ab eis exquirunt: & à quibus„ dam jam acceperunt. Meminisse debet fra„ ternitas vestra; quia contra morem antecesso„ rum nostrorum, & vestrorum, vobis concessi„ mus, eisque imperavimus; quatenus ad ve„ stras Synodos irent: & ea, quæ ad Christianæ „ religionis notitiam prodesse possunt, sine in„ terpellatione, vel discussione aliqua, à vobis „ audirent. Si quæ in ipsis culpæ invenirentur, „ suspensâ interim vindictâ, ad nostrum examen „ servarentur: & nobis, vel in miserendo, vel „ in ulciscendo; sicut semper consuetudo fuit; „ obnoxii tenerentur. Mandamus itaque vo„ bis, ut malè accepta, sine dilatione reddi ju„ beatis: & Ministris vestris, ne ulteriùs id præ„ sumant, servandæ charitatis studio, prohibea„ tis. Nos verò Presbyteris nostris, qui extra „ Cantiam constituti sunt, omninò præcipimus. „ nè ad vestram, vel alicujus Episcopi, Syno„ dum, ampliùs eant; nec vobis, nec aliquibus „ Ministris vestris; pro qualibet culpa, respon„ deant. Nos enim, cum ad villas nostras ve„ nerimus; quales ipsi, vel in moribus, vel in „ sui ordinis scientia sint, pastorali authoritate „ vestigare debemus. Chrisma tamen à vobis „ accipiant: & ea quæ antiquitùs instituta sunt, „ in Chrismatis acceptione persolvant. Sicut „ namque ea quæ antiquitùs, usque ad nostra „ tempora, antecessores nostri habuerunt; so„ lerti vigilantiâ cupimus illibata custodire: ita „ aliis debita, aliqua, quod absit, usurpatione „ denegare nolumus. Hactenus Lanfranci Epistola. Stigando successit Guilielmus, quem Westmonasteriensis & * Parkerus Galfridum vocant. de quo in fine hujus anni.

Guilielmus Cicestrne. Episcopus.

* Parkerus in Lanfranco.

Alter eorum, qui hoc anno moritur, Guilielmus est; qui hactenus, jurène dicam, an injuriâ, Dei certè permissione, in Angliâ regnavit. De quo ita ad rem nostram loquitur Huntindonius. *Anno vigesimo primo regni VVillielmi Regis; cum jam justam Domini voluntatem super Anglorum gentem, Normanni complessent. Nec jam vix aliquis Princeps, de progenie Anglorum esset in Angliâ: sed omnes ad servitutem, & ad mœrorem redacti essent. ita etiam, ut Anglicum vocari, esset opprobrio: Hujus author vindictæ VVillielmus vitam terminavit: Elegerat enim Deus Normannos, ad Anglorum gentem exterminandam: quia prærogativa sævitiæ singularis, omnibus populis viderat eos præminere. Natura siquidem eorum est: ut cum hostes suos adeo depresserint, ut adjicere non possint: ipsi se deprimant, & se terrasq; suas, in pauperiem, & vastitatem redigant. Semperq; Normannorum Domini, cum hostes contriverint; cum crudeliter non agere nequeant, suos etiam hostiliter conterunt. Quod liquidò, in Normanniâ, & Angliâ, Apuliâ, Calabriâ, Siciliâ, & Antiochiâ, terris optimis; quas eis Deus subjecit, magis magisq; apparet. In Angliâ ergo, telonia injusta, & pessimæ consuetudines his temporibus pullulaverunt. Principes omnes auri, & argenti cupiditate cæcati adeo erant; ut illud de eis verè dici posset: Unde habeat, nemo quærit; sed oportet habere. Quantò magis loquebantur de recto; tantò major fiebat injuria: Qui justitiarii vocabantur; caput erant omnis injustitiæ. Vice-Comites, & Præpositi, quorum erat officium, justitia, & judicium; furibus & raptoribus atrociores erant, & omnibus sævissimis sæviores. Rex ipse, cum ad firmam terras suas quantò cariùs poterat, dedisset: aliis magis offerentis, & deinde aliis, semper*

V. Huntindon. hic fo 370. Guilielmus Rex moritur. Normannorum genius.

negligens pactum, & ad majora studens, dabat. nec erat cura, quantâ injuria pauperibus, à Præpositis fieret. In hoc anno igitur pestes infirmitatis, & famis, Deus Angliæ immisit; ut qui febribus evaderet, fame moreretur. Immisit etiam tempestates, & tonitrua, quibus multos homines occidit: nec animalibus, nec pecori pepercit.

VI. EDOARDI SANCTI VATICINIUM IMPLETUR.

Habes hic, Lector, & juvat sæpè mente recolere, Edoardi nuper sanctè morientis vaticinium; rerum æquè ac verborum veritate completum. quo Deus, extrema Insulæ minatus, castigaturum se dixit provincialium peccata; immisso hoste, qui Anglos deprimeret. Quod licet superioribus annis, non impigrè factum à Normannis, ut audisti: hoc tamen anno, cælum terraque, & omnia elementa, divinæ sententiæ famulata videntur. Sed necdum miseriarum finis: nam moriente Guilielmo isto, succedet Guilielmus alter, pejor priore: nec illo, vereor, aut sequenti sæculo, miseria terminabitur; ut fides sit oraculo, diuturni admodum temporis calamitatem exponenti. nunc quæ Guilielmi Regis mortem præcessere, servata rerum gestarum serie, dicamus. nam inquietus ejus animus, & vincendi ambitio, non subsidet: donec ipse, ad rationem Deo reddendam, in sepulchro quiescat.

VII. QUÆ MORTEM PRÆCESSERINT.

In Normanniam iterum hoc anno Guilielmus proficiscitur, animo in Philippum Gallorum Regem infenso. quem tamen aliquantisper continuit; seu adversa corporis valetudine impeditus; seu obesum ventriculum potione levaturus. Quod ubi Philippus intellexit, & lecto illum affixum; dum salsè in decumbentem jocatur; quod parturientis fœminæ more, ventrem exoneraret: non jocum, sed seria retulit. Parisiensis ita narrat.

Paris. hic.

Eodem anno (millesimo octogesimo septimo) Rex Anglorum Guilielmus, in Normanniâ moram faciens; aliquantisper se continuit a bello, quod in Regem Francorum cogitabat. Rex autem Francorum Philippus, abutens ipsius patientiâ, opprobriosè fertur dixisse. Rex, inquiens, Anglorum, jacet Rothomagi, cubile fovens instar parturientium fœminarum. Sed cum post partum sese purificaturus exierit: centum millia candelarum, cum eo veniam in Ecclesiam oblaturus.

JOCUS IN REGEM, A REGE REGERITUR.

Ad hæc, Guilielmus animo, oculis, & ore frendens, se illa candelarum centum millia, sine ejus ope accensurum; per Resurrectionem, & splendorem Dei (solito jurandi more) protestatur. & dictum factum. nam Cenomannorum terras ingressus; urbes, agros, oppida; ferro, rapinâ, incendio, populatur. denique urbem unam, quam variè Authores nostri nominant, Ego puto Maniam (vulgo Maine) intelligi, hostili manu petens, templum Deiparæ sacrum, pudendo sæculis exemplo, ferocientis animi impetu, combussit. Sed carò stetit illi, tanta candelarum incensio. nam nimio calore obesus ejus venter, onere illum, vitaque levabit. Dicat hoc Malmesburiensis, qui cum Regum scommata retulisset, subdit.

IN CENOMANNOS PUGNANS ECCLESIAM INCENDIT.

VIII. *Malmesb. de Regib. l. 3. fo. 112*

Nec multò post, Augusto mense declinante: quando, & segetes in agris, & botri in vineis, & poma in viridariis, copiam sui volentibus faciunt: exercitu coacto, Franciam infestus ingreditur; omnia proterit, cuncta populatur. Nihil erat, quod furentis animum mitigaret, ut injuriam insolenter acceptam, multorum dispendio ulcisceretur. Postremò Meduntinum civitatem, (Florentius, Maranthum: Hovedenus, Mantuntum; Westmonasteriensis, Mendantum: Parisiensis, Mediantum: Baronius, Madantensium civitatem, appellant) *injectu ignibus concremavit: combusta illic Ecclesia Beatæ Mariæ, reclusa una ustulata; quæ speluncam suum, nec in tali necessitate, deserendum putavit: fortunæ omnes civium pessundata. Quo successu exhilaratus, dum suos audacius incitat, ut igni adjiciant pabula; propius flammas succedens, foci calore, æstuque, autumnalis inæqualitate, morbum nactus est. Dicunt quidam, quod præruptam fossam sonipes transiliens, interanea sessoris diruperit: quod in anteriori parte sellæ venter protuberabat. Hoc dolore affectus, receptui suis cecinit: Rothomagumque reversus, crescente indies incommodo, lecto excipitur. Consulti medici, inspectione urinæ, certam mortem prædixere. Quo audito, querimonia domum replevit: quod eum præoccuparet mors, emendationem vitæ jamdudum meditantem. Resumpto animo, quæ Christiani sunt, executus est, in Confessione, & Viatico.* Hæc ille, paucis. Sed quia morientis Regis ultima; quis ille fuerit, vel esse debuerit, luculenter ostendunt: immorabor paulò diutiùs iis recensendis, quæ mortem præcesserunt. Quod ideo libenter facio, quia Annalium conditor Baronius, suo me ducit exemplo, & argumento. Qui cum multa de Guilielmo narrasset, hæc tandem habet.

IX. *Baron. hoc n. 27.* UT SE AD MORTEM PRÆPARAVERIT REX.

Nuper audisti eundem Regem (Guilielmum) responso mortis accepto, querimoniâ domum replesse; quod eum jamdudum meditantem vitæ emendationem, mors præoccuparet: scias tandem ipsius querimoniam, ab eo qui aderat scriptis fuisse mandatam; unà cum iis, quæ secuta sunt, usque ad conditum corpus sepulturæ, in Monasterio Cadomensi, ubique eandem hactenus asservatam: cusam vero nuper, una cum aliis rerum Anglicarum Scriptoribus Francofurti, anno Domini millesimo sexcentesimo primo. Ex quâ, aliqua notanda magis, hic describenda curavimus: quibus tanti Regis pietas innotescat, qui ex abundantiâ cordis, exuberante intrinsecus contritione, parum habuit peccata sua (quod fecit) secreta confessione, ex præcepto Ecclesiæ, ostendere Sacerdoti. Sed eadem, cunctis qui aderant audientibus, voluit propalasse. Et quidem non solum, quæ nuper Ecclesiarum incendio, publicè perpetrasset: quorum causa ta tunc pati commeruisset. Sed quæ adhuc impubes (incipiens à pueritiâ) deliquisset. cum primùm, post confessionem à satisfactione sic incepisset. nam Author hæc tunc de ipso.

X.

Verum sapiens heros, in futurum sibi, multisque, commoda facere non distulit: omnesque thesauros suos, Ecclesiis & pauperibus, Deique ministris, distribui præcepit. Quantum vero singulis dari voluit, callidè taxavit: & coram se describi à notariis, imperavit. Clero quoque Madantensi, supplex ingentia dona misit, ut inde restaurarentur Ecclesiæ, quas combusserat. De Fide, & justitia servandâ: de lege Dei, & pace tenendâ: De privilegiis Ecclesiarum, & statutis Patrum observandis, omnes qui præsentes erant, admonuit; & allocutionem, per eum, memoria dignam, admixtis interdum lacrymis, eloquenter sic edidit. Multis, inquit, ô amici, gravibusque peccatis onustus contremisco: & mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro. In armis enim ab infantiâ nutritus sum; & multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala quæ feci per sexaginta quatuor annos, quibus in hac ærumnosa vitâ vixi: pro quibus absque morâ rationem reddere nunc cogor æquissimo judici.

GUILIELMI MORIENTIS PÆNITENTIA.

Dum pater meus, &c. Hic Baronius, omissâ vitæ narratione, & peccatorum enumeratione, transit ad preces ejus, quas Sacerdotibus se commendans, porrexit.

XI. Verùm cum Guilelmi fletus, querimonia, & funebris oratio, plura contineat, quæ ad historiæ lucem, & futurorum Principum ædificationem faciunt; erit operæ pretium, & ab Annalium nostrorum instituto minime alienum, omnia subjicere: quæ moriens Rex posteris sine dubio voluit commendare. Sequitur ergo in *Fragmento antiquo* Codicis Cadomensis Monasterii, unde sua Baronius delibavit. *Dum pater meus sponte proficiscens in exilium, commisit mihi Normanniæ Ducatum, tenellus eram puer, utpote octo annorum. ex quo tempore, usque nunc; semper subii pondus armorum: ipsumq; Ducatum ferè quinquaginta sex annis gessi in discrimine bellorum. Mei, quibus præeram, mihi sæpè insidiati sunt; & damna gravesq; injurias, mihi nequiter intulerunt. Turchetillum, nutritium meum, & Osbernum, Herfasti filium, Normanniæ dapiferum, Comitemq; Gislebertum, patrem patriæ; cum multis aliis, Reip. necessariis, fraudulenter interfecerunt. His itaque rebus, gentis meæ fidem expertus sum. Noctibus multoties, cognatorum timore meorum à Gualterio avunculo meo, de camerâ principali furtim exportatus sum: ac ad domicilia, latebrasq; pauperum, ne à perfidis, qui ad mortem me quærebant, invenirer, translatus sum.* Pergit Rex Normannorum indolem, & fata sua, factaque explicare: quæ, quia de Normannorum imperio tractamus, nosse, non erit ab historiæ veritate divertere. licet aliqua interferat, ad priora tempora, & Normanniæ Remp. spectantia. Sic ergo ille.

V. an. 1030. 7. Ex Fragmento, apud Walsingamum, fo 30.

XII. *Normanni, si bono, rigidoq; dominatu reguntur; strenuissimi sunt, & in arduis rebus invicti, omnes excellunt: & cunctis hostibus fortiores superare contendunt: alioquin sese vicissim dilaniant, atque consumunt. Rebelliones enim cupiunt: seditiones enim appetunt; & ad omne nefas prompti sunt. Rectitudinis ergo forti censurâ coërceantur & fræno disciplinæ, per tramitem justitiæ * gradi compellantur. Si verò ad libitum suum, sine jugo, ut indomitus Onager, ire permittuntur: ipsi & Principes eorum, penuriâ, & confusione probrosâ operientur. Pluribus hoc experimentis jamdudum edidici. Proximi consanguineiq; mei, qui debuissent contra omnes mortales me omnimodis tutari, frequenti conspiratione factâ, in me surrexerunt: & penè omnem patris mei hereditatem mihi abstulerunt. Guido, Raynaldi Burgundiorum Ducis, ex Adelizâ amita meâ filius, malum mihi pro bono reddidit. Nam ego illum, de aliâ regione adventantem, benignè susceperam, ac ut unicum fratrem honoraveram: atque Vernonium, & Brioniam, partemq; Normanniæ non modicam donaveram. Ille verò verbis, & actibus, mihi derogavit: me nothum, degeneremq;, & principatu indignum detestatus judicavit, & hostiliter diffamavit. Quid plura referam? Fidem suam mihi mentitus, in me rebellavit, proceresq; meos, Ramulfum Baiocensem; ac Haymonem Dentatum, & Nigellum de Constantino, aliosq; multos mihi subtraxit secumq; perjuros esse, nefario motu, coegit. Immemor itaque hominii, & fidelitatis, quam mihi juraverat; totam Normanniam auferre sategit. Sic igitur adhuc imberbis, in illum coactus sum arma levare; & in planitie apud Vallesdunos, contra consobrinum, hominemq; meum, dimicare. Tunc auxiliante Deo; qui justus judex est; inter Cadomum, & Argentomum, hostes vici. quibus, nutu Dei, subitutis patrium jus liberè possedi. Deinde munitionem Brioniæ obsedi. Guidonem vulneratum, & de bello, fugâ elapsum, inclusi: nec inde discessi, donec hostem publicum, de Neustriâ, expulerim, & cuncta ejus munimina obtinuerim.*

Ex Fragmento, suprà

Normannorum indoles.

* gradiri.

XIII. *Non multò post, alia mihi gravissima adversitas oborta est. Patrui namque mei, Malgerius Rhotomagensis Archiepiscopus, & Guilielmus frater ejus; cui Archas, & Comitatum Calogii gratis dederam; me, velut nothum, contempserunt: & Henricum Regem, & Engelrannum, Comitem Pontivi, contra me accersierunt. Mox ego, ut in * Constantino, hujusmodi rumores audivi; multis dissuadentibus iter inivi. Aliquantos milites, qui ferventiores ad ictus dandos erant, Archis præmisi: & ipse, cum exercitu non grandi, subsecutus, arduam munitionem obsedi. Sed antequam rura, quæ inter duo flumina sunt, Sedam, & Garennam attigissem; percussores mei præoccupaverunt Engelrannum Comitem, in castrum intrare festinantem: ipsumq; fortiter pugnantem; quia miles erat asperrimus; occiderunt, & agmina ejus fugaverunt. Obsidione gravi Castrenses coercens, & perjurum Comitem exulare coëgi nec in omni vita sua redire ad id quod amiserat, permisi. Protervum quoque Præsulem, qui nec Deo devotus, nec mihi fidus erat; de Pontificali Sede, per Decretum Papæ deposui: & Mauritium venerabilem Cœnobitam, quem mihi Deus de Florentiâ, civitate Italiæ, transmiserat, in loco ejus subrogavi.* Hic paululum silentii Guilielmo imponam, visurus quid causæ subfuerit, quod in patruos, & Ihsulas, ita peccaverit: nam inde delicti, factive qualitas apparebit. Mitto quòd ab utroque patruo Nothus appelletur, Guilielmus Rex: quod ipse nec vivens, nec moriens inficiari potuit. Illud in Rege enormius videtur, quod Archiepiscopum Rhotomagensem Sede moverit: non quidem imperio suo, quod nullum in sacra fuit: sed quòd, occasione forsan quæsitâ, Romanum Pontificem, ad id compulerit. Quæstio hæc in Annalibus nostris ita à Malmesburiensi solvitur, Guilielmi mentis interprete. Sic ergo ille.

* Constantino.

XV. *Guilielmus penè puer, & maturiore ætate sapiens, patruum suum Malgerium ab Archiepiscopatu Rothomagensi removit. Is erat literis quidem non mediocriter cultus: sed pro natalium conscientiâ, professionis oblitus: venationibus, & avium certaminibus, sæpiùs justo, intendebat: & gazas Ecclesiasticas, conviviis profusioribus insumebat. Cujus rei famâ crebrescente, totâ vitâ pallii usu caruit: quod negaret Sedes Apostolica, honoris hujusce privilegium, homini, qui sacratum negligebat officium. Unde crebrò conventus, expostulante nepote patruelis offensas; cum nihilo reverentius se ageret, cogente ultimâ necessitate, degradatus est. Ferunt quidam, arcanam esse depositionis causam: Mathildem, quam Guilielmus acceperat, proximam sibi sanguine fuisse. Id Christianæ fidei zelo, Malgerium non tulisse: ut consanguineo cubili fruerentur: sed in nepotem, & comparem, excommunicationis jaculum intentasse. Ita cum ira adolescentis, uxoria querela accederent; excogitatas occasiones, quibus persecutor peccati, sede pelleretur. Sed postmodum provectioribus annis, pro expiatione sceleris, illum Sancto Stephano, Cadomi, Monasterium ædificasse: illam Beatæ Trinitati in eodem vico idem fecisse: utroque pro sexu suo personas inhabitantium eligente.* Hæc ille, impediens potiùs, quàm expediens difficultatis nodum. nam

Malmesb. de Regib. l. 3. fo. 159

Cur Malgerium Archiepiscopum privaverit.

si

si Guilielmus consanguineam duxit, si propterea excommunicatus, nec à vinculo illo solutus moritur: majora pœnitentiæ signa dare, moriens debuerat. Sed constat aliunde, Romanum Pontificem, consanguinitatis impedimentum solvisse: & Malgerium si non degradatum propriè, benè saltem meritoque depositum. nam Guilielmus Gemiticensis ita narrat, libro sexto de Ducibus Normannis, capite vigesimo sexto. *VVilielmus Dux, dum à quibusdam religiosis sæpius redargueretur, eò quòd cognatam suam sibi in matrimonium copulasset: missu Legatu, Romanum Papam super hac re consuluit. At ille sagaciter considerans, quòd si divortium fieri juberet forte inter Flandrenses, & Normannos grave bellum exurgeret; maritum & conjugem, à reatu absolvit; eisq; pœnitentiam injunxit. Mandavit enim, ut ab eis duo Cœnobia conderentur; in quibus pro ipsis, ab utroque sexu, Deo sedulo preces offerentur. Quod illi gratanter opere compleverunt. nam apud Cadomum, una constructa est Abbatia in honorem Sanctæ Trinitatis altera verò in honorem Sancti Stephani Protomartyris.* Ita Gemiticensis. nunc re eo ad moribundum Regem, & querulas ejus voces exscribo: pergit ergo Gallorum injurias explicare.

Gemiticen. l. 6. c. 26.

XV. GALLORUM INIURIAS COMMEMORAT.

Henricus, Regali potentiâ fretus, & militari audacia fervidus; hostiumq; meorum derogationibus admodum stimulatus; sæpe visus est, me velut inermem, conculcare, multisq; modis proterere, & indebita mihi jura imponere. Sæpiùs cum ingenti armatorum manu, terram meam ingressus est. Sed nunquam de prædâ, spoliisq; meis, hominumq; meorum capturâ, gavisus est. Cum grandi pompa, minisq; terribilibus, plerumque fines meos intravit. Sed nunquam lætus, nec sine dedecore, ad sua repedavit. Plures secum valentes huc adduxit; quos quia meo meorumq; gladio, proh dolor, perierant, non reduxit. Quondam nimis contra me inflammatus, ingentem exercitum Galliæ, in duas partes divisit Rex Henricus; ut nostros opprimeret fundos geminis irruptionibus. Ipse unam phalangem, in Ebroicensem Diœcesim, ut usque ad Sequanam omnia devastaret, introduxit. Aliamq; Odoni fratri suo, ac Rainaldo de Claro-monte, & duobus Consulibus, Radulfo de Monte-Desiderii, atque VVidoni de Pontivo commendavit: ut per vada Epta, Neustriam citò introirent, Braium, & Calceguum, totumq; Rothomagensem pagum invaderent: ferro & flamma, necne rapinis, usque ad mare penitus devastarent. Hæc itaque compertiens ego, e contra non segnis processi; contra Regis mappalia, per litus Sequanæ, cum meis me semper opposui: & ubicumque conaretur cespitem meum depopulari; armis & ferro, calumniam paravi. Robertum verò Autensium Comitem, & Rogerium de Mortuo-mari, aliosq; milites probatissimos, misi contra Odonem, ejusq; Legionem. Qui dum penes castrum, quod Mortuum-mare dicitur, occurrissent Francis, utriusque partis agminibus paratis, terribile prælium commissum est: & ex utraque parte, multum sanguinis effusum est. utrobique enim bellatores erant strenui, & usque ad mortem cedere nescii. Hinc feriunt Galli, pro cupidine acquirendi. hinc feriunt Normanni spe ferventes evadendi; & se suosq; lares defendendi. Tandem juvante Deo vicere Normanni, & fugere Franci.

XVI.

Hoc itaque bellum trans Sequanam, in hyeme, ante quadragesimam fecere, octavo anno post bellum Vallesdunense. Tunc VVido Pontius Comes captus est: & Odo, cum Rainaldo, aliisq; qui velocitate pedum viguerunt, fugatus est. Rodulfus quoque Comes pariter caperetur: nisi Rogerius princeps militia mea, illi suffragaretur. hominium enim jam-pridem illi fecerat. In tali ergo necessitate, pulchrum illi, & competens servitium impendit dum in castro suo illum triduò protexit, & postea salvum ad sua perduxit. Pro hac offensâ, Rogerium, de Normanniâ ejeci sed paulo post reconciliatus illi, ceterum honorem reddidi. Castrum tamen Mortui-maris, in quo inimicum meum salvavit; illi, jure, ut reor, abstuli, sed Guilielmo de Guarenna, consanguineo ejus, tyroni legitimo dedi. VVidonem vero, Comitem Pontivi, quamdiu placuit, in carcere habui. & post duos annos, hominium ab eo, tali tenore recepi; ut exinde mihi semper fidelis existeret. & militare servitium, ubi jussissem, cum centum militibus, mihi singulis annis exhiberet. Deinde muneribus illum magnis donavi & honoratum cum pace dimisi. Peracto certamine, mox ut certos rumores comperi, per Radulfum de Toenia, quæ trans Sequanam contigerant; Regi Francorum mandavi. Qui iis auditis, ille protinus noctu surrexit & cum exercitu suo velociter aufugit. nec unquam postea, in terra mea pernoctavit. Sic a pueritiâ mea, innumeris pressuris undique impeditus sum. Sed per gratiam Dei, de omnibus honorificè ereptus sum. Invidiosus igitur omnibus vicinis meis factus sum. Sed auxiliante Deo, in quo semper spem meam posui, a nullo superatus sum. Hoc sæpe senserunt Britones & Andegavenses. Hoc astipulantur Franci, atque Flandrenses. Hoc graviter experti sunt, Angli, & Cenomanenses. Gausfredus Martellus, Comes Andegavorum, & Conanus Princeps Britonum, atque Robertus Fresio, satrapa Morinorum, mihi multis machinationibus insidiati sunt. Sed custodiente Deo, licet multum optassent, & plures insidias perstruxissent, nunquam votis compotes effecti sunt. Diadema Regale, quod nullus antecessorum meorum gessit, adeptus sum: quod divinâ solummodo gratiâ, non jus hereditarium contulit. Quantos ultra mare labores, & periculosos conflictus pertulerim, contra Exonios, Cestrenses, & Nordan-humbros: contra Scotos, & Gallos Norveganos, & Dacos, & contra cæteros adversarios, qui conabantur me regno Angliæ spoliare, difficile est enarrare. In quibus omnibus, provenit mihi sors victoriæ. Sed quamvis super hujuscemodi triumphis humana gaudeat aviditas; me tamen intrinsecus pungit, & mordet formidinis anxietas. dum perpendo quod in omnibus his grassata est sæva temeritas.

GUILIELMO DE WARENNA DATUR CASTRUM DE MORTUO MARI.

GUILIELMUS FATETUR SE REGNUM ANGLIÆ, NON IURE HEREDITARIO ADIISSE.

XVII.

Hactenus Guilielmus classicum cecinit, & martia facinora: sed unà recogitavit annos suos, in amaritudine animæ suæ, & Christiana pietate conclusit, Sacerdotum, qui aderant, & religiosorum virorum preces suppliciter poscens, hisce verbis. *Unde vos, ô Sacerdotes, & Ministri Christi suppliciter obsecro, ut orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo; ut peccata, quibus admodum premor, ipse remittat; & per suam infatigabilem clementiam, inter suos me salvum faciat. Thesauros quoque meos jubeo dari Ecclesiis, & pauperibus: ut quæ congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis sanctorum usibus. Debetis enim recolere; quam dulciter vos amavi, & quam fortiter contra omnes æmulos defensavi. Ecclesiam Dei, matrem scilicet nostram, nunquam violavi. sed ubique ut ratio exegit, desideranter honoravi: Ecclesiasticas dignitates non venundedi. Simoniam detestatus semper refutavi. In electione personarum, vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam investigavi: & quantum in me fuit, omnium dignissimo Ecclesiæ regimen*

Ex Fragmento, apud Walsing. sup.

LEGATA REGIS.

commendavi.

commendavi. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco, Cantuariensi Archipræsule. Hoc in Anselmo Beccensium Abbate: hoc in Gerberto Fontanellense & Durando Troarnensi, & in aliis multis regni mei Doctoribus: quorum celebris fama personat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales socios, ad colloquium elegi in horum contubernio veritatem, & sapientiam inveni. Ideóq; semper gaudens optabam eorum consiliis perfrui.

XVIII.

ANSELMUS A MORIENTE REGE ACCERSITUR.

Quinam illi fuerint, quorum contubernio Guilielmus fruebatur, supra paucis innui, cum dixi Lanfrancum in Angliâ, & Anselmum in Normanniâ, sæpè illa sana consilia suggessisse. Et quia nunquam magis consilio opus, quàm ubi rerum summa agitur, & negotiorum omnium terminus instat: ideo moriens Rex, Anselmum è Becco Rothomagum vocat, in propinquæ mortis subsidium. Cæterùm licet Anselmus, tempori adfuerit: Rex tamen uti tempore nescivit. nam paululùm à morbo recreatus; alia dixit, fecitque, quæ minus faciebant ad rationes æternas. & noluit Deus Anselmum adesse, cum prodesse maximè debuisset. quod ita ab Edmero narratur. *VVilhelmus, cum vigesimo primo regni sui anno, infirmitate, qua & mortuus est, detentus apud Rothomagum fuisset. & se meritis, ac intercessionibus Anselmi omnimodis commendare disposuisset eum ad se, de Becco venire; & non longe à se fecit hospitari. Verum cum ei, de salute animæ suæ loqui differret. eo quòd infirmitatem suam paulum levigari sentiret: contigit ipsius Principis corpus, tantâ invaletudine deprimi; ut curia inquietudines nullo sustinere pacto valeret. Transito igitur Sequana, decubuit lecto, in Ermenetrudis villâ; quæ est contra Rothomagum, in altera fluminis parte. Quicquid tum deliciarum Regi infirmo deferebatur: ab eo illarum medietas, Anselmo infirmanti mittebatur. Veruntamen nec eum ampliùs in hac vitâ videre: nec ei ut proposuerat, quicquam de animâ loqui promeruit. Tanta enim infirmitas occupavit utrumque: ut nec Anselmus, ad Regem VVilhelmum: nec VVilhelmus posset pervenire ad Abbatem Anselmum. & quidem VVilhelmus ita mortuus est. non tamen, ut dicitur, inconfessus.*

Edmer. l. 1. fo. 13.

XIX.

QUÆ FECERIT PIETATIS OPERA.

Aderant Regi morienti, è filiis duo; Guilielmus, & Henricus. illos paternis monitis munire, & ad pietatis justitiæque studium accendere; tum exemplo suo; tum hac vale ultimi dictione, conatur; sumpto exordio ab iis, quæ ipse, in Dei, Sanctorumque cultum fecerat: & ait. *Novem Abbatiæ Monachorum, & unâ sanctimonialium; quæ à Patribus meis, in Normannia, fundata sunt; me adjuvante, cum auxilio Dei creverunt. & gloriose multarum augmentis rerum, quæ dedi magnificata sunt. Deinde Ducatûs mei tempore, decem & septem Monachorum, atque sanctimonialium seu Cœnobia constructa sunt. ubi magnum servitium, & plures eleëmosynæ, pro summi Regis amore, quotidie fiunt. Hujusmodi castris munita est Normannia: & in his discunt terrigenæ præliari contra dæmones, & carnis vitia. Horum quippe, aut ego; inspirante Deo, fui conditor, aut fundator; fervidus adjutor, & benevolus incentor. Omnes quoque res, quas in terris, vel aliis redditibus, proceres mei, Deo, & Sanctis ejus dederunt, pro salute spirituali in Neustria, & Angliâ, benigniter concessi. & chartas largitionum, contra omnes æmulos, & infestatores, principali authoritate, gratis confirmavi. Hæc studia sectatus sum à primævo tempore: hæc heredibus meis relinquo tenenda, omni tempore. In his, filii mei, nos jugiter sequimini. ut hic, & in ævum, coram Deo & hominibus honoremini. Hoc præcipuè vos, viscera mea, commoneo: ut bonorum, & sapientum indesinenter inhæreatis sodalitio & eorum in omnibus, si diu gloriosi milites persistere velitis, obediatis imperio. Piorum sophistarum doctrina est, bonum à malo discernere, justitiam omnimodis tenere nequitiamq; omni molimine cavere: infirmis ac pauperibus, ac justis parcere, & subvenire: superbos & iniquos comprimere, ac debellare, & ab infestatione simplicium refrenare: Ecclesiam sanctam devotè frequentare. Divinitatis cultum super omnes divitias amare: & divinæ legi, nocte, dieq;, & in adversis, & prosperis. infatigabiliter obtemperare.*

Ex Fragmen. apud VValsing. fo. 31.

NORMANNIÆ CASTRA.

XX.

GUILIELMI TESTAMENTUM.

Cum hæc ad filios monita recitasset; ad condendum testamentum, & ultimæ voluntatis tabulas, adjecit ista. *Ducatum Normanniæ, antequam in Epitunio Senlac, contra Haraldum certassem, Roberto filio meo concessi: quia primogenitus est, & hominium penè omnium hujus patriæ Baronum jam recepit, concessum honor nequit abstrahi. Sed indubitanter scio; quod vere misera erit regio, quæ subjecta fuerit ejus dominio. superbus enim est, & insipiens nebulo, trucíq; diu plectendus infortunio. Neminem Anglici regni constituo heredem: sed æterno conditori, cujus sum; & in cujus manu sunt omnia, illud commendo. Non enim tantum decus hereditario jure possedi. sed diro conflictu, & multa effusione humani cruoris, perjuro Regi Haraldo abstuli: & interfectis, vel effugatis fautoribus ejus, dominatui meo subegi. Naturales regni filios, plus æquo, exosos habui: nobiles, & vulgares crudeliter vexavi. Injustè multos exhereditavi: innumeros, maximè in pago Eboracensi, fame, seu ferro, mortificavi. Dein enim, & Transhumbranæ gentes exercitum Sueni Danorum Regis contra me susceperunt: & Robertum de Cuminis, cum mille equitibus intra Dunelmum, aliosq; proceres meos, & tirones probatissimos, in diversis locis peremerunt. Vnde immoderato furore commotus, in Boreales Anglos, ut vesanus leo, properavi: Domos eorum ussi; segetesq;, & omnem commeatum, atque supellectilem, confestim incendi; & copiosos armentorum pecudumq; greges passim mactavi. Multitudinem itaque utriusque sexus, tam diræ famis mucrone multavi. Et sic multa millia pulcherrimæ gentis, senum, juvenumq;, proh dolor, funestus trucidavi. Fasces igitur hujus regni, quod cum tot peccatis obtinui; nulli audeo tradere, nisi Deo soli: ne post funus meum, adhuc deteriora fiant, occasione mei. Guilielmum filium meum, qui mihi à primis annis semper inhæsit, & mihi pro posse suo, per omnia libenter obedivit; opto in spiritu Dei, diu valere: & in regni solio, si Dei voluntas est, feliciter fulgere.* Nec plura addidit Guilielmus: missa penitus aliorum filiorum mentione. Unde pergit Author, qui moribundi verba exceperat.

Ex Fragmento, suprà fo. 32.

OPTAT NON CONSTITUIT GUILIELMUM FILIUM, REGNI HEREDEM.

XXI.

Vbi suprà.

Hæc & his similia (inquit) *dum Rex Guilielmus multa dixisset; & stupor assistentes, callidoq; futura dimetientes invasisset. Henricus minor filius, ut nihil sibi de Regalibus gazis dari audivit. mærens cum lacrymis, Regi dixit: Et mihi, pater, quid tribuis? Cui Rex ait: Quinque millia libras argenti, de thesauro meo tibi do. Adhuc Henricus dixit: Quid faciam de thesauro, si locum habitationis non habuero? Cui Pater respondit: Æquanimis esto fili: & confortare in Domino: pacificè patere, ut majores fratres tui præcedant te. Robertus habebit Normanniam, & Guilielmus Angliam: tu autem*

tempore tuo, totum honorem, quem ego nactus sum, habebis: & fratribus tuis, divitiis, & potestate præstabis. His ita dictis, metuens Rex, ne in regno tam diffuso, repentina oriretur turbatio: Epistolam de constituendo Rege fecit Lanfranco Archiepiscopo; suoque sigillo signatam tradidit Guilielmo Rufo, filio suo: jubens, ut in Angliam transfretaret continuò. Deinde osculatus eum, benedixit: & trans pontum, ad suscipiendum diadema properanter direxit. Interea Medici, & Regales Ministri, qui languidum Principem custodiebant; proceresque, qui ad eum visitandi gratia veniebant; cœperunt pro vinctis, quos in carcere tenebat, eum affari: ac ut misereretur eis, & relaxaret, suppliciter deprecari. Quibus ipse ait: Morcarum, nobilem Anglorum Comitem jam diu vinctum tenui, & injustè. Sed pro timore, ne per eum, si liber fuisset, turbaretur regnum Angliæ. Rogerum verò de Britolio; quia valde contumaciter contra me insanivit; & Rodolfum de Guader, socerum suum, & multos alios, in me, provocavit; in vinculis arctavi: & quod in vitâ meâ, non egrederetur, juravi. Sic multos vinculis inieci, ex merito propriæ perversitatis; aliosque plures, pro metu futuræ seditionis. Hoc enim censura rectitudinis exigit: & divina lex, per Moysen, Rectoribus orbis præcipit: ut comprimantur nocentes, ne perimant innocentes. Nunc autem in articulo mortis positus; sicut opto salvari; & per nutum Dei, à reatibus meis absolvi; sic omnes mox jubeo carceres aperiri: omnesque vinctos, præter fratrem meum, Bajocensem Episcopum, relaxari; liberosque, pro amore Dei, ut ipse mihi misereatur, dimitti. Nexi tamen tali tenore de carcere procedant; ut antea jurejurando securitatem Reip. Ministris faciant. pacemque, in Angliâ, & Normanniâ, omnibus modis teneant: & pacis adversariis pro posse suo viriliter resistant.

Morcarus et alii vincti, è carcere liberantur.

Odo Baiocensis in vinculis detineri jubetur.

XXII. Hic stupere omnes, & pro Odone advocare cœperunt; quem moribundus Rex tam rigidâ sententiâ, ad æternos carceres condemnaret. Imprimis Robertus, Moritolii Comes, Odonis frater (utrumque Herluinus, & Herletta genuerant) intercessit; & iisdem precibus, ipse, aliique, pro Odone liberando decertarunt. Quid inde sequutum narret Author fragmenti. *Cumque multi obnixè, pro Bajocensi Præsule orarent: tantorum supplicatione fatigatus Rex ait: Miror, quod prudenter non indagatis qui vel qualis est vir, pro quo supplicatis? Nonne pro tali viro petitis, qui jam diu contemptor extitit religionis, & argutor incentor letifera seditionis. Nonne hunc jam coercui quatuor annis Episcopum, qui debuerat esse justissimus Rector Anglorum; & factus est pessimus oppressor populorum, & Monachilium destructor Cœnobiorum? Seditiosum liberando malefacitis, & vobismetipsis ingens detrimentum quæritis. Evidenter patet, quod Odo frater meus, levis est, & ambitiosus; carnis inhærens desideriis, & immensis crudelitatibus: & nunquam mutabitur à lenociniis, & noxiis vanitatibus. Hoc perspicuè, in pluribus expertus sum: ideoque constrinxi eum; non Antistitem, sed tyrannum. absque dubio si evaserit, totam regionem turbabit, & multis millibus perniciem subministrabit. Hæc non ex odio, ut hostis, profero: sed ut pater patriæ, plebi Christianæ provideo. Si enim castè & modestè se haberet, sicut Sacerdotem, & Dei Ministrum ubique condecet; cordi meo major quam possim referre, lætitia inesset. Spondentibus cunctis emendationem Pontificis, Rex iterum ait. Velim, nolim, vestra fiet petitio: quia me defuncto, vehemens subitò fiet rerum mutatio. Invitus concedo, ut frater meus de carcere liberetur; sed scitote, quia multis per eum mors, seu grave impedimentum incutietur. Baldrico autem Nicolai filio; quia servitium meum insipienter reliquit. & sine meâ licentiâ, in Hispaniam abiit; totam terram suam pro castigatione abstuli. sed nunc illi reddo, pro amore Dei. Illo melior in armis tyro, reor, non invenitur. Sed prodigus, & levis est, ac per diversa vagatur.*

Fragmentum ubi suprà.

XXIII. Collegi hactenus omnia morientis verba; quia, quis ille fuerit: qua fide in Deum: quo amore in Ecclesiam; quo genio in Remp. inde luculenter ostenditur. Et licet ubique militem, & martia spiret: quibus à puero innutritus fuerat; orthodoxæ tamen religionis Principem fuisse nemo inficiabitur. quod tunc demum enituit; cum mortis hora, quæ virum maximè probat, advenit. de quo sic pergit Author: *Denique quinto Idus Septembris, feriâ quintâ, jam Phœbo, per Orbem, spargente clara radiorum spicula; excitus Rex sonum majoris signi audivit in Metropolitana Basilicâ. Percunctante eo, quid sonaret: responderunt Ministri. Domine, hora prima jam pulsatur, in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ. Tunc Rex cum summâ devotione oculos ad cælum erexit; & sursum manibus extensis dixit. DOMINÆ MEÆ SANCTÆ DEI GENITRICI MARIÆ, ME COMMENDO: ut ipsa suis sanctis precibus me reconciliet charissimo filio suo, Domino nostro IESV CHRISTO. & his dictis protinus expiravit.* Iis tamen priùs munitus est Sacramentis, quibus à Christo passo Christianos muniri solitos diximus. quæ suprà Malmesburiensis expressit cum dixit: *Resumpto animo; quæ Christiani sunt, executus est, in Confessione & Viatico.* quod Wigorniensis, & Hovedenus ita efferunt: *Cælesti munitus Viatico, postquam viginti annis, mensibus decem, & viginti octo diebus, genti Anglorum præfuit: quinto Iduum Septembris die, regnum cum vitâ perdidit: & Cadomi in Ecclesiâ S. Stephani Protomartyris, quam ipse à fundamentis extruxerat, bonisque ditaverat, sepultus requiescit.* Verùm quæ sepulturam ejus præcesserint, videamus; & una divinæ Justitiæ argumenta.

Qualis fuerit Guilelmus Rex.

Author Fragmenti fo. 23.

Commendat se Deiparæ Virgini.

V. hic n. 8.

XXIV. Magni Regis sortem Edmerus miseretur: sed Deus est, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Sic ergo Author ille. *Qui autem Regio funeri interfuerint. quave pompa corpus ejus Cadomum delatum sit. quamque liberâ, imo quam servili calumniâ, in Ecclesiâ S. Stephani sepultum sit. & dicto lugendum, & auditu fatentur esse miserandum. Quæ enim conditio sortis humanæ, non moveat ad pietatem; cum auditum fuerit Regem istum; qui tanta potentia, in vitâ suâ, extitit; ut in totâ Angliâ, in totâ Normanniâ, in tota Cenomannensi patriâ; nemo contra impetum ejus, manum movere auderet: mox, ut in terram spiritum exhalaturus, positus est: ab omni homine, sicut accepimus; uno solo duntaxat serviente excepto, derelictum cadaver ejus, sine omni pompâ, per Sequanam, naucellâ delatum. & cum sepeliri deberet; ipsam terram sepulturæ illius, à quodam rustico calumniatam: qui eam hereditario jure reclamans conquestus est; illam sibi jam olim, ab eodem, injuriâ fuisse ablatam.* Hæc gravissimi Authoris querimonia, monet paulò accuratiùs inspiciendum: quid, cui, quorsum, Guilelmo mortuo, communia morientium obsequia, defuerint. quod è fragmento Cadomensis Monasterii sic describitur.

Misera mortui Regis conditio deploratur.

Edmer. l. 1. fo. 13.

XXV. *Archiatri, & cæteri præsentes qui Regem sine*

QUID FACTUM CIRCA FUNUS REGIUM.

gemitu, & clamore quiescentem, tota nocte servaverunt: & nunc exasperato, sic eum mox migrasse viderunt: vehementer attoniti, & velut amentes effecti sunt. Porro ditiores ex his, illicò ascensis equis recesserunt: & ad sua tuenda properaverunt. Inferiores verò clientuli, ut magistros sic se subduxisse prospexerunt: arma, vasa, vestes, & linteamina, omnemq; regiam supellectilem, rapuerunt: & relicto Regis cadavere, penè nudo, in areâ domus, aufugerunt. Cernite precor omnes qualis est mundana fides. unusquisque quod potuit, de apparatu regio; ut milvus, rapuit: & confestim cum prædâ suâ aufugit. O secularis pompa, quam despicabilis es! quàm nimis vana & labilis es. Rectè pluvialibus bullis æquanda diceris: quæ in momento valde turgida erigeris, subitoq; in nihilum redigeris. Ecce potentissimus heros; cui nuper, plus quàm centum millia militum serviebant avide: & quem multæ gentes, cum tremore metuebant: nunc a suis turpiter, in domo non sua, spoliatus est: & à primâ usque ad tertiam, supra nudam humum derelictus est. Cives enim Rothomagenses, audito lapsu Principis, valde territi sunt: & penè omnes velut ebrii desipuerunt; ac si multitudinem hostium imminere urbi vidissent, turbati sunt. unusquisque de loco, ubi erat, recessit: & quid ageret, a conjuge, vel obvio sodali, vel amico, consilium quæsivit. Res suas quisque aut transmutavit, aut transmutare decrevit. pavidusq;, ne invenirentur, abscondit. Religiosi tamen viri, Clerici, & Monachi, collectis viribus, & intimis sensibus, processionem ordinaverunt; honestè induti cum crucibus, & thuribulis, ad Sanctum Gervasium processerunt: & animam Regis, secundum morem sanctæ Christianitatis, Deo commendaverunt.

RELIGIOSI MORTUUM NON RELINQUUNT.

Tum Guilielmus Archiepiscopus jussit, ut corpus ejus Cadomum deferretur: ibique in Basilicâ Sancti Stephani Protomartyris, quam ipse condiderat, tumularetur. Verum fratres ejus, & cognati, jam ab eo recesserant: & omnes Ministri ejus eum ut barbarum, nequiter deseruerant. Unde nec unus de satellitibus regis est inventus, qui curaret de exequiis corporis ipsius. Tunc Herluinus quidam, pagensis eques, naturali bonitate compunctus est: & curam exequiarum, pro amore Dei, & honore gentis suæ, viriliter amplexatus est. Pollinctores itaque, & vespiliones, ac vehiculum, mercede de propriis sumptibus conduxit: cadaver Regis, ad portum Sequanæ devexit: impositumq; navi, usque Cadomum, per aquam & aridam, perduxit. Tum Dominus Gislebertus Abbas, cum conventu Monachorum venerantèr obviam feretro processit: quibus flens, & orans, multitudo Clericorum & Laicorum adhæsit. Sed mox sinistra fortuna, omnibus pariter maximum terrorem propinavit. nam enorme incendium de quadam domo protinus erupit; & immensos flammarum globos eructavit: magnamq; partem Cadomensis Burgi damnosè invasit. Omnes igitur ad ignem comprimendum, Clerici, cum Laicis cucurrerunt. Soli verò Monachi cœptum officium compleverunt: & Regis corpus, ad Cœnobialem Basilicam psallentes perduxerunt. Prosequitur Author enumerare Præsules, & Abbates, qui funeri tandem adfuerunt, & Ebroicensis Episcopi, Missâ finitâ, orationem funebrem: quam ita conclusit: *Quia nullus mortalis*, inquit, *potest in hac vitâ, sine peccato vivere in charitate Dei, vos omnes precamur; pro defuncto Principe, propter illum, apud omnipotentem Deum studeatis intercedere, eiq; si quid in vobis deliquit, benigniter dimittere.*

XXVI. CORPUS CADOMUM DEFERTUR.

ORATUR PRO MORTUO.

XXVII. ASCELINI INTERCESSIO ET CONTESTATIO.

Tunc Ascelinus, Arthuri filius, de turbâ surrexit: & voce magna querimoniam hujusmodi, cunctis audientibus edidit. Hæc terra, ubi consistitis, area domus patris mei fuit: quam vir iste, pro quo rogatis; dum adhuc esset Comes Normanniæ, patri meo violenter abstulit: omniq; denegatâ rectitudine, istam ædem potenter fundavit. Hanc igitur terram calumnior, & palam reclamo: & ne corpus raptoris operiatur cespite meo, nec in hereditate mea sepeliatur; ex parte Dei prohibeo. Hoc ut Episcopi, & proceres alii audierunt: & vicinos ejus, qui eundem vera dixisse contestabantur, intellexerunt: hominem accersierunt. omniq; remotâ violentiâ, precibus blandis lenierunt, & pacem cum eo fecerunt. nam pro loculo solius sepulturæ, sexaginta solidos ei protinus adhibuerunt. Pro reliquâ verò tellure, quam calumniabatur, æquipollens mutuum ei promiserunt; & post non multum temporis, pro salute specialis heri, quem diligebant, pactum compleverunt. Porro dum corpus in sarcophagum mitteretur; & violenter, quia vas per imprudentiam cæmentariorum breve structum erat, complicaretur: pinguissimus venter crepuit, & intolerabilis fœtor, circumstantes personas, & reliquum vulgus implevit. fumus thuris, aliorumq; aromatum de thuribulis, copiosè ascendebat: sed teterrimum putorem excludere non prævalebat. Sacerdotes itaque festinabant exequias perficere, & actutum sua cum pavore mappalia repetere.

XXVIII.

Hæc fusiùs dedi, quia Baronius, horum pleraque, suis digna Annalibus duxit: sed & plura ex eodem Authore subdit, quæ omitto: & solum cum Regio Propheta clamo: *Et nunc Reges intelligite; erudimini, hoc exemplo, qui judicatis terram. servite Domino in timore: ne quando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Multa in Guilielmo Rege notantur, æternâ memoriâ, & laude digna: qui difficillimo tempore, & in varia rerum vicissitudine, Deo tamen fideique constanter inhæsit. & licet effreni interdum & militari impetu, susque deque ferretur: conscientiæ tamen moderatores, placidè, devotè, & reverenter audiebat. Anglorum quidem gentem, plùs æquo exosus; crimen tamen agnovit, illud pœnitentiâ conatus expiare. *Præter cæteras virtutes ejus* (inquit, Malmesburiensis) *præcipuè in primâ adolescentiâ, castitatem suspexit: in tantum, ut publicè fereretur, nihil illum in fœminâ posse. Veruntamen ex procerum sententiâ, matrimonio addictus; ita se egit; ut pluribus annis, nullius probri suspicione notaretur.* Mathildem conjugem casto amore prosecutus; argumentum est, vagis amoribus obnoxium non fuisse. & licet illa materna viscera Roberto filio aperiret, præter mentem Guilielmi. *Verum* (inquit idem Author) *propter hoc nihil conjugalis gratiæ diminutum, ipse* (Guilielmus) *ostendit: dum quatuor annis ante se defunctam, & magnificentissimis inferiis extulit: & lacrymis per multos dies uberrimis prosecutus, amissa charitatem desideraverit: quin ex eo tempore; si credimus; ab omni voluptate descivit.*

Psal. 2. v. 10.

GUILIELMI LAUS.

Malm. de Regib. l. 3 fo. 110.

ET CASTITAS EIUS.

Idem, suprà

XXIX. EIUS PIETAS.

Quod attinet ad pietatis opera; quantumvis bello frequentissimè & seditiosis tumultibus impetitus; solenne tamen habuit, quotidiano Missæ sacrificio interesse, quod magnum componendæ utriusque Reip. auctoramentum est. In sacra quidem nihil præter Lanfranci mentem, arbitriumque fieri voluit. unde Romanorum Pontificum scita, quæ simoniam, sacrilegiumque damnabant, Anglia servavit integerrimè.

testatur hæc omnia Malmesb. ita de eo scribens. *Imprimis Dei famulis humilis, subjectis facilis, in rebelles inexorabilis erat. Religionem Christianam, quantum secularis poterat, ita frequentabat, ut quotidie Missæ assisteret, vespertinos & matutinos hymnos audiret: Monasterium unum in angliâ, alterum in Normanniâ construxit. Non tunc Episcoporum ambitus, non tunc Abbatiarum venalitas proficiebat. Ille majoris gloria, amplioris gratia, apud Regem, & Archiepiscopum erat, qui tenacioris sanctitudinis opinionem habebat.* Hæc enimvero sunt Regiæ majestatis ornamenta maxima. Unde religiosi viri, & optimus quisque Guilielmum mortuum imprimis planxerunt. præscii, opinor, eo amoto, successuram progeniem vitiosiorem. Hinc Petrus Cluniacensis Abbas, intellecto Regem obiisse; Adelam ejus filiam (quæ mortuo Stephano Blesensium Comite, vidua, in Marcenniaco Cœnobio Deo famulabatur) his literis consolatur; & ferè confirmat omnia, quæ de funere retulimus.

Malmesb. l. 3. de Reg. fo. 109.

ADELA VIDUA MONIALIS.

Venerabili, & charissimæ sorori nostræ, Domnæ ADELÆ Frater PETRUS humilis Abbas Cluniacensium. Salutem, & omnem à Domino benedictionem.

XXX. *Petrus l. 1. Epistolarum Epist. 15.*

PETRI EPISTOLA AD ADELAM GUILIELMI FILIAM.

„ QUONIAM de obitu semper dilecti nostri „ Domini Regis Anglorum nihil adhuc di- „ lectioni vestræ mandavimus; causa hæc fuit. „ Quoniam & multus mœror, quo nondum nos „ expedire possumus, hoc prohibuit: & tantæ „ calamitatis nos primos relatores esse, non im- „ meritò piguit. Verùm quia si quid scimus, „ vos scire placuit: noveritis nihil nos adhuc „ aliud noscere potuisse: quàm per octo dies, „ in quadam villâ, juxta Rothomagum, lecto „ eum decubuisse: Domnum Rothomagensium „ Archiepiscopum, & assiduè adhæsisse: muni- „ rum ab eo omnibus Sacramentis Ecclesiasticis, „ in optimâ pœnitentiâ, & fideli confessione, „ quarto Nonas Decembris, de seculo mi- „ grasse. Corpus ejus sicut disposuerat, Rotho- „ magum delatum; & inde à Roberto Comite, „ filio suo, apud Radingas tumulandum, An- „ gliam versus deportatum est. Normannia to- „ ta civilibus, & externis jam bellis fremit. De „ statu regni transmarini nihil adhuc certi audi- „ vimus. nam qui nobis hæc retulerunt, citissi- „ mè à Normanniâ aufugerunt. Misimus jam „ cursores duos: unum Domno Rothamagensi: „ alium Domno Wintoniensi: qui festinanter, „ quicquid de eis, & ab eis cognoverint, nobis „ in proximo renuntient. Pro Regis defuncti „ æternâ salute tanta constituimus, quanta nun- „ quam pro alio Cluniaci constituta sunt. Quid „ vos pro eo agere debeatis, superfluum est, ut „ nobis videtur, mandare. Hæc ille.

XXXI. Cæterùm, falsus est, qui Petro dixit Guilielmum in Decembri mortuum: nam longè certius est, mortem, vel in quinto Idus Septembris, ut Author fragmenti suprà, ut Wigorniensis, ut Westmonasteriensis, & Hovedenus affirmant: vel in octavo Idus Septembris, ut Malmesburiensis, & Parisiensis scripserunt. Adde qui dixit, mortui corpus, Rothomago in Angliam deportatum esse, sine dubio malè suggessit. nam Rothomagi inventa sunt ossa ejus in sarcophago, sub annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum secundum: cum æneâ laminâ deauratâ, cui sequentes versus inerant: & rectius opinor tempus mortis.

UBI SEPULTUS.

Qui rexit rigidos Normannos; atque Britannos
Audacter vicit, fortiter obtinuit.
Et Cenomenses virtute coërcuit enses:
Imperiiq; sui legibus applicuit
Rex magnus, parvâ jacet hic Guilielmus in urnâ:
Sufficit & magno parva domus Domino
Ter septem gradibus se volverat, atque duobus
Virginis in gremio Phœbus: & hic obiit.

EIUS EPITAPHIUM.

Iterum anno 1562. cum sectarii in Franciâ, nobilissimum regnum, vesano impetu, infestarent: & Ecclesiæ Rothomagi, eorum iras expertæ, vexarentur. Exhumata sunt Guilielmi ossa, & foras projecta, nunquam Angliam inviserunt. nec ullum ab Anglis cultum, à morte, habuit: licet in Gallicani Martyrologii supplemento, Pridie Idus Octobris, hæc legantur. *In Normannia, Sancti Guilielmi, Comitis illius provinciæ, & Angliæ Regis.*

CORPUS EXHUMATUM.

Martyr. Gallican. in Supplemento pridie Idus Oct. b.

Hæc satis, de Guilielmo patre: de filiis nunc dicendum, regniique successore: quem moriens Rex, aut omninò non elegit, aut timidè satis, filium sibi cognominem. Cui obsignatas ad Lanfrancum literas tradidit, suæ, in ea re, mentis interpretes. Quænam illæ fuerint, aut quid in substantiâ portenderint, necdum inveni. Conjectura est: propensum morientis affectum, in Guilielmum filium indicasse: eique regni coronam; si Lanfrancus ita judicaret, assignandam. Guilielmus acceptis literis: non expectatâ parentis morte, in Angliam properat. *Qui mox ad portum, qui Witsand dicitur, pervenit: ibique jam patrem audivit obiisse.* (inquit Author Fragmenti, & pergit) *Henricus autem festinavit, denominatam sibi pecuniam recipere diligenter: ne quid sibi deesset ponderare: necessariosq; sodales, in quibus confideret, advocare; munitumq; gazophilacium sibi procurare.* Hoc erat filiorum studium, dum mortui corpus, animamque, soli Monachi componerent. Lanfrancus, cum resignatis literis, Guilielmi mortem, ejusque de successore arbitrium, in suâ manu esse intellexit: ingemuit scilicet: gnarus periculi plenissimum esse, & litium fore æternum seminarium: misso primogenito, juniorem adlegere. Non ergo mirum; Edmerum scripsisse: *Quantus autem mæror Lanfrancum, ex morte ejus perculerit; quis dicere possit? quando nos qui circa illum, nuntiata morte ejus eramus; statim eum, præ cordis angustiâ, mori timeremus.* Vidit enim oculatus vir, nec coronam Guilielmo negari posse. paternis literis, & benedictione munito: nec coronam ejus capiti bene, & cum dignitate, sessuram. Adde Normannorum pars maxima. pro Roberto stare videbatur: qui Normanniæ Ducatu, & Cenomanensi provinciâ auctus, in patris victorias succedere, & Angliæ regno potiri, haud difficulter poterat.

XXXII. QUIS SUCCESSERIT?

Fragment. fo. 32.

CORONA IN LANFRANCI ARBITRIO.

Edmer. Lr. fo. 13.

GUILIELMUS II. ANGLORUM REX.

XXXIII. Lanfrancus tamen, visis ultimæ voluntatis tabulis: & Guilielmi junioris obsequiis, promissisque delinitus: in eum, quem à pueritiâ rexerat, ferebatur. Quamobrem procerum quorundam, & Episcoporum consensu; ipsum multa urgentem, & plura promittentem, in Regem consecravit vigesimo septimo Septembris, hoc

GUILIELMUS RUFUS CONSECRATUR REX, A LANFRANCO.

Walſing. in hypodigmate l. 7. c. 4.

Edmer. l. 1. fo. 13.

eſt, paucis à parentis obitu, diebus. De quo Walſingamus in hypodigmate Neuſtriæ. *Rege Anglorum, Wilhelmo* (inquit) *rebus humanis ſubtracto, Wilhelmus filius ejus, quàm citius potuit, apud Tolcam mari tranſito, ſuſceptus eſt ab Anglis, & Francis, unctuſq́, eſt in Regem à Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi, ejuſq́, Suffraganeis, Londoniæ, apud Weſtmonaſterium.* Cauſa feſtinationis, ab Edmero proditur, qui ita ſcribit. *Defuncto Rege Wilhelmo, ſucceſſit ei in regnum Wilhelmus filius ejus: qui cum regni faſtidia fratri ſuo Roberto præripere geſtiret: & Lanfrancum, ſine cujus aſſenſu, in regnum aſciſci nullatenus poterat, ſibi in hoc, ad expletionem deſiderii ſui, non omnino conſentaneum inveniret: verens ne dilatio ſua conſecrationis, inferret ei diſpendium cupiti honoris: cœpit tam per ſe, quàm per omnes quos poterat, fide, Sacramentoq́, Lanfranco promittere juſtitiam, æquitatem, & miſericordiam ſe per totum regnum, ſi Rex foret, in omni negotio ſervaturum. Pacem, libertatem, ſecuritatem Eccleſiarum, contra omnes defenſurum: necne præceptis, atque conſiliis ejus, per omnia, & in omnibus obtemperaturum.* Hac fide datâ (ſed minimè ſervatâ) à Lanfranco, ut dictum, conſecratus, & unctus eſt.

XXXIV. ROBERTUS NORMANNIÆ DUCATUM OCCUPAT: ET IN ANGLIÆ REGNUM ASPIRAT.

Gemiticen. l. 7. c. 2.

Robertus interim major natu frater, in Galliis morabatur, cum parens decumberet: & Normannorum finibus imminens, prædas agebat: cum intellecto Regis funere, timens, proſpera ſibi omnia, & Angliam, Normanniamque ſibi ceſſuram, ſine controverſiâ, ſomniavit. Sed admodum falſus eſt: nam corona Regio vertici ſemel impoſita, difficulter avellitur: præſertim cum Eccleſiaſticâ manu, & fauſtâ precatione figitur. Quid factum à Roberto, Gemiticenſis ita narrat. *Cum igitur in Pontino apud Abbatiſcillam, Robertus cum ſuis ſimilibus juvenibus, filiis ſcilicet ſatraparum Normanniæ: qui ei quaſi ſuo Domino futuro ſpecietenus obſequebantur; re autem verâ, novarum rerum cupiditate illecti, moraretur: & Ducatum Normanniæ, maximè in margine, excurſionibus, & rapinis, demoliretur: audito nuncio exceſſus patris, confeſtim veniens Rothomagum: ipſam civitatem, & totum Ducatum, ſine ullâ contradictione ſuſcepit. Cumque ſui fideles eum exhortarentur; ut regnum Angliæ, ſibi à fratre præreptum, velocius armis ſibimet reſtitueret: ſimplicitate ſolitâ; & ut ita dicam, imprudentiæ proximâ, reſpondiſſe fertur. Per Angelos Dei, ſi ego eſſem in Alexandriâ, expectarent me Angli: nec ante adventum meum, Regem ſibi facere auderent. Ipſe etiam Guilielmus frater meus, quod eum præſumpſiſſe dicitis, pro capite ſuo, ſine meâ permiſſione, minimè attentaret. Hæc primò dicebat: ſed poſtquam rei geſtæ ordinem reſcivit: non minima diſcordia, inter ſe, & fratrem ſuum Wilhelmum emerſit.* de quo nos anno ſequenti.

XXXV. EPISCOPI QUI REGIÆ CONSECRATIONI ADFUERUNT.

Weſtmonaſt. anno 1088.

Interim Guilielmus, qui è pilorum colore, cognominatur Rufus, Angliæ Rex acclamatur: Odone, Baiocenſi Epiſcopo, & patruo, ſolennem regiæ conſecrationis cæremoniam approbante. Illum Guilielmus, è Normanniâ, ubi jam quadriennio captivus tenebatur, vinculis ſolutum, in Angliam ſecum duxerat. ut & alios, quos Guilielmi morientis ſententia abſolverat. Horum potiſſimùm, & Epiſcoporum adminiculo, regnum obtinuit. Cæterùm qui coronationi adfuerunt, à Weſtmonaſterienſi enumerantur in hunc modum. *Coronatus eſt* (inquit) *Londoniis novus Rex, Guilielmus, dictus, & exiſtens Rufus. Affuerunt autem Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui eum conſecraverat in Regem: & Thomas, Eboracenſis; & Mauritius, Londonienſis; & Walkelmus, Wintonienſis: & Galfridus, Ciceſtrenſis: & Vluothus, Wigornienſis; & Guilielmus, Theodferdenſis; & Robertus, Ceſtriæ; & Guilielmus Dunelmenſis, Epiſcopi: & Odo Baiocenſis, Juſtitiarius totius Angliæ, & Remigius Epiſcopus Lincolnienſis.* Hæc ille. Libenter colligo Epiſcoporum nomina, & obſervo in iis Authorum diſſidia. Pro Ulnotho Wigornienſi, reponendus indubiè Wulſtanus, adhuc ſuperſtes: & Galfridus Ciceſtrenſis, ab aliis communiter Guilielmus dicitur, qui Srigando ſucceſſit, ut ſupra. ita enim à Malmeſburienſi, ita à Wigornienſi, ita demum à Godwino appellatur: qui tamen, in Catalogo, corrigendus eſt; cum Robertum Ceſtrenſem conſecratum dicit anno Chriſti milleſimo octogeſimo octavo. nam illum potiùs conſecratum dixerim, cum Pariſienſi, ſub finem anni milleſimi octogeſimi ſexti, ſed fortè in Weſtmonaſterienſi legi debet non *Galfridus Ciceſtrenſis*: ſed *Galfridus Conſtantienſis Epiſcopus.* nam ille ſequenti anno nominabitur, in Regem murmurans. corrigendus etiam Huntindonius, qui Galfridum hunc vocat Exonienſem Epiſcopum. cum nullus eo nomine ibi ſederit: & Oſbernus conſecratus anno 1072. adhuc ſuperſit. V. hic n. 4.

XXXVI.

Paris hic.

Aderant Guilielmo, etiam provincialium vota, qui ejus largitionibus capti, munificum ſibi Regem pollicebantur. Cum enim juvenis, ingenti deſiderio coronam ambiret; vidit non aliâ melius viâ, quàm per aureos & argenteos gradus, ad ſummum illud majeſtatis faſtigium, aſcendendum eſſe. de quo ita Pariſienſis. *Porro Wilhelmus, in Angliâ, in pecuniâ diſpergendâ, neque ſegnis, neque parcus; omnem * theſaurum patris, Wintoniæ accumulatum, in lucem proferens; † Monaſteriis aurum, Eccleſiis Parochianis argenti ſolidos quinque: unicuique provinciæ libras centum, egenis dividendas, miſericorditer aſſignavit. Patris etiam ſepulturam, proceſſu temporis, ingenti congerie auri & argenti, cum ſplendore gemmarum perſpicuè adornavit. Et his ita geſtis, mox Wilhelmus volentibus omnium provincialium animis, in Regem acceptus, totam Angliam pro ſuo libitu ſubjugavit; & claves theſaurorum ubique locorum obtinuit. Ad quod non parvum adminiculum Lanfrancus attulit: eò quod illum nutriverat, & militem fecerat, patre adhuc vivente. Hoc igitur Authore, in die Sanctorum Martyrum Coſmæ, & Damiani, Angliæ diadema adeptus, reliquum hyemis tempus pacatè tranſegit.* Sub idem tempus, Robertus quoque piè parentavit Regi mortuo: cum, Hovedeno teſte: *Theſauros quos in Normanniâ invenerat, Monaſteriis, Eccleſiis, pauperibus, pro animâ Patris ſui largiter diviſit: & Vlfum, Haroldi quondam Anglorum Regis filium, Dunecaldumq́, filium Malcolmi Regis Scotorum, à cuſtodiâ laxatos, & armis militaribus honoratos, abire permiſit.*

* Huntindonius ait in theſauro illo fuiſſe *60 mille libras argenti, excepto auro, & gemmis, & vaſis, & palliis.* V. fo. 37.

† GUILIELMUS RUFUS THESAUROS PATRIS DISTRIBUIT MONASTERIIS, &c.

Hoved in Guilielmo II. princip.

ANNUS CHRISTI 1088.
URBANI II. PAPÆ 1.
GUILIELMI II. REGIS 2.

I. VICTOR PAPA MORITUR. URBANUS SUCCEDIT.

SEQUITUR Christi annus millesimus octogesimus octavus: quo, mortuo Victore, in ejus locum, magno orthodoxorum Episcoporum consensu, Urbanus substituitur, eo nómine secundus: cum priùs Otto, è Cluniacensi Monacho, Ostiensis Episcopus vocaretur. Sedebat adhuc in cathedrâ pestilentiæ Wibertus, qui inconsutilem Christi tunicam, pudendo schismate, fregerat: & Italiæ, Germaniæ, Galliæque fæces, in factionem traxerat. Quid interim Anglia? Non illa magis Oceani fluctibus, quàm hac rerum tempestate jactatur. Cavebant Reges, ne quis inconsultâ majestate suâ, majestatem in altero agnoscerent. Lanfrancus, & alii è Clero principes; sutoris hoc esse, ultra crepidam, sciebant. super eo tamen cum Regibus contendere noluerunt. Illi tamen integrè summisseque & Gregorium septimum, & tertium Victorem, legitimum Petri successorem, agnoverant: & nunc concordi sensu, tacitoque suffragio, in Urbanum eunt: permissu, necdum expresso, ut videtur, assensu Regis, qui de regno & coronâ solicitus, flocci alia faciebat. Lanfrancus, sub utroque Guilielmo, hunc solœcismum dissimulat; quia neutrum, aut Victori, Urbanóve offensum, aut Wiberto faventem sciebat. & ipse ita Ecclesiarum rebus incumbebat, fidei, morumque puritati; ut ad superius subsellium appellare non fuerit necessum: tam seniore, quàm juniore Rege, ejus ferè imperio parentibus.

ANGLIA URBANUM TACITE SUSCIPIT.

II. ODO BAIOCENSIS TURBARUM AUTHOR.

Interim in alterâ Rep. turbæ nascuntur, & iræ immortales; fremunt proceres, & Normanna imprimis nobilitas; minorem natu fratrem, majori in rerum regnique divisione præponi, cum natalium injuriâ. Nec exæstuantis animi impetum, adeo religiosum, & reverendum fuisse: ut à morte juris, legísve vires obtineat: in antiqui juris, ordinisque naturæ præjudicium. Turbarum initia, ab Odone fuerunt Baiocensi Episcopo: quem Guilielmus, è Normanniâ, in Angliam conduxerat; restituto illi Cantii Comitatu: sed vir ingentis animi, & quondam totius Insulæ administrationi præpositus; ægrè ferebat, sub juniore nepote premi: regnique curam commendari alteri. In Lanfrancum imprimis Odonis ira ferebatur: cujus consilio quadriennem captivitatem tribuebat: & necdum se liberum credebat; quamdiu ille Cantuariæ sedens, summa rerum poteretur. fovent hæc discordiæ semina, procerum plurimi, Roberti facilem indolem probantium: potiùs, quàm rude junioris ingenium. Hinc belli seges, quæ totum hunc annum tenuit. Nec opus Lectorem rerum narratione fatigare, cum Malmesburiensis præcesserit: qui fideliter rem gestam ita narrat.

III. Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 120.

Exactâ hyeme, mox in initio veris primus Guilielmi conflictus, contra Odonem, patruum, Episcopum Baiocensem fuit. Namque cum ille, solutus à vinculis, Robertum nepotem in Comitatu Normanniæ confirmasset: Angliam venit: recepitq; à Rege Comitatum Cantiæ. Sed cum omnia, non suo arbitratu (ut olim) in regno disponi videret. Nam Willielmo Dunelmensi Episcopo commendata erat rerum publicarum administratio: livore ictus, & ipse à Rege descivit: & multos eodem susurro infecit. Roberto regnum competere, qui sit & remissioris animi: & juveniles stultitias, multis jam laboribus decoxerit. Hunc delicatè nutritum, animi ferociâ, quam vultus ipse demonstret, præsumidum; omnia contra fas, & jus ausurum: Brevi futurum; ut honores jamdudum plurimis sudoribus partos amittant. Nihil actum more patris; si quos ille vinxerit, iste trucidet. Hæc ipse: hæc Rogerius de Monte-Gomerico: hæc Galfridus Constantiensis Episcopus, cum nepote Roberto, Comite Humbrensium: & cum reliquis primò clam fremebant: post etiam palam, per veredarios missis Epistolis, frequentabant. Quin etiam Guilielmus Dunelmensis Episcopus, quem Rex à secretis habuerat, in eorum perfidiam concesserat. Quod graviter tulisse Regem ferunt: quia cum amissa charitatis dispendio, remotarum provinciarum frustrabatur compendio. Itaque Odo prædam omnem Rovecestriam comportabat: regios fiscos in Cantiâ devastans: maximè terras Archiepiscopi: immortale in eum odium anhelans: quod ejus consilio, a fratre, se in vincula conjectum asserebat: sed nec fides verborum vacillabat: nam cum olim, Wilhelmus senior, apud Lanfrancum quereretur se à fratre deseri: Tu, inquit, prende eum, & vinci. Et quid (inquit ille) quia Clericus est? Tunc Archiepiscopus lepida hilaritate (ut ait Persius) crimina rasis librans in antithetis. Non (dixit) Episcopum Baiocarum capies; sed Comitem Cantiæ custodies.

SCOPO RERUM ADMINISTRATIO CREDITUR.

DUNELMEN. EPI-

Sequitur multarum provinciarum motus in Regem Guilielmum: quos ille nullâ virtute bellicâ; sed arte, & fallacibus promissis composuit, & unà, omnem adversariorum apparatum: quem ita describit Author qui suprà. *Ganfridus Episcopus, cum nepote, Bathoniam, & Berchebeream, partem pagi Willensis depopulans, manubias apud Bristovv collocabat. Rogerius de Monte-Gomerico, exercitum suum a Scrobesberia, cum Wallensibus mittens, coloniam Wigorniensem prædabatur. Iamq; Wigorniam infestus advenerat, cum Regis milites, qui prætendebant, freti benedictione Wulstani Episcopi; cui custodia castelli commissa erat; pauci multos effugarunt. pluribusq; sauciis & cæsis, quosdam abduxerunt. Præterea Rogerius Bigod apud Norvvich, & Hugo de Grentemesnil apud Legecestro, suis quisque partibus rapinis urgebant. Ita totis defectionis viribus in eum, cui nec prudentia, nec fortitudo deerat; frustra sæviebatur. Namque ille videns Normannos penè omnes in unâ rabie conspiratos; Anglos probos, & fortes viros, qui adhuc residui erant, invitatoriis scriptis accersit. Quibus super injuriis suis querimoniam faciens: bonasq; leges, & tributorum levamen, liberasq; venationes pollicens; fidelitati sua obligavit. Nec minore astutiâ, Rogerium de Monte-Gomerico secum, dissimulatâ perfidiâ equitantem, circumvenit. Scorsum enim ducto, magnam ingessit invidiam, dicens: se libenter imperio cessurum; si illi, & aliis videatur, quos pater tutores reliquerat. Non se intelligere, quid ita effrenes sint: si velint pecunias, accipiant pro libito: si augmentum patrimoniorum; eodem modo, prorsus quæ velint, habeant: tantum videant ne judicium genitoris periclitetur. Quod si de se putaverint aspernandum: de seipsis caveant exemplum. Idem enim se Regem, qui illos duces fecerit. His verbis, Comes, & pollicitationibus incensus, qui primus factionis post Odonem signifer fuit, primus defecit.*

IV. DISCESSIO A REGE GUILIELMO.

Malmesb. suprà.

GUILIELMI ARTES AD FACTIONEM ENERVANDAM.

V. Robertus factionem promovens, pecuniam subministrat.

Dum hæc in Angliâ geruntur: Robertus in Normanniâ factionis alimenta subministrat: Monuerat eum Odo patruus; regni coronam, juniori vertici male impositam, expectare seniorem nihil ad felicitatis culmen deesse, nisi pecuniam, quâ miles animetur: hanc si mittat, certò regnaturum. Robertus gnarus, sine nervo illo, imperium firmari non posse. Constantiensem Comitatum in Henricum fratrem, pro numeratâ pecuniâ, transtulit: spe plenus, si regno potiretur, nullum fore dispendium. Addit, se brevi, loco, temporíque adfuturum. His Odo allectus victoriæ lenociniis, cum factionem, procerum multorum accessione auxisset: Roffensem urbem (antiquiores Rovecestriam vocaverunt munit: & alia in Cantio, vicinisque locis castra. quò se, prædamque reciperet. Res erat extra omne aleæ periculum: nisi Deus, Episcoporum manibus, qui Regem consecraverant; & coronæ, patrocinatus fuisset: sic Wulstani Wigorniensis Episcopi virtus enituit, pro Guilielmo Rege pugnantis: quòd nimio, pro rei dignitate, compendio, Author suprà expressit: Walsingamus id paulò fusiùs narrat, in hunc modum:

Roffensis urbs munitur ab Odone.

Walsing. hypod. Neustriæ ad an. 1088.

Res eò perducta est, ut partes essent ad conflictum paratæ. Sed Pater Reverendus VVulstanus, jam quodammodo alter Moyses, parat se viriliter staturus pro populo & civitate suâ; pro imminente periculo fundens precamina exhortans quosque ut desperent de Deo, qui non pugnat gladio, neque hasta. Normanni igitur rogant Sanctum VVulstanum Episcopum. ut ab Ecclesiâ, ad eos transiret in castellum. Ipse verò, pro Regis fidelitate, petitioni eorum acquievit. Castellani igitur, atque cives, licentiâ Episcopi occurrunt hostibus trans Sabrinam. Quibus, inquit, Ite filii, ite in pace· ite securi cum Dei benedictione, & nostrâ. Confidens ego in Domino spondeo, vobis hodie gladius non nocebit. Alacres ergo omnes unanimiter occurrunt hostibus. Hostes verò contumaciter spernentes mandata Pontificis; in terram ipsius posuerunt incendia. Unde à circumstantibus coactus Episcopus, gravi eos percussit anathemate. Res miranda; & Dei virtus, & viri bonitas. Nam statim hostes, tantâ membrorum percutiuntur debilitate, tantâ oculorum attenuantur cæcitate; ut vix arma valerent ferre; nec socios, nec hostes agnoscere: caduntur pedites, capiuntur milites. Cæteri fugâ elapsi, Regis fideles, sine ulla diminutione suorum, remeant ad propria, gratias Deo & Episcopo referentes.

Wulstani precibus parta victoria.

VI. Wulstanus futura prævidet.

Hæc in Wulstani gratiam dicta sunto; qui sanctitate, & prophetiæ spiritu clarus, sub hæc tempora eminuit, potens opere & sermone. In ejus Diœcesi, Malverniæ montes, amœnam Deo famulantibus solitudinem faciebant. Ibi Alwinus quidam, cum plures annos, in Christi vitâ contemplandâ posuisset: magno desiderio ferebatur, invisendi loca illa, quæ Christus nascens, vivens, & moriens, suâ præsentiâ consecrarat. Sed noluit Wulstanus ejus voto accedere; præviso animarum lucro, quod Alwini solitudo, & sanctitatis exemplum, erat pariturum. quod revera secutum est, post annos aliquot, cum ille constructo ibi Monasterio Monachos plures in vitæ perfectioris societatem adlegit. Quod ita in Wulstani vitâ refertur. *Ailwinus quidam, apud Salbim Malverniæ, anachoritice degens, desiderio hierosolymitani itineris sæpius afflatus erat. Quod cum VVulstano panderet, dissuadens Episcopus, dixit. Desiste, sodes, Ailwine. Crede mihi mirareris, si scires, quæ per te Deus facturus sit. Acquiescens ille in loco illo ad numerum tricenarium Monachos congregavit: & Malverniæ Monasterium fundavit.* Meminit hujus Monasterii & fundationis Catalogus ædium destructarum, apud Spedum: ubi Ailwinus Monachus fundasse illud dicitur, tempore Guilielmi senioris, sub annum Domini millesimum octogesimum tertium, ut suprà dixi. Sed ad Guilielmum Regem in perduelles pugnantem redeamus

Capgrave in Wulstano.

Ailwini Anachoretæ sanctitas.

V. an. 1083. n. 14.

VII. Rebelles prosternuntur.

Odo Baiocensis, in Cantium se, cum complicibus, receperat; Roberti nepotis adventum, qui propediem adfuturus credebatur, præstolatus: sed ille aliis intentus, patruum, & amicos fefellit: quos Guilielmus Rex persequutus, & hostiliter invadens, intercepit & proscripsit. quod ita à Malmesburiensi narratur: *Guilielmus continuò in desertores profectus, castella patrui sui Tunebrige, & Pevensel effregit. ipso in posteriore intercepto, captum, ad quod libuit jusjurandum impulit. ut Angliâ decederet: & Rovecestriam traderet. Ad quod implendum, cum cum fidelibus suis præmisit, tenero pede præeuntes subsequutus. Erat tunc apud Rovecestream omnis penè juventutis ex Anglia, & Normannia nobilitas. Tres filii Rogerii Comitis, & Eustachius Bononiæ junior, multiq; alii quos infra curam nostram existimo. Regii cum Episcopo, pauci, & inermes (quis enim eo præsente insidias timeret) circa muros desiliunt, clamantes oppidanis, ut portas aperiant. Hoc Episcopum præsentem velle; hoc Regem absentem jubere. At illi, de muro conspicati quod vultus Episcopi, cum verbis oratorum non conveniret; raptim apertis portis ruunt; equis involant, omnesq; cum Episcopo vinctos abducunt. Rumor facti ad Regem citò perlabitur. Severior ille malo, tamq; intra conscientiam resorbens: Anglos suos appellat; jubet ut compatriotas advocent ad obsidionem venire; nisi si qui velint, sub nomine * Nidering, quod nequam sonat, remanere. Angli, qui nihil miserius putarent, quàm hujusmodi vocabuli dedecore aduri; catervatim ad Regem confluunt, & invincibilem exercitum faciunt. Nec diutius potuere pati oppidani, quin se traderent: experti quamlibet nobilem, quamlibet confertam manum, adversus Regem Angliæ nihil posse, proficere. Odo secundò captus, perpetuò Angliam abjuravit: Dunelmensis Episcopus ultra mare transivit: quem Rex verecundiâ præteritæ amicitiæ indemnem passus est effugere. Cæteri omnes in fidem recepti.*

Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 120.

* Nidering, alias Niding. Sped. & Camd. Kent.

Odo proscribitur.

Guilielmus Dunelmen. Episcopus exulat.

Interim Robertus, paratâ classe, è Normanniâ solvens, maritima Insulæ depredatur: Guilielmus contra classi classem objicit, tutâtur litora, & Normannos irruentes fortiter propulsat. Huntindonius ita breviter. *Robertus, inquit, Dux Normanniæ, Angliam festinans, adire, & auxilio proditorum obtinere, præmisit partem exercitus, in auxilium suorum, disponens, cum copiis ingentibus, eos prosequi. Anglici verò mare custodientes, occiderunt, & submerserunt ex illis innumerabiles.* addit Malmesburiensis. *Reliqui fugam intendentes, & suspendere carbasa conati; mox, vento cessante destituti; ludibrio nostris, sibi exitio fuere. nam ne vivi caperentur; è transtris se in mare præcipitarunt.* Hac ratione, facinorosorum conatum omnem elusit Guilielmus: cum priùs Anglos ingentibus promissis onerasset. nimirum condonaturum se illis, sanctam juris, legum, æqui, bonique conditionem: venationes liberas, quas sibi suisque

VII. Robertus maritima deprædatus, fugatur.

* Huntind. l. 7. fo. 374.

Normannorum in Regem coniuratio Anglis profuit.

pare

pa[illegible] reservaret : denique pristinum Anglici nominis, ritumque honorem. Et sanè, hoc à Rege dissidium; ut Normannis incommodum, ita Anglis commodum fuisse testatur Westmonasteriensis. ita scribens ad hunc annum: *Plaga tetigerat Anglos: jam ad Normannos ex parte revertitur. Omnes namque nobiliores regni, quos Guilelmus Magnus promoverat, superbi effecti: indignantes, quia regnaret super eos junior, spreto Roberto primogenito, nobili, & magnanimo, non sine perjurio bella moverunt, in Guilelmum. Sed infra tertium annum confusi sunt omnes, & possessiones eorum fidelioribus distributæ.*

Westmonast. hic.

IX. MORITUR GISO WELLENSIS EPISCOPUS.

Godwin. in Bath. & Well.

Inter belli tumultus, qui totum annum occuparunt; moritur Giso Vellensis Episcopus; qui variâ rerum vicissitudine Ecclesiam illam, ab anno millesimo sexagesimo administrarat, satis feliciter. nam prædia, quæ Haroldi potentia extorserat; Haroldi successoris, Guilelmi inquam senioris, benignitate recepit. Quam strenuè pro Ecclesiâ suâ laborarit, Godwinus narrat in hunc modum. *In patriam reversus* (nam Romæ à Nicolao Papa consecratum Episcopum dixi tomo superiori) *Ecclesiæ suæ statum vehementer perturbatum offendit* (anno nimirum millesimo sexagesimo) *Haroldus Reginæ frater; qui postea regno ad tempus potitus; nescio unde sumpta occasione Ecclesiam omnibus ornamentis spoliaverat, Canonicos inde ejecerat, & prædia illorum occupando, sui juris fecerat. Ita ut Canonici, qui metu non diffugerant (hi tantum quinque fuisse perhibentur) stipem ostiatim emendicare cogerentur. Quare apud Regem, Sanctum illum Edvardum, de tam atroci injuriâ, gravissimam querimoniam deponit. A quo tamen, quantumvis Sancto, sive potentiam Haroldi, sive offensam uxoris verito, nihil profecto impetrat. Reginæ verò, de suo patrimonio, duo maneria Episcopo largita est, Marcam, & Modsleiam. Defuncto Rege, in exilium sponte Giso profugit: neque rediit; donec Haroldo superato, Ecclesiæ nostræ vastatore; regnum sibi asseruisset sibi Guilelmus Normannus: qui omnia nobis erepta restituit illicò, præter agelli nonnihil, quod ad Cœnobium Glocestrense, nescio quo pacto pervenerat. Cujus tamen loco, contulit nobis mannerium, & Ecclesiam de Yatton. & Elsium quendam coëgit mannerium de Winsham restituere; quod haud bono jure jam diu usurpasse videbatur. His rebus ex animi sententia confectis; omnem diligentiam adhibuit Giso, quo alia, ab aliis subtracta, reddenda nobis curaret. In acquirendo deinde, quæ deesse videbantur, multum sudavit: & acquisita diplomatis regiis confirmando. Ab aulico quodam, Arsero nomine, maneria comparavit, de Wormister, Litton, atque Comba S. Nicolai: & quæ privilegia a Rege impetrarit, longum esset commemorare.*

V. an. 1060. n. 4 & 7.

EJUS LAUS.

X. *Auctis ita Ecclesiæ opibus, augere etiam visum Canonicorum numerum: atque ut commodius victitarent, claustrum illis extruere. ubi ambulare: refectorium, ubi cibum sumere; ac dormitorium, ubi omnes possent quiescere. Constituit denique qui præesset illis, Isaacum nomine, & hunc Præpositum voluit appellare. Cessit tandem natura, cum sedisset in hac Ecclesiâ, annos viginti octo, & sepultus est, ab Aquilonari parte loci, ubi summum altare tunc temporis situm erat, è regione Dudoci.* Hæc omnia Godwinus. Mortuo successit Joannes, cognomento, de Villula, *natione turonicus.** inquit Malmesburiensis, *professione medicus: qui non minimum quæstum illo conflaverat artificio: minoris gloriæ putans, si in illa villa sederet ingloriis, transferre thronum in Bathoniam animo intendit.* De tempore ingressus ejus in Sedem Wellensem, nihil disertè traditur. Godwinus putat ad hunc annum referendum: & reverà, si Gisoni Episcopo octo & viginti annos damus, secundus Guilelmi secundi, primus erit annus Sedis. Obstat solum quod Malmesburiensis affirmat Joannem cogitasse de Sede transferendâ Bathoniam, vivente Guilielmo seniore: sed non effecisse, nisi sub juniore. De quo postea. Parkerus consecrationem ejus assignat anno superiori, cum de Lanfranco scribens, & annis Sedis ejus, ait: *Decimo octavo anno, mortuo Willielmo Rege, in transmarinis partibus; filium ejus Willielmum, juxta patris institutum, in Regem elegit. Quo etiam anno, Godefridum Cicestrensem, Ioannem Wellensem, Episcopos, & Guidonem Ecclesiæ Augustinensis Abbatem Cantuariæ sacravit.* De Galfrido sive Godefredo dixi suprà. De Guidone, infrà ad annum 1093. n. 45.

JOANNES DE VILLULA

WELLENSIS EPISCOPUS.

* *Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 254.*

V. an. 1093. n. 58.

Antiquit. in Lanfranco fo. 114.

V. an. 1087. n. 4 & n. 15.

ANNUS CHRISTI 1089.

URBANI II. PAPÆ 2.

GUILIELMI II. REGIS 3.

I. LANFRANCUS MORITUR INGENIUM REGIS PERTÆSUS.

IAM Anglicanæ Ecclesiæ facies illustrior cœperat apparere: & cœlum nostrum, antiquæ pietatis & religionis luce fulgere: Monasteriis passim, & ædificiorum elegantiâ, & regulari disciplinâ florentibus. cum ecce anno Domini millesimo octogesimo nono, splendidissimi astri occasum Ecclesiæ nostræ firmamentum, & reliquæ minores stellæ lugent. Lanfrancum dico Cantuariensem Archiepiscopum, cujus unius industriâ, revirescere cœperat devotionis ardor, quem civiles discordiæ, & bella sopiverant. Ille junioris Guilielmi ingenium pertæsus; qui omnes impetu habenas nactus, imperitè illas tractaret: nec aliorum monitis doctior, ad sanæ mentis consilia rediturus videbatur; petivit animæ suæ, ut moreretur. Et Deus ejus voto adfuit. Priùs tamen quàm morbo tentaretur; cum Regem ad vitia projectum cerneret, & cervice durâ, jugum respuere, in mentem illi revocavit, sponsiones, promissaque priùs facta, quàm corona ornaretur: nec ille poterat inficiari, se promissis obnoxium: sed contumaci responso clausit omnia. Tunc de immorigero filio dolens pater; & futura è præsentibus colligens vidit Regi regnoque scandalum imminere, quod amoliri non poterat. atque ita administrationis onere levari postulavit. Decumbentem è febri, Anselmus hac Epistola studuit erigere, atque consolari, e Beccensi Monasterio.

Anselm. l. 2. Epistolarum ep. 18.

Domino, & Patri Reverendo Archiepiscopo LANFRANCO Frater ANSELMUS, & tota Beccensis Cœnobii congregatio Quod sui.

II. ANSELMI LITERÆ AD LANFRANCUM.

„ DE ægritudine Paternæ vestræ sanctitatis „ graviter dolentes, pro salute vestrâ, Deum „ orare non cessamus: quoniam ægritudinem „ vestram, tribulationem nostram: & salutem

vestram,

,, vestram, incolumitatem nostram esse putamus.
,, Nec solum nobis, sed & matri Ecclesiæ, quan-
,, tum nomen vestrum extendi potest; vitam
,, vestram necessariam esse intelligimus. Jussio
,, vestra de conductu Longobardorum, amodo,
,, Deo annuente servabitur. Domioum Baldui-
,, num, quem in Angliam mittimus, pro ne-
,, cessitatibus nostris; quas ipse vobis narrare
,, poterit; secundùm quod eas cognoscetis, &
,, paternæ vestræ benignitati placebit, ut adju-
,, vetis, sicut mos vester est, supplicamus. Omni-
,, potens Deus dio nobis, & Ecclesiæ suæ vitam
,, vestram, io salute, & prosperitate, etiam in
,, grata sibi sanctitate conservet. Amen. Ita Anselmus benè morienti precatus est. Sed Deo visum cælo hominem donare; qui multa magnaque præstiterat pro Dei gloriâ, & præmio cælesti. Itaque febri correptus, cum se omnibus Ecclesiæ Sacramentis munivisset, ad vitam immortalem illam hoc anno ingreditur, vel nono Calendas Junii, ut Wigorniensis & Hovedenus affirmant: vel nono Calendas Aprilis, ut Westmonasteriensis & Martyrologium nostrum. Unde Godwinum corrige, qui ait plerosqoe mortis diem, ad quartum Junii consignare.

III. *Malmesb. de Pontif. l. 1 fo. 215.* De Lanfranco morituro ita scribit Malmesburiensis: *Willielmus junior in regnum suffectus, cum Lanfrancum parum sibi conniventem offenderet: ingentibus promissis juris & æqui tenendi, mollitum, ad suffragium suum avertit. Sed potestate potitus, multisq; pro defectione Principum penè omnium angoribus conflictatus, promissa negligebat. Quapropter sponsionis ab Archiepiscopo admonitus, turbide respondit. Quis omnia potest facere, quæ promittit? His pertæsus, non moras longas in luce traxit: Sed post annos novendecim Episcopatus, febrim nactus; cum medici consulti potionem necessariam respondissent; prius se confessione & Viatico munivit. Hinc poculo sumpto, sed in contrarium verso, efflavit. qualem semper optaverat exitum sortitus. Hoc enim domesticis confitebatur: se Dominum deprecari, ut vel dissenteriâ, vel febri urgente moreretur: quod hæ valetudines, nec memoriam turbent, nec loquelam impliceent. Vir cujus industriam prædicabit Cantia: cujus doctrinam in discipulis ejus stupebit latinitas, quamtum omnes anni durabunt.*

Lanfranci Elogium. Ita ille, qui alibi etiam sæpè, multa de Lanfranci laudibus asserit. Sed non est opus verborum ambitu, in eo laudando: quem tot pietatis opera loquuntur. nam illi non solum Ecclesiæ, & Angliæ Monasteria penè omnia, suam amplitudinem & elegantiam debent: sed Normanniæ, Galliæque Cœnobia, benefactorem senserunt. Et ut de omni hominum genere benè mereretur, pauperibus etiam munificus pater, & Princeps fuit. Testantur hoc opera, quæ in Cantuariensi territorio Lanfrancum Authorem agnoscunt: de quibus ita Edmerus, cum Cantuariensem Ecclesiam ab eo restauratam, & ornatam dixisset.

IV. *Edmer l. 1. fo. 9.* Eius opera pietatis. *Sed quod de pauperibus*, inquit, *foras muros civitatis Cantuariæ fecit, prætermittendum mihi in hoc opere forè non arbitror. Extra aquilonarem portam urbis illius, lapideam domum decentem, & amplam construxit; & ei pro diversis necessitudinibus hominum, & commoditatibus habitacula plura, cum spatiosa curte adjecit. Hoc palatium in duo divisit: viros videlicet variis infirmitatum qualitatibus pressos, uni. parti verò alteri fœminas se male habentes instituens. Ordinavit etiam eis, de suo, vestitum, & victum quotidianum. Ministros quoque atque custodes, qui modis omnibus observarent, ne aliquid eis deesset. neque viris ad fœminas; vel fœminis ad viros accedendi facultas ulla adesset. Ex alterâ vero parte viæ, Ecclesiam in honorem Beati Gregorii Papæ composuit. In quâ Canonicos posuit, qui regulariter viverent; & præfatis infirmis, quæ saluti animarum suarum congruerent, cum sepulturâ ministrarent. Quibus etiam in terris, in decimis, & in aliis redditibus tanta largitus est, ut ad sustentationem eorum sufficientia esse viderentur. Remotiùs verò quàm à boreali, ab occidentali porta civitatis, ligneas domos in devexo montis latere fabricans; eas ad opus leprosorum delegavit: viris in illis, quemadmodum in aliis, à fœminarum societate sejunctis. His nihilominus, pro qualitate, omnia quibus egerent, de suis ministrari constituit: militatis ad hoc peragendum talibus viris; de quorum solertiâ, benignitate, ac patientiâ; ut sibi quidem videbatur; nemini foret ambigendum. Super hæc in villis ad Pontificatum pertinentibus, domos multas atque honestas, partim de lapide, partim de ligno, sibi ac successoribus suis ædificavit.*

V. Parkeri narratio admodum apocrypha. Hunc virum, omni laude dignissimum, etiam Romanæ fidei hostes, quod mirere, probant. Unus Parkerus, Antiquitatum Britannicarum conditor, cum Cantuarienses Episcopos recenset, multa de Lanfranco fabulatur: sed nusquam nequiùs, quàm cum ejus obitum narrat, in hunc modum. *Lanfrancus*, inquit, *à Rufo* (Guilielmum Regem intelligit) *adversi aliquid sensit: fortasse quod juvenilem ejus animum, in armis, & re militari, ante sub eo exercitatum: jam Regem, sano consilio, ad amorem, & timorem Dei, virtutemq; vehementius hortatus sit. Nam in exilium actus, Romam profectus est; & varias regiones in exilio peragrans, charta nocte quadam, quasi divinitus lapsa est in manus Clerici: in qua scriptum erat, Guilielmus Rufus occisus est. quod postea contigit. Namq; haud ita multo post, allatum nuntium est ei, de Rufi morte. Quâ intellectâ, ad Sedem Cantuariensem reversus est, ibique cum annis novendecim sedisset, Archiepiscopatus muneribus, & hujus vitæ molestiis perfunctus, febri quemadmodum optaverat laborans, obiit quarto Iunii anno Domini millesimo octogesimo octavo.* *Antiquit Britan. fo. 113.* Ita in omni syllabâ hallucinatur Matthæus, qui factus est Cantuariensis Ecclesiæ ultimæ creationis Episcopus primus. ubi tot ἄτοπα, tot ἀσύστατα, quot verba, Lector reperiet. Lanfrancus nunquam actus est in exilium; nunquam Romam ivit, Rufo regnante; nunquam Anglia egressus, varias regiones in exilio peragravit: nunquam per chartam quasi divinitùs lapsam Rufi mortem cognovit. nec illa intellecta rediit Cantuariam, seditque ibi novendecim annos: nam decennio ante Rufum mortuus est: non anno millesimo octogesimo octavo: sed sequenti. non Junio, sed Aprili potiùs aut Februario mense.

VI. Parkeri perversus in Lanfrancum impetus. Miranti mihi. unde tot figmenta in brevi narratione, in Parkeri mentem irrepserint: & cur Lanfranci mortem, cum Anselmi successoris ejus vitâ confuderit: occurrit ipsum, cæco in Lanfrancum impetu passim ferri, ut in omnes etiam Archiepiscopos, Luthero, & se priores: ideoque cæcutire. Dixerat paulò antea, Guidonem à Lanfranco consecratum Abbatem præfectumque Augustinensi Monasterio: Monachos Abbati restitisse, Monasterium deseruisse, inde

carceribus à Lanfranco mancipatos, imò flagellis publicè cæsos, abrasis crinibus, Monasterio & urbe ignominiosè exclusos. quæ invidiosissimè in Lanfrancum dicta; tam vera sunt, quàm Lanfrancum à morte Rufi rediisse in Angliam, & novendecim annis Cantuariæ sedisse. Adde, Lanfrancus, cum ob multa, tum maximè ob pietatem erga Monachos, ab omnibus laudatur. Edmerus, qui tunc vixit, ita loquitur. *Erga fratres ipsius Ecclesiæ, quàm bonus, quàm pius, quàm beneficus extiterit; unde aliquantulum colligi potest: quod nec ex parentibus, aut fratribus eorum sustinere poterat, penuriâ aliquâ affligi. Et quod magis forte mireris, in usum acceperat, non expectare, ut subvenire rogaretur: sed misericordia visceribus plenus: modo huic, modo illi ultrò offerebat, quod egenti cognato per plurimum temporis auxilio esse posset.* Plura addit pietatis in Monachos argumenta: unde figmenti vanitas manifestè apparet. Et quod ad fugatos aut exclusos è Monasterio Monachos spectat: commentum quoque est. nam Cantuariensium Monachorum numerum, non ille minuit: sed auxit plurimum. Quod & Godwinus ultimo etiam creationis Episcopus, fatetur cum ait: *Monachorum Cantuariæ degentium numerum eousque auxit, ut cum adveniens, triginta tantum invenerit; centum quadraginta decedens reliquerit.* ita ille. Cæterùm, quàm prudenti, tenero, paternoque amore eosdem foverit, testis est Malmesburiensis infrà citandus.

Edmer. l. 1. fo. 8.

Godwin. in Lanfranco.

V. hic n. 12.

VII.

Lanfranci mortem omnis Anglorum Ecclesia luxit, multo post tempore. nam veluti custode remoto; *vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat*, Guilhelmus Rex. Continuerat se paululùm Lanfranci reverentiâ, & frenum posuerat cupiditatibus suis: nunc vitiis omnibus habenas laxat; nihil Ecclesiam matrem, nihil Deum patrem reveritus. Non multus ero in hoc argumento, quod præcedentium Regum pietati adversatur: non debeo tamen silentio tegere, quæ Annales Ecclesiæ maximè spectant: quæque ab Authoribus passim referuntur, verecundabor fortè ea meis verbis reddere, ob Regum reverentiam: oportet tamen, ut rerum series postulat; eos in theatrum producere qui omni exceptione majores, veritatem sine fuco testabuntur. Eos inter Edmerus, ita Lanfranci mortem, & Guilielmi Regis mores deplorat. *Erat Lanfrancus vir, divinæ simul & humanæ legis peritissimus; atque ad nutum illius, totius regni spectabat intuitus. Qui cum de hac vitâ translatus fuisset. quàm gravis calamitas, ex obitu illius Ecclesias Angliæ devastaverit, multa prætermittendo paucis ostendere placuit.*

Iob. 11. 12.

RUFI PERVERSI MORES.

Edmer. l. 1. fo. 14.

VIII. CANTUARIENSEM ECCLESIAM INVADIT.

Confestim enim Rex foras expressit, quod in suo pectore, illo vivente, confotum habuit. Nam mox; ut alia perperam gesta, omittam; ipsam totius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, necne adjacentium Insularum matrem, Ecclesiam scilicet Cantuariensem, invasit: cuncta quæ juris illius erant, intus & extra; per clientes suos describi præcepit: taxatoque victu Monachorum, inibi Deo servientium: reliqua sub censu, atque in suum dominium redigi jussit. Fecit ergo Ecclesiam Christi venalem, jus in ea dominandi, præ cæteris, illi tribuens; qui ad detrimentum ejus, in dando pretium, alium superabat. Unde misera successione singulis annis pretium renovabatur. Nullam siquidem conventionem Rex stabilem esse sinebat: sed qui plura promittebat; excludebat minus dantem: nisi fortè ad id quod posterior offerebat, primâ conventione vacuatâ, prior assurgeret. Videres insuper quotidie, spretâ servorum Dei religione; quosque nefandissimos hominum, regias pecunias exigentes, per claustra Monasterii torvo, & minaci vultu procedere: hinc inde præcipere, minas intentare; dominationem, potentiamque suam in immensum ostentare. Quæ de re, quæ, vel quot scandala, dissensiones, inordinationes ortæ sint, reminisci piget. Super hæc quidam ipsi Ecclesiæ Monachi, malis ingruentibus dispersi, ac missi sunt ad alia Monasteria: & qui relicti, multas passi tribulationes & improperia. Quid de hominibus Ecclesiæ dicam? qui tam vastâ miseriâ, miseraque vastatione sunt attriti: ut dubitarem si sequentia mala non essent; an salva vita eorum, possent miserius atteri.

IX. MISERA ECCLESIARUM FACIES.

Nec ista quæ dicimus in solâ Ecclesiâ Cantuariensi facta sunt. Desævit immanitas ista, etiam in cunctis per Angliam constitutis filiabus ejus: quæ viris suis, Episcopis, scilicet, & Abbatibus decedentibus, in viduitatem ea tempestate cadebant. Et quidem ipse primus hanc luctuosam oppressionem Ecclesiis Dei indixit, nullatenus eam ex sanâ traditione accipiens. Destitutas ergo Ecclesias, solus in dominio suo tenebat: nam alium neminem præter se substituere volebat: quamdiu per suos Ministros aliquid, quod cujusvis pretii duceret, ab eis extrahere poterat. Itaque planum erat, ubique miseriam videre. Duravit autem ferè, per quinque annos (ut de aliis taceam) super Ecclesiam Cantuariensem, hæc ipsa miseria, semper in pejus proficiens, sibique ipsi miserior, deteriorque succrescens. Ita oculatus miseriarum testis Edmerus: qui benè dicit, Guilielmum hunc, primum fuisse à Regia pietate degenerem Principem, quod ad Ecclesiarum omnium servitutem spectat. nam cæteri ferè, illas dotare, ornare, venerari consueverant: iste juvenili impetu, pessimorum usus consilio; bona pauperum, & Christi patrimonium, primus distraxit: nihil horum ausus, vivente Lanfranco: eo immortalitate donato; nullus per quadriennium, in Cantuariensem Sedem successit: unus illi subrogatus est, qui pessimo consilio Regi ad omnia scelera famulatus Ecclesiasticas dignitates venum exposuit, Ranulfus nomine, è Clero quidem, sed ex illo genere hominum, qui se non sorti sanctorum, sed Regibus vendunt. de quo hæc Malmesburiensis, Guilielmi avaritiam taxans.

X.

Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 123.

RANULFUS MALORUM ARTIFEX.

Accessit avida menti (inquit) *fomes cupiditatum, Ranulfus Clericus, ex infimo genere hominum, linguâ & assiduitate provectus ad summum. Is si quando edictum Regium processisset, ut nominatum tributum Anglia penderet; duplum adjiciebat expilator divitum, exterminator pauperum, confiscator alienarum hereditatum. Invictus causidicus, & cum verbis tum rebus immodicus: juxta in simplices, ut in rebelles furens: subinde cachinnantibus quibusdam, ac dicentibus: solum esse hominem, qui sciret sic agitare ingenium, nec aliorum curaret odium: dummodo complacaret Dominum. Hoc authore, sacri Ecclesiarum honores, mortuis pastoribus venum locati. Auditâ namque morte cujuslibet Episcopi, vel Abbatis; confestim Clericus Regis admittebatur; qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque imposterum redditus, fisco regio inferret. Interea quærebatur, quis idoneus in loco defuncti substitueretur: non pro morum, sed pro nummorum experimento: dabaturque tandem honor, ut ita dicam, nudus; magno tandem emptus. Hæc eo indigniora videbantur; quod tempore Patris, post*

decessum

decessum Episcopi, vel Abbatis, omnes redditus integrè custodiebantur, substituendo pastore resignandi: eligebanturq; personæ, religionis merito laudabiles. At verè pauculis annis intercedentibus omnia immutata. Nullus dives, nisi nummularius: nullus Clericus, nisi causidicus: nullus Presbyter, nisi (ut verbo parum latino utar) firmarius. Cujuscumque conditionis homunculus, cujuscumque criminis reus, statim ut de lucro Regis appellasset; audiebatur: ab ipsis latronis faucibus resolvebatur laqueus, si Regale commodum promisisset.

XI. Hæc Author de Guilielmo: quem ideo reprehendit: non tam quòd accumulandis pecuniis nimius incumberet: quàm quòd eis inconsultè profundendis effusior fuerit: quòd in vestium luxu, præter morem sæculi nimis prodigus: quòd nimia largitione, nominis famæque immortalitatem ambiverit. Juvat hæc, ex eodem Authore referre: ut qualis hoc undecimo sæculo vestium luxus, pro vitio sit habitus, innotescat: & una quàm procul, à majorum virtute, modernum hocce sæculum deflexerit. *Cum primus*, inquit, *initio regni metu turbarum milites congregasset: nihil illis denegandum putavit: majora in futurum pollicitus. Itaque quia paternos thesauros impigrè evacuaverat; & modica ei pensiones numerabantur; jam substantia defecerat. Sed animus largiendi non deerat: quod usu donandi, penè in naturam verterat. Homo qui nesciret cujuscumque rei effringere pretium, vel æstimare commercium: sed cui, pro libito, venditor distraheret mercimonium, & miles pacisceretur stipendium. Vestium suarum pretium in immensum extolli volebat: dedignans, si quis allevi asset. Denique, cum quodam mane calcearetur novas caligas; interrogavit cubicularium, quanti constitissent: cum ille respondisset; tres solidos: indignabundus & fremens: fili, ait, meretricis, ex quo habet Rex caligas tam exilis pretii. Vade, & affer mihi emptas marca argenti. Ivit ille, & multò viliores afferens; quanti præcepisset emptas, ementitus est. Atqui, inquit Rex, ista Regiæ conveniunt majestati: Ita cubicularius, ex eo, pretium vestimentorum ejus pro voluntate numerabat: multa perinde suis utilitatibus nundinatus. Excitabat ergo totum Occidentem fama largitatis ejus, Orientem usque pertendens. Veniebant ad eum milites, ex omni, quæ citra montes est, provincia, quos ipse profusissimus expensis munerabat. Itaque cum defecisset quod daret: inops & exhaustus, ad rapinas convertit animum.* Ita compendio habes Guilielmi Regis indolem: quam tum demum explicuit, cum Lanfrancum revereri desiit.

Malmesb. de Reg. l. 4. fo. 122

Guilielmus profusus in milites.

Caligas trium solidorum reiicit.

XII. Ad hunc annum millesimum octogesimum nonum; Prioratus ille, quem Alwinus Londinensis civis inchoaverat, instituendis ibi Monachis; nunc demum perfectus, è Cluniacensi familiâ religiosos excepit, ad alios, in eadem disciplinâ, formandos. de quibus Reynerus in Apostolatu. *Conventus Cluniacensium*, inquit, *apud Bermondsciam, collocatus non fuit ante annum millesimum octogesimum nonum. Quo anno, ex ordinatione Prioris de Charitate factus est ibi Petrus, Prior: datis illi aliis tribus sociis, Richardo, Osberto, Umbaldo.* faverat his principiis Lanfrancus Episcopus; nisus magno conatu, omnia per Angliam Monasteria, ad regularem disciplinam, quam ferè excusserant, excitare Cluniacensium Monachorum exemplo: & vidit, priùs quàm moreretur piissimæ intentionis felicem exitum. Cantuariæ præsertim, ubi ipse pietatem visu, verbo, opere, loquebatur. factumque ut Monachi illi, Cluniacensibus nihil morum sanctitate cederent. Testatur hoc Malmesburiensis, & in Lanfranci laudibus ponit. *Monachi*, inquit, *Cantuarienses sicut omnes tunc temporis in Angliâ, sæcularibus haud absimiles erant: nisi quod pudicitiam non facilè proderent: canum cursibus avocari; avium prædam raptu aliarum volucrum, per inane sequi: spumantis equi tergum premere; tesseras quatere, potibus indulgere, delicatiori victu, & accuratiore cultu frugalitatem nescire: parsimoniam abnuere, &c. id genus: ut magis illos consules, quàm Monachos, præ frequentiâ famulantium diceres. Hoc Lanfrancus conspicatus, aliquamdiu patientiam tenuit: nec cominus pavidos rancore austeritatis exterruit. Sciebat enim, artis artium; id est; regiminis animarum peritissimus: consuetudinem a naturâ esse secundam: & repentinâ morum conversione, teneriores exacerbari animos. Quapropter blandis monitionibus, per intervalla temporis, nunc illa, nunc ista subtrahens cote virtutum, rudes exacuebat ad bonum mentes; eliminabatq; ex eis vitiorum rubiginem: & undecumque malorum extirpabat plantaria, continuò ibi bonorum jaciebat semina. Nec priùs abstitit, quam adulterinis abdicatis facibus; ultrones genuinas virtutum adoptarent successus. Sunt hodie ampliori, quàm usquiam Angliæ, ut decet numero, religione Cluniacensibus non impares. Plurimus inest iis adhuc Lanfrancus, multa viri memoria; ingens in Deum devotio, &c.*

V. an. 1081. n. 8.

Cluniacensium primus adventus.

Reyner. par. 2. fo. 124

Petrus primus Prior Bermondseiæ.

Malmesb. de Pont. l. 1. fo. 214.

Lanfranci prudentia [illegible] Mo[illegible] re[illegible] mali[illegible]ne.

XIII. Hæc omnia satis ostendunt, Lanfrancum optimè Monachis præfuisse: & Parkeri commentum, figmentum esse. Cæterùm quod Lanfrancus Monachorum mores suaviter reformarit: & potandi usum, qui irrepserat: argumentum est S. Anselmi Epistola, quam sub hæc tempora, in Angliam è Beccensi Monasterio dictavit ad Monachos, quos eò miserat; monetque illos à potu, & Gildis, id est, confraternitatibus, abstinere: & peccati pœnam, vel à Lanfranco Cantuariensi, vel a Gundulfo Roffensi Episcopis, petere: Epistola sic inscribitur.

Frater Anselmus, dictus Abbas Beccensis; Fratribus & filiis charissimis, Richardo & aliis de Beccensi Congregatione, in Angliâ, conversantibus salutem; & paternam, cum dilectione, benedictionem.

Anselm. l. 1. Epistolarum Epist. 7.

„Si sanè, si prosperè, si denique concorditer, & secundùm Deum vivitis, congratulatur charitati vestræ, fraterno, & paterno affectu, anima mea. Testis enim est mihi conscientia mea; quia nihil me tantum lætificat, quantum eorum, qui meæ parvitati, nescio quo divino judicio commissi sunt, prosperitas, & rectitudo: nihil me tantum mœstificat, quantum eorundem adversitas & tortitudo. Quapropter precor vos, ut fratres: moneo, ut filios charissimos; ut semper memoriam Monachicæ religionis perpetuam habeatis: ut quod habitus vestræ religionis profitetur; vita & moribus exhibeatis. Quippe nec locus, nec tempus aliquod, excusat aliquem; quin benè possit vivere: cum & bonam voluntatem nemo unquam alicubi à cordibus

Anselmi Epistola ad suos Monachos in Anglia.

„ hominum, ipsis nolentibus possit excludere: & morum compositio, in qualibet rerum perturbatione, secundùm rerum congruentiam ordinatâ, queat consistere. Opera namque Deus nequaquam exigit ultra possibilitatem: ubi bonæ voluntatis, & bonorum morum conspicit integritatem. Sic igitur desidero, ut in omnibus vosmetipsos, absque omni excusatione, exhibeatis: ut vos non mundi, nec eorum quæ in mundo sunt: sed Dei, & eorum quæ Dei sunt, amatores ostendatis. Quatenus de bonâ vestrâ conversatione; aliis Deum laudantibus; vos in præsenti, & futura vitâ, in Deo possitis gaudere. & ego verè possim fratribus, & filiis meis congaudere.

XIV. „ De Domino Henrico, qui Camerarius fuit, audio quia in multis inordinatè se agit, & maximè in bibendo: ita ut in Gildis, cum ebriosis bibat, & cum eis inebriet. Quod si verum est, dicere non possum, quantum cor meum, de tantâ fratris perditione doleat. Non enim diu sola erit ista miseria: sed nisi se citò Deo respiciente correxerit, per eam, ad alia trahetur mortis præcipitia. Quantum igitur Abbas debet prohibere Monacho: tantum ego qualiscumque peccator sim, ex Dei & Sanctorum ejus, & nostra authoritate, prohibeo: ne postquam hanc nostram prohibitionem cognoverit, ampliùs in Gilda, aut in conventu eorum, qui ad inebriandum solùm conveniunt, * libere audeat. Hoc quoque præcipio; ut de præteritâ inordinatione, si eam negare non potest; Domini nostri Lanfranci Archiepiscopi, aut Domini Episcopi Gundulfi, aut vestro judicio pœnitere non negligat: & deinceps curam se custodiendi ab ebrietate, & à malitiosis verbis, cum Dei auxilio habeat. At si se corrigere noluerit omninò; malo, contemptâ omni utilitate; quam per eum in Angliâ debemus habere; ut ad nos sub disciplinâ regendus redeat: quàm ut longè à disciplina perditus remaneat. Dominum verò de Gornaco benignè rogo, ut de eo quod in literis suis, tam studiosè postulat, patienter, & quieto animo toleret; donec Dominus Richardus (qui ad nos in proximo, sicut a Rege audivi, venturus est, veniat: & quod tunc de illo, & de vobis omnibus, qui propter eundem Dominum Richardum missi sunt nostro, & fratrum nostrorum consilio dispositum fuerit; benignâ patientiâ, & patienti benignitate sustineas. Hæc Anselmus.

* vivere

XV. MONASTERIORUM DEFECTIO. Habes hic Lector causam, cur primus Guilielmus, è Galliâ & Normanniâ Monachos vocaverit, eosque Ecclesiis, ac Monasteriis præfecerit. nimirum Angliæ Cœnobia, à primi purique spiritus fervore defecerant. ideo è Fiscamnensi, plures Episcopi; è Cluniacensi plures vocati sunt Monachi; ut olim Floriaco atque Gandavo. Ideo demum hoc anno Petrus, & socii ad Bermoudseiensis Monasterii primordia consecranda, à Lanfranco, invitantur. nam eo, id procurante factum esse testatur Westmonasteriensis, ita scribens ad annum gratiæ millesimum octogesimum nonum. *Eodem anno, terra motus factus est. & Monachi de Bermundesiâ, vocante Lanfranco, venerunt in Angliam.* Maximus fuit, & per universam penè Insulam hic terræ motus, cujus Authores passim meminerunt: & Lanfranci

Westmonast. hic

mortem consequutus, notatur ad tertio idus Augusti, circa horam diei tertiam, quo tempore, integræ domus à fundamento avulsæ, & in aërem elatæ, mox loco restitutæ sunt. Certum sequuturæ mutationis portentum. Hunc vel alium sub idem fere tempus motum Malmesburiensis ita describit. *Discordia ventorum inter se dissidentium, ab Euro-austro veniens 16. Calendas Novemb. Londoniæ plusquam sexcentas domos effregit. Cumulabantur Ecclesiæ cum domibus; maceriæ cum parietibus. Majus quoque scelus furor ventorum ausus, tectum Ecclesiæ Mariæ (quæ ad Arcus dicitur) pariter sublevavit: & duos homines ibi obruit. ferebanturq; tigna, cum trabibus per inane, spectaculu à longe visentibus; timori prope stantibus, ne obruerentur. Quatuor enim tigna, sex & viginti pedes longa, tanta vi in humum impacta sunt, ut vix quatuor pedes extarent.*

ANNUS CHRISTI 1090.

URBANI II. PAPÆ 3.

GUILIELMI II. REGIS 4.

I. GUILIELMUS REX IN ROBERTUM FRATREM SURGIT. NECDUM tertium in regno annum compleverat Guilielmus junior; cum in fratrem natu majorem pugnare, & superioris anni injurias ulcisci decrevit. Quod ut certiùs, securiùsque præstaret: castella duo in Normanniâ, suis votis opportuna; vel prece, vel pretio, comparavit anno Domini millesimo nonagesimo. ut passim Authores: nec adversatur Huntindonius qui ita scribit. *Iunior VVillielmus tertio anno regni sui, ulcisci paratus injurias, quas ei frater suus ingesserat: muneribus datis acquisivit sibi castellum Sancti VValerici, & Albemarle. quo milites suos mittens. prædari, & comburere terram fraternam capit.* quod paulò latiùs à Wigorniensi, & Hovedeno ita refertur. *Anno millesimo nonagesimo, Rex Anglorum VVillielmus junior, fratri suo Roberto Normanniam adimere: & suæ ditioni cupiens subjugare; primo castellum VValteri, de Sancto VValerico: & castellum quod vocatur Albemarle: deinde alia castella sibi condixit: & in eis milites, qui Normanniam devastarent, posuit. Qua re visa, & suorum infidelitate cognita; Comes Robertus, legatis ad Regem Francorum Philippum, dominum suum missis, illum in Normanniam venire fecit. unumq; de castellis, in quo fratris sui milites erant, Rex & ipse obsederunt. Quod cum Regi VVillielmo nuntiatum fuisset; non modicâ pecuniæ quantitate, Regi Philippo occultè transmissâ, ut ab obsidione discederet, flagitans impetravit.*

Huntindon. l. 7.

VVigorn. & Hovedon. hic.

II. PHILIPPUS RECONCILIAT FRATRES. Castellum, quod Philippus Rex & Robertus obsederant, Aucense, vel Auciacum dicebatur. ubi Philippus Gallorum Rex, cum obsidionem solvisset, ad Cadomum oppidum utrumque fratrem convenit; effecitque ut positis armis, animis, irisque fraternè coirent. Concordiæ pacisque leges in Guilielmi Regis favorem factæ, pecuniarum, ut apparet intercessione. Nam Gemiticensis, in hunc modum scribit. *Facta est tandem, inter eos, apud Cadomum, adventante Philippo, Rege Francorum; qui in auxilium Ducis contra VVilhelmum Regem apud oppidum Auciacum, ingenti Anglorum, & Normannorum exercitu tunc morantem, venerat, qualiscumque concordia: & quantum ad*

Gemeticen. l. 8. c. 3.

Ducem Robertum spectat, probrosa, atque damnosa. Nam quicquid Rex Guilielmus, in Normanniâ occupaverat, per infidelitatem hominum Ducis, qui eidem Regi suas munitiones tradiderant, quas suis militibus ipse commiserat: ut inde fratrem suum infestaret; impunè permissus est habere. Munitiones illæ, quas hoc modo tenebat, Fiscannum fuerunt, oppidum Auci, quod Wilhelmus Comes Aucensis, cum reliquis suis firmitatibus illi tradiderat. Similiter Stephanus Comes de Abamarla, filius Odonis, Comitis de Campaniâ, Wilhelmi autem Regis Anglorum senioris, ex sorore nepos, fecerat, & alii plures ultra Sequanam habitantes.

III. Conditiones pacis inter fratres. *Paris hic.*

Addunt Authores nostri, alia initi fœderis argumenta, Roberto Duci faventia, quæ Gemiticensis omisit; sed Parisiensis ita recenset. *Anno Domini*, inquit, *millesimo nonagesimo, Rex Wilhelmus contra Robertum fratrem suum, Normannorum Ducem arma movens, castella Sancti Walerici, & Albemarliæ cepit: & milites suos immittens, comburere terram fraternam, & deprædari incepit. Sed anno ferè elapso, solertiâ amicorum, concordiam inierunt: eo scilicet pacto; ut castra illa, quæ Rex sibi bello comparaverat, penes eum permanerent: Rex verò Ducem ad omnia quæ pater ejus habuerat; præter Angliam, repetenda adjuvaret. Statuerunt prætereà, ut si alter eorum, ante alterum obiret, absque herede; superstes heres illius esset. Quod pactum juramento confirmarunt, duodecim Principes, nomine Regis: & duodecim Barones, nomine Ducis.*

Jurgiorum seminarium. *Gemiticen. l. 7. c. 8.*

Hæ pacis conditiones, multam jurgiorum segetem crearunt: & parùm Roberto, nihil Henrico fratri, natu minimo, profuerunt. Guilielmus enim, ad promissa, & paciscenda, facilis: ad solvendum morosus & difficilis fuit. & uterque *cum fratrem suum Henricum* (loquitur Gemiticensis) *debuissent adjuvare, eique providere; ut frater eorum, & filius Regis honorabiliter posset vivere, de totâ terrâ patris sui, eum expellere conati sunt.* Sed ille cautior, cum rescisset, se extra pacta fuisse: omnemque Normanniam vel Guilielmo, vel Roberto deberi, nihil sibi: Abbatiam in monte Sancti Michaelis, in Normanniæ Britanniæque confinio sitam, quæ Guilielmo in sortem ceciderat; occupavit, milite, castroque munivit; inde vicina deprædatus. de quo plura anno sequenti.

IV. Monachi ad S. Oswini Ecclesiam transferuntur. *V. an. 1065. n. 5. 6. 7. &c.*

Dum Reges inter se, pro terrarum dominio, disputant: Robertus in Angliâ Northumbriæ Comes, cognomento de Mowbraye; meliori impetu, pro cælo contendit: cum prædia sua, terrasque Deo consecrat, ut recipi mereatur in æterna tabernacula: Ecclesiæ passim, & in Northumbriâ potissimùm, tot passæ temporum bellique injurias, jacebant: & illis erigendis Robertus pientissimè manum apposuit. Fuerat olim ad Tinæ fluminis ostium, Ecclesia Deo, & Deiparæ Virgini, consecrata: in qua Sancti Oswini Regis, & martyris corpus, ab anno Christi sexcentesimo quinquagesimo primo; per varia sacri cultus incrementa, & decrementa, conditum dixi tomo secundo; cum sanctus moritur. & tomo tertio, cum anno millesimo sexagesimo quinto, Deus voluit mirabiliter Sanctum honorare. Ad hunc locum, olim Virginum colonia, è Cœnobio Sanctæ Hildæ, migraverat; ut Deo, Sanctoque Martyri supplices, sponso cælesti pararentur. Sed Danis Northumbriæ regnum invadentibus, & multo annorum curriculo provinciam vexantibus; sacræ Virgines, relicto Cœnobio, tutiora petiverunt: & Oswini Martyris memoria, cum Ecclesiæ ruderibus, in situ erat, & oblivione hominum; donec, Deo inspirante, Agelwinus Dunelmensis Episcopus, Ecclesiæ lucem, & Martyri cultum, postliminii jure restituit, anno millesimo sexagesimo quinto, ut dictum ibi. Tunc coli Sanctus, & frequentari cœpit Ecclesia, Juditha Comitissa Tostii, Haroldi Regis fratris conjuge, pietatis facem præferente. Verùm à Normannorum ingressu, Northumbriæ regnum, varia clade percussum, & civili externoque bello laceratum; obliterarat iterum provincialium vota, & splendorem Ecclesiæ: quem Robertus Northumbriæ Comes, hoc anno, Oswino Sancto restituit, cum Monachos, ex Albanensi Monasterio, quos Paulus Abbas, Lanfranci nepos, ad religiosæ disciplinæ normam formaverat, impetravit; de quo hæc scribit Albanensis Monachus Matthæus Paris ad annum 1090. *V. an. 1065. n. 6. 7.*

V. *Paris hic.*

Circa hos dies, inquit, *Robertus de Molbraio, Northumbrensis Comes, divinâ inspiratione tactus; volens Ecclesiam Beati Oswini de Tinemutha, jamdudum desolatam restaurare: atque ibi Deo, & Sancto Martyri Oswino, Monachos servituros constituere: consilio amicorum, Paulum, Ecclesiæ Sancti Albani Abbatem convenit, petens obnixiùs, & devotè; ut ex Monachis suis aliquos illuc transmittere, dignaretur: promittens omnia, quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, se eis affatim suppeditaturum. Petitioni quidem Abbas prædictus non defuit. nam quosdam illuc, ex Sancti Albani Monachis, mitti procuravit. Quos cum Comes præfatus, maneriis, Ecclesiis, redditibus, piscariis, molendinis, & rebus omnibus locupletasset: & literis suis prædicta omnia, ab omni seculari servitio excepta, & penitùs libera, confirmasset: dedit prædicto Abbati Paulo, ejusque successoribus, & Ecclesiæ Beati Albani, Anglorum Protomartyris, Ecclesiam Tinemuthanam, cum omnibus appendicibus suis; pro salute propriâ, & omnium antecessorum suorum, sive successorum, in perpetuum possidendam. Ita quidem, ut Abbates Sancti Albani (qui pro tempore fuerint) cum consilio ejusdem loci conventus, liberam habeant dispositionem Priorum, & Monachorum; tam in illis constituendis, quàm removendis, prout viderint expedire.* Ita Matthæus.

VI. Tinmuthana Ecclesia cella S. Albani. Item Ecclesia Deiparæ in Bever. *Paris in vita Pauli fo. 51.*

Ab hoc anno, & deinceps, hæc Tinmuthana Ecclesia, Albanensi Cœnobio unita, Cella vocatur eidem Monasterio. Quemadmodum, eodem tempore, in Lincolniensi agro, Ecclesia, Deiparæ quoque consecrata, in oppido Bever, in Albanensium Monachorum jus transivit, sub Abbate Paulo: cujus prudentia religioque, excivit plures, ad Deo sub ejus disciplinâ famulandum. De quibus idem Matthæus in vitâ Pauli Abbatis. *Ejusdem quoque tempore*, inquit, *Robertus de Mowbray, vir illustris, Comes scilicet Northanhimbrorum, de religione Ecclesiæ Sancti Albani certificatus; per Abbatem Paulum, in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, de Thynemwe (in qua corpus Beati Oswini Regis, & Martyris requiescit) Monachos Ecclesiæ Sancti Albani, fecit collocari; & ipsam, cum omnibus pertinentiis, Regis & Archiepiscopi Lanfranci benevolentiâ, Cellam forè Sancti Albani constituit. Similis quoque spiritus devotione tactus, Robertus de Thotenei, Cellam contulit de Belvareo. Robertus verò de Limesi Cellam addidit de Hartfordiâ. Cella quoque de Binham, cum terris, decimis, & omnibus tunc temporis*

Pauli Abbatis industria, multa dantur Albanen. Coenobio.

ad eam pertinentiis, Ecclesiæ Sancti Albani industriâ hujus Abbatis Pauli, est collata: sicut in chartis VVilhelmi senioris, & VVilhelmi junioris, & aliorum continetur. Multa autem alia prædia, redditus, & beneficia, huic Ecclesiæ, prudentiâ hujus Abbatis Pauli sunt collata. quæ, quia scripta non sunt, & propter hominum simplicitatem solo usu possessa, ablata sunt, & à memoria hominum elapsa.

VII. Hic Albanensis Monasterii splendor, ab Abbate Paulo, sed multò magis à Lanfranco fluxit: cujus industriâ, & præscriptis, è regulari vitâ ritibus, plurima per Angliam Monasteria floruerunt. Unde Matthæus noster, cum Pauli præfecturam, & sui Monasterii religionem laudat; hæc habet huic tempori opportuna. *Ad cumulum laudis ejus (Pauli) adjiciendum est: quod consuetudines approbatas, & approbandas, authoritate Lanfranci; quondam Beccensis Ecclesiæ Monachi; in Ecclesiâ Sancti Albani; eliminatis antiquis reprobandis; constituit observari. Unde bono odore famæ, hæc Ecclesia, totam replevit regionem, & facta est quasi schola aliarum magistralis.* Consuetudinum nomine, intelligit, opinor, decreta illa, quæ, in antiquo Manuscripto Codice Ecclesiæ Cantuariensis habentur: quæque publici juris fecit Clemens Reynerus in fine Apostolatus, in tertia parte Appendicis, scripturâ octogesimâ quartâ: ubi Lanfrancus ita loquitur. *Lanfrancus indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ: dilectissimis fratribus suis, Henrico Priori, & cæteris salutem, & benedictionem. Mittimus vobis nostri ordinis consuetudines scriptas; quas excerpsimus, ex consuetudinibus eorum Cœnobiorum, quæ nostro tempore majoris authoritatis sunt in ordine Monachorum. Addidimus quoque perpauca, & mutavimus nonnulla, & maximè in celebrandis quibusdam festis, excellentius in nostrâ Ecclesiâ, oportere ea agi censentes, propter primatem Sedem.* & cætera quæ sequuntur.

Paris in Paulo Ab. fo. 52.

Albanensis Coenobii regularis disciplina.

Apud Reyner. in Ap. script. 84.

VIII. Hac industriâ, plures per Insulam Ecclesiæ, plurima Monasteria surrexerunt, in Cantio, in Merciis, atque Northumbriâ. Sed & in Occidente ubi Somersetanus est ager, & urbs Bathonia; Cœnobium quod anno septingentesimo septuagesimo quinto, ibi Offa Merciorum Rex fundaverat; è ruderibus & cinere cœpit hoc anno emergere; cum paulo antea incendio periisset. de quo hæc habet Reynerus. *Anno Domini millesimo octogesimo septimo, Cœnobium, & civitas Bathoniensis penè universa, incendio absumpta sunt. Sed ipsum à fundamentis novum circa annum millesimum nonagesimum erexit Ioannes de Villula: qui Malmesburiensi teste, minoris gloriæ putans, si in villâ (VVellensi) resideret inglorius, transferre thronum in Bathoniam animo intendit: sed cum id manifeste, vivente Guilielmo patre, cogitasset: tempore Guilielmi filii effecit. Nec eo contentus, totam etiam civitatem in suos, & suorum usus transtulit: ab Henrico Rege, quingentis libris argenti mercatus urbem, in qua balnearum calidarum latex exurgit. Abbatiam ergo ipsam Ioannes à Rege, non gravate obtinuit. Multa ibi per eum nobiliter incepta & consummata in ornamentis & libris, maximéq; in Monachorum congregatione: qui erant scientiâ literarum, & sedulitate officiorum juxta prædicabiles.*

V. an. 775. n. 4.

Reyne. par. 2. fo. 138.

Joannes Wellen. Episcopus Monasterium reparat Bathoniæ.

ANNUS CHRISTI 1091.

URBANI II. PAPÆ 4.

GUILIELMI II. REGIS 5.

I. Vidimus supra Ecclesias & Monasteria, Lanfranci & piorum Principum industriâ, ornata & illustrata esse: nunc dicendum est, illa Guilielmi junioris avaritia & impietate, eadem fœdari. cum Ecclesiasticas dignitates venum exposuit, anno Domini millesimo nonagesimo primo. quando Thrustinum; quem Guilielmus senior, Abbatiali præfecturâ exuerat, & in Normanniam ob crudele facinus, in Glastonienses Monachos, amandaverat, pecuniarum intercessione restituit. Quod Malmesburiensis in Antiquitatibus illius loci, ita refert. *A Guilielmo Rufo Thrustinus, quondam Abbas Glastoniæ, qui per priorem Guilielmum Regem in Normanniam trusus fuerat, auxilio parentum suorum, Abbatiam Glaston quingentis libris dicitur redemisse.* Et vereor, quod de hoc Monasterio dicitur, de aliis vacantibus intelligi debet. nam impius Rex, Ecclesiæ sanctitatem parùm reveritus; nec scita Pontificum simoniæ labem execrantium; ex omni re sacra lucrum extorsit. nisi fortè in hominem incidisset mundo, & omni ambitione majorem; qualis sine dubio, Exabbas Thurstinus non fuit. Fuit tamen hoc anno, unus Sarisberiensi Ecclesiæ præfectus à Guilielmo Rege, quem Guilielmi avaritia non potuit flectere, de quo nunc dicendum.

Thurstinus restituitur a Rege, olim depositus.

Antiquit. Glaston. fo. 26.

II. Hermannus dudum, sub pontificali Infulâ senuerat; quam sub hæc tempora (annum à nemine consignatum invenio) deposuit. Sederat Wiltunensis Episcopus, ab * anno millesimo quadragesimo quinto: post annos duodecim, Schirnburnensem Ecclesiam univerat Wiltunensi: & demum sub Guilielmo seniore, illustriorem Sedem ambiens, Sarum migraverat: ubi cum Ecclesiam Apostolorum Principi sacram, à fundamento erigere cœpisset: *Inchoatâ novi operis Ecclesiâ, morte senili tempus dedicationis prævenit,* inquit Malmesburiensis: qui de successore ita pergit dicere. *Veruntamen succedente sibi Osmundo, viro probatissimo; Ecclesia ad summum deducta, & cæteraque competebant adaucta. Clerici undecumque literis insignes venientes non solum libenter retenti; sed & liberaliter coacti, ut remanerent. Denique emicabat ibi magis, quàm aliàs, Canonicorum claritas, cantibus, & literaturâ nobilium: librorum copia conquisita. Cum Episcopus ipse, nec scribere, nec scriptos ligare fastidiret, castitate præminens. De cujus virtute mentiri erubesceret fama volubilitas. Unde fiebat, ut pœnitentibus asperior æquo videretur; dum quod in se non inveniret; in aliis duriùs vindicaret. Ambitionis immunis, sua stultè non perdere, aliena non quærere: Abbatias intra Diœcesim suam sitas nulla pensione gravi emungere.*

Hermannus Sarisburiensis moritur.

V. an. 1045. n. 5.

V. an. 1058. n. 7.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 250.

Succedit Osmundus.

Ejus elogium.

III. Hic est Osmundus ille, sanctitatis titulo nomineque illustris, qui non aliunde; sed per ostium intravit, præfuitque ovili: qui nulla pecuniarum largitione, nulla ambitionis maculâ; sed notæ pietatis indole; doctrinæ merito, morumque probitate Sarisburiensem Sedem ascendit. de quo Harpesfeldus. *Cucurrit Osmundus per omnes civilis honoris gradus. Comitatu Sagiensi in Neustriâ*

Osmundus Comes Sagien.

Harpesf. sæc. 11. c. 19

(qua illius potissimum aliquandiu consilio, & authoritate gubernabatur) & Dorsatensi in Angliâ, cum supremi Cancellarii honore, regnante Guilielmo primo, amplificatus. Sagiensis ille Comitatus, mortuo patre, proventus, in pauperum, & Ecclesiarum usus convertit. Et quoniam in externa Republica administranda, & civilibus ille honoribus gerendis, castè, & integrè versatus est: adque omnem pietatem excolendam mirificè propendebat: ad Ecclesiam quoque suam regendam, Deus eum, ut olim Ambrosium illum Mediolanensem, accivit. In quo ille munere obeundo, integerrimè, & sanctissimè versatus est. Plura hoc loco non addam, de Osmundo; quia frequens erit in sequentibus ejus mentio. Ad Glastoniensem Abbatem redeo, qui quantum obscuravit, fœdavitque sanctissimum locum: tantumdem lucis ac splendoris Deus voluit accrescere; antiqui & sanctissimi Præsulis invento thesauro, & Glastoniam hoc anno translato.

IV.
V. an. 460. n. 1. 2. 3.
TRANSLATIO CORPORIS S. BENIGNI.

Dixi tomo primo Annalium, Sanctum Benignum, Patricii discipulum, & in Armachanâ Sede successorem, Glastoniam venisse, sub annum Domini quadringentesimum sexagesimum: & inde quietis, solitudinis, mortisque locum petiisse, Ferrameræ Insulam. ubi post quatuor, aut sex, solitudinis annos, sanctissimè moritur, miraculorum gloria, post mortem clarissimus. Quorum memoria, post sexcentos annos, ad hoc usque sæculum undecimum, suavissimum piis mentibus odorem afflaverat. unde Glastonienses Monachi recreati, nunc demum potiri thesauro illo, & præsentem in Ecclesiâ suâ venerari gestierunt: Deo imprimis pietatis impetum suggerente. Itaque cum Thurstinus Abbas, secundùm esset, ab eo sacri pignoris translationem impetrarunt: eo modo, quem Glastoniensium Antiquitatum Authores referunt. *Ad gloriam* (inquiunt) *Thurstini pertinet Beati Benigni translatio. Hujus namque diebus, translatus est, à loco Ferramere dicto, ubi obierat, & sepultus fuerat; usque ad Glaston. Nullus itaque Glastoniensium Abbatum antea apposuerat mentem; ut Ecclesiam principalem, illo insigniret corpore. His eandem diebus prædicti loci fratres omnes, in unam convenientes sententiam; Trustino Abbati, justas de hoc intulerunt querelas; ne lucerna luceret sub modio, quæ totam illustrabat Angliam miraculorum corusco.*

Antiquit. Glaston. fo. 87.

V.
MODUS ET APPARATUS TRANSLATIONIS.

Flexus his Abbas cessit bonæ voluntati justa poscentium: & die indictâ, religiosum propositum mancipaverunt effectui. Ossa enim effossa, & reverenter sindone involuta, ac in locello ad hoc parato inclusa, odorem spirabant fragrantem, & balsamiticum. Scrinio Abbas sigillum impressit, ne quis clandestina surreptione, reliquias temeraret. Et consilio habito, nullatenus tunc decrevit sacras transferre reliquias; donec Episcopus Diœcesanus Edictum proponeret: quo tanto patrono transferendo, populus undique occurreret. Propositum namque habuerant, ut sequenti transferretur Dominica. Sed per visionem Sancto cuidam Monacho factam, ad octo deinde hebdomadas fecit differri. Monachi interim septem illuc missi; circa sanctum corpus, solicitas observabat excubias; in Dei laudibus die, & nocte jugiter meditantes. Elapsis deinde octo septimanis, illuxit dies quem præsignaverat Sanctus. Ossa iterum de locello eruta, & lota, in scrinio aurato, ad id misso, sunt locata. Aqua etiam dictarum reliquiarum ablutione sanctificata, diligenter custodita, multis postea infirmitatum generibus fuit medicina. Nocte verò Dominicam translationis diem præcedente; duo viri per fluvium contiguum remigantes, columnam lucis, in cælum usque porrectam, super Oratorium Sancti viderunt, ac etiam multis aliis ostenderunt. Nec minùs manè, cum sanctæ reliquiæ navigio, versus Glaston deferentur: duo in eadem naviculâ existentes; Monachus unus, & alter laicus; eminùs conspicati sunt ex aëre quasi armatum tectum diversorum colorum, totum Monasterium obumbrare: ut nullatenus dubitarent, cælestem gratiam illabi, & adgaudere habitaculo; cui tantum advehebatur inhabitator. Omnes itaque turba gaudentes, & Monachi & Clerici sacris induti, cum crucibus, thuribulis, luminaribus, ac cæteris, quæ mos est in processionibus efferri; obviam procedunt, canticis & laudibus sonoris concrepantes.

VI.
CONCIO IN FINE TRANSLATIONIS.

Sanctis reliquiis litori appulsis, atque ad locum congruum citra flumen delatis, mediâ ferè viâ, inter flumen, & Monasterium, ex eminentiori statione edito: de sancti viri vitâ, & translationis causâ, ad circumstantem plebem factus est sermo. Et in fine sermonis, prolato uno ex ossibus sacris; ac super astantes, crucis signo ex eo facto: tanta divinæ liberalitatis in populum effluxit gratia: ut vexati languoribus variis, & diversa infirmitatum pericula sustinentes, cæci, surdi, muti sanarentur. Multi etiam quos viscerum cruciabat tortio, mortem intus latentem evomerent; & multi coram omnibus, colubros, & multipedes effunderent. In loco autem illo, quo tunc quievit corpus sanctum, ipsius Sancti nomine fabricata est Ecclesia continuò, quam dedicavit Ioannes, primus Episcopus, qui Bathoniæ Cathedram suam statuit: quæ usque in hodiernum diem perseverat. Ita festivâ laude, in majorem Ecclesiam Sanctus Benignus deductus, & ante magnum altare locatus, quotidianis miraculis suæ sanctitatis ostendebat præconium. Tanta quippe fuit hominum diversorum, utriusque sexus frequentia: ut continuis quadraginta diebus, vix quisquam ad Altare, præ pressurâ populi posset accedere. Hinc confluentes, è diversis provinciis, variis morborum ac infirmitatum molestiis gravati, cæci, muti, paralytici, leprosi, mente capti, hydropici, contracti; mulieres etiam fœtum mortuum in utero gestantes, per S. Benigni merita, sospitate adeptâ, alacres redierunt ad propria. Facta est autem hæc translatio, anno Domini millesimo nonagesimo primo. Hactenus Authores illi: qui mox de Thurstino Abbate subdunt: *Abbas verò Thurstinus aliquot annis Monasterii regimen occupans; & per ejusdem possessiones pervagatus, longè ab ipso Monasterio, ut dignus erat, miserè vitam finivit.* Eadem de anno translationis, & Dei mirabilibus, ibi factis habet vita S. Benigni apud Capgravium.

ECCLESIA EXTRUITUR S. BENIGNO.

MORITUR THURSTINUS ABBAS.

VII.
REX ET ROBERTUS IN HENRICUM FRATREM ARMANTUR.

Hoc anno, cum omnis Insula quiesceret; turbæ in Normanniâ Anglos, & Anglorum Regem, eò vocarunt. Guilielmus Rex, & Robertus, Normannorum Dux, in Henricum fratrem armantur: qui paulò ante terras invaserat, quas è lege pactorum Guilielmus vendicabat: & uterque convenerat, alterutrum adjuvare. Sed pacem uterque in Henricum potuit, Deo illi ad Angliæ, & Normanniæ principatum, viam sternente. Hanc expeditionem paucis absolvunt Wigorniensis & Hovedenus ita scribentes. *Rex & Comes, congregato exercitu, per totam Quadragesimam montem Sancti Michaëlis obsederunt: & frequenter cum Henrico prælium commiserunt, & homines, & equos nonnullos perdiderunt. At Rex, cum obsidionis diutinæ pertæsus fuerat, impacatus recessit.*

Wigorn. & Hovedenus. hîc.

Duo

Duo in hac obsidione contigerunt; quæ omittunt illi; memoriâ, & Annalibus digna, in quibus legere est, tam Guilielmi Regis; quàm Roberti fratris indolem. Illa refert Malmesburiensis ita. *In ea obsidione, præclarum specimen morum in Rege, & Comite, apparuit: in altero, mansuetudinis: in altero magnanimitatis. utriusque exempla notae, pro legentium notitiâ affigam.*

Malmesb. de Reg. l. 4. fo. 122.

VIII. GUILIELMI REGIS MAGNANIMITAS.

Egressus Rex tabernaculo; vidensq; eminus hostes superbe inequitantes, solus in multos irruit, alacritate virtutis impatiens; simulq; confidens, nullum sibi ausurum obsistere. Moxq; occiso sub feminibus deturbatus equo, quem eo die quindecim marcis argenti emerat. etiam diu per pedem tractus est: sed fides loricæ obstitit, ne læderetur. Iamque miles qui dejecerat; manum ad capulum aptabat, ut feriret. Cum ille, periculo extremo territus, exclamaret: Tolle nebulo, Rex Angliæ sum ego: Tremuit notâ voce jacentis, vulgus militum. Statimq; reverenter, de terra levato alterum equum adducunt. Ille non expectato ascensorio, sonipedem insiliens: omnesq; circumstantes, vivido perstringens oculo: Quis, inquit, me dejecit? Mussitantibus cunctis; miles, audacis facti conscius, non defuit patrocinio suo, dicens: Ego qui te non putaram Regem esse, sed militem. Tum verò Rex placidus, vultuq; serenus. Per vultum (ait) de Luca (sic enim jurabat) meus amodo eris: & meo albo inscriptus laudabilis militiæ præmia reportabis. Macte animi, amplissime Rex: quod tibi præconium super hoc dicto rependam? à Magni quondam Alexandri non degener gloria, qui Persam militem se à tergo ferire conatum: sed pro perfidiâ ensis spe sua frustratum, incolumem pro admiratione fortitudinis conservavit.

IX. ROBERTI DUCIS MANSUETUDO.

Iam verò, de mansuetudine Comitis dicam. Cum obsidio eousque processisset: ut aqua deesset obsessis: misit Henricus nuntios Comiti, qui eum de siti suâ convenirent. Impium esse, ut eum aquâ arceat, quæ esset communis mortalibus. Aliter, si velit, virtutem experiatur: nec pugnet violentiâ elementorum, sed virtute militum. Tum ille, genuina mentis mollitie flexus: suos, qua prætendebant, laxius habere se jussit; ne frater siticulosus potu careret. Quod cum relatum Regi esset; ut semper caloris pronus erat, Comiti dixit: Bene scis actitare guerram, qui hostibus præbes aquæ copiam: & quomodo eos domabimus, si eis in pastu, & in potu indulserimus. At ille renidens: illud come, & meritò famosum verbum emisit: Papæ, dimitterem fratrem meum mori siti? Et quem alium habebimus, si eum amiserimus. Ita Rex deridens mansueti hominis ingenium, resolvit prælium: infectaq; re, quam intenderat: quod eum Scottorum & VVallensium tumultus vocabant, in regnum, cum ambobus fratribus se recepit. Hæc ille. Prius tamen, quàm in Angliam trajicerent: Henricus è munitione suâ, *libere exiens* (inquit Gemiticensis) *oppidum munitissimum nomine Danfrontem, sagacitate cujusdam indigenæ, suscepit. quod tantâ diligentiâ exinde custodivit: ut usque ad terminum vitæ illius, in suo dominio habuerit.* Capto oppido, novo fœdere fratres in amicitiam coëuntes, tunc demum in Angliam solverunt.

Gemiticens. l. 7. c. 3.

X. REX ET ROBERTUS INFELICITER PUGNANT IN ANGLIA.

Festinandi causa, Britannorum, & Scotorum tumultus fuerunt. Illi quidem inter se pro imperio pugnantes; Anglorum vires, suis muniti montibus, non curarunt: Cum Scoto etiam satis infeliciter actum, amisso potius suo quàm domito eorum milite. Utrumque breviter Malmesburiensis expressit, cum fratres in Angliam reduxisset. *Statim*, inquit, *primo contra VValenses, post in Scottos expeditionem movens, nihil magnificentia sua dignum exhibuit Guilielmus Rex: militibus multis desideratis, jumentis interceptis. Nec tunc solum. sed multoties parva illi in VValenses fortuna fuit: quod cuivis mirum videatur; cum ei alias semper, alea bellorum felicissime arriserit. Sed ego intelligo, pro soli inæqualitate, & cæli inclementiâ, sicut rebellionem eorum adjutam, ita ejus virtutem impeditam.* Ita de Walensibus, seu Britannis.

Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 122.

Majus in Scotorum tumultu, negotium, & momentum fuit. nam *mense Maio* (loquitur qui tunc vivebat Florentius Wigorniensis) *Scotorum Rex Malcolmus, cum magno exercitu, Northimbriam invasit: si proventus successisset, ulterius processurus, & vim Angliæ incolis illaturus. Noluit Deus: ideo ab incepto est impeditus. attamen antequam rediisset, ejus exercitus de Northimbra secum modicam prædam adduxit. Quo audito Rex, cum fratre suo Roberto, rediit Angliam, mense Augusto. non multò post, cum classe non modicâ, & equestri exercitu Scotiam profectus est: ut Regem Scotorum Malcolmum debellaret. Sed priusquàm illuc pervenisset; paucis diebus ante festivitatem Sancti Michaelis, ferè tota demersa est classis; multiq; de equestri exercitu ejus fame & frigore perierunt. Cui Rex Malcolmus, cum exercitu in provinciâ Loidis occurrit. Quod videns Comes Robertus; Clitonem Edgarum (quem Rex de Normanniâ expulerat: & tunc cum Rege Scotorum degebat) ad se accersivit. Cujus auxilio fretus, pacem inter Reges fecit: ea conditione ut Guilielmo (sicut patri suo obedivit) Malcolmus obediret. Et Malcolmo duodecim villas, quas in Angliâ, sub patre illius habuerat, Guilielmus redderet. & duodecim marcas auri, singulis annis daret. Sed pax inter eos facta, non multo tempore duravit. Ipsum etiam Edgarum, cum Rege Guilielmo, Comes pacificavit:* Nimirum quem priùs, è Normanniâ, honore privatum expulerat.

VVigornien. hic.

MALCOLMUS INVADIT NORTHUMBRIAM.

PAX INTER REGES.

SCOTIA ANGLIS SUBDITUR.

XI. Quod ad pacem hanc attinet, cum Rege Scotorum: eâ lege inita pactaque est; ut Malcolmus, suo successorumque nomine, subjectionem Guilielmo, & Guilielmi successori, cum Sacramento sponderet. Quod Henricus Huntindonius ita paucis absolvit. *Veniens in Angliam Rex, & cum eo Robertus frater suus, direxerunt acies in Scotiam. Itaque Melcolm, nimio terrore perstrictus, homo Regis effectus est, & juramento fidelitatis ei subjectus.* Quod Matthæus Paris ita effert. *Malcolmus homagium Regi Anglorum fecit, & fidelitatem juravit.* Verùm nec Malcolmus Guilielmo: nec Guilielmus fratri suo, in pactorum sanctitate, fideles diu fuerunt. nam anno sequenti, Malcolmus Angliam prædabitur; sed præda Anglis, & victima cadet. Guilielmus etiam, præter verborum phaleras, & lenocinia; aliud Roberto nihil præstitit. Unde Wigorniensis. *Rex* (inquit) *de Northimbriâ per Merciam, in VVest-Saxoniam rediit: & secum ferè usque ad Nativitatem Domini retinuit Comitem. sed conventionem inter eos factam, illi persolvere noluit. Quod Comes graviter ferens, decimo Calendas Ianuarii, cum Clitone Edgaro, Normanniam repetiit.*

Huntindon. fo 273. l. 7

Paris anno 1091.

VVigorn. hic.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1092.

URBANI II. PAPÆ 5.

GUILIELMI II. REGIS 6.

I. *Remigius Lincolnien. Episcopus moritur.*

Conſecratio Eccleſiæ Lincolnien. impeditur.

SEQUITUR Chriſti annus nonageſimus ſecundus, ſupra milleſimum: quo Remigius Lincolnienſis Epiſcopus, cum Angliam, bonorum operum odore & ſanctitatis opinione implevisset, immortalitatis præmio à Deo donatur. Dudum in ſuâ ſede ædem erexerat Deiparæ ſacram, operis elegantia cum primis conferendam: viros etiam in Clerum aggregaverat, ſcientiâ moribusque ornatos. Reſtabat Eccleſiæ conſecratio, quam in hunc annum, ad majorem religioſæ cærimoniæ ſolennitatem, diſtulerat: volebatque, & datis undique literis hortabatur, Suffraganeos omnes in dicto die, Encæniis intereſſe. Quod ubi intellexit Eboracenſis Archiepiſcopus Thomas, importunâ interceſſione, conſecrationem conatus impedire: aſſerit Lincolnienſem agrum, ad ſuæ Diœceſis jura pertinere: ſuoque injuſſu nihil ritè, & è Canonum præſcripto, aut fieri poſſe, aut debere. Hoc idem queſtus eſt ſuperioribus annis; cum Remigius è Dorceſtria, Lincolniam migravit: ſed ille, Lanfranci ope, & authoritate tutus; Sedem ibi fixerat: Eccleſiamque egregiè ornaverat: & deerat ſolùm ultima operi manus, quam Vir ſanctus hoc anno imponere ſatagebat. Regem itaque Guilielmum prece, præmioque allectum, ad ſuas partes trahens, Thomæ Eboracenſi opponit: & cauſam obtinuit. Regis juſſu Epiſcopi, ad indictum dedicationi diem, convenire jubentur: unus Robertus Herefordenſis Antiſtes venire detrectavit, neſcio quo doctus oraculo, Eccleſiam à Remigio non fore conſecrandam. Quod evenit; Epiſcopo priùs mortuo, quam conſecrationis dies adeſſet.

II. *Annorum ratio expenditur.*

Paris anno 1091.

Quod ad annum mortis ſpectat, Pariſienſis illam refert ad annum ſuperiorem, & ita loquitur. *Anno Domini milleſimo nonageſimo primo Remigius Lincolnienſis Antiſtes, cum Eccleſiam ſuam jam perfectam, dedicare conſtitueret; Rege præſente & Epiſcopis multis: Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus contradicebat, affirmans eam in ſuâ parochiâ eſſe conſtructam. Unde per appellationem, ab Archiepiſcopo interpoſitam, & per mortem Remigii, quæ illico eſt ſecuta, dedicatio remanſit imperfecta.* Sed alii opinor, rectiùs, Remigium hoc anno mortuum affirmant. vel ſeptimo, aut octavo Maii, ut infra: vel nono, ut Godwinus in Catalogo. vel duodecimo, ut Martyrologium noſtrum. Unde Wigornienſis & Hovedenus ita ſcribunt ad annum milleſimum nonageſimum ſecundum. *Antiſtes Remigius, qui licentiâ Regis Willielmi ſenioris Epiſcopalem Sedem de Dorceceſtre mutaverat ad Lindecolinam, conſtructam in eâ Eccleſiam Pontificali Cathedrâ dignam, dedicare volebat; quia diem mortis ſibi imminere ſentiebat. Sed Thomas Archiepiſcopus Eboracenſis, contradicendo illi reſiſtebat: affirmans eam in ſuâ parochiâ eſſe conſtructam. At Rex Guilielmus junior, pro pecuniâ, quam ei Remigius dederat; ferè totius Angliæ Epiſcopis mandavit, ut in unum convenientes, ſeptimo idibus Maii, Eccleſiam dedicarent. Sed biduo ante diem ſtatutum, occulto Dei judicio, ipſe Remigius Epiſcopus migravit è ſæculo: & Eccleſia per hoc remanſit dedicatio.* Ita illi. Si ad ſeptimum idus Maii indicta eſt dedicatio: & biduo ante moritur Remigius; ut ſupra: vel *uno die*, ut Huntindonius: natalis ejus dies meliùs in Martyrologio legeretur ad ſeptimum vel octavum Maii. Adde: ſi Rex Willielmus potuerit ſolennitati intereſſe, menſe illo: non debet Remigii mors, ad præcedentem annum conſignari: quo conſtat Regem in Normanniâ, eo menſe, in Henricum fratrem pugnaſſe: nec inde ante Auguſtum rediiſſe, ut ſuprà.

Godwin. in Catal. Lincol. Martyro. Angl. 12. Maii. Wigorn. & Hoved. hic.

Huntindon. l. 7. fo. 373.

V. an. 1091. n. 10.

III. *Remigii opera, et elogium.*

Hæc ſatis de tempore mortis: ſed necdum ſatis de ſanctitate Remigii: qui Epiſcopalem infulam ornatiſſimè ab anno milleſimo ſeptuageſimo portavit: & ampliſſimam provinciam ſanctè regens, Clero ſuo ad omnia pietatis opera præivit. Lincolnienſem Diœceſim in Archidiaconos ſeptem diſtinxit, quos ita enumerat Harpesfeldus: *Richardum, Lincolniæ: Nicolaum, Cantabrigiæ: Huntingtoniæ, & Herfordiæ, Nigellum: Northamptoniæ, & Leiceſtriæ, Radulfum: Oxonii, Alfredum: Buckingamiæ, Alaredum: Bedfordiæ verò Osbertum.* Adde, Præbendarios, in Eccleſiâ Lincolnienſi inſtituit unum, & viginti: *doctrina & moribus approbatiſſimos*: inquit Malmeſburienſis: qui Remigium depingens, cum dixiſſet: *pro exiguitate corporis penè portentum hominis* fuiſſe, concludit: *Quem ideo natura compegiſſe videtur: ut ſciretur beatiſſimum ingenium, in miſerrimo corpore habitare poſſe. Feliciter ergo actâ viâ, in ipſo apparatu conſecrationis ſuæ, Lindecolniæ, pridie futuræ dedicationis, emula illum mors tanti gaudii ſubtraxit. Nam & magnanimi viri hortatu, omnes undique Pontifices regium edictum acceperant. Solus Robertus Herefordenſis venire abnuerat: & certa inſpectione ſiderum, dedicationem tempore Remigii non proceſſuram viderat: nec tacuerat.* Hæc ille. Qui paulò ſuperiùs ejus opera pietatis enumerans: *Cœnobium*, inquit, *Monachorum, apud Sanctam Mariam de Stou, ex novo fecit: alterum apud Bardenei, ex veteri, favore ſuo innovavit.*

Harpesf. ſæc. 11. c. 22.

Malmesb. de Pontif. l. 4. fo. 290

Cœnobium unum inſtituit: reſtituit aliud.

IV. *Ceſtren. Cœnobium S. Werburgæ reſtituitur.*

Quis Remigio ſucceſſerit, dicam anno ſequenti: quia Guilielmus Rex, nunquam feſtinavit viduis Eccleſiis paſtores præficere. Fuerunt tamen etiam Normannorum aliqui: qui ſacras ædes, vel lapſas erigere, vel de novo fundare pientiſſimè laborarunt. Eos inter Hugo Lupus, Ceſtrenſis Comes, Cœnobium; quod à Leofrico Comite in honorem Sanctæ Werburgæ monialibus datum fundatumque dixi ad * annum Chriſti milleſimum quadrageſimum ſeptimum; ſub hæc tempora reſtituit, & Monachis aſſignavit. Cæterùm quo Deo gratius holocauſtum eſſet: in religioſo opere, viri religioſi opera, conſilioque uti decrevit: & quia olim illi, in Normanniâ, cum Anſelmo Beccenſi Abbate, magna interceſſerat amicitiæ neceſſitudo: datis ad eum literis miſſiſque nuntiis, ut in Angliam trajiceret, operique pio manum apponeret; magnis precibus obſecravit. Is erat hac tempeſtate Anſelmus, in quem Normannorum, & Anglorum etiam oculi, tanquam in ſplendidiſſimum Eccleſiæ ſidus aſpicerent: & quavis, ſine dubio, infulâ dignum. Si ergo in Angliam concederet, cur non luce ſua, ingentem Eccleſiam Cantuariæ, aliaſque omnes per Inſulam illuſtraret? Nec aliud ad vota deeſſe videbatur, quàm Anſelmi præſentia, quæ nubes in Anglicano cælo collectas diſſiparet. Neſcio, an ea mens Hugonis fuerit, conſiliumque,

**V. an 1047 n. 13.*

Anselmum in Angliam invitandi. Constat tamen, plurimorum vota fuisse, virum talem in primâ Sede locandum. Nec vota Anselmum latuere. Unde Hugonis preces, solitariæ regularique vitæ importunas, semel iterumque rejecit, ut fusè Edmerus notat, ubi Lanfranci mortem describens hæc habet, Annalibus digna.

V. *Edmer. l. 1. f. 14* — ANSELMUS IN ANGLIAM INVITATUR, ET RENUIT.

Quarto inter hæc anno, Hugo, Comes Cestrensis, volens in suâ quadam Ecclesiâ, Monachorum Abbatiam instituere: missis Beccum nuntiis, rogavit Abbatem Anselmum Angliam venire, locum inspicere, eumque per Monachos suos regulari conversatione informare. Renuit ille, nec venire voluit. Iam enim, quodam quasi præsagio mentes quorundam tangebantur, & licet clanculo nonnulli ad invicem loquebantur: eum, si Angliam iret, Archiepiscopum Cantuariensem fore. Quod quamvis omnino remotum esset a voluntate ejus: & firmitas propositi sui, se unquam hoc onus subiturum, certitudinem promitteret animo ejus: tamen quia hoc non omnes intelligebant (providendo bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus) Angliam intrare noluit: ne se hujus rei gratiâ intrasse quispiam suspicaretur. Contigit interea Comitem ipsum acri languore gravari. Quod mox Anselmo mandans; magnopere precatus est, quatenus antiquâ familiaritate consideratâ, ad consulendum animæ suæ, sine morâ veniret. Et si timet, inquit, suscipiendi Archiepiscopatus, ne veniat, eum decipit: fateor, inquit, in fide meâ: quoniam id quod rumor inde jactat, nihil est. Ac per hoc indecens ejus sanctitati esse sciat; si nihilo tenenti, magna mea necessitati subvenire detrectat. Perstat ille in non veniendo: & Comes æquè permanet in requirendo. Tertiò itaque mandat illi hæc. Si non veneris: revera noveris, quia nunquam in vita æternâ, in tanta requie eris; quin perpetuò doleas, te ad me non venisse.

ANSELMI ANGUSTIÆ.

Quod ille audiens: Angustiæ, ait, sunt mihi undique. Si Angliam ivero: vereor, ne cui per hoc prava suspicio surrepat: & me causa consequendi Archiepiscopatus, illuc ire existimet. Si non ivero, fraternæ charitatis violator ero, quam quidem non solùm amico; verùm exhibere jubemur & inimico. Quæ denique si erga inimicum violata, peccatum est, erga amicum, quid est? Et certè amicus meus familiaris, ab antiquo, Comes Cestrensis Hugo fuit: qui mei nunc, ut dicit, indiget. In necessitate probatur amicus. Si ergo propter obliquam, quam in me forsan homines habere possunt opinionem, amico meo in suæ necessitate non succurro: meum certum, pro dubio aliorum, peccatum incurro. Commendans igitur me, atque meam conscientiam ab omni terreni honoris ambitione vacuam, Deo; pergam respectu sancti amoris ejus, morem gerere amico meo. Cætera ipse Deus agat: & me salvâ gratiâ suâ ab omni sæcularis negotii impedimento, pro sua misericordiâ, immunem custodiat. Exigebant etiam tum temporis, Ecclesiæ suæ quadam valde necessaria causa, ut Angliam pergeret: sed præfato illum cohibente pavore; nullo pro eis pacto volebat iter arripere.

VI. ANSELMUS IN ANGLIAM TRAIICIT.

Contigit interea, ut Comitissa Ida loquuturus Boloniam iret; ubi cum per dies aliquot, necessario detentus moraretur: mandatum est illi a Beccensibus; ne, si peccato inobedientiæ notari nollet, ultra Monasterium repeteret; donec transito mari, suis in Anglia rebus subveniret. Profectus igitur mare transiit, & Dobris appulsus est. Inde citato gressu, ad Comitem venit, ipsumq. jam ab infirmitate convaluisse invenit. Hæc omnia Edmerus. Quod ad tempus attinet secundi ejus in Angliam adventus, Anselmus ipse illud innuit in Epistolâ, quam mox, ab exscensione, Beccensibus Monachis dictavit, in hæc verba.

Charissimis, & desideratissimis Dominis suis, servis Dei, Becci commanentibus: Servus eorum Frater ANSELMUS, de virtute in virtutem proficere: ut Deum Deorum in Sion mereantur conspicere. *Ansel. l. 2. Epistolarum Epistola 18.*

SCRIBIT AD BECCENSES MONACHOS.

„ Mox ut de mari exivi in Anglicam terram; „ die Dominicâ mediæ Quadragesimæ, horâ tertiâ, dictavi has literas; ut vestram dilectionem, de nostri itineris prosperitate lætificarem. Dei enim gratiâ favente vestris orationibus, omnia prosperè & honorificè, ultra spem meam mihi, & iis qui mecum sunt in terra, & in mari, postquam a vobis discessi evenerunt. Precor itaque ut sicut fecistis hactenus: ita & deinceps peregrinationem nostram orando adjuvetis: sed multò magis precor, ut reditum nostrum benè vivendo lætificetis.

VII. Hoc igitur anno, Cestrensis Ecclesia, Monachos habuit, Hugonis industria, & Anselmi Abbatis; è cujus disciplinâ, ordinata sunt omnia, qui ad Monasterii restaurationem, & Monachorum mores spectabant. Nisi fortè dixeris; nunc solum inter utrumque conventum, de numero, victuque Monachorum, & forma ædificii: quod modo cœptum, post sequentem demum annum, perfectis omnibus, religiosos viros, & regulare institutum excepit, & una Richardum Abbatem. Hinc non malè Catalogus ædium destructarum, Monasterii exordia refert ad annum nonagesimum quartum hujus sæculi: Hugonem Comitem, & * Ermentrandam fundatores vocans. Godwinus etiam in Catalogo, eundem annum notat, cum de Cestrensibus Episcopis scribit ita. *In civitate Cestrensi fuerat antiquitus sanctimonialium Monasterium. cujus Ecclesia, a clarissimo illo Comite Leofrico constructa, & Sanctæ Werburgæ dicata; ruinam quotidie minabatur: quando Hugo cognomento Lupus, primus Cestriæ Comes, post adventum Normannorum, authore Divo Anselmo (quem ægritudine laborans, è Normanniâ evocarat, (ut sibi consilium in extremis daturus, adesset) restauravit, & Monachis complevit, anno millesimo nonagesimo quarto.* Sedebat hoc tempore Cestriæ Robertus Episcopus: qui statim à fundatione Monasterii; Sedem inde Coventriam transtulit, ut dicam infra. Cæterùm Monachi, multa post sæcula locum tenuerunt, usque ad Henrici octavi postrema tempora. *Qui honorem Episcopalem* (loquitur Godwinus) *urbi restituit, Monasterio prædicto in Ecclesiam Cathedralem converso: & Episcopo constituto, cujus jurisdictioni parerent Comitatus Cestrensis, Lancastrensis, atque Richmondiæ: & Eboracensis provinciæ pars conferretur.*

** Alii Armetridam vocant. Hollins.*

Godwin. in Cestren.

V. an. 1095.

Godwin. suprà.

VIII. CARLEOLUM OPPIDUM MUNITUR.

Ad Anselmum redeo, in Angliâ adhuc hærentem, ob Beccensis Monasterii rationes, quas opinor ob Regis absentiam componere necdum poterat. Enimvero Guilielmus, cum Lincolniensis Ecclesiæ consecratio non procederet, ob Remigii mortem: ipse in Septentrionem profectus, Carleolum oppidum, contra Scotorum incursus muniverat: de quo Hovedenus, cum

Bromton hic.

Remigium sepelivisset: *Hic actu*, inquit, *Rex in Northumbriam profectus; civitatem, quæ Britannicè Caerleil, Lugubalia latinè vocatur, restauravit & in ea castellum ædificavit. Hæc enim civitas: ut aliæ in partibus aliæ nonnullæ; à Danis paganis, ante ducentos annos diruta, & usque ad id tempus mansit deserta.* Prudenter id sanè a Guilielmo factum. nam *locum illum perspiciens quam esset naturâ munitus* (loquitur Godwinus) *amœnum situ, & solo quàm fertili circumfusum: quantique sua interesset, munitionem aliquam illa regione Scotis vicinis objicere. de restauranda hac urbe cœpit cogitare: & post triennium non solum mœnia diruta omnino (adeo ut ingentia robora in vestigiis eorum succreverint) excitavit denuò. Sed castrum etiam firmissimum adjecit, & habitatoribus complevit; Belgis primum, & mox Anglis ex australi parte Angliæ traductis.* Verùm de eductis Belgis, & traductis eò Anglis, dicam inferiùs ad an. 1109. 21. Ubi Rex è Northumbriâ post menses aliquot rediit. Anselmus negotiorum finem sibi pollicitus, urgere illa, suumque in Normanniam reditum cœpit. Sed, Deo virum nobis destinante; nec ipse negotiorum finem videre, nec impetrare Regis ad suum reditum, consensum potuit. Unde Edmerus de illo: *Anselmus detentus est*, inquit, *in Angliâ fere mensibus quinque. detinente eum, non solum Abbatiâ, quam disponere venerat: sed & multiplicium ratione causarum, quæ illius adventus causâ non inferior, sicut diximus, erat. Sicque hujus temporis spatium transiit, ut de Pontificatu Cantuariensi, nihil ad eum, vel de eo dictum, actùmve sit: ipseq́; sui periculi, & antiqui timoris securus effectus fuerit. Post hæc in Normanniam regredi volens; negatâ à Rege licentiâ copiam id agendi habere non potuit.*

Godwin. in Carlea.

Anselmus in Anglia a Rege detinetur.

Edmer. fo. 15.

Anselmus diuturniorem in Anglia moram adscribit Regi; quòd morosior in negotiorum expeditione fuerit. Sic enim ille ad Baldricum, Beccensis Cœnobii Priorem scribit.

Ansel. l. 2. Epistol. Ep. 12.

Desideratis desideratoribus suis, Domino Priori Baldrico; & aliis qui cum eo sunt fratribus: Frater Anselmus, suus illorum, semper benè esse intus & extra.

Anselmi Literæ ad Monachos Beccenses.

„ Nondum vobis possum aliquid mandare „ de utilitate nostri itineris in Angliam; „ quantum pertinet ad nostram Ecclesiam. Differt enim adhuc Rex respondere nostræ petitioni. Quamvis ipse, & alii Principes in Angliâ, mihi nimis ultra mensuram meam, amorem & honorem exhibeant. De incolumitate mea lator præsentium Monachus Domini Abbatis Gisleberti, meliùs quam Epistola nostra docere vos poterit: quem volo, ut valde benignè excipiatis. Reditum nostrum ante Quadragesimam non spero futurum. Mandate mihi literis de his quæ circa vos sunt, ea quæ scire me debere scitis. Mittite mihi orationem ad Sanctum Nicolaum, quam feci: & Epistolam quam contra dicta Roscelini facere inchoavi: & si quas de aliis vestris Epistolis habet Dominus Mauricius. Salutate matres nostras, Dominam Evam, & Dominam Basiliam. Valete.

X. Causa detention.

Cur ante sequentis anni quadragesimam desperet reditum; illa assignari ratio potest: quod Christi nascentis solennia, & Episcoporum preces ejus præsentiam postulaverint. Adde (quod & imprimis) tutelaris Angelus Cantuariensis Ecclesiæ, infulam illi parans, obstinatè restitit: suggessitque Episcopis; ut moras illi necterent, eâ occasione quam narrat Edmerus: *Inter hæc* (inquiens) *cum gratia Dominicæ Nativitatis, omnes regni primores, ad Curiam Regis, pro more, venissent: contigit ut eorum optimi quique, uno consensu, inter se, de communi matre regni quererentur; quod viduata suo pastore tamdiu, & tam inaudita vexatione opprimeretur. Hujusmodi ergo, de hoc, ab eis, consilium sumptum est: ut supplici prece, Dominum suum Regem convenirent: quatenus orationes (quod posteris mirum dictu fortasse videbitur) per Ecclesias Angliæ fieri, ad Dominum permitteret: ut ipse sua pietate Regi inspiraret, quatenus instituto illi digno pastore, à tanta ea clade, & aliàs, per eam relevaret. Quod cum illi unà suggessissent: ipse licet nonnihil exinde indignatus, tamen fieri, quod petebatur, permisit, dicens: Quod quicquid Ecclesia peteret: ipse sine dubio pro nullo dimitteret, quin faceret omne quod vellet. Hoc ita responso accepto; Episcopi, ad quos ista maximè pertinebant; Anselmum super re ipsa consuluerunt. Et quod ipse orationis agenda modum, & summam ordinaret, vix obtinere suis precibus ab eo potuerunt. Episcopis enim præferri in tali statuto, ipse Abbas fugiebat. Coactus itaque juxta quod magis Ecclesiæ Dei expedire sciebat, modum orandi cunctis audientibus edidit: & laudato sensu, ac perspicaciâ animi ejus; tota, quæ convenerat, nobilitas regni, soluta curia, in sua discessit. Instituta igitur preces fiunt per Anglorum Ecclesias omnes.* Hæc, de hoc anno, Edmerus: Quæ postea facta, sequenti anno reddentur.

Tionis Anselmi.

Edmer. l. 1. fo. 15.

Scribit orationes pro Anglorum Ecclesia.

ANNUS CHRISTI 1093.

URBANI II. PAPÆ 6.

GUILIELMI II. REGIS 7.

I. De Anselmo varii sensus.

Christi Redemptoris annus millesimus nonagesimus tertius; varia tristium ac jucundarum rerum vicissitudine illustratur: nunc læto cælo solis radios emittente: nunc pluvio, nubibus tenebrisque obnoxio. In Anselmi caput quicquid lætum, quicquid adversum, refunditur. Ille cum Deum Angliæ propitiasset; & orandi formulam Ecclesiis Episcoporum consensu præscripsisset; Oceanum trajicere, è negotiis emergere: seseque in Beccense Monasterium, & quietis portum recipere, cum maximè gestiret: ortâ de novo tempestate, in duriores fluctus, procellasque rejicitur: cum quibus, vereor, tota vita confligendum. Exordium ejus, ab hujus anni exordio sumitur: quando expectatâ, & nondum impetratâ discedendi facultate; multus de Anselmi virtute, inter aulicos sermo, Anselmi consilium penitus enervat; his solidam constantiamque Abbatis pietatem mirantibus: Rege illam insana mente, jocoque elevante: Deo denique optimo maximo, Regem à jocis ad seria castigante. Sed malo rerum singularum circumstantias Edmero permittere, qui κατὰ μέρος, *per partes*, omnia prosequitur, oculatus, auritus, & luculentus testis. qui cum dixisset, Anselmum egregiam operam in precandi forma posuisse, mox subdit.

II. Edmer. l. 1. fo. 15 fine. ANSELMI LAUS.

Hæc inter evenit; ut die quadam, unus de Principibus terræ, cum Rege familiariter agens, prorumpentibus verbis in hoc, ut fit, sic ei inter alia diceret: Hominem tantæ sanctitatis nullum novimus; quanta est, ut vere probamus, Abbas Beccensis Anselmus. Nihil etenim amat præter Deum: nil (ut in omni studio ejus claret) cupit transitoriuм. Ad quod Rex subsannans: neu, inquit, nec Archiepiscopatum Cantuariensem. Cui cum alter referret: nec illum quidem maximè: sicut mea, multorumq́; fert opinio. Obtestatus est Rex, quod manibus & pedibus plaudens, in amplexum ejus accurreret: si ullam fiduciam haberet, se ad illum posse ullatenus aspirare. Et adjecit: sed per sanctum vultum de Luca (sic enim jurare consueverat) nec ipse hoc tempore; nec alius quis Archiepiscopus erit, me excepto. Hæc illum dicentem e vestigio valida infirmitas corripuit, & lecto deposuit: atque indies crescendo, ferme usque ad exhalationem spiritus egit. Quid plura? omnes totius regni Principes coeunt. Episcopi, Abbates, & quique nobiles, nihil præter mortem ejus præstolantes. Suggeritur ægro de salute animæ suæ cogitare, carceres aperire, captivos dimittere, vinculatos solvere, reperendarum pecuniarum debita perdonare: Ecclesias, suo catenus dominio servituti subjectas; locatis pastoribus, libertati restituere: præcipueq́; Ecclesiam Cantuariensem, cujus oppressione, inquiunt, totius in Anglia Christianitatis constat esse detestandam dejectionem.

REX ÆGRITUDINE CORRIPITUR.

III. ANSELMUS ÆGRUM VISITAT.

Hac tempestate, Anselmus, inscius horum morabatur in quadam villa, non longè a Glocestria, ubi Rex infirmabatur. Mandatum ergo illi est; quatenus sub omni festinatione, ad Regem veniat: & ejus obitum sua præsentia tueatur, & muniat. Accelerat ipse venire, audito tali nuntio, & venit. Ingreditur ad Regem: rogatur quid consilii salubrius morientis animæ judicat. Exponi sibi primo postulat; quid se absente, ab assistentibus ægro consultum sit. Audit, probat, & addit: Scriptum est: Incipite Domino in Confessione. Unde videtur mihi: ut primò de omnibus, quæ se contra Deum fecisse cognoscit, puram Confessionem faciat: & se omnia, si convaluerit, emendaturum, sine fictione promittat, ac deinde quæ consuluistis, absque dilatione fieri jubeat. Laudatur hæc consilii summa: sibique hujus confessionis suscipiendæ injungitur cura. Refertur ad notitiam Regis, quid saluti animæ ejus magis expedire Anselmus dixerit. Nec mora, adquiescit ipse: & cordis compunctus, cuncta quæ viri sententia tulit, se facturum; neque totam vitam suam, in mansuetudine & justitia amplius servaturum, pollicetur. Spondet in hoc fidem suam: & vades inter se, & Deum, facit Episcopos suos, mittens, qui hoc votum suum, Deo super altare, sua vice, promittant. Scribitur edictum, regioq́; sigillo firmatur: quatenus captivi, quicumque sunt in omni dominatione sua relaxentur: omnia debita irrevocabiliter remittantur: omnes offensiones antehac perpetratæ, indulta remissione, perpetua oblivioni tradantur. Promittuntur insuper omni populo, bonæ & sanctæ leges: inviolabilis observatio juris: injuriarum gravis, & quæ cæteros terreat, examinatio. Gaudetur à cunctis: benedicitur Deus in istis obnixè oratur pro salute talis, ac tanti Regis.

IV. ANSELMUS ELIGITUR CANTUARIEN. ARCHIEPISCOPUS.

Sequitur Episcoporum ad Regem expostulatio: qua suadetur Cantuariensem Ecclesiam; quæ jam quadriennio, in luctu, & squalore jacuerat; erigere atque consolari: talem nominando Præsulem, qui omnibus per Angliam Ecclesiis, & sua dignitate præluceat, & sanctæ vitæ exemplo, ac eruditione consulat. Annuente Rege, itum in Anselmum est; (quò enim aliò iretur?) & ipsi Cantuariensis Ecclesiæ infula designatur. Sed quàm invitus, quàm reluctans, quàm obstinatè honorem fugerit, sequentia indicabunt. Interim ad firmandam rationem temporis, quo hæc acta sunt; iis non consentio, qui hæc ad superiorem annum consignant: quia Parisiensis habet. *Anno Domini millesimo nonagesimo secundo, Rex Willelmus junior, apud Glovernium decumbebat ægrotus Quadragesimali tempore. Promisit itaque, timore mortis, & cruciatibus morbi; sese pravas leges emendaturum, & in domo Domini pacem effecturum. Qua de causâ dedit Archiepiscopatum Cantuariensem Anselmo Abbati Beccensi, viro venerabili,* &c. quia novum annum ab Incarnatione Domini auspicatur. ergo multo rectius annum consignat accuratus Annalium conditor Baronius, qui ad annum millesimum nonagesimum tertium, hæc habet: *Hoc eodem anno, magnum illud decus, & splendor Ecclesiæ Anglicanæ, Sanctus Anselmus, eligitur & consecratur Archiepiscopus Cantuariensis, subrogatus Lanfranco: quartum post annum ejus obitus. De quo ejus temporis scriptor sincerissimus Edmerus ejus a secretis minister hæc ait: Rapitur ergo & violenter in vicinam Ecclesiam, cum hymnis & laudibus portatur magis quàm ducitur: Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, pridie nonas Martii, prima Dominica Quadragesimæ.* Ita Baronius ex Edinero, in vitâ S. Anselmi. Nos Authorem illum, communiùs Edmerum appellamus; qui præter vitam S. Anselmi, sex *libros Novorum* scripsit, ubi acta sui temporis, & Anselmi electionem, fusè prosequitur, & admodum sincerè. Ibi multa habet, electioni ejus prævia, & notitiâ posterorum dignissima; in quibus legere est, quàm alieni debeant sancti esse, ab omni dignitatum ambitu: quàm grave onus, & mortalium humeris formidandum, cura animarum: denique quàm dignus fuerit prima sede Anselmus; quia se indignum judicavit. Edmerus ergo in hanc rem ita loquitur.

Paris anno 1092.

Baron. hoc n. 11.

V. Edmer. l. 1. fo. 16.

Interea Regi à bonis quibusque suadetur: quatenus communem totius regni matrem, instituendo illi pastorem, solvat à pristina viduitate. Consentit libens, & in hoc animum suum versari fatetur. Quæritur itaque, quis hoc honore fungi dignius possit. Sed cunctis ad nutum Regis pendentibus, prænuntiavit ipse, & concordi voce subsequitur acclamatio omnium: Abbatem Anselmum, tali honore dignissimum. Expavit Anselmus ad hanc vocem, & expalluit. Cumque raperetur ad Regem, ut per virgam Pastoralem, investituram Archiepiscopatus, de manu ejus susciperet, toto conamine restitit. Idque multis obsistentibus causis, nullatenus fieri posse asseruit. Accipiunt ergo eum Episcopi, & ducunt seorsum de multitudine: hæc ei verba dicentes: Quid agis? quid intendis? Quid contraire Deo niteris? Vides omnem Christianitatem, in Angliâ, ferè periisse: omnia in confusionem venisse: omnes abhominationes emersisse: quaqua versum nos ipsos, & quas regere deberemus Ecclesias Dei, in periculum mortis æternæ, per tyrannidem istius hominis decidisse: & tu cum possis subvenire, contemnis? Quid ô mirabilis homo cogitas? Quo fugit sensus tuus? Ecclesia Cantuariensis, in cujus oppressione, omnes oppressi sumus, & destructi; te vocat, te sublevatorem sui, & nostri, anxia quæritat: & tu postposita libertate ejus, postposita nihilominus relevatione nostra, fratrum laboris participium abjicis; tui solius otiosam quietem appetis? Ad hæc ille: Sustinete, inquit,

NON VULT DE MANU REGIS INVESTITURAM ACCIPERE.

quæso

quæso sustinere, & intendite. Fateor, verum est, tribulationes multæ sunt, & ope indigent. Sed considerate, obsecro. Ego jam grandævus sum, & omnis terrenæ laboris impatiens. Qui ergo pro meipso laborare nequeo: qualiter laborem totius Ecclesiæ, per Angliam constitutæ, suscipere queo? Adhæc, sicut mea mihi conscientia testis est: ex quo Monachus fui, sæcularia negotia fugi: nec unquam ea ex voto intendere potui: quia nihil in iis esse constat; quod me in amorem, aut delectationem sui flectere queat. Quare sinite me pacem habere: & negotio, quod nunquam amavi, ne non expediat, implicare nolite.

VI. Tu tamen (inquiunt) Primatum Ecclesiæ nihil hæsitans suscipe. & i præ, in viâ Dei, dicendo, & præcipiendo, quod faciamus: & ecce tibi manus dabimus: quod sequendo, & obtemperando; quæ jusseris, non deficiemus. Tu Deo pro nobis intende: & nos sæcularia tua disponemus, pro te. Impossibile est, ait, quod dicitis. Abbas sum Monasterii regni alterius: Archiepiscopum habens, cui obedientiam; terrenum Principem, cui subjectionem; Monachos, quibus debeo consilii atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum astrictus; ut nec Monachos deserere possim, sine illorum concessione. Nec me, à dominatu Principis mei, valeam exuere, sine ejus permissione; nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam, cum salute animæ meæ, absque ejus absolutione. De his omnibus, aiunt, leve consilium, & facilis erit assensus omnium. Ait ille: Nihil est omnino, non erit quod intenditis. Rapiunt igitur hominem ad Regem ægrotum; & pervicaciam ejus exponunt. Contristatus est Rex nobis, pene ad suffusionem oculorum: & dixit ad eum: O Anselme, quid agis? Cur me pœnis æternis cruciandum tradis? Recordare quæso fidelis amicitiæ, quam pater meus, & mater mea, erga te; & tu semper erga eos habuisti: & per ipsam obsecro, ne patiaris filium illorum me, in corpore & animâ simul perire. Certus sum enim, quod peribo, si Archiepiscopatum in meo dominio tenens, vitam finiero. Succurre igitur mihi, succurre Domine Pater, & suscipe Pontificatum, pro cujus detentione, nimis confundor, & vereor ne in æternum plus confundar. Compuncti sunt ex his verbis quique assistentium. & Anselmum se excusantem, & tantum onus, nec tunc quidem subire volentem invadunt: talia cum quadam indignatione, & conturbatione, ipsi ingerentes. Quæ dementia occupavit mentem tuam? Regem turbas, turbatum penitus necas: quandoquidem illum jam morientem obstinatiâ tuâ exacerbare non formidas. Nunc igitur scias, quia omnes perturbationes, omnes oppressiones, omnia crimina, quæ deinceps Angliam premunt; tibi imputabuntur, si tu hodie per susceptionem curæ pastoralis, eis non obviaveris.

Anselmus renuit Episcopatum suscipere.

VII. Inter has angustias positus Anselmus; vertit se, ad duos Monachos, qui secum erant; Balduinum videlicet, & Eustachium: dixitque illis: Ah fratres mei, cur mihi non subvenitis? Dixit hoc (Ecce coram Deo, quia non mentior) in tantâ, sicut affirmare solebat, anxietate constitutus; ut si ei tunc optio daretur; multò lætius, salvâ reverentiâ voluntatis Dei, mori eligeret; quam Archiepiscopatus dignitate sublimari. Respondit itaque Balduinus: Si voluntas Dei est, ut ita fiat: nos qui sumus, qui voluntati Dei contradicamus? Qua verba, lacrymæ; & lacrymas sanguis ubertim mox è naribus illius profluens, secutus est. palam cunctis ostendens; ex qua cordis contritione, cum lacrymis verba prodierunt. Audito hujuscemodi responso Anselmus: Væ, quàm cito, inquit, baculus tuus confractus est. Sentiens ergo Rex, quod incassum labor omnium expendebatur: præcepit, ut omnes ei ad pedes caderent: si forte, vel ita ad consentiendum illici posset. Sed quid? Cadentibus illis, cecidit ipse coram eis; nec à primâ sententiâ suâ cadere voluit. At illi animati in eum, seque ipsos pro morâ, quam objectionibus ipsius intendendo passi sunt, ignaviæ redarguentes: Virgam huc pastoralem, virgam clamitant pastoralem. Et arrepto brachio ejus dextro, alii renitentem trahere, alii impellere lectoque jacentis cœperunt applicare. Rege autem ei baculum porrigente, manum contra clausit, & eum suscipere nequaquam consensit. Episcopi verò digitos ejus strictim volæ infixos erigere conati sunt: quo vel sic manui ejus baculus ingereretur. Verum cum in hoc conatum suum aliquamdiu frustrà expenderent: & ipse pro suâ, quam patiebatur læsione, verba dolentis ederet: tandem indice levato, sed protinus ab eo reflexo, clausæ manus ejus baculus appositus est: & Episcoporum manibus, cum eadem manu compressus, atque retentus. Acclamante autem multitudine, Vivat Episcopus, Vivat: Episcopi cum Clero sublimi voce hymnum Te Deum laudamus, decantare cœperunt: electumque portaverunt Pontificem potius, quàm duxerunt, in vicinam Ecclesiam: ipso, modis quibus poterat, resistente, atque dicente: nihil est quod facitis, nihil est quod facitis.

Ad Anselmi pedes procidunt Episcopi.

Baculus Pastoralis manui ingeritur.

VIII. Gestis verò, quæ in tali causâ geri in Ecclesiâ mos est: revertitur Anselmus ad Regem, dicens illi. Dico tibi Domine Rex, quia ex hac infirmitate tuâ non morieris: ac pro hoc volo noveris, quam benè corrigere poteris, quod de me nunc actum est: quia nec concessi, nec concedo, ut ratum sit. His dictis, reflexo gressu discessit ab eo. Deducentibus autem eum Episcopis, cum tota regni nobilitate, cubiculo excessit: Conversusque ad eos in hæc verba sic fatus est. Intelligitis quid molimini? Indomitum taurum, & vetulam & debilem ovem in aratro conjungere, sub uno jugo disponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis utique feritas tauri, sic ovem lanâ, & lactu, & agnorum fertilem, per spinas & tribulos, hac & illac raptam, si jugo se non excusserit, dilacerabit. ut nec ipsa sibi, nec alicui, dum nihil horum ministrare valebit, nisi in ea stat. Quid ita inconsideratè ovem tauro copulastis? Aratrum, Ecclesiam perpendite, juxta Apostolum dicentem, Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Hoc aratrum, in Angliâ, duo boves cæteris præcellentes, regendo trahunt, & trahendo regunt. Rex videlicet & Archiepiscopus Cantuariensis. Iste sæculari justitiâ, & imperio: ille divinâ doctrinâ & magisterio. Horum boum unus, scilicet Lanfrancus Archiepiscopus mortuus est. & alius ferocitatem indomabilis tauri obtinens, jam juvenis aratro Prælatus: & vos loco mortui bovis, me vetulam & debilem ovem cum indomito tauro conjungere vultis? Quæ dico satis intelligitis: & eâ re, quid, cui, associare velitis, vellem consideraretis; considerantes ab incepto desisteretis.

Anselmi vaticinium.

IX. Quod si non desistitis, en prædico vobis, quia me de quo lanam & lac verbi Dei, & agnos in servitium ejus, nonnulli possent habere (extra quam modo putetis) regia feritas, diversis à se fatigatum injuriis opprimet, & gaudium quod nunc de me, quasi pro relevationis vestræ spe vos tenet multos (cum nihil consueti consilii, aut sperati auxilii, per me habere poterint) versum in mœstitiam, dolentes efficiet: eoque proficietis, ut Ecclesiam, quam relevare à viduitate, tantoperè satagitis, relabi in viduitatem, etiam vivente Pastore suo, quod pejus est, quandoque cernatis. Et hæc mala, quibus imputabuntur, nisi vobis,

qui tam inconsideratè Regis feritatem, & meam imbecillitatem conju... illis? Cum igitur, me oppresso, nullus ex vobis fueris, qui ei, in aliquo, audeat obviare: vos quoque procul dubio, pro libitu suo, non dubitabit undique conculcare. Hæc dicens, ac erumpentibus lacrymis, dolorem cordis simulare non valens; ad hospitium suum, dimissâ curiâ vadit. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo tertio, pridie nonas Martii, prima Dominica in Quadragesima. Præcepit itaque Rex, ut sine dilatione, ac diminutione, investiretur de omnibus, ad Archiepiscopatum pertinentibus intus & extra: atque de civitate Cantuariæ, quam Lanfrancus, suo tempore, in beneficio; à Rege tenebat: & Abbatia Sancti Albani; quam non solùm Lanfrancus, sed & antecessores ejus habuisse noscuntur; in alodium Ecclesiæ Christi Cantuariensis, pro redemptione animæ suæ, perpetuo jure transirent. Hæc omnia Edmerus.

RESTITUUNTUR BONA ECCLESIÆ CANTUARIENSI.

X.

V. an. 602. n. 3. 4. 5.

De jure Archiepiscoporum, ad urbem Cantuariensem, plura dixi, tomo secundo; ubi Ethelberti donationem, Augustino factam, excussi: ubi etiam Alodii, beneficiique naturam, & hunc Edmeri locum exposui. Hic solùm adverto, Anselmi constantiam, in onere deprecando, è religione potissimum ortam esse: quòd Pontificum Romanorum decretis, cautum sit, Ecclesiarum investituras à laica manu accipiendas non esse. quod licet à Normannorum ingressu non semper observatum; nuper tamen Gregorius VII. anno Domini 1078. Victor tertius, in Concilio Beneventano, anno Domini 1087. & demum Urbanus, anno millesimo nonagesimo, gravi lege vetuerant. Anselmus tamen, modestè tacuit solœcismum illum; ne præsentes Episcopos, barbarè promotos notasset. nam labes illa, & Ecclesiarum prostitutio, cum Normannis Insulam pervaserat: nec Roma, schismate laborans, mederi malo, cum dignitate, potuit. Unde quotquot præsentes erant huic cum Anselmo concertationi Præsules; è Regum ferè manu, pastoralem baculum, & annulum acceperant. Omisissem ego hanc maculam, nisi Edmerus suam *Novorum historiam* (ita sex libros indigitat) in eo potissimùm cardine collocasset; ut ipse in præfatione testatur, ita scribens. *Ex eo quippe quo Willelmus Normanniæ Comes Angliam debellando sibi subegit. Nemo in ea Episcopus, vel Abbas, ante Anselmum factus est, qui non primo fuerit homo Regis, ac de manu illius, Episcopatus, vel Abbatiæ investituram, per dationem virgæ Pastoralis susceperit: exceptis duobus Episcopis, Ernesto videlicet, & Gundulfo. Hi namque, unus post unum Roffensi Ecclesiæ præsidentes, ex more, à veneranda memoriæ Lanfranco, Archiepiscopo Cantuariensi, in Capitulo Fratrum Cantuariæ, ipso Episcopatu investiti fuerunt.* Ob hanc causam Edmerus, tam articulatè notat Anselmi constantiam, renuentis & manum obserantis; cum baculus offertur. Nunc pergamus ad Anselmi reliqua, quæ idem Author ita prosequitur.

INVESTITURA LAICA PROHIBITA.

Edmer. in præfatio.

XI.

ROBERTI DUCIS, ARCHIEPISCOPI, ET BECCENSIUM MONACHORUM CONSENSUS, EXPETITUR.

Anselmus autem post hæc in villis ad Archiepiscopatum pertinentibus, ex præcepto Regis morabatur: conversante secum, ac victum suo exinde necessaria quæque procurante, venerabili Gundulfo, Roffensi Episcopo. Interea missi sunt a Rege nuntii, cum literis in Normanniam, ad Comitem, ad Pontificem Rhotomagensem, ad Monachos Beccenses: quatenus in, quæ in Anglia de Abbate Beccensi gesta fuerant; singuli, quantum sua intererat, assensum præberent. Sed quid? plurima in hunc modum acta nihili apud eos profecerunt. Tandem tamen importuna ratione, ac rationabili importunitate, Deo disponente, devicti; quæ de Anselmo cœpta sunt, perfici concesserunt; & ne onus impositum subterfugeret, ei per obedientiam injunxerunt. Unde & literæ à singulis scriptæ sunt; quæ in uno eodemq; concordantes, per nuntios Anselmo & Regi sunt transmissæ. de quibus omnibus, unas huic opusculo inseram, quatenus in ipsis, & aliarum sensus eluceat. Sunt igitur hæ.

Frater GUILIELMUS Archiepiscopus, suo Domino & amico ANSELMO, Dei benedictionem & nostram.

RHOTOMAGEN. EPISCOPUS CONSENTIT.

„ DE his, quæ de vobis, à me Rex quæsivit: „ & de quibus ipse mihi scripsistis; sicut de „ tantâ re decuit, hucusque, diu multumque „ pertractavi: & amicorum meorum ac ve„ stros, super hoc, consilium quæsivi. Qui „ utrinque voluissent, si possibile fuisset: & ve„ stram semper, ut olim, habere præsentiam, „ & non facerent, unde offenderent divinam „ voluntatem. Sed quia ad hoc res venit, ut „ utrumque impleri nequeat, sicut dignum est; „ divinam voluntatem nostræ præponimus, & „ nostram voluntatem divinæ subjicimus: atque „ ex parte Dei, & Sancti Petri, omniumque „ amicorum meorum, ac vestrorum, qui secun„ dùm Deum vos diligunt; jubeo; ut pastora„ lem curam Cantuariensis Ecclesiæ, & Eccle„ siastico more, benedictionem Episcopalem „ suscipiatis: oviumque vestrarum, vobis, ut „ credimus, divinitùs commissarum, saluti dein„ ceps invigiletis. Valete viscera mea.

Has unas Rhotomagensis Archiepiscopi literas recensuit Edmerus: missis aliis, quas Robertus Dux, & Monachi Beccenses, quorum intererat, eodem tempore scripsere. dignæ tamen illæ fuissent Annalibus, si omnium copia esset. Roberti Principis literæ desiderantur. cum tamen electioni consensisse testantur literæ Beccensis Monasterii quæ inter Anselmi literas leguntur hunc in modum.

Dulcissimo Domino, & Patri suo, divinitus sibi olim dato Abbati ANSELMO: Humiles Beccensis Ecclesiæ servi & filii sui: Continua Dei in omnibus viis suis protectione dirigi, semper & muniri.

Est inter Epistolas Anselm. l. 3. ep. 6.

„ AUDITA concessione Domini nostri Nor„ manniæ Principis, & Archiepiscopi nostri „ Rotomagensis; quam de vobis, ad petitionem „ Regis Anglorum, & omnium ferè ejusdem „ gentis Principum, fecerunt; ut ad culmen sci„ licet promoveamini Archiepiscopatus: pro ea „ etiam, quæ ad nos de vobis pertinebat, & à „ nobis expectabatur, confessione: omnes in „ unum congregati sumus: unusquisque no„ strum, de suâ sententiâ, ab eo qui præside„ ret, nominatim est requisitus. Multa hinc, „ & diversa nobis sensa, & dicta sunt: quæ modo „ replicanda, & explicanda minimè sunt: finem „ tantum ipsius rei propter quam convenimus, „ breviter vobis intimabimus. Pars quædam „ nostrum, quamvis pro dulci & unico pietatis „ erga vos affectu, valde dolens, atque tristis:

BECCENSES MONACHI CONSENTIUNT, SED NON OMNES.

propter

,, propter Dei tamen metum; cujus id nutu atque consilio agi creditur; libenter ad honorem, & commodum Ecclesiæ Dei; secundùm quod vos etiam consulitis; quod de vobis petitur, concedit. Pars verò nostrum altera, suo potiùs quàm vestro utens, atque fidens consilio ardentiori, atque ut sibi videtur, rectioris amoris vestri zelo, minimè id concedit: nec ad concedendum, ullis majorum se, sive minorum persuasionibus, aliquo modo acquiescit. Quæ autem pars alteram, aut numero aut ratione præponderet, Dominus Lanfrancus, qui interfuit, & omnia hic apud nos gesta, sive dicta, & vidit, & audivit, plenissimè per seipsum, & sufficienter vobis dicet. Nos enim ista succinctè, & celeriter multum dictamus: quia urgebat nos festinans lator præsentium, ut sic agamus. Omnipotens Deus vitam vestram in beneplacito suo, rectè disponat; & ad communem fidelium suorum utilitatem, & gaudium, diu eam in præsenti custodiat. Amen.

XIII. Audisti diversa Monachorum studia; quæ moram Anselmi consecrationi injecere. Sanctior tamen pars; non tantùm jus suum in Cantuariensem Ecclesiam, totiusque Insulæ commodum, transtulit: sed hortator fuit, ursitque maximè, ad onus subeundum. unde Osbernus Monachus, opportunè, importunè, obsecrans, increpans, has literas dictarit: in quibus Edmeri narratio confirmatur.

Inter Epistolas Anselmi l. 3 Ep. 2.

Domino sanctissimo, charissimo electo Anglorum Archiepiscopo, ANSELMO: suus quod semper erat, & semper esse desiderat, servus & filius, Frater OSBERNUS. Ita rectis consiliis agi, ut Deum recta consilia dantem, valeat promereri.

OSBERNUS ANSELMUM HORTATUR, ET URGET.

,, CUM te charissime Domine, in omni veritatis cognitione scientissimum esse sciam: mirum valde, quod in hac sola re, sic omnimoda veri cognoscendi scientia aufugerit: ut quod Deo placitum sit in eo quod communis de te sanctæ Ecclesiæ sententia tulit, ignorare possit. Aut si animus tuus in hanc possimum sententiam vergit, ut quod generalis electio: vel omnium, vel certè quàm multò maximè plurium, & eorum sapientissimorum, Deo placere clamat, solus tu displicere contendas. Vereor dum, pretiosissime Domine, ne præ omnibus hominibus melior, sanctiorque videri velle videaris. Dum quod illi rectissimè intelligunt: rectiùs quasi à te intellectum defendere coneris. Ut enim, inoffenso dulcissimo mihi amore tuo loquar: aut cunctis (quod non credimus) meliorem te fateberis: quippe cui soli revelatum est, quod universæ Anglorum Ecclesiæ fas non erat revelari: aut facias necesse est, quod universalis Ecclesia suadet: hoc est, ut Pontificalis Infulæ principatum, inter Beatos Apostolos suscipere non renuas.

XIV. ,, Sed fortè expectas, Deum majoribus, quod cœpit, indiciis probaturum. non ausim dicere; propterea quod te sapientissimum scio. Sed timeo, ne talis quærenti, ex obliquo respondeatur: Non tentabis Dominum Deum tuum. Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet Deus; quàm ut tu promovereris, Regem, triumphis nobilem, severitate cunctis formidabilem, lecto decubuisse, ad mortem usque ægrotavisse. Te autem provecto, statim eundem respiravisse, convaluisse: atque ex fero & immani mitissimum pariter, & mansuetissimum redditum fuisse. Quid, inquam, aut ad effectum dulcius, aut ad innocentiam præstantius: quàm te ante lectum ægrotantis violenter pertractum; dextram aliorum dextris impudenter de sinu extractam: virgam cæteris digitulis pertinaciter occlusis; pollici atque indici crudeliter impactam. Post hæc toto corpore, è terrâ te elevatum, Episcopalibus brachiis, ad Ecclesiam deportatum; ibique adhuc, te reclamante, & importunis minis obsistente: Te Deum laudamus, esse cantatum? Quid, inquam, vel ad divinas laudes magnificentius; vel ad humana spectacula gaudentius; quàm quòd in tuâ electione, exclusis omnibus transactæ tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii juris possessionem, veluti jubileo termino concurrerunt. Dum vincti, ad expeditionem: carcerati, ad lucem; captivi ad libertatem; oppressi dirissimis exactorum furoribus, redierint ad erectionem. Omnia hæc te loquuntur, tibi famulantur, tuis meritis ascribuntur. Quod si omnes hæ divinæ blanditiæ, ad consentiendum te non excitaverint: profectò noveris, districtâ animadversione æquissimum judicem tecum acturum taliterque in die extremi judicii adversum te propositurum.

,, O homo, meis uberibus nutrite, meis laboribus adulte, meis virtutibus ditate, meis doctrinis illuminate, meis honoribus sublimate; quam tibi molestiam ingessi, ut me præceptorem fugeris, monitorem contempseris, imponentis mei jugum erectâ cervice abjeceris? Nonnè satius erat, nihil mihi de tuo contulisse; quàm quæ mea fuere crudeliter abstulisse? An non constabat, per tuam negligentiam ablatum, quod per tuam mihi diligentiam non est allatum? Cur non cogitabas infinita hominum millia te occidisse, dum paucorum hominum saluti volebas consulere? Ecce enim sponsa mea Cantuariensis Ecclesia, Apostoli mei Petri benedictione, à principio, sanctificata: piissimo, piissimi Gregorii studio nobiliter fundata: Sanctorum Bonifacii, Honorii, Agathonis, & cæterorum orthodoxorum Patrum singulari semper privilegio donata; ad quam, salva Romanæ & Apostolicæ Sedis authoritate, omnium circa regionum Ecclesiæ, in suis oppressionibus confugere; atque ab ea, tenendæ libertatis præsidia expetere, simul ac suscipere solebant? Ecce illa talis, omnium peripsema effecta, omnium pertranseuntium pedibus conculcata; non solùm nulla perditæ libertatis cura cæteris restituere: sed nec sua multo tempore valuit illibata custodire. Homines autem quos ei ad custodiam castitatis deputavi; à quibus servandæ integritatis illius fidem accepi; non modo ipsi nihil defensionis adversus alios incæsti cupidos paravere: imo ipsi flagitiosissimum corruptionis negotium meditati sunt. Cumque illa non immemor, quàm fuerit magno acquisita, quàm legibus conjuncta: quàm denique XV.

muneribus

„ muneribus dotata, reluctando succlamasset: illi abreptis ornamentorum vestibus, nudam, venalem, & confusione plenam, eandem reliquerunt.

XVI. „ Exclamat itaque multiplex filiorum caterva; quos in lavacro secundæ nativitatis ipsa mihi genuerat, & infra gremium sanctæ dilectionis teneritus nutrierat; maternæ cupiens verecundiæ mederi, ejusque nuditatem, oppanso velamine tueri. Et ecce, qui matrem afflixerant, gravioribus in filios molestiis desæviunt: dum hunc ad uberibus raptum, miseranda cæde discerpunt: illum ferrugiendo stridore premunt: alter cæca latibula inhabitat: alius longa exilia deplorat. Quodque ad scelus præcipuum fuerat: dum se adulteri homines scelerata calliditate innocentes prodere vellent; intantum apud terrenas potestates odium, matrem cum prole adduxerunt: ut quicumque eos interficeret, obsequium se præstare Deo, arbitraretur. Ultimum verò & quasi palmare totius mali flagitium extitit; cujus radix. si in lucem solis hujus perlata fuisset; noo solùm hanc exhorreret Christianus, verùm etiam omnis execraretur paganus, Judæus, atque hæreticus. Ego autem ultra non ferens tantam sponsæ meæ calamitatem; ex tota hominum plenitudine te, Anselme, elegi; atque ad zelandum pro me, amicum sponsi exhibui, doctrinam contuli, virtutem largitus sum: Præmonstravi oraculis, comprobavi miraculis. Verùm tu mihi prætulisti Normanniæ Comitem; Deo, vermem; viventi, mortalem; latitudini Anglorum, angustæ solitudinis nidum. Excessitne animo Petrum Apostolum Antiochiæ inthronizatum, nec tamen ullorum singultibus, ne Romanos experiretur furores, præpeditum? Cur te fugit Pauli caput, Miletinorum atque Ephesiorum fletibus irroratum? nec tamen à sulcando æquore, quod cum ad exteras traosmitteret nationes, prohibitum. Rogo, hominum sapientissime, si talibus te sententiis judex impeteret; nonne rationum pondere pressus, paria judex reclamares?

XVII. „ Jam verò, si illam, cui tu noviter astipulatus es, Ecclesiam, non tanti apud Deum meriti esse dixeris; grande ejus meritum licet ignoscas. Laurentium namque Archiepiscopum,
*V. an. 617. n 5. multo * verbere à præfato Apostolo novimus flagellatum: propterea quod, paganorum metu conterritus, fugam inierit: & eandem Ecclesiam, adhuc in fidei perceptiooe rudem derelinquere tentaverit. Idem Beatissimo Con-
*V an. 953. n. 3. fessori Dunstano idem * Apostulus, cum Coapostolis Paulo, & Andrea splendens apparuit: eique tradens gladium, verbo Dei inscriptum; futurum illum, ut postea evenit, ejusdem Ecclesiæ Pontificem præfiguravit. Quod si tanta Christi, & Apostolorum dignatio, super eandem Ecclesiam, ab initio fuisse perhibetur: magno tibi providendum est opere, qui sanctissimam scientiam habes; ne hujus dignationis participium refugias: cum neque sis privata gratia exhibitus; neque mercenarius; neque Simonis discipulus: sed quem, & divina vocavit electio, & Apostolica informavit institutio. Præterea quamvis monitore non egeas; pro affectu tamen monere te audebo; ut nihil inconsultè agas, nec alieno multum à nobis consilio: sive id in consecratione tua sit; sive in rebus Ecclesiæ dandis, aut mutandis. Ideo qood novimus sanctissimum prædecessorem tuum, multa primo adventus sui tempore ordinasse; quæ omni tempore postmodum sibi displicuere. Sunt enim plures, qui circa destructionem Ecclesiæ semper laboraverunt; qui nunc putant, quàm maximè se regnaturos, dicentes te cum Deo semper acturum, res Ecclesiæ non curaturum: quasi, res Ecclesiæ curare, non sit cum Deo agere. Sed Deo auxiliante, cum te cognoverint quemadmodum ego: puto illos secus dicturos, ac sensuros. Jam nunc repeto omnibus medullis, quod promisi salutando: orans Deum, ita te rectis consiliis agi, ut Deum recta consilia dantem valeas promereri, Domine sanctissime, sapientissime, & super omnes animo dulcissime. Ita Osbernus.

Dedi has integras, plures ob causas. nam & supradicta, hac narratione firmantur, Anselmi constantia, in declinanda pastorali cura roboratur: & Osberni scriptoris genius, meliùs explicatur: quis, inquam, & cujas ille. Qui Anselmi literas, & opera nuper accuratè digessit, Theophilus Raynaudus: cum Osberni has literas inseruisset libro tertio Epistolarum Anselmi; hanc notam ceu argumentum literis præmittit: *Est Beccensis Monachi Epistola, suadens Anselmo subire onus Cantuariensis Archiepiscopi.* unde putat, è Normannia & Beccensi Cœnobio scriptam. Sed quia Osbernus hic, multus est in advocando pro Cantuariensi Ecclesiâ, multus in illa nominandâ, & illustrandâ; nullus pro Beccensi Monasterio, aut Monachis illis: quid ni, natione Anglum, & professione, Cantuariensem Monachum dixerim? certè sententiæ penè omnes, & ipsa verborum dialectus, suadet Beccensem Monachum, adhuc Anselmo subditum, modestiùs Abbatem rogando, & supplicando: oon monendo, aut increpando, aut docendo; scribere debuisse. Adde: timet Monachus Cantuariensi Ecclesiæ, ne sicut olim Lanfrancus, pœnitendo dissipet bona Monasterii: Cur id Beccensis timeret? mitto constantiæ argumenta. quæ doctè colligit ex Anglorum historia, Laurentii & Dunstani Cantuariensium Antistitum; quæ ego superioribus tomis adnotavi. Unde Osbernus iste, non alius videtur ab eo, quem Magdeburgenses ita describunt: *Ecclesia Cantuariensis præcentor ac Monachus Osbernus Anglus, & Lanfranco Archiepiscopo admodum familiaris, inter musicos suæ ætatis facile principem obtinuit locum: nulliq; inter Scriptores* (ut Malmesburius loquitur) *sua ætate, stylo fuit secundus. Claruit juxta Bostonum anno millesimo septuagesimo quarto.* Hic ergo est Osbernus ille; qui Odonis, Dunstani, & Elphegi Cantuariensium Archiepiscoporum vitas, apud Surium, aliosque collegit: & Anselmum urgere potuit domesticis exemplis. Anglorum ergo vota non Beccensium Monachorum continet hæc Epistola. nam revera Beccensibus ægrè persuasum est, à Patre & Abbate divertere. Unde Gundulfus noster, Roffensis Episcopus, consolari debuit Monachos illos, & tristitiam suis literis diluere. Quod hoc anno fecit, ita scribendo.

XVIII. Qoia hic Osbernus, et cuias?

Cant. 11. c. 10. fo. 649.

Inter Ansel. Epistolas l. 3. Ep. 8.

Gondulfus gratia Dei, Roffensis Episcopus. Dominis & amicis suis charissimis servis Dei Becci consistentibus, salutem & fideles orationes.

XIX. Gundulfi Literæ ad Beccen. Monachos.

Charissimi, vestræ dilectioni cognitum est; quantum temporis sit ex quo Anglica Ecclesia, proprio est orbata, & destituta pastore, atque omni paterna desolata consolatione. Sed Deus ploratus orphanorum, gemitus, & suspiria hactenus longissima viduarum, preces quoque fidelium suorum miseratus exaudiens; tandem sua gratia illam consolando, visitare dignatus est. Ipsius enim inenarrabili potentia operante, dedit Dominus noster, Rex Anglorum, consilio & rogatu Principum suorum, Cleri quoque & populi petitione & electione, Domino Abbati Anselmo Cantuariensis Ecclesiæ gubernationem. Quod quidem piissima Dei ordinatione, & operatione factum esse, non dubium est. Quapropter humiliter mandamus, & vehementer precamur, ut fratres charissimos, quatenus omnem tristitiam vel cordis indignationem, si qua est, deponentes; divinæ voluntati, operationi, & bonorum virorum electioni nequaquam resistatis: sed Deo gratias agentes; quod factum est, cum gaudio, & bona voluntate concedatis. Est etiam aliud, quod vos latere non debet: impediri quidem res ista fortassis ad tempus potest: omnino autem remanere nullo modo potest. Verùm enim dico vobis; notitia & consilium hujus rei multum processit: & sine dubio, usque ad Sedem Apostolicam jam pervenit. Utimini igitur sapienti consilio: & per charitatem facite, sine dilatione, quod quandoque facturi estis, sine dubitatione. Valete.

XX. Hinc legere est, Becenses Monachos; remoram, non stimulos Anselmi inaugurationi dedisse; & Anglos contra, magnis vocibus, & ardentibus votis eandem postulasse. Testis horum est, altera Osberni Epistola, quam Anselmo scripsit, diu renuenti consecrationem accipere. ubi clariùs loquitur, se Cantuariensem Monachum esse.

Inter Ansel. Epistolas l. 3. Ep. 2.

Domino sanctissimo, Patri dulcissimo, jam nunc; quod non sine desperatione dico; Anglorum Archiepiscopo, Anselmo servus & filius suus Osbernus, salutes luctu, & lacrymis plenas.

Osberni Epistola ad Anselmum.

Quousque, dulcissime Domine, desideria nostra suspendis? quousque animas nostras tollis? Si tu es, qui venturus es, veniendo ad nos, ostende: nec velis diutiùs bonum differre, quod ab æterno consilio profectum, humano generi Christus dignatus est impartiri. Alioquin, mi dulcissime; commovisti terram, & conturbasti eam: potiusque esset, mortis nos dispendia sustinuisse, quàm super tuo nomine aliquid unquam accepisse. Quid enim putas; qui luctus, quæ lacrymæ adversum te hodie funduntur? quæ major potest esse miseria, quàm homines; quibus quasi noxiis humoribus, corpus Ecclesiæ gravabatur; nuperrimè vidisse exclusos: & nunc eosdem non modò *non exclusos: verùm etiam videre corpori Ecclesiæ incorporatos. Puta, mi dulcissime, omnium adversum te istas esse querelas. Hiccine est ille, de quo tantum gaudebamus? de quo tam magna audiebamus? Ecce quomodo nos decepit: quomodo animas nostras interfecit. Expectabamus pacem, & non est bonum: tempus medelæ, & ecce clamor. Hiccine est ille, quem Osbernus hos tredecim annos, ad populum tantopere laudavit: quem in omni sermone magistrum, & sanctissimum, & sapientissimum prædicavit? Ecce quomodo fecit novissima nostra pejora prioribus. Credas hæc nunquam defuturi dici; nisi desieris elongari. Veni ergo; tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum. Festinandum tibi est, princeps esto noster. Erit hoc Deo ad laudem, tibi ad mercedem, nobis ad vitam. Recuperemus in te, quod in mortuo sanctissimo Patre nostro Lanfranco, nos cum toto mundo perdidimus. Quem mortuum semper dolebimus; quoadusque illum in te viderimus. Deus omnipotens, quicumque Anselmum ab incœpto præpedierit, anathema in medio hominum sit. Credas me, in maximâ lacrymarum alluvione ista scripsisse: & usque ad mortem solicitum de te esse. Mater & omnes filii te salutant. Hæc Osbernus, per matrem & filios, Cantuariensem Ecclesiam & Monachos intelligens: de quibus perspicuum est, cum ubique loquutum.

** omittitur non, sed male.*

XXI. Rex convalescit, et impius esse pergit.

Multa interim Anselmi consecrationem distulerunt: sed nihil magis, quàm aversus ejus animus, ab omni dignitate. quem Ipse benè longâ Epistolâ expressit, ad Baldricum Priorem, & Beccenses datâ. Adde, Rex Gulielmus, valetudine viribusque resumptis, morosior erat, ad ea concedenda, quæ æger voverat; & Anselmus urgebat priùs omnia, quàm onus subiret. Sperans, Regis impietatem, suæ pietati votisque prætexere. Sed Rex quantumvis ad alia, quæ proposuerat, totus recalcitrarit: Anselmi tamen sanctitate victus; ab illa mente non recessit, quâ eum Anglorum Ecclesiis præfecerat. Fusiùs hæc ab Edmero narrantur in hunc modum. *Inter hæc, juxta quod Anselmus prædixerat, Rex ab infirmitate convaluit. Mox igitur cuncta, quæ infirmus statuerat bona, dissolvit, & irrita esse præcepit. Captivi namque, qui nondum fuerant dimissi; jussit ut arctiùs solito custodirentur: dimissi, si capi possent, recluderentur. Antiqua etiamque donata debita, in integrum exigerentur. Placita, & offensiones, in pristinum statum revocarentur: illorumque judicio, qui justitiam subvertere magis, quàm tueri defenderéve curabant, tractarentur, & examinarentur; ad miserorum utique oppressionem, & pecuniæ direptionem potiùs, quàm ad alicujus peccati correctionem. Orta est ergo tam vasta miseria, miseraque vallatio, per totum regnum; ut qui illam recordatur, parem se ei ante hunc vidisse in Angliâ, sicut æstimo, non recordetur. Quæ si quis scire velint, de quo fonte manaverint, ex eo perpendere possunt; quod ipse Rex, Roffensi Episcopo; cum illum, recuperatâ sanitate, familiari affatu moneret: ut se amplius circumspectè, secundum Deum, in omnibus haberet; Respondit: Scias, ô Episcope, quod per sanctum vultum de Luca, nunquam me Deus bonum habebit; pro malo quod mihi intulerit. Hæc de Rege ad præsens, succinctè memorasse sufficiat; jamque ad destinatum narrandi ordinem, sermo recurrat.*

Edmer. l. 1. fo. 19.

Regis vox impia.

XXII. *Anselmi postulata a Rege.*

Cum igitur Anselmus, literas à Normanniâ destinatas suscepisset: & Rex de Dofris, à colloquio Roberti Comitis Flandriæ, Rovecestram, ubi tunc ipse Anselmus erat, venisset: in secretum locum Anselmus Regem tulit: eumq́, taliter allocutus est. In utroque dubius pendet adhuc, Domine mi Rex animus meus: utrum videlicet acquiescam, Pontificatum suscipere, an non. Verùm si me ad susceptionem illius ratio perduxerit: volo, breui pranoscas, quid velim mihi facias. Volo equidem, ut omnes terras, quas Ecclesia Cantuariensis, ad quam regendam electus sum, tempore beata memoria Lanfranci Archiepiscopi tenebat, sine omni placito, & controversiâ ipsi Ecclesia restituas: & de aliis terris, quas eadem Ecclesia, ante suum tempus habebat, sed perditas nondum recuperavit; mihi rectitudinem, judiciumq́, consentias. Ad hac volo, ut in iis qua ad Deum & Christianitatem pertinent, te meo pra cateris consilio credas. Ac sicut ego te volo terrenum habere Dominum, & defensorem, ita & tu me spiritualem habeas Patrem, & anima tua provisorem.

Urbanus ab Anselmo recipitur.

De Romano quoque Pontifice Vrbano, quem pro Apostolico hucusque non recepisti, & ego jam recepi, atque recipio: eiq́, debitam obedientiam, & subjectionem exhibere volo; cautum te facio; nè quod scandalum inde oriatur in futuro. De his, quaso, tua voluntatis sententiam edicito: ut eá cognitâ, certior fiam, quò me vertam. Rex itaque vocato ad se Guilielmo, Dunelmensi Episcopo, & Roberto, Comite de Mellento, jussit ut eis prasentibus, qua dixerat, iteraret. Fecit imperata; & Rex sibi per consilium ita respondit. Terras, de quibus Ecclesia Saisita quidem fuerat, sub Lanfranco, omnes, eo quo tunc erant, tibi modo restituo: sed de illis, quas sub ipso non habebat, in prasenti; nullam tecum conventionem instituo. Veruntamen de his, & aliis credam tibi, sicut debebo. Finierat Rex in illis; & ab invicem discesserunt.

XXIII. *Prima dissidii occasio inter Regem, et Anselmum.*

Deinde paucis diebus interpositis; Rex ipse, consensum quem à Normannis super Anselmo expetierat; per Epistolas accepit. Et veniens in villam suam, qua VVindlesora vocatur, Anselmum, per se, suosq́, convenit: quatenus, & secundùm totius regni, de eo, factam electionem, Pontifex fieri ultra non negaret: & terras Ecclesia, quas ipse Rex, defuncto Lanfranco, suis dederat, pro statuto servitio: illis ipsis, hereditario jure tenendas, causa sui amoris, condonaret. Sed Anselmus, nolens Ecclesiam, quam necdum re aliquâ investierat, expoliare: terras ut petebatur, nullo voluit pacto concedere. Et ob hoc, orto inter eum, & Regem dissidio, quod primum quoque de Pontificatu ejus agitatum, indefinitum remansit. Vnde Anselmus oppidò letatus est: sperans se hac occasione, à pralationis onere, per Dei gratiam exonerandum. Iam enim, cum virgâ Pastorali, curam quam super Beccum Abbas susceperat, pro descriptâ superius absolutione, ipsi Becco restituerat. Et nunc, eò quòd terras Ecclesia injuria dare nolebat; Episcopalis officii onus sese latus evasisse videbat. Verùm, cum decurso non exiguo tempore, clamorem omnium, de Ecclesiarum destructione conquerentium, Rex amplius ferre nequiret: virum ad se VVintoniæ adunato ibi conventu nobilium, venire fecit; ac multis bonis, & Ecclesia Dei profuturis promissionibus illectum, primatum Ecclesia Anglorum suscipere suasit, atque persuasit.

Anselmus Primatum suscipit, et fit homo Regis.

Ille igitur, more, & exemplo predecessoris sui inductus, pro usu terra, homo Regis factus est; & sicut Lanfrancus, suo tempore fuerat, de toto Archiepiscopatu Saisitus jussus est. Hæc omnia directus.

XXIV. Quod supra Anselmus innuit de *absolutione* suâ, à Beccensis Cœnobii curâ: unde quietis spem ab omni Prælationis onere nutriverat: Intelligit, opinor literas; quas hoc tempore Baldrico Priori, & Beccensi Cœnobio scripserat, in hæc verba.

Episto. lib. 3. Ep. 6.

Dulcissimis & dilectissimis suis, Domino Priori BALDRICO, & aliis Monachis Beccensibus, Frater ANSELMUS: qui hactenus sub Abbatis nomine serviunt, à Deo semper custodiri, & protegi.

Eius literæ ad Beccen. Monachos.

„ DEO de me, quod vult, ut de creaturâ suâ, „ velim, nolim, disponente: & Reverendo „ Domino nostro Principe Normannorum Roberto, concedente; & Archiepiscopo nostro „ Guilielmo, præcipiente; & vobis à Deo coactis, faventibus; a vestrâ curâ sum absolutus, „ & majori involutus. Si Deus vobis dederit „ eam gratiam prædicti Domini nostri Principis, „ ut de Ecclesiâ nostrâ vobis dare velit Abbatem, & nostrum inde dignetur audire consilium: illi & vobis dico; quia de nullo mihi „ meliùs videtur, quàm de Domino Guilielmo, „ qui Prior fuit apud Pexeium. & si jussio gloriosi nostri Principis, in hoc fuerit: quod utinam ita fiat: Ego quoque tibi Frater Guilielme, in nomine Domini, per sanctam obedientiam præcipio, ut hanc curam, in spe auxilii „ Dei, tuam postponens requiem; pro Fratrum „ tuorum utilitate, humiliter suscipias. Has literas congruo tempore, & Domino nostro, & „ congregationi, & quibus oportebat, volo præsentari. Tibi quoque, Baldrice Prior, per „ sanctam obedientiam præcipio: ut quicumque „ sit Abbas, Prioratum non deseras, nisi ejus, „ & meo consensu, dum vivo; Valete.

XXV. Factum, ut jussit Anselmus, literæ Roberto Principi ostensæ: & ille non solum Anselmi postulato annuit: sed clementissimè illi literas dictavit; quibus consilium ab eo, de substituendo Abbate, benignè petiit & indulsit indubiè, quod de Guilielmo suggesserat Anselmus. Meminit harum literarum ipse Anselmus; cum iterum Baldricum, & Beccenses Monachos salutans, eorum preces, pro futura inauguratione poscit: quod quia hoc tempore factum, ecce illas.

Ansel. Epistola. l. 3. Ep. 15

Dilectissimis suis, Domino Priori BALDRICO, & aliis Monachis Becci: Frater ANSELMUS. semper velle, & facere, quæ Deo placent, & quæ expediunt.

Iterum ad Beccen. scribit Anselmus.

„ GRATIA Dei faciente, Dominus noster „ Princeps Normannorum, misit mihi literas plenas magnâ benignitate, & excusatione „ sui: si quid aut credidit, aut dixerit de me aliter, quàm decuit, amore meo, & dolore de „ amissione meâ cogente ob meam ad Archiepiscopatum electionem. In quibus literis, „ & de Abbate vobis constituendo petiit benignè meum consilium. Quod non solum, in „ hac re, illi mando, & vobis remando, quod „ mandavi per Dominum Giraedum fratrem nostrum. Rex Anglorum vobis mandat salutem, „ & auxilium suum, & custodiam rerum vestrarum, quæ sunt in suâ potestate; quamdiu meo „ consilio agetis, & vivetis. Si autem illud

„ spreveritis, in illo proficuum non habebitis: „ cum ex vestra parte aliqua mihi mittitur Epi- „ stola secretè, & mihi soli legenda: non oimis „ sit gracilis scriptura. Postquam enim illud, „ quod de me inceptum esse mecum doletis, „ contigit: multæ diurnæ, & nocturnæ lacrymæ, „ visui meo oimis nocuerunt. Non enim celsi- „ tudo, aut opulentia Archiepiscopatus, eas „ tantùm valuerunt suâ copiâ reprimere: quan- „ tum timor, & tædium ejus, eas potuerunt, suâ „ perturbatione exprimere. Amici mei compa- „ timini mihi: quia ego compatior vobis. Ora- „ te pro me; quia ego, si possum, oro pro vo- „ bis. Consecratio mea ordinata est fieri pri- „ mâ die Dominicâ post festivitatem Sancti An- „ dreæ: pridie videlicet Nonas Decembris. Præ- „ venite eam vestris orationibus: & mandate hoc „ Monachis, & sanctimonialibus, per Norman- „ niam inclusis, & claustralibus, & amicis no- „ stris in Francia. Valete.

XXVI.
Edmer l. 1. fo. 20.
Ranulfus litem contra Anselmum contestatur.
V. an. 1089 n. 9. 10.

Hæ scriptæ sunt literæ, dum Anselmus adhuc in Roffensi oppido, cum Gundulfo Episcopo diversaretur. *Venit posthac Cantuariam* (loquitur Edmerus) *septimo Calendas Octobris. atque immensâ Monachorum, Clericorum, totiusq; plebis alacritate susceptus, ad regendam Ecclesiam Dei, locum Pontificis, magno deductus honore conscendit. Eodem die venit Cantuariam à Rege missus quidam, nomine Ranulphus* (ille nimirum quem suprà ad annum millesimum octogesimum nonum, ex Malmesburiensi nequissimum descripsi) *Regiæ voluntatis maximus executor: qui spretâ consideratione pietatis, ac modestiæ; placitum contra eum, ipsâ die instituit. Quæ res cunctorum animos graviter vulneravit; conquerentium, ac nimis indignè ferentium; tanto viro tantam injuriam fieri: ut nec primum quidem suæ dignitatis diem, permitteretur in pace transigere. Quorum indignationi hoc quoque non parum, adjiciebat doloris: quod negotium unde agebatur, ad jura Ecclesiæ pertinebat: nec in aliquo Regalis judicii definitionem respiciebat. Igitur eo tempore nimis atroci plagâ percussi sunt homines ipsius Ecclesiæ. Unde Anselmus vehementissimè dolens: sed Regi contraire non valens; ex præsentibus futura conjecit: & quia multas in Pontificatu angustias foret passurus, intellexit; atque prædixit. Accedens itaque ad novum, sibiq; insolitum genus serviendi Deo; juxta Salomonem; stabat in timore, & præparabat animam suam ad tentationem: sciens omnes piè volentes in Christo vivere, tribulationem necessariò pati oportere.*

XXVII.
Anselmus consecratur Episcopos.

Instante verò tempore suæ consecrationis: venit ex more Thomas Archiepiscopus Eboracensis, & omnes Episcopi Angliæ, Cantuariam: cumq; debitâ veneratione ibi Pontificem consecravere, pridie Nonas Decembris. Duo tamen Episcopi, Wigorniensis, videlicet, & Exoniensis, infirmitate detenti huic consecrationi interesse non valuerunt. Sed nuntiis apicibusq; directis, absentiam suam, Coepiscoporum suorum præsentia, hac in causa, præsentem, & consentaneam fore denuntiaverunt. Verùm cum ante ordinandi Pontificis examinationem, Walchelinus, Wintanus Episcopus, rogatu Mauritii, Episcopi Londoniensis, cujus hoc officium est, Ecclesiastico more electionem scriptam legeret: mox in primo versu, Thomas Eboracensis graviter offensus, eam non jure factam, conquestus est: nam cum diceretur: Fratres & Coepiscopi mei, vestræ fraternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo, accidentibus variis eventibus, hæc Dorobernensis Ecclesia, totius Britanniæ Metropolitana, suo sit vi-

Cantuarien.

duata Pastore: Subintulit, dicens: Totius Britanniæ Metropolitana? Si totius Britanniæ Metropolitana; Ecclesia Eboracensis, quæ Metropolitana esse scitur, Metropolitana non est. Et quidem Ecclesiam Dorobernensem totius Britanniæ Primatem esse scimus, non Metropolitanam. Quod auditum, ratione subnixum esse, quod dicebat, intellectum est. Tunc statim scriptura ipsa mutata est: & pro Totius Britanniæ Metropolitana: Totius Britanniæ Primas, scriptum est: & omnis controversia conquievit. Itaque sacravit eum, ut totius Britanniæ Primatem. Cum igitur inter sacrandum, pro ritu Ecclesiæ, textus Evangelii super eum ab Episcopis apertus, tentus, &. peractâ consecratione, fuisset inspectus; hæc in summitate paginæ sententia reperta est. Vocavit multos, & misit servum suum, horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent; quia jam parata sunt omnia: & cœperunt simul omnes excusare. Deinde jam consummato ordinationis suæ die octavo. Cantuariam egrediens, ad Curiam Regis, pro imminente Nativitate Domini, vadit. Quò perveniens hilariter à Rege, totaq; regni nobilitate, suscipitur.

Ecclesiæ totius Britanniæ Primas.

XXVIII.
Anselmus offert Regi 500. libras.

Eâ tempestate, Rex Normanniam fratri suo Roberto, toto conamine auferre laborans, multam, & immensam undecunque collectam pecuniam, in hoc expendebat: adeo ut nonnullas etiam difficultates pateretur, quas Regiam patiexcellentiam indecens videbatur. Suasus igitur ab amicis suis novus Pontifex, quingentas argenti libras Regi obtulit: sperans & pollicentibus credens; sese pro hoc, ejus deinceps gratiam firmiter adepturum: & quæ Dei sunt intendere volentem, fautorem in cunctis habiturum: nec ne rebus Ecclesiasticis, intùs, & extra pacem, tuitionemq; illius contra omnes æmulos acquisiturum. Rex ergo, tali oblatione audita, benè rem quidem laudando respondit. Sed quidam malignæ mentis homines; Regem, ut fieri solet, ad hoc perduxerunt; quatenus oblatam pecuniam spernendo recipere non acquiesceret. Tu (inquiunt) eum præ cæteris Angliæ Principibus honorasti, ditasti, exaltasti: & nunc, cum tuâ necessitate consideratâ, duo millia, vel certè, ut levissimè dicatur, mille libras, pro agendis munificentiæ tuæ gratiis, tibi dare deberet: quingentas (proh pudor) offert. Sed paululum sustine: faciemq; tuam super eo commuta: & videbis, quod consueto aliorum ductus terrore, ovans, ad tuam benignitatem recuperandam, quingentis quas offert, totidem libras adjiciet. Siquidem hunc ipse Rex morem, erga cunctos quibus dominatur, habebat: ut cum quis eorum aliquid ei pecuniarum, etiam solius gratiæ obtentu, offerebat. oblatum, nisi quantitas rei voto illius concurreret, sperneret. Nec offerentem, in suam ulteriùs amicitiam admittebat; si ad determinationem suam, oblatum munus non augeret.

Aulæ vitia.

XXIX.
Rex oblatas pecunias respuit.

Opinati sunt ergo illi maligni, Anselmum quoque hoc more terrendum: atque ad explendam Regis voluntatem, auctâ pecuniâ illico promovendum. Verùm mentita est iniquitas sibi. Itaque mandatur illi: Regem oblatam pecuniam refutare: & miratus est. Aditoq; Rege, sciscitatus est, utrum ab eo tale mandatum processerit, an non. Audit, verè processisse & statim postulans, ait: Ne, mi Domine, precor, hoc facias, ut quod impræsentiarum offero, suscipere abnuas. Licet enim primum sit, non tamen extremum Archiepiscopi tui donum erit. Et fateor utilius est tibi, & honestius, à me pauca, cum amicâ libertate, & sæpè suscipere: quam violentâ exactione multa simul sub servili conditione auferre. Amicâ nempe libertate me, & omnia mea ad utilitatem tuam habere poteris:

servili autem conditione; nec me, nec mea habebis. Ad quæ iratus Rex: Sint, inquit, cum jurgio tua tibi. sufficient mea mihi. Vade. Surrexit ergo, & exiit; reputans apud se; fortè non sine præmonitione, primò ad sedem suam introitus die, Evangelium lectum fuisse: Nemo potest duobus dominis servire: & alacrior in seipsum reversus: Benedictus sit (ait) omnipotens Deus; qui me suâ misericordiâ immunem servavit ab omni infamiâ. Si enim hæc, quæ obtuli, Rex gratiosè suscepisset; profectò à malignis hominibus qui exundant; jam ante pro Episcopatu promissa: & nunc sub callidâ oblatione reddita fuisset putatum. Sed modo quid agam? Præsignatum utique munus pro redemptione animæ suæ pauperibus Christi dabo, non illi: & quò ei suam gratiam infundat, meq; ab omni malo defendat, devotus orabo. Quæsita dehinc per internuntios; sed quia pecuniam duplicare noluit, minimè adquisita gratia ejus; à Curia, festivitate finitâ recessit: sollicitiùs agens, oblato munere ut proposuerat, Christi pauperes recreare.

XXX. ROBERTUS ELIGITUR LINCOLNIENSIS EPISCOPUS.

Redeo ad Regem Guilielmum, Glocestriæ ex ægritudine decumbentem, quando anteactæ vitæ pœnitentiâ ductus, Ecclesiarum possessionibus, quas injustè invaserat, sese exuit. Tunc enim Lincolniensem Ecclesiam, Sancti Remigii morte vacantem, Roberto contulit Cancellario suo, nihil de pecuniâ, nihil de mercede pactus. Sed ubi convaluit, pœnituit Regem pœnitentiæ suæ: & ut sordidè supra cum Anselmo agere conatus est: ita cum Roberto, sed meliori successu egit. quod refert Harpesfeldus, in hunc modum. *Contulit Guilielmus Rex, mortuo Remigio, Lincolniensem Sedem, in Cancellarium ipsius Robertum: idq; (quod mirum) gratuitò. Sed hanc ei liberalitatem, morbus, quo graviter erat oppressus, potiùs quàm ulla solida pietatis ratio, extorsit. Quare cum paulo post morbum excussisset: valde hominem pœnituit, quod tantum beneficium gratis, præter morem, posuisset. Novum igitur inescandi pecuniam aucupium meditatus, Roberto facessit negotium; quod Lincolniensem urbem, cum prædiis quibusdam, quæ ad Eboracensem spectarent, summâ injuriâ possideret. Nec se potuit priùs Robertus ab hac molestiâ explicare; quàm quingentis libris, quasi offâ objectâ, os ejus, calumniamq; intentatam, obturasset. Ecclesiæ ille dedicationem, quam Remigius cogitabat, absolvit: quam multis magniq; pretii ornamentis exornavit, homo magis in profanis, & politicis quàm Ecclesiasticis rebus peritus.* Ita ille. Et habes sancti Præsulis, & Præsulis non sancti, differentiam. Remigius * olim, cum Eboracensis Episcopus, super Lincolniensi Ecclesiâ contenderet: contentionem facilè, sua sanctitate, causæque æquitate, diluit; Robertus juris fictione reus, ob Remigii factum plectitur, & succumbit, Regiæ cupiditati famulatus. Cæterùm nunc electus, non nisi sequenti anno consecratur, ut ibi.

Harpesf. sæc. 11. c. 22.

SOLVIT REGI QUINGENTAS LIBRAS.

* V. an. 1071. n. 8.

V. an. 1094. n. 6.

XXXI. DUNELMEN. ECCLESIÆ FUNDAMENTA IACIUNTUR.

Hoc pariter anno millesimo nonagesimo tertio, Dunelmensis Ecclesiæ, nova augustaque sunt posita fundamenta. Guilielmus Episcopus, olim à Rege proscriptus, quod Roberti Ducis partes sequutus, turbas in Insulâ concitasset: ejusdem Regis indulgentiâ, post aliquot exilii annos, ad sedem suam redierat: ubi mortuo * Alduno Monasterii Priore, Turgotus successerat. uterque junctis animis, opibusque: & Malcolino Rege, Reginaque Margaritâ, vocatis in pietatis participium; ad sanctissimi sacrificii majestatem, & Cuthberti corporis ornatum, nobilem Ecclesiæ structuram moliuntur: quod hoc anno cœptum, ait Godwinus, ita scribens: *Guilielmus de Sancto Carilefo, veteri dirutâ, per Alwinum constructâ Ecclesiâ; ampliores multò fundamenta jecit: à Malcolmo Scotiæ Rege, seipso, atque Turgato Dunelmensi Priore, tribus primis lapidibus, Iulii tertiodecimo, positis, vel secundùm quosdam Augusti undecimo, anni millesimi nonagesimi tertii.* Addidit Guilielmus Monachorum ordini illustre ornamentum. *Priorem* (inquit Malmesburiensis) *hoc insigni extulit, ut in toto Episcopatu Decanus & Vicedominus esset.*

* V. an. 1083 n. 2.

TURGOTUS PRIOR DUNELMENSIS.

Godwin. in Dunelmen.

XXXII. MALCOLMUS SCOTORUM REX OCCIDITUR.

Malcolmus, Dunelmo discedens, eodem mense, ad Guilielmum Regem profectus; cum pacem ab eo, æquis conditionibus, impetrare non posset: bellum inde meditatus, à milite occiditur. Tragœdiam hanc ita recitant Wigorniensis, & Hovedenus. *Rex Scotorum Malcolmus, die festivitatis Sancti Bartholomæi Apostoli, Regi VVillelmo juniori, ut priùs, per Legatos, inter eos statutum fuerat, in civitate Glavornâ occurrit: ut sicut quidam primatum Angliæ voluerunt, pace redintegratâ, stabilis inter eos amicitia firmaretur: sed impacati ab invicem discesserunt. Nam Malcolmum videre, aut cum eo colloqui, pro nimiâ superbiâ, & potentiâ, VVillelmus despexit. Insuper etiam illum, ut secundùm judicium tantum Baronum suorum, in Curiâ suâ rectitudinem ei faceret, constringere voluit: sed id agere, nisi in regnorum suorum confiniis; ubi Reges Scotorum soliti erant rectitudinem facere Regibus Angliæ; & secundum judicium utriusque regni Primatum, Malcolmus nullo modo voluit.* Ex hoc discordiæ semine, belli apparatus exoritur: Malcolmus Northumbriam hostili manu invadit admodum infeliciter. nam Robertus Mowbray, Northumbriæ Comes, militem opposuit: qui ferocientem Regem oppressit. virum, quem Scoti Scriptores ad cælum efferunt, & cum sanctis succenturiant: unde in Martyrologio etiam nostro, sanctitatis laurea donatur. Et verò pietatis ejus opera, in Ecclesiarum, & Monasteriorum erectione, plurima recensentur, quæ pium fuisse Principem loquuntur. Tamen immaturam ejus mortem Authores nostri, ejus cupiditati, ambitionique attribuunt: & non immeritò cæsum volunt. Ita enim de illo Authores suprà.

VVigorn. & Hoved. hic.

V. Martyro. Angl. 2 Iunii.

XXXIII. QUÆ DAMNA NORTHUMBRIÆ FECERIT.

Rex Scotorum Malcolmus, & primogenitus filius ejus, Eadvvardus; cum suis exercitibus, in Northimbriâ die festivitatis Sancti Bricii, à militibus Roberti Comitis Northimbrorum occisi sunt. In cujus morte justitia Dei judicantis apertè consideratur: ut videlicet in illâ provinciâ, cum suis interiret: quam sæpè ipse vastare, avaritiâ stimulante, consuevit. Quinquies namque illam atroci depopulatione attrivit, & miseros indigenas in servitutem redigendos abduxit captivos. Primo Edvvardo regnante, Egelvvino Episcopante Dunelmi, quando Tostius Comes Northimbrorum profectus Romam fuerat. Secundo regnante VVillielmo, & prædicto Egelvvino Episcopante; quando Clivelandia depopulata est. Tertio regnante eodem Rege VVillielmo, & VValkero Episcopante Dunelmi, usque Tynam progressus; post cædes hominum, & concremationes locorum, cum multâ prædâ revertitur. Quarto regnante VVillielmo juniore: & VVillielmo regente Episcopatum Dunelmensem, cum suis copiis infinitis, usque Cestre pervenit; animo intendens ulteriùs progredi: sed adunatâ contra eum militari manu, non multâ; metu ipso citiùs revertitur. Quinto cum omni, quo potuit, exercitu, in ultimam deducturus desolationem Northimbriam invasit: sed juxta

VVigorn. & Hoved. sup.

fluvium

fluvium Alne perimitur, à Morello milite strenuissimo, cum primogenito suo Edvvardo, quem heredem regni post se disposuerat. Exercitus illius, vel gladiis confoditur: vel qui gladios fugerunt, inundatione fluminum, quæ tunc pluviis hiemalibus plus solito excreverant, absorpti sunt. Corpus vero Regis, & cruentissimi carnificis; cum nullus suorum remaneret, qui terra illud cooperiret; duo ex indigenis carro impositum, in Tinnemouth sepelierunt: sicq; factum est; ut ubi multos, vitâ, & rebus, & libertate privaverat: ibidem ipse judicio Dei, vitam simul, cum rebus, amitteret.

Sepelitur apud Tinnemuthaim.

XXXIV. Margareta Regina moritur Sancta.

Duxerat Malcolmus, Edgari Principis filiam, Margaretam, lectissimam fœminam: quæ accepto nuntio, Regem cecidisse; ad mortem se etiam pientissimè præparavit, nolens amicissimo marito, filioque primogenito superstes esse. De illâ sic loquuntur Authores nostri. *Malcolmi morte cognitâ, Margareta Scotorum Regina, tantâ affecta est tristitiâ; ut subitò in magnam incideret infirmitatem. Nec mora, Presbyteris ad se accersitis, Ecclesiam intravit: eisq; peccata sua confessa, oleo se perungit, cælestiq; Viatico muniri fecit: Dominum intentissimis, & assiduis precibus exorans; ut in hac ærumnosâ vitâ diutiùs illam vivere non permitteret. Et exaudita est oratio ejus. nam tertiâ die, post Regis occisionem; soluta vinculis carnis, ut creditur ad gaudia transivit æternæ salutis. Quippe dum viveret, pietatis, justitiæ, pacis, & charitatis cultrix extitit devota; frequens in orationibus, corpus jejuniis, & vigiliis maceravit, Ecclesias & Monasteria ditavit; servos Dei, & ancillas dilexit, & honoravit: esurientibus panem frangebat, nudos vestiebat, & omnibus peregrinis ad se venientibus hospitia, vestimenta, & alimenta præbebat: & Deum toto corde diligebat.* Ita illi. Hanc Regiam fœminam, & unà Malcolmum Regem, Turgotus Dunelmensis Prior, ad sanctitatem formavit; & utrique à sacris confessionibus fuisse dicitur. Certum est, utriusque vitam, ab eo, posterorum memoriæ literis commendatam. Unde Alredus Abbas, Surius, aliique Margaritam Reginam impensè laudaverunt. Cujus etiam nomen Romano Martyrologio inscriptum, cum sanctis legitur ad decimum Junii, ubi hæc habentur. *In Scotiâ, Sancta Margarita Regina, amore in pauperes, & voluntariâ paupertate celebris.*

VVigorn & Hoved. hic.

Eius laus.

Ro. Martyr. [10]. Iunii.

XXXV. Margaretæ in pauperes charitas.

Hoc breve laudis encomium, in Anglorum Regiâ prole, debeo paululùm diffundere; & quod de amore ejus in pauperes traditur, missis aliarum virtutum argumentis, explicare. Igitur, qui Margaritæ vitam digesserunt, hæc de illâ: *Interdum* (inquiunt) *quicquid erat Regis proprium, egenis erogandum abstulit. Quam pietatis rapinam Rex omninò gratam, & ratam semper habuit; seq; nescire simulavit. Innumerabiles captivos, dato pretio, libertati restituit: quos de gente Anglorum, hostilis Scotorum vis, in servitutem abduxerat. Eremitas, & separatis cellis ubique inclusos, suo adventu, & alloquio crebriùs visitare consuevit. Illorumq; se precibus commendans, quicquid petiissent, devota complevit. Cum principio noctis pauluìum quievisset; Ecclesiam ingressa, nocturnas preces, quas matutinas vocant, primo de Sacrosanctâ Trinitate: deinde de Sancta Cruce: tertio de Beatissimâ Mariâ, sola absolvebat: Illis finitis, officium defunctorum incipiebat: ac deinde psalterium integrum perlegebat. Finitis precibus, in cubiculum rediens, sex pauperum pedes lavit: eisq; pecuniam dari jussit. Deinde parumper quieti, ac sopori indulsit. Mane facto, surgens piissima Regina, novem infantulos orphanos, cibis mollioribus, flexis genibus, reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat. Præter hæc, trecentos pauperes, in aulam consuetudo erat introduci: & clausis ostiis, Rex ab una parte, Reginaq; in altera; Christo in pauperibus serviebant. Sed & rursum, hoc facto; Regina ad Ecclesiam se conferens, prolixis precibus, & lacrymis, atque gemitibus, seipsam Deo sacrificium immolabat. & si ante summam Missam, quinque vel sex alias Missas audiebat. Post quod, ante refectionem, viginti quatuor pauperes, humiliter eis ministrando, reficiebat. Sumebat inde cibum, tantum ut vitam servaret.* Plura non adjicio; licet plura sint miræ pietatis & religionis argumenta. Unde & Malcolmi quoque conjugis, hæc omnia permittentis, & approbantis, bonitas asseritur.

Apud Havanm 10. Iunii.

XXXVI. Ut pie mortua.

Apud Havanum supra.

* Non possum tamen mortis circumstantias silentio præterire: tum quia huic anno propriæ sunt: tum etiam maximè; quia finis ille coronat opus, & Regiam, quam toto opere molior, fidem ostendit. Sic ergo in vitâ ejus legimus. *Habebat Margareta confessarium Turgotum, secundum Priorem Dunelmiæ. Illi sanè quadam vice ad se accersito, vitam suam replicare cœpit: & ad singula verba lacrymarum flumina profundere. Cumque de necessariis sermonem protraxisset, ita ait ad illum? Vale, ego posthac diu in hac vitâ non subsistam: tu verò paulò post me tempore vives. Duo autem sunt, quæ à te postulo: unum, ut quoad vixeris, animæ meæ in Missis, & orationibus tuis, meminisse velis. Alterum, ut liberorum meorum curam habeas. Et quidem dimidio posthac anno, ingravescente morbi molestiâ, rarò è lecto surgere potuit. Quarto autem ante obitum suum die: cum Rex Malcolmus in expeditione esset; tristior solito effecta, assidentibus ait. Fortè hodie tantum mali regno Scotorum accidit, quantum vix multis retrò temporibus. Post dies aliquot, eodem die, quo Regina dixerat: Regem cum filio Edouardo fuisse occisum cognoverunt. Tum illa Crucem Scotiæ nigram, quam semper in magnâ veneratione habuit, amplecti, exosculari, oculos faciemq; crebrò illam signare curavit, dicens: Laudes & gratias tibi ago omnipotens Deus, quòd me tantas in exitu meo angustias perpeti; easq; tolerantem à quibusdam peccatorum maculis mundare voluisti. Nec multò post anima, ad veræ libertatis, quem semper dilexerat; authorem Christum migravit: felicitatis eorum particeps effecta, quorum virtutis est exempla secuta. Obiit verò quarto idus Iunii, humata in Ecclesiâ Sacrosanctæ Trinitatis, quam ipsa construxerat, contra altare.*

XXXVII. Scotorum motus mortuo Rege.

Hoveden. hic.

Verum fuit Margaritæ vaticinium; quod Scotiæ regno eventurum prædixit: nam Rege mortuo, & primogenito ejus; diversa partium studia fuerunt; his Regis fratri, illis filio faventibus. Unde etiam Angliæ factioni, & miseriarum cumulo accessit. Quod ita refert Hovedenus. *Margaritâ mortuâ, Scoti elegerunt sibi in Regem Dufenaldum fratrem Malcolmi Regis: & omnes Anglos, qui de Curiâ Regis fuerant; de Scotiâ expulerunt. Quibus auditis, Dunekanus, Malcolmi Regis filius, VVillielmum Regem, cui tunc militabat, ut ei regnum Patris sui concederet, petiit & impetravit: illiq; fidelitatem juravit. Et sic ad Scotiam, cum multitudine Anglorum, & Normannorum properavit: & patruum suum Dunefaldum de regno expulit: & in loco ejus regnavit. Deinde nonnulli Scotorum, in unum congregati, homines illius penè omnes peremerũt. Ipse vero cũ paucis evasit. Veruntamẽ post hæc ipsum regnare permiserunt, ea ratione, ut ampliùs in Scotiã, nec Anglos, nec Normannos introduceret, sibiq; militare sineret:*

XXXVIII. EPISCOPALIUM SEDIUM TRANSLATIO. *Paris anno 1092.* WELLENSIS, BATHONIAM. * V an. 1088 n. 10. CESTRENSIS, COVENTRIAM. TEDFORDENSIS, NORWICUM. *Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 120.*

Sub hoc tempus, trium Ecclesiarum Præsules, sedes suas ad illustriora loca transtulerunt. Anselmi forsan, & Guilielmi Regis authoritate fulti. Ita Matthæus Parisiensis, cum Anselmi inaugurationem retulisset: *Eodem anno* (inquit) *Ioannes, Wellensis Præsul, natione Turonum; consensu Guilielmi Regis, albo unguento manibus ejus delibutis, transtulit in Bathoniam, sui cathedram Præsulatus.* Hic est Joannes, de Villula dictus, quem * supra consecratum dixi, anno millesimo octogesimo octavo. qui multum laborasse dicitur, pro sede Bathoniæ ponendâ: & nunc tandem; ceu prece, ceu pretio, impetravit. Robertus etiam, qui apud Cestriam sedebat, nobilem quidem urbem, sed à populorum frequentiâ, & Diœcesis suæ meditullio, paulò remotiorem, Coventriam transtulit, anno (ut habet Godwinus) millesimo nonagesimo quinto. Quo etiam tempore, juxta eundem, Herebertus Tedfordensis Episcopus, Sedem suam Norwicum transtulit. Sed quia Malmesburiensis, trium Ecclesiarum erectionem conjungit: placuit eum sequi, & ad hunc annum referre, quod ipse sic describit. *His temporibus in Angliâ, tres Episcopatus ex antiquis Sedibus transiere aliàs. Wellensis in Bathoniam, per Ioannem: Cestrensis, per Robertum, in Coventriam: Tedfordensis, per Hubertum, in Northwick: omnes majore ambitu, quàm ut tantorum virorum debuisset interesse studio.* Cum hæc Author de tribus Ecclesiis retulisset, pergit trium Episcoporum mores, & facinora; prospera, & adversa narrare, hoc modo.

XXXIX. *Idem supra.* HERBERTUS NORWICENSIS EPISCOPUS.

Herbertus, cognomento Losinga, quod ei ars adulationis impegerat, ex Abbate Ramesiensi emit Episcopatum Tedfordensem, patre quoque suo Roberto ejusdem cognominis, in Abbatiam Wintoniæ intruso. Fuit ergo vir ille magnus in Angliâ Simoniæ fomes, Abbatiam, Episcopatumq; nummis aucupatus. Pecuniâ scilicet Regiam solicitudinem inviscans: & Principum favori non leves promissiones assibilans. Unde quidam egregiè tunc temporis versificus ait:

Surgit ab Ecclesiâ monstrum, genitore Losinga:
Simonidum secta, Canonum virtute resectâ.
Petre nimis tardas, nam Simon ad ardua tentat.
Si præsens esses, non Simon ad alta volaret.
Proh dolor! Ecclesia nummis venduntur, & ære.
Filius est Præsul, Pater Abbas, Simon uterque.
Quid non speremus, cum nummos possideamus?
Omnia nummus habet; quod vult facit, addit, & aufert.
Res nimis injusta: nummus fit Præsul & Abba.

XL. HEREBERTI POENITENTIA.

Veruntamen erroneum impetum juventutis, abolevit Pœnitentia. Romam profectus severioribus annis: ubi loci Simoniacum, & baculum, & annulum deponens, indulgentiâ clementissimæ Sedis recipere meruit. Quod Romani sanctius & ordinatius censeant; ut Ecclesiarum omnium sumptus, suis potius marsupiis serviant, quam quorumlibet Regum usibus militent. Ita Herbertus domum reversus, Sedem Episcopalem, quæ quondam fuerat in Elmam, & tunc erat apud Tedfordi ad insignem mercimoniis, & populorum frequentiâ, vicum transtulit, nomine Norwich. Ibi Monachorum congregationem, numero, & religione percelebrem instituit: omnia eis necessaria, ex nummis mercatus domesticis. Providens scilicet successorum querelæ, nullas Episcopi terras Monachis largitus est: ne illi Dei famulos fraudarent victualibus: si quid donatum offendissent, quod suis competeret rebus. Præterea apud Tedford, Monachos Cluniacenses instituit: quod sint illius Cœnobii professores, ubique pene gentium dispersi: locupletes in seculo, & splendidissimæ religionis in Deo. Ingenti ergo & numerosâ virtutum gratiâ, præteritarum offensarum molem obumbravit: disertitudinis & literarum copiâ: nec minus secularium rerum peritiâ. Romanæ quoque celsitudini suspiciendus. Fuitq; Herbertus mutatus (ut Lucanus de Curione dixit) *momentum, & mutatio rerum. Sicut tempore illius Regis, simoniæ caussidicus; ita posteriùs propulsator invictus, neque ab aliis fieri voluit, quod se præsumptum, quondam juvenilis fervore indoluit. Præ se semper, ut aiunt, ferens Hieronymi dictum: Erravimus juvenes; emendemus senes. Postremò, quis in illius facti laudem dignè pergat: quòd Episcopus, non multum pecuniosus, tam nobile Monasterium fecerit: in quo nihil frustra desideres, vel in ædificiorum sublimium specie; vel in ornamentorum pulchritudine; vel in Monachorum religione, & ad omnes sedulâ charitate. Hæc & vivum spe felici palpabant; & defunctum, si non vana fides pœnitentiæ super æthera retulerunt.* Hactenus Author.

XLI.

Multa hac narratione conjunguntur, non eodem anno transacta. Quod de Norwicensi Monasterio dicitur; meliùs ad Henrici primi tempora, hoc est, ad annum millesimum centesimum primum refertur. Tunc enim è Regio diplomate Monasterii confirmatio, nobilitasque clarescit. Sequitur in Malmesburiensi, alterius Episcopi suam Sedem transferentis character.

JOANNES BATHONIENSIS EPISCOPUS. *Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 129.*

Ioannes (inquit) *erat Episcopus Wellensis, natione Turonicus, usu non literis medicus probatus. Is defuncto Abbate Bathoniensi Abbatiam à Rege non gravatè obtinuit: eo quod & in Curiâ venum omnia agebantur & aviditatem videbatur palliare ratio, ut urbs tam insignis nomen celebrius acciperet ex Episcopio. Itaque primò in Monachos severitatem exercere, quod essent & hebetes, & suâ æstimatione barbari, omnes terras victualium ministras subtrahens: pauculumq; victum, per laicos suos exiliter inferens. Sed procedentibus annis, factis Monachis novis, mitius se agere; aliquantulum terrarum, quâ se hospitesq; suos, quoquomodo sustentarent, indulgens priori. Et quamvis primò cœpisset austerius, multa nobiliter per eum cœpta, & consummata in ornamentis, & libris, maximeq; Monachorum congregatione, qui sunt scientia literarum, & sedulitate officiorum juxta prædicabiles. Cæterùm nunquam, nec etiam moriens emolliri potuit, ut plena manu terrarum servitium manumitteret, successoribus suis non imitandum relinquens exemplum.*

XLII. ROBERTUS COVENTRIENSIS EPISCOPUS. *Malmesb. supra* * V. an. 1043. n. 12. 13.

Restat Cestrensis Episcopi, ad Coventriam migratio: ubi nobilis Prioratus, invitare hominem potuit ad figendum inibi domicilium. Quod Author ita prosequitur. *Erat in Cestrensi Diœcesi Cœnobium, Coventreia nomine, quod Comes magnificentissimus Lefricus, ut * supra fatus sum, cum uxore Godivâ constituerat; tanto auri, & argenti spectaculo; ut ipsi parietes Ecclesiæ angusti viderentur thesaurorum receptaculis; miraculo porro magno visentium oculis. Hoc Robertus ejusdem provinciæ Episcopus inhians, non Episcopaliter involavit. Ex ipsis Ecclesiæ gazis surripiens, datoris manum suppleret: unde Papæ occupationes falleret: unde aviditatis Romanorum irreperet. Pluresq; ibi annos moratus, nihil probitatis exhibuit. adeo tecta ruinam minitantia, nunquam periculo exemit. adeo sacras ædes dilapidans, peculatus crimen incurrit, repetundarum reus futurus Episcopus, si esset accusator paratus. Monachos miserabili stipe cibans: nec ad regularis ordinis amorem curavit attendere: nec nisi ad popularem*

literaturam

literaturam passus est ascendere: nè vel ciborum affluentiâ delicatos; vel regula rigor, & scientia vigor contra se faceret elatos. Agresti igitur victu, & triviali litera contenti, satis habebant, si vel saltem quieti vivere possent. Quinetiam moriturus parvi faciens scita Canonum; quibus edicitur, Pontifices in suis sedibus sepeliri debere. non apud Cestram, sed apud Coventreiam se tumulatum iri praecepit: sua opinione relinquens successoris non indebitum calumniandi, sed quasi jus legitimum vindicandi. Quæ postrema Authoris verba satis innuunt, necdum fixam authoritate publica sedem Coventriæ, sed viam tantummodo apertam figendi. Unde etiam post hæc, Episcopi Sedis illius, modò Coventrenses, modò Cestrenses appellantur. & demum post aliquot annos, veluti postliminii jure, Lichfeldiam reversi, Lichfeldenses denuò vocabuntur.

XLIII. Guido, et Paulus Abbates mortui.

Mortui sunt, hoc anno, Guido Abbas S. Augustini, & Paulus Albanensis Abbas, quem supra Monasterio illi à Lanfranco præfectum diximus. *Hic cum Ecclesiam S. Albani strenuè rexisset* (loquitur Matthæus Parisiensis) *annis sedecim, mensibus quatuor, tertio idus Novembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, tempore Willielmi Regis secundi, videlicet Rufi, obiit. nec cessarunt ejus statuta temporibus subsequentibus, Ecclesiam S. Albani feliciter illustrare, & ordinem augmentare domesticum. Unde ipsum Cœnobium, in temporalibus, & spiritualibus, dictum felix semper suscepit incrementum. Post cujus obitum, vacavit Ecclesia annis quatuor. Rex autem Willielmus secundus, nullius, præcipuè mortui, verus amicus, interim in manu suâ Cœnobium tenuit, & immisericorditer depauperavit: nemora complanando, ab hominibus S. Albani pecuniam (causis cavillatoriis adinventis) extorquendo: quod non permisit inultum Beatus Albanus.* Pergit Author narrare vindictam cælitus à Rege sumptam, de qua nos infra, cum moritur.

Paris in Abbate 14.

V. an. 1100 n. 6.

XLIV. Translatio S. Augustini et sociorum.

Guidonem etiam S. Augustini Abbatem hoc anno mortuum scribunt Wigorniensis & Hovedenus; Fuit ille, unà re memorabilis; quod, eo Abbate corpus S. Augustini Anglorum Apostoli, in lucem elatum, plurimorum mentes ad pietatem accenderit. Hanc translationem, Goscelinus Monachus eleganter exposuit: & paucis tantùm attigit Malmesburiensis; ita de utroque (Goscelino inquam, & Translatione) scribens: *Hic occasio temporum Guilielmi* (inquit) *Translationem Augustini præcellentissimi Anglorum Apostoli, cum sociis suis expoui animaret: nisi peritissimi Goscelini præcurrisset ingenium. Qui Monachus, de S. Bertino, cum Heremanno Episcopo Salesberiæ quondam Angliam venerat, insignis literarum & cantuum peritiâ. Is multo Episcopatus & Abbatias perlustrans tempore, præclara scientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ, post Bedam secundus. Musicæ porrò palmam post Osbernum adeptus. Denique innumeras Sanctorum recentium vitas stylo extulit: veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas, comptiùs renovavit. Hujus quoque translationis seriem ita expolivit; ut eam præsentibus monstrasse digito; futurorumq́; videatur subjecisse oculo. Felix lingua, quæ tot sanctis servierit: felix pectus, quod tot vocales melodias emiserit; præsertim cùm in ejus conversatione certaret honestas doctrinæ.* Ita ibi. Nescio, an e Goscelino sumpserit Capgravius, quæ de hac Translatione refert: ubi quod tempus

Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 130.

spectat, hæc habet: *Tertio die ante Nativitatem Sanctæ Mariæ, facta est translatio S. Augustini, sociorumq́; ejus.* & paulò inferiùs. *Facta est autem translatio Sancti Augustini sociorumq́; ejus anno Domini millesimo nonagesimo primo, octavo Idus Septembris per Guidonem Abbatem, Præsulante venerabili Anselmo: & corpora singulorum Sanctorum, in scriniis sicut modo apparet, honorificè collocantur.* Sed antichronismus est: & annus Christi 1091. cum Anselmo Cantuariæ Præsulante stare non potest. Ideo Guidonem cum Anselmo componens, translationem ad hunc annum rejicio.

Capgra. in Augustino.

ANNUS CHRISTI 1094.

URBANI II. PAPÆ VII.

GUILIELMI II. REGIS 8.

I. Tempestas in Anselmum exoritur.

Annus Redemptoris nostri millesimus nonagesimus quartus, varia rerum vicissitudine illustratur, vel obscuratur potiùs. Anselmus, qui aurâ secundissimâ, Cantuariensem Sedem, Rege cogente, Episcopis plaudentibus, ascenderat: nunc æstu contrario, & reflante vento, cum adversis fluctibus luctari cogitur. omni Anglorum Ecclesiâ, misera tempestate fluctuante. parum fuisset, Normannum Regem effrenem Principem, & in omne malum præcipitem, Anselmo adversari, atque pietati: sed durum omnino, & triste fuit; quod Anselmus dicere potuit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*: illi ipsi qui *posuerunt me custodem in vineis.* & ideo, quid mirum, si *vineam meam non custodivi.* Magna fuit, & laude digna Episcoporum solicitudo; cum viduis Ecclesiis Pastores quæsiverunt: Rege compuncto, morti proximo, inferni tormenta timente: sed pudendum valdè, Rege mutato, & posito timore; ipsos mutari, solicitudinem ponere, & eadem cum ipso capitis mentisque vertigine laborare qui columnæ esse debuerunt. Plerique tamen eo morbo laborarunt Episcopi, in causâ Anselmi? dum Regiæ cupiditati obsequentes; Primatem suum, quem paulò ante summis votis expetiverant; non solum in æquissimâ causâ deserunt: sed ultro Regis furori objiciunt, atque persequuntur. Tragœdiæ hujus prologum Mauritius agit Londinensis Episcopus, sub anni initium; quando Anselmus Ecclesiam consecraturus accedit: & opus perfecit, quod Lanfrancus inchoaverat. Rem ab Edmero narratam, non aliis quàm Edmeri verbis referam. quod etiam in omnibus Anselmi rebus gestis, quas ille fidelissimè collegit, observo.

Cant. 1. c.

II. Edmer l. 1. fo. 22. Mauritius Londinen. Anselmo litem intentat.

Anselmus veniens in villam suam, quæ Herga vocatur, dedicavit illic Ecclesiam; quam Lanfrancus quidem fabricaverat: sed morte præventus, sacrare nequiverat. Inter quam dedicationem, venerunt illuc duo Canonici, de Sancto Paulo, ab Episcopo Londonia missi. literas ex parte Episcopi deferentes: in quibus, ut ipsam dedicationem, donec simul inde loquerentur, differret, deprecatus est. Dicebat enim ipsam Ecclesiam, in suâ parochiâ esse & ab hoc, licet in terrâ Archiepiscopi fuerit; dedicationem illius ad se pertinere. Audiens hoc Anselmus; & antecessorum suorum antiquam consuetudinem sciens; ratus est ab ipso ministerio, pro hominum precibus, non cessandum, nec

fecit.

fecit. Siquidem mos, & consuetudo Archiepiscoporum Cantuariensium ab antiquo fuit, & est: ut in terris suis, ubicumque per Angliam sint, nullus Episcoporum præter se, jus aliquod habeat: sed divina simul, & humana omnia, velut in propriâ Diœcesi, in suâ dispositione consistant. Anselmus tamen nulli quicquam injuriarum, quasi libera usus potestate, facere volens; diligenti postmodum inquisitione, consuetudinis hujus certitudinem studuit investigare: quatenus si eam ratam non fuisse constaret, à modo ab ea temperaret. Supererat adhuc beatæ memoriæ VVolstanus Episcopus; unus & solus de antiquis Anglorum Patribus, vir in omni religione conspicuus, & antiquarum Angliæ consuetudinum, scientiâ apprimè eruditus. Hunc Anselmus de negotio consuluit, & quo simpliciem sibi veritatem innotesceret, postulavit. Hic subjicit Edmerus, Wolstani literas, & responsum. Sed lubet priùs Anselmi ad Wolstanum Epistolam ponere, quæ libro tertio Epistolarum ejus, est numero decima nona, & hoc modo, mendosè parum inscribitur, dum Gorniensem vocat, qui Wigorniensis dici debet Episcopus.

Ansel. l. 3. Epistolarum Ep. 19.

ANSELMUS servus servorum Christi, vocatus Archiepiscopus: Dilecto & Reverendo Episcopo GORNIENSI VULSTANO: sic in arrepto sanctitatis proposito perseverare: ut mereatur in æternâ beatitudine, sine fine regnare.

III. ANSELMUS AD WULSTANUM SCRIBIT.

„ SANCTITAS & sapientia vestra, quæ in
„ diuturna ætate, per Dei gratiam in vobis
„ multum creverunt: & certitudo dilectionis ve-
„ stræ, quam erga me indubitanter cognovi,
„ hortantur me, ut in negotiis nostris (cum res
„ exigit) ad vestræ Reverentiæ recurram con-
„ silium. Quapropter de quadam calumniâ,
„ quam quidam Coëpiscopus noster, Londinen-
„ sis scilicet, contra antiquam consuetudinem,
„ quam Ecclesia nostra liberè, & quietè posse-
„ dit, in prætcritis, & antiquis temporibus, usque
„ ad præsens tempus; ingerit mihi, vestrum
„ quæro consilium. Quippe testante omni ge-
„ nere hominum, qui sunt in Cantuariensi Diœ-
„ cesi, & in aliis Episcopatibus, qui sunt circa
„ eandem Diœcesim, semper Archiepiscopus
„ Cantuariæ hanc habuit potestatem, & con-
„ suetudinem: ut intra cujuscumque Episcopi
„ Diœcesim haberet Ecclesia Cantuariæ villam,
„ aut Ecclesiam, quæ ejusdem Archiepiscopi
„ proprii juris essent: quicquid de eadem villâ,
„ vel Ecclesiâ pertineret, ad Episcopale officium:
„ sive dedicatio, sive aliquid aliud. Adhuc vi-
„ vunt innumerabiles homines, qui viderunt an-
„ tecessorem meum, venerabilis memoriæ Lan-
„ francum Archiepiscopum dedicare Ecclesias
„ villarum suarum, intra Diœceses aliorum
„ Episcoporum; ipsis scientibus, sine calumniâ.
„ Quod etiam Sanctus Dunstanus, & alii præ-
„ decessores mei fecisse probantur: ipsis Eccle-
„ siis, quas dedicaverunt, adhuc stantibus. Hanc
„ dignitatem, & potestatem tamdiu inconcussè
„ ab Ecclesiâ Cantuariensi possessam, conatur
„ hoc nostro tempore, prædictus Episcopus,
„ Suffraganeus scilicet Archiepiscopo, & Prima-
„ ti suo filius Matris suæ auferre, & annihilare.
„ Quamobrem in hac re vestrum peto consi-
„ lium, & auxilium: quatenus, ut fidelis filius
„ Matris vestræ, contra filium, non dicam infi-
„ delem; sed volentem eam exheredare, subve-
„ niatis: & si quid scitis, quod ad nostram valeat,
„ literis vestris nobis studiosè intimetis. Valete.

IV.

Cum has Anselmi literas Wolstanus perlegisset; & inde collegisset persecutionis exordium, cum quâ Cantuariensis Ecclesia luctaretur: Archiepiscopum solaturus, rescribit, has literas, quas Edmerus recitat.

Apud Edmerum l. 1. fo. 22.

Reverendissimo, ac Beatissimo, vitæ sanctitate, & summæ Sedis dignitate Prælato, ANSELMO Archiepiscopo; WOLSTANUS servorum Dei minimus, Wigorniensis Ecclesiæ Episcopus, merito indignus: orationum obsequia, fideliaque ex charitate servitia.

S. WULSTANI AD ANSELMUM RESPONSIO.

„ NOVIT prudentia vestra, quotidianos la-
„ bores, & oppressiones sanctæ Ecclesiæ,
„ malignis eam opprimentibus: & ipsis, quos
„ oportuerat eam tueri, authoribus existenti-
„ bus. Ad hos repellendos, & contra tales san-
„ ctam Ecclesiam defendere, sanctitas vestra lo-
„ cata est in summâ arce. Ne igitur dubitet,
„ non eam secularis potentiæ timor humiliet,
„ non favor inclinet: sed fortiter incipiat; in-
„ cepta cum Dei adjutorio perficiat: insurgen-
„ tibus obsistat, opprimentes reprimat; sanctam-
„ que Matrem nostram contra tales defendat.
„ De his autem unde nobis dignitas vestra scri-
„ bere, & nostræ parvitatis consilium est digna-
„ ta quærere: quantum recordari possumus, di-
„ cere non omittimus. Hanc denique unde con-
„ suluit causam ventilari nunquam audivimus;
„ quia nullus aliquando extitit, qui hanc Can-
„ tuariensi Archiepiscopo potestatem adimere
„ vellet: & ne dedicationem propriarum dun-
„ taxat Ecclesiarum publicè faceret, defenderet.
„ Extant quippe, & in nostrâ Diœcesi altaria,
„ & quædam etiam Ecclesiæ; in his scilicet vil-
„ lis, quas Stigandus vestræ Excellentiæ præde-
„ cessor, haud tamen jure Ecclesiasticæ heredi-
„ tatis, sed ex dono possederat sæcularis pote-
„ statis, ab ipso dedicata, nostris, & antecesso-
„ ris nostri temporibus: nobis inconsultis; nec
„ antea nec postea inde calumniantibus. utpote
„ hanc spiritualem potestatem ejusdem Metro-
„ politani Episcopi esse scientibus. Judicium
„ tamen hinc agitatum, aut hoc ex jure sibi ju-
„ dicatum aliquando minimè audivimus: sed
„ quod in nostrâ Diœcesi eum fecisse liberè
„ agnovimus; in aliorum quoque facere posse
„ credimus. Ecce quantum inde reminisci, aut
„ scire potuimus, prudentiæ vestræ intimavi-
„ mus: jam quid faciendum sit, ipsa consideret.
„ Valeat Paternitas vestra, & oret pro nobis.

V. *Edmerus supra.*

Roboratus igitur Anselmus (pergit Edmerus) *ex istis, atque ex multis aliorum, quos longum est enumerare testimoniis: securè deinceps, suorum morem antecessorum æmulabatur: non solum Ecclesias, inconsultis Episcopis sacrans, sed & quæque divina officia, in cunctis terris suis, per se suosq; dispensans.* Nescio an hinc Episcoporum iræ surrexerint. opinor tamen doctiores omnes fuisse, quàm ut de Primatis prærogativa multum ambigerent; aut suspicari potuerint Anselmum, virum eruditione plenissimum, indebita præsumere: solùm ergo Regis aversio, & notus ejus genius, pecuniis inhiantis, trahebat Præsules, ad Regi

obsequendum.

Guilielmus Rex in Normanniam transit.

obsequendum. Quod hoc anno videre est, quando Guilielmus in Normanniam trajecturus, Episcoporum conventum indixit. Quod priusquam aggredior, dicendum est, quid Regem in Normanniam traxerit. de quo ita scribit Hovedenus: *Anno millesimo nonagesimo quarto, Comes Normannorum Robertus, fratri suo Rege Willielmo juniori, per Legatos mandavit, pacem, quam inter se firmaverant, se diutius non esse servaturum. Insuper vocavit illum perjurum, & perfidum; nisi conventionem inter illos, in Normannia factam, ei persolveret. Ob hanc causam, Rex circa Kalendas Februarii, Hastingam adiit: & dum ibi moraretur, Ecclesiam de Bello in honorem Sancti Martini dedicari fecit. Ubi etiam Herebertum, Tedfordensem Episcopum, pastorali baculo privavit. Latenter enim Urbanum Papam adire. & ab eo, pro Episcopatu, quem sibi: & Abbatia. quam patri suo Roberto, ab ipso Rege Willielmo, mille libris emerat, absolutionem quærere volebat.* Hæc ille. Herbertus iste quantumvis nunc baculo privatus: postea tamen, Principum favori non leves promissiones assibilans (ut suprà dixit Malmesburiensis) baculum, annulum, & Sedem recepit. Sed quid ultra factum apud Hastingam, videamus.

Hovedon. hoc.

Ecclesia S. Martini dedicatur.

V. an. 1093. n. 40.

VI. Anselme res gestæ cum Rege apud Hastingam.

Eò Anselmus cum aliis Ecclesiarum Prælatis evocatus. & ibidem cum Rege per mensem commoratus; Dum Anglorum saluti, morum puritati, & Ecclesiarum utilitati studet, adversarios patitur: eos ipsos, quos beneficiorum, & officiorum sanctitas, adjutores instituerat, atque collegas. Et dum Regem, ad pietatem acuere conatur, non aliud quàm plurima aversi animi argumenta colligit. Edmerus omnia sigillatim persequitur: & meritò audiendus est, qui Anselmo familiaris inter paucos fuit. Ille igitur de Hastingensi itinere, & rebus ibi gestis ita loquitur. *Ex præcepto Regis, omnes ferè Episcopi, una cum Principibus Angliæ, ad Hastinges convenerunt; ipsum Regem, in Normanniam transfretaturum, sua benedictione, & concursu prosecuti. Venit & Pater Anselmus, suis quam maximè orationibus, per marina pericula, Regem protegendo ducturus. Morati sunt ibi Rex, & Principes, plus uno mense, vento transitum Regi prohibente. In qua mora Anselmus sacravit in Ecclesia Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ est in ipso castello, Robertum ad regimen Ecclesiæ Lincolniensis. ministrantibus sibi in hoc officio septem de Suffraganeis Episcopis suis. De qua tamen consecratione; quidam de Episcopis, atque Principibus, conati sunt contra Anselmum scandalum movere: intendentes ad hoc, ut eundem Episcopum absolutè, absque debita professione consecraret. Quod nullo jure fulti; ea solummodo re sunt aggressi; quia putabant se animo Regis aliquid ex conturbatione Anselmi, unde lætaretur, inserere: scientes eum pro suprascripta causa, adversus ipsum, non parum esse turbatum. Sed Anselmus, ex his nihil rancoris mente concipiens; placido vultu, nulla ratione, assensum eis præbere: nec Episcopum, nisi primo suscepta professione ab eo, ac subjectione & obedientia sua, sacrare voluit. Rex quoque ubi quid Episcopi moliebantur, audivit; asseruit se nullo pacto consensurum; ut pro inimicitia, quam contra Archiepiscopum habebat, matri suæ Ecclesiæ Cantuariensi, de sua dignitate, quid quivis detraheret.*

Edmer. l. 1. fo. 23.

Robertus Lincolniensis consecratur.

VII. Guilielmi Regis fides excutitur.

En Regem, licet impium, hac tamen vice multis pietatem professis pientiorem. Qui quantumvis Anselmo iratus, Cantuariensi tamen Ecclesiæ irasci noluit, aut ejus prærogativam lædere. Unde, & ex aliis quoque distinguere clarè possumus Guilielmi Fidem, & facta: quæ non eodem impetu ferebantur. Credebat ille legitimum Petri successorem, Ecclesiarum per universum Orbem caput esse, & supremum Principem: Sed quis ille, an Urbanus, an Wibertus adorandus esset, à suo voluit arbitrio pendere. Cantuariensem Sedem, ab Augustino erectam, Apostolicæ Ecclesiæ privilegiis munitam agnovit, & illæsam esse voluit: licet Anselmum ibi sedentem, & suæ cupiditati avaritiæque minùs famulantem, persequi statueret. unde miranda vel miseranda potius Novatorum oscitantia; qui ex heteroclytis Normannorum Regum factis, quæ nequam impetus suggessit, eorundem fidem metiuntur, at mentiuntur veriùs. Quis nescit, aliud esse: Urbanum nolle Romæ Pontificem esse, aut in Petri Cathedrâ sedere: aliud Sedem ipsam lacerare, ac persequi; factiosi tamen hocce argumento se tuentur: & nullum in Ecclesia Caput agnoscunt, quia Guilielmus Urbanum colere aliquando formidavit. Inde eò perfidiæ, & apostasiæ ventum, ut nullum Romæ Caput; nullum in orbe Episcopum, immo nullum in Angliâ Regem esse velint. quod altissimum est impietatis barathrum, Luciferianæ superbiæ proximum: nulli subesse. pro quo Independentia monstra nunc plurimùm pugnant. Ad Anselmum redeo qui Anglorum mores in omnem honestatem peccantes, corrigere conatur. Quales illi fuerint, ex Edmero collige, sic narrante.

VIII. Edmer. l. 1. fo. 23. Anglorum vitia.

Eo tempore, Curialis juventus fermè tota, crines suos, juvencularum more nutriebat: & quotidie pexa, ac irreligiosis nutibus circumspectans, delicatis vestigiis, tenero incessu, obambulare solita erat. De quibus cum in capite jejunii, sermonem in populo, ad Missam suam, & ad Cineres confluente, idem Pater habuisset: copiosam turbam ex illis in pœnitentiam egit, & attonsis crinibus, in virilem formam relegit. Illos autem, quos ab hac ignominia revocare nequivit; à Cinerum susceptione, & a suæ absolutionis benedictione suspendit. Erat autem in his, & hujusmodi prudenter, ac libere agens: nec ne solius justitiæ respectum, præ oculis, in omnibus, habens. qualiter ad Dei servitium, justitiamque colendam, Regem provocaret, studiosius intendit. Die igitur quadam ad eum, ex more, ivit. & juxta illum sedens, eum his verbis alloqui cœpit. Mare te, Domine mi Rex, transiturum, & Normanniam tuæ ditioni subjugaturum, disposuisti. Verum, quo hæc, & alia, quæ desideras tibi prosperè cedant: obsecro primùm fer opem, & consilium; qualiter in hoc regno tuo Christianitas, quæ jam ferè tota in multis periit, in statum suum redigi possit. Respondit. Quam opem? quod consilium? Iube, ait; si placet Concilia ex antiquo usu renovari: quæ perperam acta sunt, in medium revocari. revocata examinari: examinata redargui, redarguta sedari. Generale nempe Concilium Episcoporum, ex quo Rex factus fuisti, non fuit in Anglia celebratum; nec retroactis pluribus annis. Quapropter multa crimina eruperunt. & nullo, qui ea recideret, existente, in nimium robur, per pravam consuetudinem, excreverunt.

Anselmi cum Rege colloquium.

IX.

At ille: Cum, inquit, mihi visum fuerit, de his agam: non ad tuam, sed ad meam voluntatem. Sed in hoc, aliud tempus expendetur. & adjecit subsannans: Tu verò in Concilio unde loquereris? Tunc ille: nefandissimum Sodomæ scelus (ut illicita consanguineorum connubia, & alia multa rerum detestandarum facinorosa negotia taceam) scelus, inquam,

Sodoma noviter in hac terrâ divulgatum, jam plurimum pullulavit; multosq; suâ immanitate fœdavit. Cui fateor, nisi districtius à te prodiens sententia, judicii & Ecclesiasticæ vigor disciplinæ celerius obviet: tota terra, non multo post Sodoma fiet. Sed conemur unà, quæso, tu, Regia potestate; ego Pontificali authoritate; quatenus tale quid inde statuatur: quod cum per totum fuerit regnum divulgatum; solo etiam auditu, quicumque illius fautor est, paveat, & deprimatur. Non sederunt hæc animo Principis, & paucis ita respondit: Et in hac re, quid fieret pro te? Si non, inquit, Anselmus, pro me: spero fieret pro Deo, & te. Sufficit, & dixit, nolo inde ultra loquaris. Tacuit ille: sed mox verba sua vertit ad alia dicens. Est & aliud, cui etiam industriam intendere vellem: & intendendo consilii tui manum extendere. Abbatiæ quamplures sunt, in hac terrâ, suis pastoribus destitutæ. Quamobrem Monachi, relicto ordine suo, per luxus sæculi vadunt; & sine confessione de hac vitâ exeunt. Unde consulo, precor, moneo, quatenus tantâ re diligenter inspectâ, secundum voluntatem Dei, Abbates illis instituas: ne in destructione Monasteriorum, & perditione Monachorum, tibi, quod absit, damnationem adquiras.

X. *Non potuit ampliùs spiritum suum Rex cohibere: sed oppido turbatus, cum iracundiâ dixit: Quid ad te? nunquid Abbatiæ non sunt meæ? Hem tu, quid vis agis de villis tuis: & ego non agam, quod volo de Abbatiis meis? Ait. Tuæ quidem sunt, ut illas, quasi advocatus defendas, atque custodias: non tuæ autem, ut invadas, aut devastes. Dei scimus eas esse, ut sui ministri inde vivant, non quò expeditiones tuæ, & bella inde fiant. Denique villas, & quàm plures redditus habes, unde pleniter administrare tua potes. Ecclesiis, si placet, sua dimitte. Pro certo, inquit, noveris mihi valde contraria esse, quæ dicis. Nec enim antecessor tuus auderet ullatenus Patri meo talia dicere: Et nihil faciam pro te. Intellexit ergo Anselmus, se verba in ventum proferre; & surgens abiit. Reputans autem in hujusmodi responsis, nonnihil pristinam iram operari: & considerans offenso Principis animo, nequaquam posse pacem rebus dari: quo, & rebus consuleret, & liberius, favente sibi regali prudentia, Deo fructificaret: humili per Episcopos prece Regem deprecatus est; ut in amicitiam sui, sese gratis admitteret. Quod si (ait) facere non vult: cur nolit, edicat: & si offendi, satisfacere paratus sum. Relata sunt ista ad Regem; & respondit: de nullâ re illum inculpo: nec tamen ei gratiam meam, quia non audio quare, indulgere volo. Quod cum Episcopi viro retulissent: percunctatus est, quidnam illud esset, quod quia non audiebat, preces suas exaudire nolebat. Mysterium hoc, inquiunt, planum est. nam si pacem ejus vis habere: necessario te oportet ei de pecuniâ tuâ copiosè præbere. Iam nuper obtulisti ei quingentas libras: sed quoniam parum sibi visum est; noluit illas recipere. Nunc si vis nostro consilio credere; &, quod in simili negotio facimus, tu quoque facere: suademus ipsas ei quingentas libras ad præsens da: & tantundem pecuniæ, quam ab hominibus tuis accipies, illi promitte: & confidimus, quòd & tibi amicitiam suam restituet. & tuam, ut voles, pacem habere permittat. Aliam, quâ exeas, viam, non videmus. Nec nos pari angustiâ clausi, aliam exeundi habemus.*

XI. *At ille continuò intelligens, quod consilii hujus effectus prætenderet, ait: Absit hic exitus a me. nam cum ipse mihi, juxta quod dicitis, nullam alicujus offensæ calumniam imponat: & tamen tantum iratus est mihi, ut non nisi mille libris argenti pacari queat: fortè si nunc novus Episcopus hac eum donatione pacarem; ex ipso usu, aliâ vice similiter irasceretur, ut pari voto pacaretur. Ampliùs homines mei post obitum venerabilis memoriæ Lanfranci, antecessoris mei, deprædati sunt, & spoliati: & ego cum hucusque nil eis, unde revestiri possint, contulerim, jam eos nudos spoliarem, imo spoliatos excoriarem? Absit. Nihilo quoque minùs hoc absit à me; amorem Domini mei facto ostendere venalem esse. Fidem ei debeo, & honorem: & ego illi hoc dedecus facerem; scilicet, gratiam suam, quasi equum, vel asinum vilibus nummulis emerem? Emptum denique amorem ejus, utique tanti pendere postea quantum pretium pro eo datum æstimarem. Sed longe sit a me sublimitatem tantæ rei humili pretio comparare. Magis autem satagite, quo gratis & honestè me, sicut Archiepiscopum Cantuariensem, & patrem suum spiritualem diligat: & ego ex meâ parte dabo operam, ut me, & mea ad servitium & voluntatem ejus, juxta quod debebo, exhibeam. Dixerunt: Saltem quod saltem oblatas ei quingentas libras, non negabis. Respondit. nec ipsas utique ampliùs illi dabo, quia cum eas sibi offerrem, suscipere noluit: & jam plurimam partem earum, ut promisi, pauperibus dedi.* ANSELMUS NON VULT DARE 500. LIBRAS.

XII. *Nuntiata sunt ista Regi: & jussit ei hæc contra referri. Heri magno, & hodie majori illum odio habebo. Pro Patre vero, vel pro Archiepiscopo, nequaquam illum ultra tenebo: sed benedictiones, & orationes ejus execrans penitùs respuo. Eat, quò vult, nec me transfretaturum pro dandâ benedictione diutiùs expectet. Festinantiùs igitur à Curiâ discessimus: & ipsum voluntati suæ reliquimus. Et ipse quidem in Normanniam transiit: expensaq; immensâ pecuniâ, eam sibi nullatenus subigere potuit. Infecto itaque negotio, in Angliam reversus est.* Hæc omnia Edmerus, missis iis, quæ à Guilielmo acta sunt, in Normanniâ: quæ Authores alii Wigorniensis, & Hovedenus, ita prosequuntur.

XIII. Wigornien. & Hoveden. hic. *Mediâ Quadragesimâ Rex Normanniam petiit: & ad fratris colloquium, sub pace statutâ, venit: sed impacatus ab eo recessit. Demum in Campo-Martio convenerunt: ubi illi, qui Sacramento inter illos pacem confirmaverant, Regi culpam omnem imposuere. At ille, nec culpam agnoscere: nec conventionem voluit persolvere. Idcirco nimis irati discesserunt impacati. Comes quidem Rotomagum perrexit: Rex verò ad Owe rediit, & in illo resedit: solidarios undique conduxit: aurum, argentum, terras, quibusdam optimatum Normanniæ dedit, quibusdam promisit; ut à germano suo Roberto deficerent: & cum castellis suis, se ejus ditioni subjicerent. Quibus ad velle patratis, per castella, quæ vel prius habuerat, vel quæ tunc conduxerat, suos milites distribuit. Intereà castellum, quod Bures vocatur, expugnavit: Comitis milites in eo captos, partim in Angliam custodiendos misit: partim in Normanniâ custodiæ mancipavit: & fratrem suum multis modis vexans, exheredare laborabat. At ille necessitate compulsus, Dominum suum Philippum Regem Francorum, cum exercitu Normanniam adduxit. Et Rex quidem castellum Argentinum obsedit: & ipso die obsessionis septingentos milites Regis, cum bis totidem scutariis, & castellanis omnibus, qui intus erant, sine sanguinis effusione cepit: captosq; in custodiâ tamdiu servare mandavit, donec quisque se redimeret; & posthæc in Franciam rediit. Comes verò Robertus, castellum quod Holm nuncupatur obsedit: donec Willielmus Peverel, & octingenti homines, qui illud defendebant, illi se dederent. Quod cum Regi innotuisset; nuntiis in Angliam missis, viginti millia*

Pedonum in Normanniam sibi in auxilium mitti jussit. Quibus Hastings congregatis, ut mare transirent: pecuniam, quæ data est iis, ad victum; Ranulsus precepto Regis abstulit; scilicet unicuique decem solidos: & eos domum repedare mandavit: pecuniamq́, Regi transmisit.

XIII. BRITANNI IN ANGLIA TUMULTUANTUR.

Dum Gulielmus Rex in Normanniâ versatur & pecuniarum largitione magis, quam militari virtute, in fratrem pugnat: majus in Angliâ damnum, quàm in Normanniâ quæstum habet. nam Insula non solum tributorum exactione miserè distrahitur: sed Britannorum incursu Anglorum terræ vastantur: cum Ordovices, & Silures tumultuantur, de quibus ita Authores suprà. *Adhæc primitus Nortwallani, deinde Southwalani, servitutis jugo, quo diu premebantur, excusso, & cervice erecta, libertatem sibi vendicare laborabant. Unde collectâ multitudine, castella, quæ in Westwalania firmata erant, fregerunt. Et in Cestrensi, & Scrobesbiriensi, & Herefordensi provinciis, frequenter villas cremabant, prædas agebant, & multos ex Anglis, & Normannis interficiebant. Fregerunt & castellum in Merania Insula: eamq́, suæ ditioni subjiciebant.*

Wigorn. hic

DUNECANUS SCOTORUM REX OCCIDITUR.

Interim Scotti Regem suum Dunecanum, & cum eo alios nonnullos per insidias peremerunt; suasu & hortatu Dufenaldi: & illum sibi Regem rursum constituerunt. Post hæc Rex Willhelmus quarto Calendas Januarii, Angliam rediit: & ut Wallanos debellaret, mox exercitum in Walloniam movit. ibique homines & equos perdidit multos.* Ita illi de Britannorum incursibus. qui etiam hoc tempore castrum in Monte-Gomerico, à Rogero Salopiensi Comite constructum, destruxerunt: vel certè anno sequenti, ut habet Camdenus, in Ordovicibus.

Camden. in Montgomerin laiue

XIV ANSELMUS ROMAM COGITANS REGEM OFFENDIT.

Vix Angliam Willhelmus attigerat, cum nova, cum inter, & Anselmum, controversia, gravissimæ persecutioni, quæ inde sequuta est, initium dedit. Anselmus necdum Archiepiscopatus insignia, de more receperat; quæ è Gregorii VII. decreto, ut suprà vidimus in Lanfranco, absenti nec dari, nec mitti poterant. Romam ergo, & ab Urbano Papa, pallium petere, Anselmus statuit, Rege prius consulto. Sed Rex cum æquissimæ postulationi annuere debuisset; litem illi iniquissimè movit. Quod ad tempus spectat novæ altercationis; licet post hujus anni natalitia putem illam contigisse, & sub initium anni sequentis; cum Baronio tamen huc refero, ita ad hunc annum scribente. *Magna post hæc persecutio, Sanctum Anselmum exagitavit. Occasio autem ex eo manavit; quòd Anselmus ipse legitimum Pontificem haberet Urbanum, eundemq́, coleret, ut Christi Vicarium; atque Petri Apostol successorem: Rex verò faveret potiùs Guiberto. Hincq́, factum est, cum profectionem, ad eundem Urbanum, petendi causâ pallium Anselmus instituisset, Rex prohibuit. Et hinc ingens persecutio, non à Rege tantum; sed ab omnibus fermè Angliæ Episcopis, quam Edmerus qui aderat sic describit.* Ita Baronius, qui subdit è Surio, quæ Edmerus scripsit in vitâ Sancti Anselmi. Sed quoniam idem Author, libros sex Novorum scripsit, quos nunquam vidit Baronius; & paulò fusiùs controversiæ cardinem, & omnes circumstantias movet, inde potiùs narrationem instituo. Ubi etiam patebit, Gulielmum Regem, non tam [illegible] visse Guiberto Antip[illegible], quàm Anselmo irasci voluisse. Cum enim hoc tempore, de pallio mota esset quæstio, quod ab Urbano petere Anselmus decreverat: ipse Rex, secretâ

Baron. hic n. 13

REX NON MAGIS, IMO MINUS GUIBERTO

legatione, literisque non à Guiberto, sed ab Urbano illud mitti postulavit; & ab eodem Papa illud impetravit, ut dicam anno sequenti. Interim quæ Edmerus narrat, & ad hunc annum refert Baronius, in medium adducamus.

FAVIT QUAM URBANO.

XV. ANSELMUS LICENTIAM PETIT ROMAM EUNDI.

Edmer. l. 1. fo 25.

*Regem consistentem in quadam villâ, quæ tribus milliariis à Schafteberiâ distans, Hingeham (nunc Gilingham) vocatur, Anselmus adiit: eiq́, suam voluntatem, in hoc esse innotuit: ut Romanum Pontificem, pro pallii sui petitione, adiret. Ad quod Rex A quo, inquit, Papâ, illud requirere cupis. Erant quippe eo tempore duo, ut in Angliâ ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices, à se invicem discordantes: & Ecclesiam Dei, inter se divisam post se trahentes. Urbanus videlicet, qui primo vocatus Odo fuerat Episcopus Ostiensis: & Clemens, qui Wibertus appellatus fuerat, Archiepiscopus Ravennas. Quæ res, ut de aliis mundi partibus sileam; per plures annos Ecclesiam Angliæ, in tantum occupavit; ut ex quo venerandæ memoriæ Gregorius, qui antea vocabatur Hildebrandus, defunctus fuit; nulli loco Papæ, usque ad hoc tempus, subdi vel obedire voluit. Sed Urbano jamdudum pro Vicario Beati Petri, ab Italiâ, Galliaq́, recepto; Anselmus etiam, utpote Abbas de Normanniâ, eum pro Papâ receperat: & sicut vir nominatissimus, necnon authoritate plenus, ejus literas susceperat. eiq́, velut summo Sanctæ Ecclesiæ Pastori, suas direxerat. Requisitus ergo a Rege; a quo Papa usum pallii petere voluisset: Respondit, ab Urbano. Quo Rex audito; dixit, illum pro Apostolico se nondum accepisse: nec suæ, vel paternæ consuetudinis eatenus extitisse: ut præter suam licentiam, aut electionem, aliquis in regno Angliæ, Papam nominaret: Et quicumque sibi hujus * dignitatis potestatem præripere vellet; unum forat; ac si coronam suam sibi conaretur auferre.*

* dignitate.

XVI. V. an. 1093. 22.

Ad quæ Anselmus admirans, in medium protulit, quod suprà retulimus. se videlicet, antequam Episcopus fieri consentiret; ei apud Rovecestram dixisse: quòd ipse Abbas Beccensis existens, Urbanum pro Papâ susceperit: nec ab illius obedientiâ, & subjectione, quoquomodo discedere voluerit. Quibus ille auditis, ira stimulis exagitatus; protestatus est illum nequaquam fidem, quam sibi debebat, simul & Apostolicæ Sedis obedientiam, contra suam voluntatem, posse servare. Anselmus igitur, salvâ ratione suâ, quam de subjectione, & obedientiâ Romanæ Ecclesiæ in medium tulerat, petivit inducias ad istius rei examinationem; quatenus Episcopis, Abbatibus, cunctisq́, regni Principibus, una coeuntibus, communi assensu definiretur: utrum salvâ reverentiâ, & obedientiâ Sedis Apostolicæ, posset fidem terreno Regi servare, an non? Quod si probatum, inquit, fuerit; utrumque fieri minimè posse: fateor malo terram tuam, donec Apostolicum suscipias, exeundo devitare; quam Beati Petri, ejusq́, Vicarii, obedientiam, vel ad horam, abnegare. Dantur ergo induciæ. atque ex regiâ sanctione, fermè totius regni nobilitas, quinto Idus Martii pro ventilatione istius causæ in unum apud Rochingam coiit. nimirum anno sequenti. de quo ibi.

XVII. FACTIONIS GENIUS OSTENDITUR.

Interim factionis genium lubet contemplari, nodum in scirpo quærentem. Urbanum omnis Gallia, legitimum Petri successorem agnoverat: Anselmus id dicto, scripto, facto, expresserat: inscriptis in hunc modum literis: *Domino Reverendo, Ecclesiæ Catholicæ summo Pontifici Urbano, Frater Anselmus, &c.* & iterum: *Suo Reverendo Domino Christianorum universali Pontifici, Urbano: Frater Anselmus, quod suus.* Hoc priùs, Guilielmo Regi notum, quàm Anselmus Cantuariensem

Ansel l. 2. Epistolarum Epistola 33. Idem supra Epistola 34

Sedem ascenderat : & nunc, quia Regiæ cupiditati, Ecclesiam expilando, famulari noluit : Urbani Pontificatus obtenditur : quem, scilicet, Rex needum admiserat : quem tamen revera ; Anselmo, cum eâ professione, ad Sedem admisso ; admittere, magno satis argumento, videbatur. Adde : pendente hac lite, & induciarum tempore, Guilielmus Rex, in urbem Oratorem misit, & Urbanum ibi sedentem, pro Cantuariensi pallio appellavit. Urbanus sequenti anno, pallium, & Legatum ad Regem misit : & Rex summi Pontificis Legatum admisit, & veneratus est. Et tamen Anselmus modò vapulat, & lugens Ecclesiæ, quia Urbanus, verus Papa, recipitur. Ex hoc barbarismo, post aliquot sæcula, enatus est solœcismus : qui Urbanum, qui Wibertum, & omnem Romæ sedentem Episcopum execratur : & Capitis Ecclesiæ prærogativam, alteri vertici imponit, quàm imponi voluit Christus, quem dixisse scimus, Matth. 16. v. 19. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam : Et tibi dabo claves regni cælorum.* Ad Anselmum redeo insigni facto, Urbanum, Ecclesiæ Caput agnoscentem. Baronius illud hoc anno recitat ; & alio, quàm ejus, Commentario non eget.

Matth. 16. v. 19.

XVIII. *Hoc eodem anno* (inquit ille) *Sanctus Anselmus Archiepiscopus, ubi scripsisset librum, de Incarnatione verbi, misit ad Urbanum Papam. Ita Edmerus in vitâ ipsius : & Dodechinus in Chronico. Ejus autem scribendi occasionem, idem ipse, in nuncupando ipsum, ita præfando declarat.*

Baron. hoc n. 27.

Domino, & Patri Universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici URBANO : Frater ANSELMUS, vita peccator ; habitu Monachus : sive jubente ; sive permittente Deo, Cantuariæ Metropolis vocatus Episcopus : debitam subjectionem, cum humili servitio, & devotis orationibus.

ANSELMI LITERÆ AD URBANUM PAPAM.

„ QUONIAM divina providentia, vestram elegit sanctitatem ; cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret : ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesiâ, ut ejus authoritate corrigatur. Nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur ; ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentiùs præsentem Epistolam, quam vestræ destino sapientiæ : quatenus si quid in eâ corrigendum est, vestra censura castigetur. & (quod regula veritatis tenet) vestra authoritate roboretur. En vides (subdit Baronius) quem recognoscat Sanctus Anselmus, Caput totius Ecclesiæ, doctrinæ arbitrum, & dogmatum cognitorem, ac judicem. Pergit verò de novâ hæresi, imo veteri restitutâ Insaniâ Sabellianâ verbis istis. Cum adhuc in Becci Monasterio essem Abbas, præsumpta est, à quodam Clerico in Franciâ talis assertio. Si in Deo, inquit, tres personæ, sunt una tantum res : & non sunt tres res, unaquæque per se separatim ; sicut tres Angeli, aut tres animæ : ita tamen ut potentia, & voluntate omnino sint idem : Ergo Pater, & Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus. Quod cum ad me perlatum esset, incepi contra hunc errorem scribere quandam Epistolam : quam parte quadam editâ, perficere contempsi : credens non eâ opus esse : Quoniam & ille, contra quem fiebat, in Concilio, à Venerabili Rhemensi Archiepiscopo Rainaldo collecto, errorem suum abjuraverat : & nullus videbatur, qui eum errare ignoraret. Partem tamen quam feceram, quidam fratres, me nesciente transcripserunt, atque aliis legendam tradiderunt. Quod idcirco dico : ut si in alicujus manus pars illa venerit : quanquam ibi nihil falsum sit ; tamen tanquam imperfecta, & non exquisita relinquatur. Postquam autem in Angliâ ad Episcopatum ; nescio qua Dei dispositione captus, & retentus sum ; audivi præfatæ novitatis authorem, in suâ perseverantem sententiâ, dicere : se non ob aliud abjurasse, quod dicebat : nisi quia à populo interfici timebat. Hac igitur causa, quidam Fratres, precibus suis me coegerunt, ut solverem quæstionem : qua ipse sic irretitus erat, ut nullo modo, se ab eâ expediri crederet. nisi aut Incarnatione Dei Patris, & Spiritus sancti aut, Deorum multitudine se impediret. Hæc omnia Baronius.

HÆRESIS ROSCELINI.

XIX. Doctè Anselmus, Roscelini hæresim, multo argumentorum pondere premit ; quæ hoc tempore urgere non est opus ; quia in Trinitatis mysterio, nullas cælum nostrum nubes habet, aut illud mysterium directè saltem petit. Quædam tamen Anselmus habet, in exordio disputationis ; quæ imprimis faciunt ad curandum morbum, quo luxuriantia aliquot Anglorum ingenia, laborare incipiunt : cum ab hæresi unâ, in aliam, & aliam, inconstantissimè lapsi, nullo loco pedem figere, aut è dubiorum labyrintho possunt emergere ; nisi supernaturalem fidem, rationi ingenioque suo submittant atque prostituant. quo vix unquam putidius monstrum, & omne fidei pondus enervans, emersit. Hoc malum Anselmus prævidisse videtur : atque ita eidem medetur. *Sed priusquam, de quæstione disseram,* inquit, *aliquid præmittam ad compescendam eorum præsumptionem, qui nefandâ temeritate audent disputare, contra aliquid eorum, quæ Fides Christiana confitetur : quoniam id intellectu capere nequeunt : & potiùs insipienti superbiâ judicant ; nullatenus posse esse, quod nequeunt intelligere. quam humili sapientiâ fateantur esse multa, quæ ipsi non valeant comprehendere. Nullus quippe Christianus debet disputare, quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodo non sit : sed semper eandem Fidem indubitanter tenendo, amando, & secundùm eam vivendo humiliter, quantum potest, quærere rationem quomodo sit. Si potest intelligere : Deo gratias agat. si non potest, non immittat cornua ad ventilandum : sed submittat Caput ad venerandum. Citiùs enim in se potest confidens humana sapientia impingendo, cornua sibi evellere : quam innitendo, Petram hanc evellere.*

Anselm. de Incarna. Verb. c. 2.

CONTRA SOCINIANOS

XX. *Solent enim quidam, cum cœperint quasi cornua confidentiæ sibi scientiæ producere. nescientes, quòd si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire : antequam habeant per soliditatem fidei alas spiritales, præsumendo in altissimas de Fide quæstiones assurgere. Unde fit, ut dum ad illa quæ prius Fidei scalam exigunt : sicut scriptum est : nisi credideritis, non intelligetis. præpostere prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores, per intellectûs defectum coguntur descendere.*

HÆRETICORUM GENIUS DETEGITUR.

Palam

Palam nam que est, quia illi non habent fidei firmitatem (noteut hoc factiosi nostri, & sibi dictum certò sciant) *qui quoniam quod credunt, intelligere non possunt: disputant contra ejusdem fidei, à Sanctis Patribus confirmatam veritatem: velut si vespertiliones, & noctuæ, non nisi in nocte cælum videntes, de meridianis solis radiis disceptent, contra aquilas, solem ipsum, irreverberato visu intuentes.* Hæc Anselmus, quibus nihil sanctius, nihil augustius, nihil ad modernam factionem premendam constantius, dici aut scribi potest. Qui enim fidei Sacramenta, ad humani cerebri infirmitatem demittunt: verè noctuarum more, de luce disputant: & in tenebris suis, spreta solis lumine, voluptuantur. Hi Scripturæ sensum, suo sensu, & rationali solùm oculo metientes, ad supernaturale Fidei lumen non assurgunt: & quicquid Apostolorum Traditio, quicquid Ecclesiæ authoritas, quicquid Patrum, & Doctorum scita confirment: extra intellectus sui sphæram posita, tenebras vocant, & inventa hominum. Hinc vilescit Conciliorum authoritas, Ecclesiæ, & quindecim sæculorum sancita traditio, constans denique provinciarum omnium sensus & consensus: quia nocte somniantes, aut intelligere nolunt, aut oculorum lippitudine videre non possunt. Meridianum solem, sublimia fidei mysteria; quæ sine supernaturali lumine sciri non possunt; ad naturalis intellectus angustias cogunt: & inde pro libitu dogmata definiunt atque concludunt. Et quoniam conclusionis firmitas, è præmissarum firmitate pendet, nec potest esse illa constantior. Quis non videt, Socinum delirasse, & omnes hæreticos; qui solo naturæ lumine Fidem metiuntur, quæ sine supernaturali oculo cerni non potest?

XXI. Huic malo Anselmus medetur in sequentibus: & purgari jubet oculum priùs, quàm arcana mysteria scrutetur. *Prius ergo* (inquit) *Fide mundandum est cor: sicut dicitur de Deo: Fide mundans corda eorum. & prius præceptorum Domini custodiâ illuminandi sunt oculi: quia præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et priùs per humilem obedientiam testimoniorum Dei, debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam; quam dat testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Unde Dominus: Confiteor tibi Domine Pater cæli, & terræ: quia abscondisti ea sapientibus, & imprudentibus, & revelasti ea parvulis.* plura affert in eam rem, quæ omitto. Sapientes hic & prudentes dicuntur illi, qui intellectus sui ratiocinio, fidei Sacramenta: hoc est, palmo suo cælum metiuntur, atque concludunt. Hi reverà non sunt parvuli, qui magno supercilio Ecclesiæ dogmata, scita Patrum, decreta Conciliorum: & tandem ipsa sacrosanctæ fidei mysteria; solâ ratione, sensuque suo probant, vel improbant: & quia obscuratum est sine dubio insipiens cor eorum: ideo *Sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* ut monuit gentium Doctor, Apostolus Paulus. Sed missis his, quos Anselmus doctè noctuas & vespertiliones vocat, quia sæculorum lucem, & meridianum fidei solem fugientes, solis tenebris saginantur: ad Anselmum redeo, qui induciarum tempore prudenter usus; & facti, dictique rationem reddens, amicorum quærit consilia: & eos inter ad Hugonem Lugdunensem ita scribit.

Anselm. suprà.

Ad Ephes. 4. 17 18.

Domino & amico charissimo, Reverendo Lugdunensi Archiepiscopo Hugoni: Frater Anselmus, sive jubente Deo, sive permittente, vocatus Archiepiscopus Cantuariæ: Diu in hac vitâ lucere; & semper in futurâ gaudere.

Ansel. l. 3 Epistolarum Epistola 24

XXII. Anselmi Literæ ad Hugonem Lugdunen. Episcopum:

,, Si omnia facienda sunt cum consilio: illa maximè facienda sunt, cum diligenti consilio; in quibus nihil, nisi quod obediat voluntati Dei, quærendum est. Precor igitur sanctitatem, ut propter Deum, & propter charitatem, quam scio in illo, erga me; petat à Deo consilium, quod mihi det, ut breviter loquar. Audistis ut puto, qualiter subitò raptus sim ad Archiepiscopatum. Antequam præberem assensum, palam dixi; me favere Domino Papæ Urbano, & Guiberto adversari. Et feci, & dixi, per sex menses. quod potui sine peccato ut dimitterer. Tandem timore Dei, ob multas rationes coactus subdidi me dolens præcepto Archiepiscopi mei, & electioni totius Angliæ: & sacratus sum. Forsitan illic trepidavi timore, ubi non erat timor: sed nescivi, Deus scit, & adhuc nescio. Paulò post Rex noster iturus in Normanniam, multâ pecuniâ indiguit. Antequam à me quicquam peteret, consilio amicorum, promisi illi pecuniam non parvam: novit Deus, quâ intentione. Sprevit quasi modicam, ut plus darem: sed nolui. Gratias Deo, quo miserante simplicitatem cordis mei, hoc factum est. ne si nihil aut parum promisissem, justam videretur habere causam irascendi: aut si accepisset; verteretur mihi in gravamen, & in suspicionem nefandæ emptionis. Ex illa horâ visus est quærere occasionem contra me. Loquutus sum de Pallio: noluit ut illud peterem, quamdiu ipse nullum reciperet Apostolicum: aut ut saltem hujus dilationis excusationem Domino Papæ intimarem. Sustinuit usque nunc consilio Episcoporum, propter vitandam infructuosam dissensionem: si fortè Deus aliquid interim operaretur: unde illi Domini Papæ receptio persuaderetur. Petivi ut Concilium convocaretur; quod per multos annos factum in Angliâ non fuerat: quatenus corrigerentur quædam, in eodem regno, quæ nullatenus toleranda videbantur. Ipsum quoque monui, ut quædam, quæ mihi aliter quàm oporteret facere videbatur, corrigeret. Ex his apertè iratus, me amorem suum perdidisse manifestavit. Respondi me malle, ut ipse mihi irasceretur: quàm ut Deus illi. & sic a præsentia ejus discessi.

XXIII. ,, Posterâ die rediens ad eum; dixi me libenter facturum illi rectitudinem, si qua culpa in me adversus illum inveniretur: quam tamen ego nesciebam. & rogavi, ut amorem suum mihi redderet. Respondit, se nec rectitudinem tunc recepturum, nec amorem redditurum: nisi dicerem, cur illum mihi reddere deberet. Visus est mihi velle pecuniam: quam dare nolui; nè culpam, quæ non erat, viderer fateri. iratus in tantum ut diceret, quæ non debuisset. Et quasdam terras non parvas, quas Archiepiscopus Lanfrancus, tempore Patris ejus, & tempore ipsius, quietè, usque in diem obitus sui tenuit: militibus partim daret: partim dare disponat, sub occasione cujusdam voluntariæ

„ justitiæ, secundum quam, de terris eisdem me „ vult placitare: cum ego dicam; quia non me „ debet ad placitandum cogere de terris, quas „ Archiepiscopus antecessor meus, tamdiu quietè tenuit: & ipse mihi dedit; sicut ille tenuit. „ Hæc autem est illa, quam dixi, voluntaria justitia. Quoniam terras easdem, antequam Normanni Angliam invaderent; milites Angli ab „ Archiepiscopo Cantuariæ tenuisse dicuntur: „ & mortui sunt, sine heredibus: vult asserere se „ posse juste, quos vult eorum heredes constituere. Intendat igitur prudentia vestra, & consideret, quid ex prædictis sentiam: quatenus „ sententiam meam literis vestris; aut ostensâ „ ratione infirmetis; aut me in eo quod magis „ tenendum est, confirmetis.

XXIV. „ Hæc est enim cogitatio mea. Rex mihi dedit Archiepiscopatum; sicut eum Lanfrancus „ usque ad finem vitæ suæ tenuit: & nunc aufert „ Ecclesiæ, & mihi quod illa. & idem Archiepiscopus tamdiu tenuit, & ipse mihi dedit. „ Certus autem sum, quia Archiepiscopatus iste „ nulli dabitur post me, nisi quemadmodum illum in die obitus mei tenebo. Nec si alius „ Rex me vivente, venerit, concedet mihi; nisi „ quod tenentem inveniet. Si ergo ita tenuero „ Archiepiscopatum imminutum, usque ad obitum meum; hoc modo perdet Ecclesia per me. „ Si quis enim alius, ad quem Ecclesiæ custodia non pertineret, hanc faceret ei violentiam, aut factam patienter sustineret: palam „ esset, quia in futuro, nihil dici posset, cur res „ Ecclesiæ ad eam redire non deberent. Nunc „ autem, cum & ipse Rex advocatus ejus sit, & „ ego custos: quid dicetur in futuro: nisi quia „ Rex fecit, & Archiepiscopus sustinendo confirmavit, ratum esse debet. Melius igitur mihi est, coram Deo, ut possessionem terrarum „ Ecclesiæ non sic teneam: & officium Episcopi, more Apostolorum pauper faciam, in testimonium illatæ violentiæ: quàm, ut illam imminutam tenendo, irrestaurabilem faciam ejus „ imminutionem. Est & aliud, quod similiter „ cogito. Si Metropolitanus sacratus Episcopus; „ per totum primum annum, nec Papam viventem, nec Pallium requiro: justè ab ipso honore removendus sum. Quòd si hoc facere nequeo, sine amissione Archiepiscopatus; melius „ mihi est, ut ego Archiepiscopatum rejiciam, „ quàm Apostolicum abnegem. Sic cogito, & „ sic facere volo: si mihi non scribitis cur hoc „ facere non debeam. Omnipotens Dominus sic „ sanctitatem vestram in hac vitâ sub suâ gratiâ „ custodiat; ut ei in futura æternam felicitatem „ tribuat. Amen. Quid responsi ab Archiepiscopo Lugdunensi Anselmus acceperit, mihi nè constat. Quid deinde ab Anselmo factum, sequentia declarabunt.

ANNUS CHRISTI 1095.

URBANI II. PAPÆ 8.

GUILIELMI II. REGIS 9.

I. CONVENTUS AD ROKINGHAM. ANNO Domini millesimo nonagesimo quinto generalis ordinum conventus, in Angliâ celebratur; quem Baronius & alii passim Synodum vocant in causâ Urbani Papæ. & benè: quia Edmerus, in vitâ S. Anselmi Episcoporum tantummodo & Abbatum meminit, qui Synodo adfuerunt. Verum idem Edmerus, in libro Novorum, ubi Anselmi causam fusiùs explicat, omnes regni proceres convenisse affirmat, ad locum superiori anno indictum; nimirum ad Rocingam, Comitum Albæmarliæ castrum, à Guilielmo seniore conditum, in Coritanis, & Northamtoniensi provinciâ. ubi Romani Pontificis authoritas nullo modo controvertitur, sed quis colendus sit Romanus Pontifex: Urbanus, quem Anselmus adoraverat; an quem Rex nominare voluerit, disputatur. Unde Baronio non possum plenè assentiri, ita scribenti. *Celebratur hoc anno (1095.) in Angliâ generalis Synodus, in causâ Urbani Papæ, quem Anselmus, ut legitimum Pontificem recepisset. Rex verò inhæreret potius Guiberto. Qui edixisset in Angliâ nullum Episcoporum, alium aliquem recipere debere Romanum Pontificem, nisi quem Rex ipse pro Pontifice recepisset.* non inquam assentior Guilielmum Regem inhæsisse potius Guiberto, quàm Urbano. Adhæsit tantùm paterno decreto. quo cautum, in schismate, & Romanæ Ecclesiæ dissidio, cum Orbis terrarum de capite contenderet: cum in Angliâ Petri successorem colendum esse, quem Rex colendum edixerit. Cæterùm in hac Synodo, Anselmus læsi decreti reus factiosissimè arguitur, quod Urbanum prius appellaverit; quàm Rex eundem colendum edixisset. Nulla ergo Guiberti mentio, nulla in eum Regiæ voluntatis propensio. nulla denique nisi emungendæ pecuniæ ab Anselmo, in Rege libido. Quod cum Episcopi probè intelligerent; mirum valde eos in justissimâ causâ, tam turpiter claudicasse. — EPISCOPI, ABBATES, ET PROCERES INTERFUERUNT. — Baron. hoc an. n. 14.

II. REX GUIBERTO NON FAVIT. Porro Guilielmum Regem, nullo modo Guiberto schismatico adhæsisse, inde clarè colligitur; quod vel sub finem superioris vel sub initium hujus anni, duos e Clero Romam miserit, pro Pallio, Cantuariensi Episcopo dando, supplices. Nec Guiberto tunc, sed Urbano supplicatum, ut Regi, tacito Anselmi nomine, pallium mitteretur. quod hoc anno factum dicemus, si priùs quid actum in Synodo, quid dictum ab Anselmo, quid responsum ab Episcopis, explicavero. Hæc omnia Edmerus accuratissimè recitat, quem exscribo. *Dantur* (inquit) *induciæ: atque ex regiâ sanctione fermè totius regni nobilitas, quinto Idus Martis pro ventilatione istius causæ in unum apud Rockinghamcoit. Fit itaque conventus omnium, Dominico die: in Ecclesiâ, quæ est in ipso castro sita, ab horâ primâ: Rege, & suis, secretius in Anselmum consilia sua studiosè texentibus. Anselmus autem Episcopis, Abbatibus, & Principibus, ad se, è Regio secreto vocatis: eos & assistentem Monachorum, Clericorum, laicorum numerosam multitudinem, hac voce alloquitur.* — Edmer. l. 2. fo. 20.

III. ANSELMI ORATIO AD SYNODUM. *Fratres mei, filii Ecclesiæ Dei: omnes dico, qui hic congregati estis in nomine Domini, precor intendite. & causæ propter quam ventilandam adunati estis, pro viribus, opem vestri consilii ferte. Quæ autem ipsa causa sit, brevi, qui nondum plenè audistis, si placet, audite. Verba quædam orta sunt inter Dominum nostrum Regem, & me. quæ quandam videntur dissensionem generare. Nam cum nuper licentiam adeundi Urbanum, Sedis Apostolicæ Præsulem, juxta morem antecessorum meorum, pro pallii mei adeptione, ab eo postulassem: dixit se Urbanum ipsum, pro Papa necdum*

suscepisse

suscepisse: & ideo nolle me, ad eum, illius rei gratiâ, properare. Quinetiam ait, si eundem Urbanum, aut quemlibet alium, sine meâ electione, & authoritate, in regno meo, pro Papâ suscipis, aut susceptum tenes; contra fidem, quam mihi debes, facis: nec in hoc me minùs offendis; quàm si coronam meam mihi tollere conareris. Unde scias, in regno meo, nullum te participium habiturum: si non apertis assertionibus probavero, te omnem obedientiæ subjectionem, Urbano, de quo agitur, pro voto meo, negaturum. Quod ego audiens admiratus sum. Siquidem Abbas eram, ut nostis, in alio regno, per misericordiam Dei, conversatus ad omnes, sine querelâ. Nullâ vero spe, vel desiderio Pontificatus; sed quibusdam rationabilibus causis, quas nullatenus omittere poteram; in hanc terram sum venire coactus. Ipso autem Rege infirmato, omnes qui tunc aderatis ei, ut matri sua & vestræ, scilicet Ecclesiæ Cantuariensi, per institutionem Pontificis, ante mortem suam consuleret, pro voto consuluistis. Quid dicam? suscepto consilio, placuit illi, & vobis, in hoc opus eligere me. Objeci plurima, subducere me Præsulatus gestiens, nec acquievistis.

IV. *Professus sum, inter alia, me hunc, de quo nunc querela ista conseritur, Urbanum, pro Apostolico suscepisse: meq; ab ejus subjectione, quoad viverem, vel adherem, discedere nolle: & qui ad hoc, tunc temporis mihi contradiceret, nemo fuit. Sed quid? rapuistis me & coëgistis onus omnium suscipere; qui corporis imbecillitate defessus, meipsum vix poteram ferre. In quo facto putabatis forsan mihi ad votum servire. Sed quantum illud desideraverim, quàm gratum habuerim, quantum in illo delectatus sim, dicerem præsenti quidem, cum nihil prosit, supervacuum æstimo. Verum nè quis in hac re conscientiam meam nesciens scandalizetur in me: fateor, verùm dico: quia salvâ reverentiâ voluntatis Dei; maluissem illa die, si optio mihi daretur, in ardentem rogum comburendus præcipitari; quam Archiepiscopatus dignitate sublimari.*

CONSILIUM AB EPISCOPIS ANSELMUS PETIT.

Attamen videns importunam voluntatem vestram; credidi me vobis: & suscepi onus quod imposuistis; confisus spe auxilii vestri, quod polliciti estis. Nunc ergo, ecce tempus adest, quo sese causa obtulit, ut onus meum, consilii vestri manu leveris. Pro cujus consilii adeptione, petivi inducias, ab eo die quo mihi præfata verba dicta sunt, in hunc diem; quatenus in unum conveniretis, communi consilio investigaretis: utrumnam possim, salvâ fidelitate Regis, servare obedientiam Apostolicæ Sedis. Petivi, inquam, inducias, & accepi: & ecco gratia Dei adestis. Omnes itaque, sed vos præcipuè Fratres, & Coëpiscopi mei precor, & moneo; quatenus illis diligenter inspectis, studiosius, sicut vos decet, quo inniti queam, mihi consilium detis; ita ut, & contra obedientiam Papæ nihil agam: & Fidem, quam Domino Regi debeo, non offendam. Grave siquidem mihi est Vicarium Beati Petri, contemnendo abnegare: grave, fidem quam Regi me secundùm Deum servaturum promisi, violare: grave nihilominus, quod dicitur impossibile mihi fore, unum horum, non violato altero, custodire.

V. EPISCOPORUM RESPONSIO.

Ad hæc Episcopi responderunt: Consilium quod a nobis petis, penes te est. Quem prudentem in Deo, ac bonitatis amatorem esse cognoscimus: & ob hoc in tam profunda re, consilio nostro non eges. Verùm, si remotâ omni aliâ conditione; simpliciter ad voluntatem Domini nostri Regis, consilii tui summam transferre velles; promptâ tibi voluntate, ut nobis ipsis, consuleremus. Attamen, si jubes, verba tua ipsi Domino nostro referemus: & cum audierimus, quid ipse sentiat, dicemus tibi. Annuit ipse: & fecerunt, ut dixerunt. Præcepit itaque Rex; ut omnia in crastinum, quia dies Dominica erat, differrentur. Et Anselmus ad hospitium suum, Curiam manè petiturus; reverteretur. Factum est ita. Et manè, juxta condictum, reversi sumus. Itaque Anselmus, in medio Procerum, & conglobata multitudinis sedens, ita orsus est. Si juxta quód à vobis, Domini Fratres, hesterno die, consilium de præsenti causa petivi, vel nunc dare velitis, acciperem. At illi: Quod heri respondimus, modo respondemus: scilicet, si purè ad voluntatem Domini Regis, consilii tui summam transferre volueris: promptum, & quod in nobis ipsis utile didicimus, à nobis consilium certum habebis. Si autem secundùm Deum, quod ullatenus voluntati Regis obviare possit, consilium à nobis expectas; frustra niteris; quia in hujusmodi nunquam tibi nos adminiculari videbis. Quibus dictis, conticuerunt: & capita sua, quasi ad ea, quæ ipse illaturus erat, demiserunt.

REFERUNT OMNIA AD REGEM.

VI. ANSELMUS RECURRIT AD SUMMUM PASTOREM URBANUM.

Tunc Pater Anselmus, erectis in altum luminibus, vivido vultu, reverendâ voce, ista loquutus est. Cum nos, qui Christianæ plebis Pastores, & vos qui populorum Principes vocamini; consilium mihi, Principi vestro, non nisi ad unius hominis voluntatem, dare vultis: Ego ad summum Pastorem, & Principem omnium: ego, ad magni consilii Angelum curram: & in meo, immo in suo, & Ecclesiæ suæ negotio, consilium quod sequar, ab eo accipiam. Dicit Beatissimo Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit & in cælis ligatum: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Communiter etiam Apostolis omnibus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei. Hæc sicut principaliter Beato Petro, & in ipso cæteris Apostolis dicta accipimus: ita principaliter Vicario Beati Petri, & per ipsum, cæteris Episcopis, qui vices agunt Apostolorum, eadem dicta tenemus: non cuilibet Imperatori, non alicui Regi, non Duci, non Comiti. In quo tamen, terrenis Principibus subdi ac ministrare debeamus; docet & instruit idem ipse magni consilii Angelus, dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Hæc verba, hæc consilia Dei sunt: Hæc approbo, hæc suscipio: hinc nullâ ratione exibo. Quare cuncti noveritis in communi, quod in his quæ Dei sunt, Vicario Beati Petri, obedientiam: & in his quæ terrena Domini mei Regis dignitati jure competunt: & fidele consilium, & auxilium, pro sensus mei capacitate impendam.

VII. *Finierat Pater in illis. Omnes igitur assidentes, oppidò turbati, cum festinatione, & magno tumultu surrexerunt; turbationem suam confusis vocibus exprimentes: ut eos, illum esse reum mortis, unâ clamare putares. Conversiq; ad illum cum jurgio: scias, inquiunt, nos hæc verba sua, minimè Domino nostro tua vice portaturos. Quibus dictis ad Regem reversi sunt. Quia ergo nemo, cui verba sua Regi deferenda tutò committeret, cum Anselmo remansit: ipsemet ad Regem ingrediens, quæ dixerat vivâ voce innotuit: illicoq; reversus est. Ad quæ Rex vehementer iratus; cum Episcopis atque Principibus, intentissimè quærere cœpit, quid dictis ejus objicere posset, nec invenit. Scandalizati ergo inter se, ab invicem sunt in partes divisi: & hic duo, ibi tres, illic quatuor, in unum consiliabantur; studiosissimè disquirentes, si quomodo possent aliquod responsum contra hæc componere: quod & Regiam animositatem deliniret: & prælibatas*

IPSE REFERT REGI QUÆ DIXERAT.

IRATUS REX.

sententias

sententias Dei, adversa fronte non impugnaret. Solus inter hæc Anselmus sedebat; tantum innocentiâ cordis sui, & in misericordiâ Domini Dei fiduciam habens. Adversariis verò ejus conciliabula sua in longum protelantibus; ipse ad parietem se reclinans, leni somno quiescebat. Factâ itaque longâ morâ, redeunt Episcopi, cum nonnullis Principibus à Rege, hæc viro dicentes. Vult Dominus noster Rex, omissis aliis verbis, a te, sub celeritate sententiam audire: de his videlicet, quæ inter illum, & te, dicta fuerunt apud Ringham: unde petisti inducias in hunc diem respondendi. Res nota est, & expositione non indiget.

VIII. EPISCOPI INFENSI ANSELMO.

Veruntamen noveris totum regnum conqueri adversum te, quòd nostro communi Domino conaris decus imperii sui, coronam auferre. Quicumque enim Regiæ dignitatis ei consuetudines tollit; coronam simul, & regnum tollit. Vnum quippe, sine alio, decenter haberi non posse probamus. Sed recogita, rogamus te, & Vrbani illius, qui offenso Domino Rege nil tibi prodesse, nec ipso pacato, tibi quicquam valet obesse, obedientiam abjice, subjectionis jugum excute: & liber, ut Archiepiscopum Cantuariensem decet; in cunctis actibus tuis, voluntatem Domini Regis, & jussionem expecta. Necne, quod fecisti egisti, culpam agnosce: ac ut tibi ignoscat, voto illius, in omni quod a te inde petierit, sapientis more, concurre: quatenus inimici tui, qui casibus tuis nunc insultant, visa dignitatis tuæ sublevatione, erubescant. Hæc, inquam, hæc rogamus, hæc consulimus: hæc tibi tuisque necessaria esse dicimus, & confirmamus. Respondit: Quæ dixistis audio: sed ut ad alia taceam; abnegare obedientiam Domini Papæ nullatenus volo. Iam dies declinat in vesperam. Differatur, si placet, in crastinum causa ista; quo tractans mecum, respondeam, quod Deus inspirare dignabitur. Suspicati ergo illum, aut quid diceret, nitea nescire: aut metu adductum, jam statim cœpto desistere: reversi ad Regem, persuaserunt inducias, nulla ratione dandas, sed causâ recenti examinatione discussâ, supremam, si suis consiliis acquiescere nollet, in eum mox judicii sententiam inrehi juberet.

IX. DUNELMENSIS EPISCOPI CHARACTER.

Erat autem quasi primus, & Prolocutor Regis, in hoc negotio, Willelmus, Dunelmensis Episcopus; homo magis linguæ volubilitate facetus, quam purâ sapientiâ præditus. Hujus quoque dissidii, quod inter Regem, & Anselmum versabatur, erat author gravis, & incentor. Regique spoponderat, se facturum; ut Anselmus, aut Romani Pontificis funditùs obedientiam abnegaret: aut Archiepiscopatui, reddito baculo, & annulo abrenuntiaret. Quâ sponsione fretus Rex, applaudebat sibi, sperans illum, vel abjurato Apostolico, infamem remanere in regno suo: vel eodem retento, rationabiliter extorrem fieri à regno suo. Et illa quidem volebat, propterea quod omnem authoritatem exercendæ Christianitatis illi adimere cupiebat. Nec enim Regia dignitate, integre se potitum suspicabatur, quamdiu aliquis in totâ terrâ, vel etiam secundum Deum, nisi per eum, quicquam habere (nota dico) vel posse, dicebatur. Quam sordis illius voluntatem Dunelmensis intelligens, omni ingenio satagebat; si quomodo Anselmum calumniosis objectionibus fatigatum, regno eliminaret: ratus, ut dicebatur, ipso discedente, se Archiepiscopatus solio sublimandum. Cum igitur Regi persuasisset, quæsitas inducias Anselmo non esse dandas. Comitatus quam pluribus, qui verba sua, suo fulcirent testimonio, ad virum ingrediens, ait.

X. EPISCOPUS DUNELMEN. ANSELMUM DURO NUNTIO PREMIT.

Audi querimoniam Regis; contra te. Dicit, quod quantum tua interest, eum sua dignitate spoliasti: dum Odonem, Episcopum Ostiensem, sine sui authoritate peracepti, Papam in suâ Angliâ facis. & sic spoliatum petis tibi inducias dare, quo possis eandem spoliationem tuis adinventionibus, justam esse demonstrare. Revesti eum prius, si placet, debitâ imperii sui dignitate: & tunc demum, de induciis age. Alioquin noveris illum sibi post odium Dei omnipotentis imprecari: nosque, fideles ejus, imprecationi ipsius connnventes acclamare: si vel ad horam inducias dederit, quas tibi in crastinum dari precaris. Quare jam nunc è vestigio ad Domini nostri dicta responde: aut sententiam tuæ vindicem præsumptionis, dubio procul in præsenti experiere. Nec jocum existimes esse, quod agitur: imo in istis magni doloris stimulis urgemur. Nec mirum: Quod enim Dominus tuus, & noster, in omni dominatione suâ præcipuum habebat: & quo eum cunctis Regibus præstare certum erat: hoc ei, quantum in te est, iniquè tollis; tollens fidem suum Sacramento quod ei feceras, polluis; & omnes amicos ejus, magni, in hoc, confusione involvis. Audiens hæc Anselmus patienter sustinuit, moxque ad tanta calumniæ nefas, ita breviter respondit. Qui propterea, quod Venerabilis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pontificis obedientiam abnegare nolo; vult probare me Fidem, & Sacramentum violare, quod terreno Regi debeo: assit: & in nomine Domini me paratum inveniet, et sicut debeo, & ubi debeo, respondere.

XI. Quibus auditis, aspicientes sese ad invicem: nec invenientes, quid ad ista referrent; ad Dominum suum reversi sunt. Protinus enim intellexerunt; quod prius non animadverterunt. nec ipsum adeo recte posse putaverunt: videlicet Archiepiscopum Cantuariensem, a nullo hominum, nisi à solo Papâ, judicari posse, vel damnari: nec ab aliquo cogi, pro quavis calumnia cuiquam, eo excepto, contra suum velle, respondere. Ortum interea est murmur totius multitudinis, pro injuriâ tanti viri, summissâ inter se voce querentis. Nemo quippe palam pro eo loqui audebat, ob metum tyranni. Veruntamen miles unus de multitudine prodiens, viro astitit, flexis coram eo genibus, dicens: Domine Pater, rogant te, per me supplices filii tui: ne turbetur cor tuum, ex iis quæ audisti: sed memor esto Beati Iob vincentis diabolum in sterquilinio; & vindicantis Adam quem ipse vicerat in paradiso. Quæ verba dum Pater sereno vultu accepisset: intellexit animum populi, in suâ secum sententiâ esse. Gavisi ergo exinde sumus, & animæquiores effecti; confidentes juxta Scripturam, vocem populi, vocem Dei esse. Quid agam? si minas, si opprobria, si contumelias, si mendacia viro objecta, singulatim describere voluero, timeo nimius judicari. Quæ tamen omnia pro fidelitate Apostolicæ Sedis æquanimiter sustinebat: & juvante Deo, invictâ quæque ratione destruebat: ostendens potius in veritate sese consistere: atque in cunctis, quæ negotii summa respiciebat, Deum authorem habere.

ECCLESIA CANTUARIENSIS A SOLO PAPA IUDICATUR.

ALIIS NON AUDENTIBUS LOQUI PRO ANSELMO, MILES ILLUM ANIMAT.

XII. Cum hæc omnia Rex agnovisset; usque ad divisionem spiritus sui exacerbatus, Episcopis dixit: Quid est hoc, nonne mihi polliciti estis, quod eum omnino ad velle meum tractaretis, judicaretis, damnaretis? Cui Dunelmensis, ita imprimis tepidè, & silenter per singula loquebatur; ut omnis humanæ prudentiæ inscius, & expers putaretur. Et adjecit: Nox est: jubeatur ad hospitium ire: & nos, jam plenè agnitâ ratione suâ, cogitabimus pariter, usque mane. Hinc ad Regis præceptum repetivimus hospitium nostrum. Mane autem reversi sedimus in solito loco expectantes mandatum Regis. At ille, cum suis omnimodo perquirebat; quid in damnationem Anselmi componere posset.

nec

nec inveniebat. Requisitus Willelmus Dunelmensis, quid ipse ex condicto, noctu egerit apud se; respondit: Nil rationis posse afferri ad enervationem rationis Anselmi. Præsertim, cum omnis, inquit, ratio ejus innitatur verbis Dei, & authoritate Beati Petri. Verum mihi violentiâ videtur opprimendus: & si Regiæ voluntati non vult adquiescere: ablato baculo & annulo, de regno pellendus. Non placuerunt hæc verba Principibus: & ait Rex: Quid placet, si hæc non placent? Dum vivo, parem mihi, in regno meo utique sustinere nolo. Et si sciebatis eum, tanto in causâ suâ robore fultum: quare permisistis me incipere placitum istud, contra eum. Ite consiliamini: quia per vultum Dei, si vos illum ad voluntatem meam non damnaveritis; ego damnabo eum. Ad quæ Robertus quidam ipsi Regi valde familiaris, ita respondit: De consiliis nostris, quid dicam, fateor nescio. nam cum omni studio, per totum diem, inter nos illa conferimus: & quatenus aliquo modo tibi cohæreant, conferendo conferimus: ipse nihil mali è contra cogitans, dormit: & prolata coram eo statim uno labiorum suorum pulsu, quasi telas araneæ rumpit.

Rex iratus Episcopis quòd permiserint illum, incipere placitum contra Anselmum.

XIII. Episcopi renuntiant Anselmo obedientiam.

Et vos Episcopi mei, quid dicitis? Dixerunt: Dolemus quod animo tuo, Domine, satisfacere non valemus. Primas est, non modo istius regni; sed & Scotiæ, & Hiberniæ, necne adjacentium Insularum: Nosq́; Suffraganei ejus. Unde patet, nos rationabiliter eum judicare, vel damnare nullatenus posse: etiamsi aliqua culpa in eo, quæ modo non valet, posset ostendi. Ait: Quid igitur restat? Si eum judicare non potestis: nonne saltem, omnem obedientiæ fidem, ac fraternæ societatis amicitiam ei abnegare potestis? Hoc quidem, inquiunt, quoniam jubes, facere possumus. Properate igitur; & quod dicitis, citiùs facite: ut cum viderit se a cunctis despectum, & desolatum, verecundetur, & ingemiscat; se Urbanum, me Domino suo contempto, secutum. Et quo ista securiùs faciatis: En ego primum, in imperio meo, omnem securitatem, & fiduciam mei tollo, ac deinceps in illo, vel de illo, nullâ in causa confidere: vel eum pro Archiepiscopo, aut Patre spirituali, tenere volo. Acti us exhinc pluribus ac diversis, contra virum, machinationibus, quæ ab incoeptâ sui propositi normâ eum avellerent; nec in aliquo proficientibus. Tandem sociatis sibi Abbatibus, Episcopi retulerunt Patri, quod dixerat Rex, suam pro voto illius abnegationem, quam prælibavimus, ingerentes.

XIV.

Quibus ille respondens, ait: Quæ dicitis audio. Sed cum propterea, quòd ine Beati Petri, Principis Apostolorum subjectionem, & fidelitatem teneo; mihi omnem subjectionem, fidem, & amicitiam, quam Primati vestro, & Patri spirituali debetis, abnegatis; non rectè proceditis. Absit tamen a me, similem vobis vicem rependere. Verum fraternam, paternamq́; vobis charitatem exhibens, nitar, si pati non refugitis, vos ut fratres ac filios sanctæ matris Ecclesiæ Cantuariensis, ab hoc, in quo lapsi estis, trepido errore convertere: & per potestatem mihi, à Domino datam, ad viam rectitudinis revocare. Regi autem, qui mihi omnem in regno suo securitatem adimit, meq́; pro Archiepiscopo, vel Patre spirituali habere se amodo nolle dicit; omnem cum fideli servitio securitatem, quantum mea interest, spondeo: & paterno more diligentem animæ illius curam, si sinere dignabitur, habebo: retentâ semper apud me, in Dei servitio potestate, nomine, & officio Pontificatus Cantuariensis. qualicumque oppressione vexari contingat res exteriores. Ad hæc ille respondit: Omnino adversatur animo meo, quod dicit: nec meus erit, quisquis ipsum esse delegerit. Quapropter vos, qui regni mei Principes estis: omnem fidem, & amicitiam, sicut Episcopi fecerunt, ei denegate: quatenus appareat, quid lucretur in eâ fide, quam offensâ voluntate meâ, servat Apostolicæ Sedi. Dixerunt. Nos nunquam fuimus homines ejus: nec fidelitatem, quam ei non fecimus, abjurare valemus. Archiepiscopus noster est, Christianitatem in hac terrâ gubernare habet: & eâ re, nos qui Christiani sumus, ejus magisterium, dum hic vivimus, declinare non possumus, præsertim cum nullius offensæ macula illum respiciat, quæ vos secus de illo agere compellat. Quod ipse represâ sustinuit irâ, rationi eorum palam, ne nimis offenderentur, contraire præcavens.

Proceres etiam Anselmo renuntiant.

XV.

Igitur Episcopi hæc videntes, confusione vultus sui operti sunt; intelligentes omnium oculos in se converti; & Apostasiam suam non injustè a cunctis detestari. Audires enim, si adesses, nunc ab isto, nunc ab illo, illum vel illum Episcopum, aliquo cognomine, cum interjectione indignantis, denotari. Videlicet Iudæ proditoris, Pilati, vel Herodis, horumq́; similium. Qui paulò post singulatim requisiti à Rege, utrum omnem subjectionem, & obedientiam, nullâ conditione interpositâ, an illam solam subjectionem, & obedientiam, quam prætenderet ex authoritate Romani Pontificis, Anselmo denegassent: cum quidam uno, quidam alio modo, se hoc fecisse responderent: hos quidem, qui nullâ conditione interpositâ, funditus ei quicquid Prælato suo debebant, se abjurasse professi sunt, juxta se, sicut fideles & amicos suos honorificè sedere præcepit: illos verò, qui in hoc solo, quod præciperet, ex parte Apostolicæ, sese subjectionem, & obedientiam illi abnegasse dicere ausi sunt, ut perfidos & suæ voluntatis inimicos, procul in angulo domus suæ damnationis iræ permotus jussit præstolari. Territi ergo, & confusione super confusionem induti, in angulum domus secesserunt. Sed reperto statim salubri, & quo uti solebant, domestico consilio; hoc est, datâ copiosâ pecuniâ, in amicitiam Regis recepti sunt.

Episcoporum distincta renuntiatio.

XVI. Anselmus petit salvum ex Anglia egressum.

Anselmus autem sciens omnem sibi in Angliâ securitatem, à Rege sublatam: mandavit ei, dare sibi conductum, quo cum suis, portum maris tutò peteret, regno decederet: donec Deus, tantæ perturbationi modum dignanter imponeret. Quo ipse audito, gravi cordis molestiâ elanguit. nam licet discessum ejus summopere desideraret: nolebat tamen eum Pontificatus dignitate saisitum discedere: ne novissimum scandalum, quod inde poterat oriri, pejus fieret priore. Ut verò Pontificatu illum dissaisiret, impossibile sibi videbatur. Turbatus itaque, & Episcoporum consilio, per quod in has angustias se devolutum querebatur, omisso; cum Principibus consilium init: quid facto opus esset, inquisivit. Rogant illi, quatenus vir cum summâ pace moneatur, ad hospitium suum redire: responsum Regis super petitione suâ manè recepturus. Fit juxta verbum illorum: & perturbatis etiam Curialibus plurimis, hospitium repedavimus. Rati sunt quippe hominem à terra discedere, & ingemuerunt. At ille lætus, & alacer sperabat se perturbationes & onera sæculi; quod semper optabat; transito mari, evadere. Cum igitur inter spem, à regno discedendi, & metum in regno remanendi, animum ipsius fluctuaret: Ecce Principes à latere Regis manè directi: Rogat, aiunt, Dominus noster Rex te venire ad se. Ascendimus, inimus, & supremam de negotio nostro sententiam avidi audire, in quo soliti eramus loco, consedimus. Nec mora veniunt ad Patrem nostrum Proceres regni, nonnullis Episcopis comitati, hæc ei dicentes:

XVII.

Antiquâ tui amicitiâ moti dolemus discordiam istam, inter Dominum Regem, & te, esse exortam. Quare

cupientes in pristinam concordiam vos revocare; prævidimus in præsenti utile fore; inducias utrimque de negotio dare. quatenus hinc usque ad definitum aliquod tempus, inter vos, pace statuta: nec à te illi, vel suis: nec ab eo tibi, vel tuis, quicquam fiat quod concordiæ metas erumpat. Hoc, inquam, utile fore prævidimus. & volumus, dicas, an velis in hoc adquiescere nobis. Respondit: Pacem atque concordiam non abjicio. Veruntamen videor mihi videre, quid ista, quam affertis, pax habeat in se. Ne tamen ab aliquo judicer magis velle meo sensui, quàm aliorum in istis credere: Concedo suscipere, quod Domino Regi, & vobis placet, pro pacis custodiâ, secundum Deum statuere. Salvâ semper apud me debitâ reverentiâ, & obedientiâ Domini Urbani Sedis Apostolicæ Præsulis. Probant dictum; & referunt ad Regis auditum. Dantur ergo induciæ usque ad octavas Pentecostes, ac Regia Fide sancitur: quatenus ex utraque parte interim omnia, ut dictum erat, essent in pace. Et Rex: si integritas, inquit, perfecta pacis, istam, quæ inter nos est controversiam, ante hunc terminum non sedaverit; omnino qualis hac die est, talis in præfinito termino induciarum definienda, in medium revocetur.

NOVÆ INDUCIÆ CONCESSÆ:

XVIII. SED TURPITER VIOLATÆ.

His ita gestis, acceptâ à Rege licentiâ, ad suam Anselmus revertitur Sedem: præsciens apud se pacem, & inducias illas, inane, & momentaneum velamen esse odii, & oppressionis non futura. Quod in brevi postmodum patuit. Siquidem evolutis paucis diebus; Balduinum Monachum, in quo pars major consiliorum Anselmi pendebat, & duos Clericos ejus; Rex ipse, præscripti dissidii causâ, ab Angliâ pepulit: & Anselmum in hoc facto, atroci mœroris verbere perculit. Quid referam Camerarium ejus, in suâ Camerâ, ante suos oculos, captum; alios homines ejus, injusto judicio condemnatos, deprædatos, innumeris malis afflictos? & hæc omnia infra dies induciarum, & præfixa pacis, regalis constantia fides contra virum exercebat. Passa est igitur ea tempestate Ecclesia Cantuariensis, in omnibus hominibus suis, tam sævam tempestatem; ut ferè universi conclamarent: melius sibi absque Pastore jam olim fuisse; quam nunc sub hujusmodi Pastore esse. Hæc omnia Edmerus, de miserrimo Anglicanæ Ecclesiæ statu: de Guilielmi Regis perfidiâ, de Episcoporum ignaviâ: quæ illibenter meis verbis prosecutus fuissem. Juvat solùm cum Hieremia lacrymari. *Egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus: Facti sunt Principes ejus, velut arietes non invenientes pascua; & abierunt absque fortitudine, ante faciem subsequentis.* Pergamus ad ea, quæ induciarum tempore contigerunt in causâ Anselmi; qui unus, sed unus instar omnium, Catholicam causam, & orthodoxæ religionis puritatem, tuetur: quæ occasione schismatis in Romanâ Ecclesiâ, velut in inter-regno, periclitatur. nec enim adhuc perfidiæ succumbit: aut potuit malus genius Regi, Principibusque persuadere, omnem Romani Pontificis authoritatem declinare (hoc enim apostasiæ altissimum barathrum Lutheri sæculo servabatur) sed tricatur tantùm, & de nomine Pontificis, non de Pontificiâ potestate colludit. ut patet in sequentibus, & refert suo more candidè, Edmerus.

Thren. 1. v. 6.

XIX. *Edmer. l. 2. fo. 32.* WALTERUS ALBANEN. EPISCOPUS AB URBANO IN ANGLIAM MISSUS. GIRALDUS ET GUILIELMUS A REGE ROMAM MISSI.

Cum datarum dies induciarum præstolaretur: & hinc inde fides utrorumque, Willelmi videlicet Regis, & Anselmi Archiepiscopi certis indiciis panderetur: Regis, scilicet, omnia quæ spoponderat, in contrarium pervertendo: & Pontificis suâ sponsione servatâ, patienter irrogatas injurias perpetiendo. Albanensis Episcopus, Walterus nomine, ab Urbano Sedis Apostolicæ Præsule, Româ missus, Angliam venit. adducentibus eum duobus Clericis, Giraldo scilicet, & Willelmo, qui de Capella Regis erant. Siquidem ipse Rex ubi sensit Anselmum, suæ voluntatis, in præscripto negotio nolle obtemperare: clam, & Anselmo ignorante, eosdem Clericos Romam miserat, Romanæ statum Ecclesiæ, per eos volens certò dignoscere. Erant namque Romæ, in illis diebus, sicut prædiximus, duo Pontifices; qui à diversis, Apostolici nuncupabantur. Sed quis eorum Canonicè, quis secus fuerit institutus; ab Anglis, usque ad id temporis, ignorabatur. Scire itaque veritatem hujus rei, Romam missi sunt hi duo Clerici: eaque cognitâ; jussi sunt sacris promissionibus illectum, ad hoc si possent Papam perducere; ut ipsi Regi, ad opus Archiepiscopi Cantuariensis pallium, tacitâ personâ Anselmi, destinaret: quod ipse Rex, Anselmo à Pontificatu simul, & regno dejecto; cui vellet, cum Pontificatu, vice Apostolici, postmodum daret. Hoc quippe disposuerat apud se: hoc suspicatus est, non injustè sibi concedi posse: hoc indubitatò fieri promittebat opinioni suæ.

XX. WALTERUS PALLIUM DEFERENS, VITAT ANSELMUM.

Præfatus ergo Episcopus, Angliam veniens, secum Archiepiscopatus stolam, Papa mittente, clanculò detulit. Et silenter Cantuariâ civitate pertransitâ, Anselmoque devitato; ad Regem properabat; nulli, de pallio quod ferebat, quicquam dicens: nullumque in absentiâ dilectorum suorum familiariter alloquens. Rex denique præceperat ita fieri, nolens mysterium consilii sui publicari. Ille igitur, cum nonnullis diebus ante Pentecosten, ad Regem venisset: & ei, ad singula, quæ suæ voluntati accepta esse didicerat; bona spei fiducia respondisset: nil penitus ipsi pro Anselmo locutus est; quod pacem inter eos conciliaret: quod tribulationes, in quibus, pro fidelitate Sedis Apostolicæ desudabat, mitigaret: quod eum ad sublevandum in Anglia Christianæ religionis cultum, roboraret. Super quo multi, qui prius ex adventu ipsius, magna spe boni tenebantur; oppidò admirati: Papa, inquiunt, quid dicemus? Si aurum & argentum Roma præponit justitiæ; quid subventionis, quid consilii, quid solaminis ibi deinceps in suâ oppressione reperient, qui pro adipiscendâ suæ causæ rectitudine non habent, quod dent?

XXI. REX PRÆCEPIT URBANUM AB ANGLIS RECIPI.

Sentiens itaque Rex Episcopum, ex parte Urbani, cuncta suæ voluntati convenientia nuntiare: & ea, si ipsum Urbanum, pro Papâ in suo regno susciperet; velle Apostolica authoritate, sibi dum viveret, in privilegium promulgare: adquievit Placito: præcipiens Urbanum, in omni imperio suo, pro Apostolico, haberi: eique, vice Beati Petri, in Christianâ religione obediri. Egit posthac, quibus modis poterat ipse Rex, cum Episcopo: quatenus Romani Pontificis authoritate, Anselmum ab Episcopatu, regali potentiâ fultus, deponeret: spondens immensum pecuniæ pondus, ei, & Ecclesiæ Romanæ, singulis annis daturum, si in hoc suo desiderio satisfaceret. Verùm cum id nulla ratione fieri posse, docente Episcopo, didicisset; deficiebat animo, reputans apud se, nihil in acquisitione, vel susceptione Romani Pontificis se profecisse. Attamen immutabile considerans, quod factum fuerat, consilio cum suis inito, quærebat qualiter; servatâ singularis celsitudinis suæ dignitate; viro saltem specietenus amorem suum redderet; cui crudeliter iratus nihil poterat cupitæ damnationis pro voto inferre.

XXII. ANSELMUS AD RESPONDENDUM CITATUR.

Instante igitur die, in quem induciæ datæ sunt inter ipsos; mandatum est Anselmo, tunc in villâ suâ, quæ Murtelac dicitur, consistenti, & ibi solemnitatem Pentecostes celebranti; quatenus ad aliam villam suam, quæ Heisa vocatur, accederet; ubi nuncii Regis, curiam suam in ipsâ festivitate apud Windlesoram

Episcopi Anselmum rursum aggressi, rursum repelluntur.

tenentis, ad eum venire, & verba Regis, illi; & illius possent Regi deferre. Ivimus ergo illuc, & sequenti die venerunt ad illum penè omnes Episcopi Angliæ; qui præmissâ pace sua, pedetentim explorare aggressi sunt: utrum aliquo modo illum ad hoc allicere possent: ut ipse jam, tot ac tantis adversitatibus actus; vel tunc datâ pecuniâ, Regis amicitiam sibi conciliaret. Ad quod, cum illum, more solito, inflexibilem reperissent; tandem hujusmodi quæstibus eum interpellare destiterunt: subjungentes hæc: Si ergo pro adipiscendâ amicitiâ ejus, nil de tuis dare vis: dic, rogamus te, compendioso & simplici verbo, quid velis? Ait: Dixi vobis jam: quod nunquam Domino meo hanc contumeliam faciam; ut facto probem, amicitiam ejus esse venalem: sed si me, sicut debet, Patrem suum, vult gratis diligere. &, ut mero Archiepiscopi Cantuariensis, sub obedientiâ Domini Papæ Urbani, in Angliâ vivam, permittere; gratiosè suscipiam: eiq; pace & securitate potitus; sicut Domino & Regi meo fideliter & opportunè deserviam. Si hoc non vult; scitis, quod in hunc diem convenit inter nos. Det scilicet mihi conductum donec ad mare perveniam: & postmodum, quod intelligam me facere debere, faciam. Nihilne nobis, inquimus, aliud dices? Refert. Hinc nihil. Dominus Papa Urbanus (aiunt) rogatu Domini nostri Regis, stolam illi Archiepiscopatus, per Episcopum, qui de Româ venit, direxit: Tuum igitur erit considerare, quid tanto beneficio dignum, Regi rependas? Quod enim sine multis periculis, magnoq; labore, atque constamine, obtinere non posses: ecce nullo interveniente gravamine, si in te non remanserit, habes.

XXIII. Sensit in his Anselmus nimis implicitum negotium astutatum contra se: & anxiatus spiritu dixit: O beneficium! cujus æstimatio, quænam sit apud me, novit Dominus inspector conscientiæ meæ. Dixerunt: Quomodocumque facti hujus executio sedeat animo tuo: laudamus & consulimus: ut saltem quod in viâ expenderes, si pro hoc Romam ires, Regi des: ne si nihil feceris, injurius judiceris. Nec hoc quidem, ait. nec omnino hujus rei gratiâ, quicquam illi dabo, vel faciam. Ad nihilum tenditur. finite. Præterea, quæ quantave super illis facta sunt, enarrare piget. Post quæ omnia, Rex ut diximus, Principum suorum consilio usus: posthabita omni præteriti dissidii causâ;

Anselmus Regi reconciliatur.

Anselmo gratiam suam gratis reddidit: & quemadmodum Patrem regni spiritualem, & Episcopum Cantuariensem, quod sui officii foret; illum quaque per Angliam exercere concessit. Quod cum Pater gratiose sui accepisset; & donatis hinc inde retroactis querelis; Curiæ illius apud Windlesoram præsuisse: ac familiari alloquio, in conspectu Procerum, & coadunata multitudinis, ipsum detinuisset: Ecce Walterus ille Romanus advenit: Ingressusq;: En (inquit alludens) quam bonum, & quam jocundum habitare fratres in unum. Et sedens, de pace quadam, ex Dominicis verbis protulit: laudans illam inter eos revixisse: quam verecundabatur sua industria satam, in eis non fuisse. Cum autem de Pallii susceptione ageretur: & quidam pro captandâ Regis gratiâ, ad hoc ducere molirentur: ut pro Regiæ Majestatis honorificentiâ, illud per manus Regis susciperet: non adquievit, rationabiliter ostendens hoc donum, non ad Regiam dignitatem: sed ad singularem Beati Petri pertinere authoritatem. Unde cum omnes silentio pressi, conticuissent: statutum est, ut a quo pallium in Angliam delatum est, ab eodem Cantuariam super altare Salvatoris deferretur: & inde ab Anselmo, quasi de manu Beati Petri; pro summi, quo fungebatur, Pontificatus honore, sumeretur. Adquievit istis multitudo omnis: & in quo ita fieret, præfixus est dies.

XXIV. Pallium Cantuariam defertur, et offertur Anselmo.

Posthæc, Anselmum a Curiâ discedentem secuti sunt Episcopi duo, Robertus Herefordensis, & Osmundus Serberiensis. pœnitentiam apud illum agentes, pro culpâ sua abnegationis; quam cum aliis Coepiscopis suis fecerant apud Rochingam. Qui misertus eorum, absolvit eos in quadam Ecclesiâ, quæ se nobis obtulit ambulantibus, propositâ viâ. Ibi etiam Wilfrido Episcopo Sancti David, qui vulgo Dewi vocatur, ipsâ horâ reddidit Episcopale officium; à quo, exigente culpâ ejus, jam antea ipsemet illum suspenderat. Deinde Doroberniam properavimus: illic adventum Romani Episcopi præstolaturi. Qui Episcopus juxta condictum, die Dominicâ, quæ erat quarto Idus Junii, venit: pallium in argenteâ capsulâ decentissimè deferens. Itumque est obviam à Monachis, in ipsâ Metropoli Sede Domino Christo famulantibus; associato sibi fratrum conventu, vicinæ Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Abbatiæ, cum numerosâ Clericorum, necnon immensâ laicorum diversi sexus, ætatis, multitudine. Pater etiam ipse, Episcopis qui ob hoc Cantuariam venerant, dextrâ levâq; stipatus, ac sustentatus; sacro Beati Apostolorum Principis muneri, nudis pedibus, sed indutus sacris vestibus, devotus occurrit. Tali devotionis cultu pallium super altare delatum, ab Anselmo assumptum est: atque ab omnibus pro reverentia Sancti Petri suppliciter deosculatum. Indutus eo Pontifex dehinc suminus ad celebranda Missarum solennia, magno cum honore adductus, altari præsentatur. Ad quam Missam recitata est pro officio ipsius diei, illa Evangelii lectio, quam in consecratione ejusdem Pontificis, diximus super verticem ejus inventam: hoc est: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos: & misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent; quia parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare, &c. Quod sic evenisse nonnullis admirationi fuit: præsertim cum hoc; nullo præmeditante, nullo præordinante; constiterit actum. Attamen quid quidam inde dixerint, quid præconati fuerint, dicere supersedemus: Verum ex his, quæ pro rerum gestarum veritate suo loco, adjuvante Deo, dicemus, palam erit videre: ipsa verba Domini, nec primò in consecratione ejus, super eo, casu occurrisse: nec secundo in confirmatione ipsius consecrationis coram populo, incassum lecta fuisse. Hactenus de hujus anni rebus gestis Edmerus.

XXV. Ratio temporis.

Contractius ea recitat Baronius, partim è vita Sancti Anselmi, quam Edmerus scripsit (Edmeri historiam Novorum, nuper editam Baronius videre non potuit) partim è Guilielmo Malmesburiensi: qui cum dixisset, rei gestæ tempus consignans: Erat tunc dies Dominica quarto idus Junii; subdidit hæc ad anni determinationem Baronius. Dum dies certa signatur, nempe incidisse diem Dominicum, in quartum Idus Junii, planè præsens annus Redemptoris millesimus nonagesimus quintus ostenditur: quo litera Dominicalis fuit G. ex quo sequitur, diem decimam Junii, id est, quartum Idus Junii, qui eâ litera signatur, fuisse Dominicum diem. Quod ideo lubens adverto: quia Matthæus Parisiensis multa simul miscens, hæc omnia retulit ad annum superiorem. Sed rectius alii, dissidii exordium eò, hùc controversiæ finem referunt. Ita Wigorniensis & Hovedenus: qui discertè affirmant: Walterum, Albanensem Episcopum, ab Urbano Papa missum ante Pascha, in Angliam venisse: Pro quo, inquiunt, Rex Willielmus anno præcedenti miserat. unde supradicta firmantur:

Baron. hoc n. 18.

Wiger & Hoved hoc.

nimirum de Romani Pontificis potestate, nunquam à Guilielmo Rege fuisse controversum; dubitatum tantummodo, quis ille esset? Quamobrem stupidissimè, ut semper, scribunt Magdeburgici. *Petierat Anselmus ab Anglorum Rege, ut sibi potestatem Romam eundi, pro impetranda sui muneris confirmatione daret. Cui Rex subiratus respondit. Nemini in suo regno fas esse, Romanum, summum agnoscere Pontificem.* Ita perversi homines, omnia pervertunt. & dubium de vero legitimoque Pontifice; quo sancti possunt laborare, in damnatissimam hæresim vertitur.

Cent. 11 c. 9 fine.

XXVI. Quid Waltero Episcopo, præter pallii porrectionem, ab Urbano mandatum sit, nemo prodidit. Suspicantur tantùm, pacis inter Regem & Anselmum, sequestrum fuisse: aut certè esse debuisse. Qua in re claudicasse videtur. nam ita Malmesburiensis. *Walterus ad causam Archiepiscopi nihil suffragii; nisi quod rogatus, ut eum expelleret: impossibile factu respondit; ut vir celebratissimæ sanctitatis, & scientiæ: & in Præsulatum introductus legitimè; deturbaretur, nullius obnoxius culpa.* Sed quicquid sit, Walterus in Anglicanæ Ecclesiæ causis, falcem missurus; de cogendo Episcoporum conventu, & morum reformatione deliberans; Anselmum monet, ut Synodo locum indicat. Cui Anselmus ita respondit.

Malmesb. de Pont. l. 1. in Anselmo.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 91.

Domino, & Reverendo Romanæ Ecclesiæ Legato, & Cardinali Episcopo Waltero: Anselmus vocatus Archiepiscopus Cantuariæ: fideles orationes, & fidele servitium.

XXVII. Anselmi ad Walterum Epistola.

Excusat se, quòd non discedat Cantuaria.

„ Quod mandat mihi prudens vestra solicitudo, ut aliquo loco conveniamus, de causâ Ecclesiarum Dei; fraterno, & charitativo „ ad invicem consilio acturi: & quæ corrigenda „ sunt, correcturi, utique secundùm intentionem „ vestram laudabile est: & secundùm quod expedit, valde utile esset, si congruo tempore „ fieri posset. Sed vestra prudentia non ignorat; quia nos duo nihil efficiemus, nisi Regi „ suggestum esset: & ejus assensu, & auxilio, ad „ effectum produceretur, quod disponeremus. „ Est & aliud: quia ego à Cantuarberiâ elongari nullatenus audeo: quoniam quotidie expectamus, ut hostes de ultra mare in Angliam, „ per illos portus, qui Cantuarberiæ vicini sunt, „ irruant. Propter quod, Dominus meus Rex, „ ore suo mihi præcepit; antequam ab illo apud „ Notingham discederem; & postquam Cantuarberiam redii, mihi mandavit per literas, proprio sigillo signatas, ut Cantuarberiam custodiam, & semper paratus sim; ut quacumque „ hora nuntium eorum, qui litora maris ob hoc „ ipsum custodiunt, audiero: undique convocari jubeam equites, & pedites; qui accurrentes „ violentiæ hostium obsistant. Et idcirco de „ Cantuaria exire non audeo, nisi in illam partem, ex qua hostium expectamus adventum. „ Precor igitur sanctitatis vestræ discretionem: „ quatenus æquo, & pacato animo suscipiat has „ nostras rationabiles, & quæ infirmari nequeunt, „ quoniam veræ sunt, excusationes. Sciat pro „ certo vestra Reverentia; quia eumdem animum, „ quem habens, ut corrigantur, quæ corrigenda sunt, habeo. Sed expecto reditum Domini mei Regis, & Episcoporum, & Principum, „ qui cum eo sunt. quatenus illi, quæ agenda sunt opportunè, & rationabiliter suggeramus. Et sic, Deo adjuvante, ejus assensu & „ auxilio efficaciùs explicamus, quod desideramus. Si tamen vobis placet, ut per dilectissimum fratrem nostrum, Reverendum Abbatem N. mihi consilium vestrum mandetis: de „ quibus rebus, & quomodo cum Rege loqui „ debeam; hoc libenter suscipio. Sed & si Regi „ monendo consulere aliquid de hujusmodi rebus, per eundem Abbatem, & Reverendum „ Episcopum Wintoniæ, prudentiæ vestræ placuerit; laudo, & postulo. Vale.

XXVIII. Hostilis impetus, qui in Insulâ timebatur, & causa prætenditur non vocandi Synodum; ille fuit, qui Regem in Septentrionem hoc anno traxit: ubi conjuratorum capita, extremum Regi exitium minabantur. & Rex, omnem munire Insulam voluit; ne externo simul, & domestico hoste peteretur. De quo ita Hovedenus ad hunc annum: *Ea tempestate, Robertus de Moulbray, Comes Norehimbrensis, & Willelmus de On* (Aucensem Comitem alii vocant) *cum multis aliis, Regem Willielmum regno, vitaq; privare, & filium amitæ illius, Stephanum de Albamarlo, conati sunt Regem constituere: sed frustra. Nam eâ re cognitâ, Rex exercitu de totâ Anglia congregato, castellum prædicti Comitis Roberti, ad ostium Tyni fluminis situm, per duos menses obsedit. Et interim quadam munitiuncula expugnata, fere omnes meliores milites Comitis cepit, & in custodiam posuit: deinde obsessum castellum expugnavit: & fratrem Comitis, & equites, quos intus invenit, custodiæ tradidit. Postbac ante Bebbanburg, id est, urbem Bebba Reginæ, in quam Comes fugerat, castellum firmavit: idq; * Malvesin nominavit: & in illo milites posuit: & ad Suthimbriam rediit. Post cujus discessum, vigiles novi castelli promisere Roberto Comiti, ut id se permissuros illum intrare, si veniret occultè. Ille autem lætus effectus; quadam nocte cum triginta militibus, ut id peragere, exivit. Quo cognito, equites, qui castellum custodiebant, illum insequentes; ejus exitum custodibus novi castelli per nuntios intimaverunt. Quod ille nesciens, quadam die Dominica, tentavit peragere cœpta, sed nequivit: deprehensus enim erat. Quapropter ad Monasterium Sancti Oswini Regis & Martyris fugit: ubi sexta die obsessionis suæ, graviter est vulneratus in crure, dum suis adversariis repugnaret: quorum multi sauciati; multi verò sunt perempti: de suis quoque nonnulli vulnerati: omnes sunt capti. Ille verò in Ecclesiam fugit: de qua extractus, in custodiam est positus. Interea Walenses castellum Muntgomeri fregerunt: & homines Hugonis Comitis Scrobesbiriæ nonnullos in illo occiderunt. Unde Rex iratus expeditionem citò mandavit: & post festum Sancti Michaëlis exercitum in Waloniam duxit: ibique homines & equos quamplures perdidit. Qui inde reversus Comitem Robertum, de Bebamburch duci, & ejus oculos erui jussit: nisi uxor illius ac propinquus ejus Moreal castrum redderent. Qua necessitate compulsi, castrum reddiderunt. Comes autem forti custodia mancipandus, ad Windlesboram est ductus: Moreal vero facta traditionis causam Regi detexit.*

Proceerum in Regem conspiratio profligatur.

Hoveden. hic.

* *Malvoisin.*

Britannorum motus.

XXIX. Hi tumultus, & civilis discordia, Guilielmum Regem exciverunt, ut Insulæ maritima tutaretur: & quoniam Cantii litora exscensioni opportuna: ideo solicitè Anselmum monuit, excubias ageret; in Oriente illo; dum ipse motus in Septentrione componeret. Cæterùm Walterus Episcopus,

iterum

rerum scriptis ad Anselmum literis, multa causatur, de conventu non indicto, de calumniis criminibusque Anselmo affictis: quibus faciles nimis aures præbuisse videtur, ut ex Anselmi rescripto colligi datur. quod est hujusmodi.

Ansel. l. 3. Epistolarum Ep. 36.

Domino & Reverendo Episcopo Albanensi, & Cardinali WALTERO; Cantuariensis divina dispositione Archiepiscopus ANSELMUS: orationum fidelitatem cum servitio.

XXX. ANSELMI RESCRIPTUM AD WALTERI LITERAS.

„ LITERIS à vestra sanctitate mihi directis, si liceret, plenius quàm Epistolaris brevitas patiatur, responderem. Pro temporis tamen opportunitate, ad summam sensus illarum, breviter, quod ad me attinet, respondeo. Dicitis, quia oportuerat nos loqui simul, de Vineâ Domini, quæ in hoc regno destruitur; ne penitùs confunderetur: quoadusque Sanctus Petrus, per Vicarium suum Urbanum, summum visitaret eam. Hoc utique ego ipse voluissem; si congruo tempore factum esset idem, quando Dominus meus & Episcopi, & Principes hujus regni, vobis præsentes, aut propinqui erant. Postquam verò licentiam à Rege accepistis redeundi Romam; & Rex in expeditionem suam, cum Archiepiscopo Eboracensi, & quibusdam aliis Episcopis, & Principibus suis ivit: & una ab illis; & ego à vobis, ita discessimus; veluti non vos in hac terrâ amplius invicem visuri. Et postquam Rex mihi præcepit, ut illam partem regni sui, in quâ maximè irruptionem hostium quotidie timemus, diligenter custodirem; & quotidie paratus essem hostibus resistere, si irruerent: sicut in periculo vastandi, vel perdendi terram: cum nullo modo me auderem elongare ab urbe, in qua eram; nisi versus hostes, qui timebantur: tunc monitus, ut vobis occurrerem, quatenus colloqueremur de his quæ corrigenda sunt in hoc regno; rationabilem, & susceptibilem reddidi causam; quia propter prædictum periculum, & præceptum Regis, venire non poteram: & nihil efficeremus nos duo, absente Rege, & aliis, quorum assensu, consilio, & operatione, ad effectum duci posset colloquium nostrum. Ego enim ipse video, quæ corrigenda sunt: & habeo voluntatem, quam nullus homo mihi potest augere, corrigendi, Deo adjuvante, per assensum, & auxilium Domini mei Regis, & aliorum, ad quos pertinet; cum locus, & opportunitas erit.

XXXI. „ Quod autem conquerimini, vos moratos esse, velut infructuosam arborem, & peregrinum, non habentem adjutorium, aut consilium. De aliis vos scitis: de me autem, ego scio; quia non prohibui vos fructificare: neque meum auxilium, aut consilium vobis pro ratione, & possibilitate meâ denegavi, tempore fructificandi. Quod verò quæritis; cur, & quâ justitiâ, Episcopi alii me abnegantes, à me discesserunt: nec sunt reversi dignam agentes pœnitentiam: hoc potiùs ab illis quærendum erat, quàm à me. Ego enim nescio me fecisse, cur hoc facere deberent. Reversi tamen hactenus sunt, ut illam obedientiam, quam Cantuariensi Sedi promiserant, se mihi servaturos faterentur. Dicitis quosdam illorum, vobis dixisse; ideo vos offendisse in me: quia permisi me, à Catholicâ Ecclesiâ, transferri ad schismaticos. & ab illis consecrari, si fieri, sicut additis potest: & à schismatico Rege investituram accepisse: & illi fidelitatem, & hominium fecisse. quos omnes sciebam esse schismaticos, & divisos ab Ecclesiâ Christi, & à capite meo, Urbano Pontifice: quem ipsi, me audiente abnegabant. Certè nesciebam, nec scio eos schismaticos; aut sic divisos ab Ecclesiâ fuisse, ut dicunt. Et si aliquis eorum, qui hoc vobis dicunt, me præsente hoc diceret, ostenderem rationabiliter, non ita esse. Illi enim non abnegabant Canonicum Romanum Pontificem, quicumque esset; nec Urbanum negabant esse Pontificem: Sed dubitabant, propter illam quæ mundo nata est, dissensionem: & propter dubitationem, illum suscipere, quasi certum, differebant. Nec ullum indicium eos ab Ecclesia segregaverat: & omnino obedientiam Romanæ Sedis tenere se fatebantur: & sub professione obedientiæ Romani Pontificis me consecrarunt. Denique Dominus Papa sciebat me esse consecratum & à quibus: & cui Regi feceram, quod feci: Et tamen Pallium, quod Archiepiscopus Cantuariensis solet habere, mihi per vestram charitatem, non ut schismatico, sed ut accepto: non ut reprobans, sed ut approbans, misit: & sic quod de me factum erat, confirmavit. Ipse hujus confirmationis author, & Dominus Gualterus Episcopus Albanensis, & Cardinalis, hæc eadem sciens, minister ejus, & executor. Si vobis hæc calumnia attendenda videtur: cur eam ante pallii concessionem mihi tacuistis? Si negligenda putatur, vos judicate, quam diligenter sit à vobis inculcanda.

ANSELMUS NEGAT IN ANGLIA SCHISMA FUISSE.

„ Plura adhuc possem dicere ad infirmandum verbum malitiæ eorum, qui hoc quod dicitis, vobis ostendunt, ad excusandas excusationes in peccatis: sed sapientiam vestram scio non indigere apertæ rei multiplici ostensione. XXXII. Videat igitur prudens simplicitas, & simplex prudentia vestra qualiter super hæc, quæ dixi, suscipere & exaggerare debeat confictas calumnias, & calumniosas confictiones, adversum me, ab illis qui fecerunt contra me, pro excusatione suâ: ne videamini velle confirmare, quod authoritate Domini Papæ, & vestrâ executione, non ignoranter est confirmatum. Nempe, non sic accepi (teste Angliæ regno) nomen Domini Urbani Papæ in vanum; ut hoc me ab illo, vel à fidelibus ejus, meruisse cognoscam. Dicitis vos causam meam, teste Deo, defendisse, quantum potuistis: & eâ occasione, negotium, propter quod venistis, impeditum usque nunc. Pro bonâ quidem voluntate defensionis gratias ago: impedimentum autem hac occasione factum vobis utique: & si rei medulla diligenter consideratur, sicut potest, & prudentia vestra me defendit quantum potest, certus sum; quia conscientia vestra, in his quæ supra dicta sunt, accusare me non potest. Quod sicut dicit, nec mecum, nec cum aliis loqui, sicut voluit, potuit vestra Reverentia; carens obedientia Romanæ Ecclesiæ: sciat ipsa cur non potuit. Ego autem scio, me diu, & multum desiderasse, &

,, expectasse loqui vobiscum; antequam possem:
,, & cum tandem potui: non tantum potuisse,
,, quantum volui. Rogatis me, ut fratres no-
,, stros Cantuariensis Ecclesiæ, quietè ac pacificè
,, possidere dimittam res suas. Ad quod respon-
,, deo, quia nullus magis desiderat quietem, ac
,, pacem illorum, quàm ego: nec magis solicitus
,, est, pro utilitate ejusdem Ecclesiæ. Et idcirco
,, voluntas mea est, ut res ejus, Deo annuente,
,, disponam ad utilitatem præsentem, & futu-
,, ram, prout meliùs sciam, & potero. Valeat
,, beatitudo vestra, & dignetur Deum, ut me,
,, & omnes actiones meas dirigat, orare.

XXXIII.

Legato ex Insulâ discedente, Anselmus literas & munera in urbem misit: Urbano Pontifici, pro pallio sibi concesso, & præter Romanæ Ecclesiæ morem, absenti misso, gratias agit: cur ipse ad Urbem non accesserit, rationem reddit: denique sub ingenti onere gemens, solamen, & auxilium quærit: atque ita loquitur.

Anselm l. 3. Epistolarum Epistola 37.

Reverendo, & Reverenter suscipiendo, Catholicæ Ecclesiæ summo Pontifici, Urbano: Anselmus, non suis meritis, sed nutu divino, Cantuariæ vocatus Metropolitanus Episcopus debitam subjectionem, cum servitii devotione.

Anselmi literæ ad Urbanum.

Excusat se, quòd Romam non venerit.

,, Gratias ago sanctæ munificentiæ vestræ;
,, quòd dignos Apostolicæ Sedis Legatos ad
,, nos direxistis: quod pallii beneficium, solâ
,, gratiæ vestræ largitate, mihi porrigi præcepi-
,, stis. Nostri quippe (fateor) ordinis, & officii
,, intererat; & præsentiam vestram ex more vi-
,, sitare: & eam, ut fieri decet, condignâ reve-
,, rentiâ honorare. Et id quidem, ex quo gra-
,, dum Episcopalem suscepi, summo desiderio
,, facere concupivi: tum quia id ratio fieri po-
,, stulabat: tum quia consilio, & alloquio vestro
,, frui desiderabam; ut me, de rebus necessariis,
,, tam publicis, quàm privatis interrogantem,
,, vestra prudentia doceret, & authoritas robora-
,, ret. Quod me non exegisse rogo ne ægrè sancta
,, eminentia vestra ferat; nec meæ negligentiæ,
,, aut arrogantiæ ascribat. Testis enim mihi est
,, conscientia mea: quia postquam in cacumine
,, Sanctæ Ecclesiæ sublimatos vos esse cognovi,
,, gavisus sum, & reverenter dilexi, & diligo; &
,, quotidianum provectum vestrum fieri optavi,
,, & opto, & factum audiens exulto. Sed quia
,, bellis undique quatimur; hostiles impetus in-
,, desinenter, & insidias adversariorum metuimus.
,, Dominus noster Rex, extra regnum me proce-
,, dere hactenus non permisit; nec adhuc pro-
,, cedere posse, ullatenus assentit. Præterea si
,, nullæ aliæ causæ concurrerent, quæ me faciem
,, vestram, hoc tempore (quod valde molestè
,, fero) videre prohiberent: sufficit quòd ætas,
,, quòd ægritudo, quòd debilitas corporis mei,
,, impatientem me agunt, & prolixi itineris, &
,, immensæ viarum asperitatis. Sed inter hæc,
,, quo labore, quâve anxietate gravatus, iter ar-
,, ripere conarer; si omnipotens Deus, & in re-
,, gno Anglorum bella sedaret: & in regnis, &
,, regnorum provinciis, per quas, ad vos est
,, eundum, illam pacem tribueret, ut quemad-
,, modum oporteret & expediret, iter ipsum ex-
,, plere liceret. Sed tamen id fieri non potest,
,, quamdiu impossibilitas me retinet. Divinâ
,, clementiâ juvante, ubicumque fuero, vobis
,, obedire, ac servire, & celsitudinem vestram
,, honorare paratus ero. Et quia sicut desidero,
,, quotidianas miseriæ querelas non licet mihi
,, coram posito, effundere in conspectu vestro;
,, sanctas serenitatis vestræ aures paucis questi-
,, bus, & scriptis inquietare præsumo.

XXXIV. Conqueritur de gravi onere Episcopatus.

,, Sancte Pater, doleo me esse quod sum:
,, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse
,, Episcopum; quia peccatis meis facientibus,
,, non ago Episcopi officium. In loco humili
,, aliquid agere videbar; in sublimi positus, præ-
,, grandi onere pressus; nec mihi fructum facio;
,, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succum-
,, bo; quia virium, virtutum, industriæ, scientiæ,
,, tanto officio competentium inopiam, plùs
,, quàm credibile videatur, patior. Curam im-
,, portabilem cupio fugere, pondus relinquere:
,, Deum è contrario, timeo offendere. Timor
,, Dei illud me suscipere compulit: timor idem
,, me retinere compellit. Si inter hæc volunta-
,, tem Dei agnoscerem; & actus meos, pro pos-
,, sibilitate ad illam conferrem. Nunc quia vo-
,, luntas Dei me latet, & quid agam, nescio;
,, errabundus suspiro: & quem rei finem impo-
,, nere debeam, ignoro. Postulo itaque sanctam
,, clementiam, & clementem sanctitatem ve-
,, stram; ut propter Deum, propter eam chari-
,, tatem, quâ Ecclesiam Dei contenditis adjuva-
,, re; penuriam consilii nostri, vestrarum manis
,, sanctarum orationum pascatis: ne cogitatio-
,, num talium fluctibus agitatus; aut omnino
,, ruam, aut nihil apprehendam. Rogo etiam,
,, & summissis mentis gemitibus supplico celsam
,, & piam paternitatem vestram; ut, in naufragio
,, positus, si quando procellis irruentibus, adju-
,, torii vestri indigens, ad sinum Matris Ecclesiæ
,, confugero: propter eum, qui sanguinem suum
,, dedit pro vobis; pium, & promptum adjuto-
,, rium inveniam in vobis. Pro Domino Belva-
,, censi Fulcone, supplex oro clementiam ve-
,, stram, prout vestra judicabit prudentia. In
,, munusculo nostro, magnitudo vestra (rogo)
,, non solam penset quantitatem; sed & bonam,
,, quâ missum est, voluntatem. Omnipotens
,, Deus diu nobis Paternitatem vestram in gra-
,, tiâ suâ, & pace custodiat. Amen. Hæc Anselmus providè prudenterque prospiciens, in Anglicano Oceano procellas nascituras, & se facilè obruendum, nisi portus, ad quem confugeret esset apertus. Quod revera factum postea.

XXXV. Wulstanus Episcopus Wigornien. moritur.

Nobilitavit hunc annum duorum Episcoporum obitus, Wulstani Wigorniensis, & Roberti Herefordensis: qui quoniam in vitâ dilexerunt se, in morte quoque non sunt separati. Præcessit Wulstanus, & sub anni exordium moritur, decimo octavo Januarii. Sequutus est alter in Junio. de utroque nunc dicendum. Wolstani sanctitatem Authores passim deprædicant, & ego supra ejus vitæ exordium, virtutes, miracula, non uno loco recensui. nunc quod mortem spectat, ita scribit Hovedenus. *Anno millesimo, nonagesimo quinto, vir venerabilis, & valde admirabilis vita Wulstanus, Episcopus sanctæ Wigorniensis Ecclesiæ, ab adolescentiâ divino mancipatus obsequio. post multos sanctis sudoris agones, quos pro gloriâ regni cælestis adipiscendâ, magnâ mentis devotione, & humilitate sedulò Deo servivit intentissimè, die mensis Januarii decimo octavo, nocte sabbati septimâ horâ mediante*

V. an. 1058. 4. 5. 6. & an. 1061. n. 2. & 10. & 12.

Hoveden. hic.

Eius elogium.

migravit

Invitat Robertum ad se sepeliendum.

migravit è sæculo. Miroq; modo in ipsâ transitus sui horâ, suo quem specialiter dilexerat, amico, Roberto Herefordensi Episcopo, in oppido, quod Crikelade vocatur, in visione apparuit. illiq; ad se tumulandum, Wigorniam properare mandavit: annulum etiam, cum quo Pontificalem susceperat benedictionem, neminem Deus passus est digito extrahere: ne post mortem vir sanctus, suos videretur fallere; quibus prædixerat sæpissimè; nec ullum, vitâ comite, se velle perdere; nec etiam die sepulturæ. Hæc ille.

XXXVI. — Malmesb. l. 4. de Pontif. fo. 282.

Multa narrat Malmesburiensis Wulstani sanctitatis & virtutum argumenta, quæ prætereo. De morte ejus, ita. *Suam mortem, non occultis indiciis manifestavit sæpè quidem, sed hic apertius. Allato sibi nuntio, de sororis excessu, quam unicam habebat, respondit: modo tractum ad meum pervenit sulcum. Sequeturq; frater sororem, non multis post diebus. Decubuit ergo febribus, * jam dimidium annum obitus; exercebaturq; ad calcem vitæ introitum. Magnanimiter ille ferebat incommodum: & suos ante se lacrymantes, & tyrannidem futuri Pontificis metuentes consolabatur dicens. Cessent gemitus, vacent fletus: non est enim ista vitæ amissio, sed vitæ commutatio: neque unquam vobis deero; sed quanto luteâ compage soluta, Deo fuero præsentior; tanto ero in auxiliando celerior. Me impetrante, accredet vobis prosperitas: me propulsante discedet adversitas. Felix lingua, quæ de abundanti puri conscientia, tam secura verba in hominum aures auderet effundere. Alii suspiriis, & singultibus agunt, ut pro se oretur: ille pro aliis se oraturum pollicebatur. Quid istud est miraculi? An nullius peccati conscius erat? Imò loquebatur sancta simplicitas, simplicitas nescia de Dei diffidere misericordia. Sublatus ergo præsentibus, magno laicorum, & Monachorum ejulatu, delatus in Ecclesiam, triduo super terram detentus est. Nam ipsa species ex forma exanimis corporis, videbatur gratiam viventis Pontificis prætendere; mulcebatq; oculos, leniebatq; dolorem. Iacebat in libitinâ corpus, ante altare, Pontificalibus insignibus ornatum, tantùs operimento: populiq; undique confluentes, datis oblationibus & adorato corpore, recedebant cum mœrore. Quarto die terræ delatum, à Roberto Herefordensi Episcopo, sanctâ illi jampridem familiaritate conjuncto.* Hactenus de Wulstano Sancto.

* forte ante.

XXXVII. — Robertus Herefordensis Episcopus moritur. In quo culpandus.

Sequitur ille, qui Wulstanum sepelivit; Robertus, qui ab anno millesimo septuagesimo nono, Herefordensi præfuit Ecclesiæ: in uno solùm culpandus, quòd in Anselmi causâ deliquium passus, eum cum aliis Episcopis abjuraverit. Sed breve fuit pietatis, obedientiæque deliquium nam ut * supra dictum, supplex ab Anselmo errori veniam petens, impetravit. Cæterùm infulâ dignus: de quo hæc habet Malmesburiensis. *Robertus, præ cæteris contemporaneis Episcopis, Sanctissimi Wulstani familiaritati deditus erat: quem & vicinitate Præsulatus attingebat. Remotis ergo sæpissimè forensibus negotiis, domesticum illi contubernium præstabat: delectatus vitæ illius puritate, & innocentiâ. Quem quamvis ante se extulerit; non tamen socialis amoris vinculum mors illius prolongata corrupit. Decumbebat Wulstanus Wigorniæ, beato jam proximus fini. Robertus in Curiâ invitus duntaxat Regalia placita transigens; astitit illi in visu dicens omnino intelligibiliter: Si me vis videre vivum, festina venire Wigorniam, antequam obeam. Quo viso, petitâ à Rege licentiâ, venire festinabat concitus; nulli quieti, sive die, vel nocte indulgens. Metus enim prius præsagium, quod res primaria, insuderat. ne non superstitem inveniret. Longiuscule enim fuerat Curia. Et jam in mansione proximâ Wigorniæ, somno deditus; iterato videt Wulstanum dicentem: Nihil minùs, quàm pius amor poscit, fecisti: sed frustratus es desiderio tuo. Iam enim migravi. Tu modo, amice sodalis, vita tua consule, provide saluti: quia non longas moras post me facies, in hac luce. Et ne phantasticâ visione te credas illudi, accipe signum. Postquam cras corpus, quod jam triduo tuum sustinet adventum, terræ mandaveris: dabitur tibi xenium, ex parte meâ, quod meum esse cognosces. Ita Pontifex expergefactus, viam peregit: Wigorniam venit: officium sepulturæ implevit, re omnibus relatâ. Iamq; vale dicto Monachis meditabatur discedere, calceatumq; calcaribus equus operiebatur: cum Prior loci, genibus ejus reverenter affusus, prætendit xenium dicens: Accipe Domine, si vobis placet, amatoris vestri cappam, agninis pellibus insultam, quâ indutus equitare solebat; quæ & longum vestrum testetur amorem, & sanctitatis Domini nostri mereatur protectionem. Hoc ille audito, & munere cognito, impalluit, gelidusq; cucurrit per ossa tremor: statimq; dilatâ profectione, concionem Monachorum accivit in Capitulum. lacrymis & suspiriis, quantum res exigebat, referens, quantâ veritate somnium, & factum quadrassent. Itaque omnibus suâ morte commendatâ, discessit: de admonitione quidem lætus: sed semper sancto timore solicitus. Ianuario mediante Wulstanus transiit; nec Robertus Iunium transcendit.*

Malmesb. l. 4. de Pontif. fo. 280.

Wulstanus apparens ei, invitat ad se. Roberto a curru discedenti ad Wulstanum, in via ei Wulstanus iam mortuus apparet, et monet Robertum ut se paret ad mortem.

XXXVIII.

Restaret de utriusque successore dicendum. Sed Guilielmus Rex, & suopte genio; & classico impeditus; non est in Ecclesiarum provisione festinus. Anselmus tamen Herefordensi Ecclesiæ pastorem consecravit, anno sequenti: & alterum, Wigorniensi Ecclesiæ, de quibus statim.

ANNUS CHRISTI 1096.

URBANI II. PAPÆ 9.

GUILIELMI II. REGIS 10.

I. — Expeditio Hierosolymitana.

SEquitur Christi annus nonagesimus sextus, supra millesimum; quo Urbanus Papa, presso paululum schismate, pro omnium Ecclesiarum procuratione anxius, Occidentis Principes excivit; & inter eos Robertum Normannorum Ducem; ut terram sanctam, à Judæis porrò profanari non sinerent. Hoc facinus, omni laude, & sæculorum memoriâ dignum (nam captâ Hierosolymâ, Palæstinæ urbes præcipuæ Christianis cesserunt) Theodorus Bibliander, nequissimo genio ita deturpat. *Urbanus, vel potiùs turbo sævissimus, à spiritu malo, homicidiis gaudente impulsus commovit bellum, pro Iudæâ recuperandâ.* Metire hic Lector factionis genium, in Romanos Pontifices ubique impium; & Judaicæ perfidiæ potiùs quàm Christianæ fidei blandientem. Multò sanctiùs Authores nostri, occasione Roberti Ducis, ita scripserunt. *Anno millesimo nonagesimo sexto facta est motio Hierosolymitana, prædicatione Urbani Papæ. Robertus igitur Dux Normanniæ, illuc proficiscens, Normanniam in vadimonium posuit fratri suo Regi Willelmo. Ivit cum eo Robertus Dux Flandriæ, & Eustachius Consul Boloniæ. Iverunt & ex aliâ parte, Dux Godefridus & Consul de Monte Balduinus, & alius Balduinus, Rex Hierusalem futuri. Quis*

Bibliander tabul. 13. ad an. 1094.

Huntind. l. 7. f. 374. — Robertus Normanniæ Dux, Norman-

autem

MANNIAM OPPIGNORAT GUILIELMO FRATRI.

autem taceat Hugonem Magnum, fratrem Regis Francorum, & Stephanum Comitem Blan. Quis non memorat Boamundum, & nepotem ejus Tancredum? Hoc est miraculum Domini magnum, temporibus nostris factum, sæculis omnibus inauditum; ut tam diversæ gentes, tot fortissimi Proceres; relictis possessionibus splendidis, uxoribus, & filiis, omnes una mente, loca ignotissima, morte spretâ, peterent. Ita censuit de hoc facto, hujus sæculi scriptor, Huntindonius.

II. ANGLIA EXPEDITIONIS EXPENSAS SOLVIT.

Wigorniens. hic.

Hæc expeditio, cæterùm Christianæ Reip. utilissima; Insulæ tamen, Ecclesiæque nostræ gravissima fuit: Guilielmo Rege, ansam capiente, pecuniam à civibus emungendi. Enimvero cum Normannorum provinciis avidissimè inhiaret: & Robertus frater, pecuniâ ad commeatum plurimâ, indigeret: non Normanniâ, sed Anglia solvebat expensas. De quo ita Wigorniensis: *Comes Normannorum Robertus, cum Hierusalem proficisci, cum aliis, animo proponeret: nuntiis in Angliam missis germanum suum Guilelmum petiit: ut inter se, pace redintegrata, illi decies mille marcas argenti præstaret: & ab eo Normanniam, in vadimonium acciperet. Qui mox petitioni ejus satisfacere gestiens: mandavit majoribus Angliæ: ut quisque illorum, pro posse, sibi pecuniam festinanter accommodaret. Ideirco, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, aurea, & argentea Ecclesiæ ornamenta fregerunt. Comites, Barones, Vice-Comites, suos milites, & villanos spoliaverunt: & Regi non modicam summam auri & argenti, detulerunt. Ille autem, mense Septembri, mare transiit; pacem cum Germano facit; sexies mille, sexcentas, sexaginta sex libras illi præstitit: & ab eo Normanniam in vadimonium accepit.* Addunt alii, Normanniam Guilielmo, ea lege, traditam; ut trium tantummodo annorum spatio, illius provinciæ dominium retineret. quod multarum postea rixarum seminarium fuit. Cæterùm quàm gravis hæc pecuniarum indictio, Anglorum Ecclesiis fuerit; & quàm religiosè Anselmus egerit: ne Regem hinc, inde Cantuariensem Ecclesiam læderet: ita narrat Edmerus.

III. Edmer. l. 2. Novo. fo. 13.

UT ANSELMUS SE GESSERIT, IN PECUNIÆ EXACTIONE.

*Eo tempore, Robertus Comes Normanniæ in expeditionem Ierosolymitanam proficisci disponens: Fratri suo Willielmo, Regi Angliæ, Normanniam, spatio trium annorum, pecuniæ * gratiâ, in dominium tradidit. Quæ pecunia, per Angliam partim data, partim exacta; totum regnum in immensum vastavit. Nihil Ecclesiarum ornamentis in hac parte indulsit dominandi cupiditas; nihil sacris altarium vasis, nihil reliquiarum capsis, nihil Evangeliorum libris, auro vel argento paratis. Conventus est & Anselmus, per id temporis: & ut ipse quoque manum auxilii sui, in tam rationabili causâ, Regi extenderet, a quibusdam suis est amicis admonitus. Intellexit ille, & rationis esse, & honestatis hoc facere. Sed propriarum rerum tenuitate constrictus: unde expleret, quod faciendum fore videbat, non habebat. Usus ergo consilio magnorum virorum; Walchelini videlicet Wentani Pontificis, & Gundulfi Roffensis; necne aliorum; quorum in hujusce negotiis consilio, par credi judicabatur: de thesauro Ecclesiæ Cantuariensis, partim in auro, partim in argento, valens ducentas argenti, conniventi majori parte conventus, accepit: quod præfato Regi, cum illis, quæ de suis habere poterat, pro instanti necessitate, ut rebus consuleret, pariter contulit. Verum in hoc facto, nulli suis successoribus, quod imitarentur, exemplum relinquere volens. mox Dominicam villam suam; quæ Becchebam vocatur; spatio septem annorum, ejusdem Ecclesiæ juri concessit: quatenus ex redditibus ipsius villæ, qui circiter triginta libræ denariorum, illis diebus erant; illatum Ecclesiæ damnum restitueretur. Et quidem, eodem spatio, ipsa Ecclesia, eadem villa potita est. & silva, & villa, & toti redditus ejus, in novo opere, quod à majore turre in orientem tenditur: quodque ipse Pater Anselmus inchoasse dignoscitur; consumpta sunt.*

* grati.

Hactenus de Hierosolymitanâ expeditione. nunc quæ, à pace cum Rege initâ, Anselmus fecerit, videamus.

IV. VACANTIBUS ECCLESIIS EPISCOPOS PRÆFICIT ANSELMUS.

Ille, cum Balduinum Monachum, quem Rex proscripserat, in Angliam revocasset; cœpit omnium Ecclesiarum solicitudine premi. non Anglorum modò, sed etiam Hibernorum sacram Remp. sartam tectamque servando. Quod quia, in Episcoporum ferè curâ, & manibus, nec aliter plerumque servari potest: Egit Anselmus, ut vacantibus Ecclesiis Præsules præficerentur: quos à Rege nominatos ipse consecravit. Ita hoc anno Wigorniensi & Herefordensi Sedibus provisum. Ita etiam Hibernorum Ecclesiis, quas Primatis jure idem regebat, consultum.

HIBERNIÆ ECCLESIAS CURAT.

Ibi enim (ut ab Hiberniâ incipiam) cum Donatus Dubliniensis Episcopus, quem Lanfrancus nuper consecrarat, vitam cum morte commutasset: Hiberniæ Rex, Samuelem natione Hibernum, professione Albanensis Cœnobii Monachum, ab Anselmo postulavit Episcopum institui, & Donato succedere. de hujus viri consecratione, ita Edmerus. *Revocato post hæc*, inquit, *prædicto Balduino in Angliam: & rebus aliquantà pace sopitis. Venit ad Anselmum quidam Monachus, Cœnobii Sancti Albani, natione Hiberniensis, nomine Samuel. Hic defuncto bonæ memoriæ Donato, Dubliniæ civitatis Episcopo, à Rege Hiberniæ Murierdach nomine; necne a Clero, & populo, in Episcopatum ipsius civitatis electus est: atque ad Anselmum, juxta morem antiquum, sacrandus, cum communi decreto directus. Quorum electioni, & petitioni, Anselmus annuens; hominem aliquamdiu secum honorificè detentum: necne qualiter in domo Domini conversari deberet, diligenter instructum: suscepta ab eo de Canonica subjectione sua, ex antiquo more professione, promovit in Episcopatus officium, Wintoniæ octava die subsequentis Paschæ: ministrantibus sibi in hoc officio quatuor Episcopis Suffraganeis suis. Qui novus Pontifex, tanti Principis benedictione, ac literarum præfato Regi, Clero quoque ac plebi Hiberniæ, pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus; in patriam suam, cum gaudio revertitur: atque in Sedem suam, cum honore, pro usu suscipitur terra.*

Edmer. l. 2. fo. 14.

SAMUELEM DUBLINIÆ EPISCOPUM CONSECRAT, FACTA PROFESSIONE.

V

Non extant Anselmi literæ, consecrationis testes: sed extant aliæ, tum ad Regem Hiberniæ, tum ad ipsum Samuelem Dublinensem Episcopum datæ: in quibus; quia legere est Anselmi curam Pastoralem; & illius Insulæ statum, huic loco temporique opportunas judico. Ad Samuelem ita scribit.

Anselm l. 3. Epistolarum Epistola 72.

ANSELMI LITERÆ AD SAMUELEM EPISCOPUM.

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariæ, Venerabili Fratri, SAMUELI Dubliniæ civitatis Episcopo, salutem.

„ AUdivi, quòd libros, & vestimenta, & alia „ ornamenta Ecclesiæ, quæ Dominus Lan„ francus Archiepiscopus dedit avunculo tuo, „ Domino Donato Episcopo, ad opus Ecclesiæ: „ cui tua fraternitas præsidet; tu pro voluntate

tuâ

,, tuâ exponis; & ea extraneis das. Quod si ve-
,, rum est, miror cur ita facias: cum ipsa orna-
,, menta, non ei, sed Ecclesiæ datæ sint: sicut
,, fratres Cantuariensis Ecclesiæ filii attestantur.
,, Unde moneo, & monens rogo te: quatenus,
,, si aliquid de prædictis rebus, extra Ecclesiam
,, datum est, celeriter illud restitui facias. Item
,, audivi, quòd Monachos, qui in ipsâ Ecclesiâ
,, ad serviendum congregati erant, expellas, &
,, dispergas: nec redire volentes ullatenus reci-
,, pere velis. Quod si ita est: non te decet: of-
,, ficii siquidem tui scitur esse, magis dispersa
,, congregare; quàm congregatos dispergere.
,, Quapropter mando tibi, ut si aliqui abjecti
,, sunt, & redire volunt: seseque in Dei servitio,
,, sub obedientiâ custodire eos suscipias: & saluti
,, eorum, per paternum affectum studiosè inten-
,, das: nisi, quod absit, hujusmodi causa in illis
,, obsistat, quæ hoc fieri omninò prohibeat.

Crux ante Archiepiscopum pallio donatum portatur.

,, Præterea audivi; quia facis portari Crucem an-
,, te te, in viâ. Quod si verum est: mando tibi;
,, nè ampliùs hoc facias: quia non pertinet nisi
,, ad Archiepiscopum, à Romano Pontifice, pal-
,, lio confirmatum. Neque decet te, ut ullâ
,, præsumptione insolitæ rei te notabilem, & re-
,, prehensibilem hominibus ostendas. Vale.

De Hiberniæ Rege, qui Samuelem Episcopum consecrari petiit, Paschali tempore, & Murierdach supra appellatur: nescio an ille idem sit, cum eo, qui Malchum Wintoniensi Cœnobii Monachum, ab eodem Anselmo inaugurari
IV.
petiit, Watersordiensis Ecclesiæ Antistitem, sub finem hujus anni millesimi nonagesimi sexti. Ejus literæ ad Anselmum datæ super ea re, ita inscribuntur, apud Edmerum.

Edmer. l. 2. fo. 30.

Anselmo Dei gratia Anglorum Archiepiscopo: Clerus, & populus oppidi Watefordiæ, cum Rege Murchertacho, & Episcopo Dofnaldo: Salutem in Domino.

Regis Hiberniæ ad Anselmum Literæ.

,, Pater sancte, cæcitas ignorantiæ, nos diu
,, detrimenta salutis nostræ sustinere coegit:
,, quod magis eligimus serviliter Dominico ju-
,, go colla subtrahere, quàm liberaliter pasto-
,, rali obedientiæ subesse. Nunc autem, quan-
,, tum proficiat Pastorum causa agnovimus: cum
,, aliarum rerum similitudines, ad mentem re-
,, vocamus: quia sine regimine, nec exercitus,
,, bellum: nec navis marinum audet attentare
,, periculum. Navicula ergo nostra, mundanis
,, dedita fluctibus; sine pastore, contra callidum
,, hostem, quâ ratione pugnabit? Propterea
,, nos, & Rex noster Murchertachus, & Episco-
,, pus Dofnaldus, & Dermeth Dux noster, fra-
,, ter Regis, eligimus hunc Presbyterum Mal-
,, chum, Walchelini Wintoniensis Episcopi Mo-
,, nachum, nobis sufficientissimè cognitum, natali-
,, bus, & moribus nobilem, Apostolicâ & * Ec-
,, clesiasticâ disciplinâ imbutum, fide Catholicâ
,, prudentem, moribus temperatum, vitâ ca-
,, stum, sobrium, humilem, affabilem, miseri-
,, cordem, literatum, hospitalem, suæ domui
,, benè præpositum. non neophytum, habentem
,, testimonium bonum, in gradibus singulis. Hunc
,, nobis petimus, à vestrâ Paternitate ordinari
,, Pontificem; quatenus regulariter nobis præ-
,, esse valeat, & prodesse: & nos sub ejus regi-
,, mine salubriter Domino militare possimus.
,, Ut autem omnium nostrorum vota in hanc
,, electionem convenire noscatis: huic decreto
,, Canonico, promptissimâ voluntate singuli
,, manibus propriis roborantes, subscripsimus.
,, Ego Murchertachus, Rex Hiberniæ, sub-
,, scripsi. Ego Dermeth, Dux, frater Regis,
,, subscripsi. Ego Dufnaldus Episcopus, ss.
,, Ego Idunan Episcopus Midiæ ss. Ego Sa-
,, muel * Dublinensis Episcopus ss. Ego Fer-
,, domnachus Laginiensium Episcopus, ss.

* Ecclesia *male.*

* Dunelmensis *male.*

Subscripserunt hic multò plures, quos nos brevitati studentes notare non necessarium duximus (inquit Edmerus & prosequitur:) *Igitur Anselmus, considerans & intelligens eos justa & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem, diligenter in his, quæ sacra jubet authoritas, examinatum; ac multorum, cum vita suæ testimonio, dignum Episcopum comprobatum: sumptâ ab eo ex more de subjectionis sua obedientiâ professione: sacravit eum Cantuaria quinto Calendas Ianuarii: assistentibus & cooperantibus sibi in hoc ministerio suo, duobus Episcopis suis, Radulfo scilicet Cicestrensi, & Gundulfo Roffensi.*

VII.

Malcus consecratur Waterforolæ Episcopus.

Et quoniam nunc in Hibernorum Rep. versamur & Rege Murchertacho; qui visâ Episcoporum necessitate, justa & utilia petere dicitur. Cur non opiner hunc Regem, eundem esse cum illo, ad quem Anselmus binas scripsit; cum Insulam, aliquando Christianâ fide, & moribus ornatissimam, à morum honestate nunc errantem, ad virtutis ac pietatis studium accendit. Nec obest opinioni meæ quòd Hiberniæ Rex nunc Muriardarchus ab Anselmo scribatur, nunc Murtardachus, quia cum literarum inflexione stare potest nominis identitas; spectatâ præsertim antiquorum dialecto, & librariorum incuriâ: qui unum eundemque, non uno semper eodemque modo efferunt. Quicquid sit, Anselmi industria, pietas, & in Hibernorum Ecclesias imperium legitur. & ideo literas subjicio, ita inscriptas.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 142

Muriardarcho glorioso, gratiâ Dei, Regi Hiberniæ Anselmus, servus Ecclesiæ Cantuariensis, salutem cum orationibus, & Dei misericordiâ, regi, & protegi.

VIII. Anselmi Literæ ad Regem Hiberniæ.

,, Gratias agô Deo, de bonis multis, quæ
,, de vestrâ celsitudine audio. Inter quæ est
,, hoc, quia gentem regni vestri, in tantâ pace
,, facitis vivere; ut omnes boni, qui hoc au-
,, diunt, Deo agant gratias, & vitæ vestræ diu-
,, turnitatem desiderent. Ut enim pax est, licet
,, omnibus bonam voluntatem habentibus, quod
,, optant, sine perturbatione malorum homi-
,, num efficere. Unde vestra Celsitudo, per
,, quam Deus facit: ab eo certissimè magnam
,, retributionem * expectat. Super hoc utique
,, pacis fundamentum, facile est alia, quæ Ec
,, clesiastica religio exigit, ædificare. Precor
,, itaque bonæ voluntatis vestræ constantiam;
,, quatenus consideret, si qua sunt in regno ve-
,, stro corrigenda, propter vitæ æternæ præ-
,, mium; & ut magis, & magis in vobis gratia
,, Dei augeatur, solicitè, Deo adjuvante, studea-
,, tis emendare. Nihil enim est contemnendum,
,, quod corrigi possit. Quia Deus exigit ab
,, omnibus, non solùm quòd malè agunt; sed

* expectare *male. nisi addas* potest.

„ etiam quòd non corrigunt mala, quæ corrige-
„ re possunt. Et quantò potentiores sunt, ut
„ corrigant: tantò districtius exigit ab illis Deus:
„ ut secundùm potestatem misericorditer impen-
„ sam, benè velint, & faciant. Quod maximè
„ videtur ad Reges pertinere: quoniam ipsi co-
„ gnoscuntur majorem potestatem, & cui minùs
„ contradicitur, inter homines obtinere. Si au-
„ tem non omnia simul potestis; non debetis
„ propter hoc, quin à melioribus ad meliora,
„ studeatis proficere: quia bona proposita, &
„ bonos conatus Deus solet benignè perficere,
„ & beatâ plenitudine retribuere. Auditur apud
„ nos, quia conjugia in regno vestro, sine omni
„ ratione dissolvuntur, & commutantur. Quia
„ cognati, sive sub nomine conjugii; sive alio
„ modo; palam, sine reprehensione, contra Ca-
„ nonicam prohibitionem commisceri non ve-
„ reantur. Episcopi quoque (qui debent esse
„ forma, & exemplum aliis, Canonicæ religio-
„ nis) inordinatè, sicut audimus, aut à solis Epi-
„ scopis, aut in locis ubi ordinari non debent,
„ consecrantur. Hæc & alia, quæ magnitudinis
„ vestræ prudentiâ, in Hibernia corrigendâ co-
„ gnoverit; precor, obsecro, & consulo; sicut
„ illi, quem valde diligo, & cujus profectum
„ per omnia desidero: quatenus consilio bono-
„ rum virorum, & sapientum regni vestri, cor-
„ rigere studeatis. Et Deum oro, de regno
„ terreno ad regnum cæleste transeatis. Amen.

Matrimonia Hibernorum arguuntur.

IX. Ejusdem ferè argumenti sunt aliæ literæ, quas Anselmus eidem Regi porrexit: ubi Hibernorum prurigo, & Episcoporum inordinata consecratio arguitur, unà cum pudenda conjugiorum communitate, & commercio. Quarum istud est exordium.

Anselm l. 3. Epistolarum Epistola 147.

Muriardacho glorioso Regi Hiberniæ, Anselmus Archiepiscopus servus Ecclesiæ Cantuariensis, fide cum orationibus obsequium; & per regnum terrenum, mereri cæleste.

Anselmi ad eundem Regem allæ Literæ.

„ QUONIAM multa de vestrâ Excellentiâ
„ prædicantur, quæ regiam decent digni-
„ tatem, valde gaudemus: & Deo, à quo est
„ omne bonum, devotas exinde gratias agimus.
„ Confidimus autem, quia qui vobis contulit
„ gratiam suam, in faciendis bonis, quæ fecistis;
„ conferet quoque effectum perficiendi ea, quæ
„ super illa quæ facitis, eum velle cognoscitis.
„ Quapropter, gloriose fili, & in Deo charissi-
„ me, precor; ut ea quæ in regno vestro secun-
„ dùm Christianam religionem emendanda co-
„ gnoveritis; omni instantiâ & solicitudine emen-
„ detis. Ad hoc enim Deus in regali sublimita-
„ te vos constituit; ut virgâ æquitatis subditos
„ populos gubernetis: & quicquid in eis justitiæ
„ adversatur; eadem virgâ percutiatis, & amo-
„ veatis. Etquidem quiddam dicitur fieri in ipso
„ populo, quem regendum suscepistis. quod
„ magnopere corrigendum est: quia Christianæ
„ religioni omnimodis contrarium est. Dicitur
„ enim. quòd viri ita liberè, & publicè, uxores
„ suas, uxoribus aliorum commutant: sicut quri-
„ libet equum equo: aut quamlibet aliam rem,
„ re alia ab illo commutar; aut pro libitu, & sine
„ ratione relinquunt. Quod quàm malum sit,
„ omnis qui Christianam legem novit, intel-
„ ligit.

X.
„ Si igitur Excellentia vestra, divinarum Scri-
„ pturarum sententias, quæ huic infami nego-
„ tio obviant, per se legere non valet: præcipite
„ Episcopis, & religiosis Clericis, qui in vestro
„ regno sunt; ut eas vobis edicant. Quatenus
„ iis cognitis, quo studio vobis invigilandum sit,
„ ut hoc malum corrigatur, cognoscatis. Item
„ dicitur Episcopos in terrâ vestrâ, passim eligi;
„ & sine certo Episcopatus loco constitui: atque
„ ab uno Episcopo, Episcopum, sicut quemli-
„ bet Presbyterum ordinari. Quod omnino sa-
„ cris Canonibus contrarium est: & qui taliter
„ instituti sunt, aut ordinati; cum suis ordinato-
„ ribus, ab Episcopatus officio deponi præci-
„ piunt. Episcopus namque, nisi certam paro-
„ chiam, & populum, cui superintendat, habeat;
„ constitui secundùm Deum non potest; quia
„ nec in sæcularibus nomen, aut officium Pasto-
„ ris habere valet; qui gregem, quem pascat,
„ non habet. Honor quoque Episcopalis non
„ parum vilescit; dum is ad Pontificatum assumi-
„ tur; qui ordinatus, quo divertat, vel cui per
„ Episcopale ministerium certò præsideat, ne-
„ scit. Minus quoque quàm à tribus Episcopis
„ ordinari non debet: cum propter multas alias,
„ & rationabiles causas, quas epistolaris brevitas
„ non admittit: tum, ut Fides, vita & solicitudo
„ ejus, qui invigilare debet; idoneis & legalibus
„ testibus comprobetur. Precor itaque, hortor,
„ & moneo: quatenus Excellentia vestra ope-
„ ram det; ut ista in suo regno corrigantur:
„ quatenus merces, quam à Deo, pro aliis bo-
„ nis, * expetitis; pro illis vobis augeatur. Cæ-
„ terùm, si quid in vobis, aut in aliis quos rege-
„ re suscepistis, quod ullatenus voluntati Dei
„ adversari queat, perpenderitis; solicitè emen-
„ dare satagite: ut cum de terreno regno tran-
„ sibitis, ad cæleste regnum veniatis. Amen.
„ De fratre nostro Cornelio, quem sibi Celsitu-
„ do vestra mitti rogavit, dico: quia ita occupa-
„ tus est circa servitium Patris sui: ut nec ab eo
„ queat sine periculo vitæ illius separari: nec
„ eum, qui jam senio confectus est, secum ulla-
„ tenus ducere.

Episcoporum inordinata electio, et consecratio.

* expeditis *male.*

XI. Satis in Hiberniâ peregrini fuimus; & satis ab Anselmo Ecclesiis illis consultum. In Angliam redeo, & Anselmum Ecclesias ibi componentem. Vacabant ibi Wigorniensis & Herefordensis Sedes, & utramque hoc anno Anselmus implevit. De quo ita Edmerus, cum Samuelem in Angliâ Hibernis consecratum Præsulem dixisset. *Eodem* (inquit) *hoc est, tertio anno Pontificatus Anselmi, electus est Samson ad Episcopatum Ecclesiæ Wigorniensis: & Girardus ad regimen Ecclesiæ Herefordensis. Qui cum in summum promovendi Sacerdotium, ad Anselmum pro more venissent: necdumq; omnes inferiores ordines habuissent. ordinavit eos, pro instanti necessitate, ad Diaconatum & Presbyteratum, unum: & alium ad Presbyteratum in Sabbato jejunii quarti mensis, in villâ Sancti Andreæ de Rovecestrâ, quæ propè Lundoniam sita, Lambetn vocatur. In crastino autem sacravit eos Lundoniæ, in Sede Episcopali, ad Pontificatus honorem: ministrantibus sibi in hoc, quatuor de Suffraganeis suis: Thoma videlicet Archiepiscopo Eboracensi: Mauritio, Episcopo Lundoniensi; Roberto, Tydfordensi, seu Norwicensi; & Gundulfo, Roffensi.* Ita ille de novorum Præsulum inauguratione.

Edmer. l. 2. fo. 55.

Sampson Wigorniensis, et Girardus Herefordensis Episcopi eliguntur.

XII. Ratio temporis.

Quod ad annum consecrationis horum Episcoporum spectat, errasse videntur Matthæus Parisiensis, & Westmonasteriensis, qui Sampsonem consecratum asserunt anno millesimo nonagesimo septimo, decimo septimo Calendas Julii, Dominica die. nam illo anno Dominicus dies, in decimum septimum Calendas Julii non incidit: incidit autem anno millesimo nonagesimo sexto: quem etiam annum consecrati Sampsonis, & diem, & mensem, consignant Wigorniensis & Hovedenus: qui revera tertius Anselmi Pontificis annus est. De Samsone, Wulstani successore, ita scribit Malmesburiensis. *Sampson Wulstano successit, Canonicus Baiocensis, non parva literatura vir: nec contemnenda facundia. Antiquorum homo morum, ipse liberaliter vesci, & aliis dapsiliter largiri. Innoxius ad Monachos: nisi quòd eis Westberiam abstulit, ubi Wulstanus Monachos posuerat, & privilegio sanctitatis suæ munierat. Illud Sampson diruppit, nec multo post annum in eadem villa, qua culpam commiserat, excessit.* Girardus, qui Roberto Herefordensi successit, nepos fuit Walkelini Wintoniensis Episcopi: *literarum non nescius, in eloquentia diffusus:* * inquit Malmesburiensis. Plura de eo, cum ad Eboracensem Sedem transfertur, anno primo sequentis seculi. nunc hujus anni reliqua prosequentes, & Guilielmum Regem è Normannia in Angliam reducentes, Anglicanæ Ecclesiæ miserias exponamus; inde natas, quod Ecclesiarum bonis Normanni Principes, inhiarent: qui pessimo exemplo, ad sacra omnia profananda, atheos, hæreticos, & apostatas duxerunt. Nemo prior, in eo impietatis genere, Guilielmo juniore: qui Cantuariensis Ecclesiæ splendori invidens; & inde avaritiam suam explere gestiens; Anselmum denuò exagitat: reumque pro arbitrio fingit; eo modo, quem Edmerus narrat in historia.

Malmesb. l. 4. de Pont. fo. 282.

Sampsonis elogium.

Girardus quis, et qualis.

* Idem supra l. 3. fo. 273.

XIII.

Edmer. l. 2. fo. 37.

Post hos dies Rex, Normannia sibi ad votum subacta, atque disposita; Angliam redit. Ac interposito parvi temporis spatio, super Walenses, qui contra eum surrexerant, exercitum ducit: eosq; post modicum in deditionem suscipit: & pace undique potitus est. Sed quid? Cum jam multi sperarent; quòd hæc pax servitio Dei deberet militare; & attenti expectarent aliquid magni pro emendatione Christianitatis, ex Regis assensu, Archiepiscopum promulgare: Ecce spei hujus, & expectationis turbatorias literas, Rex a Gualis reversus, Archiepiscopo destinat; mandans in illis, se pro militibus, quos in expeditionem sibi miserat, nullas ei nisi malas gratias habere: eò quod, nec convenienter, sicut aiebat, instructi; nec ad bella fuerant, pro negotii qualitate idonei. Præcepitq; ut paratus esset de his, juxta judicium curiæ suæ, sibimet rectitudinem facere: quandocumque sibi placeret, inde eum appellare. Ad quæ Anselmus: Expectavimus, inquit, pacem, & non est bonum; tempus curationis, & ecce turbatio. Licet enim jam olim sciverit se, eodem Rege superstite, in Anglia, Christianitatis fructificaturum: tamen quòd rogatus de subventione Christianitatis nonnunquam solebat respondere; se propter hostes, quos infestos circumquaque habebat, eò intendere non valere: jam tunc illum pace potitum cogitaverat super hac re convenire: & saltem ad consensum alicujus boni fructus exequendi, quibus modis posset, attrahendo delinire. Sed ne cordis ejus affectus perveniret ad effectum; orta est instinctu maligni, quam dixi, causa dissidii: utique non ex rei veritate producta: sed ad omnem pro Deo loquendi aditum Anselmo intercludendum malitiosè composita. Quod ille dignoscens, & insuper cuncta Regalis curiæ judicia pendere, ad nutum Regis: nilq; in ipsis nisi solum velle illius considerari, certissime sciens: indecens æstimavit, pro verbi calumnia, placitantium more, contendere: & veritatis suæ causam, curialis judicia, quod nulla lex, nulla æquitas, nulla ratio muniebat, examinandam introducere. Tacuit ergo, nec quicquam nuntio respondit: reputans hoc genus mandati, ad ea perturbationum genera pertinere; quæ jam olim sibi recordabatur illata. & ideo hoc solum, ut Deus talia sedaret, supplici corde precabatur.

Rex odii causam in Anselmum comminiscitur.

Jerem. 14. 19.

XIV.

Præterea videns Ecclesias & Monasteria, solito intus & extra, suis rebus spoliari, omnem in eis religionem exterminari: quosque sæcularium, tam majores, quàm minores, corrupta vita senitas tenere multas: mala ubique fieri: & ista de die in diem, cessante disciplina, multiplicari, roborariq;: verebatur ne hæc, Dei judicio, sibi damna fierent; si quibus modis posset eis obviare non intenderet. Sed obviare sibi impossibile videbat; quod totius regni Principem; aut ea facere, aut eis favere, perspicuum erat. Visum itaque sibi est, authoritatem & sententiam Apostolicæ Sedis, super his, oportere inquiri. Cum igitur in Pentecoste, festivitatis gratia, Regia curia se præsentasset: & modo inter prandendum, modo alias, quemadmodum opportunitas se offerebat, statum animi Regalis; quis erga colendam æquitatem esset, studiose perquisisset: eumq; qui olim fuerat, omnimoda reperisse: nihil spei de futura ipsius emendatione, in eo ultra remansit. Peractis igitur festivitatibus diebus, diversorum negotiorum causæ, in medium duci, ex more cœperunt. Quærebatur etiam, quo ingenio, prælibata causa contra Anselmum sic ageretur; ut culpa addictus, aut ingentem Regi pecuniam penderet; aut ad implorandam misericordiam ejus, caput amplius non levaturus, se totum impenderet.

Anselmus de regni statu anxius.

XV.

Interea Anselmus, accersitis ad se quos volebat, de Principibus Regis; mandavit per eos Regi: se summa necessitate constrictum velle, per licentiam ipsius, Romam ire. Ad quod ille stupefactus; nequaquam ait: Nec enim illum alicui tali peccato obnoxium credimus: ut necesse habeat inde singularem Apostolici absolutionem petere: nec ita cujuslibet consilii expertem: ut non magis illum sciamus Apostolico, quàm Apostolicum sibi, in dando consilio, posse succurrere. Relata sunt Anselmo hæc, & respondit. Potestas in manu sua est; dicit quod sibi placet. At si modo non vult concedere, concedet forsitan alia vice. Ego preces multiplicabo. His pro licentia dictis; statim omnis commentatio implacitandi Anselmum, compressa, omissa est. & nos immunes ab illa querela, Curia discessimus. Insequente autem mense Augusto, cum de statu regni acturus Rex, Episcopos, Abbates, & quosque regni Proceres, in unum, præcepti sui sanctione, egisset; & dispositis his quæ adunationis eorum causa fuerant: dum quisque in sua repedare fategisset: Anselmus cœptæ petitionis suæ non immemor; rogavit Regem, quatenus quæsitam jam olim licentiam, vel tunc, repetitis precibus, non negaret: sed secundò negat, sicut primo negarat.

Romam cupit proficisci.

Rex negat.

Urget petitionem.

XVI.

*Postea conventu soluto, in mense Octobri, * Wintoniæ ad Regem ex condicto venimus. Instantius itaque, tam per se, quàm per alios Regem Pontifex orat; quatenus bono animo sibi concedat, quod se jam tertio postulare necessitas sua cogebat. Hinc ille tædio affectus, iraq; permotus, ait: Conturbat me, & intelligentem non concedendum fore quod postulat, sua graviter importunitate fatigat. Quapropter jubeo,*

* Wintoniam melius.

Iterum petit.

RURSUM NEGAT REX, MINATUS, SE INVASURUM ILLIUS ARCHIEPISCOPATUM, SI DISCEDAT.

ut amplius ab hujusmodi precibus cesset: & qui me jam sæpè vexavit, prout judicabitur, mihi emendet. Ad hæc ille: *Paratum me potiùs sciat ratione ostendere, quod justa peto: & quod ipse mihi in his non debeat justè contradicere.* Respondit: *Rationes suas non admitto. Sed si iverit, pro certo noverit, quod totum Archiepiscopatum in dominium meum redigam: nec illum pro Archiepiscopo ultra recipiam.* Orta est igitur ex his quædam magna tempestas, diversis diversa parti acclamantibus. Quamobrem quidam permoti suaserunt in crastinum rem differri: sperantes eam, alio modo sedari. Assensum est utrinque in istis: & divisi hospitium iniimus. Mane autem regressi, cum in loco apto sedissemus: ecce quidam Episcopi, cum nonnullis Principibus, ad Anselmum venientes, sciscitati sunt, quid secum ab heri, de causâ tractaverit. Dixit: *non eam concessi causam de qua agitis hesterno induciari; quasi ignoraverim quid hodie inde responsurus fuerim:*

EPISCOPI DISSUADERE NITUNTUR.

sed ne viderer cassum meo sensui credere; ut nec unâ nocte, ad sui discussionem, dignarer aliorum consilio cedere. Nunc ergo sciatur, quod in sententiâ quâ fui, sum. & ideo precor Dominum meum, quatenus bonâ mente, & alacri vultu, ut eum decet; mihi licentiam, quam postulo, det: indubitanter sciens, quod causa mea salutis, causa sanctæ Christianitatis: & verè causa sui honoris, ac profectus, si credere velis, ire dispono. Dixerunt: *si alia quæ dicas habes, profer. De licentiâ nempe supervacuè loqueris, non dabit.* Si dare, ait, non vult. *Ego utique illam super me accipiam quod scriptum est: Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus.*

XVII. WALKELINI ORATIO AD ANSELMUM.

Ad hæc Walchelinus Wentanus Episcopus, aspiciens in eum dixit: *Et quidem Dominus meus Rex, & Proceres sui, credunt te esse hujusmodi moris, ut non facile ab his, quæ certò inceperis, movearis. Verum in hoc scilicet, ut spreto tanti Pontificatus honore simul, & utilitate, Romam petas; non leve est credere, quod stabilis maneas.* At ille sciens animum viri, vivido vultu, intentis in eum oculis respondit: *Verè stabilis.* Quo dicto, ad Regem reversi, quæ audierant, retulerunt. Rege igitur consilia sua protelante; & summo Pontifice cum suis sedente; occurrit animo: Episcopos æquius esse debere, in suo, quod erat Dei, quàm in consilio Regis terreni. Mittens ergo præcepit eos venire ad se. Erant autem hi Walchelinus Episcopus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Osmundus Serberiensis, Ioannes Bathoniensis. Qui cum dexterâ lævaque illius jussi consedissent, ait illis: *Fratres, ideo feci vos venire ad me, quod vestri officii est, ea quæ Dei sunt, præ cæteris tractare, disponere; servare. Episcopi enim estis; Prælati in Ecclesiâ Dei estis.*

REX CONVOCATOS EPISCOPOS ALLOQUITUR IRATUS HUIC ANSELMI PETITIONI.

Si ergo ita fideliter, & districtè vultis in meâ parte considerare, atque tueri rectitudinem, & justitiam Dei; sicut in parte alterius, perpenditis atque tuemini jura, & usus, mortalis hominis: hocque mihi promittitis; exponam vobis sicut fidelibus, & filiis Dei, quo tendat hæc mei præsentis consilii summa: & audiam sequarque consilium, quod mihi inde vestra fida Deo industria dabit. Dixere: *Loquemur, si placet, ad invicem, & communem consensum referemus ad te.* Surgentes itaque in partem sese tulerunt: & habitis inter se nonnullis verbis, miserunt Wentanum Pontificem, & Episcopum Lincolinum, ad Regem, percunctari de negocio, voluntatem & jussum illius. Edocti ergo propter quæ missi erant, ad socios reversi docuerunt eos, quæ didicerant.

XVIII. EPISCOPORUM INGENUA, SED PRAVA CONFESSIO.

Quid plura? placuit eis in commune sequi voluntatem hominis terreni. Ilicoque reversi, unà ad Anselmum, dixerunt ei. *Domine Pater, scimus te virum religiosum esse ac sanctum, & in cælis conversationem tuam. Nos autem impediti consanguineis nostris quos sustentamus, & multiplicibus sæculi rebus, quas amamus, fatemur ad sublimitatem vitæ tuæ surgere nequimus; nec huic mundo tecum illudere. Sed si volueris ad nos usque descendere, & quâ incedimus viâ, nobiscum pergere: nos tibi, sicut nobis ipsis consulemus; & negotiis tuis, quæcumque fuerint, sicut nostris, opem feremus. Si verò tu ad Deum solummodo, quemadmodum cœpisti tenere delegeris; solus, quantum nostra interest, in hoc ut hactenus fuisti, & amodo eris; Nos fidelitatem, quam Regi debemus, non excedemus.* At ille ait: *Benè, dixistis: Ite ergo ad Dominum vestrum: Ego me tenebo ad Deum.* Fecerunt, ut dixerat; & remansit Anselmus, quasi solus. Factâ deinde aliquantulâ morâ; & unoquoque nostrum, qui admodum pauci cum eo remansimus, ad imperium illius singulatim sedente: & Deum pro digestione ipsius negotii interpellante; veniunt prædicti Episcopi, cum aliquibus Baronibus regni, inferentes viro Dei hæc.

XIX. OPTIO DATUR ANSELMO VEL NON APPELLANDI ROMAM: VEL REGNO CEDENDI.

Mandat tibi Rex, quòd sæpe diversis eum querelis exagitasti, exacerbasti, cruciasti. Verùm cum tandem post placitum, quod totius regni adunatione contra te apud Rochingam habitum est, cum tibi sicut Dominum tuum reconciliari sapienter peteres: & adjutus meritis, & precibus plurimorum, pro eo studiosè intervenientium, petitionis tuæ effectum obtineres: pollicitus es ipsi, te usus ac leges suas usquequaque deinceps servaturum: & eas sibi contra omnes homines fideliter defensurum. Quibus * credulus factus, sperabat se de cætero, quietum fore. *Sed hanc pollicitationem, hanc fidem, en tu patenter egrederis: dum Romam non expectatâ licentiâ ejus, te iturum minaris. Inauditum quippe in regno suo est, & usibus ejus omnino contrarium; quemlibet de suis principibus, & præcipuè te, quid tale præsumere. Ne igitur in hujuscemodi re ultra, vel à te, vel à quovis alio, te forsan cum in aliquo læsus fuerit, imitari volente, fatigetur: vult & jubet; quatenus, aut jurejurando promittas, quòd nunquam amplius Sedem Sancti Petri, vel ejus Vicarium; pro quavis, quæ tibi queat ingeri, causâ, appelles: aut sub omni celeritate de terrâ suâ recedas. Et si mavis interposito hoc Sacramento remanere, quàm recedere: tunc te ad judicium Curiæ suæ præcepit sibi emendare: quod de re, in quâ non eras certus, te perseveraturum; ausus fuisti eum toties inquietare.* Dixerunt, & ad Regem protinus reversi sunt.

* opem omisi.

XX. ANSELMUS QUOMODO PROMISERIT REGNI CONSUETUDINES OBSERVARE.

Tunc Anselmus, cum suis pauca loquutus, surrexit. Atque ad Regem nobis eum prosequentibus ingressus; dextram illius ex more assedit. Deinde mandatis quæ à nuntiis acceperat, in audientiâ ejus singulatim recapitulatis: percunctatus est; utrumnam a facie ipsius, eo quo sibi dicta fuerant modo, verè processerint. Et audito, reverâ processisse; ilico quid inde sentiret, tali submissâ voce dicens. *Quod dicis, me tibi promisisse, usus & consuetudines tuas servaturum: & eas contra omnes homines tecum fideliter defensurum: fateor verum esse. Cognosceretis si eo illas pacto distinguendo proferres; quo tunc temporis, quando promissio ipsa, de qua agis, facta est, eas fuisse distinctas indubitanter recordor. Scio quippe me spopondisse consuetudines tuas, ipsas videlicet quas per rectitudinem, & secundum Deum, in regno tuo possides; me secundum Deum servaturum: & eas per justitiam contra omnes homines pro meo posse defensurum.* In his verbis, cum Rex & Principes sui, cæcâ mente objicerent; ac jurisjurandi interjectione firmarent, Nec Dei, nec rectitudinis, in ipsâ sponsione, ullam mentionem

factam

factam fuisse: rupit voces eorum Anselmus, & ait: Papæ! si nec Dei, nec rectitudinis mentio, ut dicitis, facta est: cujus tunc? Absit ab omni Christiano, absit, leges vel consuetudines tenere, aut tueri, quæ Deo & rectitudini contraria esse noscuntur. Cum ad hæc illi summurmurantes, contra virum capita moverent; nec tamen quid certi vivâ voce proferrent: ad ea quæ cœperat subinferens pater ait.

XXI. ANSELMI CONSTANTIA.

Sed quid asseris consuetudinis tuæ non esse; ut ego causâ salutis animæ meæ, causâ regiminis Ecclesiæ Dei, quod suscepi, Beatum Petrum requiram, & ejus Vicarium? Pronuntio hanc consuetudinem Deo, & rectitudini contrariæ: & propterea ab omni servo Dei spernendam profiteor, ac refutandam. Quod si per ista quæ dico, quisquam probaturum se dixerit, me fidem quam tibi debeo, non servare; paratum sicut, & ubi debeo, ad demonstrandum inveniet; magis in hoc me tibi esse fidelem, quam si secus agerem. At nunc ad hoc ostendendum non intendo. Scitur tamen quod omnis fides, quæ cuivis homini legaliter promittitur, ex fide Dei roboratur. Sic enim spondet homo homini. Per fidem quam debeo Deo, fidelis tibi ero. Cum ergo fides, quæ fit homini; per fidem Dei roboretur: liquet quod eadem fides, si quando contraria fidei Dei admittit, enervetur. Sed disputatio rei hujus, non est temporis hujus. Itaque Fides, quam debeo Deo, & servitium ejus; cogunt me ad Caput Christianitatis Papam accedere: & ab eo pernecessarium Ecclesiæ Dei, & mihi consilium petere; nec videtur, quod aliquis Deum offendere timens; hoc debeat prohibere. Nec enim tu Rex æquanimiter ferres, si quilibet de hominibus tuis, potens ac dives, ullum suorum fidelitati servitíq; tuo intendentem, præpediret; ac præpeditum minis & terroribus ab exequendâ utilitate tuâ prohiberet: verum debita in eum ultione, violata, quam tibi debebat, fidei reatum punires. Tunc Rex, & Comes de Mellento, Robertus nomine, interrumpentes verba ejus. O, O, dixerunt, prædicatio est, quod dicit: prædicatio est: non res de qua agitur, ulla quæ recipienda sit à prudentibus ratio. Quibus cum quique Procerum acclamarent, & os Patri suis vocibus oppilare laborarent: ipse inter ora perstrepentium, demisso vultu, mitis sedebat; & clamores eorum, quasi surda aure despiciebat. Fatigatis autem eis à proprio strepitu, sedatoq; tumultu; Anselmus ad verba sua remeat dicens.

XXII. ANSELMI RESPONSUM PIETATE PLENUM ET ORTHODOXUM.

Ad ea quæ jubes; ut, quo securus de me possis amodo esse, jurem tibi, quod nunquam amplius, pro qualibet causâ, Beatum Petrum, vel ejus Vicarium in Angliâ appellem: dico hujusmodi jussionem tuam, qui Christianus es, omnimodis esse non debere. Hoc enim jurare, Beatum Petrum est abjurare. Qui autem Beatum Petrum abjurat; Christum, qui eum super Ecclesiam suam Principem fecit, indubitanter abjurat. Cum igitur propter te (ô Rex) Christum negavero: fateor, peccatum quod in requirendâ licentiâ admisi, judicio Curiæ tuæ non segnis emendabo. His verbis, præfatus Comes indignando subjungens, ait: Eia, Eia; Petro, & Papæ te præsentabis: & nos equidem non transibis, quod scimus. Cui Pater respondit: Deus quidem novit, quod vobis manebit: & mihi ad Apostolorum suorum limina properanti; si sibi placet auxiliari, valebit. Post hæc surrexit. atque ad locum unde exieramus reversos, e vestigio nuntii Regis subsecuti; intulerunt viro hæc. Ecce ibis: veruntamen scias, Dominum nostrum pati nolle, te exeuntem, quicquam de suis secum ferre. At ille: equitaturas habeo, vestes quoque, & supellectilem: quæ fortassis dicet aliquis esse de suo. Hæc si non permiserit, ut mecum habeam;

DATUR EI ABEUNDI LICENTIA.

noverit quòd potiùs pedes, ac nudus abibo, quàm cœpto desistam.

XXIII.

In his Princeps, pudore suffusus; dictum suum non ita intellexisse se respondit. Nec enim dixi, ait; ut nudus aut pedes abires. Attamen die, qui erit undecimus ab isto, jubeo ut mare transiturus ad portum sit: & ibi nuntius meus, ipsi obvius erit, qui dictabit ei quid ex permissu meo, ille vel sui, discedentes secum ferant. Hic tali modo digestis, volebamus statim ad hospitium secedere. Sed Anselmus doctus in patientiâ possidere animam suam; jocundo, & hilari vultu, ad Regem revertitur, dicens ei: Domine ego vado. Quod si bono animo vestro fieri vobis placeret: utique & vos magis deceret, & omni bono homini acceptius esset. At tunc rem in contrarium lapsam; licet moleste quantum ad vos; quod tamen meâ refert, æquanimiter pro posse feram. nec ob hoc me ab amore animæ vestræ salutis, miserante Domino, auferam. Nunc igitur ignorans, quando vos iterum visurus sim; Deo vos commendo: & sicut spiritualis Pater dilecto filio; sicut Archiepiscopus Cantuariensis, Regi Angliæ, vobis Dei, & meam benedictionem, antequam abeam, si eam non abjicitis, tribuere volo. Tunc Rex: Benedictionem, ait, tuam non abjicio. Mox ille surgens, levatâ dextrâ, signum sanctæ Crucis, super Regem, ad hoc caput humiliantem, edidit: & abscessit: viri ala ritatem, Rege, cum suis admirante. Anno ab Incarnatione Filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc, feriâ quintâ, quæ fuit Idus Octobris.

XXIV. TEMPORIS RATIO EXCOTITUR.

Hic sisto, & nodum ostendo, impeditum valde, in annorum calculo. Si annus rerum supra gestarum consignari debeat millesimus nonagesimus septimus: ut postrema Edmeri verba significant. Cum enim omnium Scriptorum suffragio constet, hæc contigisse, antequam Anselmus Romam profectus, Barensi Concilio interfuit: & Concilium illud ad Calendas Octobris anni millesimi nonagesimi septimi indictum, habitumque sit: consequens est: Anselmum hæc à Rege passum, anno priore. Quamobrem postrema Edmeri verba, Edmero assuta videntur, & Edmeri narrationi contraria. Qui cum supra tertium Pontificatus Anselmi annum expressisset: ab ejusdem anni rebus gestis, digressus non videtur: sed gesta singula suis ferè mensibus assignasse: Regis è Normanniâ reditum: Anselmi cum Rege colloquium in Pentecoste: utriusque congressum mense Augusto; Wintoniensem conventum in Octobri: denique Anselmi discessum, ex Angliâ in Decembri, ut statim: quæ omnia, unius anni epocha; si ad tertium Anselmi Pontificatus referantur, ut ea Edmerus refert, ad hunc, non ad sequentem consignari debent, etiam è mente Edmeri. Adde Malmesburiensis, qui religiosè Edmerum sequitur, & sæpè ejus verba, sententiasque recitat: nihil hoc loco de annorum numero: nihil de feriâ quintâ, aut idibus Octobris habet: nec commodè dici potest. plurima tunc acta, unius feriæ angustiis inclusa. Huntindonius etiam de decimo Guilielmi Regis anno scribens ita loquitur. *Iunior Willielmus anno decimo regni sui, cum Normanniam, quam à Roberto fratre suo ad Ierusalem profecto, in vadimonium acceperat, pro libitu suo disposuisset, rediit ad vigiliam Paschæ in Angliam; appulit apud Arundel. cum autem festivè diadematus esset, ad Pentecosten apud Windlesores: postea cum magno exercitu pergens in Walliam, sæpè multas Wallensium turmas prostravit: sæpè multos suorum angustiis locorum amisit. Videns igitur* Huntind. l. 7. fo 377.

eos plus inexpugnabiles situ terra, quam viribus, & armis; fecit parare castella juxta fines VVallia, & rediit in Angliam. Anselmus verò Archiepiscopus recessit ab Angliâ; quia nihil recti Rex pravus, in regno suo fieri permittebat. Sed provincias intolerabiliter vexavit in tributis, que nunquam cessabant, in opere muri, circa turrim Londoniae in opere aulæ Regalis, apud VVestminster; in rapinâ, quam familia sua hostili modo, ubicumque Rex pergebat, exercebant.

XXV. Accedit his omnibus Baronii authoritas, qui accuratè tempora annosque dimetiens; cum sequenti anno Anselmum Barensi Concilio sistit: ait. Hæc omnia, quæ de Anselmo diximus, superiori anno contigisse: nimirum hoc anno millesimo nonagesimo sexto. Ejus igitur sententiâ tutus, Anselmum è Regis Curiâ, Cantuariam; inde in Morinos, hoc anno deducemus; sequenti Romam, ad Urbanum Papam: Inde in Apuliam, Barium usque comitabimur: Edmero duce, qui cum reverà comitatus, ita pergit, consequenter ad superiora. *Venit dehinc Cantuariam Anselmus, ubi Sedes Pontificalis; ubi totius Regni Caput est, atque Primatus. Posterâ die, allocutis, & pro instanti negotio magnoptre consolatis filiis suis: astante Monachorum, Clericorum, ac numerosâ populorum multitudine; peram & baculum, peregrinantium more, coram altari suscepit: commendatisq; omnibus Christo, ingenti fletu, & ejulatu prosecutus, egressus est. Ipso die ad portum Dofris ivimus: ibique Clericum quendam, VVillielmum nomine, à Rege, ex condicto, ut diximus, directum, reperimus. Detenti autem ibi sumus quindecim diebus, vento nobis transitum prohibente. In quâ morâ, idem VVillielmus, cum Patre intrans, & exiens, & in mensâ illius quotidie comedens: nihil de causâ, pro quâ missus fuerat, agere volebat. Die verò quinto-decimo, cum nos nautæ urgerent, naves petere: & nos transire avidi ad hoc fatigaremur: ecce videres rem miserandam, Patrem patriæ, Primatem totius Britanniæ, VVillielmus ille, quasi fugitivum, vel alicujus immanis sceleris reum, in litore detinuit: ac ne mare transeat, ex parte Domini sui jubet; donec omnia quæ secum ferebat, sibi singulatim revelet. Allata igitur ante illum bulgia, & mantice reserata sunt: & tota supellex illius, spe pecuniæ reperiendæ, subversa, & exquisita est; ingenti plebis multitudine circumstante; ac nefarium opus, pro sui novitate, admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergo eversis: sed nihil eorum, quorum causa versa sunt, in eis reperto: delusa sollicitudo perscrutantis est: & Anselmus, cum suis, abire permissus. Itaque navem ingredimur, ventis vela panduntur; & post modicum ortâ aliquantâ difficultate; sed eâ respectu clementia Dei, in brevi sedatâ; prosperrimè marinos fluctus evecti, VVitsandis, pro voto appulimus.*

V. Baron. an. 1097. n. 2.

ANSELMUS PEREGRINO MORE, EX ANGLIA SOLVIT.

Edmer. l. 2. fo. 41.

REX CURAVIT, UT OMNIA ILLIUS SCRUTARENTUR, IAM SOLUTURI.

XXVI. Tacet Edmerus navigationis difficultatem: eam Malmesburiensis ita explicat: *Solutas naves, notus provexit in salum: primò quidem segniter: adeo ut retorto flamine, retrò viderentur Angliam annare. Quod cum præ dolore cordis, siccis oculis nequiret Pater videre: elevatis in altum manibus, auxilium cælo detraxit. Venti cum placatis animis constraverunt æquora: & versus Flandriam intenderunt carbasa. Ita naves flatu secundo, sulcantes mare, non multo post VVitsandum appulere.* Ita ille. Est Witsand, Morinorum portus ex Angliâ trajicientibus in Belgium opportunus: ab albescente sabulo nomen sortitus: & altera Itii promontorii cuspis censetur. nam alia, quæ Calesium dicitur; licet Britanniæ proximior portus sit: Bononiensium tamen Comitum potentia, juribus, & exactionibus obnoxius, non adeo liberum navigantibus aditum præbebat. Vix Angliâ Anselmus excesserat; cum impiè in Cantuariensem Ecclesiam Guilielmus Rex grassatur, de quo Edmerus: *Rex autem VVillielmus, ubi audivit Anselmum transfretasse, confestim præcepit cuncta, quæ illius juris fuerant; in suum transcribi dominium; & irrita fieri omnia, quæ per ipsum mutata, vel statuta fuisse, probari poterant; ex quo primo venerat ad Archiepiscopatum. Desævit igitur quandoque per Episcopatum tam sæva tempestas; ut tribulationes quæ factæ sunt in illo, post mortem venerandæ memoriæ Lanfranci; ante introitum Patris Anselmi; parva pensa sint comparatione tribulationum, quæ factæ sunt his diebus.*

Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 222.

REX IN CANTUARIEN. ECCLESIAM IMPIE GRASSATUR.

Edmer. l. 2. fo. 41.

XXVII. *Nos igitur mane à VVitsandis discedentes, & post dies ad Sanctum Bertinum venientes; magna plebis alacritate, ac Monachorum veneratione suscepti, quinque inibi dies morati sumus. Interea rogatus Anselmus, à Canonicis Sancti Audomari, Ecclesiam suam visitare: ibique altare quod in honorem Sancti Laurentii Martyris fecerant, dedicare; adquievit ille precibus eorum: ministerioq; decenter expleto; pransus, Abbatiam repetiit: objiciens Clericis secum illum remorari petentibus; Domini dictum; quod discipulos suos jubet, de domo in domum non transire.* Ita ille. Ego addo causam cur ad S. Bertini potiùs, quàm ad S. Audomari, domum elegerit. nimirum fuisse Cantuarienses inter & Bertinianos Monachos animorum conjunctionem. de qua antiquum M. S. Ecclesiæ Cantuarien. apud Reynerum tract. 2. fo. 36. *Hæc est societas inter nos (Cantuariensium.) & Ecclesiam S. Bertini percussâ tabulâ, prenuntiatoq; obitu defunctorum fiet officium in Conventu, & Missa. Præterea tricenarius Missarum fiet cum prebendâ, & nomina eorum in Martyrologio, & Breviariis scribentur. Et si aliquando eis placuerit moram nobiscum facere, de licentia Abbatis sui, sicut uni ex nobis fiet eis, & similibus nobis cum eis commorantibus.* nunc pergat Edmerus. *Post hæc nobis cœptum iter accelerantibus: fama viri multò celerius præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, Monachorum exercitus, ei quocumque veniebat, occurrunt: isti gaudio, & exultatione concrepantes; illi vexillis, & sonoris concentibus, Deo pro illius adventu conjubilantes. Verùm sicut quidam ad venerationem, & ministerium ejus, omni studio parabantur; ita quidam è diverso, alio spiritu acti; eum capere, eum rebus suis spoliare moliebantur. Sed ubi adest divina protectio, quid valet humana molitio.*

ANSELMUS CONSECRAT ALTARE APUD SANCTI AUDOMARI.

XXVIII. *Transitâ Franciâ, Burgundiam intravimus. Percussæ autem fuerant aures ducis illius terræ, divite famâ Archiepiscopi Cantuariensis; per terram suam transire volentis. Unde succensus amore pecuniæ, quam copiosam illum ferre, rumor disperserat: proponit animo eam ipsi auferre. Quadam igitur die, cum in itinere essemus: & refrigerandi gratiâ à viâ paulisper declinassemus: Ecce Dux idem, armatâ militum manu stipatus, in equis ocior advolat: & clamore valido; quis, & ubi esset Archiepiscopus, interrogat. Quem sibi designatum, mox equo sedentem, cum torvo fuisset aspectu intuitus: subito pudore percussus; demisso vultu erubuit: & quid diceret, non invenit. Cui Pater: Domine, ait, Dux, si placet, osculabor te. Et ille; osculari, & servire tibi, paratus sum: ac de adventu tuo, in Deo gratiosus exulto. Dato igitur osculo pacis, dicit ad illum Pater. Causâ religionis Christianæ, vir venerande, Angliam exivi; & miserante Deo,*

DUX BURGUNDIÆ ANSELMO MOLITUS INSIDIAS RESIPISCIT.

Romam

Romam ire disposui. nunc autem videns te, lætor & gaudeo: tum quia cognitionem & amicitiam tuam; tum quia securitatem & pacem, in terrâ tuâ, me & meos deinceps per te habere desidero. Respondit: Et quidem, quod dicis multum amo & volo: meque tuis orationibus benedictioniq; committo. Quibus dictis, præcepit cuidam qui de suis sibi potentior aderat: quatenus virum per terram suam conduceret: eiq; ubi opus haberet, non secùs, quàm sibi ipsi ministraret. Discedens itaque, odium Dei omnipotentis, omnibus imprecatus est; qui se ad insequendum hominem Dei concitaverant. Nec enim hominis, sed vultus, ait, Angeli Dei fulget in eo. Unde sciant omnes, qui ei scienter infesti sunt; quòd maledicti à Deo sunt. Nos hinc Deo, pro suâ misericordiâ debitas ex corde gratias agentes, itinere cœpto perreximus.

XXIX. Anselmus Cluniacum venit, inde Lugdunum. *Venimus verò Cluniacum, tertio die ante Nativitatem Domini: ibique à toto illius Monasterii Monachorum agmine, summâ cum veneratione, Pater suscipitur. & cuncta loci ipsius gaudio lætitiaq; replentur. Quid deinde? Donec ibi fuit, ut paucis dicam, singulari præ omnibus id loci venientibus, reverentiâ habitus est. Mittit interea nuntium; qui suum Venerabili Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi notificet adventum. Erat quippe idem vir Anselmo, jam ex multis præcedentibus annis notus: & sanctæ dilectionis illius igne succensus; magno videndi eum desiderio fatigabatur. Quem etiam Anselmus in tantum diligebat: ejusq; prudentiam, atque consilii authoritatem tanti pendebat; ut statuerit apud se summam negotii sui considerationi & dispositioni ejus, necne Reverendi Hugonis Cluniacensis Abbatis, ex integro commendare. Hic itaque Pontifex, audito Anselmum suis finibus accessisse, oppido lætatus est: & dirigens ad eum, quos familiariores, ac digniores circa se habebat: quatenus Ecclesiam suam, seq; ipsum, sine morâ dignaretur invisere; obnixè deprecatus est. Mandavit insuper Episcopo Matisconensi, ut viro, decenti honore occurreret, & officiosissime deserviret. Quod ipse diligenter executus est. Ubi verò Lugdunum venimus: quâ veneratione ab ipso summo Pontifice, & suis omnibus, suscepti sumus; & enarrare difficile, & dictu fortassis est incredibile. Quò cum demoraremur; didicit Anselmus, ex his quæ fama ferebat; non multum suæ causæ profuturum, si ipse in ulteriora procederet. Imbecillitas quoque sui corporis residuæ viæ laborem perhorrebat: & insidiæ, quæ ab indigenis illarum regionum, eâ tempestate commeantibus; & maximè religiosi ordinis viris struebantur; eum nonnihil retardabant. Itaque Lugduni resedit, cunctis valde acceptus, & honorabilis.* Hæc Edmerus.

XXX. Guibertæ factio insidiarum causa in Regulares præsertim. Insidiæ, quarum hic mentio, quæ religiosis potissimum struebantur, Guiberti factionis erant. Cui regulares passim omnes adversi, Urbano legitimo Pontifici adhærebant. Unde Anselmo, cujus eruditio, & sanctitas illustrissima, timendum meritò fuit: quia plurimos, exemplo suo, ad Urbani partes traxerat. Eo igitur Lugduni relicto, in Angliam revertamur, miseram Insulæ faciem contemplantes. Ubi pastore remoto; & Rufo, ceu lupo omnia depascente; divina humanaque jura fœdantur. Ecclesia ad injuriam inermis & prima fuit, & Regiæ cupiditati maximè obnoxia; cùm Robertum Normanniæ ducem ad Jerosolymitanam expeditionem armare debuit. Tunc enim, *importabilis pensionis edictum* (sunt verba Malmesburiensis) *per totam Angliam cucurrit. Tunc Episcopi, & Abbates frequentes Curiam adeunt; super violentiâ querimoniam facientes;* [Malmesb. de Reg. l. 4. fo. 124.] *non se posse ad tantum vectigal sufficere; nisi miseros agricolas omninò effugarent. Quibus Curiales turbido, ut solebant, vultu; non habetis, inquiunt, scrinia auro & argento composita, ossibus mortuorum plena? nullo alio responso obsecrantes dignati. Ita illi intelligentes, quò responsio tenderet; capsas Sanctorum nudaverunt: crucifixos despoliaverunt, calices conflarunt: non in usum pauperum; sed in fiscum regium. Quicquid enim penè; sancta servavit avorum parcitas; illorum grassatorum absumpsit aviditas.* Ita Rex, Regisque, & aulæ mancipia, Ecclesiam, & sancta tractaverunt. Nec mitiùs cum laicis, & Proceribus actum, hoc anno præsertim: ut omnium bona Regis fisco servirent. Crudelitatis ejus argumenta in hunc modum prosequitur Author qui suprà.

Nihilo seciùs in homines grassabantur: primò pecuniam, deinde terras auferentes. Non pauperem, tenuitas; non opulentum copia tuebatur. Venationes, quas primo Rex indulserat; adeo prohibuit; ut capitale esset supplicium prendisse cervum. Quapropter multâ severitate, quam nulla condiebat dulcedo, factum est, ut sæpè contra ejus salutem, à Ducibus conjuraretur. Quorum unus Robertus de Mowbraye Comes Humbrenensium; ortâ inter eum, & Regem non modicâ controversiâ verborum; in provinciam jure suo abiit, ingentia contra Dominum suum molimina conaturus. Sed subsequente illo captus, & æternis vinculis irretitus est. Alter Willelmus de Hou (Aucensem Comitem suprà vocavi) proditionis apud Regem accusatus; delatoremq; ad duellum provocans, dum se segniter expurgat; cæcatus, & extesticulatus est. Plures illa delatio involvit innocentes, & probos viros. Ex his fuit Willielmus de Alderia, speciosa personâ homo, & compater Regis. Is patibulo affigi jussus, Osmundo Episcopo Salesberiæ confessus; & per omnes Ecclesias oppidi flagellatus est. Itaque dispersis ad inopes vestibus, ad suspendium nudus ibat, delicatam carnem frequentibus super lapides genuflexionibus cruentans. Episcopo, & populo sequente ad locum supplicii, ita satisfecit. Sic Deus, inquit, adjuvet animam meam & à malis eruat: ut de hac re, quâ accusor, immunis sum. Et quidem sententia de me prolata non revocabitur: sed volo omnes homines innocentiæ meæ esse conscios. Tunc dictâ commendatione animæ, & aspersâ aquâ benedictâ, Episcopus discessit. Ille appensus est, admirando fortitudinis spectaculo: ut nec moriturus, gemitum; nec moriens produceret suspirium.

Moritur hoc anno Willielmus, Dunelmensis Episcopus, cum ab * anno millesimo octogesimo Ecclesiæ illi præfuisset: vir primis temporibus, quàm postremis melior. Nimius in Anselmi causâ, & Regi adblanditus, & Episcopo adversarius: ratus eo modo Regis gratiam, quâ exciderat, recuperari posse; & se, amoto Anselmo, ejus Sede potiturum. Sed maledictus homo, qui ponit carnem brachium suum. unde spe frustratus, *utroque excidit*; inquit Malmesburiensis, & sequitur: *nam non multò post, orto inter ipsum & Regem dissidio; ægritudinem apud Glocestriam incurrit. Ibi tunc erat curia: & jussus est Episcopus exhiberi, ut causam suam defensaret: Cui cum responsum esset, infirmitate detineri, quò minùs veniret: Per vultum de Luca fingit se, inquit. Enimvero ille, verâ valetudine correptus, morti appropinquabat. Cumque confidentes Episcopi judicassent, ut in Ecclesia Dunelmi, quam ipse magnificè inchoaverat, sepeliretur: resumptis viribus, has verba spiravit: Non*

XXXI. *Idem suprà*

Guilielmus de Alderia innocenter damnatus.

XXXII. Moritur Dunelmensis Episcopus.

* V. an. 1080. n. 11.

Malmesb. de Pontif. l. 3 fo. 279.

placeat Deo, ut pro me mutetur, vel minuatur Domini mei, Sancti Cuthberti reverentia: pro cujus honore, nullus unquam antecessorum meorum, in Ecclesiâ humatus est. Sed in Capitulo me ponite. Defunctus ergo, Dunelmumq; delatus; pulchrum sua industria monumentum apud Monachos habet: quod & eos congregaverit: & tam libris, quam cæteris ornamentis, Ecclesiam decoraverit. Quin & Priorem loci, hoc insigni extulerit: ut in toto Episcopatu Decanus, & Vice-dominus esset. Quis mortuo successerit, dicam infrà. Colcestriæ hoc anno Monasterium extruxit Eudo, & S. Benedicti Monachis dedit, qui Christo & S. Joanni Baptistæ militarent.

ANNUS CHRISTI 1097.

URBANI II. PAPÆ 10.

GUILIELMI II. REGIS 11.

I. AGEBAT Anselmus in Galliâ, & Lugdunensi provinciâ, sub initium anni millesimi nonagesimi septimi. nec porrò in urbem pergere, hiemis asperitas, viarum pericula, & senectutis incommoda, permiserunt. Ne tamen incassum venisse, aut temporis jacturam facere videretur: literas dictat Romano Pontifici Urbano, quibus consilium profectionis ex Angliâ; moræque quam Lugduni facit; exponit. Periissent hæ literæ, nisi illas Edmerus in Historiâ Novorum revelasset: nam Theophilus Raynaudus, qui tres Epistolarum Anselmi libros collegit, atque digessit, hanc Epistolam omisit: quam Edmerus recitans ita præfatur. *(Edmer. l. 2. fo 42.) Scriptam dehinc Epistolam unam Sedis Apostolicæ Præsuli destinavit: in quâ, quid illi, de his, quæ acciderant suggesserit: quoque animi sui desiderium intenderit; tenor ipsius Epistolæ, quam subscribimus, designabit.*

Domino Patri, cum amore Reverendo; & cum reverentia amando Summo Pontifici URBANO ANSELMUS servus Ecclesiæ Cantuariæ, debitam subjectionem, & orationum devotionem.

II. Anselmi Literæ ad Urbanum Papam. Dat rationem, cur non potuerit venire ad illum.

„ NOVIMUS, Domine Reverende, & Pater diligende, quòd Dominus noster JESUS CHRISTUS sublimavit sanctitatem vestram, in Ecclesiâ suâ, ad consulendum, & subveniendum his, qui ad supernæ patriæ requiem anhelantes, in hujus sæculi exilio, diversis fatigantur tribulationibus. Hac igitur spe, & consideratione; Ego humilis servus vester, in angustiis cordis mei, ad sinum paternæ, & Apostolicæ pietatis vestræ, per exhibitionem præsentiæ meæ, confugere disposui: sed hoc usque facere non possum, sicut desidero. Cur autem non possim, per præsentium latorem cognoscetis. Quoniam ergo, per memetipsum, præsentiam vestram, secundùm desiderium meum adire nequeo: per literas, ut possum, clementiæ vestræ angustias meas insinuo: quatenus ejus consolatione, eædem angustiæ mitigentur; & anima mea desideratam tranquillitatem, per affectum vestræ compassionis, se adipisci gratuletur. Tanta enim est cordis mei tribulatio: ut nec verbis, nec litteris sufficiam illam exprimere: sed oro Deum; qui novit occulta; ut eam vos intelligere faciat: & per viscera misericordiæ suæ, viscera vestra, ad ejus miserationem, secundùm desiderium, & necessitatem meam commoveat. De hac tamen mea necessitate, & meo desiderio, aliqua aperio, per quæ vestram prudentiam posse intelligere, quid mihi expediat; non dubito. Notum est multis, mi Pater pie, quâ violentiâ, & quàm invitus, & quàm contradicens captus sim, & detentus ad Episcopatum, in Angliâ: & quomodo obtenderim repugnantiam ad hujusmodi officium, naturæ, ætatis, imbecillitatis, & ignorantiæ meæ; quæ omnino omnes sæculi actiones fugiunt, & inconsolabiliter execrantur; ut nullatenus illas tolerare possim, cum salute animæ meæ. In quo Archiepiscopatu, jam per annos quatuor manens; nullum fructum feci: sed in immensis, & execrabilibus tribulationibus animæ meæ, inutiliter vixi; ut quotidie magis desiderem mori, extra Angliam; quàm ibi vivere. Nam si ita vitam præsentem sicuti eram, ibi finirem: plùs videbam animæ meæ damnationem, quàm salutem.

„ Videbam enim multa mala, in terrâ illâ, quæ nec tolerare debebam; nec Episcopali libertate corrigere poteram. Ipse quoque Rex faciebat quædam, quæ facienda non videbantur, de Ecclesiis; quas post obitum Prælatorum, aliter quàm oporteret, tractabat. Me etiam, & Ecclesiam Cantuariensem, multis modis gravabat. Terras namque ipsius Ecclesiæ, quas post mortem Archiepiscopi Lanfranci, cum in manu sua Archiepiscopatum teneret, militibus suis dederat; mihi sicut eas idem Archiepiscopus tenuerat, non reddebat, sed insuper alias, secundùm libitum suum; me nolente dabat. Servitia gravia, & antecessoribus meis inusitata, ultrà quàm ferre possem, aut pati deberem, à me exigebat. Legem autem Dei, & Canonicas, & Apostolicas authoritates, voluntariis consuetudinibus obrui videbam. De his omnibus, cum loquebar; nihil efficiebam: & non tam simplex rectitudo; quàm voluntariæ consuetudines obtendebantur. Sciens igitur, quod si hæc ita usque in finem tolerarem; in damnationem animæ meæ successoribus meis tam pravam consuetudinem confirmarem. Nec de his placitare poteram (nullus enim aut consilium, aut auxilium mihi ad hæc audebat dare) Petii à Rege licentiam adeundi vestram sanctitatem: quatenus illi, & cordis mei angustias ostenderem: & deinde ejus consilio, & auxilio; quod salubrius esset animæ meæ; agerem. Quâ de re iratus petiit, ut de hujus licentiæ petitione; quasi de gravi offensâ, illi satisfacerem: & securum illum facerem, me deinceps nullo modo requisiturum, pro aliquâ necessitate, Apostolicum: nec saltem inde locuturum: aut si unquam hoc facturus eram, in præsens hoc facerem. Sic itaque mare transii causâ sd vos veniendi: quod sicut dixi facere non possum. Quoniam autem impossibile est, me hujusmodi vitæ concordare; aut animam meam in tali Episcopatu salvari: tum propter rerum quas dixi qualitates; tum propter meas multimodas, & sensus, & morum, & naturæ, & ætatis imbecillitates. Hæc est summa

III. Gravamina Regis explicat. (beside „ Videbam enim multa mala …)

supplicationis

CUPIT LIBERARI A CURA PASTORALI.

„ supplicationis meæ; propter quam ad vos ire „ volebam: ut sicut Deum animæ meæ, & animam meam Deo desideratis; per paternam, & „ & Apostolicam pietatem, quæ cor vestrum in„ habitat, animam meam de vinculo tantæ servi„ tutis, absolvatis: eique libertatem serviendi „ Deo, in tranquillitate reddatis: nè abundan„ tiore tristitiâ, sicut jam nimis passa est, absor„ beatur: & de dolore temporali, ad æternum „ pertrahatur. Deinde ut Ecclesiæ Anglorum, „ secundùm prudentiam, & authoritatem Apo„ stolatus vestri consulatis. Omnipotens Domi„ nus vestram sanctitatem nobis in suæ gratiæ „ prosperitate diu servet incolumem: & conte„ rat satanam, & portas inferi, sub pedibus ve„ stris. Amen.

IV. ANSELMUS IN URBEM VOCATUR.

Visis Anselmi literis, Urbanus Pontifex jubet eum Romæ causam agere; & deploratæ Ecclesiæ statum exponere: ubi multorum suffragio, quid facto opus decerneretur. Sed quomodo infesta latronibus itinera, & corporis ægritudo, dum nuntii ex urbe redeunt, virum detinuerint, pergit Edmerus narrare in hunc modum. *Inter hæc Romam usque divulgatum est, Archiepiscopum Cantuariæ, Primatem Britanniæ, multo auri & argenti pondere onustum, mare transiisse, Romam pergere. Accensi ergo nonnulli, cupiditate non bonâ, viam observant, exploratores ponunt, laqueos parant, ut eum capiant.* **Edmer. l. 2. fo. 44.** *Hi tamen quàm maximè homines Alamannici Regis intendebant: ob dissensionem, quæ fuerat illis diebus, inter Papam, & ipsum. Supererat quoque ea tempestate Wibertus, Archiepiscopus Ravennas; qui de Apostolatu, quem injustè invaserat, pulsus; omni religiosæ personæ Romam petenti, per se, suosq́, modis qualibus poterat, struebat insidias.* **ALEMANNI, ET WIBERTUS RAVENNAS INSIDIANTUR ILLI.** *Unde quidam Episcopi, Monachi, & religiosi Clerici, eâ sæviente persecutione, capti, spoliati, multiq́, contumeliis affecti, necati sunt. Spe igitur maximâ, manum iniqua sibi confisa est, similis pœnarum genere sese Anselmum damnaturam. Sed ille, ut diximus, Lugduni remansit; reditum nuntiorum suorum ibi operiens. Cum verò malignantes illi, moram ex adventu ejus, extra spem paterentur: didicerunt à peregrinis, eum validâ corporis infirmitate tentum; à Lugduno amplius non promovendum. Quod dictum peregrinorum non fuit, ex toto, veritati contrarium. Infirmatus nempe fuerat; ut de sanitatis illius recuperatione, desperatio nos non parva teneret. Quo illi audito, consternati sunt animo: & quam de Anselmi disturbatione spem habebant, perdiderunt. Verum languore, magnâ ex parte sopito: & rumore qui populos, de processu ipsius repleverat, circumquaque extincto: Ecce quos Romam miserat, nuntii veniunt: & quod omni excusatione sublatâ; eum ad se Papa properare præcepit, referunt. Quid moros? nescius moræ, Apostolicis jussis obaudit; via se periculis, mortem pro Deo non veritus, tradit.*

V.

Discedentes igitur à Lugduno, tertiâ feriâ, quæ ante Dominicam diem Palmarum erat; venimus in subsequenti Sabbato ad villam quandam, quæ Aspera dicitur. In quâ cum hospitati, & refecti fuissemus; visum Patri est decentius, inter Monachos, qui in eadem villâ cohabitabant, quàm inter villanos, nocte illâ, nos conversari: tum propter religionem Monachici ordinis: tum propter officium imminentis noctis, atque diei. De eo itaque mandatum Monachis est: & alacres assenserunt. Eramus quippe tres Monachi, qui hoc quærebamus: Dominus videlicet, & Pater Anselmus, præfatus Balduinus, & ego, qui hæc scribo, frater Eadmerus. Qui ita ibamus, quasi pares essemus; nullo Patrem nostrum, coram aliis, dominandi jure sequente. Cum igitur Monachi illi, sicut peregrinis, vespertinâ horâ loquerentur: & unde venissemus perenuclearentur: respondimus, de Franciæ partibus nos adventasse; & Romam usque, si Deus concederet, ire velle. **MONACHI DISSUADENT ITER.** *At illi, in nihilis tendisis, inquiunt; nam viam istam, quam aggredimini, nullus in habitu religioso peragere potest, quin capiatur, multisq́, injuriis afficiatus. Quod Archiepiscopus intelligens, sapienti consilio usus est. Proposuit namque idem vir, se pro suâ, ut fertur, causâ nuper Romam iturum; & venit usque Placentiam. Verùm cum illic sequentis viæ periculum didicisset; reversus est, & nunc Lugduni moratur. Ad hæc Balduinus ait: Et ille benè quidem fecit: & nos, quia servitio Dei, & obedientiâ spiritualis Patris, ire compellimur: quantum nobis licuerit, ducente Domino progrediemur. Quando ultra non potuerimus, salvâ obedientiâ nostrâ revertemur. Ducat nos, aiunt, benignus Deus. Celebrato igitur inter eos noctis officio, atque diei; nos viæ reddidimus.*

VI. CAUSÆ CUR ANSELMUS ROMAM VOCATUR.

Urbanum Pontificem multa moverunt, ut Anselmum Romam properare juberet: non solùm Anglicana Ecclesia morbo laborabat, qui medicam, doctamque manum requirebat: sed Græcorum etiam fides periclitari cœpit: quam Anselmi imprimis industriâ restituere cogitabat. Et verè Deus voto adfuit, nam indicto Barensi Concilio, unus Anselmus in fidei controversiâ maximè eminuit: ut ex persecutionis Anglicanæ veneno, Græcorum perfidiæ antidotum, parasse Deum, Baronius putaverit; qui sic præsentem annum auspicatur: *Sequitur annus Redemptoris millesimus nonagesimus septimus, Indictione quintâ.* **Baron. hic n. 5.** *Quo Urbanus Papa, cum anno superiori expeditionem Hierosolymitanam in Galliis promovisset; nè Græcorum Ecclesia schismate offici posset: ut eos cum Latinis uniret, solicitè curavit Romæ dum esset. Quamobrem râ de causâ convocatis Græcis, Bari in Apulia Concilium celebrandum indixit, ad Kalendas Octobris.* **CONCILIUM BARENSE.** *Cui contigit, Deo ita disponente, interfuisse Sanctum Anselmum, Cantuariensem Archiepiscopum. Quomodo autem id acciderit ex Edinero* (Edmerum intelligit) *comite ejus peregrinationis addiscimus: cum alioquin adsit VVillielmus Malmesburiensis Bibliothecarius his temporibus proximus, res ab Anselmo gestas fusius prosecutus. Sed præstat audire Edmerum, quem iisdem interfuisse, tractasse, & vidisse certo comperimus.* Tum paucis repetit Baronius quæ supra posui, Anselmi angustias, Gulielmi Regis iram, dissidium inde ortum, exilium denique, & egressum ex Angliâ: quæ omnia superiore anno contigisse disertè affirmat ita scribens. *Anno superiori, mense Octobris, Vuintoniam vocatus à Rege Anselmus; vix tandem post plurimam contentionem, profectionem hanc extorsit ab eo.* **Baron. sup n. 2.**

VII.

Itaque qui anno præcedenti Angliam reliquit, hoc anno, Paschali tempore, Urbem ingreditur. *Quæ verò ad ejus Romæ adventum spectant ab Edinero* (loquitur Baronius) *ejus peregrinationis Comite narrantur: sic tu accipe.* **Idem supr n. 6.** *Celebratis dehinc in Cœnobio Sancti Michaëlis Archangeli, quod in monte situm Clusa vocatur, Passionis & Resurrectionis Dominicæ solenniis, in iter reversi Romam festinavimus.* **ANSELMUS ROMÆ URBANUM VENERATUR.** *Mirum dictu, pauci atque ignoti, per loca peregrini ibamus, neminem agnoscentes, nemini, qui & unde essemus, innotescentes: & ecce solus Anselmi aspectus, in admirationem sui populos excitabat: eumq́, esse virum vita designabat. Unde cum jam hospitali etiam inter*

eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus: nonnunquam viri cum mulieribus hospitium intravere. & ut hominem viderent, ejusq; mererentur benedictione potiri, obnixè precabantur. Tali ergo vulgi favore, Romam usque profecti sumus: Lateranis, ubi tunc temporis summus Pontifex morabatur, advenit. Nuntiatur Pontifici Patris adventus: & ovans jubet illum in parte sui palatii hospitari: & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas. & de novi hospitis adventu, sermo conseritur. Adducitur cum reverentiâ vir in medium: & in quâ coram Papa sedeat, sella profertur. Ingressus humiliat se, pro more, ad pedes summi Pontificis: sed statim ab ipso erigitur, ad osculum ejus. Sedet, & pro adventu illius, lætari se Apostolicus, tum Romana curia dicit. Acclamat Curia tertiò.

VIII. *Postremo silentio facto; multa in laudem hominis Papa locutus est: virum illum virtutis, ac totius religionis esse contestans. Et quidem (inquit) ita est. Cumque illum, utpote hominem cunctis liberalium artium disciplinis innutritum, pro magistro teneamus: & quasi comparem, velut alterius orbis Apostolicum & Patriarcham, jure venerandum censeamus: Ita tamen excellens mentis ejus humilitatis constantia præsidet; ut nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spatiis, terreri potuerit, quin vestigia Beati Petri, nostræ parvitatis ministerio, se præsentaret; nosq; magis illius, quòm illum nostro egentem consilio, super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerate, quo amore, quo honore suscipiendus sit. & amplectendus. Hæc cum Anselmus de se, & multa his plura, pro sui laude, dici audiret (sicut ipsemet sæpè fateri solebat) non parum erubuit: quoniam se talem apud se; qualem à tanto viro prædicabatur, minimè cognovit. Veruntamen erat inter verba tacens: decentius fore perpendens, ad hujusmodi silere, quàm loqui. Posthæc de adventus sui causâ, percunctatus à Papa: eo sibi modo narravit omnia; quo veritatis & discretionis ratio poposcit. Ille audita miratur, & subventionem plenam pollicetur. Præcipit itaque, ut subventionis ipsius effectum, circa se Anselmus præstolaretur.* Ita Baronius ex Anselmi vitâ per Edmerum scriptâ.

CANTUARIENS. ARCHIEPISCOPUS, ALTERIUS ORBIS APOSTOLICUS ET PATRIARCHA.

IX. Paulò aliter negotiorum summam Edmerus exponit in historiâ: ubi hæc habet. *Cum Romam prospero itinere pervenissemus: & Anselmus a Papa decentissime susceptus, de sui adventus causa requisitus fuisset: eo illam ordine retulit, quo in Epistolâ suâ, quam a Lugduno, ut diximus, ei direxit, ipsam digessit. Audit ille quæ feruntur, & subventionem pollicetur. Scribit literas Willielmo Regi Angliæ: in quibus, ut res Anselmi liberas, in regno suo faceret; ac de suis omnibus illum revestiret e monet, hortatur, imperat. Scribit quoque Anselmus sub eadem materiâ literas: & eas unà cum literis Papæ, ipsi Regi destinat. Mansimus ergo Romæ decem diebus in Palatio Lateranensi, cum Papa degentes.* Literæ, quarum hic mentio, omninò perierunt. nec enim aut Baronius, è Vaticano; aut Raynaudus è suo Musæo, illas produxit. Cum decem ab Anselmi adventu in Urbem dies effluxissent; & æstatis calor, diuturnam ibi moram non permitteret: ad amœniora loca Anselmus invitatur, a Joanne Abbate; qui sub Anselmo, Beccensi Abbate, Monasticen doctus; ab Urbano Papa, Monachis in Italia præficitur. De cujus viri humanitate ita Edmerus in historiâ. *Præerat eo tempore Abbas quidam, Ioannes nomine, Cœnobio Salvatoris, quod propè Telesinam urbem situm est. Qui Ioannes, Romanus genere, discendarum studio literarum, jam olim Franciam venerat: ibique fama permotus Anselmi; qui tunc Becci Abbas erat; eum religionis proposito fervens adiit: Eoque audito, Becci Monachus factus est. Quod ubi post aliquot annos, ad aures summi Pontificis Urbani, pervenit: Ioannem ipsum ad se accersitum, præfati Cœnobii Abbatem fecit. Hic itaque, agnito Patrem suum Anselmum, Romam venisse. Missis nuntiis, omni studio deprecatus est e quatenus ad se veniret; atque in suâ quadam mansione, cui salubris aura favebat, ad evitandas Romanæ urbis ægritudines; calidam diguaretur æstate conversari. Quibus ille auditis, supernæ pietati, ac fraternæ solicitudini gratias egit: summoq; Pontifici relatas preces innotuit. At ille: O, inquit, divinæ miserationis prædestinatio! Verè etenim præmisit Deus Ioseph in Ægyptum, ante Iacob patrem suum. Quapropter licet omnia, quæ habeo, tuis, utpote viri propter justitiam, necne Beati Petri fidelitatem, exulantis, propositerim necessitatibus servitura: tamen quia urbis istius aer, multis, & maximè peregrinæ regionis hominibus, nimis est insalubris; laudo ut eas, quò vocaris nè quod superna dignatio tibi providit, negligere videaris.*

Edmer. l. 2. fo. 41.

Edmer. l. 2 fo. 45.

JOANNES ABBAS BECCENSIS INVITAT EUM IN SUAM MANSIONEM ROMÆ.

X. *Adquievit Anselmus dicto Pontificis: & expectaturus quid Rex Angliæ respondeat literis Papæ, ad suis: partes ad quas invitabatur, petiit. Occurritur ei cum lætitiâ, & honore, in omni loco, ad quem ingreditur: & certatim ad ministrandum illi, quique parantur. Ubi verò, loco ad quem ibat, appropinquavit: adjunctâ secum fratrum catervâ, Ioannes obviam vadit: & patrem suum, more boni filii, magnâ cum reverentiâ, & exultatione susceptum, Monasterio introducit. Exinde quoniam calor ibi cuncta torrebat, duxit eum in villam suam, Sclaviam nomine, quæ in montis altitudine sita, sano jugiter aëre conversantibus illic habilis extat.* Mansit ibi Anselmus menses aliquot: & in otio illo religioso, minimè otiosus fuit. Quid egerit docet Edmerus in ejus vitâ, de hoc secessu ita scribens: *Igitur habitatio nostra in montis erat summitate collocata; à turbarum tumultu, instar solitudinis, vacua. Quod Anselmus advertens, & spe futuræ quietis exhilaratus, ait: Hic requies mea, hic habitabo. Ad pristinum igitur conversationis ordinem; quem antequam Abbas esset, habebat; quemque se in Pontificatu positum maximè perdidisse deflebat, vitam instituit; sanctis operibus, divinæ contemplationi, mysticarum rerum enodationi, die noctuq; mentem intendens. Unde Christianæ fidei amore permotus; insigne volumen edidit, quod, Cur Deus homo? titulavit. Quod opus, sicut in prologo ejus ipse testatur, in Anglia cœpit: sed hic, in Capuanâ videlicet provinciâ constitutus, absolvit.*

INVITATUR IN CAPUANAM PROVINCIAM.

Apud Baron. hoc n. 10.

ANSELMUS SCRIBIT LIBRUM CUR DEUS HOMO.

XI. Ursit argumentum hoc contra gentiles, de Christi humanitate, Anselmus, eo tempore, cum Capuana urbs obsidione premeretur à Rogerio Comite, qui Anselmum, à cœpto opere, ad castra sua humanissimè invitavit: ubi pagani sanctissimum Episcopum venerati sunt. Edmerus in historiâ, de Capuanâ obsidione, sic loquitur: *His fermè diebus, Rogerus, Dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam civitatem, a suâ ditione resilientem, obsidebat. Et auditâ famâ Anselmi; directis nuntiis, rogavit eum venire ad se, cupiens illum videre & alloqui: atque per eum, his quæ saluti suæ adminiculari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longe eramus: & ecce Dux ipse copiosâ militum multitudine septus, Patri occurrit: ac in oscula ruens ei pro suo adventu gratias egit. Plures exhinc dies in obsidione fecimus, remoti intenterius à*

Edmer. l. 2. fo. 46.

ROGERIUS DUX APULIÆ INVITAT EUM.

frequentia

frequentiâ & tumultu perstrepentis exercitus. Cum autem inter hæc, Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illò adventaret: & ei ab Anselmo, & Principibus totius exercitus, obviam itum esset; ingenti sæcularis gloriæ pompâ prosecutus, ductus est in tentorium, quod ei prope nos erat cæteris excellentius constitutum. Sicq; donec civitas in deditionem transiit; obsidio illius Dominum Papam, & Anselmum vicinos habuit: ita ut familia illorum magis videretur una, quàm duæ. Nec facilè quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum. Hæc ille in historiâ.

XII. Ut Anselmus cum paganis egerit.

Cæterùm idem Author, quid Anselmus in castris egerit, & quomodo paganorum animis suavi conversatione irrepserit, ita declarat in vitâ ejus apud Baronium. *Humanitas*, inquit, *Sancti Anselmi, sine personarum acceptione, suscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium, famâ bonitatis ejus, inter suos, exciti; mansionem nostram frequentabant: & sumptu ab Anselmo corporalibus cibis, gratiosi revertebantur; admirandam viri benignitatem, suis prædicantes, quam experiebantur. Unde in tantâ deinceps veneratione apud eos habitus est; ut cum per castra illorum, quæ in unum collocata erant, transiremus; ingens multitudo illorum, elevatis manibus, ei prospera imprecarentur: & osculatis pro ritu suo manibus propriis, etiam coram eo genibus flexis, pro suâ benignâ largitate grates agendo venerarentur. Quorum etiam plurimi, veluti comperimus, se libenter ejus doctrinæ submisissent instruendos: ac Christianæ fidei jugo, sua per eum colla injecissent; si crudelitatem Comitis sui, per hoc, in se sævituram non formidassent. Nam reverà nullum eorum pati volebat Christianum impunè fieri.* Habes hic Lector causam, cur Anselmus, duos libros; quos, Cur Deus homo, inscripsit, pro infidelium conversione elaborarit. uterque enim eò tendit: ut ipse Author in procœmio testatur. *Quorum prior* (inquit) *infidelium respuentium Christianam fidem; quia rationi putant illam repugnare; continet objectiones, & fidelium responsiones. In secundo autem libro similiter quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minùs apertâ ratione & veritate, naturam humanam, ad hoc institutam esse; ut aliquando immortalitate beatâ, totus homo, id est, in corpore, & in animo, frueretur: ac necesse esse, ut hoc fiat de homine, propter quod factus est: sed non nisi per hominem Deum.*

Baron. hîc n. 13.

Anselm. Præfat. ad lib. Cur Deus homo?

XIII. Anselmus cupit Infulam ponere.

Mansit Anselmus, in Capuanâ obsidione, quamdiu urbs illa milite cingebatur, solutâ obsidione, in Aversanam civitatem pergit. ibique Monachorum invitatu, Abbatiam Sancti Laurentii, pro hospitio petens; omni obsequiorum genere excipitur. Quo tempore, cum Mariæ dulcedinem, & Monasticæ contemplationis quietem, Marthæ officio pretiosiorem intelligeret, cœpit eò unde exciderat, suspirare: & multis magnisque precibus, ab Urbano Papa; qui Aversæ quoque morabatur; missionem ab Episcopatu, & rudem, petere. Quid Anselmum ad hoc consilium moverit: & quam perversi Guilielmi Regis mores fuerint: Quid etiam Anselmo Urbanus responderit, Edmerus in historiâ ita prodidit. *Considerans itaque Anselmus apud se, quantam mentis inquietudinem, & perturbationem passus fuerit in Angliâ: & quomodo nullus, exceptis aliquibus Monachis, eum gratiâ fructificandi Deo, audire voluerit: quantaque mentis tranquillitate potitus; & quàm fructuoso studio sit à cunctis auditus, postquam exivit de Angliâ omni desiderio fervebat, curam Angliæ, cum Pontificatu deserere, & ei perpetuum abrenuntiare. Huic quoque desiderio non parùm roboris impendebat; quod omnium dubietate sublatâ, videbat impossibile fore, suos, & Guilielmi Regis mores, in unum ampliùs concordare. Ad ea nempe, quæ illum in Angliâ positi facere solere cognoveramus; nova quædam quotidie ab his, qui inde veniebant, publicè referebantur. In quibus ita contra Dei justitiam obfirmatus intelligebatur: ut multi regionum illarum viri, simul & mulieres; aliam de eo æstimationem haberent, quàm de Christiano, Christianos lex Christiana docet habere. De quibus pauca breviter perstringere placuit; ne solummodo nudis verbis, quæ dicuntur, dici putentur. Quæ tamen sicut illa accepimus, simpliciter ponam; non astruens vera, an secus extiterint, an non.*

Edmer. l. 2. fo. 40.

XIV. Mala quæ de Rege ferebantur.

Ferebant igitur hi, qui veniebant; quòd eodem ferè tempore, cum idem Rex Rotomagi moraretur (sub hujus anni finem, Guilielmus Normanniam petiit, ut infra) *videre* * *eras Iudæos, qui in civitate ipsâ degebant, ad eum convenire; conquerentes nonnullos ex suis, spreto Iudaismo, Christianos nuper factos fuisse: atque rogantes, ut sumpto pretio, illos, rejecto Christianismo, ad Iudaismum redire compelleret. Adquievit ille: & suscepto pretio apostasiæ: jubet ex Iudæis ipsis adduci ad se. Quid plura? Plures ex illis, minis, & terroribus fractos, abnegato Christo, pristinum errorem suscipere fecit. Erat præterea, illis diebus, adolescens quidam Iudæus; cui, uno dierum per viam fortè eunti apparuit alter juvenis, vultu ac veste decorus: qui interrogatus, unde? & quis esset? dixit se jam olim, ex Iudæo Christianum effectum, Stephanum Protomartyrem esse. Sed eâ, inquit, causâ, nunc de cælo ad terras descendi; ut tu abjectâ superstitione Iudaica, Christianus efficiaris, & meo nomine baptizatus in Christo appelleris. Dixit, & ab oculis ejus elapsus, non comparuit. Adolescens autem timore correptus, illicò Presbyterum adiit: quid viderit, quidve audierit; clarâ voce innotuit: seq; in Christum credere confessus, baptismi gratiam statim adeptus est. Quod factum cum pater ejus agnovisset; acri cordis dolore afficitur. Et æstuans quonam modo suis sacris filium posset restituere: didicit quemadmodum Willielmus Rex Anglorum, nonnullos hujusmodi, pecuniæ gratiâ, nuper Iudaismo reddiderit. Ivit ergo ad illum, & qualiter perdiderit filium suum; querulâ voce deprompsit. Orat sibi misereri; & unicè morte à se dilectum, paternis rogat legibus, imperialis sanctione, restitui. Tacet ille ad rogata, non audiens, quamobrem tali negotio sese deberet medium ferre.*

* videri corruptus locus.

Cogit aliquos Iudaizare.

Advertit Iudæus mysterium, cur suis precibus non responderet: & è vestigio sexaginta marcas argenti, se illi daturum, si Iudaismo restitueret filium suum, pollicetur. Iubente igitur Rege, juvenis ipse in conspectum suum adducitur: & Rex illum hac voce alloquitur. Queritur pater tuus de te; quòd præter licentiam suam Christianus effectus es. Hoc si ita est, præcipio tibi quatenus voluntati ejus satisfaciens, omni ambage seclusâ, Iudaismo te sine morâ restituas. Cui juvenis respondens; Domine Rex, ait, ut puto, jocaris. At ille indignatus: Tecum, inquit, jocarer, stercoris fili? Recede potiùs, & præceptum meum velociùs imple: alioquin, per vultum de Luca, faciam tibi oculos erui. Tunc adolescens, animatior factus; voce constanti, ita respondit. Utique non faciam. Verum noveris; quia si bonus Christianus esses; nunquam de ore tuo talia protulisses. Christiani etenim est, eos qui à Christo, per incredulitatem separati sunt, eis

XV. Judæus 60. marcas offert.

Rex non potest Judæi filium reducere ad Judaismum.

conjungere: non autem eos qui illi per fidem juncti sunt, ab eo separare. Confusus Princeps in istis: contumeliis affectum juvenem cum dedecore jussit suis conspectibus eliminari. Qui expulsus; Patrem suum eventum rei pro foribus præstolantem invenit. In quem animatus: Fili, ait, mortis, & pabulum æternæ perditionis, non sufficit tibi damnatio tua, nisi & me tecum præcipites in eam? Ego verò, cui jam Christus patefactus est, absit ut te unquam pro Patre agnoscam; quia pater tuus diabolus est. Dum ista dicuntur, ad jussum Regis introducitur ante eum Judæus: & ait illi Rex: Ecce feci, quod rogasti: redde quod promisisti. At ille: Filius meus jam nunc, & in Christi confessione constantior, & mihi est solito factus infestior: & dicis; Feci quod petisti; redde quod promisisti. Imo quod cœpisti, primo perfice: & tunc demum de pollicitis age. Sic enim convenit inter nos. Feci, dixit, quantum potui. Verum quamvis non profecerim; minimè tamen feram, me sine fructu laborasse. Angustiatusq; Judæus, ex his, vix obtinuit; ut data medietate promissæ pecuniæ, alia sibi medietas laxaretur.

REX EXIGIT 60. MARCAS.

XVI. EX JUDAISMO ATHEISMUS NASCITUR IN REGE.

*Præter id quoque, per id temporis ferebatur, eum in tantam mentis elationem corruisse; ut nequaquam patienter audire valeret; si quivis ullum negotium; quod vel à se, vel ex suo præcepto foret agendum, poneret sub conditione voluntatis Dei fieri. Sed quæque acta simul, & agenda, suæ soli industriæ ac fortitudini volebat ascribi: Quæ mentis elatio, ita excrevit in eo; ut quemadmodum dicebatur, crederet & publica voce assereret, nullum Sanctorum cuiquam, apud Deum, posse prodesse: & ideo nec se velle, nec aliquem sapientem debere Beatum Petrum, seu quemlibet alium, quo se juvaret, interpellare. Hac fide in ipso proficiente; ad hoc quoque lapsus est; ut Dei judicio incredulus fieret; injustitiæq; illud arguens, Deum, aut facta hominum ignorare, aut æquitatis ea lance nolle pensare, astrueret. Exempli causâ: quinquaginta circiter viri, quibus adhuc illis diebus, ex antiqua Anglorum ingenuitate, divitiarum quædam vestigia arridere videbantur, capti sunt; & calumniati, quòd cervos Regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi. Unde statim ad judicium rapti, judicantur injectam calumniam examine * igniti ferri, à se propulsare debere. Statuto itaque die, præfixi pœnæ judicii pariter subacti sunt, remota pietate & misericordia. Erat ergo miseriam videre. Verum omnipotens Deus, cui misericordiam & judicium canit Davidicus psalmus, innocentiam eorum, servatis misericorditer ab exustione manibus omnium, cunctis ostendit. & malitiâ hominum eos impiè destruere cupientium, quam injusta fuerit, justo judicio declaravit. Igitur cum Principi esset relatum, condemnatos illos, tertio judicii die, simul omnes intactis manibus apparuisse: stomachatus taliter fertur respondisse. Quid est hoc? Deus est justus judex? Pereat, qui hoc deinceps crediderit. Quare per hoc, & hoc; meo judicio amodo respondebitur: non Dei, quod pro voto cujusque hinc inde plicatur.*

*De examine igniti ferri v. an. 1047. 4. &c.

XVII. GUILIELMUS REX NUPERÆ FACTIONI PRÆLUSIT.

Miratus sum aliquando, cur factiosi nostri, & epicœnæ fidei homines; pro Guilielmo Rege, contra antiquiores, advocaverint; cur heteroclyta ejus acta; & luxuriantis cerebri excrementa; aut dealbaverint aut excusaverint: cur irati animi argumenta, quæ in Urbanum quandoque effutiit, pro perfidiæ suæ Canone posuerint. Sed nunc mirari desino; quia in profundum impietatis barathrum (quò & factiosi ceciderunt) Rex ille descenderat Judæis quàm Christianis similior. Unde Sanctorum, Deique contemptus; & eorum patrocinia, impietatis injustitiæque lenocinia putantur. Et illa solùm religio placet, quæ rebus nostris, votisque respondet. Talia impii Regis studia fuerunt. Et hujus vestigia premunt moderni; Dei Sanctorumque cultui irati: Fidem suam suo cerebro metientes; eoque intellectum inclinantes, quò rerum terrenarum ambitio, aut nequam impetus rapit. Miserrima mortalium conditio, cum omnium sæculorum sordes corroduntur, ad firmandam religionis basim, quæ aliter nequit subsistere. Nos orthodoxi Britannorum, Saxonum, Anglorum Christianam & Catholicam fidem asserimus illustrissimis Regum, Principum, Episcoporum, & optimorum omnium argumentis: Heterodoxi contra, ætatum maculas (& quis nescit in Angelis repertam aliquando pravitatem?) colligunt: & putidissimè nobis opponunt. Nos Britannorum fidem, in aurorâ Lucii, & meridie Constantini, constanter ostendimus; illi in Britannorum noctem descendunt; cum infidelis Saxo honestatis, & pietatis occasum induxit: & in tenebris illis, fidei idolum, hoc est, perfidiæ suæ argumenta formant: quæ in sæculorum lucem producta, non aliud probant, quàm fidem illam, factionem esse, & exerrantis cerebri figmentum. Cum nos iterum ab Anglo-Saxonum Regum pietate, Catholicæ fidei praxim ad plura sæcula deducimus: illi unum aut alterum, ab aliorum virtute degenerem ostentant; morum impietate erroribus suis blandientem: & illo, quem omnia sæcula reprobarunt, gloriantur. Doctiùs, fateor, in Normannorum Rep. disputant. nam quoties Romam oppugnant, habent seniorem Guilielmum, qui coronam Angliæ, gladio suo, non Alexandro Pontifici voluit acceptam. habent hunc juniorem, qui Anselmo, Urbano, & Deo ipsi iratus, perversissimi animi signa dedit plurima. Sed quid inde nisi sordes colligunt? nam si dixerint Romanum Pontificem, totius Ecclesiæ Caput non fuisse: impiè utriusque Guilielmi facta depravant. nam Guilielmus Pater cum sobrius esset, Alexandrum scripsit universalis Ecclesiæ pastorem: & filius, Urbanum jussit ab omni Angliâ coli Pontificem. Quod si interdum, nequiore impetu, verba protulerunt, minus castigata: quis in militari, viro illud miretur. Mirandum potiùs, illa cerebri excrementa, à factiosis coli.

XVIII.

Ad Anselmum redeo, qui Guilielmi junioris facta, dictaque execratus; Infulam ponere, quàm Cantuariæ sedere maluit: & omnem movit lapidem, ut Episcopatus onere levaretur. Unde Edmerus, cum Regis impia facinora recensuisset, addit: *Hæc & hujusmodi plura, his atrociora, quæ à diversis, non ignobilis famæ hominibus, de Willielmo illo, tunc temporis nuntiabantur: Anselmum accendebant Pontificatui Angliæ abrenuntiare: scientem videlicet mores suos, moribus ipsius nulla posse ratione amplius concordare. Postulaturus igitur à summo Pontifice, ipsius vinculi, quo se nimis astringi gemebat, relaxationem: cum adit; ei sui cordis anxietatem innotuit: misereri sibi poposcit: id est, ab onere curæ Pastoralis, quod importabile sibi, quia infructuosum videbat, se relevaret, obnixè rogavit. Audit Papa quod ille postulat, & illico miratus exclamat. O Episcopum! ô Pastorem! nondum cædes, nondum vulnera perpessus es: & jam Dominici ovilis subterfugere quæris. Christus in curâ ovium suarum, probat Petri*

Edmer. l. 2. fo. 40.

ANSELMUS PETIT EPISCOPATUM DEPONERE. RENUIT URBANUS PAPA.

amorem erga se: & Anselmum, Anselmum, inquam, ille sanctus, ille talis, & tantus vir, solummodo quiescere volens, oves Christi, & ante pugnam, luporum morsibus dilaniandas non veretur exponere? Ah quid dicam? Quo amore sperat Domino copulari, qui hoc fugit, quo ipse Dominus, se teste, probatur amari? Absint hæc à te, absint à tuâ religione, dilectissime frater Anselme. Potius ne me in istis ulterius inquietes: scias, quod non solùm non concedo tibi facere quod petis: immo ex parte Dei omnipotentis, vice Beatissimi Petri, Apostolorum Principis, tibi per sanctam obedientiam præcipio, quatenus curam Anglici regni tibi commendatam, quamdiu retinere, ut hactenus poteris, non abjicias. Quod si propter tyrannidem Principis, qui nunc ibi dominatur; in terram illam redire non permitteris: jure tamen Christianitatis semper illius Archiepiscopus esto: potestatem ligandi, atque solvendi, super eam, dum vixeris, obtinens: & insignibus Pontificalibus utens ubicumque fueris.

XIX. *Ad hæc ille: Obedientiam, Pater, non abjicio; sed si non displicet; quid animo geram, paucis suggeram. Credat, si placet, excellentia vestra: quoniam si cædes, si vulnera, si mors ipsa mihi pro tutela, & defensione ovium Christi intenderetur; spero, non aufugerem, si me conscientia mea non fallit. At nunc, ut de Rege ipso, qui me, sicut notum est, de regno suo expulit, taceam: ipsi quos oves, & Episcopi, quos adjutores habere debebam; & qui mihi obedientiam professi sunt, omnes in commune, ad hoc me ducere conabantur: quatenus sub obtentu justitiæ, contra justitiam, facerem: id est, obedientiæ Beati Petri abrenuntiarem: ne fidem quam debebam Regi terreno, violarem. Quibus dum niterer persuadere; me utrumque horum, altero inviolato, posse servare (quandoquidem Dominus jubeat: quæ Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei sunt, Deo reddi) objiciebat hoc apud se in usu non haberi: nec velle de Domino suo hanc injustam sustinere: ut aliquis in regno ejus cuilibet intenderet, nisi ei, vel per eum. Et ego, Pater, inter tales quid facerem? Respondit: Ratione duceris. Ego quoque, ne de his atque aliis tibi non jure illatis videar non curare: eaque gladio Sancti Petri nolle vindicare: moneo, quatenus Concilio, quod apud Barum ante corpus Sancti Nicolai, Kalendis Octobris celebrare constitui, præsentiam tuam exhibeas: ut quod de ipso Rege Anglico, suisque, ac sui similibus; qui contra libertatem Ecclesiæ Dei se erexerint; mediante æquitatis censurâ, me facturum disposui, auditu visuque, percipias. Dehinc ad habitaculum suum, Sclaviam, Anselmus reversus, quietem & paupertatem, oblatis divitiis anteponens.*

RATIO CUR VOLUIT EPISCOPATUM DEPONERE.

XX. Noluit Urbanus, Anselmum, aut in Angliam redire, aut procul Italiâ esse; donec Barensi Concilio finis imponeretur. Ubi non solùm Anglorum Regis causa, quæ in facto: sed Græcorum potissimùm, qui in fide vacillabant, tractaretur. Cæterùm ut ad medendum huic malo Urbanus imprimis vigilabat: ita medicam Anselmi manum, quam olim simili morbo porrexerat, maximè requirebat. Dixi suprà librum, de Incarnatione Verbi, ab Anselmo, in Angliâ perfectum, missumque ad Urbanum Papam: qui multa in eo notasse videtur, Græcorum hæresi opposita. Illum ergo futuræ Synodo opportunum ratus; jubet eum Sclaviam redire; & indicti Concilii tempus operiri. Reversus Anselmus, aliud opusculum contra gentiles de Deo-homine absolvit. de quo ipse: *In magnâ cordis tribulatione, quam, unde, & cur passus sim: novit Deus: in Angliâ rogatus incepi; & in Capuanâ provinciâ peregrinus perfeci. Quod secundum materiam de qua editum est:* CUR DEUS HOMO, *nominavi.* Eo perfecto, Barum evocatur, ubi Græcis in Latinos pugnantibus, Anselmi industria, eruditioque eminuit. Dicat id Edmerus, qui Synodo adfuit, qui verba singulorum excepit; qui fidelis ubique & verax audit. Denique, cui Barensis Synodi acta quæ extant, debemus omnia. Ita ergo ipse in historia.

V. an. 1094. n. 18.

Anselm. in Præf. suo. Cur Deus homo.

ANSELMI LIBER: CUR DEUS HOMO.

XXI. *Instante termino Concilii, Anselmus ad Apostolicum reversus est. & cum eo Barum usque profectus. In ipso verò Concilio; dum plurima de Fide Catholicâ, summus Pontifex, facundâ ratione, rationabilique facundia, disseruisset. mota est quædam quæstio, ex parte Græcorum, Evangelicâ authoritate probare volentium, Spiritum sanctum processionem non habere, nisi tantum à Patre. Huic errori tum multis argumentis, tum plurimis rationibus Papa contraire nisus. inter alia, quiddam de Epistolâ sibi olim ab Anselmo, de Incarnatione Verbi edita, & directa, exempli gratia, intulit: quod suæ disputationi non parum claritatis, & firmitudinis attulit. Verùm cum nonnulla objicerentur; & redditæ rationes; quemadmodum instabilibus mos est, disquisita, enucleatiùs exponi peterentur; imperatum silentium primus ipse Pontifex rupit, altâ voce dicens: Pater & magister Anselme, Anglorum Archiepiscope, ubi es? Sedebat enim idem Pater in ordine cæterorum, inter primos Concilii Patres; & ego ad pedes ejus: Ubi ergo se requiri audivit, surrexit continuò, & respondit: Domine Pater, quid præcipitis? Ecce me. At ille: Quid quæso facis? Cur in aliorum silentio degis? Veni, Veni, obsecro, Ascende usque ad nos: & pugnans pro Matre tua, & nostra, adjuva nos: cui suam integritatem vides Græcos istos conari adimere: & nos in idipsum nefas, si facultas ipsis tribuitur, præcipitare. Succurre igitur, quasi verè pro hoc à Deo missus huc. Videres itaque circa solium Papæ, quosque perstrepere; sedes mutare, locum sedendi viro parare: & sic demum honorificè levatum, ad se propè Papam collocare: Concilio stupente ad hæc, & percunctante, Quis, aut unde esset?*

Edmer. l. 2. fo. 49.

ANSELMUS BARENSI CONCILIO INTEREST.

XXII. *Tum compresso tumultu, omnibus in commune viri sanctitatem, atque industriam Papa exposuit: & quia propter justitiam, multas persecutiones passus: atque injuriâ de suâ sit terrâ expulsus, reverendâ voce insinuavit. Cum igitur ad imperium ejus Anselmus præsto esset, motæ quæstioni mox respondere: visum nonnullis est melius fore in crastinum rem differri; quo liberioribus animis dicenda expeditiùs proponerentur. In crastino itaque maturiùs conventu disposito; Anselmus ex condicto debitum solvere postulatus est. Surrexit ergo, & coram universis, in edito stans; sic de negotio, regente cor & linguam ejus Spiritu sancto, tractavit, disseruit, absolvit: ut in ipso conventu nemo existeret, qui non plenè sibi satisfactum consentiret. Sed quibus hoc argumentis, quibus rationibus, quibúsve divinæ Scripturæ authoritatibus, & exemplis egerit, scribere supersedemus: eò quòd ipsemet Anselmus postmodum inde diligentiùs atque subtiliùs tractans, egregium opus scripsit: idque per multa terrarum loca, ubi ejusdem erroris fama pervenit ab amicis suis rogatus, direxit. Ergo ubi finem dicendi fecit, intendens in eum summus Pontifex, ait: Benedictum sit cor, & sensus tuus: & os, & sermo oris tui sit benedictus. Hinc in laude viri demoratum est. Et fides ejus, atque prudentia divulgata, ac magnificata: nec non eorum perfidia, si qui forent, qui ea, quæ de propositâ quæstione docuit, suscipere & credere nollent, exprobrata, ac perpetuo anathemate*

ANSELMUS AB URBANO LAUDATUR.

percussa atque prostrata. Hæc Edmerus.

XXIII. ANSELMI LIBER DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

Non est nimius in Anselmi laudibus author. nam longè latéque nomen ejus, & industriæ in Græcorum confutatione fama volavit. unde amicorum precibus excitatus, opus elaboravit super eo argumento, quod inscripsit: *De Processione Spiritus Sancti, contra Græcos, tractatum.* In cujus operis præfatione hæc habet: *Quamvis multi sunt, qui hoc meliùs me possint efficere: tamen quia mihi à pluribus injungitur: quorum petitioni, tum pro debito veritatis amore: tum pro eorum charitate, & religiosâ voluntate, non audeo resistere; invoco eundem Spiritum sanctum, ut ad hoc me dignetur dirigere.* Unus eorum, qui Anselmo suasit, scripto prodere, & publici juris facere, quod in Barensi Concilio, cum laude dixerat, fuit Cenomanensis Episcopus, de quo, & Anselmi laude in hoc Concilio, ita censuit Baronius. *Certum est*, inquit, *in hoc Concilio Sanctum Anselmum in confutandis Græcis, primas tulisse. Cui & ex eâ parte plurimum Ecclesia Catholica debet: quod cum ipsius Synodi acta perierint: ipse tamen pulsatus precibus amicorum, quod in controversiâ illâ tractavit; scriptorum monumentis perpetuæ memoriæ commendavit. Inter alios qui hoc ab eo exegit, fuit Hildebertus, Cenomanensis Episcopus: ipse quidem hac ætate inter celebres doctrinâ & sanctitate viros annumerandus. Cujus adhuc extat, absque titulo tamen, in Codice exarata Epistola, istis verbis, ad eum, postquam in Angliam est reversus.*

Baron. hic n. 149.

XXIV. HILDEBERTI EPISTOLA AD ANSELMUM.

FAmiliare est sapienti, tolerare nescientem. Hinc est, quod inscitiam meam aperire non timui: quia erat cum sapiente colloquium. Eam ut fallor, & scientia vestra erudiet, & charitas supportabit. Felicem me, inquam, si meruissem, vel præsens instrui; vel tanquam familiaris, epistolam suscipere destinatam. Hoc autem invidet mihi locus, nec aliter salutationis indulsit obsequia; nisi priùs orbis dimidium consultatem. Oportet enim maris & aeris explorare clementiam; si quem in Angliâ judicamus salutandum. Ceterum incommoda separationis, charitatis copulâ supplentur: quæ neminem patitur nobis esse absentem: neminem non familiarem. Eâ enim nihil est diffusius. Par enim est latitudo charitatis, & mundi. Charitas complectitur quicquid Oceanus: Charitas in sacrario dilectionis, & amicum colligit in Deum, & inimicum propter Deum: eadem diligere non desinit, cũ diligi desinitur. Suos habet præsentes omnes affines; quibus non potest obsequio, subvenit affectu. absit igitur ut publicum charitatis beneficium maris fluctibus auferatur, cum scriptum sit: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Facile enim est, ut diversi litoris cultores charitas uniat: quæ unam Remp. terram facit & cælum. Hujus itaque fiduciâ, injecta est mihi præsumptio inquirendi, atque postulandi id quod impensum non minuet erogantem. Si votorum summa quæritur, sequens illam pagina declarat.

LAUS CHARITATIS.

XXV.

A proborum relationibus didici, vos in Concilio Barensi, sermonem habuisse de Spiritu sancto: quem calumniosa Græcorum versutia, a filio minimè procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam, in præfato promulgastis Concilio; succincto tractatu deprecor annotari. Et quia ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt: his authoritatibus opus flagitatum munire non tædebit, quas Græca calliditas, & suas fateatur, & nostras. Magna quidem, Beate Pater, postulo: sed quæ pariter suscipient. proficient, & dantes. Nobilis enim est possessio, scientia: quæ distributa suscipit incrementum: & avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Conservet nobis Dominus sanctitatem vestram: & videant vos oculi mei, antequam moriar. Hæc Hildebertus: *etsi ad quem scribit* (Baronius loquitur) *exciderit titulus: tamen quòd ad Anglicanum Antistitem scripserit: & eum qui interfuerit Barensi Concilio: ibique de Spiritu sancto, adversus Græcos sermonem habuerit; alium quem dicamus, præter Anselmum, invenimus neminem: cum non nisi unus ex Angliâ Episcopus, illic interfuisse inveniatur Sanctus Anselmus.* Prosequitur Author pluribus ostendere conjecturis, & ab Anselmo impetratum esse tractatum illum precibus Hildeberti; & ad eum ab Anselmo rescriptum. Omisit tamen quod fortiùs urget. nimirum Hildeberti Epistolam, ad Anselmum; ubi pro accepto munere gratias agit: & inter Anselmi Epistolas legitur, in hunc modum (habetur etiam sed sine titulo inter Hildeberti Epistolas, numero vigesima secunda.)

Venerabili Cantuariæ Archiepiscopo, gloria & honore dignissimo ANSELMO: HILDEBERTUS humilis Cenomannorum Sacerdos, salutem.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 53.

XXVI. ALIA HILDEBERTI AD ANSELMUM EPISTOLA.

„ET dies lætus, & vultus solennes, cum tuo „mihi tractatu, sanctissime Pater, accesserunt. Susceperam priùs benedictionem tuam, „ego servus tuus: & egit gratias Domino Deo, „& tibi devotus effectus est affectus meus. „Humanum quidem fuit subvenire proximo, per „charitatis affectum; sed divinum, Fidem defendere Catholicam per inhabitantem in te „Spiritum sanctum. Ubi utrique autem operatus est. unus ille, atque idem Spiritus; volens „tibi virtutum exuberare gratiam; quem suæ „processionis à filio reservabat defensorem. In „malevolam enim animam non poterat introire „sapientia. nec habitare in corpore subdito peccatis. Unde dignum fuit, ut advocatus veritatis, exemplum relinqueret religionis. Talis „enim pastoralibus excubiis congruebat; cui nihil deest ad plenitudinem, nihil ad integritatem doctrinæ. Beatum sanè pectus, quod * „reverendus conventus, reverendum sibi penetrale consecravit. Inde velut ex adytis, divina „prodeunt oracula. nihilque aliud sacra verba „profitentur, quàm cælestis interpretem voluntatis. Eorum me sæpiùs recordantem stupor „opprimit: & miratus nostri temporis hominem, talia posse: calamo scribæ velociter scribentis, omnia confiteor ascribenda, cum Psalmista dicente: A Domino factum est istud; & „est mirabile in oculis nostris. Vale sanctissime Pater; sciens, quia desiderio desiderat anima mea te videre: non ægrè latura ventos, aut „pelagus: dummodo liceat consilium accipere „abs te, quod nusquam esse credo, nisi sit apud „te.

* quod virtutum conventus.

XXVII.

Ita legitur libro tertio Epistolarum S. Anselmi, Epistolâ quinquagesimâ tertiâ, & omnia ferè habentur tomo duodecimo Bibliothecæ magnæ Sanctorum Patrum, parte primâ, inter Epistolas Hildeberti, quæ omnes propemodum sine titulo leguntur. Postrema etiam clausula ibi paulò aliter effertur. cum enim dixisset: *A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.* hæc solùm subdit: *Facies mihi, Pater sancte, rependes, si tuarum*

me

me participem feceris orationum. Vale. Constat ergo sine ullis verborum ambagibus, Hildebertum utrobique Anselmum intellexisse: sive cum tractatum scribi petiit: sive cum scriptum accepit, & gratias Scriptori eleganter egit. Nunc Barensis Synodi reliqua prosequamur. quæ quia unus Edmerus, qui omnibus interfuit, illa recitat. ipsum audiamus narrantem ea saltem, quæ Anglorum Regem, & Ecclesiam spectant: de quibus ipse:

XXVIII. *Edmer. l. 2. fo. 49.* DE REGE ANGLORUM TRACTATUR IN SYNODO.

Procedente deinceps (inquit) *ratione, de Rege Anglorum sermo conseritur: & sinistra quadam de ipso publicè prædicantur: Anselmo inter illa, demisso vultu sedente, & loquentes nullo favore prosequente. Tandem de venditione, & oppressione Ecclesiarum; de quibus inter alia vituperabatur: necne de injuriis Anselmo illatis, Apostolicus acriter questus est. Quem propterea, inquit, etiam regni sui fecit extorrem, quoniam à Beati Petri fidelitate, & obedientiâ nequivit separare. & adjecit: Ecce vita illius tyranni, qualis ad Apostolicam Sedem sæpè delata est: Cui pro correctione sui plura multoties, cohortatoriâ simul, & castigatoriâ suasione, verba mandavimus: sed afflictio, atque depulsio tanti viri, quem coram videtis, satis innuit, quantum profecimus. Ad hæc, fratres, quid sentitis? Quid decernitis? Dixerunt: Sententia plana est, & judicium evidens. Si enim semel, si secundo, si tertiò vocasti; & renuit audire; renuit disciplinam accipere: restat, ut gladio Sancti Petri, sub anathematis ictu percussus, quod meruit, sentiat: donec à suâ pravitate discedat. Respondit. Ita est. Audiens hæc Anselmus, illico surrexit: & flexis genibus coram Papa, Præfatum Regem jam tunc excommunicare parato: vix obtinuit, nè in Regem faceret, quod communis omnium sententia promulgavit. Qui ergo bonitatem viri, solo priùs fuerant auditu edocti: nunc eam facto se experiri gavisi sunt; dum illum, & pro malo bonum reddere: & pro persequente se, non fictâ vident prece intercedere. Admirabilis itaque universis factus est.*

XXIX. NORMANNORUM ECCLESIÆ GRAVIA PASSÆ.

Cum audis *sinistra de Rege Anglorum publicè prædicari:* & Urbanum dicentem, *vitam* ejus *ad Sedem Apostolicam sæpè delatam.* Noli putare, solas Anglorum querelas fuisse: sed scito Normannorum Ecclesias, eadem cum Anglis tempestate jactatas: præsertim ex quo Guilielmus noster ibi rerum summa potitur. Tunc enim varia Magistratus mutatione, Ecclesiæ etiam laceratæ, distractæque sunt: & secularis potentia, suos limites egressa, in Clerum, & Episcopos præsumpsit: adeo ut Cenomanensis Episcopus gravissimis literis scripserit, coactum se ob Regis tyrannidem, ad Apostolorum limina proficisci: & apud Romanum Pontificem, de injuriis sibi Ecclesiæque illatis conqueri: Hoc clarè evincitur, ex Epistolâ decima nonâ ejusdem Hildeberti. Quando invitatus ad Concilium, Sacerdotii tenuitatem objicit, è Consulum Cenomanensium & Anglici Regis tyrannide natam: quæ cogat ipsum, auxilium & consilium ex Urbe petere. Sic ergo loquitur:

XXX. *Hildeb. Epistola 19. tomo 12. Biblioth. p. 1. fo. 315.*

,, SICUT frequens tribulationum concursus,
,, sacris nos invitat Conciliis: sic idem revo-
,, cat & abducit. * Adversa etenim, quæ turbam
,, querimoniarum nobis offerunt; ita nostram
,, contrivere facultatem; ut unicum supersit sola-
,, tium, usus ipse patiendi. Ea profectò ante
,, peractum cœpere triennium: quod totum con-
,, tinuis evolutum lamentis, recens vulnus in vul-
,, nera quotidie fatigavit. Denique tam modico
,, tempore, sex in urbe sustinuimus Consules;
,, quorum nullus pacificum prætendens ingres-
,, sum, gladiis & igne * curtam sibi vendicavit (* curam.)
,, potestatem. Plebe coactâ in favorem, tyran-
,, num suscepit ex necessitate: non ducem, ex le-
,, ge. In susceptum studia simulavit, non exhi-
,, buit. Fidem reperit in ea, quia superior. Con-
,, sul verò tantò graviùs dominatus est, quantò
,, breviùs. Miles ejus, simulatis usus injuriis, eos
,, scelerum judicavit expertes, quos rerum. Et
,, quia non parcit populis regnum breve; finem
,, rapinis inopia posuit, non voluntas. Ea clades
,, usque ad sanctuarium Domini pervagata est:
,, & primò, quicquid extra muros, nostræ fuerat
,, potestatis; vel evanuit in favillas, vel dissipa-
,, tum est in rapinam. Deinde similibus eccide-
,, re præjudiciis Episcopales domus, & Ecclesiæ
,, non paucæ. In reliquis, quibus ignis pepercit,
,, æquè periclitata est; & facultas pauperum, &
,, reverentia Sacerdotum. Omnia confracta sunt,
,, omnia dirempta, omnia contaminata. Nihil
,, eorum manus evasit, qui gratis ad flagitia dis-
,, currunt; ad honestum, nec pretio. Eisdem
,, Clerus injuriis affectus, summam rerum af-
,, fluentiam judicat, solari naturam. Ad necessa-
,, ria votum restringit, omnibus indigens. Illius
,, angustiæ super dolorem vulnerum nostrorum
,, addiderunt: graviusque confundimur, quòd
,, eorum relevare non possumus inopiam, quàm
,, quòd nemo vult nostram. Præterea longum
,, est enarrare, quàm constanti tyrannide Rex
,, Anglicus in nos sævierit: qui (temperantiâ
,, Regis abjectâ) decreverit non priùs Pontifici
,, parendum, quàm Pontificem compelleret in sa-
,, crilegium: quia etenim turres Ecclesiæ nostræ
,, dejicere nolumus, transmarinis subjiciendi ju-
,, diciis, coacti sumus injurias pelagi sustinere:
,, singularem scilicet molestiam itineris, atque
,, unicam totius humanæ compaginis dissolutio-
,, nem. Tantis igitur his agitati turbinibus, ad
,, Apostolorum limina decrevimus proficisci:
,, magnum novæ tribulationis arbitrati reme-
,, dium, si Romanus Pontifex nobis, & consilio
,, subvenerit, & auxilio. Suscipite igitur nostram
,, benevoli excusationem, diligenter attenden-
,, tes, nostros sumptus, itineris expensæ, pari-
,, terque Concilii, sufficere non posse: qui de
,, reliquiis incendiorum (tanquam tabulæ de
,, Naufragio) extracti, defectum nobis in via
,, pollicentur. Vale.

REX ANGLIÆ IN CENOMANENSEM ECCLESIAM GRAVIS.

Nominatur in literis Rex Anglicus, & Guilielmum intelligi opinarer, nisi Baronius ad Henricum I. retulisset. V. eum an. 1107. n. 3.

XXXI. *Edmer. l. 2. fo. 51.*

Soluto Barensi Concilio, & suspensâ contra Regem sententiâ: Urbanus urbem unà cum Anselmo repetiit. *Interea* (pergit Edmerus) *revertitur nuntius; quem à Roma, ad Regem Angliæ destinatum supra diximus: referens ipsum Regem; susceptis quidem quoquomodo literis Papæ, literas Anselmi nullo voluisse pacto suscipere: imo cognito illum esse hominem ejus, jurasse, per vultum Dei, quia si festinè terram suam non exiret, sine retractatione oculos ei erui faceret. Verùm post dies aliquot, ex quo Romam reversi fuimus; venit missus à Rege, Willielmus; cujus in exitu Angliæ mentionem * fecimus; Domino Papæ, ad literas, quas pro Anselmo miserat, responsurus. Dicebat ergo Pontifici: Mandat tibi Dominus*

*V. an. 1096 n. 25. NUNTIUS A REGE

meus

AD URBANUM PAPAM.

meus Rex; sibi non parva admirationi esse; quod in mentem tibi cadere potuit; ut eum, pro restitutione rerum Anselmi interpellares. & subdidit: Si causam quæris, hæc est. Quando de terrâ suâ discedere voluit; apertè minatus est, se illo discedente, totum Archiepiscopatum in dominium suum accepturum. Quoniam igitur nec hic minus constrictus, quin exiret; omittere noluit: justè se putat fecisse, quod fecit; & injuriâ reprehendi. Ad hæc Papa: Accusat eum, inquit, aliunde? Respondit, non. Papa! ait, quis unquam audivit talia. Pro hoc solum Primatem regni suis omnibus spoliavit; quia ne sanctam Matrem Ecclesiam omnium visitaret, omittere noluit.

URBANI RESPONSUM.

*Verè & sine omni ambiguitate dicere possumus: à seculo tale quid non esse auditum. Et pro tali responso mirabilis homo huc te fatigasti? Redi quantocyus redi: & præcipe illi ex parte Beati Petri: quatenus * missâ omni contradictione, illum suis omnibus integrè revestiat, si excommunicari recusat. Itaque fac, ut quid hinc velit, scire me facias, ante Concilium; quod tertiâ hebdomade Paschæ, in hac urbe, sum celebraturus. Alioquin certissimè noverit; se in eodem Concilio damnationis sententiâ puniri, quam promeruit. At ille: priusquam abeam, tecum secretius agam.*

* mota.

XXXII. NUNTIUS REGIS MUNERUM LARGITIONE AGIT PRO REGE.

Mansit ergo ibi per dies plurimos idem VVillielmus; prudenter operam dando, hos & illos suæ causæ fautores efficere. Ac ut Domini sui voluntati satisfaceret; munera, quibus ea cordi esse animadvertebat, dispertiendo, & pollicendo, parvi facere. Deductus ergo à sententiâ Romanus Pontifex, est, ad pro voto VVillielmi, inducias usque ad festum Sancti Michaelis dedit Regi. Acta sunt hæc in ipsis solennis Nativitatis Christi. Quod videntes, vanè nos ibi consilium, nihil auxilium operiri intelleximus: petitaq; licentiâ Lugdunum remeare decrevimus. Quam licentiam, cum nullatenus impetrare potuissemus: remansimus Romæ usque, ad præfinitum tempus Concilii; continuè circa Papam degentes, & quasi in commune viventes. Nec enim duæ, sed una videbatur amborum Curia esse. Unde & ipse Papa frequenter ad Anselmum veniebat, latè cum eo sese agendo: & Curiam faciendo ei dedit quoque illi hospitium; in quo conversabamur eo jure, ut si aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud sibi vendicaret.

ANSELMUS IN URBE SECUNDUS A PAPA.

Ipse in conventu nobilium, in processionibus, in stationibus, semper, & ubique à Papa secundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipse cunctis simplici humilitate summissus. Hactenus Author, reliqua quæ sequuntur, in sequentem, quo contigere annum, remittimus. Interim ex Urbe in Angliam trajicio: visurus ibi, quæ Ecclesiam & Annales nostros spectant.

XXXIII. RICHARDUS ABBAS ALBANENSIS.

Albanensis Monasterii præfecturam accipit, cum quinquennio vacavisset, Richardus Abbas: post diuturnam Normannos inter & Anglos litem, quæ hoc demum anno, pro Normannis deciditur. Anglis numero potentiaque deficientibus. De quo Matthæus Parisiensis hæc habet.

Parisiensis in vitis Abb. in Abbate 15.

Richardus Abbas suscepit curam Pastoralem, post mortem Venerabilis Pauli Abbatis; determinatâ lite, quæ in Conventu exorta fuerat, inter Normannos (qui jam multiplicati invaluerant) & Anglos (qui jam senescentes, & imminuti occubuerant) post mortem Pauli Abbatis anno quinto sequente: tempore VVillielmi Regis secundi. anno videlicet gratiæ millesimo nonagesimo septimo. Hic ab egregiâ Normannorum stirpe trahens originem; plurimorum tam parentum, quàm amicorum fruebatur alloquiis, fovebatur obsequiis, & sustentabatur auxiliis.

EIUS CHARACTER

Necnon Guilielmi Secundi, & Henrici Primi Regum amicitia familiari fultus, multos honores, & possessiones adeptus est, & adeptas viriliter tuebatur. Papali insuper gaudens favore (Vrbano tunc præsidente) & Archiepiscopi Cantuariensis Anselmi consiliis roboratus; totius Curiæ utriusque notitiâ fulciebatur, & amicitiâ. Veruntamen ipso tempore, patiebatur Anselmus persecutionem Regis VVillielmi Secundi, non minimam, unde & exulavit damnificatus. Ita Matthæus. De Richardo hoc plura inferiùs, nam annis uno & viginti Monasterio præfuit.

V. an. 1115. 22. & an. 1119. 21.

XXXIV.

Guilielmus Rex, qui sub initium hujus anni è Normanniâ in Angliam trajecit; sub finem ejusdem anni Normanniam repetiit, ubi tyrannidem æquè, ac in Angliâ exercuit. de quo Huntindonius: *Iunior Willielmus, anno undecimo regni sui, in Normanniâ fuit; semper hostilis tumultibus, & curis armorum deditus: tributis interim & exactionibus pessimis, populos Anglorum non abradens, sed excorians.* Videntur elementa omnia, cælum, terraque Regis tyrannidem sensisse. nam teste eodem Huntindonio: *In æstate (hujus anni) visus est sanguis ebullire, à quodam stagno apud Finchamstede in Berkscire. Post hoc apparuit cælum tota nocte penè quasi arderet.* Sed & Oceanus noster horruit, & infremuit, circa Cantii litora: cum terræ ictus, eandem suis fluctibus, & immani undarum impetu obruit. de quo Camdenus, cum Britannicas Insulas describit. *Magis ad ortum,* inquit, *extra Tamesis ostium, Tanato Insulæ locus vadosus, arenosus, & navigantibus insidiosus longè præjacet; quem Goodwin Sands vocant; ubi Insulam anno millesimo nonagesimo septimo absorptam, quæ Comitis Godwini patrimonium erat, produnt Annales: de quo sic Ioannes Twinus. Fuit hæc terra valde fertilis, & pascuis abundans; paulò humilior quàm Thanatos: ex qua transitus per naviculam, tria aut quatuor passuum millia longus erat. Hæc Insula, insolita tempestate ventorum, imbrium furore turbulento, & inaudita maris rabie immergitur, & eructatâ arenâ incredibiliter obducitur: & irrecuperabiliter, in dubiam terræ & maris naturam convertitur. Intelligo enim quid loquor: quia interdum tota fluitat: interdum verò patitur gradientes, decedente mari.*

Huntind. fo. 377.

Camd. in Insulis Britan. fo. 760.

GOODWINI ARENOSUM.

XXXV.

Moritur hoc anno Balduinus, S. Edmundi Abbas, cum Monasterio illi, plures annos cum laude præfuisset. nam Romam profectus anno Domini millesimo septuagesimo primo, ab Alexandro Pontifice plurima impetravit, quæ superà recensui: & plenus dierum hucusque superfuit: nec nisi occidente anno occidit. de quo Wigorniensis & Hovedenus ad hunc annum ita scribunt. *Eximiæ religionis vir Baldwinus, Abbas Monasterii Sancti Edmundi, genere Gallus, artis medicinæ benè peritus, quarto Calendas Ianuarii, feriâ tertiâ in bonâ senectute decessit: & in medio choro Principalis Ecclesiæ sepultus requiescit.*

V. an. 1071. n. 18.

Wigorni. hoc.

ANNUS CHRISTI 1098.

URBANI II. PAPÆ 11.

GUILIELMI II. REGIS 12.

I. CONCILIUM ROMANUM

SEQUITUR Christi annus millesimus nonagesimus octavus, Romana Synodo, Anselmi in Gallias reditu, & multâ rerum in Angliâ gestarum varietate insignis. De Synodo, hæc tantum

habet

Cui adest Anselmus.

Baron. hic n. 1.

habet Baronius. *Constat, inquit, hoc eodem anno, post aliqua ab eodem Urbano Pontifice Romæ fuisse Synodum celebratam; cui voluit interesse Sanctum Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem: quem discedere properantem, eâ de causâ, Romæ Papa detinuit, de quo Edmerus, qui aderat ista scribit.* Tum recensitis quæ in vita Sancti Anselmi idem Author habet, de induciis Anglorum Regi datis, indictaque hac Synodo, ut nos superiori anno narravimus: subdit. *Quæ autem constituta fuerint in Concilio, præterit Edmerus: sed Willielmus Malmesburiensis in historia rerum gestarum Pontificum Anglorum de his agens sugillat Urbanum Papam, ac suos, quod pecuniæ mercimonio inductus Regi concessisset, usque ad festum S. Michaelis Archangeli.* Pergit Baronius Urbanum excusare, excommunicationis sententiam Anselmi intercessione suspensam esse: nec vitio dandum, quod arundinem conquassatam non confregerit, & linum fumigans non extinxerit. Ego nolo hac vice pro Malmesburiensi advocare: dico tamen, in hoc ipso, de quo agimus, Concilio, Episcopum fuisse, qui sonora voce, Anselmi causam agens, graviter invectus est, Urbano etiam præsente, & audiente in omnes qui Anselmum neglexisse videbantur. Nec id unus Malmesburiensis refert, ut putat Baronius: sed refert id Edmerus, qui Concilio interfuit, & a quo Malmesburiensis omnia scripsit. refert, inquam, in Historiâ Novorum, quam Baronius, ut nuper impressam videre, non potuit. Ibi igitur hæc habentur.

II.

Edmer. l. 2. fo. 52

Anselmi sedes in Synodo.

Cum vero ad Concilium ventum esset: & Episcopi, qui de Italiâ & Galliâ venerant, suas sedes, ex consuetudine vendicantibus; nemo existeret, qui se vel audisse, vel vidisse Archiepiscopum Cantuariensem Concilio Romano ante hac interfuisse diceret: vel scire quo tunc in loco sedere deberet; ex præcepto Papæ, in corona, sedes illi posita est: qui locus non obscuri honoris, in tali conventu, solet haberi. Igitur dum in ipso Concilio multa tractarentur, multa disponerentur, multa observari decernerentur: nec tamen ab omnibus, partim propter conventus immensitatem; partim propter intrantium, & exeuntium a corpore Beati Petri, strepitum, & concrepationem, clare intelligerentur: Præcepit ipse Pontificum summus Lucensi Episcopo, Reingero nomine, quatenus in medio, cæteris eminentior staret; sonorâ, quâ pollebat, voce, quæ statuta erant, cunctorum auribus expresse deponeret. Paret ipse Præsidentis imperio. Verum nonnullis ab ea capitulis, in audientiâ omnium distincte expositis: subito admirantibus cunctis, vultu, voce, ac gestu corporis in alium habitum demutatus est. Unde suorum luminum acie, in circumsedentes directâ, vulnerata mentis dolorem ultra dissimulare non potuit. Rupta igitur decretorum serie, quæ exponenda susceperat;

Reyngerus Episcopus pro Anselmo loquitur.

intulit dicens: Sed videl cet quid facimus? Præceptis subditos oneramus, & iniquis tyrannorum sævitiis non obviamus. Oppressiones namque quas ipsi, suâ tyrannide Ecclesiis inferunt, & expoliationes personarum, quæ tuendis illis instituta sunt, quotidie ad hanc sedem referuntur, consilia & auxilia, sicut a capite omnium, requiruntur. Sed quo terminentur effectu, heu totus mundus novit, & indè conqueritur. De cujus mundi remotissimis partibus, unus ecce inter nos, modesta taciturnitate quiescens, mitis residet: cujus silentium, clamor est magnus: cujus humilitas & patientia, quo declivior atque mansuetior, eo sublimior est ante Deum, & in nos ferventior; iste unus, unus inquam iste, quam crudelissime afflictus, quam minus, [...] sua omnibus expoliatus, venit huc judicium, & æquitatem Apostolicæ Sedis, de negotio suo efflagitans. Jam annus secundus est, quo huc venit: Sed ne quid hucusque subventionis invenit? Si de quo dico, non omnes agnoscitis: Ipse est Anselmus Archiepiscopus Anglicæ regionis.

III.

His dictis virgam pastoralem, quam manu tenebat, tertiò pavimento illisit, indignationem spiritus sui, compressis, exploso murmure, labiis, & dentibus, palam cunctis ostendens. Ad hæc Papa, ei annuens, ait. Frater Reingere sufficit, sufficit. De hac re bonum consilium erit. At ille producto in eum spiritu, inquit; Et equidem expedit. nam aliter eum, qui justa judicat, non transibit. Deinde ad perducenda Concilii decreta monitus, verba resumpsit: ac in fine dicendi; ne parvi penderetur injuria Anselmo illata, repetiit, monuit & sessum ivit. Hæc omnia, cum Pater Anselmus audisset; & tandem circa finem verborum, de se dicta intellexisset: oppido miratus est, sciens se nec homini de re locutum fuisse: nec à se, vel ullo suorum, ut talia diceret processisse. Sedebat ergo, uti solebat, silenter auscultans. Inter ultima verò Synodi, jam recisis, quæ recidenda; & statutis quæ visa fuerunt constituenda: in adversarios sanctæ Ecclesiæ, excommunicationis sententiam, cum toto Concilio, Papa intorsit. Quâ sententiâ omnes quoque laicos, investituras Ecclesiarum dantes: & omnes easdem investituras de manibus illorum accipientes: necnon omnes in officium sic dati honoris hujusmodi consecrantes, pari modo involvit. Eos nihilominus sub ipsius anathematis vinculo colligavit, qui pro Ecclesiasticis honoribus, laicorum hominum homines fiunt: dicens; nimis execrabile videri, manus, quæ in tantam eminentiam excreverint, ut quod nulli Angelorum concessum est; Deum cuncta creantem suo ministerio creent: & eundem ipsum, pro redemptione & salute totius mundi, summi Dei Patris obtutibus offerant; in hanc ignominiam detrudi: ut ancillæ fiant illarum manuum; quæ die & nocte obscœnis contagiis inquinantur, rapinis, ac injustâ sanguinum effusioni addictæ commaculantur. His præsentes fuimus: hæc conspeximus. His ab universis, Fiat, Fiat, acclamari audivimus: & in his consummatum Concilium scimus. Hæc Edmerus.

IV.

Investituræ ius multorum causa malorum.

Quotquot Synodorum acta digesserunt; ista in Romana Synodo, hoc anno gesta, omittunt; quia præter Edmerum, nuper excusum, nemo illa recensuit. Et tamen sententia Synodi, quæ investituras prohibet à laicis dari, vel accipi; maximarum in Anglia turbarum causa fuit: non tantum sub Guilielmo Juniore, qui modò regnat: sed eo post sequentem annum amoto, sub Henrico primo, qui Anselmum ideo persecutus, è sede illum & Angliâ ejecit. Anselmo constantissimè hanc Synodi sententiam propugnante, ut posterius dicam. nunc illum, soluta Synodo, ex Urbe discedentem, petitâ ab Urbano licentiâ, prosequamur. *Verum, quid ante recessum egerit ab Urbano, non prætereundum* (ita monet, & loquitur Baronius) *sed in exemplum omnium, Christianam modestiam profitentium; in tanti viri commendationem est enarrandum. Antequam ex Urbe discederet, inquit Willielmus in rebus gestis Pontificum Anglorum; ipse Anselmus obedientiæ pertinax custos, cum Archiepiscopus liberæ potestatis esset: rogavit Papam Urbanum, ut sibi aliquem præponeret, cujus jussu vitam disponeret. Is Edmerum (quem alii Edinerum vocant) exhibuit; cujus Anselmus tanti jussa faciebat, ut cum eum cubili locasset; non solum sine*

Baron. hic n. 6.

Anselmi obedientia.

præcepto ejus non surgeret; sed nec latus inverteret. Ita illi, ubi Anselmum, omni virtutum genere ornatissimum prædicant.

V. *Edmer. l. 2. fo. 53.* ANSELMUS LUGDUNUM REVERTITUR.

Anselmus ex urbe discedens, Lugdunum revertitur, ad Hugonem illius urbis Antistitem. de quo itinere, hæc Edmerus: *Posterâ die acceptâ licentiâ, Roma digredimur; nihil judicii vel subventionis, præterquam quod diximus, per Romanum Pontificem nacti. Via vero eundi tunc temporis, multis erat periculis obnoxia: sed protegente nos Domino pericula cuncta transimus; ac Lugdunum illæsi pervenimus, ubi cum summâ veneratione gaudioq; suscepti, & à Pontifice civitatis decenter; mansionem nostram illic firmavimus; amissâ omni fiduciâ, ulterius, tempore Willielmi Regis, Angliam remeandi. Habitus est ergo ibi Anselmus; non sicut hospes aut peregrinus: sed sicut indigena, & veri loci Dominus. Unde nusquam ipse ipsius urbis Antistes, eo præsente, suo volebat loco præsidere. Sed præsidente ubique Anselmo, inferioris, & Suffraganei loco simul, & officio, mira ductus humilitate, fungebatur. Anselmus festivitates, sacros ordines, Ecclesiarum dedicationes, celebrabat: & Pontificalia quæque officia administrabat. Sed cum multi, agnitâ benevolentia ejus amplitudine, ad eum concurrerent, & Sacramentum impositionis manus Episcopi, ab illo, sibi ac suis conferri deposcerent: ipse qui in Episcopalium officiorum administrationibus, semper nutum Pontificis expectabat; levi affabilitate respondebat: suum non esse, tale quid in parochiâ alterius Episcopi, eo inconsulto, præsumere. In quo cum ratione agi intelligentes; mox ad suum Episcopum nuntios dirigunt: & quâ benignitate vir ad suas preces responderit, innotescentes, orant illum rogari pro se. De re ergo à Pontifice appellatus, immo per totam parochiam suam, hoc, & aliis Pontificalibus officiis in illius voluntatis deliberatione positis, omnes admittere; neminem ab illius gratiâ Sacramenti patiebatur immunem discedere. Fiebat itaque frequens populorum concursus: & nonnunquam in hoc solo expendebatur dies totus: ita ut nos, qui ei ministrabamus, gravi tædio sæpè fatigaremur: ipso semper jocundo vultu, & hilari existente. Crevit autem in eum mira quadam ex his, & inaudita dilectio omnium: & bonitas ejus divulgabatur per circuitum.* Hæc & non plura de rebus hujus anni ab Anselmo gestis, Edmerus.

VI. Dum Anselmus adhuc in urbe moraretur; Beccenses Monachi, per literas, ab eo sciscitati sunt varia quæ Ecclesiasticam œconomiam, & sacra spectant. Inter cætera, Guilielmus Abbas, de moto semel altari dubium movit; quæsivitque, si iteratâ consecratione indigeret: quid etiam de Ecclesiâ dicendum, cujus pars de novo construitur, debeámne tota de integro consecrari: an verò alterius partis sanctitate gaudeat. Quibus ita respondet Anselmus, atque ita altarium dignitatem explicat: ut facile videre sit, quàm gravi in errore versentur illi, qui altaria omnia è templis eliminant, cum frustrà templum, aut Ecclesia nominetur, ubi desunt altaria. Ita enim scribit.

Ansel. Epistolarum. l. 3 Epistola 159.

Domino & amico charissimo Reverendo Abbati WILLIELMO: ANSELMUS servus Ecclesiæ Cantuariensis salutem.

„ QUANDO respondi, ad quod quæsivistis de altari, & de Ecclesia; ita erat cor meum, quadam sollicitudine gravatum; ut non possem intendere iis quæ dicebam. & nuntius vester ita festinabat, ut in aliud tempus hoc differre non possem. De quo quidem, neque in decretis, neque in Canonibus memini me aliquid legisse. Sed à quodam Episcopo audivi, quod in Decretis Eugenii Papæ legitur, altare motum, iterum consecrandum. De his cum Domino Urbano Papa loquutus sum, assistentibus quibusdam Episcopis. Sed Papa dicebat: mensam altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec ampliùs in altare reputandam. Alii vero dicebant, tantùm reconciliandam, nullam tamen authoritatem ostendentes. In hoc autem omnes concordant: quod violato principali, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est. Nec Ecclesia consecranda est, sine consecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem Ecclesiâ. In his autem omnes concordant, cum quibus locutus sum, exceptâ altaris mensâ. Item si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur; aut nova fit, altari immoto: aquâ tantum ab Episcopo benedictâ, aspergendam dicunt.

DE ALTARI MOTO, QUID CENSENDUM?

VII. DESTRUCTO ALTARI, DESTRUITUR ECCLESIA.

„ Ratio autem, quam à me quæsivistis, hæc mihi videtur super his. Altare non fit propter Ecclesiam: sed Ecclesia propter altare: & ideo violato principali altari; jam non videtur esse Ecclesia: quia non est illud, propter quod Ecclesia construitur, & consecratur. Quapropter cum illud sit novum; rectè videtur cum eo consecrari, per quod recepit, ut sit Ecclesia. De moto altari iterum consecrando; hæc quoque mihi ratio videtur. Altare vicem fidei Christianæ tenet. ut sicut non nisi in altari, sacrificium nostrum offerimus: ita non nisi rectâ fide sacrificia bonorum operum offeramus, si & Deo placere volumus. Sicut igitur Fides mota à suo fundamento (quod est Christus) & à suâ stabilitate; jam non est Fides: ita altare motum à suo fundamento; jam non est altare. Sive quod de eadem materiâ totum; sive de aliâ fiat altare novum: & aliud quod fuerat altare, videtur ideo consecrandum. Propter hanc rationem cavendum existimo, ne altare gestatorium consecretur sine fundamento, quod multi custodiunt, & ferè ubique custoditur. Quamvis in Normanniâ, cum ibi etiam non servaretis: sed nudi lapides nusquam affixi consecrarentur. Quod ego non damno; nec tamen facere volo. Ex his quæ dixi, sequitur; quia si tota Ecclesia nova fiat, altari sine violatione manente, quoniam sine consecratione altaris alicujus, consecrari non debet: aut altare aliquod est ibi renovandum, ut simul cum Ecclesiâ consecretur: aut aquâ ab Episcopo, ad hoc benedictâ intus, & exterius simpliciter aspergatur. Quæ facienda de his dixerim, ex ore & usu aliorum didici. Rationem verò eandem alios habere non nego; sed ego à nullo accepi. Quapropter quod per me, vel per alios sentio; Sanctitati vestræ postulatus simpliciter insinuo, donec vobis certiùs, aut meliùs patefiat. Vale.

ALTARE PORTABILE NON CONSECRANDUM SINE FUNDAMENTO.

VIII. COROLLARIUM.

Jucundè versor in antiquorum sensu, & majestate sacrorum. Habes hic, Lector, templorum & Ecclesiarum originem. nimirum, illa sacrificio serviunt, & divino cultui: ut olim naturæ

lex, inde Mosaicæ, demum Christiana Fides dictavit: nec enim Deus diviniore cultu, quàm sacrificio, colitur: nec sacrificium sine altari, sine loco, sedeque aliquâ, religiosè immolatur. Sedes ergo illa, supremi cultus fundamentum est; & templorum parens, ac causa præcipua: muri, parietes, & alia quæ altare ambiunt, divini cultus circumstantia, non substantia sunt. Unde doctè concludit Anselmus; sublato fundamento, ædificium omne corruere necessum esse. Sublato, inquam, altari; templis, ne nomen quidem superesse. Quod etiam Calvinus, & omnes ejus assclæ probè norunt: qui sacrificio irati, & supremo Dei cultui; nihil antiquius habuerunt; quàm altaria demoliri: quibus erasis; templa, ædes sacræ, Ecclesiæque omnes; sine ullo alio adminiculo per se corruunt. Sic ergo non solùm antiqua fides, & religio: sed omne etiam pietatis lenocinium, tollitur. nam eleganter suprà Anselmus: *Altare*, inquit, *vicem fidei Christianæ tenet*, hoc est; Principatum in fide obtinet: & quia altare, sacrificium necessariò connotat: arx est, & religionis orthodoxæ propugnaculū; quo hæreses erroresque superantur. Unde illi, sine Christianâ fide esse convincuntur; qui sacrificio carent, qui altaria destruunt; Deumque eâ perfidiâ, supremo cultu exuunt. Nec potuit humani generis hostis, fortiùs in Deum pugnare, quàm sacrificium impugnando: nam moto, & amoto illo divini cultus fundamento; cultui accessoria facilè concidunt. Unde hodie Calvinistæ tam impotenter templis irascuntur, quàm olim irati sunt sacrificio. Quo impetu, nupera Synodus apud Westmonasterium tumultuariè coacta, religiosè scilicet definivit, nullum in Angliâ locum, alio sanctiorem esse. Ex quo paradoxo sequitur; equile, atque porcile, pari cum templis reverentiâ, cultuque dignum. quod amotis altaribus, de modernorum templis, ex Anselmi etiam sententiâ, concedendum est. Secus de orthodoxorum Ecclesiis, Deo teste, sentiendum; ut memorabili argumento, è rebus hoc anno gestis, mox ostendam.

IX. Guilielmus Rex, vix in Angliam è Normannia redierat; cum motus ubique, & bellorum tumultus, quietem ejus turbaverunt. Sed ipse ad omnia paratus, mirandâ prorsus industriâ; motum ubique composuit. Diceres Deum, ejus votis ideo obsequutum: ut vel benevolentiæ signis eum ad virtutem pietatemque alliceret; vel præcipitem ad vitia, nulloque freno tenendum, regno vitaque exueret. Hoc anno adblanditur Deus; post sequentem iratam frontem contrahit; & Regem punit. nunc itaque in multitudine divitiarum suarum gloriantem, & militari animositate illustrem, legamus. Breviter ita refert Hun-

Huntind. hic fo. 377. tindonius: *Iunior VVillielmus duodecimo anno regni sui, rediens in Angliam tenuit primum curiam suam, in novâ aulâ apud VVestminster. Quam cum inspecturus primùm introisset: cum alii satis magnam vel æquo majorem dicerent: Dixit Rex, eam magnitudinis debita dimidiâ parte carere. Qui sermo Regi magno fuit, nisi parvo constaret honori. Rursus cum venaretur in novo foresto; venit ei subitò nuntius à*

GUILIELMI RUFI RESPONSUM NAUTÆ. *Cenomanniâ, dicens ei, familiam suam ibi obsideri. Ilicò Rex festinus, ad mare veniens, naves introivit. Cui Nauta. Cur Regum maxime, tempestate intolerabili, maris alta lacessis: & mortis imminens periculum non formidas? Quibus Rex: De Rege fluctibus submerso loqui non audivi. Ergo mare transiens, nihil dum viveret egit; unde tantam famam, tantum gloriæ decus haberet. Cenomanniam verò petens, Heliam Consulem fugavit; & sui juris esse jussit: & in Angliam redit.* Hæc ille, pro rei gestæ dignitate, satis modestè. Malmesburiensis non ita cursim, Regis facinora, cum gloria conjuncta transit: Cum enim impietatem ejus, & secus facta commemorasset, addit.

X. Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 224. GUILIELMI RUFI MAGNANIMITATIS MONUMENTA. *Verumtamen sunt quadam de Rege, præclara magnanimitatis exempla, quæ posteris non invidebo. Venationi in quadam silvâ intentum, nuntius detinuit, ex transmarinis partibus: obsessam esse civitatem Cenomannis, quam nuper fratre profecto, suæ potestati adjecerat. Statim ergo, ut expeditus erat, retorsit equum, iter ad mare convertens. Admonentibus ducibus, exercitum advocandum, paratos componendos: Videbo, inquit, quis me sequetur. putatis me non habiturum homines? Si cognovi juventutem meam; etiam naufragio ad me venisse volet. Hoc igitur modo pene solus ad mare pervenit. Erat tunc nubilus aer, & ventus contrarius, flatus violentia terga maris verrebat. Illum statim transfretare volentem nautæ exorant; ut pacem pelagi, & ventorum clementiam operiatur. Atqui, inquit, Rex; nunquam audivi Regem naufragio interiisse. Quin potius solvite retinacula navium, videbimus elementa jam conspirata in meum obsequium. Ponto transito, obsessores audita ejus fama dissiliunt. Author turbarum quidam Helias capitur: cui ante se adducto Rex ludibundus: Habeo te, magister, inquit: At ille, cujus alta nobilitas nesciret etiam in tanto periculo, sapere: Fortuitò, inquit, me cepisti: si possem evadere, novi quid facerem. Tunc VVillielmus, præ furore ferè extra se positus, & objurgans Heliam: Tu, inquit, nebulo, tu quid faceres? Discede, abi, fuge. Concedo tibi ut facias quicquid poteris: & per vultum de Luca, nihil si me viceris, pro hac venia, tibi paciscar. Nec inferius factum verbo fuit: sed continuò dimisit evadere, miratus potiùs, quam insectatus fugientem.*

XI. BRITANNI TUMULTUANTUR. Dum Rex Cenomanenses, in transmarinis partibus domat; Britanni opportunitate absentiæ ejus usi, Normannorum imperia satagunt subterfugere. Sed Hugo Cestrensis, & Hugo Salopiensis, Normanni Comites, ad omnem Britannorum motum excubantes; hoc anno eorum impetum egregiè stiterunt. & in Mevaniam Insulam fugientes persecuti, crudeliter exceperunt: non sacris locis, aut hominibus, parcentes: quod Salopiensi Hugoni carò stetit. De hac Normannorum expeditione, Wigorniensis ita narrat:

Wigorni. hic. PREMUNTUR A NORMANNIS. *Interea Comites, Hugo de Ceastra, & Hugo de Scrobbesbiria, Mevaniam Insulam; quæ consuetè vocatur Anglesege; cum exercitu adierunt, & multos VValanorum, quos in ea ceperunt occiderunt. Quosdam verò manibus & pedibus truncatis, testiculisque abscissis, excæcaverunt. Quendam etiam provectæ ætatis Presbyterum, nomine Kenredum: à quo VValani in eis, quæ agebant, consilium accipiebant, de Ecclesiâ extraxerunt: & testiculis ejus abscissis, & uno oculo ejus eruto; linguam ipsius absciderunt. Sed die tertiâ, miseratione divinâ, illi reddita est loquela. Eo tempore, Rex Norreganorum Magnus, filius Regis Olavi, filius Regis Haraldi Harvagri, Orcadas & Mevanias Insulas, cum suo adjecisset imperio, paucis navibus advectus illuc venit. At cum ad terram rates appellere vellet: Comes Hugo de Scrobbesbiria, multis armatis militibus, in ipsa maris ripa occurrit: & ut fertur, mox ab ipso Rege sagittâ percussus, die septimo,* HUGO SALOPIENSIS OCCIDITUR.

quo crudelitatem in præfatum exercuerat Presbyterum, interiit.

XII. ECCLESIARUM VIOLATIO PUNITA IN HUGONE.
* *Spelman. in præfatione* De non temerandis, &c.

Verùm quod ad Hugonis hujus mortem attinet, aliquid est animadversione dignum, quod Authores alii non prætereunt. Qui Henricum Spelmannum, * *de non temerandis Ecclesiis*, nuper edidit, Spelmanni filius; in præfatione libri, parentis argumentum probat, & urget: interque cætera violatarum sacrarum ædium prodigia; narrat Hugonem Salopiensem in Mevaniâ Insulâ pugnantem, canes suos in sacris ædibus stabulasse: inde mox, oculo, qui solùm inermis erat, perforatum cecidisse. Sed malo antiquiores audire; qui procul à modernis litibus, integriùs referunt. Itaque Giraldus Cambrensis, qui sequenti post Hugonem sæculo nascitur: in Itinerario Cambriæ; cum Monam, seu Mevaniam Insulam describit, hæc habet l. 2. c. septimo. *Est in hac Insulâ, Ecclesia Sancti Tefredauci Confessoris; in qua Hugo, Comes Slopesburiensis, cum semel, unà cum Comite Cestrensi, hanc Insulam vi ingrederetur, canes nocte quadam posuisset, insanos omnes mane recepit. Et ipsemet infra mensem miserabiliter extinctus occubuit. Accesserant enim ad Insula portum, ab Orcadum Insulis pirata, in navibus longis. Quorum adventum ubi Comes audivit; statim eis usque in ipsum mare, forti residens equo, animosissimus occurrit. Et ecce navium princeps, cui nomen Magnus, prima navis in prorâ, cum arcu prostans, sagittam direxit. & quamquam Comes à vertice capitis, usque ad talum pedis, præter oculos solum, ferro fideliter esset induens: tamen dextro percussus in lumine, perforato cerebro in mare corruit moribundus. Quem cum sic corruentem victor ab alto despiceret; superbè in victum & insolenter invectus, dixisse memoratur, linguâ Danicâ; Leit loupe; quod latinè sonat. sine salire. Et ab hac imposterum horâ, potestas Anglorum in Monâ cessavit.*

Girald. in Itinerario l. 2. c. 7.

MONA NORWEGI POTIUNTUR.

XIII. ECCLESIARUM VIOLATIO PUNITUR, UT OLIM, SIC ET NUNC.

Norwegi hac ratione Insula potiuntur: & cum prædas inde & spolia ampla tulissent; imperium Britannis permiserunt: qui usque ad Edoardi primi tempora, sub varia, inconstantique martis vicissitudine, illud tenuerunt. Sic Deus sacrilegii crimen, à progenie, in progeniem punit. Simile violati numinis prodigium vidit hæc ætas nostra; cum anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio; exercitus ductor, Bruchus nomine, dignitate Baro, in Sancti Ceddæ templum, quod Lichfeldiæ cernitur, pugnaturis; æneum tormentum aptari jubet: dumque, elatâ parum casside, tormenti situm contemplatur, omnino cataphractus; in oculo, qui solùm vulneri patebat, glande percussus, derepentè extinguitur. ut suprà etiam, cum morientis Ceddæ sanctitatem explicui, pluribus dixi. Zelotes est Deus; suam, & suorum sanctitatem tuetur: & sæpè antiqua brachii sui miracula, recentibus argumentis renovat: quo videant mortales, locorum, hominumque differentiam esse: & Moysi è rubo dictum: *Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*; de Christianorum Ecclesiis imprimis dici sentiendum esse.

V. an. 672. n. 7.

Exod. 3. n. 5.

XIV. MORITUR WALCHELMUS WINTONIEN. EPISCOP.

Moritur hoc anno Walkelmus, Wintoniensis Episcopus, qui ab anno millesimo septuagesimo Ecclesiam cum laude administrarat. * *Cujus bona opera famam vincentia* (loquitur Malmesburiensis) *senium a se vetustatis repellent; quamdiu inibi Sedes Episcopalis durabit.* Hunc olim Anselmus, cum in Normannia esset Beccensis Abbas, per literas salutavit, & doceri petiit aliqua: quorum mentio in hisce literis.

* *Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 246.*

Anselm l. 2. Epistolarum Epistola 51.

Domino & Patri Reverendo Episcopo Wintoniensi, GUALCHELMO Frater ANSELMUS orationum, & servitii fidelitatem.

XV. ANSELMI LITERÆ AD WALKELMUM EPISCOPUM.

,, SECUNDÙM quod vestram scivi volunta-
,, tem, locutus sum cum Domino Abbate,
,, de Monte Sanctæ Trinitatis. Concessionem à
,, Domino Abbate Rainero, antecessore suo,
,, vobis factam esse de Domino Stephano, Mo-
,, nasterii sui Monacho, penitùs negat. Hanc
,, autem negationem mihi sic putat asserere. quia
,, dicit se vestris precibus, eundem Fratrem, eo
,, tenore concessisse: ut quandocumque ab ipso,
,, aut post ipsum, à Priore sui Monasterii, revo-
,, caretur; absque excusatione rediret: vestram-
,, que reverentiam, eundem non invitum susce-
,, pisse. Persuasi tamen, quantum potui; ut ni-
,, hil contra voluntatem vestram acceleraret.
,, Quid tandem scribere velit vobis, aut jam scri-
,, psit, aut scripturus, omni interim de dilatione
,, reditus Fratris offensione remota. * Interea,
,, si quid plus potero, secundùm quod scio vos
,, inde velle, apud ipsum efficere tentabo. Do-
,, minus Robertus, frater; & sub vestrâ sanctita-
,, te conservus noster, quem & dilectorem ve-
,, strum volo dicere, quia scio; sed non audeo:
,, quia forsitan non omnis qui audit, credit:
,, Nescio quid supra me confidens, per me nimis
,, mihi instat; quatenus apud me pietatem ve-
,, stram, pro Fratre meo Gisleberto intercedam.
,, Sed valde grave mihi semper est, aliquid à
,, quoquam petere, contra ejus voluntatem: ma-
,, ximè ab illo, cujus nunquam volo offendere
,, benignitatem. Itaque angustiæ mihi sunt un-
,, dique. Si enim precibus pietatis non moveor;
,, nimis ero durus: Si autem aliquid precibus,
,, ab invito, extorqueo; etiam quod sponte tri-
,, buendum sit; timeo videri importunus.

* *videtur aliquid deesse.*

,, Quoniam igitur, nec tacere audeo, nec ro-
,, gare: saltem ad discendum liceat servo vestro
,, benignam vestram prudentiam humiliter in-
,, terrogare. Labia enim Sacerdotis custodiunt
,, scientiam, & legem requirunt ex ore ejus:
,, quia Angelus Domini exercituum est. Doceri
,, ergo à vestrâ sapientiâ cupio: Si apud Deum,
,, pater non portat iniquitatem filii: nec filius
,, iniquitatem patris. Utrùm apud propinquum,
,, frater portet iniquitatem fratris. Videmus
,, enim hoc fieri non solùm apud multos extra-
,, neos; sed & apud quosdam propinquos; quo-
,, rum authoritas facilè reprehendenda non est.
,, Denique quomodo verum est; quia sicut ani-
,, ma patris; ita & anima filii, Dei est. Ita veri-
,, simile videtur; quia sicut caro fratris, ita &
,, caro fratris consanguinei est. Et si cujuslibet
,, culpa in propinquum transit; propinquior est
,, filius patri; quàm frater, fratri. Si ergo vestræ
,, pietati solubilis videtur hæc quæstio: præfatum
,, Gislebertum, quia propè est, doceat suam so-
,, lutionem: & super ipsum erit dubitanti mihi
,, susceptam mandare responsionem. Valete. XV.

XVI. WALKELINUS

Fuit Walkelmus, Monachorum fautor, licet Monachus non esset. principio quidem Monachis asperior: sed ubi monasticæ vitæ puritatem

propiùs

NON MONACHUS, MONACHORUM FAUTOR.

propiùs aſpexit; admirari illam, & colere cœpit. Sic Malmeſburienſem intelligo ſcribentem de eo: *Primò quidem*, inquit, *advena novus, Monachos exoſus fuerat, ſed facilè correctus, umbraticum illud odium ſæpè deploravit. deinceps fovens eos, ut filios; diligens, ut fratres; honorans, ut Dominos: nihil minùs pro diſſimilitudine veſtis, exhibens eis vel adjutoris, vel familiaritatis. nullum convitium inceſſere: pronuntians quod Epiſcopalis gravitas, ſuam, indignâ maculâ, reſpergat gloriam, ſi in pauperiorum deſcendat contumeliam.*

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 246.

Intelligit hic Author Wintonienſis Cœnobii Monachos, quos Walkelmus imprimis fovit; Priorem illis è tranſmarinis partibus evocando; qui religioſam diſciplinam eleganter auxit, promiſitque ad poſteros. de quo idem, qui ſupra Malmeſburienſis. *Conſtruit ipſe Priorem loci Godefridum quendam, ex Cameraco genitum. qui religione & literatura inſignis fuit. Literaturam proteſtantur Epiſtolæ, familiari illo & dulci ſtylo editæ, maximeq́; epigrammata, quæ ſatyrico modo abſolvit, præterea verſus de Angliæ Primatum laudibus. Quid quod omne divinum officium, quod vetuſtate quadam obſoletum, nativâ excultum venuſtate, fecit ſplendeſcere. Religionis & hoſpitalitatis normam pulchrè inchoatam delineavit in Monachos: qui hodie in utriſque Godefridi ita formam ſectantur; ut nihil, aut parum eis deſit ad laudis cumulum. Denique eſt in eâ domo hoſpitium, terrâ, mariq́; venientium, quantum libuerit, diverſorium ſumptu indeficiente, charitate indefatigatâ.*

Idem ſuprà.

GODEFRIDI PRIORIS WINTONIEN. LAUS. ECCLESIASTICUM OFFICIUM RESTITUITUR.

Plura de Godefrido dicam iofra, cum morietur. Nunc conjectare liceat; cum in Breviarii editione, quæ Oſmundo paſſim tribuitur, Sariſburienſi Epiſcopo, diciturque inde ſecundùm uſum Sarum; palmam tuliſſe. quod Malmeſburienſis verba ſatis clarè ſignificant: qui de Oſmundo ſcribens, nullam ei laudem; quæ tamen tacenda non erat, in divini officii reſtitutione, tribuit.

V. an. 1107 n. 29.

XVII. Hinc corrige Godwinum, in Catalogo Epiſcoporum, qui de Walkelmo ſcribens, conatur Lectori perſuadere; eum non Monachorum, ſed ſecularium Sacerdotum patronum eximium fuiſſe. Sic enim ille, Monachis ubique infeſtior. *Idonei certè* (inquit) *ſunt authores, Walkelinum Monachos ubicumque data eſſet facultas, Cœnobiis expuliſſe; & ſeculares Presbyteros introduxiſſe.* Opinor idoneos vocat Authores, eos ſolùm qui nuperæ factioni faventes, Monachos è Monaſteriis excluſerunt. Unde nè ſoli inſanire videantur; per fas & nefas perfidiæ ſocios nundinantur. Anſelmus ſuprà & Malmeſburienſis, figmentum illud ſatis evincunt. Placet tamen quod Godwinus ſubdit, & ſupra à me dictis congruit: *Conſecratus eſt*, inquit, *Walkelinus, ab Arminfrido, Epiſcopo Sedunenſi, Legato Pontificio, in feſto Sanctæ Trinitatis, anno milleſimo ſeptuageſimo: & præfuit annos viginti ſeptem. Illo ſedente, anno, nimirum, milleſimo ſeptuageſimo nono, Eccleſiæ Cathedralis fabrica, quam nunc cernimus; primum erigi cœpta. Obiit Ianuarii tertio, milleſimi nonageſimi ſeptimi.* quod ad initium hujus anni milleſimi nonageſimi octavi, referendum eſt, è communi orbis dialecto. Mortuo Walkelmo nemo conſecratus ſucceſſit, ante ſequentis ſæculi annum ſeptimum. Priùs tamen Guilielmus eligitur, cognomento Giffard. de cujus conſecratione dicam inferius.

Godwin. in Wintonien.

V. an. 1070. n. 7.

V. infra, an. 1102. n. 12. & 13.

XVIII. Ad hunc annum Ciſtercienſis Monaſterii exordium referunt Sigebertus, & Matthæus Weſtmonaſterienſis: ſed & alii paſſim Authores noſtri, ideò mentionem ejus faciunt; quia ab Anglo Monacho, illud primam credunt duxiſſe originem. Unde Harpesfeldus, de primo illius operis promotore hæc pronuntiat. *Fuit ille homo Anglus, & Schirneburnenſis Monachus: quem alii Stephanum, alii Hardingum appellarunt. de quo aliquanto uberius; vel ob id præſertim mihi dicendum puto; quod vel unus; vel præcipuè, inſigni & illuſtri illi Ciſtertienſi Ordini initiando, occaſionem dedit: & ſua, ante obitum pietate, & induſtriâ, admirabili acceſſione provexit.* Sed malo audire Malmeſburienſem, his temporibus proximum, de Guilielmo Rufo ſic ſcribentem. *Ejus diebus religio Ciſtellenſis cœpit: quæ nunc optimâ viâ ſummi in cælum proceſſus, & creditur, & dicitur. De qua hic loqui, ſuſcepti operis non videtur eſſe contrarium, quod ad Angliæ gloriam pertineat; quæ talem virum produxerit, qui hujuſce religionis fuerit, & author, & mediator. Noſter ille, & noſtra puer in palæſtrâ, primi ævi tyrocinium tuenerit. Quapropter ſi non invidi ſumus; eò illius bona complectimur gratioſiùs, quò agnoſcimus propinquius. Simul & laudes ejus attollere mihi eſt animus; quia ingenua mens eſt, ſi bonum in alio probet, quod in te non eſſe ſuſpires. Is fuit Hardingus nomine z apud Anglos, non ita retonditis natalibus procreatus. A puero, Scireburniæ Monachus. Sed cum adoleſcentem ſeculi urtica ſolicitaret; pannos illos peroſus; primo Scotiam, mox Franciam contendit. Ibi aliquot annis, literis liberalibus exercitus, divini amoris ſtimulos accepit. Namque cum pueriles ineptias robuſtior ætas excluderet: Romam cum conſorte ſtudiorum Clerico profectus eſt. Nec illos continuatio, & difficultas itineris, & facultatum penuria, unquam cohibere potuit; quin quotidie totum pſalterium; & euntes, & redeuntes cantitarent. Profectò jam prædicabilis viri ſpirabat animus; quod non multò poſt, per Dei gratiam eſt adorſus: Nam Burgundiam regreſſus; in Moleſmo, novo & magno Monaſterio, crinem abjecit. & prima quidem elementa regulæ, olim viſa, facilè recognovit. Cum verò & alia proponerentur obſervanda; quæ nec in regulâ legerat, nec uſquam viderat: rationem eorum efflagitare cœpit; modeſtè ſanè, & ut Monachum decet.*

Vide Monaſterium. Inc.

CISTERTIEN. ORDINIS EXORDIA.

Harpesfeld. ſæc. 11. c. 19.

Malmesb. de Regib. l. 4 fo. 126. fine.

HARDINGUS ET ANGLUS SCHIRBURNIÆ MONACHUS.

XIX. *Ratione, inquiens, ſupremus rerum author omnia fecit; ratione omnia regit: ratione rotatur poli fabrica: ratione, ipſa etiam quæ dicuntur errantia ſidera, torquentur. Ratione moventur elementa: ratione & * æquabilitate, debet noſtra ſubſiſtere natura. Sed quia per deſidiam, à ratione ſæpe decidit: leges quondam multæ latæ; noviſſimè per Beatum Benedictum, regula divinitus proceſſit; quæ fluxum naturæ, ad rationem revocaret. In qua etſi habentur quædam, quorum rationem penetrare non valeo: authoritati tamen acquieſcendum cenſeo. Ratio enim & authoritas divinorum ſcriptorum, quamvis diſſonare videantur; unum idemq́; ſunt. namque cum Deus nihil ſine ratione creaverit, & recreaverit: qui fieri poteſt, ut credam Sanctos Patres; ſequaces ſcilicet Dei, quicquam præter rationem edicere: quaſi ſoli authoritati fidem debeamus adhibere. Itaque illorum quæ procuditis; aut rationem, aut authoritatem afferte. Quamvis non multum debeat credi; ſi quid humana rationis poſſit allegari, quod æquipollentibus argumentis valeat enervari. Quapropter ex regulâ, quæ ratione, & authoritate nixa; utpote omnium juſtorum ſpiritu dictata eſt; date exempla: quod ſi non poteſtis; fruſtra profitemini illius prærogativam, cujus contemnitis ſequi doctrinam.*

DE REGULÆ OBSERVATIONE DISPUTAT.

* al. æquilibritate.

XX. *Hujuſmodi ſententia, ab uno, ut fit, ſerpens ad*

alios; meritò movit corda Deum timentium, nè fortè in vacuum currerent, aut cucurrissent. Frequentibus ergo Capitulis disputatio agitata, hunc habuit finem: ut ipse Abbas sententiam probaret; supersedendum superfluis; solam medullam regulæ vestigandam. Ita duo fratres electi, in quibus scientia literarum, cum religione quadraret: qui vicariâ collatione, authoris regulæ voluntatem inquirerent, inquisitam aliis proponerent. Abbas sedulò agere; ut totus Conventus assentiretur. Sed quia difficilè a mentibus hominum avellitur, quod ex antiquo insederit; quia inviti expuunt, quod prima falsa combiberunt. penè omnes recipere recusarunt res novas quia antiquas diligebant. Soli decem & octo: in quibus Hardingus; qui & Stephanus; sanctâ obstinatione pervicaces: cum Abbate suo, Cœnobium dereliquunt: pronuntiantes non posse regulæ puritatem custodiri in loco, ubi & opum congeries, & ciborum indigeries, etiam reluctantem animum offocarent. Igitur Cistellas venerunt; locum prius saltuosum; nunc ita frequenti religione Monachorum conspicuum; ut divinitatis ipsius conscius, non immeritò æstimetur. Ibi suffragio Archiepiscopi Viennensis; qui nunc Apostolicus est; memorabile, & omni sæculo venerabile opus cœperunt. Baronius etiam Cisterciensis familiæ primordia, ad hunc annum consignat, & ait; Robertum Abbatem; qui reliquos duxit; à suis Molismum, Pontificiâ authoritate eductum; Albericum novæ familiæ præfecisse. Urbano omnia probante, qui anno sequenti moritur. Hardingus noster primus pro regulæ puritate intercessor: præ cæteris, si non novæ coloniæ ductor; præcentor tamen fuit. Unde meritò in Anglorum Annalibus laudem habet, præsertim cum post Albericum in Abbatis dignitatem tertio loco successerit, ut dicam infra suo loco.

Baron hic n. 17.

HARDINGI LAUS.

V. an. 1107. 28.

ANNUS CHRISTI 1099.

PASCHALIS II. PAPÆ 1.

GUILIELMI II. REGIS 13.

I.

MORITUR URBANUS PAPA.

URBANUS Papa, cum Romanam Ecclesiam; factiosis nequicquam obgannientibus; egregiè administrasset, annos undecim, menses quatuor, dies decem & octo; rationem villicationis suæ Deo redditurus, moritur, quarto Calendas Augusti, anno Domini millesimo nonagesimo nono, & successorem accipit, Paschalem eo nomine secundum, ex Abbate Monasterii Sanctorum Laurentii, & Stephani, extra muros: virum ea sede, & honoris prærogativâ dignum, & omnium bonorum laude celebratum discolis solùm, & religiosæ vitæ, disciplinæque osores, parùm benevoli electioni ejus fuerunt. Unde Guilielmus Rex, intellectâ Urbani morte, & substitutione Paschalis; omne subjectionis jugum excussurus, vanitatem suam prodidit juxta illud: *Vir vanus, in superbiam erigitur; & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* nam Edmerus ita de illo. *Inter hæc,* inquit, *per populos fama dispersit, Urbanum Sedis Apostolicæ Præsidem, præsenti vita modum fecisse. Si quidem prius obiit, quam ... a Rege Anglorum, pro causis Anselmi expectabat responsum susciperet. Qui decessit vita, ubi ejusdem Regis auribus insonuit, respondit: Et Dei odium habeat, qui inde curat. Adjecitque: Ille vero, qui modo Papa est; cujusmodi est. Cui, cum in aliquibus Anselmo Archiepiscopo similis diceretur, ait. Per vultum Dei, si talis est, non valet. Veruntamen sit modo ipse per se: quia per hoc, & hoc, Papatus suus non ascendit, hac vice, super me. Ego interim libertate potitus, agam quod libet. Nec enim putabat Apostolicum orbis, posse in regno suo esse, cujuslibet juris, nisi permissum a se.*

PASCHALIS II. PAPA.

Job. 11. v. 12

Edmer. l. 2. fo. 54.

GUILIELMI RUFI VOX, AUDITA MORTE URBANI II. QUALIS PRÆCURSOR HENRICIANI SCHISMATIS.

II.

Anselmus interea Lugduni moratus, apud novum Pontificem, veterem querimoniam deponit; soliciteque agens, ut Pontificatus onere levaretur, has literas Paschali dirigit.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 40.

Domino, & Patri Reverendo, PASCHALI, summo Pontifici: ANSELMUS, servus Ecclesiæ Cantuariensis, debitam ex corde subjectionem, & orationum, si quid valent, devotionem.

ANSELMI LITERÆ AD PASCHALEM.

„ QUOD ad vestram celsititudinem, tantum moratus sum nuntium mittere; postquam de certâ notitiâ vestrâ, Deo gratias agentes, gavisi sumus; hæc fuit causa, quia quidam nuntius Regis Anglorum venit ad Venerabilem Archiepiscopum Lugdunensem, pro causâ nostrâ: non tamen afferens, quod suscipiendum esset: & audiens responsum Archiepiscopi, reversus est ad Regem: promittens se in proximo rediturum. Hunc expectavi, ut scirem, quid vobis de Regis voluntate notificare possem, sed non venit. Causam itaque nostram breviter intimo. Quia quando Romæ moratus sum; eam Domino Papæ Urbano, & multis aliis; sicut scit, ut puto, sanctitas vestra, sæpè narravi.

DUM ESSET IN EXILIO, NARRAT PASCHALI QUÆ PRÆCESSERUNT CUM REGE.

III.

„ Videbam in Angliâ multa mala, quorum ad me pertinebat correctio: quæ nec corrigere, nec sine peccato meo tolerare poteram. Exigebat à me Rex, ut voluntatibus suis, quæ contra legem, & voluntatem Dei erant, sub nomine rectitudinis, assensum præberem. Nam sine suâ jussione, Apostolicum nolebat recipi, aut appellari in Angliâ: nec ut Epistolam ei mitterem, aut ab eo missam reciperem, vel decretis ejus obedirem. Concilium non permisit celebrari in regno suo, ex quo Rex factus, jam per tredecim annos. Terras Ecclesiæ hominibus suis dabat. In omnibus his, & similibus, si consilium petebam, omnes de regno ejus, etiam Suffraganei mei Episcopi, negabant se consilium daturos, nisi secundùm voluntatem Regis. Hæc & multa alia, quæ contra voluntatem, & legem Dei sunt, videns: petii licentiam ab eo, Sedem adeundi Apostolicam: ut inde consilium de animâ meâ, & de officio mihi injuncto acciperem. Respondit Rex, me in se peccasse, pro solâ postulatione hujus licentiæ: & proposuit mihi, ut aut de hac re, sicut de culpâ, satisfacerem: & securum illum redderem, ne ampliùs peterem, nec aliquandò Apostolicum appellarem: aut de terrâ ejus citò exirem. Elegi potiùs exire, quàm nefandæ rei consentire. Romam veni, scitis; & Domino Papæ rem totam exposui. Rex mox, ut de Angliâ exivi; taxato simpliciter victu, & vestitu Monachorum nostrorum, totum Archiepiscopatum invasit, & in proprios usus convertit. Monitus, & rogatus à

„ Domino Papa, ut hoc corrigeret, contempsit, „ & adhuc in hoc perseverat.

IV. „ Jam est tertius annus, ex quo sic de Angliâ „ exivi: pauca quæ mecum tuli; & multa quæ „ mutuatus sum, quorum adhuc sum debitor, ex„ pendi. Sic plùs debilis, quàm habilis, apud „ Venerabilem Patrem nostrum, Archiepisco„ pum Lugdunensem, ejus benignâ largitate, & „ largâ benignitate, sustentor. Non hoc dico, „ quasi desiderem redire in Angliam: sed timeo, „ nè mihi vestra sublimitas succenseat, si ei no„ strum esse non notifico. Precor igitur, & ob„ secro, quanto possum affectu; ut nullo modo „ me in Angliam redire jubeatis; nisi ita, ut le„ gem, & voluntatem Dei, & decreta Apostoli„ ca, voluntati hominis, liceat mihi præferre: „ & nisi Rex mihi terras Ecclesiæ reddiderit: & „ quicquid de Archiepiscopatu, propter hoc, „ quia Sedem Apostolicam petii, accepit. vel „ certè, quod pro horum digna recompensatio„ ne Ecclesiæ prosit. Aliter enim ostenderem „ me hominem Deo debere præponere, & justè „ spoliatum esse; quia Sedem Apostolicam vo„ lui requirere. Quærunt quidam nimis intelli„ gentes: Cur ego Regem non excommunico? „ Sed sapientiores, & rectum habentes consi„ lium, consulunt; ne id faciam; quia non per„ tinet ad me, utrumque, & querimoniam sci„ licet, & vindictam facere. Denique ab amicis „ nostris, qui sub eodem Rege sunt, mandatum „ mihi est, quia mea excommunicatio, si fieret; „ ab illo contemneretur. Ad hæc omnia autho„ ritas vestræ prudentiæ, nostro non eget con„ silio.* Oramus, ut Deus omnipotens faciat „ omnes actus vestros sibi placere: & Ecclesiam, „ de vestri regiminis prosperitate, diu gaudere. „ Amen.

V.
Regis gloriatio male cessit.
Edmer l. 2. 54.

Valuit hæc Anselmi querimonia, & miseriarum explicatio; ut Deum ad misericordiam flecteret; eo tempore, cum vix aliud malo curando remedium superesset. Qui enim nuper insolenter gloriatus est, se sub Paschali Papa, libertate sua potiturum: nec eum pro Ecclesiæ Principe agnitu„ cum, iratam Dei manum, & impiæ libertatis vindicem sensit. De quo Edmerus: *Libertate, qua se potiturum gloriatus est, non diu frui permissus est. Prius enim, quam annus transit; insperatâ, & subitâ morte percussus, eam perdidit. October namque audivit eum glorantem: secunda dies sequentis Augusti vidit eum expirantem.* De quo infra. necdum enim completa est malitia ejus. Implevit autem, cùm hoc anno vacantem Dunelmensem Ecclesiam, Ranulfo vendidit: quem suprà, sed nunquam satis, criminibus onustum dixi. Wigorniensis, & Hovedenus ita scribunt ad hunc annum.

Wigorn. hic.
Ranulphus Dunelmensis Episcopus.
Huntindon. fo. 378.

Rex Anglorum Willielmus Iunior, de Normanniâ redit in Angliam; & in Pentecoste, Londoniæ curiam suam tenuit. ac Ranulfo, quem negotiorum totius regni exactorem constituerat, Dunelmensem Episcopatum dedit. Quem Thomas Eboracensis Archiepiscopus ibi mox consecravit. Quod Huntindonius ita reddidit. *Anno illo, Rex Ranulfo placitatori, sed perversori: exactori, sed exustori totius Angliæ, dedit Episcopatum Dunelmiæ.* Pecuniam intercessisse tradunt alii, & Regis ingenium id satis probat. Sic enim de Ranulfo Godwinus in Catalogo.

VI. *Post mortem Guilielmi vacavit Dunelmensis Episcopatus annos tres, mensesq; quatuor. Quem tandem Rex contulit Ranulfo cuidam; non tam, quod tanto Præsulatu eum dignum, quàm quod dignum existimaret, quem (quamquam bipedum nequissimum) ob plurima sibi præstita obsequia remuneraret. Ab hoc tamen homine, tam utili, & gratioso, mille libras accipere non est veritus; ut ad hunc eum promoveret Præsulatum. Capellanus hic fuerat Mauritii Londiniensis Episcopi; qui plurimi eum facere visus est: sed non tanti, ut Decanatu Ecclesiæ suæ vacante, eum voluerit donare. Quod ille ferens ægerrimè, indignabundus eum reliquit: & nescio quibus artibus in aulam irrepsit. Homini vafro, ingenioso, facundo, quique honestatem ex utilitate semper consuesset metiri, difficile non fuit, ferè quicquid vellet, consequi apud Principem, & avarissimum simul, & luxuriosissimum, Guilielmum Secundum (quem Rufum cognominamus) cui nullum genus lucri suavius visum; quàm quod ex sacrilegio proveniret. Gratiam igitur Regiam hujusmodi commento primum est promeritum. Præsulatus vacantes (tam Abbatias puta, quàm Episcopatus) elocandos dicebat impigris hominibus, qui sua curantes impensius, quam Ministri Regis, aliena: multo plura erant corrasuri, quam fisco hactenus fuisset illatum. Placuit consilium: & licitatoribus ad mercimonium tam inhonestum, raro confluentibus; locationes omnes solus Ranulfus consequutus est. Magnam hinc nummorum vim Regi coacervavit: seque etiam simul abunde locupletavit. Unde Rex conspiciens, aliis etiam in rebus, operam ejus inutilem non futuram. collaudatâ hominis industriâ; ad alia itidem, atque alia munera, eum quotidie promovit, donec tandem totius regni procurator effectus est.*

Godwin. in Dunelmen.
Ranulphi character et exordia.

Hæc ille, & habes dignum patella operculum. Qui Anselmum premit, & optimum quemque, Ranulfum effert, & præficit Ecclesiæ.

VII.
Moritur Osmundus Sarisburien. Episcopus.
*V. an. 1091 n. 2.

Moritur hoc anno, & cælo donatur Osmundus, Sarisburiensis Episcopus: quia * anno Domini millesimo nonagesimo primo consecratus, cum Ecclesiam exinde pientissimè gubernasset; ad laborum, & pietatis præmia vocatus est: relicto sui nominis æterno monumento, in opere illo, quo omnis Anglorum Ecclesia, in publico Dei cultu, precibusque recitandis, usa est: diciturque ab hoc Episcopo, Officium secundùm usum Sarum. De quo Harpesfeldus ita scribit:

Breviarium secundùm usum Sarum.
Harpesfel. sæc. 11. c. 15.

Quoniam singulæ ferè Diœceses, in statu & precariis horis dicendis variabant: ad hanc varietatem tollendam: & ut quasi absolutum quoddam precandi, quo omnes uti possent, exemplar extaret: eas in unum ferè ordinem, & commodam rationem; quam hodie omnes prope Angliæ, Cambriæ & Hiberniæ Ecclesiæ sequuntur; magno & prudenti rerum ex sacris Scripturis, & probatis Ecclesiæ historiis delectu distribuit, & digessit. Quibus tamen, Episcopis nescio quomodo conniventibus, quædam ab ejus obitu aspersa videntur, quæ accuratiorem limam, gravioremq;, ni fallor, censuram expectant. Ita ille. religiosè sanè & modestè. Quædam enim Sanctorum vitis in Officio illo irrepserunt, è zelo, non prudentiâ, petita. Et ideo sanctè cautum est; divinum, & publicum officium; non è privatæ alicujus Ecclesiæ affectibus: sed communi orbis judicio, & sacrorum Principis imperio, recitandum. Quod hodieque observat Romana Ecclesia; quæ passim creditur ex *usu Sarum*, ex opere, inquam, ab Osmundo Antistite digesto, multa mutasse: quod indubiè cum Osmundi laude conjungitur: cujus etiam laudis participium, Godefrido Wintoniensis Ecclesiæ Priori, deberi videtur, ut suprà. V. an. 1090 n. 16.

Hæc

VIII. *Harpesf. supra.* SANCTUS A MORTE ET CLARUS MIRACULIS.

Hæc & multa alia pietatis opera, cum (de Osmundo prosequitur Harpesfeldus) *post hanc mortalem vitam depositam, in cælestem & sempiternam civitatem transcripserunt. Quod ita esse, Deus ipse innumeris, quibus beatas ejus reliquias; tam in veteri, quàm novâ Sarisberia miraculis ample & magnificè ornavit. iis qui manci, mutilati, claudi, & paralytici erant, variisq́; morbis afflictabantur, corporum firmitate, cæcis visu, furiosis mentis sanitate, mortuis denique vitâ redditâ, toti Angliæ contestatus est.* Ita ibi. Frigidè aliquando Osmundus egit, in causâ Anselmi; & pietatis deliquium, cum aliis Episcopis passus est: sed crimen illud festinâ pœnitentia diluit: agnito statim errore; & absolutione ab eodem Anselmo impetratâ, ut suprà. Deus etiam, optimus peccatorum medicus, illum in tribulationis fornace probatum, ab illâ, aliâque sorde, expiavit. Unde rectè Malmesburiensis, cum cætera Osmundum laudasset: *Veruntamen*, inquit, *quacumque mundialis labe contracta, credatur patientiâ suâ luisse, diuturno morbo ante mortem tabefactus.* Ita post mortem, pro Sancto habitus, in omni passim Martyrologio colitur; a Calixto Papa, eo nomine tertio, Sanctorum Catalogo inscriptus. Romanum Martyrologium, ad quartum Decembris, ita loquitur: *In Angliâ Sancti Osmundi Episcopi & Confessoris.* Ad quæ verba, hinc notam adjicit Baronius: *Fuit hic Episcopus Sarisberiensis, sanctitate & eruditione clarus, scripsitq́; inter alia vitam Sancti Anselmi: claruit circa annum Domini 1050.* Sed legerem potiùs: *Scripsit inter alia vitam Sancti Anselmi: claruit circa annum Domini 1090.* Qui enim ante Anselmum moritur, ægrè ejus vitam potuit scribere. Cæterùm Aldelmi nostri Schirnburnensis Ecclesiæ Episcopi (unde postmodum Sarisberiensis emersit) quem mortuum dixi ad annum Christi septingentesimum nonum; vitam scripsisse plures testantur Scriptores nostri. Ab eo ergo tempore; nimirum sub sui Pontificatus exordium, & famâ doctrinæ, & nominis celebritate, inclaruit.

V. an. 1095. n. 24.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 250.

Mart. Romanum 4. Decemb.

V. an. 709. n. 24.

IX. TRANSLATIO S. OSMUNDI.

Sed nunquam magis inclaruit; quàm cum odore virtutum & sanctitatis allectus, Richardus Sarisburiensis Episcopus, Osmundi ossa, post centum annos novo à se condito oppido, è veteri religiosè transtulit. Cujus translationis memoria, in nostro Martyrologio notatur ad decimum sextum Julii: diciturque sub præcepto servari solita, in Sarisburiensi Diœcesi. Occasio translationis hujus ab Harpesfeldo refertur [illegible]s verbis. *Ædem sacram, quam Hermannus, ut diximus, inchoavit. Osmundus magnis sumptibus, splendide & magnificè consummavit: in qua, & humatus est, ad annum Christi millesimum nonagesimum nonum. Sed post centesimum sextum & vigesimum annos; novum apud Sarisburiam veterem, oppidum, tam humile & depressum, aquisq́; irriguum; quàm erat illic alter locus aridus, & siccus, mille inde passus distans, a Richardo Episcopo conditum est. Et in illam Clerici omnes civitatem, tanquam colonia, cum corpore Osmundi, deducti, & translati sunt.* Mirabilia quæ Deus in sacri corporis elatione edidit, in officio ejus referuntur, quod est secundùm usum Sarum. Cæterùm quomodo postmodum a Calixto Papa, cum sanctis solenni cerimoniâ annumeratus sit, dicam ad annum Christi millesimum quadringentesimum quinquagesimum sextum. Interim lugeat Salisburiensis Ecclesia, & plures annos vidua maneat: nec ante sequentis sæculi annum septimum, Episcopo conjugetur. Prius quidem Rogerus eligetur: sed diu de electionis valore disputabitur.

Marty. Angl. 16. Julii.

Harpesfel. sæc. 11. c. 19.

X. REGEM DEUS PRODIGIIS TERRET.

Nunc è cælo, in terram; à sancto Episcopo, ad impium Regem descendimus: quem Deus vario prodigio, ad virtutem flectere; sed frustra, conatur. hactenus eum; quia morbi disciplina meliorem non fecerat; blandis rerum eventibus, prosperâ ubique fortunâ; mari terráque, ad pietatem trahere studuit. Sed indomita cervix, quæ morbum impatienter tulit: blanditiis, & Dei benignitate, facta est erectior. Pugnavit ergo, hoc anno, Orbis terrarum contra insensatum: dæmones per Insulam discurrunt, terra sanguinem sudat; terrentur provinciales, vindicem Dei manum veriti. Unus Guilielmus Rex, quem prodigia maximè spectant; divitias bonitatis Dei, & patientiæ & longanimitatis contemnit: ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam illum adducere niteretur. Unde secundùm duritiam suam, thesaurizavit sibi iram, in die iræ; qui brevi sequetur: priùs omninò, quàm tertium decimum sui regni annum compleat; qui hoc tantum anno inchoatur. de quo, & prodigiis, sic Malmesburiensis. *Tertio decimo anno regni, qui & extremus vitæ fuit, multa adversa: hoc quoque maximè horrendum; quod visibiliter diabolus apparuit hominibus, in saltibus & deviis, transeuntes allocutus. Præterea in pago Berrucsbire, in villa* Hamstede, continuis quindecim diebus, fons sanguinem, tam ubertim manavit; ut vicinum vadum inficeret. Audiebat ille* (Guilielmus Rex) *hoc, & ridebat, nec sua somnia, de se, nec aliorum visa, curans.*

Ad Rom. 2. 4. 5.

Malmesb. de Regib. l. 4. f. [illegible]

**Finc[illegible]amstede.*

ANNUS CHRISTI 1100.

PASCHALIS II. PAPÆ 2.

GUILIELMI II. REGIS 14.

I. QUINTA REGIS IMPIETA IN ECCLESIARUM RETENTIONE.

UNDECIMUM à Christo nato sæculum, Guilielmi Regis morte terminatur. Ille qui prodigia nupera contempsit, qui vocantem indies Deum audire noluit: qui Ecclesiarum bonis immanè ditatus; ad summum improbitatis fastigium ascenderat, Deo hominibusque invisus; nunc tandem a Deo ad dicti, factique reddendam rationem, novo portentorum genere monitus, vocatur. Et sanè, in ratione reddendâ plurimum laborare oportuit eum, qui tot Episcopatuum, & Abbatiarum onere gravis, succumbere necessariò debuit, quod unum præsumpsisset. Cantuariensem Archiepiscopatum, ab excessu Anselmi, totum invaserat. Wintoniensem Ecclesiam, ab obitu Walkelmi, biennio vastaverat; Sarisburiensem quoque, quam nuper Osmundus reliquerat, in manu hoc anno tenuit: nihil de substituendo Pastore solicitus. Wintoniensem etiam, sub Sampsone Episcopo vehementer afflixerat. Ad hæc Abbatias duodecim, jamdudum invaserat, quibus vel Abbates nullos præfecit; vel earum bona pro libito usurpavit. Et licet Albanensi Monasterio Richardum suprà præesse permiserit: miserrimè tamen in illud quadriennio grassatus; locum illum Monachosque vexaverat. Unde sanctum Albanum Protomartyrem, vindicem sentiet. nunc pauca de morte ejus,

prodigiisque illam loquentibus, quæ passim Authores nostri recitant.

II. *Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 125.*

Multa de nece ejus (loquitur Malmesburiensis de Guilielmo Secundo) *& pravisa & prædicta homines ferunt: quorum trita, probabilium relatorum testimonio, lecturis communicabo. Edmerus nostrorum temporum historicus, sinceritate veritatis laudandus, dicit nobilem illum exulem Anselmum; cum quo pariter omnis religio exulabat; Marcenniacum venisse; ut Hugonis Abbatis Cluniacensis conscientiæ querelas curarum suarum ingereret. Ibi cum de Willielmo Rege sermo volutaretur; Abbatem prædictum dixisse. Proxima nocte Regem illum, ante Deum ductum, & adjudicatum, librato judicio, tristem damnationis subiisse sententiam. Id quomodo nosset, nec tunc ipse exposuit; nec aliquis audientium requisivit. Veruntamen pro contuitu religionis ejus; nulli præsentium de fide dictorum inhæsit ambiguum. Ejus erat vita Hugo, ejus fama; ut omnes ejus suspicerent eloquium, mirarentur consilium; quasi ex cælesti * audito insonuisset oraculum. Nec multo post; occiso, ut dicemus, Rege; venit nuntius; ut sedem suam dignaretur Archiepiscopus.*

Hugonis Abbatis visio de Regis morte.

forte * adyto.

III. Somnium Regis.

Pridie quam excederet è vitâ; vidit per quietem se phlebotomi ictu sanguinem emittere, radium cruoris in cælum usque porrectum, lucem obnubilare, diem interpolare. Ita inclamata, Sancta MARIA, somno excussus, lumen inferri præcepit, & cubicularios a se discedere vetuit. Tunc aliquot horis antelucanis vigilarunt. Paulò post, cum jam aurora diem invehere meditaretur: Monachus quidam transmarinus retulit Roberto, filio Hamonis, viro magnatum Principi, somnium, quod eadem nocte de Rege viderat, mirum & horrendum. Quod in quandam Ecclesiam venerit, superbo gestu, & insolenti, ut solebat, circumstantes despiciens. Tunc crucifixum mordicus apprehendens, brachia illi corrosit; crura penè truncaverit. Crucifixum diu tolerasse: sed tandem pede, ita Regem depulisse, ut supinus caderet. Ex ore jacentis tam effusam flammam exisse, ut fumeorum voluminum orbes etiam sidera lamberent. Hoc somnium Robertus, non negligendum arbitratus, Regi confestim, quod ei à secretis erat, intulit. At ille cachinnos ingeminans: Monachus, inquit, est, & causa nummorum monachaliter somniat: date ei centum solidos. Multum tamen motus, diu cunctatus est; an in silvam, sicut intenderat, iret: suadentibus amicis ne suo dispendio veritatem somniorum experiretur. Itaque ante cibum, venatu abstinuit, seriis negotiis, crudelitatem indomitæ mentis eructans. Ferunt eâ die largiter epulatum, crebrioribus, quàm consueverat poculis frontem serenasse.

Somnium Monachi.

IV. *Mox igitur post cibum, in saltum contendit, paucis comitatus; quorum familiarissimus erat Walterus, cognomento Tirel, qui de Franciâ, liberalitate Regis adductus, venerat. Is cæteris per moram venationis, quo quemque casus tulerat, dispersis; solus cum eo remanserat. Iamque Phœbo in occasum proclivi, Rex cervo ante se transeunti, extenso nervo, & emissâ sagittâ, non adeo sævum vulnus inflixit: diutine adhuc fugitantem vivacitate oculorum prosecutus: opposita contra violentiam solarium radiorum manu. Tunc Walterus, pulchrum facinus animo parturiens, ut Rege alias interim intento, ipse alterum cervum, qui fortè propter transibat; prosterneret, insciens, & impotens Regium pectus (Deus bone!) lethali arundine trajecit. Saucius ille, nullum verbum emisit: sed ligno sagittæ quantum extra corpus extabat, effracto: moxque super vulnus cadens, mortem accelleravit. Accurrit Walterus; sed quia nec sensum, nec vocem hausit: perniciter cornipedem insiliens, beneficio calcarium probè evasit. Nec verò fuit, qui persequeretur; illis conniventibus, istis miserantibus; omnibus postremo alia molientibus. Pars receptacula sua munire; pars furtivas prædas agere; pars novum Regem jamjamque circumspicere. Pauci rusticanorum cadaver, in rhedâ caballariâ compositum; Wintoniam in Episcopatum devexere; cruore undatim per totam viam stillante. Ibi infra ambitum turris, multorum procerum conventu, paucorum planctu, terræ traditum.*

Moritur Rex sagitta percussus.

Wintoniæ sepelitur.

V. *Secuta est posteriori anno ruina turris. de qua re, quæ opiniones fuerint, parco dicere: ne videar nugis magis credere: præsertim cum pro instabilitate operis, machina ruinam fecisse potuisset; etiamsi ipse nunquam ibi sepultus fuisset. Obiit anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo, regni decimo tertio, quarto nonas Augusti, major quadragenario: ingentia præsumens, & ingentia, si pensa Parcarum evolvere, & violentiam fortunæ abrumpere, & eluctari potuisset, facturus. Tanta vis erat animi, ut quodvis sibi regnum promittere auderet. Denique ante proximam diem mortis, interrogatus, ubi festum suum in Natali teneret: Respondit, Pictavis: quod Comes Pictavensis, Ierosolymam ire gestiens, ei terram suam pro pecuniâ invadaturus dicebatur. Ita paternis possessionibus non contentus; majorisque gloriæ spe captatus indebitis incubabat honoribus.* Hæc Malmesburiensis. Quibus addunt alii; ultima Regis verba, factis suis coronidem posuisse: cum Walterum inclamans; ut prætereuntem cervum, sagittâ configeret, dixit: Trahe diabole. Quo audito traxit ille quidem sed ictu attulit æternam perniciem; eo in loco, quem parens Guilielmus, immani sacrilegio, destructis Ecclesiis, animarum & bestiarum stabula fecerat. Ibi inquam, Guilielmus alter sanguinem fudit: cui dicere iterum potuit Elias Thesbites: *In quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* In quo parens, spreto humano divinoque jure, peccavit. Ibi tu infra homines eris, & cadaver luto sanguineque fœtidum, vel crimen expiabit; vel alios certè à sacrilegii crimine absterrebit.

Eius magnanimitas.

Locus mortis, est pæna peccati.

3. Reg. 21. 19.

VI. Conveniunt omnes, antiqui pariter ac moderni; vindicem Dei manum, in Regis morte mirabiliter apparuisse. Edmerus ita refert. *Illa die manè pransus in silvam venatum ivit: ibique sagittâ in corde percussus, impœnitens, & inconfessus, è vestigio mortuus est, & ab omni homine mox derelictus. Quæ sagitta, utrum, sicut quidam aiunt, jacta ipsum percusserit: an quod plures affirmant; illum pedibus offendentem, superque ruentem occiderit, disquirere otiosum putamus: cum scire sufficiat, eum justo judicio Dei prostratum atque necatum.* Hoc Dei judicium, Guilielmi peccata in Ecclesiam & Monasteria peccantis, potissimùm accelerarunt. Qui enim Albanense Monasterium quadriennio injustè expilarat: qui Anselmum è Cantuariensi Ecclesiâ expulerat; qui Sacerdotia ubique nundinatus est: non potuit Sanctorum iras effugere. Unde Albanensis Monachus affirmat, Albanum Sanctum, pro Cœnobio suo, & Ecclesiis, pugnasse. *Rex Willelmus secundus* (inquit) *nullius, præcipuè mortui, verus amicus. interim in manu suâ Cœnobium* (Albanense) *tenuit; & immisericorditer depauperavit: nemora complanando, ab hominibus Sancti Albani pecuniam, causis cavillatoriis adinventis, extorquendo. Quod non permisit multum Beatus Albanus. Nam ipsa nocte, quâ postea obiit Rex,*

Edmer. l. 2. fo. 54.

Parisien. in vitis Abbat. Abbat. 14.

VISIO S. ANSELMI. * videlicet, male.

*quiddam dignum contigit relatione. Anselmus Archipræsul cum exularet, moram faciens apud Cluniacum; multa passus damna, cum injuriis: * vidit, Deo revelante, in visione nocturnâ, quòd ductus fuit ante tribunal judicis. Et cum multi Sancti Angliæ graviter deposuissent querimoniam, super injuriis sibi à Rege impio crebrius illatis, iratus altissimus respondit Accede Anglorum Protomartyr. Et accedenti Albano; tradidit Deus sagittam ardentem, dicens: Vindica te, & omnes Sanctos Angliæ læsos à Tyranno. Accipiens autem Albanus sagittam, de manu Domini, projecit eam in terram, quasi faculam, dicens: Accipe satan potestatem in ipsum Willielmum Tyrannum. Et eadem die manè obiit Rex Willielmus transverberatus, per medium pectoris, sagitta. Dixit autem accipienti: Habe diabole: & sic divina ultione idem tyrannus obiit sagittatus. Erat tunc temporis, Episcopo Wulstano defuncto, Episcopatus Wigorniensis nimis afflictus, sub manu Regis, & multa alia Ecclesia, sedente tunc Paschali Papa.* Ita Matthæus.

VII.

Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: iterum repeto. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Si Regibus Deus non pepercit, qui Sanctos aliquot violarunt; qui paucas in Novâ forestâ ædes destruxerunt; qui Monasteria aliquot, & Episcopatus vexaverunt: si illos, inquam, punivit, in filiis & nepotibus, (ut hactenus factum cernimus, in Guilielmo juniore, senioris filio; & Henrico nepote suprà.) Quid illis facturum putatis, *qui non per intervalla, & spiramenta temporum; sed uno haustu Monasteria omnia invaserunt, Episcopatus omnes destruxerunt: qui omnia Ecclesiarum & Sacerdotiorum bona, laicorum usibus substraverunt: qui denique ponentes in cælum os suum; Sanctos omnes, quos gloria & honore coronavit Deus; quos, Christo teste, Pater in cælis honorificat; omni cultu exuerunt: & Sanctos dici, ac appellari nolunt? Si needum Deus sacrilegos punit; eò gravior erit, quò magis sera, vindicta: & eò potentiùs feriet, quo impotentiùs homines in peccatis lasciviunt. Neuter Guilielmus, à morte quievit: quia pacem Ecclesiarum, quietemque turbarat. Primi ossa, in Cadomensis oppidi vastitate, è templo eruta; sicut pulvis sparguntur ante faciem venti. Secundi corpus, Wintoniæ quidem, sine luctu, conditur: sed in mense Decembri, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo; dum publica regni Comitia pro libertate pugnant, & Wintoniensem urbem expugnant; ejus & aliorum Regum ossa, militum insolentiâ, è monumentis extracta, eandem cum patre sortem subierunt. Quod ideo Deus permisisse videtur, ut renovatâ sacrilegii memoriâ, atque punitio, frenaret plebem; magno impetu, in ruinam Ecclesiarum, excidiumque ruentem. Sed inerudita plebs, majorum exempla vel inscitè ignorat; vel procaciter contemnit: & ideo similem Guilielmo exitum, nisi pœniteat, sortietur: non uno Albano, sed Sanctis omnibus, ardentes sagittas in vindictam parantibus. Imò pugnabit Orbis terrarum, contra insensatos.

DEUS PUNIT ECCLESIAM TEMERANTES.

V. an. 1082. n. 6.

* Fastiosis sæculi ultima, conatis omnia sacra evertere.

NEUTER GUILIELMUS A MORTE QUIEVIT.

VIII. STUDIA PARTIUM IN SUCCESSORE ELIGENDO.

Ad Guilielmi successorem quod attinet; partium studia in diversa ferebantur. Roberto Normannorum Duci, & Guilielmi primi, filiorum natu maximo: & jure natalium, & pactorum sanctitate, proximum jus erat. Sed ille, in remotissimo Oriente, & Jerosolymitanâ expeditione, adeò se probaverat; ut regia ibi corona, quam reverà promeritus fuit, donandus crederetur. Adde, absentem expectare, tumultuum & factionum iterum seminarium timebatur: nam & Anglus Normannorum jugum, quod gravissimum senserat, exuere: & Clerus, penes quem summa potestas; Guilielmi tyrannide exacerbatus, Regiam dignitatem tam impiè dominantem, ægrè laturus putabatur. Vidit hæc Henricus, Guilielmi primi filiorum minimus: & Clerum populumque ingentibus promissis onerans; fratris errata correcturum se, & justis legibus, utramque Remp. ornaturum pollicetur, si sibi coronam sceptrumque porrigerent. Quid inde factum; & qua lege ad Regiæ majestatis fastigium ascenderit; ita Matthæus exponit, cognomento Parisiensis.

IX. Parisien. hoc.

*Defuncto Rege Wilhelmo, cum magnates Angliæ ignorarent; quid actum esset de Roberto, Duce Normannorum, Regis defuncti fratre primogenito; qui jam per quinquennium, in expeditione Ierosolymitanâ moram protraxerat: timuerunt diu sine regimine vacillare. Quod Henricus, fratrum ultimus, & juvenis sapientissimus; cum callide cognovisset: congregato Londoniis Clero Angliæ, & populo universo: promisit emendationem legum, quibus oppressa fuerat Anglia, temporibus patris sui, & fratris nuper defuncti: ut animos omnium, in sui promotionem accenderet, & amorem; & ut illum in Regem susciperent, & patronum. Ad hæc, Clero respondente, & magnatibus cunctis. Quod si animo volente ipsis vellet concedere, & chartâ suâ communire illas libertates, & consuetudines antiquas; quæ floruerunt in regno, tempore Sancti Regis Edwardi. in ipsum consentirent, & in Regem unanimiter consecrarent. Henrico autem hoc libenter annuente: & se id facturum, cum juramento affirmante; consecratus est in Regem, apud Westmonasterium, in die *Assumptionis Beatæ Mariæ; favente Clero, & populo: cui continuò à Mauritio Londinensi Episcopo, & à Thoma Eboracensi Archiepiscopo, corona capitis imponitur.* Hæc ille.

HENRICUS I. REX CORONATUR.

* Malmesburiensis dicit coronatum Regem Nonis Augusti: nonnorum in festo Dedicationes ad Novel. Vide infrà ad an. 1135. n. 16.

Coronandi Regis prærogativa, ad Anselmum spectabat: cujus absentia, periculumque in morâ, Eboracensi, jure proximo, coronandi jus dedit. Verùm Henricus, scriptis ad Anselmum literis, quas infra ponam, factum excusat, illumque precatur, quantociùs in Angliam, sedemque suam redeat; compositurus, suo arbitrio, utramque Remp. Anselmus hoc tempore, in Galliis versatus, quid auditâ Willielmi morte fecerit, narrat in hunc modum, qui illi præsens adfuit, Edmerus. *Secundo anno, ex quo à Roma Lugdunum venimus, qui erat nostri exilii annus tertius; venerunt ad Anselmum, jam tertium diem in Cœnobio, quod Casa Dei dicitur, ægrotem, duo Monachi; unus Cantuariensis, & alter Beccensis; nuntiantes ei, jam sæpè memorati Willielmi Regis, vita excessum. Quo ille vehementi stupore perculsus; mox est in acerbissimum fletum commotus. Quod videntes admirati admodum sumus. At ille, singultu verba ejus interrumpente, asseruit in ipsa veritate, quam servum Dei transgredi non decet: quia si hoc efficere posset; multò magis eligeret, seipsum corpore, quam illum sicut erat, mortuum esse. Nobis post hæc Lugdunum reversis: ecce alius è fratribus Ecclesiæ Cantuariensis advenit, literas deferens, preces offerens; quibus obnixè, ab Anglorum matre Ecclesia interpellatur: quatenus, extincto tyranno, filios suos, ruptâ morâ, revisere, consolarique dignetur.*

X. JUS REGEM CORONANDI PENES ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM. Edmer. l. 3. fo. 55.

ANSELMUS AUDITA MORTE REGIS INGEMISCIT.

XI. Lugdu- nodiscessit.

Audito igitur, de re, consilio memorati Reverendi Hugonis, ipsius urbis Episcopi; iter Angliam remeandi ingressus est: ipso Pontifice, & toto populo terræ, super hoc dolente: & nisi rationi contrairet; modis omnibus, ne fieret, prohibere volente. Magno denique solatio, se in discessu ejus destitui videbant. Prosecuti autem illum sunt de villâ, in villam, per plures dies, tam viri, quam mulieres: singuli certatim currentes, & pro suâ desolatione gemebundas voces edentes. Necdum pervenimus Cluniacum, & nihilominus alter nuntius, ex parte novi Regis Anglorum, & procerum regni, Patri occurrens; moras ejus in veniendo redarguit: totam terram, in adventu ejus attonitam; & omnia negotia regni, ad audientiam, & dispositionem ipsius referens pendere dilata. Cujus verba, literæ Regis quas attulerat, attestantes, & dictaplenius explanantes; preces & vota ipsius Regis, virum festinatò venire magnopere postulantis; & seipsum, regnumq́, suum ejus consilio, ac moraminui se subjecturum pollicentis, continebant. Hæc & hujusmodi plura, quàm dicere velim, nos ad patriam properare coëgerunt. Ita ille: nec literas Regis apponit; quæ tamen ad Anselmi laudem, ad historiæ dignitatem, & Regis denique pietatem spectant; illas ergo ad dictorum firmitatem adjicio, quæ in libro tertio Epistolarum S. Anselmi, sic inscribuntur.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 41.

Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Pissimo Patri suo spirituali Anselmo Cantuariensi Episcopo salutem, & omnis amicitiæ exhibitionem.

XII. Regis literis in Angliam invitatur.

„ Scias, Pater charissime, quod frater meus, „ Rex Guilielmus, mortuus est: & ego nutu „ Dei, à Clero, & populo Angliæ electus. Et „ quamvis invitus propter absentiam tui, Rex „ jam consecratus, requiro te, sicut Patrem, „ cum omni populo Angliæ: quatenus mihi filio „ tuo, & eidem populo, cujus tibi animarum „ cura commissa est; quàm citiùs poteris, venias „ ad consulendum. Meipsum quidem, ac totius „ regni Angliæ populum, tuo eorumque consi- „ lio, qui tecum mihi consulere debent, com- „ mitto: & precor, ne displiceat tibi; quod „ Regiam benedictionem absque te suscepi: De „ quo si fieri posset, lubentiùs eam susciperem, „ quàm de alio aliquo. Sed necessitas talis fuit; „ quia inimici insurgere volebant contra me, & „ populum quem habeo ad gubernandum. Et „ ideo Barones mei, & idem populus, noluerunt „ ampliùs eam protelari. Hac itaque occasione, „ à tuis Vicariis illam accepi. Misissem quidem „ ad te, à meo latere aliquos: per quos tibi „ etiam de meâ pecuniâ destinassem: sed per „ mortem fratris mei, circa regnum Angliæ; ita „ totus orbis concussus est, ut nullatenus ad te „ salubriter pervenire potuissent. Laudo ergo, „ & mando; ne per Normanniam venias; sed per „ Guitsand, & ego Doveram obviam habebo „ tibi Barones meos, & pecuniam, ad te reci- „ piendum: & invenies, Deo juvante, unde be- „ nè persolvere poteris, quicquid mutuò acce- „ pisti. Festina ergo, Pater, venire: ne mater „ nostra Cantuariensis Ecclesia, diu fluctuans, „ & desolata; causâ tui ampliùs sustineat anima- „ rum detrimenta. Teste Girardo Episcopo, „ & Guilhelmo Wiotoniensi electo Episcopo, & „ Guilhelmo de Warelimalt, & Comite Hen- „ rico, & Roberto filio Haimonis, & Halmone, „ dapifero, & aliis, tam Episcopis, quàm Baro- „ nibus meis. Vale.

XIII. Anselmus in Angliam redit.

His acceptis literis; Anselmus, vitatâ Normanniâ, per Belgium, ad Gessoriacum portum pervenit. Inde in Angliam trajiciens, faustis provincialium omnium vocibus excipitur. quod meliùs ex Edmero Comite excipitur, rem sic narrante. *Prosperrimo itaque cursu, marina pericula transvecti, nono Kalendas Octobris Dofris appulimus; & ingenti gaudio totam terram in adventu Anselmi exultantem reperimus. Quædam enim quasi novæ resurrectionis spes, singulorum mentibus oriebatur: qua & ab oppressione calentis adhuc calamitatis, se quisque liberandum; & in statum optatæ prosperitatis aditum sibi pollicebatur. Quæ spes inde maximè procedebat; quòd Henricus, qui tunc noviter fratri defuncto in regnum successerat: in ipso suæ consecrationis die, bonas & sanctas omni populo leges se servaturum; & omnes oppressiones, & iniquitates, quæ sub fratre suo emerserant, in omni suâ dominatione, tam in Ecclesiis, quàm in sæcularibus negotiis, prohibiturum, & subversurum spoponderat: & hæc omnia, jurisjurandi interjectione firmatâ, sub monimento literarum sigilli sui testimonio roboratarum, per totum regnum divulgatum iri præceperat. Præsentia nihilominus communis omnium Patris, jam ipsi spei non parum roboris, apud hominum mentes adjiciebat: constantem illius probitatem agnoscentium, & sancta quædam ad reformandum Christianæ religionis statum, qui post obitum venerandæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi, in multis deciderat; proximè ab eo prodire, & statuì, arrectis sensibus, expectantium.*

Edmer. l. 3. fo. 55.

XIV. Pacta Regum cum subditis sancte servandæ

Quod ad leges attinet, juramento firmatas, quarum hic mentio: Edmerus iterum illas omittit: digna tamen sunt, quæ Annalibus inserantur. tamen lectu, audituque indignum est, Reges plura polliceri, & Sacramenti firmitate signare; quàm facti veritate exprimere. Quis enim non ægrè ferat, verborum & promissorum umbris illudi, in quovis contractu? in augustissimo verò, qualis est Regis cum subdito, & imperii communicatio, decet multò magis nudum apertumque pectus, & verba factis consona. Normanni Principes ita peccavere: populo ut placerent quas non fecere fabulas? subditos promissis onerantes, procul ipsi à rerum factorumque veritate. Henricus Ecclesiam liberam, Edoardi Sancti leges, & alia sexcenta profusissimè pollicetur: sed Ecclesiæ libertatem immane læsit, cum Anselmum, eo quo nuper frater more, persecutus est. Sed promissa ejus, legesque juramento firmatas, videamus. Parisiensis illas recitat in hunc modum. *Henricus cum fuerat diademate insignitus, has libertates subscriptas in regno, ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ, & pacem populi tenendam concessit:*

Paris hic.

Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ, Hugoni de Bocland Vice-Comiti, & omnibus fidelibus suis, tam Francis, quàm Anglicis in Herefordsire salutem.

XV. Promissa Regis, et

„ Sciatis me, Dei misericordiâ, & communi „ consilio Baronum regni Angliæ, Regem „ esse coronatum: Et quia regnum oppressum „ erat injustis exactionibus: Ego respectu Dei, &

LEGES IUSTÆ, IURAMENTO FIRMATÆ. LIBERAM DECLARAT ECCLESIAM.

„ & amore, quem erga vos omnes habeo: Sanctam Dei Ecclesiam liberam facio: ita quòd nec eam vendam, nec ad firmam ponam: nec mortuo Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Abbate, aliquid accipiam, de dominio Ecclesiæ, vel de hominibus: donec successor in eam ingrediatur. Et omnea malas consuetudines; quibus regnum Angliæ injustè opprimebatur, inde aufero: quas malas consuetudines in parte hic pono. Si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit; heres suus non redimet terram suam: sicut facere consueverat tempore Patris mei: sed justâ & legitimâ relevatione, relevabit eam. Similiter & homines Baronum meorum, legitimâ, & justâ relevatione relevabunt terras suas, de dominis suis. Et si quis Baronum, vel aliorum hominum meorum, filiam suam tradere voluerit, sive sororem, sive neptem, sive cognatam: mecum inde loquatur. Sed neque ego aliquid, de suo, pro hac licentiâ accipiam: neque defendam ei, quin eam det: excepto, si eam dare voluerit inimico meo. Et si mortuo Barone, vel alio homine meo, filia heres remanserit; dabo illam, cum consilio Baronum meôrum, cum terrâ suâ. Et si mortuo marito, uxor ejus remanserit, & sine liberis fuerit: dotem suam, & maritagium habebit: & eam non dabo marito, nisi secundùm velle suum. Si verò uxor cum liberis remanserit; dotem suam, & maritagium habebit; dum corpus suum legitimè servabit: & eam non dabo, nisi secundùm velle suum. & terræ liberorum custos erit: sive uxor, sive alius propinquior, qui justus esse debet. Et præcipio, ut homines mei similiter se contineant erga filios & filias, & uxores hominum suorum.

XVI. „ Monetagium commune, quod capiebatur per civitates, vel Comitatus; quod non fuit tempore Edwardi Regis, hoc nè amodò fiat, omninò defendo. Si quis captus fuerit; sive monetarius, sive alius, cum falsâ monetâ, justitia recta inde fiat. Omnia placita, & omnia debita, quæ Regi fratri meo debebantur, condono: exceptis firmis meis, & exceptis illis, quæ pacta erant pro aliorum hereditatibus: vel pro illis rebus, quæ justiùs alios contingebant. Et si quis aliquid, pro hereditate suâ pepigerat; illud condono; & omnes relevationes, quæ pro rectis hereditatibus pactæ erant. Et si quis Baronum, vel hominum meorum infirmabitur sicut ipse dabit, vel dare disposuerit pecuniam suam; ita datam esse concedo. Quod si ipse præventus, vel armis, vel infirmitate, pecuniam suam nec dederit, nec dare disposuerit: uxor sua, sive liberi, & parentes, & legitimi homines sui, pro animâ ejus eam dividant: sicut eis meliùs visum fuerit. Si quis Baronum, vel hominum meorum foris fecerit, non dabit vadium, in miseriâ pecuniæ suæ: sicut faciebat tempore Patris, vel fratris mei: sed secundùm foris facturæ modum. Nec ita emendabit; sicut emendasset retrò tempore Patris mei, vel fratris. Quod si perfidiæ vel sceleris convictus fuerit: sicut culpa, sic emendet. Murdra etiam retrò ab illa die, quâ in Regem coronatus fui, omnia condono: & ea quæ amodò facta fuerint, justè emendentur; secundùm * lagam Regis Edwardi. *legem.

XVII. „ Forestas communi consilio Baronum meorum, in manu meâ ita retinui; sicut Pater meus eas habuit. Militibus, qui per loricas terras suas defendunt, terras dominicarum carucarum suarum, quietas ab omnibus geldis, & omni proprio dono meo concedo: ut sicut tam magno gravamine alleviati sunt: ita equis, & armis benè se instruant; ut apti & parati sint ad servitium meum, & ad defensionem regni mei. Pacem firmam pono in toto regno meo; & teneri amodò præcipio. * Lagam Regis Edwardi vobis reddo, cum illis emendationibus; quibus Pater meus eam emendavit, consilio Baronum suorum. Si quis aliquid de meo, vel de rebus alicujus, post obitum Regis Willielmi fratris mei cepit; totum citò reddatur, absque emendatione: & si quis inde aliquid retinuerit: ille super quem inventum fuerit, graviter mihi emendabit. His testibus: Mauritio, Londoniensi Episcopo: Wilhelmo Wintoniensi electo: Girardo Hersordensi Episcopo: Henrico Comite: Simone Comite: Waltero Giffard, Comite: Roberto de Monte-forti: Rogero Bigod, & aliis multis. Factæ sunt tot chartæ, quot sunt Comitatus in Angliâ: & Rege jubente, positæ in Abbatiis singulorum Comitatuum, ad monumentum. *Legem.

Hactenus Henrici leges, & promissa; quorum virtute, Anglorum animis irrepsit adeo, ut præterito fratre seniore, illi regnum concesserint.

XVIII. RANULFUS DUNELMENSIS EPISCOPUS INCARCERATUR.

Magnum his promissis, captandæque benevolentiæ firmamentum fuit; non solum Anselmi in Angliam revocatio; quem perversi fratris mores exulem fecerant: sed Ranulfi, Dunelmensis Episcopi, castigata licentia. Ille enim, Guilielmum in omne scelus ruentem præcipitaverat magis, & Ecclesiam immane læserat; factâ bonorum auctione, ad Regis explendam cupiditatem; quod Dei in illum hominumque odium procurarat. Hunc ergo Rex Henricus, Londinensi turri inclusum, custodiæ mancipavit, futurum posteris exemplum: nè subditus iterum Regiæ cupiditatis, vastandæque Reip. instrumentum esse præsumeret. Dum ita Anglorum Ecclesia, sub novo Principe serenari incipit, & sudum cælum polliceri; nubes nascitur ex Oceano nostro, pluviæ diluvium minitans; si porrò cresceret. Henricus paternarum consuetudinum tenax: & Anselmus Ecclesiasticorum Canonum constans assertor, in rerum publicarum procuratione, in primo inter eos congressu, dissident, novæ & in ævum duraturæ tempestatis argumentum. Quod ita ab Edmero refertur. *Anselmus, cum post paucos sui reditus dies, Serberiam ad Regem venisset: & ab eo gaudenter susceptus; ratione illum; quâ se excusavit, cur in suscipiendâ Regia dignitatis benedictione; illum, cujus juris eam esse sciebat, non expectaverit; adquievisset: postulatus est, pro consuetudine antecessorum suorum, Regi hominium facere; & Archiepiscopatum de manu ejus recipere. Quibus cum ille, nequaquam se aut velle, aut posse assensum præbere responderet: Interrogantibus quare: statim quid super his, & quibusdam aliis, in Romano Concilio acceperit, manifestâ relatione innotuit: itáque subinferens, ait: Si Dominus Rex ista suscipere, & suscepta servare voluerit; benè inter nos, & firma pax erit. Sin autem; non video remanere meum in Anglia,*

Edmer. l. 3 fo. 56.

ANSELMUS NON VULT INVESTITURAM AB HENRICO RECIPERE.

utile

utile fore, vel honestum; præsertim cum si Episcopatus, & Abbatias dederit; privari me penitus, tam à sui, quàm & eorum, qui susceperint, communione, necesse sit. Nec enim ea de causâ Angliam redii; ut si ipse Romano Pontifici obedire nolit; in eâ resideam. Unde quid velit, precor, edicat; ut sciam, quò me vertam.

XIX. Hinc causa dissidii.

Hic novæ controversiæ cardo, eò difficiliùs vertitur; quo plura, in quæstione illa, accessêrunt impedimenta; Henrico, si obstare vellet, minùs faventia. Olim Guilielmus frater, regno plenè potitus; hoste ubique domito: ideo Ecclesiarum investitutas arrogare licentiùs poterat: quia lis de controversiarum judice, de supremo sacrorum Principe, provincias omnes distraxerat: & juris dicundi potestas, in ambiguo posita, à Regum, regnorumque arbitrio pendere videbatur. In eo rerum deliquio (quò factiosi semper, & hæretici fugiunt) dum de Ecclesiarum capite altercatio esset; licentius, inquam, poterant, alia rerum publicarum capita, jura prætendere. Quod ab utroque Guilielmo factum constat, Wiberto factiosissimè in Petri Sede collocato, & Christi tunicam impiè lacerante. Verùm eo, hoc anno, mortuo, sublatum est illud schismatis seminarium; & Paschalis Papa, pleno, & minimè controverso jure, sacrorum præses, & unus controversiarum judex agnoscitur. Iterum Robertus, Normanniæ Dux, recusato Jerosolymitani Regis titulo; è Palæstinâ rediturus, & jus suum in Angliæ regnum prosequuturus, timebatur. Henrico igitur, cum Roberto fratre, & Paschali Papa, pugnandum erat, si Anselmo in investiturarum jure adversaretur. Iterum si Anselmus in Normanniam, ad Beccense Monasterium, unde exierat, rediret; magnum sine dubio futurum momentum erat Roberto Duci; si Angliam invaderet: nam spe regni potiundi, decreta Romani Concilii, Paschalis jussa, Anselmi vota, perficeret. In his rerum angustiis, quid sensûs, quid animi, quid denique consilii Henricus habuerit; Edmerus ita explicat.

Guibertus Antipapa moritur.

XX. Edmer. l. 3. fo. 56.

Controversia ad Paschalem Papam refertur.

His Rex auditis; graviter conturbatus est. Grave quippe sibi visum est, investituras Ecclesiarum, & hominia Prælatorum, perdere. Grave nihilominus Anselmum à regno, ipso nondum in regno plenè confirmato, parvi discedere. In uno siquidem videbatur, sibi quasi dimidium regni perderet; in alio verebatur, ne fratrem suum Robertum, qui tunc de Ierusalem Normanniam redierat, Anselmus adiret: & eum in Apostolicæ Sedis subjectionem deductum; quod facillimum factu sciebat; Regem Angliæ faceret. De verbo igitur altrinsecus motu, induciæ usque ad Pascha petitæ sunt: quatenus utrimque Romam mitterentur: qui decreta Apostolica, in pristinum regni usum mutarent. & interim Ecclesiis Angliæ, in quo erant statu manentibus: Anselmus redditis terris, quas Rex mortuus Ecclesiæ Cantuariensi abstulerat; sui omnibus revestiretur. Sicque fieret: ut si à sententiâ flecti Papa nequiret; totius negotii summa, in eum quo tunc erant, statum rediret. Hæc Anselmus, quamvis frivola esse, & in nihil utile tendere sciret, atque prædiceret: tamen nè novo Regi, seu Principibus, ullam contra se suspicionem, de regni translatione, aut aliunde incuteret; precibus illorum passus est vinci: & quod volebant, annuit; dimissâque Curiâ, in pace, ad sua secessit.

XXI. Hoc induciarum tempore, Henricus Rex prudenter usus; de nuptiis cogitare, animumque à vagâ libidine, ad licitos amores cœpit componere. Hoc Reip. utile; hoc sibi posterisque necessarium; hoc demum à vitiis corpus, mentemque, ad virtutes flectendi, momentum fore putabat. Inde cum de Virgine ducendâ, multa agitasset; sapienti prorsus consilio, Mathildem expetiit; Malcolmi Scotorum Regis filiam. Hoc enim nuptiarum fœdere, non solùm, vicini regni auxiliaribus copiis, tueri poterat coronam suam, & pacem inferre provinciis. Sed quia Regia virgo, è Regio Anglorum sanguine, descendens; proximo jure, si jure agendum esset, sibi Angliæ regnum asserere poterat. Enimverò Margarita mater, ut suprà ostensum est, Malcolmo nupta; Edgari illius soror fuit, qui solus è Regum sanguine superstes, à morte Haroldi; multorum procerum sententiâ, legitimus regni heres est dictus. Normannorum quidem potentia intercedens jus illud hactenus elisit; sed solùm jure novo, Martisque fortunâ: quæ quia inconstans est, & facilè Roberto fratri favere poterat; tutissimum videbatur; Normannorum jus, Anglorum jure, & matrimonii sanctitate, firmare. Unum oberat, vel potius factiosorum hominum obloquiis, obesse jactabatur: Mathildem virginem, Wiltunensi Monasterio olim traditam, atque velatam, virginitatis voto sacram esse, Christoque dicatam; quam nemo mortalium tangere, nec Reges ipsi impunè, possent. Ita creditum ubique in Christiano orbe; priùs quàm Lutherus, inaudito ad illud sæculum scelere, Boram constupravit.

Henricus Mathildem ducit uxorem.

V. an. 1065. 4.

Num monialis fuerit, controvertitur.

Anselmus Cantuariensis, qui matrimonio præesse, dextrasque jungere, & sponsis debuit solenniter benè precari: cum rumorem primò, inde nascentem famam, de virginis voto inaudisset: iterum in angustias cogitur; nam qui nuperrimè pro investituris steterat: nolens jura Ecclesiæ Regi concedere: nunc eâdem mente, jura Canonum, jura Monasteriorum, jura denique Christi; in Regis etiam præjudicium, timuit infringere. Noluit ergo nuptiis consentire; donec facto diligenti scrutinio, omnes dicti factique apices excussisset; an virgo se Christo vovisset; & demùm excusso omni genere testium, cum Mathildem, umbraticè tantùm velatam, & monialem, nomine tenus, non re, fuisse comperisset: Tunc demum utrumque matrimonii lege, & solenni cærimoniâ conjunxit. Sed quia quo illustriores sunt viri; eò vulgò conspectiores sunt; & eorum facta, eminus à plurimis cernuntur: & vario interdum impetu, pro criticorum arbitrio, distrahuntur. non defuerunt eo tempore, & multò magis, hac factiosissimâ ætate, in omnes Sanctos impiâ; qui nuptias illas, incestas appellarunt, & Anselmum, illis faventem, calumniati sunt. Vidit hoc Edmerus, & posterorum memoriæ consulens; candidè narrat, quâ industriâ Anselmus quæstionem illam exorsus; quàm religiosè processerit: quàm denique rato, constantique proborum testimonio, rem omnem terminaverit. Quæ quia ad matrimonii firmitatem, & Anselmi prudentiam, spectant; non pigebit Edmerum exscribere. Sic ergo ille, cum pactas inducias narrasset.

XXII.

XXIII. Edmer fo. 50 l. 2.

His paucis diebus interpositis; Mathildis, filia Malcolmi nobilissimi Regis Scotorum, & Margaretæ; quæ scitur exorta de semine Regum Anglorum; nupsit

Mathildis unde et qualis?

præfato Regi Anglorum Henrico. Ipsa quippe Margareta, filia fuit Edwardi, filii Regis Edmundi; qui fuit filius Regis Ethelredi, filii gloriosissimi Regis Edgari. Negotium itaque ipsum copulæ, licet propositi operis intentionem, ut quibusdam fortè videtur, haudquaquam respiciat: tamen quia per Anselmum administratum est (nam & eos in conjugium benedixit, & illam pariter in Reginam consecravit) brevi autumo describendum, qualiter actum sit. Hoc autem, ea re nobis maximè in voluntatem cecidit: quoniam Anselmum in hoc à rectitudine deviasse, nonnulla pars hominum, ut ipsi audivimus, blasphemavit. Siquidem eadem Mathildis, inter sanctimoniales, in Monasterio, ab infantia nutrita, & adulta, credebatur à multis, in servitium Dei, à parentibus oblata; eò quòd publicè visa fuerat, earum inter quas vivebat, more velata. Quæ res, dum illa jam olim, dimisso velo, à Rege amaretur, cum plurimorum ora laxaret, & eos à cœptis amplexibus retardaret: ipsa Anselmum, cujus in hoc nutum omnes expectabant, adiit: consilium de negotio, & auxilium summissa voce quæsivit. Cui ille famam, quæ ferebatur injiciens; affirmabat nullâ se unquam ratione in hoc declinandum, ut suam Deo sponsam tollat: & eam terreno homini, in matrimonium jungat. Refert illa, & penitus se negat oblatam. Negat etiam se, vel semel aliquando sua voluntate fuisse velatam: & hoc si credere aliter nolit, offert se judicio totius Anglorum Ecclesiæ probaturam.

Anselmus ut se gesserit in redubia.

XXIV. Quomodo velata fuerit Mathildis.

Attamen, inquit, me velum portasse non abnego. Nam cum adolescentula essem, & sub Amita mea * Christiana, quam tu bene nosti, virgâ paverem: illa servandi corporis mei causâ, contra furentem, & cujusque pudori, ea tempestate, insidiantem Normannorum libidinem; nigrum panniculum capiti meo superponere: & me illum abjicientem, acris verberibus, & nimium obscœnis verborum conviciis, sæpè cruciare simul, & dehonestare solebat. Quem pannum, in ipsius quidem præsentiâ gerens, at tremebunda ferebam: sed mox, ut me conspectui ejus subtrahere poteram, arreptum in humum jacere, pedibus proterere, & ita, quo in odio ferebam, quamvis insipienter, consueveram desævire. Isto non alio modo, teste conscientia meâ, velata sum. Ac si me oblatam quisquam dicet: & hoc quale sit, ex eo colligi potest: quod sicut plurimi, qui adhuc supersunt, noverunt, pater meus, cum me quemadmodum dixi, velatam fortè vidisset; furore succensus, injecta manu velum arripuit: & dissipans illud; odium Dei imprecatus est ei, qui mihi illud imposuit; contestans se Comiti Alano me potiùs in uxorem, quam in contubernium sanctimonialium prædestinasse. Hæc est, unde calumnior, ratio mea: quam quæso perpendat prudentia tua: & agat pro me, sicut novit agendum Paternitas tua. Quid plura? differt Anselmus sententiam ferre: & causam judicio religiosarum personarum regni determinandam pronuntiat.

* Christinam suprà appellavit, Edgari sororem, in Rumseiensi Cœnobio Monialem, denique Abbatissam. alii rectius Materteram vocant. V an. 1068. 18. Unde Edmerum (ut eum Seldenus edidit) correxi: ubi legitur sub amica mea Christiana &c. nam Amitæ legendum.

XXV. Conventus Episcoporum Nobilium, &c. in villa S. Andreæ de Ravecestra, pro matrimonio Mathildis.

Statuto itaque die, coeunt ad nutum illius, Episcopi, Abbates, nobiles quique, ac religiosi ordinis viri, in villâ Sancti Andreæ de Rovecestrâ; quæ Lambeta vocatur: quò & ipsum præsentis negotii tunc tenor adduxerat. Causâ igitur, juxta præscriptam seriem, in medium deductâ. Prodeunt hinc inde idonei testes, verba puellæ, puræ veritati subnixa protestantes. Accedunt illis Archidiaconi duo, Willielmus videlicet Cantuariensis, & Humbaldus Serberiensis: quos Pater Anselmus Wiltuniam, ubi illa fuerat educata; pro hujus rei certitudine rimanda, direxerat: qui publicâ voce testati sunt, se & rem à sororibus diligentissimè perquisisse: & nil quod relata ratione obsisteret, ab eis capere potuisse. Monet ergo Anselmus, & per Christianam obedientiam omnibus imperat; ut nullum à veritate favor, aut timor deflectat: sed sicut reverà causa Dei, quo justè determinetur; unusquisque pro viribus opem ferat; nè quod absit aiens, talis judicii sententia prodeat; cujus exemplo, in superventuris temporibus, vel sua quilibet libertate, non jure privetur: vel Deus his, quæ sui juris debent esse, injuriâ defraudetur. Acclamant omnes, ita faciendum: & se non aliter facturos spondent. Remoto itaque à conventu solo Patre; Ecclesia Angliæ, quæ convenerat in unum; de proferendâ sententiâ tractat. Deinde illo in medium reverenter adducto, expositum est; quid de negotio communis omnium consensus invenerit. Ratum aiunt, perspectâ re sibi videri: & ad hoc comprobandum paratos se asserunt. nullâ sententiâ posse puellam, pro causâ suâ, jure constringi, quin libertate corporis sui, quocumque modo legaliter velit, valeat uti. Quod licet, inquiunt, levi argumento probare possemus: eo tamen cum opus non sit supersedemus, nostris argumentis firmiorem tenentes parem judicii hujus sententiam, à veneranda memoria prædecessore vestro, & Patre, & magistro nostro Lanfranco, simili de causâ promulgatam.

Sententia fertur in favorem matrimonii.

XXVI. Nam quando ille Magnus VVillelmus hanc terram primò devicit; multi suorum sibi pro tantâ victoriâ applaudentes; omniaque suis voluntatibus, atque luxuriis obedire, ac subdi debere autumantes: non solùm in possessiones victorum, sed & in ipsas matronas, & virgines, ubi eis facultas aspirabat, nefandâ libidine cœperunt insanire. Quod nonnullæ prævidentes, & suo pudori metuentes; Monasteria virginum petivere. acceptoque velo sese inter ipsas, à tantâ infamiâ, protexere. Quæ clades, cum postmodum sedata, & pro temporis qualitate pax rebus data fuisset: quæsitum ab eodem Patre Lanfranco est, quid de his, quæ tali refugio suam pudicitiam servaverunt, ipse sentiret; essêntne videlicer in Monasterio constringendæ, velum tenere quod acceperant, nécne? At ipse quæstionem ipsam consilio generalis Concilii taliter solvit; ut eis pro castitate, quam se tam manifesta rei ostensione, amare testatæ fuerant, debitam magis reverentiam judicaret exhibendam: quàm ullam servandæ continentiæ religionem, nisi propria illam voluntate appeterent violenter ingerendam. & adjunxerunt: His interfuimus: hæc approbari à sapientibus viris audivimus; & hæc in præsenti negotio valere volumus, ac roborari postulamus. Licet enim sciamus causam illarum, istius esse leviorem, dum illæ sponte, ista coacta; pari de causâ, velum portaverit: tamen ne quis nos favore cujusvis duci existimet: non ultra progredi in judicio volumus, hoc solo contenti: ut quod valuit in majori, valeat in minori. Tunc Anselmus ad hæc: Scitis quid monuerim, quid præceperim; quidque pollicitì sitis. Cum igitur quod vobis visum est justum, ut commune judicaveritis; sicut asseritis ego judicium vestrum non abjicio: sed eò securiùs illud suscipio, quo tanti Patris authoritate suffultum audio.

Cur multæ virgines ingressæ Monasteria.

XXVII. Illa dehinc in medium ducitur; gesta comi vultu audit, & amplectitur: auditum sibi præstari paucis precatur. Loquens ergo obtulit se vel Sacramento, vel alia, quam magis eligerent, Ecclesiastica lege, probaturam solidæ veritati subnixam esse jam definitam rationem suam. Quod non propterea facturam fatetur; quasi sibi non creditum esse putet: sed ut malevolis hominibus omnem deinceps blasphemandi occasionem amputet. Respondetur; nihil horum opus esse:

quoniam

quoniam si malus homo de malo thesauro cordis sui protulerit mala; dicto citiùs opprimetur ipsa veritate; jam tantarum personarum astipulatione probatâ, & roboratâ. Allocutione posthac & benedictione Anselmi potita abiit: & pauculis diebus evolutis, fit, ut dixi, Regina & conjux. Verùm cum ipsa conjunctio, juxta ritum Ecclesiæ fieri, firmariq́; deberet: Pater ipse totam regni nobilitatem, populumq́; minorem, pro hoc ipso circumstinentem; néine pro foribus Ecclesiæ Regem, & illam, circumvallantem, sublimiùs cæteris stans in commune edocuit: quo ordine causa virginis, quam fama vulgarat, per Episcopos, & religiosas personas ventilata fuit, & determinata. Quo facto, monendo, authoritate Dei præcepit: quatenus si quis aliter de negotio illo sentiret, ac sententiâ tulerat (unde scilicet ipsam copulam secundum legem Christianam fieri non debere, posset ostendi) nihil hæsitans, salvâ pace omnium, coram proferret. Ad quæ, cunctis unà clamantibus, rem justè definitam; nec in eâ quid residere, unde quis, nisi fortè malitia ductus, jure aliquam posset movere calumniam; legitimè conjuncti sunt, honore quo decuit Regem & Reginam. En ordinem gesta rei, teste conscientia mea veritate: sicut eam præsens audivi, & vidi, in nullam partem declinando descripsi. Verba puellæ ita duntaxat in medio posuimus, ut non afferam vera extiterint, nec ne. Si ergo quis in istis Anselmum, contra æquum aliquid egisse, dicere ultra voluerit; ipse viderit. Nos verò qui cor ejus, in hoc, & in multis agnovimus, testimonium ei perhibemus; quia, sicut ipse fateri solebat: nec scire, nec posse illo tempore habuit; quomodo in hac re melius aut æquiùs faceret, quàm fecit. Ita Edmerus. E quibus omnibus satis arguitur, Matthæi Parisien. relationem admodum vacillare; quæ dicit primo: Mathildam nuptiis invitam consensisse; 2. professam se monialem fuisse. 3. fructum ventris se dæmoni devovisse.

HENRICUS ET MATHILDIS MATRIMONIO CONJUNGUNTUR.

XXVIII. GUIDO NUNTIUS APOSTOLICUS, NON ADMITTITUR, ET QUARE.

Dum Regum nuptiæ in Angliâ celebrantur; Legatus à Paschali Papa, Angliam ingreditur, Guido, Viennensis Archiepiscopus; missus, ut apparet, priusquam Regis Oratores in urbem pervenissent. Sed quia totius Britanniæ legatione fungi volebat: idq́ue Cantuariensis Ecclesiæ juribus præjudicium censebatur: controverti cœpit authoritas ejus: & demum, quia Paschalis literæ, nullam Cantuariensis prærogativæ mentionem fecerant: ab Angliæ Clero, populoq́ue admissus non est: quia certa, & tanto sæculorum tractu constantia jura; privato rescripto, privilegiis non deroganti, præferri non debuit. Itaque, ut olim Augustinus, à Magno Gregorio missus ad Anglo-Saxones, à Britannis ideo admissus non est; quia patentes literæ, nec legationem ad Britannos; nec eorum juribus derogationem, loquebantur; ut suprà suo loco demonstratum. (ubi etiam futile adversariorum argumentum everti; quo probare conati sunt, Britannos, Augustini tempore, Romani Pontificis imperio obnoxios non fuisse, quia scilicet, Augustinum ex urbe missum audire noluerunt.) Ita factum hoc sæculo, cum Anselmus Cantuariæ sederet; Guido, se ex urbe Legatum dicebat; & literas fortè legationis ostendit: admissus tamen non est; ne Cantuariensi Ecclesiæ; quæ Episcopum suum, Legatum natum jam olim coluerat; præjudicium nasceretur. Unde Edmerus, cum epithalamium cecinisset, mox addit: *Eodem anno venit in Angliam Guido, Archiepiscopus Viennensis; functus, ut dicebat, legatione totius Britanniæ, ex præcepto & authoritate Apostolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit. Inauditum scilicet in Britanniâ cunctis scientes, quemlibet hominum super se vices Apostolicas gerere; nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ: Quapropter, sicut venit, ita reversus est, à nemine pro Legato susceptus: nec in aliquo Legati officio functus.*

V. an. 604. n. 49.

Edmer. l. 3 fo. 50.

XXIX. GUIDO HIC FIT POSTMODUM PONTIFEX SUMMUS.

Fuit hic Guido, vir Regiæ stirpis, tantæq́ue virtutis, ut mortuo Gelasio Papa, qui Paschali successerat, bonorum omnium suffragio, electus Romanus Pontifex, Callisti secundi nomen assumpsit: quem locum merito suo assecutus est, quia magnâ industria, pro Ecclesiarum jure, in Annuli baculiq́ue traditione certaverat; & fortè illius industriæ tyrocinium positurus in Angliam mittitur. Cæterùm in Gallias reversus, infelicem expeditionis successum; in Regem potiùs, quàm Anselmum videtur rejecisse. Unde Ivo Carnotensis Episcopus, literas ad Henricum Regem dictavit; quas recitans Baronius, ita præfatur. *Cum ista in Anglia agerentur: Ivo Episcopus Carnotensis, fulgor Ecclesiæ Gallicanæ, apud Reges, ob egregia vitæ mores, & doctrinam incomparabilem, magnæ æstimationis: ad eundem Angliæ Regem literas dedit: quibus imprimis eum hortatus est, ad exhibendam Christi Sacerdotibus reverentiam. quas dignas existimamus Annalibus, ut debeant hic describi: sic enim se habent*

Baronius hic fo. 23.

HENRICO excellenti Anglorum Regi, Ivo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, in eo vivere & regnare, per quem Reges regnant.

XXX. IVO, CARNOTENSIS EPISCOPUS, SCRIBIT AD REGEM HENRICUM.

,, QUONIAM paterni regni solium conscen-
,, dere vos fecit divina dispensatio: pro gra-
,, tiâ vobis collatâ, divinam interpellamus cle-
,, mentiam: quatenus paternos mores, paternam
,, vos faciat imitari honorificentiam: ut in nullo
,, vestra sublimitas, ab eorum nobilitate dege-
,, neret: & in nullo ab eorum frugalitate decli-
,, net. Et quia res omnes, non aliter benè ad-
,, ministrantur, nisi cum regnum, & Sacerdo-
,, tium, in unum convenerint studium. Celsi-
,, tudinem vestram obsecrando monemus: qua-
,, tenus in regno vobis commisso, verbum Dei
,, currere permittatis: & regnum terrenum, cæ-
,, lesti regno, quod Ecclesiæ commissum est,
,, subditum esse debere, semper cogitetis. Sicut
,, enim sensus animalis, subditus debet esse ra-
,, tioni: ita potestas terrena, subdita esse debet
,, Ecclesiastico regimini. Et quantum valet cor-
,, pus, nisi regatur ab animâ: tantum valet terre-
,, na potestas, nisi informetur, & regatur Eccle-
,, siasticâ disciplinâ. Et sicut pacatum est re-
,, gnum corporis, cum jam non resistit caro spi-
,, ritui: sic in pace possidetur regnum mundi;
,, cum jam resistere non molitur regno Dei. Hoc
,, cogitando, servum servorum Dei, vos esse in-
,, telligite, non Dominum: Protectorem, non
,, possessorem. Unam debere esse de cedris
,, Libani, quas plantavit Dominus, in quâ nidi-
,, ficent passeres: adest, sub cujus tutelâ quietè
,, fructificent, & conversentur Christi pauperes:
,, quorum orationes, pro statu regni vestri, &
,, incolumitate vestrâ: quantò quietior est, tantò
,, sanctiores, quantò saniores, tantò constat

TERRENA POTESTAS ECCLESIASTICÆ SUBDITUR.

esse

„ esse efficaciores. Hoc enim faciendo, & re- „ gnum terreoum quietè, Deo cooperante, „ possidebitis: & ad regnum æternum ejusdem „ miseratione, pervenietis.

XXXI. *Hucusque Ivonis ad novum Regem Epistola* (prosequitur Baronius) *digna planè qua Regibus omnibus legenda jugiter ingeratur. hîs nostris præsertim temporibus, quibus execranda Politicorum hæresis, velata jure regnandi; Regum penetralibus interdum se immittat; ubi & honesto sub nomine delitescat.* Ita ille, de suo tempore: ad nostrum quod attinet; execranda hæc Politicorum hæresis; non solùm Regum penetralibus nimiùm irrepsit; Ecclesiastica jura illis tribuendo: sed gradu ad ulteriorem impietatem facto; Reges omni jure exuendo, Regalia omnia, & Sacerdotalia, ad plebis arbitrium prostituit. quod contigit factione Cromwel: quippe hæc ad eam ambitionis superbiam provecta est, ut non solùm Sacerdotium, & Episcopalem dignitatem invaserit, sed inaudito plebiscito, Reges & omni jure regnandi privare conata est. Utinam Reges acquiescerent monito Ivonis subderentur Ecclesiæ capiti, & corona, & alterâ Repub. contenti sacrorum Principi Ecclesiam permitterent, omni sacrarum rerum imperio submoto. Hæc Guidonis in Angliam non admissio, erit * postmodum Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium.

* V. an. 1119. 12.

XXXII. MORITUR THOMAS EBORACEN. EPISCOPUS.

Moritur hoc anno Thomas, Eboracensis Archiepiscopus, de quo multa superiùs. vir fuit multis nominibus prædicandus; doctrinæ, vitæque integritate, laudem à posteris consequutus. Quantum illi debeat Eboracensis Ecclesia, Godwinus in Catalogo his verbis testatur. *Ad Ecclesiam quod attinet Eboracensem; in eâ tres tantum Canonicos reperit adveniens Archiepiscopus: reliquis aut occisis, aut fuga elapsis. Et his neque tectum erat, quò se reciperent; neque aliquid omninò, quò se sustentarent. His omnibus malis, ab Antistite solerti, remedia paulatim sunt adhibita. Ecclesiam temporario tecto operuit. Sed paulo post muros ab igne corruptos demolitus; integram à fundamentis excitavit; eam ipsam quam nunc cernimus Basilicam, Metropolitanâ Cathedra non indignam. Canonicos hinc inde dispersos revocavit, & de rebus necessariis, illis prospexit: Refectorium & dormitorium restauravit: Præpositum designavit, qui res eorum procuraret. Prædia quædam, & Ecclesias nonnullas; partim de suo contulit illis: partim haud bono jure ab aliis usurpata, restitui curavit. Et maneria duodecim, quæ Aldredus, ab Episcopo VVigorniensi VVulstano extorserat, eidem ultro reddidit. Hæc postquam ita constituisset; unicuique Canonico Præbendam assignavit, ut seorsim victitarent: cum antea communi mensâ fuissent usi: sicut in Academiis hodie, Collegiorum socii. Decanum etiam creavit, Thesaurarium & Præcentorem, cum Cancellarium sub prima Episcopatus tempora ordinasset: Ecclesiam à se constructam, libris, & Ecclesiasticis ornamentis; tam ad splendorem, quàm ad usum abunde instruxit: & magna sollicitudine doctissimos viros undique conquisitos, in ea collocavit. Cum quibus crebros sermones de rebus literariis conserere solebat: non tam animi causâ, quàm ut eos ad literarum studia excitaret. Ipse (ut tempora ferebant) doctus erat: & multa scripsit, tam prosâ oratione, quàm carmine. Inter cætera cantica Ecclesiastica plurima composuit: quæ, musicus ipse, tonis idoneis aptavit: non tantum canendi; sed & organa pulsandi, musica peritus.* Ita Godwinus.

Godvvin in Eboracen.

EBORACEN. ECCLESIAM NOBILITAVIT.

XXXIII. Plenus ergo pietatis operibus, & magno sui desiderio bonis omnibus relicto, cum Henricum Regem ad quintum Augusti regio diademate coronasset; sequenti mense Novembris decimo octavo mortuus Ripponæ, in Ecclesiâ, quam Eboraci construxerat, tumulatur, hoc notus epitaphio:

EPITAPHIUM EIUS.

Apud Godvvinum sup.

Orbe pio viduata bono Pastore patrono
Urbs Eboraca dolet, non habitura parem
Qualis vix uni, personâ, scientia, vita,
Contigerat nobilis, alta, bona.
Canities hilaris, facies, statura venusta
Angelici vultus splendor & instar erat.
Hic numero atque modo doctrina seu probitatis
Clericus omnis erat. vel magis omnis homo.
Hæc domus, & Clerus, sub tanto Præsule felix:
Pene quod est, & habet, muneris omne sui est.
Octavis igitur Martini transiit ille
Qui pietate Dei, sit comes in requie.

XXXIV. Redierat, hoc anno, è Palæstinâ Normannorum Dux Robertus; recepturus provinciam, olim Gulielmo fratri oppigneratam: & post ejus decessum; ut conventum aliquando fuit; regnum, & coronam Angliæ: cujus spe plenus, Jerosolymitani regni insignia, natalibus, votoque suo minus respondentia, neglexerat. Verùm citò doctus, Henricum fratrem, provincialium & utriusque Reip. procerum suffragio, regnare: se delusum ægerrimè tulit; & humanam divinamque fidem violari. Quare vindictam meditatus, vim vi repellere: & militari manu jus suum prosequi, si alia non sufficerent, decrevit. In hoc cogitationum æstu, commodum illi accidit, Ranulfum Dunelmensem; quem nuper Henricus Londinensi turri incluserat; fuga elapsum, in Normanniam trajecisse. Ibi vafer homo & ad omne scelus projectus, Roberti iram accendit, cupiditatemque regnandi. Juvit illam multorum quoque procerum defectio, quæ parvis aucta principiis Regi regnoque extrema minatur. de quo anno sequenti. Hoc anno, ad Clarken-well juxta Londinum sanctimonialibus Monasterium erexit Jordanes Brisset, quæ sub Deiparæ patrocinio cælesti sponso militarent. Quo etiam anno idem Jordanes, militibus S. Joannis hospitium extruxit. ubi strata poblica Londini ab eo tunc vocatur S. Johns-streat.

ROBERTUS è PALÆSTINA REDUX.

ANNUS CHRISTI 1101.

PASCHALIS II. PAPÆ 3.

HENRICI PRIMI REGIS 2.

I. DUODECIMI sæculi anno primo, Henricus Rex pro coronâ, Anselmus Archiepiscopus pro infulâ, multipliciter disputant. Ille pro investiturarum jure: iste pro Ecclesiarum prærogativâ, certantes, Paschalem controversiarum judicem appellant. Qui Canonum sanctitatem defendens, & prædecessorum vestigia constanter premens: suum cuique jus dicit dictatque. quod hic servato rerum ordine prosequemur.

Induciarum

II. Induciæ, cum Anselmo pactæ prorogantur.

Induciarum ſuperiori anno pactarum terminus advenerat: & aderat Paſchalis ſolennitas, quæ Proceres, de more, ad Regem coëgerat. Sed nuntii; quos in urbem Henricus miſerat, & rediturı ante Paſcha credebantur; necdum redierant. prorogari ergo inducias, & Romanæ Sedis oraculum operiri, priùs oportuit, quàm porrò contendere. Interea Robertus, Normannorum Dux, ratus diſſidium hoc ſuis rebus opportunum, pro regno recipiendo factionem augens, procerum aliquos ad ſe traxerat: alios in fide Henrico datâ nutantes, quò ſe verterent, neſciebant. & actum profectò de coronâ fuiſſet: niſi ſanctior Clerus, & Cleri Princeps Anſelmus, pro Henrico ſtetiſſet, ſeciſſetque. Cæterùm quàm ingratus beneficio Rex fuerit, & è quanto periculo Anſelmi induſtriâ liberatus, Edmerus in hunc modum declarat. *In ſubſequenti autem ſolennitate Penteceſtes, adventu Comitis Roberti, fratris Regis, in Angliam; prava fama, totam Regalem Curiam commovit: & quorundam animos; ut poſtea patuit, in diverſa permovit. Rex igitur Principes; & Principes, Regem ſuſpectum habentes: ille ſcilicet illos, ne à ſe inſtabili, ut fit, fide diſſilirent: & iſti illum formidando; ne undique pace potitus, in ſe legibus efferatus deſæviret. Actum ex conſulto eſt, ut certiendo talis hinc inde fieret, qua utrinque, quod verebatur, excluderet. Sed ubi ad ſponſionem fidei Regis ventum eſt; tota regni nobilitas, cum populi numeroſitate, Anſelmum inter ſe, & Regem, medium fecerunt: quatenus ei vice ſui, manu in manum porrectâ promitteret; juſtis & ſanctis legibus ſe totum regnum, quoad viveret, in cunctis adminiſtraturum. Hoc facto, ſibi quiſque quaſi de ſecuritate applaudebat.*

Actum fuiſſet de corona, niſi Anſelmus ſtetiſſet pro Henrico.

Edmer. l. 2. fo. 50.

Anſelmus ſequeſter pacis.

III. Roberti adventus in Angliam.

Poſtquam autem certitudo, de adventu fratris ſui, Regi innotuit: mox ille, coacto exercitu totius terra, ipſi bello occurrendum impiger ſtatuit. Exercitus vero grandis erat, atque robuſtus: & circa Regem, fideliter cum ſuis in expeditione excubabat Pater Anſelmus. At ubi Robertum ipſum, cum ſociis transfretaſſe inſonuit: ſtatim majores regni; quaſi ſua ſponſionis immemores; ad illum, relicto Rege, ſeſe transferre parabant. Quod ſic eſſe Anſelmus certo relatu agnoſcens, doluit: coq; magis, ne quid adverſi Regi accideret, intendere cœpit. Sed talis vir, quid de talibus ageret, ignorabat. Nullum enim de tali crimine, publicè poterat calumniari: dum nulli teſtes adeſſent, crimen ipſum non audebat reticendo nutrire; ne perjuri effecti, Regem ſeducerent. Rex ipſe, non modo, de regni amiſſione, ſed & de vitâ ſuâ ſuſpectus: nulli credere, in nullo (excepto Anſelmo) fidere valebat. Vnde ſæpè ad illum venire: Principes quos magis à ſe labi timebat, illi adducere: quatenus audito verbo illius; & ipſe à formidine relevaretur: & illis metus, ſi à fide, quam ſibi ſpoponderant, aliquatenus caderent, incuteretur. Ipſe igitur Anſelmo jura totius Chriſtianitatis in Angliâ exercenda ſe relicturum; atque decretis, & juſſionibus Apoſtolica Sedis ſe perpetuo obediturum, ſummopere promittebat. Quibus ita ſe habentibus, Anſelmus adunatis Principibus cunctis, omnem circumfuſi exercitus multitudinem, ſimul & eos, ſilitâ omni calumniâ, quam execrabiles Deo, & omni bono homini forent; qui fidem, quam Principi ſuo debebant, quoquomodo violarent: ita indiſſolubili verborum ratione edocuit; ut cuncti perſpecto ipſum via virtutis incedere: ilicò ſpretâ vitâ, non ſequiùs eligerent morti procumbere; quàm violatâ fide ſuâ, Regem ſeducere. Quamobrem indubiâ licet aſſertione fateri: quoniam ſi poſt gratiam Dei fidelitas & induſtria non interceſſiſſet Anſelmi, Henricus Rex ea tempeſtate perdidiſſet jus Anglici regni.*

Rex Anſelmo ſpecioſa promittit.

Anſelmus pro Rege laborat.

* tacita.

IV. Pax inter fratres, et pacis foedera.

Robertus igitur, amiſſa fiduciâ, quam in Principum traditione habebat: & non levem deputans excommunicationem Anſelmi: quam ſibi, ut invaſori (niſi cœpto deſiſteret) invehi certò ſciebat; paci adquievit: & in fraternum amorem reverſus eſt: exercituq; in ſua dimiſſo. Hactenus Edmerus. Cæterùm omittit hic Author, quod alii tradiderunt, de pacis fœdere pactiſque conditionibus, Henricum inter & Robertum, quod Malmeſburienſis ita ſupplevit: *Satagentibus* (inquit) *ſaniores conſilii hominibus: qui dicerent, pietatis jus violandum, ſi fraterna neceſſitudo prælio concurreret; paci animos accommodavere, reputantes, quod ſi alter occumberet; alter infirmior remaneret: cum nullus fratrum præter ipſos ſupereſſet. Sed & trium millium marcarum promiſſio, levem Comitis fallebat credulitatem: ut promiſſis ſoluto, de tantâ pecuniâ menti blandiretur ſua: quam ille poſteriori ſtatim anno, voluntati Reginæ libens, quod illa peteret, condonavit.* Ita ille: ſed & aliæ fuerunt pacti conditiones: nimirum, *ut qui diutiùs viveret, heres alterius eſſet, ſi alter abſque filio moreretur.* Ita Huntindonius. Iterum *ut Rex omnibus priſtinos honores, quos in Angliâ, pro Comitis fidelitate perdiderant, reſtitueret gratuitò; ſimiliter & cunctis, quibus honores in Normanniâ, cauſa Regis ablati fuerant, Comes redderet ſine pretio.* Ita Hovedenus. Hoc ſœdus duodecimviri juramento firmaverunt.

Malmeſb. de Hen. I. l. 5 fo. 116.

V. Paſchalis Papa Roberto, qui iverat in Palæſtinam injuriam, noluit fieri.

Juvit hanc pacem; fratrumque conjunctionem, Paſchalis Papa: qui Principum, & provinciarum quieti conſulens, bellumque deprecatus; Anſelmum per literas monuit; ſe pacis ſequeſtrum interponeret. Enimvero Robertus è Palæſtina reverſus: ubi fratrem accepiſſet in Angliâ regnare, cum juris ſui & natalium præjudicio; Romam miſit; & apud communem orbis parentem, querimoniam deponit: ſe ſacro claſſico excitatum, Romanoque Oraculo motum, contra Chriſtiani nominis hoſtes, in Palæſtinâ pugnaſſe: oblatum ibi regnum, non aliâ de causâ declinaſſe; quàm quia Angliæ regnum, natalium jure, & pactorum ſanctitate, ſibi, ſi Gulielmo fratri, ſine liberis mortuo ſupereſſet, deberetur. Nunc eo ſine prole elato, Henricum in ſolium abrepſiſſe: & coronam, nullo modo ei debitam, præſumere. Orat ne abſenti, & totius orbis honori gloriæque velificanti, fiat injuria: fieret autem ſumma; ſi duo regna meritus, utroque privaretur. Ita Robertus Paſchali ſupplicaverat: memor parentem tali ſupplicio, Angliæ regnum feliciter adeptum. Quid Roberto Pontifex reſcripſerit, non apparet. Sed nec horum aliquid hiſtorici prodiderunt. Ex ſolis Papæ literis ad Anſelmum datis hæc omnia colliguntur. Literarum hæc eſt ſeries.

Anſelm. Epiſtolarum l. 3 Epiſtola 42.

Paschalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimo fratri & Epiſcopo Anselmo, Cantuarienſium Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

VI. Paſchalis ad Anſelmum literæ.

„ Sicut injuriis tuis, & exiliis compaſſi ſumus: „ ſic reductioni tuæ, & honori tuo, largien„ te Domino, congaudemus. Et tu, frater in „ Chriſto Reverendiſſime; quia injurias, &

„ procellas Romanæ Ecclesiæ; sicut in præsentiâ visas plenius nosti, pro eis, in portu positus, efficaciùs laborare non desinas. Primò, ut Ecclesiarum in regno Anglico statum, secundùm Romanæ Ecclesiæ sanctiones, corrigi, ac disponi facias. Dehinc de Regis erga nos dilectione, ac fidelitate debitâ, censuque B. Petri restituendo, efficaciùs studeas. Scis enim quantis inopiæ circumvallemur angustiis. Nempe cum pro Ecclesiis omnibus, Romana laboret Ecclesia. quisquis ei sua aufert; non ipsi soli, sed omnibus Ecclesiis sacrilegii reus esse dignoscitur. Significamus præterea dilectioni tuæ, Normannorum Comitem questum apud nos esse, adversus Anglorum Regem, de fracto Sacramento; quod ei pro eodem regno acquirendo fecerat, * regnum invaserit. Et nosti quòd eidem Comiti debemus auxilium pro laboribus, quos in Asianæ Ecclesiæ liberatione laboravit. Idcirco volumus, ut si necdum inter eos pax composita est, te satagente, nostris etiam nuntiis intervenientibus, componatur. Pro his enim omnibus, notum tibi, & à te quondam educatum, tunc filium, nunc fratrem & Coëpiscopum Joannem mittimus, & Tiberium familiarem nostrum. Quos petimus in omnibus, quæ apud vos agenda sunt, tuo consilio instrui, tuo auxilio adjuvari: per quos sacrosancta Romana Ecclesia. tuæ religionis & sapientiæ efficaciùs experiatur industriam.

* videtur aliquid omissum.

Joannes, et Tiberius in Angliam ex urbe mittuntur.

VII. Dum ista fiunt & scribuntur; dum pax inter Principes, Anselmi, & Episcoporum industriâ concluditur atque firmatur: nuntii ex urbe redeunt quos Henricus Rex, ad Paschalem controversiæ judicem miserat. & nemo dubitavit, Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum Principem, pro Anselmo & Ecclesiarum prærogativâ dicturum atque scripturum. Unde quisque gratulari sibi cœpit, utrique Reip. benè cessurum; cum Henricus & Robertus; Rex & Anselmus, hoc est regnum & Sacerdotium amicè coirent: nec in Angliâ foret satan aut occursus malus. Cum ecce tibi, inimicus homo, in agro Dominico, superseminat zizania, & bonorum omnium spem cludit. Robertus, Normanniæ Dux, Anselmo iratus, quòd procerum animos in Henrici fide obsequioque confirmasset, Henrico suadet, coronæ jura tueri, & infulas premere. Quicquid redeuntes ex urbe Oratores contra referrent. Enimvero illi legationis summam exponentes, Paschalis literas Regi porrexerunt, in hæc verba dictatas.

Robertus Henricum in Anselmum accendit.

Apud Edmerum l. 3. fo. 49.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio Henrico Regi Anglorum salutem & Apostolicam benedictionem.

VIII. Paschalis Literæ ad Henricum Regem.

„ Legationis tuæ verba, fili charissime, grataner excepimus: sed vellemus obedientiam promittentis. In quibus nimirum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, illa in tuo regno pollicebaris, quæ tempore tui Patris habuerat: eos requirens honores, quos antecessorum nostrorum tempore, Pater tuus habuerat. Quæ profectò omnia, grata in superficie viderentur: interiùs requisita, & Legati tui vocibus exposita, gravia, & vehementissima paruerunt.

„ Quærebas enim, ut tibi Episcoporum Abbatumque, per investituram, constituendorum jus, & facultas, à Romanâ indulgeretur Ecclesiâ. & quòd per se solùm fieri omnipotens Dominus perhibet; hoc Regiæ potestatis fieret. Ait enim Dominus: Ego sum ostium: per me si quis introierit; salvabitur. Cum autem Ecclesiæ ostium Reges esse arrogant: fit profectò, ut qui per eos, Ecclesiam ingrediuntur; non Pastores, sed fures & latrones habeantur: eodem Domino dicente: Qui non intrat per ostium in ovile ovium; sed ascendit aliunde; fur est & latro. Et quidem, si à nobis magnum aliquid tua dilectio postularet; quod cum Deo, cum justitiâ, cum nostri ordinis salute concedi posset, * gnaviter utique concederemus. Hoc verò tam grave, tam indignum est; ut nulla ratione, Catholica id admittat Ecclesia. Facilius ad extrema quælibet, Beatus Ambrosius cogi potuit; quàm Imperatori Ecclesiæ permittere potestatem. Respondit enim: Noli gravare te, Imperator; ut putes, in eâ, quæ divina sunt, imperiale aliquid jus habere. Noli te extollere: sed si vis diutiùs imperare, esto Dei subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Quid tibi cum adultera. Adultera est enim, quæ non est legitimo conjugio copulata.

Ecclesiarum Investitura non potest Laïco permitti.

*graviter.

Jus Regum et Ecclesiæ diversum.

IX. „ Audis, ô Rex, adulteram Ecclesiam nuncupari, quæ non legitimè nupserit. Ecclesiæ siquidem sponsus, unusquisque æstimatur Episcopus, juxta Scripturam illam, qua ex fratris uxore, frater non sui nominis filios suscitare præcipitur: & sponsæ contemptor à futuro sponso discalceari mandatur. Vides igitur, ô Rex, quàm ignominiosum, quàm periculosum sit, per filios suos, matrem adulterio pollui! Si ergo Ecclesiæ filius es; quod utique omnis Catholicus Christianus est; permitte matri tuæ legitimum sortiri conjugium: ut non per hominem; sed per Deum & hominem Christum legitimo sponso copuletur Ecclesia. Per Deum enim Episcopos eligi, cum canonicè eliguntur; testatur Apostolus Paulus, dicens: Nec quisquam sumat sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Et Beatus Ambrosius: Meritò, inquit, creditur, quòd divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. Et post pauca: Ubi universorum postulatio congruit dubitare nos non oportet, ibi Dominum JESUM, & voluntatis authorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis Præsulem, & largitorem gratiæ. Præterea Propheta David, ad Ecclesiam loquens, ait: Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram. Ecclesia filios genuit: Ecclesia Principes statuit. Possemus alia de Scripturis sacris testimonia & exempla proponere: quibus constaret Ecclesiæ sponsos ac Pastores, Episcopos; non sæcularium potestatum nutu: sed Christi dispositione, & Ecclesiæ * judicio præponendos. Unde etiam Imperator Justinianus sanxit in legibus sic. Debet enim priùs disceptari de vitâ Episcopi; utrum bona sit; an reprehensibilis: & utrum bonis testimoniis

Episcoporum vocatio est a Deo.

*indicio.

muniatur;

,, muniatur; an non. Et infra; Fiat, inquit, facultas unicuique si velit contradicere. Et siquidem ante consecrationem fuerit contradictio facta: non priùs consecretur Episcopus; nisi disceptatio de contradictione sit facta: & undique appareat innoxius is, qui ad Episcopatum vocatur. Ecce quod populi totius esse pronuntiat Imperator; hoc sui solius esse, Regia potestas incessit. Ipsius etiam Imperatoris lege cautum est: ut nec profectio, nec ingressus ad Imperatorem, sine Metropolitani literis, pateret Episcopo. Quem ergo in Curiâ tuâ, sine Metropolitani literis admittere non debes: cum vis, ô Rex! in Ecclesiâ, Principem constituere? Monstruosum profectò est, ut Patrem filius generare, homo Deum creare debeat. Sacerdotes namque in Scripturis sanctis, Deos vocari, tanquam Dei Vicarios; manifestum est. Unde sanctæ memoriæ Constantinus Imperator, de Episcoporum causis disceptare ausus non fuisse describitur.

X. ,, Propter hoc sancta Romana Ecclesia, & Apostolica, per prædecessores nostros, Regiæ usurpationi, & investituræ abominabili vivaciter obviare curavit: & gravissimis persecutionibus, per tyrannos affecta, usque ad tempora nostra non destitit. Confidimus autem in Domino; quoniam nec in nobis confidentiæ suæ virtutem, Ecclesiæ Princeps Petrus, & Episcoporum primus amittet. Porrò sæcularium potestatum, & Regum in Ecclesiâ, quod sit officium, exponit Apostolus Paulus, dicens: Dei enim minister tibi in bonum: non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est, viodex in irâ, ei qui malè agit. Et Petrus Apostolus in eadem verba consentiens: Sive Regi, ait, quasi præcellenti: sive Ducibus ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Inter ista, Rex, nullius tibi persuasio profana surripiat: quasi aut potestati tuæ aliquid diminuere: aut nos in Episcoporum promotione aliquid nobis velimus amplius vendicare. Imo si ab hoc propter Deum desistas: quod contra Deum esse, manifestum est: quod cum Deo, nec tu exercere; nec nos concedere; aut cum nostrâ, seu tuâ salute possumus: quicquid deinceps postulaveris; quod cum Deo possumus, libentiùs indulgebimus: & honori tuo, & sublimationi propensiùs insistemus. Nec existimes, quod potestatis tuæ columen infirmetur; si ab hac profanâ usurpatione desistas. Immo tunc validiùs, tunc robustiùs, tunc honorabiliùs regnabis; cum in regno tuo, divina regnabit authoritas. Tunc amicitiam & familiaritatem nostram firmiùs obtinebis: & regni tutores, Beatos Apostolos habere gaudebis. nec tibi nunc in petitionibus tuis abesse poterimus: cui petitionum nostrarum fautorem Dominum adesse senserimus. Ipse omnipotens Deus, in cujus manu corda sunt Regum, assit hortatui nostro, assit auditui tuo: ut dum juxta præcepta ejus, tuas disposueris actiones: ipse regnum tuum pacis & honoris sui stabilitate, ac sublimatione disponat. Amen.

REGIS OFFICIUM IN ECCLESIA.

TUNC FLORENT REGNA, CUM DIVINA FLORET AUTHORITAS.

XI. HENRICUS AD PASCHALIS VOCES OBSURDESCIT.

Nec istæ Paschalis literæ, Henricum aliena appetere dedocentis: nec Anselmi industria, eundem in regno confirmantis; obstinatum Principem flectere potuerunt, aut ambitioni ejus frenum imponere. Sed immemor beneficii, & Prælatorum operæ; quam nuper, continendo in ejus fide proceres, populumque posuerant; Anselmum premit, de quo ita scribit Edmerus. *Itaque post hac, dum omnes intenti expectarent aliquid, tanto beneficio dignum, in Anselmum, à Rege processurum: Ecce ad Curiam Regis venire mandatur responsurus de negotio, de quo induciæ dilatæ fuerunt. Nuntii quippe jam Româ ecversi literas à Paschali Papa, qui Urbano successerat, Regi destinatas attulerunt.* Tum literis recitatis hæc subdit. *Cum igitur ad Curiam venissemus: Rex usus consilio fratris sui, & amicorum illius, qui acerbo contra Anselmum, pro regni amissione, odio erant inflammati: exegit ab eo, ut aut homo suus fieret: & eos quibus Episcopatus vel Abbatias se daturum dicebat, pro more Antecessorum suorum consecraret: aut terram suam, sine retractatione, & festinanter exiret. Cui ille respondit: Dixi quemadmodum Romano Concilio interfuerim: quidque ibi, à Sede Beati Petri acceperim. Si ergo excommunicationi, cujus in hoc regno relator extiti, memet, alicujus rei gratiâ, subjicio: Cui quæso deinceps adhærere potero, meo judicio excommunicatus? Nuntii hæc ipsa * mutare directi, infecto negotio reversi sunt. Horum igitur, quæ cum salute, & honestate meâ nequeo transgredi, me transgressorem fieri, non videtur sani consilii. Refert: Quid ad me? usus antecessorum meorum nolo perdere: nec in regno meo, qui meus non sit, quemquam sustinere. Dixit: Audio quò tendant ista quæ dicuntur: exercitatus in ejusmodi sum. Attamen interim, non exeo terram, ut ipse jubet: sed ad Ecclesiam meam ibo: & faciendo quæ me debere facere intelligam: quisnam mihi, vel meis aliquam velit violentiam inferre considerabo.*

Edmer. l. 3. fo. 49.

Idem suprà fo. 61.

ANSELMUS IUBETUR MIGRARE, VEL REGIS IMPERIO CEDERE.

*** nuntiare forte.**

XII. EPISCOPORUM INCONSTANTIA IN CAUSA ANSELMI.

Acta sunt in hunc modum de his multa: sed eorum omnium hæc extitit summa: Episcopis, regniq; proceribus; ut sub alio Rege solebant; verba hinc inde ferentibus: & in singulis Regiæ voluntati parere certantibus. Imo ne Romani Pontificis obedientia subderetur, summopere insistentibus. Reversus est itaque Anselmus ad sua, Deo in cunctis placere studens; & oppressionibus Ecclesiarum Angliæ gravi contritione cordis ingemiscens. Non multum temporis fluxerat: & ecce cum Pater suarum securus injuriarum, Ecclesiæ damnis non nihil mederetur: literæ sibi amicabiles à Rege transmissæ deferuntur. In quibus; primo salutationis alloquio, cum perfectæ pacis oblatione soluto; rogatur venire ad Regem; gesti negotii sententiam alio consilio moderari volentem. Auditurus itaque nè forte Deus suâ gratiâ cor ejus tetigerit: quò mandatur, Wintoniam vadit. ubi Episcopis, terræq; Principibus, sub uno coactis, communi assensu apud Anselmum actum est; quatenus sub aliis induciis, alii Nuntii prioribus excellentiores, ex utraque parte Romam mitterentur; Romano Pontifici viva voce exposituri; illum, aut à sententia necessariò discessurum: aut Anselmo, cum suis, extra Angliam pulso, totius regni subjectionem, & commodum, quod inde singulis annis habere solebat, perditurum. Ab Archiepiscopo igitur missi sunt Monachi duo, Balduinus scilicet Beccensis, & Alexander Cantuariensis: non quidem ut eorum instinctu Romanus Pontifex rigorem justitiæ, causâ Anselmi, ullo modo exiret: Sed partim ut Curialibus minis, testimonium, cui Papa incunctanter crederet serrent: partim, ut de negotio, tertam Apostolicæ Sedis sententiam Anselmo referrent.

XIII. GIRARDUS EBO-

Ad ipsum verò negotium conficiendum directi à Rege sunt tres Episcopi. Girardus videlicet, de Herefordensi nuper factus Archiepiscopus Eboracensis: Herbertus

RACENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Theodfordensis; Robertus Cestrensis. Sed horum Episcoporum duos, sua quoque causa Romam agebat: Girardum scilicet adeptio Pallii: & Herbertum intentio recuperandi ablatam Ecclesiæ suæ Curam Christianitatis super Abbatiam Sancti Edmundi.

NUNTII AN HENRICO ROMAM MISSI.

Ante paucos siquidem annos Balduinus, ipsius Cœnobii Abbas, Romam adierat: & apud Alexandrum Papam, privilegium ipsi Abbatiæ adquisierat: per quod eam, à subjectione omnium Episcoporum, salvâ Primatus obedientiâ, liberam effecerat. Quod factum Lanfrancus Archiepiscopus molestè accipiens, ipsum privilegium Abbati abstulit. nec illud ei, nisi circa finem vitæ suæ, multorum precibus motus reddere voluit. Præfatus ergo Episcopus, Episcopatum Theodfordensem seu Norwicensem; in cujus parochiâ eadem Abbatia esse scitur, suo jure, non jure privatum esse ægrè ferens, ut diximus, Romam ire; & si fortè posset, in antiquam dignitatem, Ecclesiam, cui præsidebat restituere, adminiculante pietate, cogitabat. His itaque Herebertus; cum relictis sociis, Burgundiam cum suis venisset: & partes Lugdunensis provinciæ impiger attigisset; comprehensus à quodam Guidone, viro præpotente, ac fero est: & quod de Anglia Episcopus esset; quodque pro damno Domini sui Anselmi, Cantuariorum Archiepiscopi, Romam iret; ab eodem calumniatus. Negat ille, nec ei creditur. Instat negando & dejerando: sed nequicquam. Tandem prolatis Sanctorum reliquiis, super eas jurare cogitur, & asseverare, se nullâ omnino ratione, Romæ scienter quid acturum, quod aut honori, aut voluntati Patris Anselmi, videri posset obnoxium. Post quæ, ut pace, ac securitate viis comitatus, viæ reddi mereretur; fermè quadraginta, sicut fertur, marcas argenti, non grata ei largitate reliquit: quas suo negotio, super Ecclesiam S. Edmundi Romæ adminiculaturas, Angliam egrediens, magè putavit.

HEREBERTUS IN BURGUNDIA DETINETUR.

XIV. Hactenus Edmerus de Regis & Anselmi legatione ad Romanum Pontificem, super jure Investiturarum: Cujus meminit Baronius, præsentem annum ita auspicatus. *Sequitur annus Redemptoris centesimus primus supra millesimum, Indictione nonâ: quo ad Paschalem Papam tam ab Henrico Anglorum Rege, quam à S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, inter se ob Investituras Ecclesiarum concertantibus, legationes missæ sunt. Res gesta unà cum Epistolis, ultrò, citroque missis, seorsim ab Edmero, isthæc omnia continente, descripta fuerunt, ut ipse testatur in præfatione ad vitam ejusdem Anselmi. Sed cum liber ille exciderit; pauca quædam, quæ ex illo descripsit Willielmus Malmesburiensis Bibliothecarius, hic recitanda erunt.* Verùm non est opus Malmesburiensem exscribere, postquam Edmeri historiam, seu *Libros Novorum*, è Bibliotheca Cottoniana emisit, Joannes Seldenus, eo nomine & multa eruditionis laude, commendatus. Inde, quæ supra dicta sunt, & plura quæ infra ponentur excerpta. nam fidelissimus Author multa refert, quæ alibi vix reperies, Annalibus dignissima. Cæterùm quod ad Epistolas attinet ultrò citroque à Rege & Anselmo missas, de quibus paulò ante Baronius. Edmerus quidem, libro tertio Novorum, Paschalis Papæ, ad Henricum Regem, tres Epistolas; quatuor, ad Anselmum datas recitat; quas suo loco ponemus: nullam habet, aut Regis aut Anselmi ad Paschalem Papam, quos tamen ad ipsum scripsisse indubium. Extat quidem Anselmi Epistola, libro tertio Epistolarum ejus; quam Monachis nunc Romam pergentibus, in hunc modum dictavit.

Baronius hic.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 47

Domino & Patri Reverendo, PASCHALI summo Pontifici ANSELMUS servus Ecclesiæ Cantuariensis; debitam subjectionem, & orationum assiduitatem.

XV. ANSELMI LITERÆ AD PASCHALEM PAPAM.

„ POSTQUAM revocatus ad Episcopatum, „ redii in Angliam; ostendi decreta Apostolica, quæ in Romano Concilio præsens audivi. „ De qua re Dominus meus Rex, vestram requisivit sanctitatem, per Legatum suum: & „ ego per Epistolam meam, vestrum requisivi, „ secundùm quod rem cognosceretis, consilium. „ Regi per literas vestras responsum, quod illi „ sufficeret, non dedistis. Adhuc vestram pro „ eâdem re adeunt quidam Episcopi præsentiam: „ & ego nostros mitto Legatos, responsi vestri „ mihi relaturos sententiam: nè fortè videar alicui, meo solo sensu, vel propriâ voluntate „ quicquam facere. Servatâ igitur apud me Reverentiâ Sedis Apostolicæ, precor; ut de petitione, quam vobis prædicti Episcopi exponent; quod melius & utilius sapientia vestra secundùm Deum judicaverit, disponatis: & „ quicquid illud fuerit, per Legatos nostros me „ certum faciatis. Sicut enim non pertinet ad „ me absolvere, quod ligatis: ita non est meum „ ligare, quod absolvitis.

XVI. ANSELMI DUBIA PASCHALI PROPOSITA.

Has literas Anselmus Balduino & Alexandro Monachis commendavit. & unà, postulata quædam, seu dubia; quorum solutionem ab Apostolicâ Sede requisivit, & in septem capita digessit. 1. de Ecclesiarum Investituris. 2. de Sacerdotum filiis, in Ecclesiastico gradu constitutis, quos ad superiores gradus noluit promovere. 3. de Sacerdote concubinario; an liceat ab eo Sacramenta petere, in mortis periculo. 4. An liceat cum Rege terras, aut Ecclesiastica prædia commutare? 5. Quid faciet Clericus, cum dantur illi terræ à laico, ut fiat ejus homo? 6. Petit Anselmus facultatem mitigandi quandoque rigorem Canonum, præsertim ubi parva Canonum observantia. 7. Denique Paschali suggerit, Ranulfum Dunelmensem Episcopum criminibus onustum, ideoque Sede & Infulâ pulsum, nunc demum à Rege restitutum: quæritque; an, & quomodo tolerari debeat. Quibus postulatis Paschalis respondit, rescripto quod infra ponetur. nunc quid Romæ actum. Quid Episcopi, in Regis; quid Monachi in Anselmi causâ egerint, videamus.

NUM RANULPHUS DUNELMENSIS TOLERANDUS.

XVII. PASCHALIS CONSTANTIA PRO TUR INVESTITURÆ.

Ut Romam perventum; Oratores Regii, strenuè pro Henrico advocant; omnes ejus juris apices excutiunt: Investituras Regi deberi, ex heteroclitis antiquorum Principum factis probant: denique Clerum, Ecclesias, Infulas, Coronæ subjicere enixè laborant: de Regiâ plurimum, de Ecclesiasticâ dignitate parum, soliciti. Balduinus & Alexander; causæ æquitate nixi, Anselmi literis, nullo alio argumento pugnant. Paschalis Pontifex Episcoporum orationi iratus, cum flecti non posset, minarum tormento petitur. Tum verò petræ firmitatem induens; verborum lenocinia, & minas aversatus, Regiæ cupiditati constanter obstitit. quod ab Edmero in hunc modum refertur. *Emensâ debitæ longitudine via, Nuntii Romam unà veniunt. Sui adventus causam, pro eo quem præferebat tenore, Apostolicis auribus suggerunt. tanti mali dirimendi consilium*

Edmer l. 3. p. 62

p oni

promi deposcunt. Audit ille quæ feruntur: & non invenit verba, quibus exprimat, quantum inde miretur. Cum tamen ab Episcopis magnopere precaretur, suis rebus præcavere; ac definita prædecessoris sui sententiæ rigorem, ut undique pax esset, temperare; asseruit se, nec pro Capitis sui redemptione hoc facturum. Decreta (dicens indignando) & institutiones Sanctorum Patrum, minis actus unius hominis dissiparem? Finierat in istu super hæc scriptas Epistolas Regi & Anselmo, cuique suam destinavit: Regi inter alia, Ecclesiarum investituras, judicio sancti Spiritus, interdicens: & Anselmum, ut quæ agebat, ageret, & quæ loquebatur, affectuosè deprecans: firmata, & Apostolica Sedis authoritate roborata in omnibus sui Primatus dignitate. Quæ ut meliùs pateant, Epistolas ipsas legentium oculis ecce præfigimus.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei, Charissimo filio, HENRICO Regi Anglorum salutem & Apostolicam benedictionem.

XVIII. PASCHALIS LITERÆ AD HENRICUM REGEM.

,, REGI Regum Domino gratias agimus, qui
,, te in regnum, beneplacito suæ voluntatis
,, evexit: & tanquam Christianum Regem, in
,, beneplacito suæ voluntatis, ineffabili miseri-
,, cordiâ custodivit. Rogamus ergo, ut bona
,, regni tui exordia in melius augeat, & usque in
,, finem sua in te dona custodiat. Deseruisti enim
,, fratris tui Regis impietatem; quam divino con-
,, spicis judicio terribiliter vindicatam. Eccle-
,, sias libertati restituisti, Clerum honorare cœ-
,, pisti: & Cleri Principes Episcopos; immo in
,, his Christum Dominum venerari. Confidimus
,, itaque quia usquè in finem eadem sapies, & in
,, eâdem probitate persistes: nisi sunt aliqui
,, perversæ mentis homines, qui cor Regum,
,, per Episcoporum & Abbatum Investituras,
,, divinæ indignationi aptare conantur. Quorum
,, in hac parte consilia, tanquam virus sunt evi-
,, tanda: nè illum offendas, per quem Reges
,, regnant, & potentes justa decernunt. Quem
,, profectò si propitium habueris, feliciter re-
,, gnabis; potestatemque integram & divitias
,, obtinebis. Quem si, quod absit, offendis:
,, non procerum consilia, non militum subsidia;
,, non arma, non divitiæ, ubi subvertere cœpit,
,, potuerunt subvenire. Porrò in honore Do-
,, mini; in Ecclesiæ libertate; nos familiares, nos
,, adjutores habebis. Nec opineris: quia quis-

INVESTITURÆ LAICIS PROHIBENTUR

,, quam nos à tuâ divellet amicitiâ; si ab Inve-
,, stituris abstinere; si honorem debitum, & li-
,, bertatem à Domino institutam, Ecclesiæ con-
,, servaveris. Ecclesiarum siquidem Investitu-
,, ras, nos Sancti Spiritus judicio, Regibus &
,, Principibus, immo laicis omnibus interdici-
,, mus. Nec enim decet, ut à filio mater in ser-
,, vitutem abdicatur: ut sponsum quem non op-
,, tavit, accipiat. Habet sponsum suum Regem,
,, ac Dominum nostrum: qui te misericordiâ
,, suâ in potentiâ, & probitate custodiat: & à
,, terreno, ad cæleste regnum perducat. Amen.

XIX. Has literas, de Investiturarum jure disertè loquentes, Henricus Rex aversis oculis, & auribus excepit; & ad tenebras damnatas, adeo occultavit, ut nisi Edmerus illas propalasset, æterno opinor silentio periissent. nam Antistites, qui pro veritate, pro Ecclesiâ, pro Episcoporum & Ecclesiarum Principe, loqui debuerunt, imma-

EPISCOPI ROMAM MISSI, PA- PÆ MENTEM ADULTERANT.

nè peccantes; Paschalis responsum, mentemque adulterarunt: ubi quæstio in Regis Curiâ cœpta est ventilari. de quo statim. nam Paschalis ad Anselmum literas placet præmittere, quas Edmerus subjicit ita inscriptas.

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri, & Coëpiscopo ANSELMO salutem & Apostolicam benedictionem.

XX.

,, NON ignoras divinæ voluntatis esse consi-
,, lium; quod religio tua in Anglici regni
,, regione præsideat. Cum enim perversi Regis
,, odia declinans, secessum elegisses; & procul
,, ab Anglicis tumultibus, tecum habitans, Deo
,, viveres: de perverso Rege, sua omnipotens
,, Dominus judicia terribiliter perpetravit. Te
,, autem totius populi postulatione vehementi,
,, & novâ Regis devotione mirabili, ad Cathe-
,, dram, quam dimiseras, prò Deo, revocavit.
,, Deo autem gratias; quia in te semper Episco-
,, palis authoritas perseverat: & inter barbaros
,, positus, non tyrannorum violentia, non po-
,, tentum gratia, non incensione ignis, non effu-
,, sione manus, à veritatis annuntiatione desi-
,, stis. Rogamus itaque, ut quod agis, agas;
,, quod loqueris, perloquaris. Non enim defi-
,, ciet sermonum nostrorum, operumque prin-
,, cipium, qui in principio erat verbum. Neque
,, nos in ipso deficiemus, qui est Dei virtus, &
,, Dei sapientia. Eundem enim cum Patribus
,, nostris spiritum habentes, credimus, propter
,, quod & loquimur. Et verbum quidem Dei
,, non est alligatum. Nos autem humiliamur
,, nobis. Cæterùm in hac humiliatione, cum
,, Deo, mente excedimus. In ejus veritate ho-
,, minum mendacia intuemur. Quâ de re in Sy-
,, nodo nuper ad Lateranense Consistorium ce-
,, lebratâ, Patrum nostrorum decreta renovavi-
,, mus: sancientes, & interdicentes; ne quisquam
,, omnino Clericus, de manu laici Ecclesias, vel
,, Ecclesiastica dona suscipiat. Hæc est enim
,, simoniacæ pravitatis radix: dum ad percipien-
,, dos honores Ecclesiæ, sæcularibus personis
,, insipientes homines placere desiderant. Idcir-
,, co sanctorum Conciliorum veneranda maje-
,, stas, sæcularium Principum potestatem ab Ec-
,, clesiasticis electionibus decrevit arcendam: ut
,, sicut per solum Christum, prima in Baptismo
,, Ecclesiæ janua, ultima in morte vitæ aperitur
,, æternæ: ita per solum Christum, ovilis Chri-
,, sti ostiarius statuatur; per quem Christi ovi-
,, bus, non pro mercedibus ovium, sed pro Chri-
,, sto, ingressus & egressus, ad vitam perducatur
,, æternam. Hæc Frater charissime, prolixiori
,, possent oratione, & ratione tractari: sed sa-
,, pientiæ tuæ pauca suggessisse satis est. quæ &
,, orationibus divinis abundat; & Ecclesiasticis
,, est rationibus assueta. Hæc ita doceas: sicut
,, scis tuo Primatui expedire. Quem profectò
,, ita fraternitati tuæ pleniter, & integrum con-
,, firmamus; sicut à tuis constat Prædecessori-
,, bus fuisse possessum. Hoc personaliter adji-
,, cientes; ut quamdiu regno illi religionem tuam
,, divina misericordia conservaverit; nullius un-
,, quam Legati, sed nostro tantùm subesse de-
,, beas judicio.

XXI. *De tempore scriptarum literarum.*

Opinari quis poterit, satis sanè probabiliter; non hoc, sed sequenti anno, ita scriptum à Paschali; cum Lateranensis Synodi mentio fiat; quam passim Authores referunt ad annum secundum hujus sæculi. Quam fortè ob causam Baronius, non has ad Anselmum, sed alias à Paschali, hoc tempore, dictatas recitat, quæ sic incipiunt: *Suavissimas dilectionis tuæ suscepimus litteras*, &c. ubi reverà de Investituris agitur. Verùm è rerum gestarum serie, & Edmeri narratione constat, præcessisse, quas suprà recitavi literas, eas quas refert Baronius: nam illæ post Oratorum in Angliam reditum, post Episcoporum & Monachorum contestationem, denique post alteram in Urbem missionem, scriptæ sunt; ut è literarum textu patebit. Cæterùm cum in Paschalis, suprà recitatis, mentio sit Lateranensis Consistorii; ubi plurimùm Pontifex habebat; dici potest non incommodè; finitimos Episcopos eò sæpè convenisse, quoties gravior aliqua causa urgebat. & illius Synodi, non generalis Concilii, quod sequenti anno coactum est, meminisse. Unde Edmerus cum Episcoporum minas, & indignationem Pontificis retulisset; binas statim Paschalis literas, unas ad Regem, ad Anselmum alteras, quas suprà posui subjecit. Omisit tamen illas, quibus Pontifex Anselmi postulatis satisfecit. Sed inter Anselmi Epistolas habentur in hunc modum.

Paschalis servus servorum Dei, Venerabili Patri & Coëpiscopo Anselmo, salutem & Apostolicam benedictionem.

XXII. **Baldwinum.* *Respondetur ad dubia Anselmi.*

„ Consulta illa, quæ per Venerabiles Nuntios tuos, * Baldemum & Alexandrum, ad Sedem Apostolicam transmisisti; poterat utique fraternitas, & Fratrum, qui circa ipsam sunt, collatione, & datæ divinitus sapientiæ, & intellectus consideratione discutere. Cæterùm sicut in cæteris consuevisti; in hoc quoque communi Catholicorum Matri reverentiam servare curasti. Nos itaque Sanctorum Patrum, qui nos in Sede Apostolicâ, disponente Domino, præcesserunt, vestigiis inhærentes; hæc consultationi tuæ respondenda deliberavimus.

„ Anselmus. Si de manu Laïci liceat Episcopo vel Abbati accipere Ecclesias, quas in suo dominio habent: cum eas, non personæ, sed Episcopatui, vel Abbatiæ donent.

„ Paschalis. De manu Laici, Episcopus jam consecratus, suscipere non debet Ecclesias; si in alienâ parochiâ sint: Si verò in sua sunt, licenter accipiat. Hoc enim non videtur dare, sed reddere: cum Ecclesiæ omnes, per singulas parochias, in Episcoporum debeant esse potestate. Abbates verò per Episcoporum manus suscipiant.

„ Anselmus. De Sacerdotum filiis, vel concubinarum; qui quosdam olim gradus acceperunt, & volunt omninò redire ad immunditias sæculi, nisi ad majores promoveantur; promittunt religiosam vitam, quid agendum?

De filiis Presbyterorum.

„ Paschalis. De Sacerdotum filiis, vel concubinarum, quam vitam tenendam, prædecessores nostri, Sedis Apostolicæ Pontifices instituerunt, nosse te credimus. nec nos ab illorum volumus aberrare vestigiis. Quod igitur tibi super his in barbaris regionibus sit disponendum, ex ipsius præcepti poteris collatione distinguere.

„ Anselmus. Si à Presbyteris fœminas habentibus liceat pœnitentiam, & corpus Domini, in periculo mortis accipere, cum nullus continens adest. Et si licet; & illi dare nolunt; quia Missæ eorum contemnuntur, quid faciendum? XXIII.

„ Paschalis. In periculo mortis positum, melius æstimamus, de manu cujuslibet Clerici Dominicum corpus accipere, quàm de Corpore, sine Viatico, dum religiosus Sacerdos expectatur, exire. Si qui verò Presbyterorum, pro vitæ suæ contemptu præterito, in illo extremitatis articulo positis, Viaticum denegaverint, tanquam animarum homicidæ districtiùs puniantur.

„ Anselmus. Si Rex habet terras Episcopatus, vel Abbatiæ; quas nullo modo reddere vult: & pro iis vult dare aliquam Ecclesiam, quam in sua manu tenet, non minus utilem: si liceat accipere, ne judicetur emptio?

„ Paschalis. Pro terris Ecclesiarum de manu Regis, Ecclesias suscipere minùs licet: nè sacrilegii dari videatur assensus. Divina enim in nullius bonis sunt: & quod Deo semel oblatum est; in alienos usus non expedit usurpari. Porrò sub hujusmodi commutationibus sæculari potestati securiùs indulgetur.

„ Anselmus. Si nullus Clericus debet fieri homo Laici: & aliqua beneficia, aut possessiones, non Ecclesiasticas, debet tenere de Laïco: nec Laicus vult ei dare, nisi fiat suus homo, quid faciet?

„ Paschalis. Liberam esse Ecclesiam Paulus dicit. Indignum est igitur, ut Clericus; qui jam in Dei sortem est assumptus; & jam laicorum dignitatem excessit; pro terrenis lucris, hominium faciat Laico, ne fortè dum reperitur servi sæcularis obnoxius, vacet aut gravetur Ecclesia. Scriptum est enim: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

Clericus non debet fieri Laico, suus homo.

„ Anselmus. Sæpè necesse est aliquid, de Apostolicis & Canonicis statutis, pro compensationibus relaxare: & maximè in regno, in quo ferè omnia sic corrupta & perversa sunt; ut vix ibi aliquid omnino statuta Ecclesiastica ferre possit. Peto ut per licentiam vestram possim quædam; prout mihi Deus discretionem dabit; temperare. Quod petii à Domino Papa Urbano, & ipse posuit in meâ deliberatione. XXIV.

„ Paschalis. Dispensationis modus; sicut B. Cyrillus in Epistolâ, Ephesinæ Synodi loquitur, nulli unquam sapienti displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros, & ipsos Apostolos, pro temporum articulis, & qualitatibus personarum, dispensationibus usos. Quamobrem nos de Religione, & sapientia tua, diu longèque spectata, nihil penitus ambigentes; tuæ deliberationi committimus; ut juxta datum *tibi divinitus intellectum; cum Ecclesiæ, cujus Præpositus es, tanta necessitas expetit, sacrorum Canonum, Decretorumque difficultatem, opportunâ, & rationabili († causâ) valeas temperare.

Licentia Anselmo datur temperandi rigorem Canonum.
** mihi habetur, sed malè.*
† non habetur in textu

„ Anselmus. Raulfus; de quo vestrum olim

petii

,, petii consilium; à Rege restitutus est in Epis-
,, copatum. Si ergo vobis placuerit, inquitite
,, vitam ejus ab Episcopis nostris, qui nunc ad
,, vos venerunt: ac de eo Archiepiscopo ejus,
,, & mihi Primati ejus consulite.

DE RANULFO DUNELMENSI DUBIUM.

,, PASCHALIS. Ranulfi Episcopi causam, quan-
,, doquidem juxta præceptum nostrum, in ca-
,, thedram propriam restitutus est, indiscussam
,, præterire noo patimur. Ejus enim facinora
,, gravissima, ad Sedem Apostolicam multo-
,, rum sunt relatione perlata. Volumus ergo,
,, ut apud præsentiam vestram, in Episcoporum
,, conventu, quæ de eo, ad nos, scripta sunt,
,, pleniùs pertractetis. Discussione habitâ, nisi
,, se septimâ sui ordinis manu expurgare potue-
,, rit; mox cum literarum vestrarum testimonio,
,, transmittatur ad nos. Si autem de conscien-
,, tiâ suâ trepidans, ad examen nostrum perve-
,, nire noluerit; per experientiam vestram, ab
,, Ecclesiâ quam occupat, depellatur: & in eâ
,, juxta Canonicas sanctiones Episcopus subro-
,, getur.

XXV. OSBERNUS EXON. EPISCOPUS MONACHIS GRAVIS.

Ita quæsivit; ita quæsitis respondit Paschalis: qui etiam sub idem tempus, Monachorum querelæ satisfecit; qui nec cœmiterium habere, nec Monachos in Monasterio sepelire permissi sunt; Episcopo, & Clero Exoniensi sepulturæ prærogativam iohibente: quos redarguit in hunc modum.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri OSBERNO, & Clericis Excecestrensis Ecclesiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

AD EUM SCRIBIT PASCHALIS PAPA.

,, ET Patrum sanxit authoritas, & Ecclesiæ
,, consuetudinis stabilitas exigit: ut sicut in
,, claustris suis viventes religiosi Monachi con-
,, conversantur; ita & defunctorum corpora, in-
,, fra Monasteriorum suorum ambitum requies-
,, cant: ut illud ex divino munere, cum cordis
,, valeant exultatione cantare. Hæc requies mea
,, in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam ele-
,, gi eam. Vos autem, ut audivimus, Monachos
,, Sancti Martini de Bello, in vestrâ civitate con-
,, versantes, sepeliri infra Monasteru sui ambi-
,, tum prohibetis. Et grave est, ut in eo loco
,, quisquam cum devotionis gratiâ conversetur;
,, Unde cadaver suum prævidet omnimodis pro-
,, pellendum. Qua de re dilectioni vestræ præsen-
,, tia scripta mandamus, præcipientes, & prohi-
,, bentes, nè ulteriùs supradictis Monachis, cæ-
,, miterium ad sepeliendos suos interdicatis: Sed
,, sicut vobis per Antecessoris nostri bonæ me-
,, moriæ Domini Urbani literas, præceptum est,
,, concedatis. Tua autem, frater Episcope
,, Osberne, interest, eisdem fratribus cæmite-
,, rium benedicere: & eorum religionem, ad
,, omnipotentis Dei servitium consovere. Si
,, quis autem huic institutioni contraire tenta-
,, verit; Venerabili Fratri & Coëpiscopo An-
,, selmo injunximus; ut in eum, tanquam in
,, Sedis Apostolicæ contemptorem, Apostolici
,, rigoris ultionem exerceat.

XXVI. QUI ROMAM MISSI EPISCOPI ET MONACHI REVERTUNTUR.

Cum hisce literis Oratores in Angliam ex Urbe reversi, varios animorum motus, pro variâ ingeniorum conditiooe, effecerunt. Qui Regiæ cupiditati famulabantur, Pontificiis literis irati, quid contra repooerent, ignorabant. nam ut illas rejicere, impium; ita easdem admittere, incommodum suis rebus fore sciebant. Placuit igitur, missâ literarum mentione; quæ parum, aut nihil Regi favebant; ad vivæ vocis oracula provocare; quæ Episcopi, pro Regis genio fingerent, & à Paschali processisse testarentur. Quis crederet sacratos Antistites, Ecclesiæ firmamenta, adeo à se, & pietate descendisse, ut fœdæ vanitati succumberent; ut aulæ vitia sequuti, Pontificis mentem verbaque mentirentur. Ita factum tamen: Monachis contra, sed incassum, nitentibus. texissem ego silentio, hunc Episcoporum solœcismum, nisi illum Authores, & summorum Pontificum literæ loquerentur: nisi Monachi, in Anselmi causâ missi, vocalissimè pro veritate stipulati essent. nisi demum Romani Episcopi authoritas, falsa rerum narratione palmariter læsa fuisset. Edmerus, hæc omnia articulatè persequutus; de redeuntibus ex urbe Episcopis, ac Monachis; quæque inde gesta sunt, narrat in hunc modum.

EPISCOPORUM FRAUDULENTA NARRATIO.

XXVII. Edmer. l. 3. fo. 63.

ANSELMUS RURSUM A REGE CONVENITUR.

*Reversis Episcopis, & aliis, qui Romam ut diximus, directi fuerant: Rex adunatis Londonia Principibus regni; Anselmum per internuntios, ex more, convenit: quatenus sibi, aut consuetudines paternas ultra non negaret; aut regni sui cultor esse desineret. Respondit: Inspiciantur, si placet, literæ, quæ allatæ sunt: & salvâ honestate meâ, salvâ Sedis Apostolicæ obedientiâ; quantum potero voluntati ejus morem gerere pratentabo. Si vult, ait, sua videantur: mea sciat, hac vice non videbuntur. Refert: Cum igitur, inquiens alia vice sibi eas ostendere placuerit: tunc & me ad ea, quæ modo haberet, promptum habebit. Respondit: Nequaquam de literis ago, vel agam: sed an meæ voluntati, omni ambage dimissâ, in cunctis concurrere velit, edicat, ut audiam. Quod auditum, multis magnæ admirationi fuit, dicentibus inter se: * quia si literæ voto ipsius concordarent, eas etiam, nolente Anselmo, ultroneus publicaret. Non ergo nobis, eo tempore, innotuerunt. Attamen quæ tunc sunt sollicitius celata: eò latiùs post aliquot dies sunt divulgata. Verùm lectis atque relectis, coram omnibus, auditum prabere volentibus, literis Anselmo directis: subjunxerunt Episcopi, qui Româ venerant: se alia Roma ab Apostolico verbis accepisse, quàm literæ ipsæ, vel etiam illæ. quas Regi detulerant, continerent in se. Requisitiq;, contestati sunt in Episcopali veritate, Papam ipsum, Regi verbis puris mandasse per se; quoniam quamdiu in aliis vitam boni Principis ageret; de Ecclesiarum Investituris, æquanimiter illum toleraret: nec eum ullo excommunicationis vinculo necteret, si religiosas personas per dationem virgæ pastoralis, eis investiret. Cur autem hanc tanti doni dignitatem, ei per chartæ inscriptionem noluerit delegare; eam ferebant causam esse, videlicet ne in aliorum notitiam Principum prolata; ipsi eam sibi usurparent, Romani Pontificis authoritate contempta.*

* quasi opinor male.

XXVIII. NUNTII REGIS ET ANSELMI IN NARRATIONE DISSENTIUNT.

Ad hæc, cum ii, qui ex parte Anselmi missi fuerant, vivâ voce testarentur, Papam nihil cuilibet verbis mandasse, quod literis aliquatenus adversaretur. Objecerunt Episcopi, se clam illis, alia egisse, palàm alia. Quod Balduinus audiens, & infamem Apostolicæ Sedis inconstantiam, quæ notabatur, sustinere non valens, eos, sicut erat spiritu fervens, & boni amans; nonnihil etiam in istiusmodi dictis, contra Fidem & Sacramenta, quæ se coram Romæ fecerant Apostolico, agere calumniatus est. Orta igitur

dissensio

dissensio non modica inter proceres est. Hi etenim astruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo Papæ signatis, verbisq; Monachorum omnino credendum. Illi è contra, trium potius Episcoporum assertionibus, quàm vervecum pellibus atramento denigratis, plumbiq; massulâ oneratis, fore cedendum, abjecto Monachellorum testimonio; qui ubi sæculo se abrenunciare professi sunt; omne, inquiunt, sæcularis negotii testimonium prodiderunt. Ast hoc, ait Balduinus, negotium sæculare non est. Aiunt: Et quidem te virum prudentem, & strenuum scimus: sed ipse ordo expostulat, ut Archiepiscopum unum, Pontificesq; duos, majoris testimonii, quàm te esse judicemus. Et de literarum, inquit, testimonio, quid? Responderunt; testimonium Monachorum contra Episcopos non recepimus, & ovina pellis reciperemus? Væ, Væ, aiunt ad ista quilibet religiosi: Nonne & Evangelia ovinis pellibus inscribuntur. O bone simultatis detecta confusio! Quid in his Anselmus ageret, quò se verteret, aliquamdiu dubitavit. Grave quippe judicavit, quomodocumque ostendere, fidem se literis Apostolicis non habere: & fomitem gravis scandali vidit esse, verba tantarum personarum, in Episcopali veritate illa vera esse contestantium, adversâ fronte refellere.

EPISCOPORUM CAVILLUS.

XXIX. His subjicit Edmerus datas à Paschali ad Anselmum literas: quæ quia non alibi facilè reperiuntur, hic ponendæ.

Apud Edmerum l. 3. fo. 60.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri, ANSELMO Cantuariensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

PASCHALIS AD ANSELMUM LITERÆ.

„ ADVERSUS illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, Ecclesiarum videlicet Investituram; quàm validè, quàm robustè, quàm severè, Patres nostri, præteritis temporibus, obviaverint; sapientiæ tuæ satis est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ prædecessoris nostri Domini Urbani tempore apud Barum collecto Venerabilium Episcoporum, & Abbatum, ex diversis partibus, Concilio; in quo tua religio, & nos ipsi interfuimus: sicut qui nobiscum aderant, reminiscuntur: in eandem pestem, excommunicationis est prolata sententia. Et nos eundem cum Patribus nostris spiritum habentes, idem sapimus, & eadem testamur. De Sacerdotum & Levitarum filiis, dudum nos tibi scripsisse reminisceris. Porrò si promoti fuerint inventi, & spe promotionis ademptâ, in eo quo reperti sunt ordine, manere voluerint; quia illa eis macula, non ex proprii culpâ reatus inhæsit, non videtur, si aliàs digni fuerint, in eos depositionis sententiam dari; ut se iterum negotiis implicent sæcularibus: cum in eis, ordinationis tempore, propriæ voluntatis arbitrium non remanserit. Gualensis Episcopi causam sacris omninò Canonibus obviare non nescis. Cæterùm, quis inter barbaros, barbaricè & stolidè promotus est, in tuæ fraternitatis arbitrio ponimus. Sic tamen, ut de cætero, in eâ regione, hujusmodi non præsumatur adversio. Quod super ejusdem Episcopi negotio, & aliis rebus, per fideles nuntios dirigimus, tanquam ex nostro ore audias. Munera quæ Beato Petro misisti, recepimus cum gratiarum actione. Unde ab illo, qui omnium bonorum est retributor, mercedem recipias. Datæ Beneventi II. Id. Decemb.

PRESBYTERORUM FILII.

XXX. Videtur hæc Paschalis Epistola, dubia solvisse ab Anselmo proposita: sed quod data sit Beneventi, primo euntis sæculi anno, difficultatem habet, ex eo, quòd sequenti quoque anno, idem Edmerus recitet literas à Paschali ad Anselmum datas Beneventi II. Id. Decembris. Dicendum igitur, aut binas eodem die scriptas esse; aut Edmerum extra ordinem præfatas literas retulisse. Cæterùm quod ad Gualensem Episcopum attinet, cujus ibi mentio; opinor intelligi Herewardum Landavensem Episcopum; quem anno 1056. Stigandus Cantuariensis Londini consecrarat. Hunc enim Anselmus ob consecrationis vitium suspenderat. expressum ejus nomen reperio in Epistola 23. ejusdem Anselmi: ubi scribens ad Abbatem Sagiensem Radulsum, hæc habet: *De Fratre illo, quem dicitis esse ordinatum à quodam Episcopo, qui à nobis est interdictus; hoc respondeo. Si ordinatus est ab Episcopo de Walis, qui vocatur Herevardus: nec illis ordinibus quos ab illo accepit, nostra concessione aliquando utetur: nec ab ullo Episcopo reordinari debet*, &c. Quid inde de Herewardo actum nescio: Godwinus tradit eum decessisse post sequentem annum, cum centesimum vitæ annum superasset, sedissetque annos quadraginta octo. In ejus locum Urbanus successit anno millesimo centesimo septimo, ut dicam ibi. n. 9. non ergo intelligit (quod aliquando suspicatus sum) Hervæum Bangorensem, quem Britanni provinciales, sede moverant, extrema minati. Unde ad Henricum Regem, & Anselmum profugus, querelam deposuerat. Suscepit tunc Anselmus ejus patrocinium: sed & Henricus Rex, subsidium illi, ac domicilium assignavit in Eliensi Monasterio: ubi Monachorum benevolentiam gratâ piaque conversatione adeptus, Abbatiam illam post paucos, ut dicetur annos, in Episcopi sedem evexit, & Pontifice summo, Henrico Rege, & Anselmo faventibus, primus dictus est Eliensis Episcopus. nunc Regem pro Investituris litigantem, & Anselmum pro Ecclesiâ fortiter stantem revisamus. De quo Edmerus, cum Paschalis literas recitasset, hæc habet.

V. an. 1107. n. 22. &c.

XXXI. *Edmer. l. 3. fo. 66.* *Rex itaque, ex his, quæ Episcopi dicebant, in suâ sententiâ animosior factus, constanter insistere cœpit; faventibus simul & instantibus eum Episcopis, regniq; proceribus; quatenus sine retractatione sibi Anselmus hominium faceret; & eos, quibus se daturum protinus Episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servatâ in omnibus Antecessorum suorum consuetudine. Tunc ille: Si suerum, dixit, verbis Episcoporum literæ concordarent, intellectâ ratione, forsan quod exigit, facerem. Nunc autem ne in ullo decipiar, electius videtur Romanum super his Pontificem consulere: quàm in re tam ambiguâ, sententiam præcipitare. Ad quæ, qui Romæ venerant Episcopi, responderunt. Quæ diximus, dicimus: quæ testati sumus, confirmamus: inque his omnibus, Apostolicæ Sedis testimonium; si nobis non credis, appellamus. Super hæc quoque tibi, ex parte Domini Papæ, qui hoc jussit, denuntiamus; quatenus consilio nostro te, nihil hæsitans credas: quia dum voles, nos paratos habebis, his quæ dicimus, nihil duplicitatis inesse. At ille: Adversus ea quæ asseritis, lites conserere nolo. Verùm quia sentio ex illis, quæ auditu secretiùs didici;*

REX ANIMOSIOR ANSELMO PERGIT MOLESTUS ESSE.

voluntatem procerum in hoc unam factam esse : scilicet ut si Rex investicuras Ecclesiarum, sicut se facturum minatur, dederit : licet id me nec approbante, nec concedente faciet ; Ego causâ vestri, nec danti, nec accipienti meam, quasi excommunicatis, communionem subtrahatis ; donec nuntiis, quos pro negotii hujus discussione Romam destinabo, reversis, pro certo sciam quid agam, solus ab eis discrepare nolo. Hoc interim observato penes me; ut nullâ penitùs ratione, quemquam in officium sic suscepti honoris consecrem; aut cuivis alii consecrare præcipiam, aut concedam. Soluta in his controversia est : & utrinque res sopita.

XXXII. *Tunc Rex, tanquam cupitâ potestati donatus; exultans & hilaris, per dationem Virgæ Pastoralis, illico duos de Clericis suis, duobus Episcopatibus investivit; Rogerium videlicet Cancellarium, Episcopatu Serberiensi; & alium Rogerium lardarium suum, Pontificatu Herefordensi.* Hæc omnia Edmerus. Ad Episcopos quod attinet : quemadmodum illi perperam, ut sine judicio electi sunt ; ita posteros docuerunt, Reges suis potiùs quàm Ecclesiæ rebus studentes, incommodè Infulam donare. Si enim utriusque Rogeri sive ingressum spectes, sive egressum è Sede ; induhiè dices; non gregi, sed Regi, prospectum. De Salisburiensis ingressu hæc habet Godwinus : *Henricum Principem* (qui postea Rex fuit) *fratri Gulielmo Secundo militantem, contigit in Ecclesiam, quandam divertere, in suburbiis sitam civitatis Cadomensis; ut ibi unà cum commilitonibus, sacris interesset. Rogerus, qui postea Sarisburiensem Episcopatum, & summum potentiæ locum, sub Henrico antedicto consequutus est, curæ ejusdem Ecclesiæ, id temporis, deserviebat, exiguo conductus salariolo. Hic non ignarus ; sacra militibus quam essent cordi ; tanta celeritate negotium expedivit ; ut missificandi finem fecerit, penè priusquam exorsum nonnulli præsentium suspicarentur. Acclamarunt omnes, militibus tam commodum Sacerdotem nusquam posse reperiri. Unde Princeps leviter, & ferè jocantis more, castra sua sequeretur, hortatus est. Id quod ille libentissimè fecit. Hic primus hominis aditus, ad summos illos honores, quos postea consequutus est. Quamquam enim literarum vix ullo præsidio adjutus est ; animum tamen Principis, astutâ adulatione, brevi temporis spatio, sic occupavit homo subdolus, & in rebus gerendis dexteritatis eximiæ ; ut solus apud illum omnia potuerit.* Ita de Rogero nunc electo Sarisburiensi Godwinus.

Rogerus eligitur Salisburiensis Episcopus. Rogerus alter, Herefordensis Episcopus. *Godwin. in Catal. Sarisb. Episcoporum.* Sarisburien. Episcopi Rogeri exordia.

XXXIII. Qui præceps in missificando fuit, per gradus, ad Episcopalis dignitatis fastigium ascendit. Facilius enim Dei gratiam, quàm mundi honores nanciscuntur. Rogerus in Principis Henrici familiam primò allectus, ita rerum temporalium procurationi parcè, prudenterque incubuit : ut qui Dei obsequio oscitanter satis intenderat; Principis tamen negotia strenuè, cautèque tractaverit. Unde Henrico, in Regem promoto : ille regni Cancellarius, pro præstitâ naviter operâ, constituitur. Malmesburiensis ejus contemporaneus ita scripsit : *Rogerius insinuatus est primo Comiti Henrico, pro prudentiâ res domesticas administrandi, & luxum familiæ cohibendi. Fuit enim Henricus ante regnum, in expensis parcè animi, & frugi : penuriâ scilicet rei familiaris astrictus ; fratribus Gulielmo, & Roberto arrogantèr eum tractantibus. Cujus cognitis moribus, Rogerius ita eum tempore inopiæ demeruit ; ut cum ille solium regni ascendisset, nihil ei aut parum negaret ; quod ipse petendum putasset : largiri prædia, Ecclesias, præbendas Clericorum, Abbatias integras Monachorum, ipsum postremo regnum fidei ejus committere : Cancellarium in initio regni, nec multò post, Episcopum Salesberiæ fecit.* Hæc ille : & hoc vel potius sequenti anno electus est Episcopus. nimirum cum Anselmus inducias à Rege, & Nuntios Romam mittendi impetrasset facultatem. De Rogeri ergo consecratione dicendum erit inferiùs, ubi etiam, Rogerum alterum, Herefordensi Ecclesiæ præfectum à Rege; sed nec à Deo, nec Anselmo admissum dicam.

Ejus in temporalium rerum procurationes industria. *Malmesb. Historia Novella l. 2. fo. 184.* V. an. 1102. 12. 13. & an. 1107. n. 7.

XXXIV. Ad Anselmum redeo, qui Paschalis mentem exploraturus, super Investiturarum sensu, has per suos Nuntios literas dedit.

Anselm. l. 3 Epistolarum Epistola 75.

Domino, & Reverendo Paschali summo Pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis debitam subjectionem & fidele servitium.

Anselmi Literæ ad Paschalem Papam.

„ Imprimis quantas mea potest humilitas, „ Celsitudini vestræ gratias agit : quia Legatos „ nostros tam benignè & honorificè suscepistis „ & tractastis : ut in hoc, me de pietate vestrâ, „ ultra meritum, posse confidere cognoscam. „ Chartam quam mihi à Vestra Majestate attulerunt, eâ quâ debui reverentiâ suscepi : Sed „ Rex Angliæ nec eam videre, nec illam quam „ illi misistis voluit mihi ostendere. Nam Ar„ chiepiscopus Eboracensis, & alii Episcopi ; „ cum quibus Legati nostri, vestræ se exhibuere præsentiæ ; redeuntes, aliud vivâ voce retulerunt ; quàm scriptura chartæ mihi præcipiebat. Asserunt enim publicè, in eâ veritate, „ quam servare debent Episcopi ; vos secretè „ verbis per eos mandasse Regi, Quia si in aliis „ rectè ageret, Investituras Ecclesiarum, nec „ prohiberetis, nec excommunicationi subjiceretis, si eas faceret : sed hoc chartæ nolebatis „ committere ; ne fortè alii Principes, quibus „ hoc ipsum interdicitur, occasionem conquerendi inde possent accipere. Mihi quoque ex „ vestrâ parte, in eadem Episcopali veritate dixerunt ; ut illis de hac re crederem, & eorum „ consilio me committerem. Ad quod si nollem „ acquiescere ; Rex etiam me contradicente, ex „ vestrâ authoritate incunctanter, quod non „ prohibeatis secundùm libitum suum efficeret. „ Et si in hoc quod charta vestra mihi jubebat „ persistere vellem ; me absque dubio, de regno „ suo expelleret. Tandem cum nec literis vestris vellem non credere : nec tandem Episcoporum assertionem, vestram præferentium authoritatem auderem contemnere : quoniam in „ utraque parte, gladius mihi vibrabatur inobedientiæ ; eorundem Episcoporum consilio inducias petii ; donec à vestrâ Excellentiâ, hujus „ rei certitudinem acciperem ; me tamen nullatenus assensum præbente, ut aliquid contra „ Decretum Concilii Romani fiat : sed tantùm „ tolerante, nec aliquem interim obedientiæ „ nota damnante, si fiat.

Cur petierat inducias cum Rege.

XXXV. „ Sic itaque Rex, vestrâ, ut putat, authoritate, Episcopatus dat, atque Abbatias. Mente „ igitur ad vestra vestigia provolutus ; quanto „ possum affectu, in magnâ angustiâ positus „ obsecro, ut Apostolicam erga animam meam „ experiar in vobis esse pietatem : & ad hoc impetrandum totius Romanæ religionis supplex

invoco charitatem. Non timeo exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem; quia ad hæc omnia Deo confortante, paratum est cor meum, pro Apostolicæ Sedis obedientiâ, & matris meæ Ecclesiæ Christi libertate. Certitudinem tantùm quæro, ut sciam absque omni ambiguitate; quid authoritate vestra tenere debeam. Andivi in Romano Concilio à Venerabilis memoriæ Domino Papa Urbano, excommunicari Reges, & omnes Laicos, Investituras & res Ecclesiarum dantes, & ab illis accipientes: & qui propter hoc, eorum homines fiunt, & eos qui accipiunt, consecrant. Aut ergo si Sanctitati vestræ placet, hanc excommunicationem in Angliâ absolvite, ut in eâ possim manere, sine animæ meæ periculo: aut eam vos servare velle, quidquid mihi inde contingat, vestris literis significate: aut si quid discretionni vestræ placet excipere; eâdem certitudine nominatim quid illud sit intimate. De illis quoque qui intra prædictas inducias, Investituras prædictas accipiunt, & qui eos consecrant, quid mihi faciendum sit, vestra instrui jussione desidero. In his quæ perlatores præsentium, extra hanc chartam Paternitati vestræ suggero, ut preces nostras dignetur non spernere, suppliciter expostulo.

REGES EXCOMMUNICANTUR, DANTES INVESTITURAM.

XXXVI. Quid ad has Anselmi literas responsi Paschalis dederit, dicam post annum sequentem. Interim Episcopatus & Abbatias, prætenso jure Henricus dispensat. Duos supra Episcopos legit: & hoc eodem anno, Glastoniensi Monasterio, per Abbatis mortem, Prælato carente, Herluinum è Normannia vocatum, substituit, de quo, ejus loci Antiquitates ita referunt. *Turstino Abbati successit Herluinus, anno gratia millesimo centesimo primo, Monachus Cadomensis, ut fuerat Turstinus, clementiâ & liberalitate insignis; quem Henricus Rex jam noviter factus, consentiente conventu, Abbatem ibidem instituit. In novitate adventus sui, pro parcitate victus, ignominia in regno Anglia notatus est. Etenim strictiùs se agebat, quam amplitudinis fortuna sua intererat: non animi angustiâ; sed pro gentili more patria, de qua venerat. Veruntamen pudore infamia respersus, valvas curia quibus adventantium negabatur introitus, à fundo eruit: ut patente diebus & noctibus introitu, nullus difficultatem causaretur ingressus: & ut ostenderet, quantum infamia parsimoniam oderat; cunctos officiales suos convocans, eos poposcit; ut in resumendâ dapsilitatis famâ cum juvarent. Janitor si quempiam excluderet, præcisionem auris etiam comminatus est. Unde factum est ut pro dapsilitate diceretur profusus, qui ante infamabatur strictus. Fit enim plerumque inter homines, ut avarus nominetur, qui est providus: & qui munificus est, prodigus nuncupetur.* Ita de Herluino Abbate Authores Antiquitatum Glastoniensium. plura de eo, cum moritur anno, millesimo centesimo vigesimo, nam novendecim annis præfuisse scribitur.

HERLUINUS ABBAS GLASTONIENSIS, ET EIUS CHARACTER.

Antiq. Glaston. fo. 00.

XXXVII. Celebratur hinc anno inventio corporis Milburgæ virginis; quæ sanctitatis opinione clarissima, multos olim in odorem virtutum suarum, & Christi amorem, traxerat: sed tepescente, ut fit, fidelium pietate; novo opus incitamento fuit. Deus ergo, qui gloriâ & honore sanctos coronat; gloriaturque in splendoribus Sanctorum; Milburgæ corpus è tenebris ad lucem; è situ, in cultum extulit. Hæc est illa, quæ Merualdi Merciorum Principis filia, constructo in Cornaviis Monasterio apud Wenlocum & Virginibus præfecta, ibidem Sancta requievit, anno sexcentesimo septuagesimo sexto. Destructum Danorum inundatione Monasterium, & obliteratum ferè Milburgæ nomen restituit Rogerus, Salopiæ Comes, qui & Comes dicitur de Monte Gomerico; & Monachos Cluniacenses introduxit, Guilielmi Senioris tempore, & anno Domini millesimo octogesimo primo, ut dictum ibi. *Tunc Virginis sepulchrum* (loquitur Malmesburiensis) *clam erat novis advenis; omnibus videlicet vetustatis monumentis, violentia hostium & temporum deletis. Noviter verò dum inchoata nova templi fabrica, puer per pavimentum concitatiùs cursitaret; effractâ Mausolæi foveâ propalam corpus virginis fecit. Tunc balsamici odoris aura per Ecclesiam spirante, altius elatum, tot miracula peabuit, ut catervatim eò populorum unda confluerent. Vix patuli campi capiebant populorum agmina; dum aquis umbonibus, dives & mendicus se agerent: cunctos in commune præcipitante Fide. Nec cassum eventum res habuit; ut nullus exinde, nisi extinctâ, vel mitigatâ valetudine discederet: nonnullos etiam regius morbus, medicis sane incurabiles, per virginis merita relinqueret.* Ita Author de suo tempore. Annum inventi corporis Harpesfeldus assignat, ita scribens. *Wenlocense Monasterium, cum ad solitudinem pervenisset, restauravit Rogerus de Monte Gomerico, & Monachos ibi Cluniacenses substituit, Diva Milburga reliquiis ornatum. Quæ casu ad annum millesimum centesimum primum reperta sunt, & multis miraculis insignita.* Inventionis & elationis harum reliquiarum memoria quotannis legitur in nostro Martyrologio, ad vigesimum sextum Maii.

S. MILBURGÆ CORPORIS INVENTIO.

V. an. 676. n. 6. & 8.

V. an. 1081. n. 9.

Malmesb. l. 4. de gestis Pont. fo. 28.

Harpesfeld. sæc. 11. c. 26.

Marty. Anglicanum 26 Maii.

XXXVIII. Alibi etiam, hoc anno, Monasteria, insigni Principum virorum pietate dotata sunt. In Iconorum provinciâ, Heribertus Episcopus, Sedem à Tedfordiâ, Nordovicum transtulerat; & quod illustrioribus Sedibus familiare admodum fuit, Monasterium adjunxerat, ut dictum * suprà. Cæterùm ut Monachis benè, providè, & sine succedentium Episcoporum querelâ esset, annonam illis, non ex Ecclesiæ suæ bonis; sed aliunde è Laicorum, & Principum virorum munificentiâ quæsivit. Henricus Rex in eo pietatis genere, hoc anno aliis exemplò fuit; cum villam propè Nordovicum sitam, Thorpe nomine, in religiosorum virorum commeatum concessit, scripsitque super eo hoc Diploma.

HERIBERTUS EPISCOPUS MONASTERIUM EXTRUIT NORDWICI.

*V. an. 1094. n. 40.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Apud Reyner. in Apost. tract. 2. fo. 146.

DIPLOMA REGIS PRO MONASTERIO NORDWICEN.

DEI filius amator & Redemptor hominum JESUS CHRISTUS, adeo sanctam dilexit Ecclesiam, ut eam suo sanguine redimeret, & suo spiritu insigniret, suæque carnis alimento satiaret. Expoliavit eam erroribus & peccatis; & induit eam innocentiæ purpurâ, & omnium virtutum ornamentis: ditavit etiam muneribus, & invisibilibus thesauris, & stolâ immortalitatis consecratam, sibi in matrimonium copulavit: donavit illi divitias spirituales & æternas: & decoravit eam cælesti & immortali coronâ. Fœlix sponsa, tali conjuncta viro; ubi pudor vernat, & fecunditas conceditur, impletur liberis domus; & virginitas non violatur. Hujus Reginæ speciem Spiritus

sanctus

sanctus admirans exclamat: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Et Propheta. Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate. Et post pauca: Adducentur Regi Virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi. Justè igitur ad tantæ dignitatis obsequia convenit, & conjuravit orbis, & omnis humana altitudo humiliata est. Exultant in ejus obsequiis Reges, & dignitates totius orbis; & felici commercio de temporalibus æterna; de terrenis mercantur cælestia bona. Abundanter terreni Reges sanctæ Ecclesiæ largiuntur temporalia bona: & exemplo summi Imperatoris, qui eam interiùs illustrat, exteriora præparant necessaria.

XXXIX. Quod Ego Henricus Rex, filius Willielmi Regis considerans: ipse quoque matri meæ, sanctæ Ecclesiæ servire studui; eamque rebus, quas ab Antecessoribus meis, jure hereditario acceperam, honoravi. Igitur in Ecclesiâ sanctâ civitatis de Nordovico, donavi Deo & Herberto Episcopo, & Successoribus suis, & Monachis, qui in eâdem Ecclesiâ Deo serviunt, & servituri sunt, manerium meum de Thorpe, cum omnibus appendiciis suis: cum Saccâ, & Soccâ meâ, & omnibus aliis consuetudinibus meis: sicuti vel ego, vel Pater meus in manu nostra meliùs unquam habuimus. Hoc autem feci pro anima mea, & pro anima patris & matris meæ, & Wilielmi Regis fratris mei, & omnium Antecessorum, & Successorum meorum. Præsente Reginâ Mathilde, filia Regis Scotiæ, & viris illustribus totius Angliæ, Ecclesiasticis & sæcularibus, quorum nomina infrà scripta sunt. Et ut in æternum permaneat mea donatio, sanctæ Crucis præsenti signo, eam confirmavi, & meæ Regiæ dignitatis sigillo eam corroboravi. Facta est igitur hæc donatio, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo primo, Indictione nona, Epacta 18. concurrente 1. Luna 6. tertio nonas Septembris: regnante Domino nostro Jesu CHRISTO: cui est consubstantialis, & coæterna æqualitas, honor, & gloria, cum Patre, in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

XL. *Ego Henricus Rex, donavi, & confirmavi.* †.
Ego Regina Mathildis, concessi, & confirmavi. †.
Ego Robertus Dux Normannorum, frater Regis Henrici, concessi, & hoc signo Crucis confirmavi. †.

Nomina Archiepiscoporum, & Episcoporum.

Ego Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, subscripsi. †.
Ego Gerardus Archiepiscopus Eboracensis, subscripsi. †.
Ego Gundulphus, Rovecestrensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Mauritius, Londoniensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Ioannes, Bathoniensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Osbertus, Exoniensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Rosbertus, Cestrensis Episcopus, subscripsi. †
Ego Rotbertus, Lincolniensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Radulphus, Cicestrensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Samson, Wigrecestrensis Episcopus, subscripsi. †
Ego Ranulphus, Dunelmiensis Episcopus, subscripsi. †.
Ego Ioannes Tusculanus Episcopus, Legatus Papæ, subscripsi. †.
Ego Tiberius, Camerarius Paschalis Papæ, subscripsi. mense Septembris, ordinatione Beati Papæ Gregorii: apud VVindsore. Confirmet hæc Deus, qui operatur omnia in Sanctis; cui Reges offerunt munera, incipientes ab Hierusalem.

Nomina Primatum, & Principum. XLI.

Ego, Robertus, de Pontinio, Comes. S. †.
Ego Stephanus, Comes Britanniæ. S. †
Ego Rotbertus, Comes Rutland. S. †
Ego Eustachius, Comes Boloniæ. S. †.
Ego Henricus, Comes de VVarwic. S. †:
Ego, Simon, Comes de Northamptonia. S. †
Ego, VVillielmus, Comes de VVarenna. S. †
Ego VVillielmus, Comes de Moritonio. S. †
Ego Rogerius, Comes Pictavensis, S. †
Ego Eudo, Dapifer S: †
Ego Haymo, Dapifer, S. †
Ego VVillielmus, Pincerna S. †
Ego Richardus de Retuers, S. †
Ego Robertus, filius Haymonis, S. †
Ego Alanus, Haraldi filius, S. †
Ego Gislibertus filius Richardi, S. †
Ego Robertus Malleth, S. †
Ego Rogerus, filius Richardi. S. †

Nomina Abbatum, & Clericorum. XLII.

Ego Gislibertus, Abbas VVestmonasteriensis, S: †
Ego Serlo, Abbas Glocestrensis, S. †
Ego Henricus Abbas de Bello, S. †
Ego Stephanus Abbas Eboracensis, S. †
Ego Aldunus, Abbas Ramesejensis, S. †
Ego Odo Abbas Certesciensis, S. †
Ego Richardus, Abbas S. Albani, S. †
Ego Richardus Abbas de Heli, S. †
Ego Rogerius, Cancellarius, S. †
Ego Everardus Capellanus, S. †
Ego Robertus Peschat Capellanus, S. †
Ego Thomas Capellanus, S. †
Ego VVinfridus, Capellanus S. †
Ego Robertus Capellanus, S. †
Ego Osbernus Capellanus, S. †
Ego Herbertus Regis Camerarius, S. †
Ego VValdricus Capellanus, S. †.
Ego Petrus VValonensis, S. †.
Ego VVillielmus de VVarelwast, S. †

XLIII. Ita Henrici chartam recitat Reynerus, in Apostolatu: & è subscribentium serie constat genuinam esse. Temporis ratio apertè etiam inde colligitur, quod sub Septembris initium, Robertus Normannorum Dux in Anglia fuerit, manseritque ad festum usque S. Michaelis, ut passim Annales nostri. Rogerus quoque, quem, suprà, è Cancellario, Salisburiensem dixi electum Antistitem, argumentum est, prius eum Diplomati sobscripsisse; quàm Infulâ donaretur. De aliis Episcopis hoc monendum, Osbertum Exoniensem, communiùs Osbernum dici. & Radulphi Cicestrensis hic primam mentionem esse. Quamobrem Guilielmum, qui Stigando in eâ Sede successit, anno millesimo octogesimo septimo; priùs Deo animam, & vacuam Radulfo Sedem reliquisse, affirmandum est: idque sub Guilielmo Juniore: sed quo anno id factum, necdum reperi. Cæterùm non tacenda Radulphi hujus, digna Annalibus laus; qui unus ferè in Anselmi causâ, constantiam & pietatem ostendit; Prælatisque aliis, Regiæ cupiditati famulantibus; ipse pro Deo, pro Ecclesiâ, pro veritate stetit, fecitque

Reyner. in discept. Hist. tract. 2. fo. 246.

V. hic n. 32.

MORITUR GUILIELMUS CICESTRENSIS EPISCOPUS. SUCCEDIT RADULPHUS EIUS CHARACTER.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fo. 231.

fortiter. de quo sic Malmesburiensis. *VVilhelmo Radulfus successit, proceritate corporis insignis: sed & animi efficaciâ famosus: qui contuitu Sacerdotalis officii, VVillielmo Juniori in faciem, pro Anselmo Archiepiscopo, quem immeritò exagitabat, restiterit. Cumq́; ille, conscientiâ potestatis elatus, minas intentaret: nihil aliter reveritus, baculum protendit, annulum exuit; ut, si vellet, acciperet. Nec verò, vel tunc, vel postea austeritatem inflecteret, si assertorem haberet. Sed quia discessu suo, spem suam, & cæterorum, si qui boni essent, Anselmus enervavit: & tunc causa decidit, & postmodo damno succubuit.* Ita ille sub Guilielmo Juniore. nec minora constantiæ argumenta dedit, Henrico regnante, ut infrà dicetur.

V an. 1103. 28 an. 1114. 16.

ANNUS CHRISTI 1102.

PASCHALIS II. PAPÆ 4.

HENRICI PRIMI REGIS 3.

I. SERENITAS IN UTRAQUE REP.

ANNO Domini millesimo centesimo secundo, utraque Anglorum Resp. post densas in cælo nubes, & iratas multorum mentes, cœpta est serenari. De cælo primo disserendum est: inde in terram descendemus. Anselmus dudum pro Ecclesiæ suæ puritate solicitus, cupiebat gregem sibi commissum ad æternæ vitæ pascua, in viâ mandatorum Dei, innoxiè ducere. Verùm super humum nostram, vepres & spinæ ascenderant; & cultura indigebat omnis terra, sub zizaniorum gemens pondere. Mentes, inquam, moresque hominum, à virtutis semitâ exerrantes, in fœdas vitiorum lacunas abiverant, & hominem ferè exuentes, naturam, Deique imaginem fœdaverant. Visum igitur Anselmo; nec Henricus Rex abnuit, Episcoporum suffragia implorare, & inveterato malo, communi consilio, medicam manum apponere; & Ecclesiasticæ disciplinæ sarculo, vitiorum radices evellere.

SYNODUS LONDINENSIS SUB ANSELMO.

Hanc ob causam Synodus Londini colligitur, in quâ præter Episcopos, & Abbates, pluresque Ecclesiastici ordinis; regni etiam proceres affuerunt: non ut in fidei morumque puritate suffragium ferrent: sed ut Ecclesiastici tribunalis dictata exciperent, servarent, servandaque suis porrigerent: ut infrà è Synodi Actis apparebit.

II. Quod ad Synodi tempus, & Acta pertinet: Baronius rectè ad hunc annum refert è Malmesburiensi nostro. Sed quia uterque non aliud habet, quàm ab Edmero excerptum, dictatumque priùs, ipsum Edmerum audiamus. *Per idem tempus* (inquit) *celebratum est generale Concilium Episcoporum, & Abbatum totius regni in Ecclesiâ Beati Petri Apostolorum Principis, quæ in Occidentali parte Londoniæ sita est. Cui Concilio præsedit Anselmus Archiepiscopus Dorobernensis, consedentibus secum Archiepiscopo Eboracensi Gerardo, Mauritio Episcopo Londoniensi. VVillielmo electo Episcopo VVintoniensi, Roberto. Episcopo Lincolniensi; Samsone, VVigorniensi, Roberto, Cestrensi; Ioanne, Bathoniensi; Herberto, Norwicensi; Radulpho, Cicestrensi; Gandulpho, Roffensi; Herveo, Bangorensi; & duobus noviter investitis, Rogerio scilicet Serberiensi, & Rogero Herefordensi. Osbernus autem Exoniensis, infirmitate detentus, interesse non potuit. In hoc Concilio,*

Edmerus l. 3 Novo. fo. 67.

multa Ecclesiastica disciplina necessaria servari Anselmus instituit; quæ postmodum Sedis Apostolicæ Pontifex suâ authoritate confirmavit. Hæc ille. Ad Episcopos hosce quod attinet: unius Hervei vix ulla hactenus facta est mentio: & parva admodum Gulielmi Wintoniensis; qui olim Anselmo exulante à Rege electus, sed pastorale baculum, à Rege recipere, Canonum reverentiâ deterritus, non acceperat: de quo mox plura. Cæterùm * Herveus Bangorensis, ille est, qui à Britannis suis mirè vexatus, ad Anglorum Regem, querelam depositurus confugerat; & ab eo Eliensi Monasterio, quod florentissimum erat, donatus; post annos aliquot Rege supplicante, Paschali Papa indulgente, in Eliensem Episcopum consecratur, de cujus Sedis erectione dicam suo loco. Nunc Concilii Acta prosequamur, quæ Edmerus referens, hæc habet. *Concilii seriem sicut à Patre Anselmo descripta est, huic operi inserere non incongruum existimavimus: scribit itaque sic.*

V. an. 1098 n. 17.

** V. an. 1108. 30.*

DE HERVÆO BANGOREN. EPISCOPO.

Edmer l. 3. Novorum fo 67.

III. *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo secundo, quarto autem Præsulatus Paschalis summi Pontificis, tertio regni Henrici gloriosi Regis Anglorum: ipso annuente, celebratum est Concilium in Ecclesiâ Beati Petri, in Occidentali parte, juxta Londoniam sitâ, communi consensu Episcoporum, & Abbatum, & Principum totius regni. In quo præsedit Anselmus, Archiepiscopus Dorobernensis, & Primas totius Britanniæ, consedentibus venerabilibus viris Gerardo Eboracensi Archiepiscopo; Mauritio, Londoniensi Episcopo; VVillielmo, VVintoniæ electo Episcopo; aliisq́; tam Episcopis, quam Abbatibus. Huic conventui affuerunt, Anselmo Archiepiscopo petente à Rege, Primates regni: quatenus quicquid ejusdem Concilii authoritate decerneretur; utriusque ordinis concordi curâ, & sollicitudine ratum servaretur. Sic enim necesse erat, cum multis retro annis, Synodali culturâ cessante, vitiorum vepribus succrescentibus, Christianæ religionis fervor, in Angliâ, nimis refrixerat.*

IV. SIMONIA CONDEMNATUR, ET GUIDO ABBAS PERSCORE, CUM ALIIS.

Primùm itaque ex authoritate Sanctorum Patrum, Simoniaca hæresis surreptio, in eodem Concilio damnata est. In quâ culpâ inventi, depositi sunt Guido Abbas de Perscore: & VVimundus de Tavestoch: & Ealdwinus de Ramesera: & alii nondum sacrati, remoti ab Abbatiis: scilicet Godricus, de Burgo; Haimo de Cernel: Egelricus de Mideltune. Absque Simoniâ verò remoti sunt ab Abbatiis, pro suâ quisque causâ, Richardus de Hels: & Robertus de S. Edmundo: & qui erat apud Micelnes.

Statutum quoque est, ne Episcopi secularium placitorum officium suscipiant: & ut non sicut Laici, sed ut Religiosas personas decet, ordinatas vestes habeant. Et ut semper, & ubique honestas personas testes habeant suæ conversationis.

Vt etiam Archidiaconatus non dentur ad firmam.

Vt Archidiaconi, sint Diaconi.

CLERICIS UXORES PROHIBENTUR.

Vt nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus, uxorem ducat, vel ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non est; si post professionem castitatis, uxorem duxerit, eâdem regulâ coastringatur.

Vt Presbyter, quamdiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis: nec Missam celebret, nec si celebraverit, ejus Missa audiatur.

Vt nullus ad Subdiaconatum, aut supra ordinetur, sine professione Castitatis.

V. Anselmus hoc loco cæterique Patres, cum Castitatis professionem, sacris Ordinibus annexam asserunt, & sanciunt servandam esse: non aliud

edicunt, quàm quod à majoribus cautum, & omni ſæculorum ſerie conſtanter inculcatum, præceptumque ſunt. Unde ſupini valde fuerunt, vel Huntindonius ipſe, vel qui eum nuper ita impreſſerunt. *Ad feſtum Sancti Michaëlis tenuit Anſelmus Archiepiſcopus Concilium apud Londoniam. In quo prohibuit uxores Sacerdotibus Anglorum, ante non prohibitas. Quod quibuſdam mundiſſimum viſum eſt: quibuſdam periculoſum: ne dum munditias viribus majores appeterent, in immunditias horribiles, ad Christiani nominis ſummum dedecus, inciderent. In illo Concilio multi Abbates, qui acquiſiverant Abbatias, ſicut Deus noluit: amiſerunt illas ſicut Deus voluit.* Hæc ille: nec aliud habet de Synodo hac. Cæterùm oſcitanter admodum aſſutum eſt illud: *Uxores Sacerdotibus Anglorum*, ante Concilium iſtud, *prohibitas non fuiſſe.* quia nihil in Anglorum Synodis frequentius; nihil in Epiſcoporum ſcitis, decretiſque conſtantius adſtruitur; quàm Sacerdotes continentes eſſe debere: Hoc M. Gregorius, Anglorum Apoſtolus, naſcentem Eccleſiam noſtram edocuit, in reſponſis ad Auguſtinum, anno ſexcenteſimo primo: hoc Odo Cantuarienſis, & Wulſtanus Eboracenſis, plurimique Epiſcopi, in adultâ Eccleſiæ ætate ſanciverunt, anno nongenteſimo quadrageſimo quarto. Hoc Dunſtanus Sanctus, eleganter confirmavit; cum Sacerdotes effæminatè viventes, Eccleſiaſtico Regioque brachio, è Monaſteriis ejecit in Synodo Calnenſi, anno nongenteſimo ſeptuageſimo octavo. Hoc denique in Northumbriæ regno, ſub idem tempus luculenter inſtitutum eſt, ut pluribus oſtendi, tomo ſuperiori. Nihil ergo Anſelmus hoc anno ſtatuit, non priùs, & vocaliter ſatis, ſtatutum. Porrò Corollarium illud, quo Continentia *ſupra vires*, & extra ſphæram activitatis noſtræ, ſtatuitur; non Clero magis, quàm generi humano injurium eſt: & omnis ordo, ætas, ſexus, infinito exemplo deteſtari poteſt paradoxum illud. Verùm Huntindonii ulcus detexit Baronius infrà. nunc ad Synodi reliqua.

Huntindo. l. 7. fo. 178.

V. an. 601. n. 21.

V. an. 944. n. 12. 13.

V. an. 978. per totum.

V. an. 1125. 3.

Ut filii Presbyterorum non ſint heredes Eccleſiarum Patrum ſuorum.

Ne quilibet Clerici ſint ſæcularium Præpoſiti, vel Procuratores aut judices ſanguinis.

Ut Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

Ut veſtes Clericorum ſint unius coloris, & calceamenta ordinata.

Ut Monachi, vel Clerici, qui Ordinem ſuum abjecerunt: aut redeant, aut excommunicentur.

Ut Clerici patentes coronas habeant.

Ut Decimæ, non niſi Eccleſiis dentur,

Ne Eccleſiæ; aut Præbendæ emantur.

Ne novæ Capellæ fiant ſine conſenſu Epiſcopi.

Ne Eccleſia ſacretur, donec provideantur neceſſaria; & Presbytero, & Eccleſiæ.

Ne Abbates faciant milites: & ut in eadem domo cum Monachis ſuis manducent & dormiant: niſi neceſſitate aliquâ prohibente.

MONACHI NON EXCIPIANT CONFESSIONES SINE APPROBATIONE.

Ut Monachi pœnitentiam cuivis injungant, ſine permiſſu Abbatis ſui: & quod Abbates eis licentiam, de hoc, dare non poſſunt, niſi de iis, quorum animarum curam gerunt.

Ne Monachi compatres, vel Monachæ commatres fiant.

Ne Monachi teneant villas ad firmam.

Ne Monachi Eccleſias, niſi per Epiſcopos, accipiant: neque ſibi datas ita expolient ſuis reditibus; ut Presbyteri ibi ſervientes, in iis quæ ſibi & Eccleſiis neceſſaria ſunt, penuriam patiantur.

VII. MATRIMONIUM CLANDESTINUM IRRITATUR.

Ut fides inter virum & mulierem occultè, & ſine teſtibus de conjugio data, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

† CRINITI REFORMANTUR.

† Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

DE GRADIBUS CONSANGUINITATIS PROHIBITIS.

Ne cognati uſque ad ſeptimam generationem ad conjugium copulentur, vel copulati ſimul permaneant. Et ſi quis hujus inceſtus conſcius fuerit & non oſtenderit, ejuſdem criminis ſe participem eſſe cognoſcat.

Hic mirari forſan quis poterit: cur Anſelmus, & noſtrates Epiſcopi, cognationis gradus, jure prohibitos, ad ſeptimum ſcrupuloſè extenderint: nolitque Anglos ita conjungi: cum Anglorum Apoſtolus, Magnus Gregorius, multò *indulgentior, quartum cognationis gradum eiſdem permiſerit? Sed facilis ſolutio. nam pientiſſimi parentis more, naſcenti Anglorum Eccleſiæ, Gregorius lac dedit, non ſolidum cibum; qui adultiorem tantummodo ætatem manebat. Hoc ipſum Gregorius docuit eo tempore, quo Fides Anglorum tenera, & in cunis fuit. ſcripſit enim de adultâ perfectâque ſuis numeris fide, in hunc modum. *Progeniem verò ſuam, unumquemque de his qui fideliter edocti ſunt, & jam firmâ radice plantati, ſtant inconvulſi; uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem. & quamdiu ſe affinitate agnoſcunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem.* Difficiliùs ſolvitur objectio altera ex Opuſculo S. Anſelmi quod inſcribitur *De Nuptiis conſanguineorum.* ubi clarè aſſerit prohibitos conſanguinitatis gradus ad ſextum contrahendos. *Statuit* (inquit) *Christiana religio, ut terminis conſanguinitatis, ſecundum Sanctorum Patrum, & Canonum decreta, uſque ad ſextum gradum, ex omni parte pertingentibus, ad charitatem conſervandam, ſuus natalis ſufficiat affectus.* & inferiùs, cum dixiſſet, è Moſaicâ lege, tres tantummodo cognationis gradus vetari. *Apud nos* (inquit) *in quos tempus correctionis devenit, crevit pietas, ſuperabundavit honeſtas: & ad deſignandam Evangelii perfectionem, ternarius ille numerus duplicatus porrexit ſe in ſenarium, qui perfectus eſt numerus, & ſuis partibus conſtat.*

* V. an. 601. n. 30.

Gregorius in Epiſtola ad Epiſcopos Siciliæ apud Baronium anno 604.

Anſelm. de nuptiis conſang. c. 3.

Ibid. c. 1.

VIII.

Reſpondeo graduum enumerationem diverſimodè inchoari: & ſecundus aliquando, pro primo ponitur. Quod videre eſt in Concilio Salegunſtadienſi c. 11. ubi dicitur. *Quidam generationem conſanguinitatis ita volunt numerare: ut frater & ſoror ſint primi. Hoc autem ſtatuit ſancta Synodus (ſicut etiam ab Antiquis Patribus decretum eſt) ut ita non eſſet: ſed ut nepos & neptis: id eſt, filius fratris, ac filia ſororis, primi habeantur.* Anſelmus itaque in Opuſculo, eo modo gradus recenſuit. Cæterùm in Londinenſi Synodo, aliter gradus numeravit: nimirum, ut frater, & ſoror, primi habeantur: qui mos frequentiùs inolevit, & eo Anſelmus utitur, cum Valceanni Epiſcopi querelis reſpondet: nam diſertè ibi affirmat c. 7. *Nos cognationes extendere ad ſeptimam uſque generationem.*

Conc. Salegunſtadien. c. 11. ſub annum Domini 1023.

Anſel. ad querelas Valeran c. 7.

IX.

Ne corpora defunctorum extra parochiam ſuam (ſequitur in Synodo) *ſepelienda portentur.*

Ne Presbyter parochiæ perdat, quod inde illi juſtè debetur.

Ne quis temerariâ novitate, corporibus mortuorum, aut Fontibus, aut aliis rebus; quod contigiſſe

 cognovimus;

cognovimus; sine Episcopali authoritate reverentiam sanctitatis exhibeat.

HOMINUM VENDITIO PROHIBETOR.

Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus homines in Angliâ solebant velut bruta animalia venundari, deinceps ullatenus facere præsumat.

Sodomiticum flagitium facientes; & eos in hoc voluntarie juvantes, in hoc eodem Concilio gravi anathemate damnati sunt, donec pœnitentiâ & confessione, absolutionem mereantur. Qui verò hoc crimine publicatus fuerit, statutum est; si quidem persona religiosi Ordinis fuerit, ut ad nullum ampliùs gradum promoveatur, & si quem habet, ab illo deponatur. Si autem Laicus; ut in toto regno Angliæ, legali suæ conditionis dignitate privetur. Et ne hujus criminis absolutionem iis, qui se sub regula vivere non voverunt, aliquis nisi Episcopus facere præsumat.

SODOMIÆ CRIMEN RESERVATUR.

Statutum quoque est, ut per totam Angliam, in omnibus Dominicis diebus Excommunicatio præfata renovetur.

Et hic quidem Londoniensis Concilii textus est, qui post non multos institutionis suæ dies, multos sui transgressores, in omni hominum genere fecit. Sanè quod ultimum de renovandâ Excommunicatione Dominicis diebus statutum fuit; ipsemet Anselmus, rationabili dispensatione usus postponi concessit. Finito Concilio Anselmus Londoniâ discessit. Hæc omnia Edmerus, de Synodo Londinensi. ubi non tam Acta Concilii, quàm Canonum tituli describuntur.

X. Cæterùm in promulgatione horum Canonum, moram Anselmus nexuit: noluitque illos publici juris vim habere; donec ad incudem revocati, novâ Episcoporum inspectione, secundisque curis polirentur. ut Anselmus ipse Archidiacono Cantuariensi scribens, testatur in hunc modum.

ANSELMUS Archiepiscopus, WILLIELMO Archidiacono dilecto suo, salutem & benedictionem.

ANSELMI EPISTOLA DE ACTIS CONCILII.

,, SENTENTIAS Capitulorum Concilii exposi-
,, tas, nolo vobis, aut alicui ad præsens mit-
,, tere: quia quando in ipso Concilio expositæ
,, sunt, non potuerunt ad plenum & perfectè, re-
,, citari: propterea, quia subitò sine præmedi-
,, tatione, ac competenti tractatione, sicut opor-
,, tuerat, sunt prolata. Unde quædam videntur
,, addenda: & forsitan quædam mutanda. Quod
,, non nisi communi consensu Coëpiscoporum
,, nostrorum volo facere. Volò ergo eas dicta-
,, re: & priùs eisdem Episcopis ostendere, cum
,, primò convenerimus, quàm per Ecclesias An-
,, gliæ dictatæ & expositæ mittantur. Nomina
,, tamen rerum, de quibus ibi loquuti sumos,
,, vobis mittimus; ut secundùm quod recorda-
,, ri poteritis, nos de illis decrevisse * faciatis.
,, De illis, qui ante excommunicationem, vel
,, post excommunicaoonem, nescientes eam fa-
,, ctam, Sodomitico peccato peccaverunt: par,
,, & simul erit sentenoa, si confitentes pœniten-
,, tiam petierint. Quam secundùm discretionem
,, vestram dabitis; considerantes ætatem, pecca-
,, ti diuturnitatem, & utrum habeant uxores, an
,, non. & secundùm quod videatis eos pœnite-
,, re, & deinceps integram correctionem pro-
,, mittere.

forte * sciatis.

XI. ,, Considerandum etiam est; quia hactenus ita
,, fuit publicum hoc peccatum; ut vix aliquis
,, pro eo erubesceret: & ideo multi magnitudi-
,, nem ejus nescientes, in illud se præcipitabant.
,, Illi verò, qui post excommunicationem co-
,, gnitam, se peccato contaminaverunt, gravio-
,, ri sunt multandi pœnitentiâ. Quam etiam in
,, vestrâ discretione, secundùm prædictas causas
,, ponimus. De his qui tonderi nolunt, dictum
,, est, ut Ecclesiam non ingrederentur. non ta-
,, men præceptum est, ut si ingrederentur, cessa-
,, rent Sacerdotes. Sed tantùm annuntiarent il-
,, lis quia contra Deum, & ad damnationem
,, suam ingrediuotur. De calceamentis Laico-
,, rum nihil decrevimus; sed tantùm Clericorum.
,, De Archidiaconibus, & Canonicis qui uxores
,, suas derelictas, extra domos suas in maneriis
,, suis ponunt; existimo interim, donec aliud
,, statuatur, tolerandum, si certam promissio-
,, nem fecerint, se nullam conversationem, cum
,, illis habituros, nec sine legitimis testibus lo-
,, quuturos. De Presbyteris, qui timore non
,, audent fœminas suas relinquere, quod statu-
,, tum est in Concilio servabitur: quia quamdiu
,, eas aliqua occasiooe tenebunt, nec Missas ce-
,, lebrabunt, nec legales erunt: sed tantum usque
,, ad initium Quadragesimæ, si habuerint qui
,, pro illis castè in Ecclesiis serviant; beneficiis
,, Ecclesiæ non privabuntur. Illos autem, qui
,, Presbyteros propinquas suas dimittere prohi-
,, bent; sicut eos, qui contra Deum, & contra
,, Christianitatem agunt, arguite: & totum pec-
,, catum fornicationis Presbyterorum illis impu-
,, tandum ostendite: & nostram omnium Coe-
,, piscoporum nostrorum excommunicationem,
,, illis promittite. Hactenus de Londinensis Concilii sensu Anselmus; qoem privatis literis expressum, non statim evulgandum esse prudenter censuit.

Non potuit tamen hæc cautio Henrici Regis iram avertere: qui statim à Synodo Anselmum jubet illis Episcopis manum imponere quos ille nuper per Investituram elegerat. quod novæ contentionis ansam præbuit: oolente Anselmo, lite adhuc Romæ pendeote, in Ecclesiasticæ potestatis præjudicium, aliquid innovare. Accesserat etiam Regis præsumptio; qui Rogero nuper electo Herefordensi Episcopo, post Loodinense Concilium mortuo, alium substituerat, baculi, annulique traditione. Quem etiam ab Anselmo consecrari petiit. Quid super his factum dicat Edmerus. *Rogerus, qui in Episcopatum Herefordensem assumptus erat, è vestigio, in ipsa civitate Londonia, gravi infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Qui cum se proximum morti sentiret; misso nuntio, cum Epistola rogavit Anselmum, quatenus præciperet duobus Episcopis suis, Londoniensi videlicet atque Roffensi, ut eum antequam moreretur; sub celeritate Episcopum consecrarent. Quod ipse audiens, insipientiam hominis admiratus, paululum subrisit: nihilq; respondens ad postulata, nuntium à se, sicut venit, vacuum emisit. Et ille quidem mox Londoniæ mortuus est: & Cancellarius Reginæ, Reynelmus nomine, loco illius, per Investituram, subrogatus. Mittens ergo Rex rogavit Anselmum, quatenus pro suo jure, hos noviter electos, cum Willielmo jamdudum VVentanæ civitatis Episcopo electo, consecraret.*

XII. NOVA CONTENTIO REGEM INTER ET ANSELMUM.

Edmer. l. 3. Novo fo. 48.

ROGERUS HEREFORDEN. EPISCOPUS MORITUR. REYNELMUS ELIGITUR HEREFORDEN. EPISCOPUS.

Respondit: Equidem VVillielmum libens consecrabo: sed quod de nuper investitis, inter me, & illum convenit; non mutabo. At ille, nonnihil ab animi

XIII. ANSELMUS NON

tranquillitate

VULT CONSECRARE EPISCOPOS A REGE INVESTITOS.

tranquillitate mutatus: unum sine aliis, illum se vivente, non sacraturum, interposito Sacramento asseruit. Erat quippe idem VVillielmus in Episcopatum VVentana, ut prælibavimus, civitatis, Anselmo necdum ab exilio revocato, electus. Sed ipse nec electioni consentire; nec baculum sibi à Rege porrectum suscipere; nec rebus, vel causis Episcopalibus ullo volebat pacto intendere. Revocato autem Anselmo, Clerus & populus eò insistere, ac ut electum suum sibi præficeret, magno cœperunt opere postulare. Differt ipse, nec subitum præbet assensum. Tandem tamen, & eorum assiduitate, & Ecclesiastica necessitatis consideratione permotus, connivente Rege, VVillielmum in Ecclesiam exultantibus cunctis, & Monachis ipsius Ecclesiæ festivè procedentibus, adduxit, ac VVentani Pontificatus curam ei, sub præsentiâ totius multitudinis, dato baculo pastorali, delegavit. Hunc igitur ita electum, visum est, Pontificali benedictione non esse jure defraudandum. Sed cum Rex illum, sine aliis sacrari permittere nequaquam: nec Anselmus eos cum illo sacrare ullatenus adquiescere vellet: præcepit Rex, ut Gerardus Eboracensis simul omnes sacraret. Quod ubi præfatus Reynelmus advertit; retulit Regi baculum & annulum, quos se injuriâ suscepisse dolebat: sciens quia maledictionem pro benedictione susciperet; si eâ ordine benedicendus se manibus Gerardi submitteret. Vnde Rex nimis iratus, eum gratiâ suâ curiâq; privavit.

XIV.
INVESTITI A REGE NOLUNT AB EBORACENSI CONSECRARI.

Gerardus itaque, sociatis sibi cunctis Episcopis Angliæ, residuos duos; id est, VVillielmum atque Rogerium, spretâ omni æquitate, statuto die Lundoniæ voluit consecrare. Anselmo in villâ quæ non longè est, Murtelac nomine, consistente, & eventum rei præstolante. Verùm Episcopis ad examinationem sacrandorum pro more paratis, atque dispositis, VVillielmus amore compunctus justitiæ, mox inhorruit: & suis omnibus spoliari, quàm tam infando ministerio, sub tanti mysterii administratione, collum inclinare delegit. Quapropter Episcopi suâ confusione percussi, infecto negotio, ab invicem sunt ilico divisi. Ad hæc totius multitudinis, quæ rei exitum spectare convenerat, clamor insonuit; unâ voce, VVillielmum recti amatorem: & Episcopos, non Episcopos, sed justitiæ præcipitatores esse concrepantis. At illi, mentis suæ rancorem, ex vultus immutatione pandentes, Regem adeunt; illatæ sibi contumeliæ querimoniam coram illo depromunt. VVillielmus in medium deducitur; patrati delicti reus accusatur; minis non levibus hinc inde concutitur. Ille stat; nec avelli potest à recto: & ideo suis omnibus expoliatus eliminatur à regno. Quærit Anselmus super istis à Rege judicium, & justitiam, nequicquam. Iterum atque iterum preces & querelas, pro qualitate negotii suggerit. Sed ille, nec prece, nec querimoniâ motus, cœpto desistere voluit. Hæc omnia Edmerus: cum nuntii Romam à Rege & Anselmo, superiori anno directi, necdum rediissent.

XV.
ROBERTUS SALOPIENSIS COMES, CASTRA MUNIT CONTRA REGEM.

Quo tempore Henricus Rex de Investiturarum prærogativâ, cum Anselmo contendens, Ecclesiæ jura delibare cepit: permisit Deus eodem tempore regni proceres in Henricum surgere. Robertus, Salopiensis Comes, vir in Angliâ Normanniaque potens, cum Henrici Regis prospera, invido oculo spectasset; sibi castellisque suis prospiciens, plures arces munire, seque contra hostilem potentiam tueri cœpit. Dudum in Occidentali Sabrinæ fluminis parte Brige oppidum, quod Ethelfledam Merciorum Reginam ædificasse, suprà diximus, vallo muroque firmaverat: & hoc anno luculenter ostendit, qua mente, consilioque id fecerit: nam alibi loca munitissima, vel de novo reparat, vel annonâ, & bellico apparatu, ad omnem impetum propulsandum instruit: sed vano & irrito conatu: ut Authores nostri, in hunc modum referunt. *Anno millesimo centesimo secundo* (ita Hovedenus) *Comes Robertus de Belesmo; qui Comitatum etiam Ponticensis Pagi rexit eo tempore, ac in Normanniâ castella possedit quamplurima, civitatem Scrobrisbiriam, & castellum in ea situm, castella quoque Arundel & Tikehil, alimentis, machinis, armis, militibus & peditibus, contra Regem Henricum fortiter munivit. Muros quoque & turres castellorum, videlicet Brige & Carrocove, die noctuq; operando perficere modis omnibus festinavit. VValanos quoque suos homines, ut promptiores, sibiq; fideliores, ac paratiores essent ad id faciendum quod volebat; honoribus, terris, equis, armis incitavit, variisq; muneribus donavit. Sed conatus illius, & opera, nimis citò sunt impedita. Insidiis enim & conatibus ejus, per certa indicia detectis, publicum hostem Rex illum pronuntiavit. Idcirco mox VValanis & Normannis; quos tunc habere potuit, in unum congregatis; ipse & suus germanus, Arnoldus, partem Staffordensis pagi vastaverunt: ac inde jumenta, & animalia multa, hominesq; nonnullos in VValoniam abduxerunt.*

Hoved. fo. 469.

DECLARATUR HOSTIS.

XVI.
ROBERTUS LINCOLNIEN. EPISCOPUS CONTRA ILLUM MITTITUR.

At Rex, sine dilatione, castellum ejus Arundel primitùs obsedit: & castellis ante illud firmatis, recessit. Deinde Robertum Lincolniæ civitatis Episcopum, cum parte exercitus Tikehil obsidere jussit. Ille autem Brige cum exercitu penè totius Angliæ obsedit: machinas quoque ibi construere, & castellum firmare præcepit. Interim VValanos, in quibus fiduciam magnam Robertus habuerat, ut juramenta, quæ illi juraverant irrita facerent, & ab illo penitùs deficerent, & in illum consurgerent, donis modicis facilè corrupit. Infra igitur triginta dies, civitate & omnibus castellis redditis, inimicum suum Robertum superavit: & ignominiosè de Angliâ expulit. Germanum quoque Arnoldum paulo post pro suâ perfidiâ, simili sorte damnavit. Ita ille. Accessit his Henrici prosperis: nasci hoc anno è Mathilda Reginâ filium primogenitum, Guilielmum nomine: magnum utrique parenti solatium, & coronæ ut sperabatur, firmamentum. Sed Normannorum primogenitis irascitur Deus: quos per unam annorum centuriam, coronæ succedere non permittet. & Guilielmus iste post annos octodecim, Oceani fluctibus haustus, irati Numinis argumentum erit. Priùs tamen cum quatuordecim esset annorum, omnis regni nobilitas eum Angliæ Principem, fidelitatis juramento coluerat: & triennio post, ductâ in uxorem Fulconis Andegavensis Comitis filiâ, Normanniæ Dux renuntiatus; cum è Normannia in Angliam trajicit, cum aliis plorimis in Oceano periit, ut dicam anno 1120. Cæterùm hoc anno Henricus Rex S. Bartholomæo Ecclesiam posuit, Londini, in fabrorum Campo vulgo Smithfield. & Canonicis nigris commendavit.

GUILIELMUS HENRICI PRIMOGENITUS NASCITUR.

V. an 911. n. 2.

ANNUS CHRISTI 1103.

PASCHALIS II. PAPÆ 5.

HENRICI PRIMI REGIS 4.

I. ITERUM DE IURE INVESTITURÆ CONTENDITUR.

ANNO centesimo tertio supra millesimum, acerrimè iterum, de jure Investituræ disputatum est; Anselmo pro Ecclesiâ, Henrico pro Coronâ sceptroque certantibus. Paschalis, utroque concedente, admissus controversiæ Judex, vix Henrici impetum, hoc præsertim anno, moderari potuit: egit tamen eâ pietate quæ patrem, eâ constantiâ quæ judicem, eâdemum authoritate quæ sacrorum Principem decuit. Rem gestam ex Edmero Malmesburiensis compendio recitat, & ex eo Cæsar Baronius; qui Edmeri historiam nunquam vidit. Ego illam, ut Edmerus refert, ejusdem verbis dabo: nam candidè, integreque, ut historicum decet, exponit omnia. Adde peregrinus iterum Anselmum in urbem comitatur, dictorum factorumque luculentus testis. Sic ergo ille, cum Londinensi Concilio (ad festum S. Michaëlis habito) finem imposuisset.

II. *Edmer. l. 3 Novorum fo. 69.*

HENRICUS CANTUARIAM VENIT, CUM ANSELMO ACTURUS.

Subsequenti dehinc (inquit) *mediâ Quadragesimâ fere, Rex Cantuariam venit: quædam, ut ferebatur, regni negotia Dofris, cum Comite Flandriæ tractaturus. moratus autem triduo Cantuariæ est: & quod de Comitis agebatur adventu, nihil fuisse, agnitum est. Agnitum verò est, quare venerit, & ipsius moræ occasio patuit. In illis quippe diebus per suos convenit Anselmum: quatenus jam diutinâ suâ patientiâ delibutus paternarum consuetudinum, amplius sibi nihil denegaret: nè iratus cogeretur actu monstrare, qualiter ea quæ se contra faciebat, sibi sederent in mente. Nam sicut per eos, qui secretorum illius conscii erant, nonnullis innotuit; disposuerat apud se, illum aut aliquo gravi corporis damno læsurum: aut certè inhonestè trans mare pulsurum; ac demum omnia juri Ecclesiæ competentiâ direpturum: si eum ad executionem suæ voluntatis, de notâ querelâ, non reperiret omnino paratum. Quibus agnitis ita Pater Anselmus respondit. Nuntii quos pro verbis, quæ detulerunt Episcopi, Romam direxi, jam reversi sunt: & veritati attestantes, ut aiunt, literas attulerunt. Ipsæ quæso literæ inspiciantur; si fortè in illis aliquid, quod me voluntati suæ condescendere sinat, inveniatur. Nequaquam, ait. Ambages hujusmodi ultra non feram: finalem causæ volo habere sententiam. Quid mihi de meis, cum Papa? Quæ Antecessores mei hoc in regno possederunt, mea sunt: Hæc si quis auferre mihi voluerit; quod inimicus meus sit, omnis qui me diligit, certissimè noverit.*

III. ANSELMI CONSTANTIA IN ECCLESIÆ IURA CONSERVANDO.

Tunc Præsul ad ista: Nihil eorum quæ ipsius esse scio ipsi tollo, aut tollere volo. Veruntamen noverit, quod nec pro redemptione capitis mei consentiam ei, de iis quæ præsens audivi in Romano Concilio prohiberi: nisi ab eâdem Sede, interdictorum absolutionis sententiâ prodeat; à quâ constitutionis ipsorum vinculum prodiit. Multiplicata sunt ergo verba illius diffidiis, tantumq; gravata; ut filii Ecclesiæ magnò timerent, nè Patrem suum protinus perderent. Ipsos Principes, quorum consiliis Rex innitebatur, consideratione futurorum malorum ingemiscentes lacrymis maduisse conspeximus. Fiunt preces & orationes ab Ecclesiâ ad Christum: & pio gemitu interpellatur, quatenus sua pietatis intuitu sedet instantia mala. Hac inter voce summissâ Rex Antistiti mandat, & multis precibus obsecrat: quatenus ipse per se Romam eat: & quod alii nequiverant suâ sibi industriâ conetur adquirere. ne ipsi perdendo suorum jura Antecessorum, ejus vilior fiat. Sensit Pater quò hæc vergerent, & respondit: Differantur hæc, si placet, usque in Pascha, ut audito Episcoporum, regniq; Primatum consilio, qui modo non assunt, respondeam huic. Terminata in istis, ea vice, causa est, & ab invicem sunt in pace divisi.

IV. CONVENTUS CLERI ET PROCERUM OMNIA DETERMINAT.

Prudenter Anselmus Regis iram, & sequiorem impetum declinans: noluit in re gravissimâ, aut arbitrio suo, aut turbatæ Regis menti aliquid concedere. Nec procul aberat Paschatis, festum: quo Episcopi proceresque de more convenire, & seria sceptri & Sacerdotii jura excutere solebant: quod supremum Insulæ tribunal censebatur. Necdum enim conventui illi, tribuni plebis accesserant; aut è re Christianâ esse putabant majores nostri; Fidem, Ecclesiamque spectantia, plebiscito submittere: ubi voce, strepitu, clamore, & nequam sæpè impetu, non sano prudentique consilio, omnia terminantur. Postera ætas, quæ vulgo arbitrium permisit, plebi quidem, sed regno Ecclesiæque minimè consuluit: nam voce, strepitu, clamoreque, tribunitia potestas adeo excrescet aliquando, ut sceptri Sacerdotiique jura confundens; utrumque facilius supplantabit. Fit enim plerumque, ut ea quæ supra nos aliquando miramur, atque suspicimus: ea ad nos propiùs artificiosè trahimus, attracta denique infra nos ponimus, atque despicimus. quod Fidei, Ecclesiæque majestati, pus est atque venenum. Quid enim indocti, de arcanis religionis mysteriis disputare, aut præsumere possunt? Quod si ex illâ plebis officinâ; fidei articulos accipere, aut dogmata ad illam incudem tundere, & credenda non nisi vulgi cerebro conformia, admittere debemus: quid purum, sanum, defæcatum, in tantâ hominum fece prodibit? Doctiùs ergo Sanctus Anselmus, Episcoporum imprimis, inde sapientum arbitrio, causam suam, Romanamque profectionem commendavit. nunc quid in Paschate factum, & illo procerum conventu, Edmero narrante audiamus.

PLEBIS POPULIQUE CONVENTUS SACRA PESSUNDAT.

V. *Edmerus l. 3 Novo. fo. 70.*

Igitur in Pascha (Anselmus) *in Curiam venit; regni ingenuitatem, de negotio præsens consuluit: communis consilii vocem unam accepit: æquum scilicet fore, illum tantæ rei gratiâ, viæ laborem debere non subterfugere. Refert: Dum ita communes vultis, ut eam; Ego corpore licet imbecillis, senioq; confectus, iter aggrediar; iturus quò consulitis, prout vires concesserit Deus, omnium finis. Attamen si ad Apostolicum pervenire potuero; noveritis; quod ipse nil, quod vel Ecclesiarum libertati, vel meæ possit obviare honestati, meo faciet, vel rogatu, vel consilio. Dixerunt: Legatum suum Dominus noster Rex, suas preces, regniq; negotia, Apostolicis auribus expositurum tecum diriget: & tu solummodo iis quæ vera dixerit, attestare: ait: Quod dixi, dico: nec vera dicenti, Deo miserante, contradictor existam. Finitis itaque Paschalibus festis, à Curiâ discessit Anselmus, iter Angliam exeundi quantocius accelerans. Vulneraverat enim quodammodo mentem ejus, quod Rex, nec per se, nec per suos, audire volebat, quòd literæ Româ nuper allatæ continerent in se. Quòd ideo illum facere, quidam opinati sunt; quoniam materiam earundem literarum, ei jam revelatam, per unum*

ROMAM ANSELMUS PROFICISCITUR.

illorum, quos Anselmus Romam direxerat, sensim intellexerunt. Formidabat ergo Anselmus, nè si verbis Episcoporum, in literis ipsis, Papa non concordaret, pro Investituris Ecclesiarum, quæ facta fuerant; & etiam consecrationibus quorundam Abbatum; quos ea tempestate investitos, Robertus Lincolniensis Episcopus, & Ioannes Bathoniensis sacraverant; sæpè dictâ Excommunicationis sententiâ tales nonnullos involverit; à quorum communione, se nequaquam, sine gravi scandalo, cohibere valeret. Literas enim nondum inspexerat: præcavens, ne si fortè, mutato consilio, Rex eas inspiciendas requireret, sigilloq; exclusas reperiret; aliquid haberet, quod earum authoritati objicere non injuriâ posset. Festinatò igitur ratum est Anglia exeundum; ne illic excommunicatis communicando; aliquâ excommunicationis culpâ involveretur.

VI. *Venimus ergo Cantuariam: ubi non ultra quatuor dies demorati, acceptâ sacra benedictionis licentiâ, à Monachis dilectissimis filiis suis, nec ne à civium, circumfluentiumq; populorum numerositate, ingenti pietatis affectu prosecuti ad portum maris properavimus. Itaque naves ingressi VVitsandis appulimus. Acta sunt hæc anno Incarnati Verbi millesimo centesimo tertio, V. Calen. Maii. Regiâ igitur pace, suisq; omnibus investitus mare transit; & liberâ viâ per Boloniam, iter Normanniam veniendi assumpsit, eorumq; nobilium terra non vili obsequio fretus. Cum autem Becci fuisset (ubi quâ devotionis, quâ gaudii, & omnis boni jocunditate susceptus sit, taceo: dum id nulli possibile dictu existimem) Literas sibi prænominatas sigillo absolvit. Quid itaque in eis invenerit, textus earum, quem subscribimus, declarabit.*

VENIT BONONIAM: INDE AD MONASTERIUM BECCEN.

* VII. Hic subdit Edmerus literas à Paschali ad Anselmum superiori anno dictatas: quibus trium Episcoporum, qui Romæ Regis causam egerant, fraudem aperit, perversamque mentem, & labia dolosa detestatur; dixerant illi Paschalem vivæ vocis oraculo, aliud Regi indulsisse, quàm literæ à Monachis allatæ testarentur. Et horum Præsulum authoritate suffragioque, Rex in vendicando Investiturarum jure pertinacior fuerat. Sed Anselmi constantia fecerat: ut rursum novi Oratores in Urbem pergerent, relaturi certiùs an Monachorum literis, an verò Episcoporum testimonio standum. Indignè tulit Romanus Pontifex, in dubium vocari; an unum Monachis, aliud Episcopis, mandatum Regi perferendum dederit: & sancto Ecclesiasticæ disciplinæ zelo succensus, anathematis sententiam in Episcopos fulminans, has literas ad Anselmum misit.

V. an. 1101. n. 27.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 74. & apud Edmerum sup. fo. 71.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: ANSELMO Cantuariensi Venerabili Fratri, & Coëpiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

VIII. PASCHALIS AD ANSELMUM LITERÆ.

,, SUAVISSIMAS dilectionis tuæ suscepimus literas, charitatis calamo scriptas. Neque enim aliud chartæ calamus indidit; quàm quod de fonte charitatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuæ complectimur: & perpendentes fidei tuæ robur, & solicitudinis instantiam, exultamus, quia gratiâ Dei præstante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus autem; quia cum fratres nostros Episcopos, Legatos Regis Anglorum benignè suscepissemus: quæ nec diximus eis, nec cogitavimus; redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixisse: Quia si Rex, in aliis benè ageret, Nos Investituras Ecclesiarum, nec prohibere; nec factas excommunicare. Et quod ideo nolebamus chartæ committere; ne sub hac occasione, & cæteri Principes in nos inclamarent. Unde JESUM, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus: si ex quo hujus sanctæ Sedis curam cœpimus gerere; hoc immane scelus, vel descendit in mentem: & hoc à nobis Deus avertat, ut est: & non surrependo inficiat nos, ut aliud habeamus ore promptum, aliud corde reconditum: cum contra mendaces propheta imprecetur, dicens: Disperdat Dominus universa labia dolosa. Si verò nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis, & impietatis radice pollui: qua ratione possemus apud internum judicem excusari; cum Dominus; sub specie Sacerdotum, dicat Prophetæ: Speculatorem te dedi domui Israël. Non benè custodit urbem, qui in speculâ positus; dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit.

,, Si ergo virgam, pastoralitatis signum; si annulum, signaculum Fidei, tradit laica manus; quid in Ecclesiâ Pontifices agunt? Ecclesiæ honor atteritur: solvitur disciplinæ vigor; & omnis religio Christiana conculcatur: si quod novimus Sacerdotibus solis deberi; laica patiamur temeritate præsumi. Non est laicorum Ecclesiam tradere: nec filiorum, matrem adulterio maculare. Jure igitur privandus est patrimonio, qui matrem polluit adulterio: Nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impiâ infestatione insequitur. Laïcorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem, cum illicitum sibi Sacerdotium vendicaret, leprâ percussus est. Filii quoque Aaron, qui alienum ignem imposuerunt, igni divino consumpti. Alienum est enim ab Ecclesiâ, & sacris Canonibus est inhibitum: nè Principes & sæculares viri, Investituras, non solùm non dare; sed nec electioni Episcoporum se audeant violenter inserere. In VII. quippe Synodo, ut nostis, scriptum est: Sancta & Universalis Synodus definivit; Neminem Laicorum Principum, vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Episcoporum. Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, puniti sunt: illi qui à laicis, à quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem, qui veritatem in mendacio *commutarunt: ipsa veritate, quæ Deus est, in medium introductâ, à B. Petri gratiâ, & à nostra societate excludimus; donec Romanæ Ecclesiæ satisfaciant, & reatus sui pondus agnoscant. Quicunque verò intra prædictas inducias, Investituram seu consecrationem acceperunt, à consortio fratrum, & ordinatores & ordinatos, alienos habemus. Nec eis ad excusationem deceptio sufficit; quia & Propheta ab alio prophetâ deceptus, nec ideo mortem evasit. Rogamus interea charitatem tuam, nos tuis sanctis precibus commendari: ut quantò propiùs ad Deum passibus virtutum acceleras; nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te ad

IX. CONTRA LAÏCAM INVESTITURAM.

*invocarunt.

„ hujus stadii cursum incitavit, felici consummatione perducat ad præmium. Datum II. Idus Decem. apud Beneventum.

X. Cum hasce literas in Beccensi Monasterio Anselmus perlegisset: Romanum iter meditatus è Normannia in Galliam profectus, Carnutum venit, ubi Adela Blesensis Comitissa, Henrici Regis germana soror; cum Anselmum annis gravem & sanctitatis opinione notissimum, tam difficili tempore Romam pergere, accepisset; enixè Præsulem rogavit, nè porrò iter prosequeretur, donec æstatis fervor, qui tunc urebat maximè, paululùm senesceret. Accessit Comitissæ votis Ivonis quoque Carnutensis Episcopi authoritas: quorum consilio Anselmus acquiescens, Beccum revertitur. Meminit horum Edmerus in historiâ, & multò clariùs Anselmus in Epistolâ quam Cantuariensibus Monachis, è Beccensi Cœnobio, misit. Edmerus ita narrat. *Cum autem de Becco, Carnotum in festivitate Pentecostes, utpote propositum iter inde acturus, Anselmus venisset: accepit ab Ivone civitatis Episcopo, & à multis non spernendi consilii viris, satius fore cœptum iter in aliud tempus differendum; quàm Italicis ardoribus eâ se tempestate, cum suis tradere cruciandum. Nimius etenim fervor æstatis ita ubique, sed maximè, ut ferebatur in Italia, tunc temporis quaque torrebat: ut incolis vix tolerabilis, peregrinis verò gravis esset, & importabilis. Quod Pater intelligens, consilio credulus Beccum revertitur.* Ita ille. In eundem sensum scripsit Anselmus, cum arrepti itineris rationem reddit Cantuariensi Ecclesiæ in hunc modum.

ADELA BLESENSIS COMITISSA ANSELMO DEVOTA.

Edmer. l. 3 Novo. fo. 72.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 76.

ANSELMUS Dei gratiâ Archiepiscopus Cantuariæ, Dilectissimis filiis & Fratribus Domino, ERNULFO Priori, & aliis in Ecclesiâ Christi Cantuariæ Deo servientibus, salutem, & benedictionem Dei, & suam, quantum potest.

XI. „ QUALITER me habeam, & quid agam, dilectioni vestræ significo. Gratia Dei, postquam iter nostrum incepi, vestris orationibus me prosequentibus, ab omni adversitate, sum usque in præsentem diem protectus. Romam tendens eâ intentione, quâ de Angliâ exivi, Carnotum usque perveni: ubi à Comitissâ sorore nostri Regis, & ab Episcopo, & à multis aliis, cum gaudio, & honore susceptus sum. Sed de itinere meo, tali tempore incepto, valde mirati sunt. Dicebant enim propter nimietatem caloris; & quia isto tempore, nullus peregrinus vadit, me nec Romam perventurum, nec ampliùs rediturum: quia aut manus inimicorum Ecclesiæ Dei non possem effugere: aut propter imbecillitatem corporis mei tali tempore necesse esset me mortem incurrere. Sic itaque vi consilii sui, me ultra progredi ad præsens non permiserunt: sed ut opportunum tempus, & quando peregrini vadunt, expectarem, coëgerunt. Sciens enim divinam Scripturam dicere: Omnia fac cum consilio; & post factum non pœnitebit: timui nè tam rationabili & amico consilio non acquiescerem, pœnitentia sequeretur. Hac ratione, quamvis prædicta Comitissa me in terra suâ retinere, & omnia necessaria libentissimè vellet impendere; reversus sum in Normanniam, & expecto ut congruo tempore, hoc quod incepi, si Deus annuerit, perficiam. Scitis, filii charissimi, desiderium meum de vobis. Audistis sæpè, quid tribulationes meas consoletur in vobis. Si corda vestra soli Deo student vacare: si proposito quod fortiter arripuistis; velut boni in Christi vinea operarii, strenuè insudatis: si mundum vobis crucifixum, & vos mundo, vita vestra testatur: si non vobis, sed Deo: id est, non vestræ, sed Dei voluntati vivitis: si etiam in minimis Deum valde timetis: si districtionem ordinis vestri amatis: quam qui odit, certissimo signo se vitiosum esse, & dissolutionem diligere, demonstrat: si pacem inter vos & obedientiam Domino Priori servatis: hoc est desiderium meum de vobis: hæc consolatio & requies mea in vobis. Hæc cogitate, hæc tractare & facite: si me lætificare, imo si Deum vobis vultis placare: hæc vobis Spiritus sanctus persuadeat: & pro his gloriæ suæ visionem beatam exhibeat. Amen.

ANSELMUS SCRIBIT MONACHIS CANTUARIENSIBUS.

XII. Sub idem tempus scripsit Anselmus, ad Regem quoque literas, officii obsequiique plenas, quas hic subjicio.

Anselm. l. 3 Epistolarum Epistola 79.

HENRICO Domino Reverendo, Glorioso Regi Anglorum ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

„ GRATIAS ago Deo, à quo omne bonum, de vestrâ incolumitate, & hilaritate: & quia vestros successus ad majora & meliora, cum vestrâ & vestrorum fidelium lætitiâ provehit. Gratias etiam ago vestræ Celsitudini; quia hæc mihi mandare dignata est, sicut fideli suo: de quo confidit: quia in omnibus suis prosperitatibus congaudet, & illi, cujus dispositione fiunt, gratias agit. Verùm enim est; quia hic quotidie orat & desiderat cor meum; ut Deus vos, & vestra sic regat, & protegat, in gloria temporalis regni super Anglos: quatenus in æternâ felicitate regnare faciat inter Angelos. Hoc utique est, ad quod maximè vobis servire cupio. Quapropter quia ad me pertinet; ad hoc enim positus sum; ut fidelis & Episcopus consulo, precor, & sicut scriptum est, obsecro opportunè importunè: ut sicut Deus vestram auget prosperitatem, & exaltat potestatem: ita vos super omnia, ejus ametis in omnibus operibus vestris servare voluntatem. Quod sic vos Deus diu in hac vitâ, in prosperitate facere concedat; ut post hanc vitam secum in æternitatem gaudere faciat. Erga me, Dei gratiâ, cuncta prosperè sunt. & ante Assumptionem Sanctæ Mariæ de Becco proficiscar; ut secundùm quod Deus annuet; prosequar propter quod de Angliâ egressus sum. De nostris rebus, quamvis hoc esse in vestrâ voluntate confidam; rogo tamen ut eas in quiete manere jubeatis, donec redeam.

ANSELMI LITERÆ AD HENRICUM REGEM.

XIII. Ita Anselmus literas clausit; quia certa relatione acceperat: Regem à Cantuariensi Ecclesiâ pecuniam postulasse. quod sanè indignum sanctissimo Præsuli videbatur. Sic enim mater Ecclesia Regiæ cupiditati ancillari inciperet, & Principes ex illa ditescere, quàm ditare, & dotare deberent. Scribit ergo ad Roffensem Episcopum, quem jubet intercedere, quæstumque illum impedire.

Anselmus Archiepiscopus, Reverendo Episcopo Gonoulfo, salutem.

Anselmi literæ ad Gundulfum Roffensem Episcopum.

,, AUdivi quia Dominus noster Rex, à Priore
,, & Monachis nostræ Ecclesiæ, petit pecu-
,, niam; quam ipsi non habent, nec habere
,, possunt. Quoniam sicut mihi mandatum est,
,, creditoribus non modicam debent pecuniam:
,, & propter indigentiam, quæ sibi necessaria
,, sunt, magna patiuntur. Ad opus etiam Ec-
,, clesiæ inceptum, dimidium quod constitueram
,, habere nequeunt. Et si haberent, nec Re-
,, gem decet ab illis aliquid exigere; qui nec se-
,, ipsos habent, sicut Monachi: nec illos aliquid
,, dare vel accommodare, quod eorum non est.
,, Unde vobis mando, & precor; ut Regi pre-
,, cando suadeatis; quatenus omnia nostra, in
,, pace, donec redeam, quieta manere jubeat;
,, sicut promisit. Quia si Deus, secundùm quod
,, proposui, mihi prosperè redire concesserit;
,, serviam ei, sicut debeo, Domino & Regi meo.
,, Quod si fecerit gratias agam Domino, & illi.
,, Si verò preces nostras non audierit: & aliud,
,, unde doleam, facere voluerit: faciet sicut Do-
,, minus, quod placebit: sed non mihi videbi-
,, tur facere, quod decebit. Non enim ego &
,, Monachi divisi sumus: sed omnia quæ illo-
,, rum stabilita sunt utilitati; mea sunt, & meæ
,, subjacent potestati: & si ipsi indigerent; quic-
,, quid haberem, eorum deberem expendere
,, necessitati. Quare cum omnis mundana ad-
,, versitas, pro suo modo & ratione, tangat ani-
,, mum: illa utique quæ illos contristat, pro-
,, fundiùs lædit cor meum. Et vos scitis; quia
,, tam inauditæ & insuetæ rei assensum præbere
,, non debeo. Et quoniam non debeo, non
,, audeo, ut à Monachis absque Prælato suo pe-
,, cunia exigatur. Et ideo non mihi, nec alicui
,, expedit; ut hæc consuetudo in Ecclesiam Dei
,, aliquo assensu introducatur.

XIV. Cum hasce literas, aliasque de Mathildam Reginam, è Beccensi recessu, Anselmus dictasset; sub medium mensis Augusti, inde discedens, Carnotum redit: ubi summo honore exceptus; dum per Morianam vallem in urbem transit, literas ab Henrico Rege & nuntium accipit; quo amicè monetur, ut fractas ex itinere senioque vires, diuturniore quiete reficeret. Statuerat enimvero Rex, Oratorem in urbem mittere, in suæ causæ patrocinium: cupiebatque ea legatione Anselmum prævenire: ratus vacuum Pontificis animum, eâ diligentiâ faciliùs capiendum. Nescio an Anselmus simulatam Regis pietatem intellexerit: noluit certe denuo inceptum iter abrumpere. Regi tamen de se solicito gratias agens has ei litteras remittit.

Ansel. l. 3 Ep. 80.

Suo charissimo Domino Henrico, glorioso Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ; fidele servitium, cum orationibus.

XV. Anselmus ad Regem scribit.

,, GRatias magnas ago Celsitudini vestræ,
,, pro amore magno, quem ergà me vos
,, habere ostendistis: & propriâ solicitudine,
,, quam de me, sicut de fideli vestro habetis.
,, Scilicet nè in itinere cœpto, propter imbecil-
,, litatem, & infirmitatem corporis mei, nimio
,, laboris gravamine deficiam. Sed jam usque
,, in vallem Morianæ progressus eram, quando
,, vestram suscepi Epistolam. Unde timui nè
,, Domino Papæ displiceret: si tantâ parte itine-
,, ris perfectâ, remanerem: & nullum mihi res-
,, ponsum, per Legatos faceret; nisi ad eum,
,, sicut incepi, pervenirem. Dixit enim per
,, literas, quas mihi per Tiberium misit, quia
,, si possibile esset, libenter mihi loqueretur.
,, Sperans itaque in Deo, secundùm quod in me
,, sentiebam: & de itinere jam peracto expertus
,, eram; quia laborem itineris possem sustinere.
,, Quod quia me non posse timebatis, me rema-
,, nere volebatis: existimavi bonum esse, per
,, meipsum hoc, pro quo Anglia exivi, sicut
,, proposui, perficere: nisi fortè aliquid obvia-
,, verit, cui rationabiliter nequeam resistere.
,, Omnipotens Deus sic vestrum regnum terre-
,, num in gaudio vestro diu regat, & corrobo-
,, ret super Anglos: & post hanc vitam regnare
,, faciat inter Angelos. Amen.

XVI. Anselmus Romam venit.

Perrexit ergo Anselmus; Romamque perveniens, Guilielmum invenit, Henrici Regis Legatum; illum ipsum quem olim Guilielmus Rex ad Urbanum miserat, Anselmo in hac lite adversarium. Quid inde factum Edmerus in hunc modum narrat. *Anselmo Romam veniente, Guilielmus quidam à Rege directus Anglorum, aliquantis diebus prævenerat: Romanos in causam quam agitandam sciebat, sua solicitudine, pro voto traducturus Regis. Qui Guilielmus simili modo contra eundem virum, ab alio Rege missus, Romam venerat: & quemadmodum res gesta series supra designat, in qua tunc Ecclesiastica gerebantur, pro viribus opem impenderat. Ubi ergo adventus Anselmi, summæ sedis Antistiti nuntiatus, illicò mandans illum deprecatus est, quatenus diem illum, atque sequentem à fatigatione sui, apud Sanctum Petrum, quietos duceret. Ac demum se ipsum præsentiæ Lateranis exhiberet. Ille paterna pietatis mandatum gratiosè suscipiens, paret. Quodque sibi à Papa Urbano, sicut supra meminimus, in palatio Lateranensi datum fuerat, die tertiâ hospitium subit. Dein Papæ præsentatus, honorificè suscipitur: ac pro ejus adventu, ipse, & quæ confluxerat Romana Curia, vehementer se lætari fatetur. Die post hoc constituto: causa propter quam ille potissimum venerat, in medium duci jubetur.*

V. an. 1097 n. 31. Edmer l. 3. Novo. fo 72.

Benigne a Paschali excipitur.

XVII. Guilelmus pro Henrico fortiter disputat.

Adest & Willielmus, legationi, quâ fungebatur toto studio curam impendens: hoc est, ut Regi Henrico omnes Patris, & Fratris sui consuetudines & usus, Apostolicæ Sedis authoritate firmaret. Exponit etiam statum regni, Regiamque in Romanos munificentiam: unde ampliori quadam & digniori præ cæteris sublimitate, ex Apostolicâ largitione Reges Anglorum probat antiquitus usos: eaque re non solùm molestum & indecens fore, hunc suorum Antecessorum jura perdere. Verùm etiam, sicut se certò cognovisse ferebat; magno hoc ipsum Romanis damno futurum, si contingeret. Et dum fortè locum recuperandi inventuri non essent; ab eis serò lugendum. Quid plura? Ducti sunt in atque alii, necne perducti in causam Regis, Romanorum nonnulli: admittenda rationis esse conclamantes, quæ ferebantur: neque vota tanti viri, ulli consideratione postponenda. Inter ista silet Anselmus, operiens in omnibus examen summi Pontificis. Nec enim verba sua dare volebat, ut mortalis homo, Ecclesiæ Dei ostium fieret. nè postposito Christo, qui se ostium ovium esse pronuntiat: & per quem, si quis intrat, salvatur: & ingreditur, atque egreditur, & pascua inveniet; ovile intrare volentes, aliunde ascenderent:

ac sic, non ovium pastores; sed fures fierent, atque latrones. Ipse nihilominus Pontificum Pastor, cum ad cuncta sileret: & quid quisque diceret, prudenti consideratione examinaret; æstimans Willelmus, jamjam illum, pro favore Romanorum in se, nihil eorum quæ quærebat, sibi negaturum, erupit, & ait: Quicquid hinc inde dicatur: volo norint, quicumque assistunt, Dominum meum Regem Anglorum; nec pro amissione regni sui passurum se perdere Investituras Ecclesiarum.

GUILIELMI PROTESTATIO.

XVIII. *Tunc vir Apostolicus, paucis hæc verba loquutus est. Si quemadmodum dicis: Rex tuus, nec pro regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere: scias ecce, coram Deo dico; quia nec pro redemptione sui capitis, eas illi aliquando Paschalis Papa impunè permittet habere. Quod auditum oppidò conturbavit Willelmum. Romanis autem dicto Pontificis acclamantibus, optatum in commune est: quatenus ista existimatio procul ab omnibus filiis Ecclesiæ fieret: Apostolicam videlicet Sedem, nunquam factura ostium ovilis Dei, latum quemlibet. Quapropter aliud aiunt Regi respondeatur: quod & illum ad benè agendum paulatim demulceat: & aliorum offensam Principum exinde Roma non incurrat. Itaque Romanorum consilio, apud nonnullos paternos usus, interdictis omnino Ecclesiarum Investituris, Regi concessit: eumq; ab Excommunicatione, quam Antecessorem suum fecisse superiùs diximus, immunem ad tempus constituit: in duntaxat, qui à manu ipsius Investituras susceperant, vel deinceps susciperent, usque ad dignam tanti reatus satisfactionem, pro servanda Ecclesiastici rigoris disciplina, sub Excommunicationis catenà retentis. Regia igitur causa, quæ agebatur, tali modo Romæ acta, determinata est. Satisfactionem sane Investitorum censura ac dispositioni Anselmi Papa delegavit.*

PASCHALIS CONSTANTIA.

INVESTITURAS NEGAT: ALIOS USUS INDULGET.

XIX. *Posthæc Anselmus, actis cum Pontifice suis, & aliorum, de Christiana religionis observantia, multiplicibus causis: quæ post principale negotium sui itineris non vilipendendæ causæ fuerunt: reditum suum Apostolicâ petiit benedictione tueri. Cui Papa: Benedictio quam desideras ita te comitetur ubique, sicut ipsemet optas. Et ne à liminibus Pastorum Ecclesiæ videaris immunis abscedere; En vice illorum, tibi scripta suæ authoritatis sigillo roborata manu nostra porrigimus: & ea quæ continent sub illorum testimonio tibi, & successoribus tuis, in perpetuum confirmamus. Datis ergo literis, osculatus Patrem, & nos, qui cum eo eramus, Deo nos commendavit: ac sic in pace dimisit. Literarum autem series hæc est.*

ANSELMUS ROMA DISCEDIT.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri ANSELMO Cantuariensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PRIVILEGIA CANTUARIENSIS ECCLESIÆ A PASCHALI CONFIRMANTUR.

„ FRATERNITATIS tuæ postulationibus nos
„ annuere, tuæ sapientiæ & religionis per-
„ suadet authoritas. Quondam enim in literis
„ ab Apostolicâ sibi Sede directis, Cantuariensis
„ Ecclesiæ primatum, ita tibi plenum concessi-
„ mus; sicut à tuis constet prædecessoribus fuisse
„ possessum. Nunc autem petitionibus tuis an-
„ nuentes: tam tibi, quàm legitimis successori-
„ bus tuis, eundem Primatum, & quicquid di-
„ gnitatis seu potestatis eidem sanctæ Cantua-
„ riensi seu Dorobernensi Ecclesiæ pertinere co-
„ gnoscitur, literis præsentibus confirmamus:
„ sicut à temporibus Beati Augustini, Præde-
„ cessores tuos habuisse, Apostolicæ Sedis autho-
„ ritate constiterit. Datæ Laterani XVI. Kal.
„ Decembris Indictione duodecima.

XX. *Nobis itaque Romà discedentibus* (pergit Edmerus) *Willielmus remansit, asserens se, se voto constrinxisse, Beatum Nicolaum adire. Re autem verâ, Romæ moraturus: & si posset; Anselmo absente, quod eo præsente nequiverat, Apostolicum à datâ sententiâ traducturus. Quod quia nequaquam facere potuit: persuasorias literas Regi deferendas, ne nil videretur egisse, a Papa obtinuit. Sicq; Romanos fines remeandi viam mutavit. Quem nos, ductu gloriosæ Mathildis Comitissæ, per Alpes euntes; cum apud Placentiam reperissemus; tam velocem hominis cursum a Beato Nicolao admirati admodum sumus. Epistola, quam Regi detulit, textus hic est.*

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: Illustri & glorioso Regi Anglorum, HENRICO: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ IN literis quas nuper ad nos, per familiarem XXI.
„ tuum, nostræ dilectionis filium Willielmum
„ clericum, transmisisti: & personæ tuæ sospita-
„ tem cognovimus: & successus prosperos, quos
„ tibi, superatis regni adversariis, benignitas
„ Dominica concessit. Audivimus prætereà
„ optatam virilem sobolem ex ingenuâ & religio-
„ sâ te conjuge suscepisse. Quod profectò cum
„ nos lætificavit; opportunum rati sumus, nunc
„ tibi præcepta, & voluntatem Dei validiùs in-
„ culcare, cum amplioribus beneficiis, Deo te
„ plurimum perspicis debitorem. Nos quoque
„ divinis beneficiis benignitatem nostram penes
„ te sociare optamus. Sed grave nobis est;
„ quia id à nobis videris expetere, quod præ-
„ stare omnino non possumus. Si enim aut con-
„ sentiamus, aut patiamur Investituras, à tuâ
„ Excellentiâ fieri: & nostrum proculdubio, &
„ tuum erit immane periculum. Quâ in re con-
„ templari te volumus, quid aut non faciendo
„ perdas: aut faciendo conquiras. Nos enim
„ in prohibitione hac, nihil amplius obedien-
„ tiæ, nihil liberalitatis per Ecclesias nancisci-
„ mur: nec tibi debitæ potestatis, aut juris, sub-
„ trahere quicquam nitimur: nisi ut erga te Dei
„ indignatio minuatur. & sic tibi prospera cun-
„ cta contingant. Ait enim Dominus: Hono-
„ rificantes me, honorificabo. Qui me autem
„ contemnunt, erunt ignobiles.

PASCHALIS LITERÆ AD HENRICUM, REGEM.

„ Dices itaque: Mei hoc juris est. Non uti- XXII.
„ que: non est Imperatorium; non est Regium,
„ sed divinum. Solius illius est, qui dixit: Ego
„ sum ostium. Unde pro ipso, rogo te, cujus
„ hoc munus est, ut ipsi hoc reddas; ipsi dimit-
„ tas, cujus amori, etiam quæ tua sunt, debes.
„ Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati,
„ cur obsisteremus gratiæ; nisi Dei, in hujus
„ negotii consensu, sciremus voluntati obviare,
„ gratiam amittere? Cur tibi quicquam nega-
„ rem, quod cuiquam esset mortalium conce-
„ dendum; cum beneficia de te ampliora sum-
„ pserimus? Perspice, fili charissime, utrum de-
„ cus, an dedecus tibi sit: quod sapientissimus,
„ ac religiosissimus Gallicanorum Episcoporum
„ Anselmus Cantuariensis Episcopus, propter
„ hoc tuo lateri adhærere; tuo veretur in regno

consistere. Qui tanta de te hactenus bona audierant, quid de te sentient, quid loquentur; cum hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipsi qui coram te tuos excessus extollunt; cum præsentiâ tuâ caruerint; hoc profectò validiùs infamabunt. Redi ergo, fili charissime, ad cor tuum, propter misericordiam Dei, & propter amorem uoigeniti deprecamur: revoca Pastorem tuum: revoca Patrem tuum: Et si quid quod non opinamur adversus te gravius gesseris; si quidem Investituras aversatus fueris: nos juxta voluntatem, quantum cum Deo possumus, moderabimur. Tu tamen talis repulsæ infamiam, à personâ tuâ & regno amoveas. Hæc si feceris, & si gravia quælibet à nobis petieris, quæ cum Deo præberi facultas sit; profectò consequeris: & pro te Dominum, ipso adjuvante, exorare curabimus: & de peccatis, tam tibi, quàm conjugi tuæ, sanctorum Apostolorum meritis absolutiooem & indulgentiam faciemus. Filium etiam tuum, quem ex spectabili & gloriosâ conjuge suscepisti: quem, ut audivimus, egregii Patris Willielmi vocabulo nominasti, tantâ tecum *eminentiâ confovebimus: ut qui vel te, vel illum læserit; Romanam læsisse videatur Ecclesiam. Quid super his ad honorem Dei, & Ecclesiæ gloriam exhibiturus sis; maturiùs nobis volumus responderi; interventu videlicet talium Legatorum: de quorum relationibus, nec noster debeat, nec vester auditus ambigere. Datæ Lateranis, IX. Kal. Decembris.

habetur *immi-nentia.

XXIII.
HENRICUS IN ANSELMUM GRAVIS.

Edmer. l. 3. fo. 75.

Ita tenerrima pietatis viscera Paschalis aperuit: quæ tamen obstinatum Regis pectus nec flectere, nec mollire potuerunt. Unde pergit Edmerus. *Nos unà cum Willielmo Placentinos fines deserentes, protecti gratiâ Dei, sani & incolumes Lugdunum usque pervenimus; acturi illic festum quod instabat Dominicæ Nativitatis. Sed cum Willielmus festinaret, nec nobiscum Lugdunum divertere vellet, separando se à Patris Comitatu, dixit ei. Putabam Romæ causam nostram alio eventu processuram: & idcirco distuli ea quæ Rex Dominus meus, tibi dicenda mandavit, hucusque propalare. Nunc autem, quia citato gressu ad eum redire dispono; quæ mandat, ulteriùs abscondere nolo. Dicit, quia si sic ad eum redieris, ut talem te illi per omnia facias, quales Antecessoribus suis, Antecessores tui, se fecisse noscuntur: tunc libenti animo tuum in Angliam reditum volet & amplectetur. Cui Pater: Ne ampliùs dices? Prudenti loquor, ait. Hac de re, nihil amplius dicto. At ille: Scio quid dicas atque intelligo. Divisi ergo in istu ab invicem; & Anselmus summo cum honore & gaudio à Venerabili Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & toto Clero susceptus, in majorem Ecclesiam ductus est. Ibiq; ut Pater, & Dominus loci ab omnibus habitus. Directis interea nuntiis, ac literis, ad Regem Angliæ, gesti negotii summam innotuit: & quid ex Willielmo, ex parte ipsius acceperit, inter alia non celavit. Quæ literæ sunt hæ.*

GUILIELMUS NUNTIAT ANSELMO, ET REDITUM INHIBET: ANSELMUS LUGDUNI MORATUR.

Suo Reverendo Domino, HENRICO Regi Anglorum: ANSELMUS Cantuariensis Archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus.

XXIV.
AD HENRICUM

QUAMVIS per Willielmum de Warelwast cognoscatis, quid Romæ fecerimus: tamen quod ad me pertinet, breviter ostendam. Romam veni: causam pro quâ veneram, Domino Papæ exposui. Respondit se nequaquam velle dissentire à statutis Antecessorum suorum. & insuper præcepit mihi, ut nullam haberem communionem cum illis qui de manu tua Investituras acceperunt Ecclesiarum, post hujus prohibitionis notitiam: nisi pœnitentiam agerent: & sine spe recuperationis, quod acceperant, desererent. Itaque cum Episcopis non agerem, qui tales cõsecrarent; nisi ad Apostolicæ Sedis judicium, se præsentarent. Horũ omniũ testis esse potest, prædictus Willielmus, si vult. Qui Willielmus, quando ab invicem discessimus, ex vestrâ parte commemorans amorem, & benignitatem, quam semper erga me habuistis, summonuit, sicut Archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem, quatenus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum, sicut fuit Antecessor meus, cum Patre vestro: & vos me eodem hooore & libertate tractaretis, quâ Pater vester Antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi; quia nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem & benignitate gratias ago. Ut autem ita sim vobiscum, sicut Antecessor meus fuit, cùm Patre vestro, facere non possum: quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra Investituras Ecclesiarum, propter prædictam prohibitionem, me audiente factam, audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem; utrum sic quemadmodum dixi, possim in pace vestrâ, & officii mei potestate, redire in Angliam. Paratus enim sum, & vobis, & populo, divinâ mihi dispositione commisso, officii mei servitium, pro viribus & scientiâ meâ, servatâ regulari obedientiâ, fideliter exhibere. Quod si vobis nón placuerit; puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro; ut vos per omnia regnetis in gratia ejus.

REGEM SCRIBIT.

ERGÓNE LANFRANCUS HOMAGIUM L. GULIELMO FECERAT?

XXV.

Scriptis his literis, & ad Regem missis, Anselmus Lugduni mansit, reditum nuntii, & Henrici responsum præstolatus. quod quia sequenti tantum anno datum, de eo ibi agendum. Interim Anselmus cum Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, eodem sub tecto, familiariter conversatus, plurima sanctitatis & doctrinæ argumenta dedit. Cæterùm quod eò diverterit, nota Hugonis charitas, & datæ nuper ab eo literæ, effecere. Enimvero cum è Jerosolymitanâ peregrinatione Hugo rediisset, accepissetque multorum relatione procellas, quibus Anselmus & Anglorum Ecclesia jactabatur, officiosissimis literis ad Anselmum datis, hoc modo ad notum sibi hospitium invitat.

Desideratissimo Patri suo ANSELMO, Venerabili Cantuariensi Archiepiscopo: HUGO Lugdunensis Ecclesiæ servus, Salutem.

Anselm. l. 3. Epistolarum Epistola 64.

SANCTITATI vestræ notum esse volumus, meritis & intercessionibus vestris, id obtinentibus, nos Hierosolymis incolumes rediisse. Quod vobis idcirco notificare dignum duximus; quoniam id vobis non ingratum fore duximus. Audivimus autem à Rege Anglorum

HUGONIS LUGDUNENSIS LITERÆ ANSELMUM LU-

[margin: …GNUNUM INVITANT.]

„ vos nimium inquietari : & multa contra Deum, „ ejusque Ecclesiam, ab eo, inconsultè agi. unde „ divinam nos oportet implorare clementiam, „ ut inimicos vestros, sanctæ Dei Ecclesiæ per- „ turbatores convertat, & vestræ sanctæ obe- „ dientiæ subjiciat. Quod si peccatis nostris exi- „ gentibus, id ad præsens fieri non poterit : & „ persecutione ingruente vos cedere, aut etiam „ locum mutare necesse fuerit, sanctitatem ve- „ stram summissis precibus exoramus ; ut ad „ puerum vestrum declinare non dedignemini : „ & ad domum vestram quæ vestra fuit, & quæ „ modo vestra est : & de die in diem semper me- „ lius vestra erit. Quod non solùm nos, sed & „ commissa nobis Ecclesia humiliter implorat : „ quæ sanctissimis orationibus vestris nobiscum „ se devotissimè commendat : & ad obsequium „ vestrum promptissima faciem vestram videre „ desiderat. Præsentium gerulum, Heredum „ nomine, vobis commendamus : qui ab Apu- „ liâ, usque ad Lugdunum nobiscum veniens, „ fideliter nobis servivit.

XXVI. ALEXII PERFIDIA IN CHRISTIANOS.

Ita scripsit Hugo, qui superiore anno, ab expeditione Jerosolymitanâ rediit. illâ nimirum, quam anno primo bujus sæculi, ingenti numero ex Occidente collecto, susceptam, Alexius Imperator, impiè Christianæ fidei hostibus prodidit. Vir cætera laudandus : sed (quod politicorum cacoethes est) Gallorum successibus invidens, & eorum prospera obliquis oculis intuitus, Orientali imperio timebat. Unde Turcis Christianorum exercitum, licet Christianus ipse, victimam fecit. De hac Christianorum contumeliâ, & Imperatoris perfidiâ, tractat Matthæus noster Parisiensis, ad hunc annum : sed multò fusiùs, qui cladi interfuit, Conradus Abbas Urspergensis, quem vide apud Baronium. Evasit periculum Hugo Archiepiscopus, & Lugdunum ex Oriente reversus, has Anselmo, suo quondam hospiti literas dictavit, amicè illum ad notum sibi hospitium invitans. Annuit Anselmus, ex Urbe redux. & *paucis de suis secum retentis* (loquitur Edmerus) *Lugduni resedit in summâ pace, & quiete, propriam prædicti Pontificis domum inhabitando : nuntios suos expectans : & ne ad horam quidem ab iis, quæ Dei sunt, verbo se, vel actu elongans.*

[margin: V. Baron. an. 1101.] [margin: Edmer. l. 3. fo. 76.]

XXVII. QUINAM ROMAM CUM ANSELMO IVERINT? V. an. 1102. n. 4.

Omisit hic Author, quod alii addunt. Cum Anselmo Romam plures ex Angliâ profectos ; nimirum Guilelmum Wintoniensis Ecclesiæ electum Antistitem, quem nuper Henricus Rex ex Insulâ ejectum proscripserat : & Abbates duos, Richardum Eliensem, & Aldwinum Ramseiensem : quos anno superiore Londinensis Synodus exauthoravit : quosque Paschalis Papa, loco dignitatique restituit, Anselmo pro illis supplicante. Unde oscitanter aliquis parenthesim intrusit in illum Matthæi Parisiensis locum ubi legitur. *Anselmus Archiepiscopus, pro Episcopis & Abbatibus degradatis, multâ precum instantiâ, Dominum Papam rogare cœpit ; ut cum illis misericorditer dispensaret : ut possint amissas recipere dignitates. Tunc sedes clementissima, quæ nulli deesse consuevit (dummodo albi aliquid vel rubei intercedat) præscriptos Pontifices & Abbates ad pristinas dignitates misericorditer revocavit, & cum gaudio ad proprias sedes remisit.* Oscitanter, inquam, & inaccuratè hic aliqua dicuntur. Imprimis quod de degradatis Episcopis, & ad suas sedes remissis asseritur, commentum est. Nemo enim degradatus, nemo remissus est. Wintoniensem electum Matthæus priùs solum nominarat. qui necdum consecratus, nihil peccarat. Abbates ergo soli degradati, soli remissi sunt ; non auro, aut argento : sed multâ precum instantiâ : idque à clementissima sede misericorditer. Et quis sanæ mentis cerebrique credet ; Paschalem, qui Henricum Imperatorem, qui Philippum Gallorum & Henricum Anglorum Reges, Ecclesiæ jura invadentes, & Canonum statuta violantes persecutus est : in eosdem Canones tam immanè peccasse, & Londinensis Synodi sententiam, pecuniæ cupiditate enervasse ? Hactenus hujus anni Ecclesiastica.

[margin: Paris hic. ABBATES EXAUCTORATI RESTITUUNTUR.]

XXVIII. ROBERTUS NORMANNIÆ DUX IN ANGLIAM VENIT. Hov. ed. hic fo. 472. * V. an. 1101. n. 4.

Ad alia quod spectat : duo tantum in Annalibus adnotantur. Roberti Normannorum Ducis in Angliam adventus : & cæli terræque miranda intemperies. utrumque breviter perstringit Hovedenus, ita : *Robertus Comes Normanniæ venit in Angliam, loqui cum Rege, fratre suo. Et antequam redisset de Angliâ perdonavit ter mille marcas argenti, quas Rex sibi, omni * anno per conventionem debuit. In provinciâ etiam quæ vocatur Baruchsire, in loco qui dicitur Hamstede, visus est à multis sanguis affluere de terrâ. Eodem anno tertio Idus Augusti, magna intemperies venti facta est ; quæ tantum damnum fecit fructibus terræ per Angliam ; quantum nunquam viderunt retro actis temporibus qui tunc vixerunt.*

XXIX. MORITUR OSBERNUS EXONIEN. EPISCOPUS. * V. an. 1072. n. 14. Malmesb. de Pontif. l. 2.

Concludat hunc annum, Osberni Exoniensis Episcopi mors : qui anno millesimo septuagesimo secundo factus Episcopus (ut dictum * ibi) ad hunc annum, nec ultra superfuit. De illo sic scribit Malmesburiensis. *Successit Leofrico Osbernus, Regis Guilelmi tempore, natione Normannus, frater præcellentissimi Comitis, in Angliâ sub Edwardo Rege liberaliter & domesticè conversatus : quippe qui cognationem Regiam vicino attingeret gradu. Unde in victualibus & cæteris rebus, ad Anglicos mores pronior, parùm Normannorum pompam suspiciebat. Consuetudines Domini sui Edwardi efferens : & cum per alios exhiberentur, cum assidentibus manu & gestu adgaudens. Ita pro more Antiquorum Præsulum, veteribus contentus ædificiis, liberalis animo, & castus habebatur corpore. Vixit ad quartum annum Regis Henrici. Imminente senio, non paucis annis lumine captus.* Ita ille. Dum oculorum vitio laborat, tunc opinor Exoniensis Ecclesiæ Clerus, in Monachos insolentior, negotium illis adeo facessivit : ut querimoniâ ad Anselmum delatâ coegerit illum ad Osbernum scribere, & molestias deprecari. quod factum hoc modo.

ANSELMUS Dei dispositione vocatus Archiepiscopus Cantuariensis, Reverendo Episcopo Exoniensi OSBERNO, Salutem.

[margin: Inter Epistolas Anselm. l. 3. Ep. 22.]

XXX. ANSELMI LITERÆ AD OSBERNUM EXONIENSEM.

„ EPISCOPALEM decet dignitatem, quoscumque potest ad servitium Dei invitare : & „ volentes Deo servire, quibus valet, consulen- „ do, & adjuvando confortare. Hac igitur fi- „ duciâ Reverentiam vestram obsecro, ut Mo- „ nachos de Monasterio, quod vulgò dicitur, de „ Batailla, in vestrâ civitate morantes ; propter „ Deum, & propter nostrum, si quid ad hoc va- „ lere potest, amorem, paternâ & Episcopali „ pietate adjuvetis : & ab omnibus adversariis, „ pro possibilitate vestrâ (sicut vos decet) de- „ fendatis : quatenus si quid boni, Deus per illos

„ operari dignabitur; cum illis à Deo retributionem recipiatis. Audivi enim quod quidam de Clericis vestris fecerunt illis quædam, quæ fieri non oportuit. Unde precor, ut prædictis Monachis eam jubeatis fieri satisfactionem; ut deinceps justè conqueri non possint, de Clericorum vestrorum indiscretione. Eosdem quoque Clericos fraternâ charitate, & paternâ fiduciâ precando moneo: quatenus sic se habeant, erga eosdem fratres; ut ipsâ charitatis exhibitione, & benignâ familiaritate probent sibi placere profectum illorum, & studium ad serviendum Deo. Quod autem prohibetis eos pulsare signa sua secundùm ordinem suum, nusquam rectè solet fieri: nisi ubi Monachi in majori Ecclesiâ civitatis deserviunt. Ubi enim Canonici in majori Ecclesiâ, ad serviendum Deo sunt constituti; unusquisque ordo, Canonicorum scilicet & Monachorum, secundùm opportunitatem servitii sibi injuncti, tardant vel festinant signa pulsare, absque omni rectâ prohibitiooe. Quapropter ratione ipsâ commoniti; eos signa sua, secundùm ordinem suum pulsare deinceps prohibere ne velitis. Hoc quoque petunt ipsi fratres; & ego cum illis, & pro illis. ut si quando in aliquo conventu populi, auxilium postulare volunt, ad Ecclesiæ suæ constructionem, nullatenus prohibeantur. Valete.

Monachi conventuales pulsant, ubi non sunt Cathedrales.

XXXI. De Monachis Exoniensibus.

Monachi quorum hîc mentio, colonia fuerunt illius Monasterii, quod Guilielmus Primus in Sussexiensi agro fundavit, & à bello, quo Angliæ regnum adquisierat, nuncupavit. Inde ergo translati Monachi, Cellam sibi struxerant in urbe Exoniensi: quam ejusdem Primi Guilielmi munificentia dotaverat, ut habet Catalogus ædium destructarum, apud Spedum. Ubi etiam mentio est Ecclesiæ in Sancti Nicolai honorem ibidem erectæ, cujus constructionem Anselmus suis literis promovere, & Osberni pietatem studuit acuere. quo Monachi à Clericorum injuriis tuti, suo munere fungerentur. Quod Osbernum fecisse credendum, cum passim à Monachis commendetur. Quis illi in Exoniensi Sede successerit, dicam anno millesimo centesimo septimo. nam hoc turbido Anglicanæ Ecclesiæ statu, Anselmo exulante, & Paschali Regiam Investituram prohibente, nec Henricus Infulas dispensare, nec alii à Rege illas accipere festinant. Quod etiam videre est in Britannorum Ecclesiis. ubi mortuo sub hunc annum Herewaldo, Landavensi Episcopo, nullus substituitur, ante annum Christi millesimum centesimum septimum. ut dicam ibi n. 9.

V. an. 1107. n. 9.

ANNUS CHRISTI 1104.

PASCHALIS II. PAPÆ 6.

HENRICI PRIMI REGIS 5.

I. Annus Anglorum Ecclesiæ funestus.

SEquitur Christi annus millesimus centesimus quartus, Anglicanæ Ecclesiæ, Cantuariensi imprimis, è sceptri, & Sacerdotii novâ discordiâ funestus: quando Anselmus ex Urbe in Galliam reversus, portò in Angliam pergere, Regis injussu non potuit. Et Rex in asserendo Investiturarum jure pertinax, reditum oon concessit. Dictum suprà, quid Guilielmus Orator Regis, & Henrici mentis interpres, Anselmo sub discessum dixerit: quid etiam Anselmus super eo ad Regem scripserit. nunc quid inde factum, dicat Edmerus. *Igitur ubi Willielmus Angliam pervenit, & gesti negotii seriem Henrico Regi exposuit: Rex illicò omnes reditus Archiepiscopatus in suos usus redigi præcepit. Cura tamen ipsorum redituum colligendorum duobus hominibus Archiepiscopi, ab ipso Rege delegata est; ea videlicet, (ut ab re credere non est) consideratione, eâ pietate, ut tantò diligentiùs aliis hominibus, & rebus ipsius Domini sui studium impenderent, ne vexarentur, nè opprimerentur, ne diriperentur: quantò majori fide ac Sacramento, eos illi astrictos fuisse cognoscebatur. Verùm sive obtemperatum tam consideratæ pietati, & piæ considerationi sit ab illis; sive non sit; dum non multum mea interfit, vanè scribendi operam insumerem. Veniet namque Dominus, tenebrarum abscondita illuminaturus, & singulorum meritis, æquâ lance sua præmia retributurus.* Ita ille.

Edmer l. 4. fo 76.

Henricus invadit bona Cantuariensis Ecclesiæ.

II. Exul Anselmus, et quamdiu Lugduni.

Mansit ergo Anselmus in suo Lugdunensi exilio hunc annum integrum & menses præterea aliquot, cum magno Cantuariensis Ecclesiæ luctu, & piorum suspiriis, suum Præsulem, Primatem suum poscentium. Sed durus Rex, omnium vota desideriaque frustratus, quæsivit excusationes in peccatis: & Ecclesiarum bonis inhians; qui morbus Regius hac tempestate dici potest; Cantuariensis Ecclesiæ prædia invasit: nec Principum etiam virorum intercessione, ab injuriâ quievit. Unde Matthæus Westmonasteriensis ad hunc annum: *Rex Henricus* (inquit) *Anselmi viri justi substantiam, & possessiones confiscari præcepit. Nec eum potuit ratio, vel Regis Scotiæ, vel Reginæ intercessio cohibere.* Mathildem intelligit Anglorum Reginam, lectissimam fœminam, & Anselmo studiosissimam. quæ cum Henricum ad suâ vota flectere, nullâ ratione potuisset: infimis precibus Anselmum aggreditur: scriptisque literis, pietate plenissimis, reditum suadet; orat, obsecrat, consoletur suâ præsentiâ lugentes filios; si noo omnes, se saltem, mœrore confectam. Quod meliùs in literis exprimitur, quæ tales sunt.

Westmon. hic.

Domino verè summo, & Patri Anselmo, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo: Mathildis Regina Anglorum. Humilis ancilla ejus, summæ devotionis & servitutis obsequium.

Lib 3. Epistolarum Ep 93.

III. Mathildis Reginæ ad Anselmum Literæ.

„ COnvertere Domine sancte, Pater misericors planctum meum in gaudium mihi, & circunda me lætitiâ. Ecce Domine, humilis ancilla tua, misericordiæ suæ genibus devoluta, supplices ad te manus tendens, consuetæ postulat benignitatis affectum. Veni Domine, veni & visita servam tuam. Veni, inquam, Pater, & gemitus leni, lacrymas absterge, dolores mitiga, luctus tolle: imple desiderium meum, vota secunda. At, inquies, lege prohibeor, & quarundam necessitatum vinculis teotus, seniorum decreta transgredi non præsumo. Quid igitur Pater est, quod doctor ille gentium vas electionis, cum totus in Legis evacuatione sudaret: nunquid non in templo, nè scandalum esset his qui ex

» circumcisione crediderant, hostias immolavit? Nunquid qui circumcisionem damnavit, Timotheum ipse, ut omnibus omnia fieret, circumcidit? Quid ergo faciet misericordiæ filius, discipulus ejus, qui ut servos redimeret, ipse in mortem se obtulit. Vides, ecce vides fratres tuos, conservos tuos, populum Domini tui naufragia sustinentem, jam labentem in ulomis; nec succurris, nec porrigis dextram, nec objectas te discrimini. Nónne optabat Apostolus anathema esse à Christo pro fratribus suis?

IV. » Flecte itaque, bone Domine, pie Pater severitatem hanc, & ferreum tua pace dixerim pectus emolli. Veni & visita plebem tuam; & inter eos ancillam tuam, totis ad te visceribus anhelantem. Inveni viam, quâ nec tu Pastor, qui præcedis, offendas: nec Regiæ majestatis jura solvantur. Quod si hæc simul constare non valeant: veniat saltem, veniat ad filiam Pater, ad ancillam Dominus; & doceat eam, quid agere deceat. Ingrediatur ad eam, antequam egrediatur de mundo. Si enim antequam moriar, mihi te non videre contigerit; improbè loquar, timeo ne mihi etiam in illa terra viventium, & lætantium, omnis exultandi præcidatur occasio. Tu siquidem es gaudium meum, spes mea, refugium meum. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Unde & expandi ad te manus meas; ut ariditatem ejus, exultationis oleo perfundas, & dulcedinis ingenitæ rore riges. Si autem nec te fletus mei, nec publica vota solicitant: postpositâ regiâ dignitate, relictis insignibus deponam fasces, diadema contemnam, purpuram byssumque calcabo, & vadam ad te mœrore confecta: amplectar vestigia tua, pedes exosculabor: nec amovebit me, si veniet Giezi, nisi cum desiderii mei summa complebitur. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat cor tuum, & intelligentiam tuam, & faciat misericordiæ visceribus abundare. Hactenus Regina.

V. Varii sensus de Anselmi absentia. Alii etiam Anselmi absentiam ægrè ferentes, questibus omnia impleverunt: nec defuerunt, qui suo sensu rem metientes, Episcopi constantiam damnaverunt. Unde ipse Apologiam pro se scribere, & facti rationem reddere, coactus est. quod Cantuariensis Ecclesiæ Priori, per literas fecit, in hunc modum.

Lib. 3. Epistola um Epistola 93.

Literæ Anselmi ad Ernulfum Priorem.

Anselmus Archiepiscopus, Reverendo & charissimo Fratri, Domino Priori Ernulfo: Salutem & gratiam Dei.

» Quod vos, & amici nostri doletis; quia rediens Roma, in Angliam non veni; hoc facit dilectio. Sed quod pastoralem curam, sine ullâ ratione relinquere videor: non hoc æstimant sapientes religiosi, quibus rem ostendu, neque ego intelligo. Non enim ego eam, quantum in me est, relinquo: sed ibi, ubi eam me exercere oporteret, conversari: sicut vos si diligenter intenditis, cognoscere potestis; nequeo. Audistis enim, quibus ex præcepto Apostoli communicare non possim, sine animæ meæ periculo: quorum communionem, Regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo. Hic consideret aliquis, quid facere possim, cum venio ad Regem coronandum, & Missam celebrabo, & ipsi circa me erunt? Certè illos expellere nequeo: cum illis orare non audeo, Regi subtrahere debitum officium non debeo, quoniam Dominus Papa, & illi concedit, & mihi;* ut faciam si præsens sum, præcepit. Si mihi præcipit, ut domi maneam, ad Curiam non eam: & sic me alia bona officii mei faciens à communione malorum abstineam; conquereretur Rex cum omnibus Episcopis, & Principibus suis; quia cum illum coronare nolo, aufero ei coronæ suæ honorem; quem ei Primas regni sui debet per consuetudinem. Unde justum illis videbitur, & opere complebunt, ut dignitas Ecclesiæ nostræ ad aliam Ecclesiam transferatur. Quod cum fiat me vivente in regno, neque per me, aut per alium prohibere potero, confirmabitur Ecclesiæ nostræ intolerabilis imminutio.

Rationes cur in Angliam venire non possit.

* Videtur aliquid deesse.

VI. » Quod autem dicunt, quod non oportuerit eum, pro uno verbo fugere; qui suum sanguinem pro ovibus suis, & pro Ecclesiâ Dei debuerit effundere; Dico quia non est parvi pendendum illud verbum, in quo tam gravia mala continentur, quia jam dixi, in quæ sine periculo animæ meæ, & sine detrimento Ecclesiæ mihi commissæ, nullatenus me possum ingerere. Denique non timeo sanguinis effusionem, aut quamlibet corporis mei destructionem, aut rerum amissionem. Quæ si personæ meæ evenirent, libenter paterer, propter veritatis assertionem. At nihil horum super me cadet: sed Ecclesiam nostram & homines ad eam pertinentes, si in Angliâ cum Rege contenderem, gravis oppressio frustra contereret: & multitudo vexatorum ad culpam meam, ærumnas suas me execrando, converteret. Melius itaque mihi videtur; ut me absente quælibet tribulatio, si vitari nequit, in Angliâ debacchetur; quàm per meam præsentiam, & tolerantiam, quælibet prava consuetudo in futurum confirmetur: aut multitudo hominum, me aspiciente, propter me, tribulationem se pati lamententur. Si objicitur, quod majus est damnum animarum, quod cognoscitur, propter meam absentiam; quàm malum temporale, quod contingeret per meam præsentiam. & ideo istud propter illud esset contemnendum. Jam dixi, quia si super me venerit, inconcussam servarem patientiam. Verùm quoniam non debemus facere mala, ut veniant bona: non debeo attrahere super me quoslibet innocentes, quælibet mala, ut animabus aliorum eveniant bona. Dixi utique in præterito anno, cum me minarentur expellere: quia nollem exire, propter injunctam mihi curam, & obedientiam. Sed & hoc dicebam, propter illos, qui hoc minabantur: ne pro solis verbis illorum exirem: non propter aliquam utiliter manendi fiduciam. mox enim, ut discordia, & contentio inter Regem & me appareret pariter, & mala corporalia fervèrent, & bona spiritualia penitùs *frigerent.

* Videtur aliquid deesse.

VII. » Quod imponitur mihi: quia quasi astutè infamaverim Regem, & regnum ejus, & Episcopum Lincolniensem; non per me manifestè: sed latenter per Monachos nostros: certè

falsum

,, falsum est; quia nullus homo à me, ad hoc monitus est. Sed nec ipsi fratres nostri, Dinerus & Alexander, qui maximè de hoc accusantur; ita, sicut de eis dicitur, cognoscunt esse: & vos scitis; quia delatores, parvis magna addentes, mendaces solent esse. Denique antequam nos veniremus Romam, multa dicebantur de Angliâ intra Romam, & extra Romam. In his omnibus, neque per me, neque per sapientiores me, meliori possum uti consilio; quàm dispositionem Dei expectare: & rem ejus commitere judicio. Hoc autem scitote; quia voluntas mea est; ut adjuvante Deo nullius mortalis homo fiam: nec per Sacramentum, fidem alicui promittam. Consilium nostrum petitis, quid agere debeatis inter eos & cum eis, quorum communionem mihi Dominus Papa interdixit. Quæ res ita dubia est; ut minùs difficile sit non communicare eis quibus Rex communicat: præsertim cum mihi soli Romæ, à Papa, ista interdicta sit communio: nec audeo præcipere, ut illis communicetis, quibus ego non communico: sed si ita permanseritis, sicut vos dimisi, nequaquam vos reprehendo. non enim potestis à toto regno discordare: nec participes estis eorum malitiæ. Si quis à vobis petierit, quod honestatem, & religionem non deceat: præmeditati estote; nè aut minæ, aut blanditiæ, aut aliqua astutia persuadeant vobis aliquid, unde vos postea pœniteat. Consilium, & curam fratrum, quicquid contingat propter Deum, & charitatem proximi, nolite deserere; nisi vos violentia de Ecclesia expulerit. Si ingruerint adversitates & tribulationes; tunc fortiores estote: & in tentatione fratribus vestris nolite deficere. Si quis exegerit ab aliquo Monacho Ecclesiæ vestræ Sacramentum, aut fidei alligationem, aut pactum aliquod, quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus obedientiam; considerate, & in quantum possibile est, & in quantum scitis, avertite malitiam. Quicquid futurum sit, Dei tuitioni vos, & omnes fratres nostros, cum omnibus quæ ad Ecclesiam nostram pertinent, commendo.

VIII. Dum hæc ab Anselmo scribuntur, & geruntur, Guilielmus Orator Regius, Anselmi literas Henrico porrexerat, Archiepiscopi mentis consiliique interpretes. nam duo constanter scripserat: nec se homagium Regi Sacramento confirmaturum: nec ullum cum Episcopis, qui nuper investiti à Rege fuerunt, societatis commercium habiturum. Quæ cum Rex in literis accepisset; literas ad Anselmum dat amoris fuco magis, quàm amicitiæ veritate, compositas. De quibus ita Edmerus, qui cum Anselmo Lugduni consederat. *Evoluto posthac aliquanto tempore, venit ad nos unus ex Monachis Cantuariensibus, nomine Everardus, deferens Anselmo literas Regis. In quibus idem Rex plane testabatur, se eorum, quæ VVillelmus dixerat, discedens ab Anselmo, authorem esse: hoc est, ut Anselmus, Angliam non repedaret: nisi omnes Patris, ac Fratris sui consuetudines, se illi servaturum, primò promitteret. Quod dum Anselmus facere noluit: suis spoliatus Lugduni remansit, degens circa sæpe nominatum Venerabilem Hugonem ipsius civitatis Antistitem, anno integro & mensibus quatuor.* Ita ille: Henrici literas silentio premens. Sed quia & illæ Annalibus dignæ sunt, accipe eas ex Anselmi Epistolarum libro tertio. ubi sic inscribuntur.

Edmer. l. 4. fo. 76.

EVERARDUS MONACHUS CANTUARIENSIS VENIT AD ANSELMUM, TESTATUS REGEM AUTHOREM ...BORUM, QUÆ DIXERAT ANSELMO GUILIELMUS.

HENRICUS Rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi Archiepiscopo, Salutem & amicitiam.

IX. *Episto. l. 3. Ep. 94.* HENRICI REGIS LITERÆ AD ANSELMUM.

,, MANDASTI mihi, quod ad me venire non poteras: nec mecum esse; sicut Lanfrancus Antecessor tuus, cum Patre meo, multis annis fuit. Unde valde doleo, quod facere non vis: quia si facere voluisses, libenter te susciperem: & omnes illos honores, & dignitates, & amicitias; quas Pater meus Antecessori tuo fecit; tibi fecissem. Dominus verò Apostolicus mandavit mihi literis suis, preces, & admonitiones, super quibusdam rebus. Quapropter volo Legatos meos Romam mittere: & consilio Dei & Baronum meorum, Domino Papæ inde respondere: & hoc requirere, quod mihi requirendum est. Et accepto responso à Papa, mandabo tibi hoc quod Deus mihi annuerit. Interim autem consentiam; quod tu de beneficio Cantuarien. Ecclesiæ convenienter habeas, quamvis hoc invitus facio; quoniam nullum mortalem hominem, in regno meo libentiùs mecum, quàm te habere voluissem; nisi in te remansisset. Teste Roberto Episcopo Lincolniensi, & Willielmo.

Vidit Anselmus hisce literis, de novo moras necti. & nova quæri diverticula ad excusandas excusationes in peccatis. Quare verborum illecebras declinans & explicans, ita Regi rescribit.

HENRICO Dei gratia Regi Anglorum & Domino suo, ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis, fidele servitium, & orationes.

Ansel. Epistolarum l. 3. Ep. 95.

X. ANSELMI LITERÆ, ET RESPONSUM AD HENRICUM.

,, IN literis vestræ Celsitudinis, quas nuper accepi, mandavit mihi vestra dignatio amicitiam: & quia nullum mortalem hominem in regno vestro libentiùs habere, quàm me velletis; si ego vellem ita vobiscum esse, sicut Lanfrancus Archiepiscopus fuit, cum Patre vestro. De amicitiâ & bona voluntate gratias ago. Ad hoc quod dicitis de Patre vestro, & Archiepiscopo Lanfranco, Respondeo, quia neque in Baptismo, neque in aliquâ ordinatione meâ, promisi me servaturum legem vel consuetudinem Patris vestri, aut Lanfranci Archiepiscopi: sed legem Dei, & omnium ordinum quos suscepi. Quapropter si vultis me sic esse vobiscum; ut possim vivere secundùm Legem Dei, & ordinem meum: & si me revestitis, secundùm eandem Legem Dei, de omnibus rebus, quas de Archiepiscopatu meo accepistis; postquam à vobis: * quas si præsens essem, non deberetis, me nolente accipere: & hoc mihi promittitis: paratus sum redire ad vos in Angliam, & servire Deo, & vobis, & omnibus mihi commissis, secundùm officium mihi à Deo injunctum, ipso adjuvante. Siquidem, cum nullo alio Rege, aut Principe mortali, volo tam libenter esse, aut ei servire. Si autem hoc nequaquam suscipitis, vos facietis, quod vobis placebit. Ego verò, Deo annuente, non abnegabo legem ejus. Et non audeo, quia

** deest discessi vel aliquid simile.*

oou debeo, taeere vobis; quia oon solum requiret Deus à vubis, quod debet illi Regia potestas; sed quicquid pertinet ad Primatis Angliæ ministerium. Quod onus minus est vobis importabile: nec vobis debet displicere, quod dicam, Nulli hominum magis expedit, quam Regi, se subdere Legi Dei: & nullus periculosiùs se subtrahet à lege ejus. Dicit enim sacra Scriptura, non ego: Potentes potenter tormenta patientur: & fortioribus fortior instat cruciatus. quod Deus à vobis avertat. In responso vestro, quod mihi jam bis fecistis, nihil intelligo, nisi quandam, si audeo dicere, quæ nec animæ vestræ, nec Ecclesiæ Dei expedit, dilationem. Si ergo ad hæc respondere, vestræ voluntatis certitudinem diutius differtis: Ego, quia causa non est mea, sed Dei, mihi ab ipso commendata, timeo diu differre, clamorem ad Deum facere. Quapropter precor, obsecro, ne me cogatis dolentem & invitum clamare: Exurge Deus judica causam meam. Omnipotens Deus citu convertat cor vestrum ad voluntatem suam: & post hanc vitam introducat vos in gloriam suam.

XI. Ita precatus Antistes, cum durum ubique Regem, & nihilo meliorem sensisset, statuit potentioribus armis, in eum agere, qui lenioribus curari non poterat. Interim malorum in Angliâ Oceanus, è Primatis absentiâ, inundabat; & qui tempestate illâ jactabantur, cum mentem manusque io cælum sustulissent, divinæ misericordiæ opem implorantes; ad Anselmum coam preces porrexere: quibus miserum Insulæ statum, tristem Ecclesiarum faciem, & utriusque Reip. calamitatem explicant. Hos inter unus, qui nominari noluit, literas in hunc modum dedit.

Domino Venerabili, & sancto Patri ANSELMO, Cantuariensi Archiepiscopo: illius devotissimus, & omnis familiæ Domini famulus: in Domino salutem.

XII. *Apud Edmerum l. 4. fo. 77.* LITERÆ EXPLICANTES MISERUM INSULÆ STATUM EX ABSENTIA ANSELMI.

CONSIDERATA loci nostri, & sensus inopiâ, meritò decrevisse potuerim, Pater sancte, ne verbis simplicioris ingenii semel vel iterum impedirem studium sanctæ menos tuæ, in qou religionis insigne refulget; & quidam splendet veritatis comes nitor sapientiæ. Attamen extollit me, etiam supra me, tranquilla & beata gratia opinionis tuæ, quatenus obi qualiscumque est, dirigatur sermo noster: non ut te doceam, qui vix humanâ indiges doctrinâ: sed ut tecum nostrum & tuum reminiscar dolorem. In cujus oostri sermonis exordio, eo pacto convenire postulo, cum reverentia tua; ut liceat mihi interim vendicare dulciores partes, piè objurgantis, non amaras fraudes adulantis. Sanctitatem quippe tuam nosse velim, quod animos nostros; quorum in te affectus idem est; immoderatior tristitia absorbeat, de absentiâ tuâ: qui, ni fallor utilior adesses periculo nostro, ut saltem te consortem filiorum discriminis exhiberes, quàm nostræ qoodammodo, & Ecclesiæ oblitus injuriæ, absens permittas nos turbari ab hostibus impuris & crudelibus: qui nec pudicitiæ parcant, nec saluti. Ego planè te, Pater sancte, eo ipso infelicem arbitror. nam qui eras sanctæ spei fiducia in tuos; si nunc urgeri Angliam tam inopinato hoste pigeret; quantum ingemisceres, quantum affectares succurrere, vel subire nobiscum nova acerbitatum genera. Sponte tuâ, nullo penitùs cogente, ereptus es periculis nostris; fortasse ne sentires, quæ nos perpeti, & quod gravius est, spectare cogimur. sublimari ad sacros ordines quosdam de Curialibus, quibus nec Canonica electio, nec justitia consenot. Quoniam dubium non est, si eosdem verus Ecclesiæ ostiarius, qui Christus est, in sacra jura admitteret; neque posse perpetrari quæ quotidie cernimus in provinciâ nostrâ, Principum injustam & immitem tyrannidem, rapinas pauperum, damna Ecclesiarum, adeo ut locus corporis & sanguinis Domini libertatem amittat: gemere viduas, flere senes incommoda sua, eo quod eripiatur eis satis angusta, quam vix merentur, victus sui portio. Rapi virgines, & illicito incestari concubitu. Quodque omnium primum malum est, ad decus honestatis nostræ, Sacerdotes uxores ducere. & exceptis his, alia per plura flagitia, quæ nefas est, vel impossibile meminisse, aut retulisse.

Quod si Ecclesiasticæ dispensationis regulam, & antiquæ consuetudinis ordinem, sollicitâ studuisses consideratione pensare: nec tibi exulandi aliqua causa surriperet: uec alii occasione tuæ absentiæ, tam grave discrimen incurrerent. Itáne putas inimicorum Dei contumaciam inflectere, qui nec Deo crederent; oec veritati; nisi ioviti locum præberent. Quâ verò ratione, Paternitas tua ad hoc aspiret ignoro. Qui enim regendam navim suscepit, tantò ampliùs necesse est vigilet, quantò ampliùs procellas timet. Sed tunc fortassis pro solâ voluntate invidentium fugisse pudebit, cum videris ante tribunal Christi ducentes choros animarum illos fortissimos divini gregis arietes; quibus nec lupus nocuit, oec alicujus terror in fugam vertit. Quàm beata erit tunc memoria inter cæteros illius Sanctissimi Patris nostri Ambrosii; qui sicut narrat Ecclesiastica historia; non erubuit Theodosio Imperatori in faciem restitisse; & pro reatu suo limina Ecclesiæ illi denegasse. Quid non impetraret talis affectus, & tanta constantia? Etiam, Pater sancte, si quispiam incarceratum & afflictum evisceraret, hoc modo recessisse non debueras: quanto magis cum nihil horum expertus fueris: nec sedes tua tibi negata sit; sed pro uno verbo cujusdam Willielmi fugere decrevisti; & relicto hoste, dilacerandas impiis oves tuas dimisisti. Pudet ergo, quod evenit, recolere: quoniam omnes illi, vel penè omnes, quos Ecclesiarum præsens ærumna expectabat, ad suæ necessitatis solatium, occasione timoris acceptâ, magis elegerunt tecum succumbere, quàm frustra sine te resistere. Quid enim facerent, quibus Pater deerat, & quibus Caput non suppetebat. Proinde admonenda est sanctitas tua, non erudienda, ut matures adventum, sanctæ Matris Ecclesiæ depellas opprobrium, & adversus hostes nostros, jam pectoralibus insistentes, festinum prætendentes auxilium. Licet adhuc morbum ejicere, dum in superficie vulnus videtur apertum. Scio oamque, si ad sedem tuam redire velis, XIII

„ in promptu multos, ut aiunt, reperies, qui tecum partes Dei viriliter defendant. nisi enervaverit eos tuæ Paternitatis defectus. Si Angliam, uti audivimus suspendere vel excommunicare volueris, quid ego, Fratresque nostri faciemus, qui semper tibi obedire præstò fuimus, remandare quæso digneris. Vale.

XIV. Ad excommunicationem aut suspensionem quod attinet, præsertim totius Angliæ; non legimus aliquid ab Anselmo tentatũ, aut intentatum. Verùm ex utroque ordine, Clericorum, :nquam, & Laicorum aliquos, ab Ecclesiæ liminibus, & Sacramentorum communione semotos esse, Paschali Papa sententiam dictante, constat. E laicorum ordine, Comes de Mellento Regiæ factionis, consiliorumque Princeps habebatur; ejus imprimis suasu, Rex pro Investiturarum jure obstinatus manserat. Hunc Romanus Pontifex, coacto Romæ consilio, ceu putridum Ecclesiæ membrum, ab Ecclesiæ corpore, ne plures inficeret, hoc ipso anno solenni cærimoniâ separavit. De quo ita Edmerus. *In secundo autem anno adventus nostri à Roma Lugdunum: ipse Papa, coacto Laterani generali Concilio, Comitem de Mellento, & complices ejus, qui Regem ad Investituræ flagitium, sicut dicebatur, impellebant: néc ne illos qui ab eo investiti fuerant, à liminibus sanctæ Ecclesiæ, judicio Sancti Spiritus repulit, & hoc ipsum per Epistolam, quam ecce supponimus Anselmo, sub celeritate innotuit.*

Comes de Mellento turbarum magnus author, aut suasor.

Edmer. l. 4. fo. 78.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili Fratri Cantuariensi Archiepiscopo, Anselmo: Salutem & Apostolicam benedictionem.

XV. „ DE illatâ tibi injuriâ, membra Ecclesiæ non modicùm patiuntur; quia sicut dicit Apostolus: Si compatitur unum membrum, compatiuntur & cætera membra. Licet enim corporali separemur præsentiâ, unum tamen in capite sumus. Tuas namque injurias ac repulsas, æquè ac nostras portamus. Illud etiam nos vehementer affligit; quod tua religio, regno sublata est Anglico. Quæ enim sunt sine pastore oves, lupus rapit, & dispergit. Idcirco de tuâ ad eos reversione, modis quibus possumus laboramus. Unde in Concilio nuper habito, ex communi Fratrum, & Coëpiscoporum sententiâ, deliberatum est: & Regis consiliarios, qui ad Investituræ flagitium, illum impellunt, & eos qui ab eo investiti sunt, ab Ecclesiæ liminibus repellendos: quia de liberâ facere conantur ancillam. Quam nimirum sententiam, nos Sancti Spiritus judicio, in Comitem de Mellento, & ejus complices promulgavimus: & eandem ipsam in eos qui sunt investiti à Rege, ejusdem Spiritus Sancti judicio confirmamus. Regis verò sententia, ea ex causa dilata est; quia suos ad nos nuntios in præteritæ Paschæ tempore debuit destinare. Datæ Lateranis VII. Kal. Aprilis.

Paschalis Literæ ad Anselmum.

Comes de Mellento excommunicatur in Concilio.

XVI. Nuntii, quorum in literis mentio, ab Henricò Romam missi sunt, cum ægrè ferret universa Insula, summum abesse Pastorem: unde in omnem ordinem & sexum ingentia mala manarunt. *Cum igitur hæc, & nonnulla his deteriora* (loquitur Edmerus) *exulante Anselmo, per Angliam fierent: & quidam, malorum magnitudine afflicti, Regi insisterent; ut ipsum, scilicet patriæ patrem, qui ea corrigeret, revocaret: ipse tam religiositate viri inductus, quam immanium malorum exuberatione, animo consternatus; fieri quidem de reditu viri, quod petebatur, se libenter velle fatebatur. Sic tamen, ut paternarum consuetudinum, nihil sibi ab eo ulterius derogari ulla ratione pateretur. Unde nobis adhuc Lugduni degentibus; nuntii Romam ab ipso Rege directi sunt, qui modis omnibus elaborarent Apostolicum ad hoc deducere; ut Anselmi in Angliam redire, & Regiæ voluntati juberet in cunctis subdi, & obedire. Ad quod dum minimè illum flectere possent, sicut venerunt, infecto negotio reversi sunt.* Horum ergo nuntiorum expectatione abstinuit Paschalis ab Excommunicationis fulmine in Regem torquendo. Sed ubi Pontifex advertit, non aliud quam crambem semel iterumque recoctam, Regiâ legatione afferri: & Regem tempus, & Apostolicam Sedem inutili tergiversatione fallere; voluit Anselmum, in Regem surgere, Magnum Ambrosium imitari, & morbidam ovem, ab ovili sejungere. de quo anno sequenti.

Edmer. l. 4. fo. 78.

Pro Anselmi reditu multi laborant.

XVII. Interim licet Rex, Anselmo infensior, reditum negaret: Regina tamen, pientissima fœmina, unisimis precibus Anselmi causam agens exilii ærumnas omni conatu solabatur. Quod Episcopus pietatis officium literis & exhortatione compensans, ad virtutis exercitia eandem acuebat. & illa, vicaria literarum scriptione, grati animi argumenta dabat: quæ sequentis Epistolæ series ostendit, quam ita inscripsit.

Piè recolendo Patri, & dignè Reverendo, Domino suo Anselmo Archiepiscopo, Mathildis Dei gratiâ Regina Anglorum minima sanctitatis ejus ancilla perpetuam in Christo salutem.

„ INDEFICIENTI vestræ bonitati, quæ mei verò immemor, literis præsentatis absentis vestri præsentiam exhibere dignata est, gratias innumeras refero. Tristitiæ quippe nebulis, quippe obvolvebar; expulsus verborum vestrorum me rivulus, tanquam novæ lucis radius perlustravit. Chartulam quidem à vobis missam, loco Patris amplector, sinu foveo; cordi quoad possum propiùs admoneo: verba de dulci bonitatis vestræ fonte manantia, ore relego, mente retracto, corde recogito; recogitata in ipso cordis arcano repono. Ubi dignè laudatis omnibus, hoc solum miror, quod de Nepote vestro excellentia vestræ discretionis interuit. Non enim mihi judico quicquam facere aliter vestris, aliter meis: aliter scilicet meis quàm vestris. Vestri quippe genere sunt; mei adoptione, & dilectione. Vestræ verò scripturæ consolatio, patientiam mihi corroborat, spem facit, & servat, quæ relevat me cadentem, sustinet labentem, lætificat dolentem, mitigat irascentem, pacatque flentem. Ea mihi namque frequenter, secretoque consulens spondet reditum filiæ, Patris; ancillæ, Domini; ovi, Pastoris. Spondet autem itidem confidentiâ quam in orationibus bonorum hominum habeo; & benevolentia, quam ex corde Domini mei solerter * iovestigavit, perpendo. Est enim illi erga vos animus compositior, quàm plerique homines æstimeot: qui Deo

Epist. l. 3. Ep. 96.

Reginæ ad Anselmum Literæ.

forte * investigans.

„ anouente, & me, quà potero, ſuggerente, vobis fiet commodior, atque concordior. Quod vobis in præſenti, de redditibus veſtris fieri permittit: idem & melius ampliusque in futurum, cum ex re tempore poſtulaveritis, fieri permittet. Ubi quamvis amplius, quàm æquum judicem, ſibi teneat: oro tamen veſtræ pietatis affluentiam, ut excluſo amaritudinis humanæ rancore; qui vobis ineſſe non aſſolet; dilectionis veſtræ dulcedinem ab illo non avertatis. Imò verò apud Deum, pro ipſo, & me, & communi ſobole & regni noſtri ſtatu, vos intercesſorem exhibeatis. Valeat veſtra ſemper ſanctitas.

XVIII. His Reginæ literis, pietatem fœminæ humilitatemque loquentibus, Anſelmus in hunc modum reſpondit.

Dominæ, Reverendæ, filiæ chariſſimæ, MATHILDI, gratia Dei, Reginæ Anglorum: ANSELMUS Archiepiſcopus Cantuarienſis fidele ſervitium, & orationes, & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

Epiſt. l. 3. Epiſtola 97. ANSELMUS REGINÆ RESPONDET.

„ GRATIAS ago immenſas Celſitudini veſtræ, amando eam, & orando pro eâ, pro immenſitate ſanctæ dilectionis veſtræ, erga parvitatem meam, quàm intellexi in literis veſtris. In quibus ſatis oſtenditis, quanto me affectu diligatis, cum chartulam meam taliter, ut ſcripſiſtis, ſuſcipitis & tractatis. Ubi etiam adeo me dignatio veſtra ſublimat; ut quod natura mihi negat, gratia veſtra tribuat: cum eos, qui mei ſunt genere; veſtros eſſe adoptione, & dilectione pronuntiat. Quod deſiderio reditus mei nitimini, cor Domini mei Regis erga me mitigare; facitis quod decet, & quod illi expedire intelligo. Si enim erga me aliquam cordis amaritudinem habet; neſcio me unquam hoc aliquo modo, quantum in me eſt, meruiſſe. Et ſi aliquando ei ſervivi, ipſe ſcit; & puto, quia non tradet oblivioni. Si ergo me aliquatenus odit ſine cauſa, expedit ei ut hunc à ſe rancorem expellat; nec peccet coram Deo.

XIX. „ Promittitis mihi, quod de redditibus noſtris; de quibus aliquantum mihi permittit habere; melius & amplius in futurum permittet. Unde benevolentiæ veſtræ non debeo eſſe ingratus; quia quantum in vobis eſt, bonâ voluntate hoc facitis. Sed non deberet eſſe opus, ut hæc mihi fieret promiſſio; quia contra voluntatem meam, nulla debet mihi de illis fieri prohibitio, aut diminutio. Et qui illi conſulit, ut aliquid inde ſibi aſſumat; non leve peccatum, neque tale, quod unquam tolerari debeat, illi conſulit. Qui enim Epiſcopum ſuis rebus ita ſpoliat; nullomodo reconciliari Deo poterit; niſi illi integrè omnia ſua reſtituat. Et ſcitote, quia tantumdem eſt mihi, de qualibet parva parte, quantum ſi de toto ſpoliatus fuero. Non enim hoc dico amore pecuniæ, ſed amore Dei & juſtitiæ. Orat veſtra benignitas, ut dilectionem meam à Rege non avertam; ſed pro illo, & pro vobis, & prole veſtrâ, & regni veſtri ſtatu, intercedam. Quod utique hactenus feci: de futuro autem, Dei me committo diſpoſitioni, apud quem filius non portat iniquitatem patris, nec uxor viri. Et ſpero in Deo, quia nullum cordis rancorem habebo adverſus aliquem; unde mecum non habeam Deum. Omnipotens Deus vos, & prolem veſtram, ſemper in ſuâ gratiâ cuſtodiat. Ita Anſelmus Reginæ, prolique ejus benè precatur. Quod Regem omiſerit: illa cauſa feſtinè redditur, quod eidem imprecari decreverit. Unde ſub finem hujus anni ſcriptas has literas, argumentum eſt. nam ſequenti anno, ſtatuit Anſelmus Regem, Catholicâ communione privare. nunc eo Lugduni relicto, reliqua hujus anni proſequamur.

XX. ELATIO CORPORIS S. CUTHBERTI.

Huc ſpectat inventio tranſlatioque corporis Sanctiſſimi Confeſſoris Cuthberti, Lindisfarnenſis olim Epiſcopi: quod Deus per tot ſæcula illæſum incorruptumque ſervaſſe plurimi affirmabant. Aliis de rei veritate dubitantibus, Deus continuato miraculo dubium ſuſtulit. Ranulfus adhuc Dunelmenſem Eccleſiam, ubi theſaurus ſervabatur, regebat; vir ut ſupra tactum, multis omnibus infamis: nunc tamen laudem meritus, quod ejus permiſſu ne dicam, an juſſu, illibatum Cuthberti corpus, in lucem prodiit. Adfuerunt ſolenni cærimoniæ, Prælatorum plurimi, Radulphus Sagienſis Abbas, qui non ita multo poſt, Roffenſis, inde Cantuarienſis fuit Archiepiſcopus; Richardus Albanenſis Cœnobii Abbas, aliique non modò unius miraculi, ſed plurium teſtes. Malmeſburienſis, cum Ranulfi Dunelmenſis crimina recenſuiſſet; ita eum pro Cuthberti corporis elatione commendat. *In ædificiis (inquit) Monachorum novis, & tranſlatione Beatiſſimi Cuthberti, nonnullam gloriam nominis ſuo commeritus eſt. Extulit ergo ejus famam ſancti corporis elatio: quod è mauſolæo levatum, cunctis volentibus fecit conſpicuum. Tractavit illud auſu felici, Radulfus tunc Sagienſis Abbas, poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus, & propalam illibatum protulit; quod quibuſdam veniſſet in dubium: utrum olim vulgatum adhuc de integritate compaginis, miraculum duraret. Veſtes quoque omnes recenti ſplendore nitentes, calix ſuper pectus ejus, cujus ſuperior pars aurea, inferior onychina eſſet: facies tam ſtrictè obvoluta ſudario, ut nullo Abbatis niſu diſſociari poſſet. Caput Oſwaldi Regis, & Martyris, inter brachia ejus inventum: oſſa Sanctorum Bedæ, & * Celrulfi, qui apud Lindisfarnum Monachus, & Sanctus, in ſingulis ſaccis lineis reperta.*

Malmesb. de Pontif. l. 3 fo. 278. & l. 5. de Regib fo. 175.

** Fuit Rex Northumbriæ. V. an. 737. n. 5.*

XXI. MIRACULA IN CORPORIS TRANSLATIONE.

Erat ſpectaculum ingens in cæmiterio, ſereno aëre, nulla pendente nubium craſſitudine: Monachis omnibus ſolennibus indutis veſtibus longa pompa euntium, & redeuntium, magnaq; conſtipatio ſe ingerentium; dum ſemel viſum juvat iterumq; iterumq; videre. Viſum ergo, ut Sancto putatur indignum, quod ita eſſet expoſitus ad ſpectaculum: pluviaq; ingens inopinatè oborta, omnes intra Eccleſiam coegit. Nec caruit miraculo quod Monachorum veſtes tanta inundante procellâ, non ſolum illæſæ; ſed nec etiam madefactæ. Macte virtute (Præſul ſanctiſſime) præclarum omnino miraculum, & tuæ ſanctitati congruum. Quis etiam non multis ante diebus, aliud exhibueras. Ad tranſlationem corporis parata omnia, in novâ Eccleſiâ; chorus Monachorum, altare, ſepulchrum. expectabatur tantum, ut materia lignorum, quæ recentem Presbyterii teſtudinem ſuſtinebat, leviter deponeretur. Sed non paſſus es (beatiſſime) Sanctum tuorum deſiderium prolongari, & omnia nocte intempeſtâ ſubruiſti. Quis enim alius tanti facti author? Accurrit Prior ſomno

excitus,

excitum, altari & pavimento timens, de lignis cura minor. Sed non solum illa de quibus metuebatur; sed & ligna ita servaveras integra, ut fuerant apposita. Meritò à Monachis tuis timeris: ut nullus rebellionis contra Priorem, vel in se gravis criminis conscius, pernoctare audeat, delicti sine confessione reus. Quapropter te supplex oro; ut mei in bono meminisse digneris; qui ubi se occasio dedit, laudem tui, quanquam exilem, prætermittere nolui, Domine sancte, & meritò dilecte Pater. Hæc omnia Malmesburiensis.

XXII. (V. an. 1093. n. 31.) Dixi superiori sæculo, ad annum millesimum nonagesimum tertium, Dunelmensis Ecclesiæ nova jacta esse fundamenta, veteri æde diruta, quam Aldwinus construxerat. opus ergo quod Gulielmus Dunelmensis inchoaverat, Ranulfus successor prosecutus, illud hoc anno perfecit, elatoque è veteri Ecclesiæ Cuthberti corpore, thesaurum in novam intulit, de quo Godwinus: (Godwin. in Ranulp.) *Ranulfus*, inquit, *muros navis Ecclesiæ suæ, ad tectum usque perduxit: Reliquias S. Cuthberti in novam hanc Ecclesiam transtulit, & scrinio condidit pretiosissimo.* Nec omittendum, quod Matthæus Parisiensis narrat, de Richardo Albanensi Abbate, qui translationi corporis reverenter intererat: inde sanitatis beneficium consecutus. (Paris in Ab. Richardo.) (RICHARDUS ABBAS MIRABILITER SANATUS.) *Brachium* (inquit) *Richardi Abbatis emarcuerat: sed beneficio Beati Cuthberti, cujus translationi intererat, sanitati restitutum est hoc modo. Dum sacrum corpus illibatum dicti Confessoris levaretur, per caput & pedes transferendum: & ipsum in medio arcuatum, ruinam minaretur: Abbas Richardus, qui prope astabat, admirans, quod quasi dormientis flexibile fuit, assilit: & projecto baculo, illud per medium ilicò brachiis sublevavit. Et statim brachium, quod ante inutile erat, per tactum sancti corporis, sanum penitus reddebatur. Unde domum rediens, Capellam in honorem S. Cuthberti fabricavit.* (EXTRUIT CAPELLAM SANCTO CUTHBERTO.)

XXIII. Ad tempus quod attinet hujusce solennitatis; benè illud expressit Author vitæ S. Cuthberti apud Capgravium. ubi breviter hæc habentur. (Capgra. in Cuthberto.) *Anno Domini millesimo centesimo quarto; ab obitu Sancti Cuthberti, quadringentesimo decimo octavo; ob incredulitatem quorundam Prælatorum cum capite Sancti Oswaldi, corpus Sancti Cuthberti incorruptum repertum est: & dormienti magis, quàm mortuo, similius.* Qui annorum calculus, cum nostra Chronologia concinnè stat, qui obitum S. Cuthberti, ad annum sexcentesimum octogesimum septimum, tomo secundo collocavimus: à quo anno, in hunc millesimum centesimum quartum descendendo, octodecim anni supra quadringentos numerantur. Quo etiam tempore, alterum sexum, eodem incorruptionis miraculo, Deus illustravit in virgine, in Reginâ, in sanctissimâ heroinâ Ediltrude: (S. EDILTRUDIS CORPUS INTEGRUM.) quæ ante Cuthbertum mortua (anno nimirum sexcentesimo septuagesimo nono) integritate corporis (integræ mentis animæque argumento) cum Cuthberti integritate certavit. de quo Malmesburiensis, cum Cuthberti translationem dixisset l. 5. de Regibus, addit: (Malmsb. de Reg. l. 5 fo. 178.) *Eodem fere tempore, in Eliensi Cœnobio, sub Abbate Richardo, virginales exuviæ Beatæ Etheldridæ, integræ visæ, videntibus stupori & plausui fuere.* Tunc nimirum, cum de Withburgæ virginis corpore disputatum: (S. WITHBURGÆ INTEGRITAS CORPORIS.) de quo idem Author l. 4. de Pontificibus fo. 293. *De Withburgæ incorruptione, cum quibusdam venisset in dubium, tempore Richardi Abbatis, cum transferrentur corpora Sanctarum, dubietas eventilata est. Et Beatam quidem Etheldritam nemo penitùs pro veteri fide præsumpsit attingere. Ipsam vero ultra mammas detexere: visaque est toto corpore integra, dormienti similior quàm mortuæ: pulvillo serico ad caput apposito, velo, & totis vestibus integra novitate renitentibus: serena facie, roseo rubore suavis, dentibus candidis: labiis paululum reductis, papillis admodum parvulis.* Hic Abbas Richardus, Gilberti Comitis filius, undecimus, & ultimus ejus loci Antistes numeratur; qui Abbatiæ investituram ab Henrico accipiens, à Paschali Papa, sub hoc tempus excommunicatur, ut ejusdem literæ infra ponendæ declarabunt. Post Richardi mortem Eliensis Abbatia Episcopali Sede sublimatur, ut paulò * inferiùs. (*V. an. 1107. n. 22. 23. &c.)

XXIV. Mortem cum meliori vitâ commutarunt Abbates duo: de quibus ita Rogerus Hovedenus. (Hoved. in Henrico I. fo. 470.) *Anno* (inquit) *millesimo centesimo quarto, venerandi Abbates, Walterus Eoveshamensis, decimo tertio Kal. Februarii: & Serlo Glocestrensis tertio Nonas Martii obierunt.* (SERLO GLOCESTREN. ABBAS MORITUR, ET EIUS ELOGIUM.) De priore parciùs Annales nostri loquuntur; copiosiùs de secundo; qui Glocestrense Monasterium; ubi Osricus Northumbriæ Rex, sub *annum Christi septingentesimum decimum octavum moniales: inde nuperiùs Aldredus Eboracensis, Monachos posuerat; (* V. an. 718 n. 1.) ex humili, in illustrem statum evexerat; vir multis nominibus commendandus, qui non unam urbem, sed universam Angliam ornasse dici potest. unde Malmesburiensis, cum exteros laudasset, cives commendaturus, primo loco de Serlone hæc habet. (Malmesb. de Reg. l. 5 fo. 171.) *Ne Anglia* (inquit) *expers boni putetur; quis possit præterire Serlonem, Abbatem Glocestrensem, qui locum illum ex humili, & penè nullo, ad gloriosum provectum extulit? nota est omnibus Anglis Glocestrensis discreta religio; quam infirmus possit suspicere; nec possit fortis contemnere. Hoc illis signifer Serlo intulit, ut ne quid nimis. Quamvis ut erat bonis humilis; ita superbis minax atque terribilis. Ad quod firmandum versus de eo Godefridi Prioris in medium adducam.*

Ecclesiæ murus cecidit Serlone cadente;
Virtutis gladius, buccina justitiæ.
Vera loquens, & non vanis sermonibus utens,
Et quos corripuit, principibus placuit.
Judicium præceps, contrarius ordinis error,
Et levitas morum non placuere sibi.
Tertius à Jano mensis, lux tertia mensis,
Cum nece suppressum vita levavit eum.

XXV. Alteram Remp. res turbidæ, hoc anno, exceperunt: (HENRICUS NORMANNIAM SUO REGNO ADIUNGERE NITITUR.) cum Henricus Rex, in Robertum fratrem paulò iniquior; Normanniam Anglico imperio subjicere, quæsitis undique causis, perciperet. Nec causæ deesse possunt, quoties aut procerum, aut civium exasperati animi, seditionis alimenta subministrant. Comes Moritonius, nescio quid, in Henricum Regem peccaverat; unde bonis omnibus prædiisque exutus, aquâ & igni interdictus, in Normanniam transierat: ibique Roberto Duci conjunctus, factionem accenderat: quæ utramque provinciam; Angliam dico & Normanniam, miserè turbavit. De quo Matthæus Parisiensis ita scribit. (Paris hic.) *Anno Domini millesimo centesimo quarto, surrexit inter Regem Henricum, & Robertum Normanniæ Ducem, fratres, causis intercedentibus, discordia: unde Rex missâ in Normanniam expeditione militari; eaque, à quibusdam proditoribus Ducis receptâ; prædis & combustionibus, non modicam cladem rebus Ducis subitò intulit. Sed Willielmus Comes Moretonii, causa perfidiæ, nuper à*

ROBERTUS NORMANNIÆ CASTRA MUNIENS, NORMANNOS EXASPERAT. GUILIELMUS WINTONIEN. AB ANSELMO PETIT CONSILIUM.

Rege proscriptus ab Angliâ, animo perfecto, ut vir strenuus regalibus turmis audacter bellum indixit. Sed Dux Robertus, fratris sui divitias metuens, castella sua, & terræ infirmiora, in quantum potuit, communivit. Ita ille. Robertus, dum munit castella, Normannorum jura, ut in turbis plerumque fit, non parùm læsit. unde provincialium exulceratæ mentes, ad Henricum facilè inclinarunt. Guilielmus Giffardus, Wintoniensis electus, à Roberto læsus; quærit ab Anselmo adhuc Lugduni degente, possitne castellum, quod in Normanniâ tenebat, Henrico Regi concedere, nimirum novis tumultibus opportunum. Cui dubio Anselmus, in hunc modum respondit.

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariæ, GUILIELMO dilecto dilectori suo, electo Episcopo Guentoniæ, salutem & benedictionem Dei, & suam quantum valet, atque divino semper regi consilio, & protegi auxilio.

XXVI.
Anselm. l. 9. Epistolarum Epistola 98
ANSELMI AD GUILIELMUM WINTON. LITERÆ.

„ NUNTIUS vester causam vestram, pro quâ ad nos missus est, Reverendo Domino, & Patri nostro, Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo, & mihi simul, sicut præcepistis, retulit. Et ego eidem Patri nostro, literas quas mihi misistis, ostendi. Ipso itaque jubente, pro illo, & pro me, in istis literis respondeo. Utique gaudemus, & gratias agimus Deo, pro vestra in veritate constantia; & quia non quæritis consilium, nisi quod Deo placebit, & honestatem vestram; & ordinem, ad quem electi estis, deceat. Rem totam, sicut idem nuntius nobis narravit, quantò diligentiùs potuimus, adhibitis aliis prudentibus, & religiosis pertractavimus. Et consilium, quod petitis, Deum invocantes, ut nos dirigeret, concordi sensu consideravimus. Cujus consilii, in quantum intelleximus, hæc est summa. Videlicet, utrum de castello, quod de Comite Roberto tenetis, possitis fratri ejus Regi Henrico, contra eundem Comitem deservire, propter injustitias, quas idem Comes vobis facit, sicut mandastis. Quod nequaquam coram Deo, & coram justis hominibus licitè fieri posse intelligimus. Nam etiamsi vos de hoc absolvit, quod illi debeatis per hominium, aut fidem promissam, sive per aliquam communem conventionem: Non vos potuit absolvere de hoc, quod Deo, & proximo propter Deum debetis per Christianam religionem. Quapropter intelligimus, quia non debetis præfatum Comitem, de hoc, quod de illo habetis, exheredare, & hereditatem ejus inimico suo tradere.

RESPONDET CASTELLA NON ESSE TRADENDA.

XXVII.
„ In hoc quoque vos multùm oportet intendere; quòd nondum vestra dilectio suscepit Episcopi consecrationem: & si hoc faceretis, quod à vobis Rex exigit, nullus posset extinguere execrabilem famam; quia hoc factum esset, propter Episcopatus, quem perdere timetis redemptionem. Quamobrem quoniam providemus bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus; avertat Deus hoc à vobis, neque unquam permittat tam pravum exemplum, ullâ opinione exire de vobis. Quod autem à Rege prædictum castellum, sicut homo ejus eratis, accepistis; nullo modo cognoscimus vos ad hoc astringere, ut cum eodem castello, contra Comitem oti permittatis; si ei hominium, non nisi salvo ordine, fecistis. Denique sicut nullus homo aliquid contra Deum debet promittere; ita promissum nullatenus debet perficere; nec aliquis hoc rectè potest exigere. Quædam alia per istum nuntium viva vobis voce referenda, mandamus. Salutat vos prædictus Dominus, & Pater noster, sicut amicus, amicum. Vale. Ita Anselmus, nolens Clerum, Principibus dissidentibus, in partes ire, factionis alimenta ministrando. Quid inde factum, dicam anno sequenti: hoc enim, discordiæ, & hostilis animi præludia tantùm fuere.

ANNUS CHRISTI 1105.

PASCHALIS II. PAPÆ 7.

HENRICI PRIMI REGIS 6.

I.
NORMANNIA ANGLORUM REGNO SUBDITUR.

QUI sequitur Christi annus, centesimus quintus, supra millesimum, Normanniæ Ducatum Anglicano imperio, belli jure subjecit, cum Henricus, ægrè ferens, à se proscriptos, fratris patrocinio vivere: in Normanniam trajiciens, reconciliatis sibi provincialium animis, in fratrem, fautoresque ejus feliciter pugnavit. Anselmus interim Lugduni agens, cum exilii ærumnas ferre diutiùs nollet, aliis in Henricum armis, pugnare statuit. Jam alterum Lugduni annum egerat, & varia, quà ad Regem, quà ad Paschalem Papam legatione, nullo operæ pretio tempus triverat: seriò igitur rem agere, Ecclesiæ suæ jura tueri, & pro Canonum sanctitate certare decrevit. Commodùm illi accidit Lugdunum deserenti, in Blesensem Comitissam incidere, Henrici Regis sororem, quæ cognito profectionis consilio, se pacis, amorisque, inter fratrem & Anselmum, sequestram obtulit. Unde novæ lucis lætitiæque aurora, multorum animis Ecclesiæ illuxit. Juvat hæc omnia, ab Edmero Anselmi Comite fusiùs enarrata, in Annales referre: nam utriusque Reip. prospera & adversa, cum Henrici Regis in Normanniam expeditione, junctim commemorat. sic ergo ille.

II.
Edmer l. 4. fo. 79.
ANSELMUS A RHEMENSI EPISCOPO INVITATUS DIVERTIT AD ADELAM COMITISSAM.

Postquam Anselmus intellexit se ampliùs frustrà Lugduni, Romanam opem præstolari; præsertim cum jam sæpenumerò ipsi Romanæ Sedis Antistiti Legatos & literas, de sui negotii consummatione transmiserit: & eò usque nil nisi quandam quasi consolatoriæ expectationis promissionem, de termino, in terminum, ab eo meruerit. Tertiò quoque literas suas Regi Angliæ, pro suarum rerum resaisitione, direxerat: nec aliquid ab eo nisi quod blandientem sibi dilationem ingereret, responsi acceperat. Consulto itaque Venerabili præfato Lugdunensis civitatis Episcopo. Lugduno Franciam petiturus decessit: mærente super Pontifice ipso, & omni populo terræ. Cum ergo ad Cluniacum ad Charitatem, quæ Cella Cluniacensis Cœnobii est, venissemus: didicit Anselmus, Comitissam Blesensem, majoris Willelmi Regis filiam, nomine Adalam, apud castrum suum Blesum infirmari. Vertit itaque iter; quò se Rhemis ire (sicut à Manasse ipsius urbis Antistite, multis erat, & obnixis precibus per internuntios

interpellatus) disposuerat: & Bleisum abiit ad Comitissam. Omnem cujuslibet vituperii notam, pro suo more, ubique devitans. Ipsa siquidem Comitissa, in pluribus ei, tamen in hoc, quàm in alio exilio, ejus magnificâ liberalitate, ministraverat: eumq; sicut virum sanctum, ac religiosum vita sua post Deum, institutorem elegerat, atque tutorem. Si igitur illam, extrema ut dicebatur, agentem, paternâ præsentiâ non visitaret; notam justæ reprehensionis non evaderet. Igitur ubi ad illam venimus; eamq; languore sopito, fermè convaluisse invenimus, detenti ab eâ, in ipso castro per dies aliquot decentissimè sumus.

III. Anselmus Comitissæ aperit itineris sui consilium.

In quibus diebus cum verba sæpe inter se conferrent Antistes, & illa. Antistes illam pro suo officio, studiosè ad benè agendum instigando: illa Antistitem pro vita sua qualitatibus, ut Patrem, quæ inquirenda esse sciebat, interrogando: Anselmus Comitissæ causam reditus sui in Franciam, ab eâ, inquisitus intimavit: & quia fratrem ipsius, Henricum videlicet Regem Anglorum, pro injuriâ quam Deo sibiq; per biennium, & ultra fecerat, excommunicare veniebat, non celavit. Quod illa audiens fraternæ damnationi vehementer indoluit: ac ut illum potiùs Pontifici concordaret, operam dare disposuit. Egit ergo apud virum, ut Carnotum secum pergeret. Eo tempore, ipse Rex in Normanniâ erat; ipsamq; penè totam suæ ditioni subegerat. Potestas namque Roberti, Normannorum Comitis, fratris scilicet ejusdem Regis, ita cunctis, ea tempestate viluerat; ut vix ullus pro eo, quicquam facere vellet quod pro terræ Principe, quaq; gentium fieri solet. Pium etenim cor, & terrenarum rerum minima cupido, quæ in eo juxta vigebant; hoc ei pepererant. Omnes igitur ferè Normannorum majores, ilico ad Regis adventum, spreto Comite, Domino suo, & fidem quam ei debebant, postponentes, in aurum & argentum Regis cucurrerunt: eiq; civitates, & castra, & urbes tradiderunt.

Henricus Normannos sibi conciliat.

IV. Henricus et Anselmus reconciliantur.

Cum itaque Rex per Legatos Comitissæ, Anselmi adventum; & quamobrem relictâ Burgundiâ, Franciam venerit, accepisset: qualiter animum viri à proposita intentione deflectere posset, perquisivit. Inito igitur cum suis consilio, per nuntios deprecatus est Comitissam, quatenus ad loquendum sibi virum Normanniam duceret: pollicens se, in multis de querelâ pristinâ, voluntati ejus, pacis gratiâ condescensurum. Quid plura? Statuto termino, Archiepiscopum cum Comitissa, in castrum, quod Aquila vocatur, pro colloquio Regis, uti petiverat, unà venerunt: & Regem vehementi gaudio, pro adventu Anselmi exultare, at non parum à pristinâ feritate descendisse repererunt. Deinde habito inter eos colloquio, Anselmum Rex de redditibus suis Pontificatus revestivit, & in pristinam amicitiam utrimque recepti sunt. Quibusdam igitur ad hoc operam solicitè dantibus, ut Antistes statim Angliam remearet, Rex annuit, sic tamen ne nullis eorum qui à se Investituras Ecclesiarum susceperant, vel eos consecraverant, suam in aliquo communionem subtraheret. Cui conditioni Anselmus minimè adquiescens (obedientiam videlicet Papæ, in nullo prætergredi volens) extra Angliam manere delegit: donec illi qui ad ipsum negotium, & quædam alia, de quibus inter eos illa vice convenire non poterat, determinanda, ex condicto Romam mittendi erant, reversi fuissent. Hæc autem inter ipsos acta sunt anno tertio exitus nostri de Angliâ, undecimo Calendas Augusti.

V. Henricus excommunicari timuit.

Pro magnâ itaque exultatione, quam ex hac reconciliatione Anselmi Rex concepit apud se, videres illum, quamdiu in præfato Castro morabamur, non facilè pati ad se venire Anselmum: sed quoties erat aliquid inter illos agendum, semper ipsum ire ad Anselmum. Iam enim multis in locis, per Angliam, Franciam, atque Normanniam, fama vulgaverat; Regem ipsum ab Anselmo proximè excommunicandum. Et idcirco ei, utpote Potestati non adeo amatæ multa mala struebantur; quæ illi à tanto viro excommunicato, efficaciùs inferenda putabantur. Quod ille sciens, versam à se viri sententiam magnificè lætabatur. Denique omne malum quod eum expectabat, averso Anselmo; ab eo versum est, reverso in amicitiam ejus Anselmo. Itaque ut homo citiùs in Episcopatum suum, ad suorum exultationem, ac totius patriæ relevationem rediret, pollicitus est Rex ita se nuntios suos Romam destinaturum; ut in proximâ Nativitate Christi, Curiæ suæ Anselmus in Angliâ posset adesse. Misit super hæc in Angliam literas præcipiens, ut omnes res, & homines Anselmi, ubicumque essent, in pace essent, & quiete: nec ullus eos gravaret aut implacitaret: sed ab omni debito liberi, quæ tenebant, cum honore tenerent; ac in cunctis ad nutum Anselmi, jussionemq; penderent. Hac ergo dum hominibus ad Archiepiscopatum pertinentibus innotuissent; mox quoddam quasi insperatum jubar solis illis emicuit; quod illos à pristinæ oppressionis immunitate, & tenebris non modicum erexit.

VI. Henricus ficto potius, quam sincero animo cum Anselmo agit.

Hæc ab Edmero hactenus relata, pietatis regiæ speciem habebant. sed Legatorum nominatio, missioque in urbem, dissimulatæ mentis larva fuit; quâ tectus Rex, excommunicationis fulmen evasit, quod indubiè Normannicæ Victoriæ impedimentum fuisset. Henricus ergo in Angliam reversus, colligendis ibi pecuniis; & pomœrio dilatando magis, quàm in legationis negotio laboravit. Anselmus interim, in Beccensi Monasterio, Deum sibi & Angliæ, precibus propitiat. Cæterùm cum diuturnior mora esset, & Ecclesiasticæ Reip. admodum nociva: boni omnes gemere, Regis fidem desiderare, moram, moræque obstacula detestari cœperunt. Paschalis Pontifex Reginæ pietatem suis literis acuit, hortatus, moras piâ intercessione rumpat, & Anselmo, ut ad sedem festinè redeat, manum opemque porrigat. Et illa nullis argumentis, ad hoc pietatis officium, indigebat, quæ nihil magis, quàm Anselmi præsentiam in votis habebat. Id supra patet ex ejusdem literis: nec minùs patebit è responso, quod fortè hoc anno per Regios Legatos misit ad Paschalis Epistolam, & est hujusmodi.

Ansel. Epistolarum l. 3. Epistola 99.

Summo Pontifici & universali Papæ, Paschali, Mathildis, Dei gratia Anglorum Regina: ita dignitatis Apostolicæ jura dispensare temporaliter, ut cum justitiæ manipulis in perpetuæ pacis gaudiis, Apostolico Senatui mereatur ascribi perenniter.

VII. Mathildis Reginæ ad Paschalem Literæ.

» Sanctitatis vestræ sublimitati, ô vir Apo-
» stolice, gratias & laudes, quantas possum
» refero, super his quæ paterna vestra charitas,
» tam pro commonitorio, Domino meo Regi,
» mihique dignata est jam frequenter, & vivis
» Legatorum mandare vocibus, & propriis de-
» stinare scriptis. Sanctissimæ Romanæ Sedis
» Apostolicæ frequenter limina, Sanctique Pa-
» tris mei Papæ Apostolici complecti vestigia;
» quâ licet & possum toto quidem corde, totâ

animâ, totâ mente paternis advoluta genibus, importunâ, opportunaque petitione orans instare, nec desino, nec desistam; donec exaudiri à vobis sentiam, aut summissam humilitatis; aut potius perseverantem meæ pulsationis importunitatem. Non autem super hac mea temeritate, quâ sic loqui præsumo, vestra succenseat Excellentia: non Cleri, populive Romani Senatus miretur prudentia. Erat enim, erat, inquam, nobis, Anglorumque populo, tunc quidem fœlicibus, sub Apostolicâ vestrâ dignitate, Sancti Spiritus alumnus Anselmus Archiepiscopus, noster verè, prædictique populi consolator prudentissimus, atque piissimus Pater. Qui quod de opulentissimis Domini sui thesauris, quorum illum clavigerum noveramus, abundanter sumebat; id nobis abundantiùs erogabat: præsertim cum fidelis Domini Minister, prudens dispensator, eroganda quæque & sapientiæ salsura plurima saporaret, & eloquentiæ dulcore molliret, & mirabili quodam loquendi lepore condiret. Fiebat verò sic, ut nec deforet teneris agnellis Domini lactis copia plurima, nec pascuorum ovibus ubertas uberrima, nec pastoribus alimentorum satietas opulentissima.

VIII. Cum hæc igitur secus cesserint omnia; reliquum aliud nihil est, nisi gemitu plurimo clamitet queritans alimentum, Pastor, pascuum pecus, ubera fœtus. Ubi dum majoris absentia Pastoris, præsertim Anselmi, prædictis singulis fraudentur singula: seu verò potius omnibus omnia, in tanti luctus lugubrio, in tanti doloris opprobrio, in tantæ deformitatis regni nostri, tanti damni ludibrio. Nec restat attonitæ mihi, nisi stupore sublato, confugere ad Beatum Petrum Apostolum, ejusque Vicarium virum Apostolicum. Confugio itaque ad vestram, Domine, benignitatem, nè nos Anglorumque regni populus, tanto defectu, tanto lapsu labamur. Quæ enim utilitas in sanguine nostro, dum in corruptionem descenderimus. Boni igitur consulat, quantum ad nos attinet vestra Paternitas, & infra terminum, de quo vestram bonitatem Dominus meus Rex requirit; ita paterna viscera super nos aperire dignemini: ut & de reditu charissimi Patris nostri Anselmi Archiepiscopi gaudeamus, & debitam subjectionem sanctæ Sedi Apostolicæ illibatam servemus. Ego autem saluberrimis dilectissimisque vestris edocta monitis, quantum muliebribus suppetet viribus; adhibitis etiam mihi proborum virorum auxiliis, toto posse nitar, ut quod monuit sublimitas, mea quoad poterit, expleat humilitas. Valeat feliciter vestra Paternitas.

IX. Reconciliationis spes evanescit. Terminus, de quo hic mentio, ille opinor est, quem Rex Anselmo præfixerat; nimirum ita se rem acturum, ut ad hujus anni Natalitia redire ad sedem posset. Sed aliter factum, quà Legatorum cunctatione, quà Regis inconstantiâ. Unde concepta nuper, de regni, rerumque omnium serenitate, spes evanuit, nubesque malorum plurimæ successerunt. Unde benè Edmerus scripsit. *Cum posthac Anselmus Beccense Cœnobium, & Rex Angliam remeassent: ortis quibusdam occasiunculis, Legati qui Romam mitti debuerunt, diu ultra statutum terminum morati sunt. Unde vehemens admiratio multorum corda concussit, arbitrantium, tantam de reditu viri dilationem, diaboli esse seductionem: & apertè videntium immanem totius Christianitatis in Angliâ esse destructionem. Quod melius, ut puto liquebit, si quædam scripta de his quæ ad nos in hac morâ, à quodam non contemnendæ authoritatis viro, transmissa sunt, brevi subinseram. Scribit itaque inter alia sic.*

Edmer. l. 4 fo. 80.

X. Mala enumerantur, et peccata; ex Anselmi absentia profecta. *Carissime Pater, & Domine, quamvis optimè sciatis, quid facere debeatis, & quid facere velitis: videtur tamen omni ferè homini, sano sensu sapienti, omnino nihil aliud esse, id quod inter vos, & Regem sub tam morosâ expectatione agitur; nisi diabolicæ fraudis illusio, & illudens dilatio: &, ut manifestius dicam, totius Anglorum Ecclesiæ, ac religionis, ac legis Christianæ quotidiana diminutio, & summa destructio. Ecclesiarum namque quæ tamdiu manent Pastoralibus viduatæ, possessiones diripiuntur, ordo sanctæ religionis in eis neglectus, annihilatur. Legis Christianæ Rectores, non jam Rectores, sed præcipitatores, ac juxta Regiæ voluntatis arbitrium, & suum libitum, penè omnis justitiæ sunt effecti subversores. De Clericis quid dicam, qui circiter omnes revoluti sunt ad iniquitatem pristinam? Quid de Laicis? ipsi quippe, sed Principes maximè, vix nisi ex propriâ parentelâ conjuges sibi accipiunt, clam desponsant, desponsatas contra legem Ecclesiæ scienter tenent, & sibi defendunt. De Sodomitis, quos ipse in magno Concilio, usque ad pœnitentiam & confessionem, excommunicastis: ac de crinitis, quos in Paschali postmodum solennitate, Pontificali stolâ redimitus, coram universo populo, a liminibus sanctæ Ecclesiæ removistis, quid dicendum? cum ut deberetis, non subvenitis: nec vel unus in toto regno existat, qui hæc & alia multa, Deo, & omni servo Dei contraria, vice vestra reprehendere audeat, aut emendare contendat.*

XI. *Et si veritatem vultis audire; fateor omnia hæc, multò deterius fieri, quàm possint scripto edici: in tantum ut ipse etiam Rex testetur nunquam tantæ fortitudinis nequitiam, in patriâ istâ fuisse, sicut modo est. Hæc autem omnia procul dubio vos solum respiciunt, & vestræ sanctitati imputantur. Videte igitur, & intendite oneri quod suscepistis, & cui curam ejus vestri loco disponendam commisistis: quando vos, qui talibus obviare constituti estis, pro nihilo, tam diu regno, in quo exercentur abestis. Considerate quoque, si vobis placet, si cor vestrum ita soli Deo vacet: & si in tantâ securitate vestri jam conversamini, ut talibus animarum miseriis, aliâ vigilantiâ condescendere non debeatis. Scio enim, & benè scio, vos optimè scire, quid est quod facitis: sed ipsum scire vestrum perparum prodest nobis. fructum etenim communis utilitatis, ex tam diuturno negotio vestro, nullum adhuc procedere videmus. Mala autem, solius vestri occasione, in Ecclesia & populo Dei, undique succrescere, omni die conspicimus. Et hæc quidem vir ille* (pergit Edmerus) *tot mala exosus scripsit; autumans Anselmum, non nisi propriâ voluntate, ab ingressu Angliæ removeri. Sed verè Rex Henricus, nullo eum pacto ingredi patiebatur, nisi postpositâ, ut supra meminimus, obedientiâ Papæ, Episcopis & Abbatibus excommunicatis communicaret.*

XII. Duo inter Anselmum, et Regem controversa. Investitura et Homagium. Omittit hic Author nodum, & cardinem explicare, quo controversia Regem inter, & Anselmum vertebatur. In multis uterque convenerat: duo tantummodo, ad Romani Pontificis arbitrium decidenda, moram postulabant. Primum, de Investiturarum jure, quod Henricus sibi, Anselmus Ecclesiæ inesse, contenderant. Alterum, deberéntne Clerus, Abbates, & Episcopi,

Fidem

Fidem suam Regi Sacramento obligare: quod genus servitutis homagium, sive hominium dicebatur. Hanc fidem plerique Henrico firmaverant: Anselmus contra noluit Regiæ cupiditati Ecclesiam ancillari. Legati igitur utrimque lecti, qui Infulæ, & Coronæ jura, coram Paschali, excuterent; ejusque suffragium implorarent. hæc causa moræ in Anselmo fuit, nolente, nisi pace integrè stabilitâ, Angliam aut sedem ingredi; nè pedem postea referre, exasperatis magis animis cogeretur. ut ipse in literis ad Cantuarienses Monachos datis exponit. ubi etiam, effœminatum Clerum jubet anathemate percussum, beneficiis omnibus privari, ne Ecclesiarum bona transirent in mundum muliebrem. Literarum tenor est hujusmodi.

Ansel. Epistolarum l. 3. Epistola 110.

ANSELMUS Archiepiscopus fratribus, & filiis charissimis Domino Priori ERNULFO, & aliis sub illo Deo famulantibus in Christi Ecclesia Cantuariæ, Salutem & benedictionem Dei, & suam quantum potest.

XIII. ANSELMI LITERÆ AD ERNULFUM. * *Locus corruptus.*

„ QUOD tamdiu distuli scribere vobis, de hoc quod convenit inter Regem & me, in vigiliâ festivitatis Sanctæ Mariæ Magdalenæ, non fuit negligentiæ, sed opportunitatis quam * monstras opus non est absentia. Scitote quia Rex me revestivit de Archiepiscopatu nostro: & promittit se redditurū, quod de nostris redditibus hactenus accepit. Quod ipse cum magnâ lætitia, & bonâ voluntate se ostendit facere. & omnes qui cum eo sunt, se clamant inde gaudere. Sperat enim Rex inter Dominum Papam, & se. tantam concordiam, ante diem Nativitatis Domini futuram: ut ego utrique possim in Angliâ concordare, sine offensione. Qua de re ipse Legatum suum Romam mittere disponit; ut ante nominatum terminum rei certitudinem accipere posset. Sed quoniam res non est in eâ pacis & concordiæ inter eos certitudine solidata, ut sine dubietate, si modo in Angliam intravero, confidam me in pace ibi remansurum; elegi potiùs ad tempus extra Angliam manere: donec Legatus præfatus redeat Roma: ita ut interim & res Archiepiscopatus sint in mea potestate, & homines nostri sint in quiete: quam ad præsens me ad ambiguitatem ingerere: nè fortè iterùm per discordiam impacabilem necesse sit me de Angliâ exire. Equidem existimo hanc reditus mei dilationem nullatenus nocituram ad perfectam concordiam, quam speramus futuram.

XIV. PRESBYTERI CONCUBINARII EXCOMMUNICANTUR. * EXECRABILE CONIUGIUM.

„ De Presbyteris, & quibus Rex præcepit; ut & Ecclesias & fœminas habeant, sicut tempore Patris sui, & Lanfranci Archiepiscopi habuerunt: & quia Rex me resaisivit de toto Archiepiscopatu: & quia tempore Patris ejus & ejusdem Archiepiscopi, in Concilio prohibitum est tam *execrabile conjugium: fiducialiter ea, quam ex Archiepiscopatu habeo, authoritate præcipio; non solùm in Archiepiscopatu; sed etiam per totam Angliam: ut omnes Sacerdotes, qui fœminas tenuerint, Ecclesiis & omni Ecclesiastico beneficio priventur. Dominus Papa nuper mandavit Comiti de Mellento salutem, & benedictionem suam: hac videlicet conditione: si libertati Ecclesiæ voluerit favere; cui hactenus visus est resistere. Sin autem, ab introitu Ecclesiæ tantùm illum arcebat, sicut fecerat priùs de illo, & de aliis complicibus ejus, consiliariis Regis, in literis, quarum exemplar misi vobis. Sed quoniam idem Comes promisit mihi; se conaturum, ut Rex Papæ præceptis obediat, permisi ei introitum Ecclesiæ, à quo detinebatur. De aliis verò nec aliquis nominatur in præfatis literis, nec ego ullum certè possum nominare: & omnes ferè, sicut audio ad concordiam inter Papam & Regem nituntur. De his qui Investituras acceperunt, & de consecrantibus illos, nulla est mutata sententia. Gratias agimus Deo; quia vos, Domine Prior, sicut mandastis, de ægritudine vestrâ convalescitis: & oramus Deum, ut vos in integram sanitatem restituat. Omnipotens Deus vos semper suâ gratiâ protegat, semper ad meliora crescere faciat, Fratres & filii charissimi.

XV. ANSELMUS RHEMOS INVITATUR.

Dum Anselmus Regios Oratores, in Beccensi Monasterio, præstolatur, diutiùs, quàm aut Henrici promissa, aut Ecclesiasticarum rerum necessitas ferebant: à Manasse Episcopo Rhemos invitatur. de quo Edmerus. *Anselmo Remis consistente; illuc enim obnixis precibus Antistitis, & Canonicorum ipsius loci devictus ierat, & majori quàm literis queat exponi honore, festivoq; occursu omnium id loci degentium susceptus, circa Pontificem Manassem magna & officiosa caritate detentus, per plures dies ibi morabatur: misit ei Epistolam unam idem Rex, quam erte supponimus.* Priùs tamen quàm literas subjicio, dubium è dictis oritur; unde Manasses dici possit, hoc anno, Remensis Episcopus: cum Gervasius quidam Ecclesiam illam; juréne, an injuriâ? administrarit: cum interim Manasses Meldensis, non Rhemensis scribatur Episcopus. Certè anno sequenti Ivo Carnotensis Episcopus, ad Paschalem scripsit in hæc verba. *Notum esse volumus Excellentiæ vestræ: quia ego & Dominus Theobaldus, Beati Martini Parisiensis Prior, audientes miserabilem, & mirabilem Rhemensis Ecclesiæ desolationem ausu familiaritatis, opportunè & importunè, Regem Francorum interpellavimus: quatenus prædicta Ecclesiæ, expulso invasore Gervasio, pacem restitueret: & Dominum Rudolphum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanum, in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet.* Cum itaque Manasses sequenti anno, Meldensis Episcopus coronationi Regis Ludovici interfuisse dicatur: opinor Anselmum nostrum, ab eo invitatum, non Rhemis, sed Meldis constitisse, cum hasce Regis accepit.

Edmer. l. 4. fo. 81.

DE MANASSE EPISCOPO.

Apud Baron. 1106.

PASCHALI P. THEOBALDUS PRIOR.

Apud Edmer. fo. 81.

Reverendissimo, & amantissimo Patri ANSELMO, Cantuariensi Archiepiscopo: HENRICUS Dei gratia Rex Anglorum, salutem, & totius bonæ voluntatis affectum.

XVI. SCRIPTUM HENRICI AD ANSELMUM.

„ VENERABILIS Pater, non tibi displiceat, quod eorùm iter, quos Romam ad negotium meum peragendum dirigere decrevi, tamdiu detinui. Quod mox ut Willielmus de Warelwast ad te pervenerit, quem ad hoc negotium peragendum, sicut decrevimus, Romam dirigo, tibi expediet. Te supplex igitur deprecor, & devotus exoro: uti cum eodem Willielmo, Balduinum de Tornaio Romam

,, dirigas, ad nostram rem tractandam, & Deo, voleote finiendam. Vale. Ita Henricus moram & tarditatem suam excusans: terminum, quem negotio concludendo præfixerat, transgressus: sed nullum de novo constituens. Quod ægrè ferens Anselmus, & Ecclesiarum ruinam, ex tantâ dilatione prospiciens, ita Regi per literas respondit.

Suo charissimo Domino Henrico glorioso Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

XVII.
Apud Edmer. supra fo. 82. & Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 121.
Rescriptum Anselmi ad Henricum.

,, Quòd vestra magnitudo me in suis literis tam honorificè, tanto bonæ voluntatis affectu salutat, gratias magnas ago, sicut debeo. Quòd autem tam suppliciter me rogatis, ut non mihi displiceat, quòd Legatus vester, Romam mittendus, tantum moratur: utique vestram precem, quantum in me est, contemnere non debeo. Sed causa magis Dei est, quàm mea. Unde corde fideli, & benigno animo vobis dico, quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid displicere, nisi cum propter Deum displicet, non est magnum: Sed displicere aliquid, nullatenus est cootemnendum. Utique non parùm displicet Deo Episcopum spoliari rebus suis: quod jam gratia Dei vobis inspirante correxistis: sed Episcopum segregari à suo officio: & Ecclesiam à suo Episcopo, sine causâ quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedit itaque animæ vestræ, quatenus satagatis, ut ego, qualiscumque sim Episcopus, Ecclesiæ quam Deus Regiæ vestræ potestati custodiendam commendavit, & regno vestro in pace vestrâ celeriùs restituar: & mihi opportunitas utendi, secundùm possibilitatem meam, officio, pro quo ibi positus sum diutiùs non impediatur. Valde quoque mihi timendum est; ne Deo displiceat, & me Dominus Papa justè reprehendat: quia postquam vos, & ego, simul convenimus apud Castrum, quod vocatur Aquila, in tam longo tempore, non illi misi Legatum nostrum: per quem quid de tantâ re, inter oos factum, & quid peragendum sit, cognosceret: & ego ejus consilium & jussionem acciperem. Quapropter periculosum est mihi diu expectare vestrum Legatum; quem ante proximam Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Romam rediturum speravi: præsertim cum nescio quo consilio, quáve ratione, nullum terminum modo mihi constituitis. Quoniam igitur plus mihi debet esse de hoc, quòd ego Ecclesiæ mihi commissæ præsens esse nequeo; quàm de ullâ terrenâ possessione: precor, ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per literas vestras; quando possim Legatum vestrum, Romam iturum expectare: quia ego oon audeo differre, ut multum dicam, ultra proximam Nativitatem Domini, quin meum Legatum mittam. Vale.

XVIII. Eodem argumento literas dedit Anselmus sub idem tempus ad Comitem de Mellento, qui olim à Paschali excommunicatus, datis pœnitentiæ & obedientiæ signis, ab eadem communionem meruerat. scripsit ergo ad eum, in hunc modum.

Anselmus Archiepiscopus, Domino, & amico Roberto, Comiti de Mellento, Salutem.

Anselmi literæ ad Comitem de Mellennto.
Apud Edmer. l. 4. fo. 82.

,, Vos scitis, quia quando Rex, & ego, convenimus apud Castrum Aquilæ; dictum fuit; quod Rex mitteret Legatum suum Romam, pro iis in quibus concordare non poteramus, nisi per Dominum Papam. Quod intellexi, ut ita fieret, quatenus ante proximam Nativitatem Domini Legatus rediret. Videtis autem, quia Dominus meus Rex hoc quod tunc dixit, facere moratur. Sed hoc solum mandat mihi, qui Legatum meum cum ejus Legato mittere volebam: ne mihi displiceat, quia suus tantum moratur; nullum mihi constituens terminum quando venturus est. Unde quidam opinantur, & dicunt; quod Rex oon multum curat festinare; ut ego redeam in Angliam: & Ecclesia Dei, quam Deus illi custodiendam commendavit: quæ jam ferè per tres annos desolata est, suo vivo Pastore, ejus reditu & præsentiâ consoletur: & pro consilio animæ suæ, quo diu privata est, in illis, qui hoc amant & desiderant, lætificetur. Quapropter dico vobis; quia valde timeo, ne ipse super se provocet iram Dei: & super eos, quorum consilio differt tam necessariæ rei, tam rationabili succurrere; cum ad illum hoc pertineat, & facere possit ut nihil perdat de iis, quæ secundùm Deum, ad Regiam pertinent potestatem. Sicut amicus, & sicut Archiepiscopus, qualiscumque sim, consulo illi, & illis, qui circa illum sunt, ut non plus studeant satisfacere voluntati suæ, quàm voluntati Dei; quia Deus aliquando satisfaciet voluntati suæ, contra voluntatem eorum, qui hoc faciunt. Consulite ergo illi, & vobis; priusquam Deus ostendat iram suam, quam adhuc suspendit, expectans ut humiliemini ad voluntatem suam. Deus dirigat eum, & consiliarios ejus, ad verum honorem, & ad veram utilitatem ejus.

XIX.
Romam Legati mittuntur.

Dum hæc aguntur; & literæ ultrò citroque scribuntur; elabitur tempus, quod Henricus Rex Antistitis Anselmi reversioni præfixerat: & integer hic annus sine Cantuariensi Episcopo fuit. & tum demum sub finem anni hujus Oratores designantur, qui Regis, qui Anselmi causam, Paschalis arbitrio componendam, tractarent. Rex interea absoluturus Victoriam, quam hoc anno in Normannorum provinciâ inchoaverat, totus in colligendis per fas, & nefas pecuniis intentus, spe omnem Normanniæ Ducatum devorarat. Sed quia oovo milite, & multo belli apparatu opus, ad pomerium ultra Oceanum proferendum; dici vix potest, quàm carò Anglis steterit Regia cupiditas. Enimvero multam hoc anno pecuniam in fratre castigando, premendoque profuderat: & rediens eodem anno majorem pecuniæ vim à civibus extorsit. quod totum breviter ita narrat Rogerus io Annalibus. *Anno* (inquit) *millesimo centesimo quinto, Rex Anglorum Henricus transiit mare. Omnes autẽ penè majores Normannorum, ad ejus adventum spreto Comite, Domino suo, cui fidelitatem juraverant: in aurum & argentum Regis, quod ipse de Angliâ illuc portaverat, cucurrerunt; eiq; castra, munitaq; civitates tradiderant. Ille verò Baiocas, cum Ecclesiâ S. Mariæ, quæ intus erat, combussit; & Cadomum fratri suo abstulit.*

Henricus in colligenda pecunia solicitus.
Roger. in Henrico I. fo. 470.
Ecclesiam Re postea reparavit. V. an. 1106 n. 22.

abstulit. Et post Angliam rediit; quia Normanniam sibi totam subjugare non poterat: & ut copiosiori pecunia fretus, rediens anno sequenti; quod residuum erat, exhereditato fratre suo, sibi subjiceret. Quid inde sequutum, & quot incommoda utrique Anglorum Reip. in pecuniâ colligendâ provenerint, agens Edmerus de Legatorum missione in urbem, narrat in hunc modum.

XX. Edmer. l. 4. fo. 03. BALDUINUS PRO ANSELMO, GUILIELMUS PRO HENRICO.

Posthac missi sunt Romam, ex parte quidem Anselmi, Balduinus Monachus, vir utique sanctæ libertatis Ecclesiæ, & omnis boni non fictus amator: & ex parte Regis Willelmus, sæpè superiùs memoratus, pro libertate Ecclesiæ, sicut solebat, acturus. Quas verò quantasq; oppressiones inter hæc tota Anglia oppressa sit, difficile dictu esse scio. Rex enim ipse à Normanniâ digressus; quia eam totam, eo quo supra diximus modo, sibi subjugare nequiverat, reversus in Angliam est, ut copiosiori pecuniâ fretus, rediens quod residuum erat, exhereditato fratre suo, sibi subjiceret. In cujus pecuniæ collectione, nullus in collectoribus pietatis, aut misericordiæ respectus fuit: sed crudelis exactio super omnes: ut nobis qui inde veniebant, testabantur, desævit. Denique videres, sicut aiebant, eos quidem, qui non habebant quid darent; aut à suis domunculis pelli, aut avulsis asportatisq; ostiis domorum, penitus dirripiendos exponi: aut ablatâ vili supellectile, in summam penuriam redigi: aut certè aliis, atque aliis miserabilibus modis affligi, & cruciari. In eos autem qui videbantur aliquid habere, nova & excogitata quædam forisfacta objiciebantur. & sic cum adversus Regem terræ defendendi se placitum ingredi non audebant; ablatis rebus suis in gravem ærumnam dejiciebantur. Sed hæc ab aliquibus, levia dictu fortassis æstimabuntur, eò quod ista non solùm sub Rege Henrico; sed & horum similia multa facta fuerunt, sub fratre ejus; ut de Patre taceam Rege Willielmo. attamen ista illis graviora, & intolerabiliora visa sunt: quoniam multo minus solito, quod jam spoliatis & exhaustis auferretur, inveniebatur.

GRAVES ANGLORUM MOLESTIÆ IN PECUNIÆ EXACTIONE.

XXI. CONCUBINARII PUNITI.

Adhuc in Concilio Londoniensi, societas mulierum; ut in superioribus diximus; omnibus Presbyteris, & Canonicis Angliæ interdicta erat: ipsumq; interdictum, Anselmo exulante, retentis, vel certè resumptis mulieribus, à pluribus eorum violatum fuerat. Hoc ergo peccatum Rex impunitum esse non sustinens; suos Ministros eos implacitare, & pecunias eorum, pro hujus peccati expiatione, præcepit accipere. Sed ubi perplures eorum, ab illâ transgressione sunt immunes reperti: pecunia quæ ad opus Principis quærebatur, minorem, quàm exactores sperare poterant, copiam administrabat. Quapropter mutatâ, immo super innocentes cum nocentibus sententiâ versâ, omnes Ecclesiæ, quæ parochias habebant, sub debito positæ sunt: & unaquæque, indictâ pecuniæ quantitate, per Personam quæ in eâ Deo serviebat, redimi jussa est. Erat ergo miseriam videre. Cum enim exactionis ejus tempus ferveret: & nonnulli, quid vel darent non haberent: vel rem inauditam execrati, nil pro tali causâ dare volentes, contumeliosè raperentur, incarcerarentur, cruciarentur: contigit Regem ipsum Lundoniam venire. Adunati ergo, ut dicitur, fermè ducenti Presbyteri induti albis, & Sacerdotalibus stolis, Regi ad Palatium suum euntí, nudis pedibus, occurrerunt; una voce misereri implorantes. At ille fortè, ut fit, ad multa divisus; nullâ ad preces eorum miseratione permotus est: vel saltem quavis eos, sicut homines omnis religionis expertes, responsi honestate dignatus, suis obtutibus festinè abigi præcepit. Qui confusione, super confusionem induti, Reginam adeunt: & interventricem flagitant. Illa, ut fertur, pietate mota, in lacrymas solvitur: sed timore constricta, ab interventione arcetur. Hactenus Edmerus.

XXII. REGIS IMPIETAS, ET REGINÆ PIETAS.

Vidisti, Lector, Pharaonis nostri obduratum cor, quod nullo Sacerdotum supplicio, nullis Reginæ lacrymis, molliri potuit; avaritiæ, quod est idolorum servitus, argumentum singulare. Porrò quia Reginæ pietatis facta est mentio, juvat Regis impietatem, Reginæ pietatis recordatione obliterare. nec alio utar argumento ab eo quod hoc anno refert contigisse Matthæus Parisiensis, in hunc modum. *Eodem*, inquit, *tempore quo Cadomum & Bajocum Henricus conquisivit: David frater Reginæ Mathildis, venit in Angliam, ut sororem suam visitaret. Qui cum nocte quadam, in thalamum ejus, ab eo vocatus, venisset; domum invenit leprosis plenam. Et Regina in medio stans; deposito pallio; linteo se utrisque manibus præcinxit: & aquâ impositâ, cœpit lavare pedes eorum, & extergere linteo, & utrisque manibus constrictos, cœpit devotissimè osculari. Cui frater; Quid est quod agis, ô Domina mea? Certè si Rex sciret ista, nunquam dignaretur os tuum, leprosorum pedum tabe pollutum, suis labiis osculari. Et illa subridens, ait: Pedes Regis æterni, quis nescit labiis Regis morituri esse præferendos? Ecce ego vocavi te idcirco, frater charissime, ut exemplo meo talia discas operari. Fac rogo quod me facere videris. Cui cum frater respondisset, se nullo modo talia facturum: illa cœptis insistente, David subridens remeavit.* Hoc factum, cum Mathildis moritur, infra per otium contemplabor. Interim:

Paris. hic.

V. an. 1118. 4.

XXIII. EPISCOPORUM AD ANSELMUM CONVERSIO.

Non potuit Anselmum latere Anglicanæ Ecclesiæ calamitas, sub Henrici Regis tyrannide gementis: nam urbes & orbis illam loquebantur: summi & infimi, Clerus & Laïcus eandem testàbantur. Sed nemo inventus est, Anselmo absente, qui se murum opponeret, pro domo Dei. Fecere tamen Episcopi quod proximum erat, Anselmi opem, manumque malo propulsando implorantes. de quo Edmerus: *Eousque* (inquit) *mala super Angliam ipsis diebus inundaverunt; ut ipsi Episcopi, qui semper libertatem Ecclesiæ, & Anselmum eandem libertatem sublevare, enerviq; nitentem; ut ex superioribus intelligi potest, cum Principe deprimere nisi sunt, tantorum malorum immensitate compulsi, mandata Anselmo, cum Epistolâ dirigerent: & opem subventionis ejus pronis deposcerent: seq; illum amodo secuturos, in Dei rebus, ut Patrem, promitterent. Sed hæc, ut opinor, melius liquebunt, si Epistola ipsa subscribatur, quam ei miserunt. Est igitur hæc.*

Edmer. l. 4. fo. 04.

Patri dilectissimo, ANSELMO Cantuariensi Archiepiscopo: GERARDUS Eboracensis Archiepiscopus: & ROBERTUS Cestrensis, & HERBERTUS Norvvicensis, & RADULFUS Cicestrensis, & SAMPSON Wigorniensis Episcopi, & WILLIELMUS Wintoniensis electus, Salutem.

Apud Edmer. suprà, & Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 121.

XXIV. EPISCOPORUM LITERÆ AD ANSELMUM.

„ SUSTINUIMUS pacem, & ipsa longiùs recessit: „ quæsivimus bona, & invaluit turbatio. Viæ „ Sion lugent; quia eas conculcant incircumcisi. „ Templum mœret; quia intra sancta sanctorum, „ & ipsam aram, irruperunt laici. Exurge, ut „ olim senex ille Mathathias. Habes in filiis „ tuis, virtutem Judæ, strenuitatem Jonathæ,

„ prudentiam Simonis. Hi tecum præliabuntur prælium Domini. Et si ante nos appositus fueris ad patres tuos; de manu tuâ suscipiemus hereditatem laboris tui. Sed jam non est tibi pigritandum. Ut quid enim peregrinaris: & oves tuæ sine Pastore pereunt? Jam apud Deum nulla tibi remanet excusatio. Te enim non solùm subsequi; sed & præire, si jusseris, parati sumus. Veni ergo ad nos; veni cito: vel nos, aut ex nobis aliquos ad te venire jube: nedum sejuncti à te sumus, in sinistram te partem inclinent eorum consilia, qui sua quærunt. Nos enim jam in hac causâ, non quæ nostra, sed quæ Dei sunt, quærimus.

Ad has Episcoporum literas, & querimoniam, Anselmus ita rescripsit.

Apud Edmer fo. 64 & Ansel. l. 3. Epistolarum. Epist. 122

XXV. Anselmi responsum.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, amicis suis, & Coëpiscopis, quorum literas suscepit: Salutem.

„ Condoleo, & mente compatior tribulationibus, quas vos, & Ecclesia Angliæ, sustinetis: sed ad præsens, secundùm meam, & vestram voluntatem, subvenire nequeo; quia nondum quid, & quantum confidere possim, sum certus: donec per Legatos nostros; quos in proximo Româ redituros expecto, quid apud Dominum Papam effecerint, cognoscam. Bonum tamen est, & gratum mihi; quia tandem cognoscitis, ad quid vos perduxit, ut mitius dicam vestra patientia: & quia promittitis mihi auxilium vestrum, non in meâ, sed in Dei causâ: & invitatis me non pigriter venire ad vos. Quamvis enim hoc modo facere non possim; quia Rex non vult me esse in Angliâ adhuc; nisi discordem à jussione Papæ, & ejus concordem voluntati: & ego nondum certus sim, quid possim; sicut dixi: tamen gaudeo pro vestrâ bonâ voluntate, & Episcopali constantiâ, quam promittitis; & exhortatione, quam mihi facitis. Ut autem aliquos ex vobis, ad me venire faciam; sicut poscitis; ne dum sejuncti sumus ab invicem, pervertant consilium meum, qui sua quærunt; ad præsens non opinor oportere. Speto enim in Deo, quia nullus cor meum à veritate, in quantum cognoscam, poterit avertere. Et quia in proximo, Deus mihi quid facere queam ostendet: & ego quàm citiùs potero, vobis notificabo. Quid autem vobis interim faciendum sit, prudentia vestra satis intelligit: sed tamen dico, quia ego, in quantum sperando in Deo, conscientiam meam sentio: pro redimenda vita mea, non præberem assensum; neque ministrum, aut executorem ejus mali me facerem; quod audio noviter super Ecclesias Angliæ promulgari. Valete.

XXVI. Displicet Anselmo, quod Henricus in castigando Clero præsumpsit.

Intelligit, opinor, Anselmus hac extremâ clausulâ, præsumptam Henrici in Ecclesias tyrannidem quâ Clerum, Ecclesiasticorum Canonum transgressorem, ad laicum tribunal vocatos, pecuniariâ mulctâ castigari curavit: & tacentes super eâ re Episcopos, & fortè silentio faventes obliquè redarguit. Ipse certè Anselmus, nullo modo silendum ratus, Epistolari libertate Regem à tanto scelere deterret, scriptis literis, quas Edmerus recitans, ita præfatur. *Crebris de Angliâ nunciis Normanniam venientibus, id quod de Presbyteris Angliæ Rex faciebat, nimis divulgabatur: & non solùm hos, qui infamiâ ejus; verùm & eos, qui laude illius pascebantur, in odium & vituperium ejus adducebat. At Anselmus tam malam famam de Rege non ferens; eumq; à tantâ injuriâ revocare desiderans, scripsit ei de negotio semel & iterum; totiesq; responsi ejus scripta recepit. Quæ scripta, eo quo missa sunt ordine, subter annotanda putavi: ratus ea futuris temporibus, exempli gratiâ, profutura: si altiori consilio, Deus non sedaverit in regno Anglorum, quæ sub oculis ejus hodie fiunt, maxima mala.* Ita ille: maximum Ecclesiæ malum æstimans, Regem in Clerum aliquid præsumere; quid dicturus ad sæculi decimi septimi immane facinus; quo non Rex, non Princeps aliquis, aut altioris subsellii quispiam: sed vulgus hominum, infulas judicat, & omnia Ecclesiarum bona sub hasta licitans, venalia exponit? Nunc ad literas ab Anselmo ad Regem, sub hoc tempus, datas: quarum unæ sic inscribuntur.

Edmer. l. 4. fo. 81.

Henrico suo charissimo Domino, gratia Dei Regi Anglorum; Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, fideles otationes, cum fideli setvitio.

XXVII. *Apud Edmer suprà & Ansel. l. 4 Epistolarum Epist. 109.* Anselmi ad Regem literæ.

„ Ad me pertinet si audio, quòd faciatis aliquid, quod animæ vestræ non expediat; ut hoc vobis non taceam: nè quod Deus avertat, Deus irascatur, & vobis, si facitis quod illi non placeat & mihi, pro taciturnitate meâ. Audio quòd vestra Excellentia vindictam exercet super Presbyteros Angliæ, & forisfacturam exigit ab eis, qui non servaverunt præceptum Concilii, quod ego cum vestro favore tenui apud Lundoniam, cum aliis Episcopis, & religiosis personis. Quod hactenus inauditum, & inusitatum est in Ecclesiâ Dei, de ullo Rege, & de aliquo Principe. Non enim pertinet, secundùm legem Dei, hujusmodi culpam vindicare; nisi ad singulos Episcopos, per suas parochias: aut si & ipsi Episcopi in hoc negligentes fuerint, ad Archiepiscopum & Primatem. Precor itaque vos, sicut charissimum Dominum, cujus animam diligo, plusquam præsentem vitam corporis mei: & consulo sicut verè fidelis corpori & animæ vestræ, nè vos contra Ecclesiasticam consuetudinem, in tam grave peccatum committatis: & si jam incepistis, ut omninò desistatis. Dico enim vobis, quod valdè timere debetis: quòd pecuniâ taliter acceptâ; ut taceam quantum noceat animæ; non tantum, cum expendetur, adjuvabit terrena negotia, quantum postea perturbabit. Denique vos scitis, quia me in Normanniâ in pacem vestram suscepistis: & de Archiepiscopatu meo * resaisistis. Et quòd cura, & vindicta talis offensæ maximè pertinet ad Archiepiscopatum. Quoniam plus sum Episcopus pro spirituali curâ, quàm pro terrenâ possessione. Omnipotens Deus, sic & in hoc, & in aliis actibus vestris, dirigat cor vestrum, secundùm voluntatem suam; ut post hanc vitam perducat vos ad gloriam suam. Amen. Quid ad has literas rescripserit Henricus Rex, dicam anno sequenti.

al. * resarcivistis.

XXVIII.

Interim non solùm Anselmus, sed Radulphus quoque Cicestrensis Episcopus, pro Ecclesiarum

libertate

libertate pugnans, fortiter obstitit regiæ cupiditati. de quo hæc habet Malmesburiensis: *Religiosam contumaciam Henrici Regis mandatis exhibuit, volentis per totam Angliam, à Presbyteris (incontinentibus scilicet) pecuniam exigere. Id aliis, vel concedentibus, vel metu silentium tenentibus, in solo Radulpho rigor Pontificalis emolliri nequivit. Per totam scilicet Diœcesim, divina vacare officia, januas Ecclesiarum spinis obstrui præcepit: Monachorum cantum non inhibens, sed tamen Laicis aditum arcens. Atrocitas facti Regem inflexit, ut ei soli, quasi mente inconsiderata homini censum Presbyterorum indulgeret.* Ita ille. l. 2. de Pontif. fo. 257.

ANNUS CHRISTI 1106.

PASCHALIS II. PAPÆ 8.

HENRICI PRIMI REGIS 7.

I. QUI sequitur Christi annus millesimus centesimus sextus, post variam tempestatem halcionios dies aperuit: & sacra saltem Resp. per Anselmi reditum respiravit. Sed & altera florere aliquantulum cœpit, cum Normanniæ Ducatus, belli saltem, si non postliminii, jure, ad Angliæ coronam rediit. Sed benè dixit Anselmus suprà, ex iniquâ mammonâ, non esse magnum, aut diuturnum subsidium: & addo: si in tempore germinare hujusmodi subsidium cœperit; nunquam tamen dabit radices altas: & laicus Princeps, si Infulæ jura præsumpserit; inconstanter admodum, & illa, & sua possidebit. quod hoc argumento sit probatur. Normanni enim Principes, Ecclesiarum jura invadentes; non priùs ab injuriâ cessaverunt; quàm eorum posteri, in impietate crescentes, nefanda cupiditate, etiam Capitis Ecclesiæ prærogativam præsumentes, regni & Sacerdotii jura confuderunt. & Guilielmus, qui fœlix prole regnum Angliæ sibi quasi perpetuum stabilire arbitratus est, spe cecidit: Deus utique, noluit illam progeniem diu ad imperium propagari, quæ nimium semper in Ecclesiam præsumebat. quo discant posteri, divino judicio, debitis honoribus privandos esse, qui indebitum honorem arrogarunt. nunc quæ hujus sunt anni propria percurramus: inde narrationem inchoantes, ubi superiori anno desiimus. nimirum ab Anselmi literis ad Henricum indebita præsumentem scriptis: quibus Rex in hunc modum rescripsit.

Præsumptio in Ecclesiam punitur, et quomodo.

Apud Edmer. fo. 56.

HENRICUS Dei gratia Rex Anglorum, ANSELMO Archiepiscopo Cantuariæ, Salutem.

II. Henrici Literæ ad Anselmum.

„ IN die Sancti Gregorii, apud Tunnebrigge, „ mihi fuerunt delatæ literæ, repostæ in tuo „ sigillo. Et per eas mihi mandasti talia, unde „ multum miror: quia quod feci; credo me per „ te fecisse. Et in die Ascensionis Domini, ha„ bebo omnes Barones meos mecum congrega„ tos, & per consilium eorum, ita convenienter „ tibi respondebo: quod cum tecum loquar, „ non credo te me inde blasphematurum. Et „ quicquid fiat aliàs; scito quod tui, quicquid „ ipsi fecerint, per omnes terras tuas in pace „ permanserint. Ad has Henrici literas, Anselmus ita rescripsit.

Apud Edmer. suprà.

Suo charissimo Domino HENRICO, gratia Dei Regi Anglorum, ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis, fidele servitium, & fideles orationes.

III. Anselmi responsum ad Regis literas.

„ GRATIAS ago Deo, & dignationi vestræ: „ quæ in literis suis promisit se convenien„ ter responsuram mihi, de hoc unde precatus „ eam fueram, in literis meis, de Sacerdotibus „ Angliæ. Et oro Dominum, cujus consilium „ manet in æternum; ut ipse vobis consulat res„ pondere, & facere quod illi placeat; & unde „ fideles dilectores animæ vestræ gaudeant. De „ hoc autem, quod legi in literis vestris, quod „ creditis vos facere per me, quod facitis; pro „ certò scitote, mi Domine, quod non est per „ me: quoniam contra Deum facerem, si per me „ esset. Quapropter adhuc precor, magno & fi„ deli affectu, quatenus in tali incepto, nullius „ consilio persistatis. Valete.

Ad has literas, mite satis responsum, eodem tempore, reddidit Henricus Rex, cum has Anselmo literas dictavit.

HENRICUS Rex Anglorum, ANSELMO Archiepiscopo, Salutem & amicitiam.

Apud Edmer. l. 4. fo 26.

„ DE hoc quod mihi mandasti de Sacerdoti„ bus; scias quod ita decenter feci, ut opi„ nor, secundum quod facere debui. Nec tibi „ sit incognitum, brevi intervallo temporis me „ transfretaturum. Et ex quo tecum locutus „ fuero; si quæ commisi in his, omnipotentis „ Dei, & tuo consilio corrigam. teste Waldri„ co Cancellario, apud Merlebergam.

IV. Inter hæc Regius Orator, quem Rex ad Paschalem destinarat; ad Anselmum in Beccensi Monasterio commorantem venit: ut Balduino Monacho conjunctus, Romam pergeret, pro Rege oraturus. quod factum opinor sub hujus anni exordium. Cæterùm Balduinus Lugdunum pergere jubetur, & Hugonis Archiepiscopi monitis, consilioque muniri. ut supplicibus literis Anselmus postulavit hunc in modum.

Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 123.

Suo Domino, & Patri, HUGONI Reverendo Archiepiscopo Lugdunensi, matri Ecclesiæ sincerè diligendo: ANSELMUS servus Ecclesiæ Cantuariensis, quod altius & quod melius valet intelligere.

Anselmi Literæ ad Hugonem Lugdunen.

„ QUID fecerim, postquam à Paternitatis ve„ stræ amabili præsentiâ discessi: quidve sit „ inter Regem Angliæ & me, non est opus lon„ gâ Epistolæ narratione significare; quia præ„ sentium possunt melius vivâ voce referre. „ Quoniam autem in omnibus actionibus meis, „ vestro vellem, si fieri posset, super omnes ho„ mines quos novi, uti consilio: maximè in hoc „ negotio, pro quo eosdem Legatos Romam „ mitto, supplex, ut ipsi instruantur & munian„ tur vestra prudentia rogo. Audeo etiam

,, rogare, ut si sanctitati vestræ videtur conveni-
,, re, aliquid Domino Papæ suggerat, prout ipsi
,, negotio intelliget expedire. Scitis enim, quia
,, ubi rei alicujus dispositio, de diversorum pen-
,, det consilio: sicut non omnes eundem sensum
,, habent; ita non eundem præbent assensum.
,, Quoniam ergo mentem vestram certus sum
,, solidatam in veritate, vellem sententiam ve-
,, stram esse præsentem, ubicumque tractatur de
,, Ecclesiæ Dei libertate, & verâ utilitate.

V.
,, Tota difficultas causæ, inter Regem, & me,
,, jam in hoc maximè videtur consistere: quia
,, Rex, quamvis de Investituris Ecclesiarum
,, Apostolicis decretis, se vinci, ut spero, per-
,, mittat. Hominia tamen Prælatorum, non
,, vult, ait, dimittere. Qua de re, sua legatio-
,, ne, Sedem requirit Apostolicam: quatenus in
,, hoc suæ voluntatis impetrêt ab eâ licentiam.
,, Quam si adeptus fuerit: dubito quid me face-
,, re oporteat; si aliquis religiosus, electus ho-
,, mo Regis pro Episcopatu, aut Abbatiâ fieri
,, respuat. Durum enim mihi videtur, ut hoc
,, illi præcipiam per obedientiam. Et si non fe-
,, cero, videbor irreligiosis hoc facere volenti-
,, bus laxare indignè accedendi ad dignitates au-
,, daciam. De illis quoque qui jam Investituras
,, prohibitas acceperunt: & de his qui eos sacra-
,, verunt; puto quia Rex postulabit, ut in hoc
,, permaneant, quod illicitè præsumpserunt.
,, Quapropter de his, & de quibus per nostros
,, Legatos, vestram requiro sapientiam; vestram
,, mihi posco insinuari sententiam. Omnipotens
,, Deus diu vestram sanctitatem, cum omni pro-
,, speritate servet incolumem. Amen.

Hominia Prælatorum Henricus non vult dimittere.

Ad Anselmi literas & postulata Hugo Lugdunensis hoc responsum dedit.

Lib. 3. Epistolarum Epistola 124.

Optabili & totis visceribus amabili Patri suo & Domino Anselmo Venerabili Anglorum Episcopo: Hugo Lugdunensis Ecclesiæ servus, divinæ protectionis continuam consolationem.

VI. Hugonis Episcopi responsum.

,, Meminit Sanctitas vestra, Reverende Pa-
,, ter, nos semper desiderasse, & si secun-
,, dùm Deum fieri posset, vobis consuluisse, ut
,, commissam vobis Anglicæ Ecclesiæ curam re-
,, ciperetis: & tam gravis oneris jugo, pro com-
,, muni commissi vobis gregis salute, obedientiæ
,, collum subdere non recusaretis. Nunc igitur
,, ex Domini Balduini relatione comperio, quòd
,, illud propter quod assequendum tantoperè ha-
,, ctenus laborastis; & non solùm vestra, sed &
,, vos ipsos exposuistis per Dei gratiam: jam tan-
,, dem, ex magnâ parte assecuti estis: ut ad illud
,, quod restat sperandum, animari possitis: con-
,, sulendo precamur, & precando Sanctitati ve-
,, stræ consulimus, ut Apostolico præcepto obe-
,, dire non dissimuletis: ne sententiam vestram
,, pluris faciendo, quàm Apostolicam authori-
,, tatem; non solùm sæculo & regno; verùm
,, etiam Ecclesiæ & Sacerdotio resistere judice-
,, mini. Licet enim in Anglicæ Ecclesiæ agro,
,, aliud semen super petram, aliud secus viam,
,, aliud verò cadet inter spinas: sed & bona terra
,, invenitur in eo; quæ suscepto prædicationis
,, vestræ semine, fructum afferet in patientiâ. Sed
,, me miserum: quoniam ipse author & incen-
,, sor fio desolationis meæ; qui unicum solamen
,, & gaudium meum, & animæ meæ post Deum
,, vitam, removere contendo à conspectu oculo-
,, rum istorum, quos humaniter gestare videor.
,, dum id quod gratiùs frui solebant, videlicet
,, dulcissimi Patris mei præsentiam; non solum
,, eis utile, sed etiam ulterius se visuros sperare
,, non relinquitur. Sed absit, ut pro temporali
,, commodo meo, generali tot tantorum saluti
,, invideam: imo non quæ mea sunt; sed quæ
,, Jesu Christi sunt, quæram. Habe me igi-
,, tur, Beatissime Pater, in sinu memoriæ tuæ;
,, quandoquidem mihi non conceditur inspicere
,, vultum præsentiæ tuæ. Optamus semper be-
,, ne valere, & salutis nostræ curam gerere.

VII. Investiti a Rege jubentur absolvi.

Nuntii superiùs in Urbem missi, cum Regis causam perorassent: Paschalem ad aliqua inclinarunt, unde se indulgentissimum Patrem ostendit. Licet enim in Investituris Ecclesiæ asserendis constans fuerit: eos tamen qui peccarant, jubet absolvi: nec eos modo qui à laica manu Investituras acceperant: sed eos etiam qui falsâ delatione, controversiæ funem protraxerant. Antistites, inquam, qui anno primo hujus sæculi, Paschalis verba mentemque adulterarant. quod datis ad Anselmum literis ita summus Pontifex expressit.

V. an. 1101. n. 27.

Apud Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 140. & Edmer. l. 4. fo. 87.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo Cantuariensi Episcopo: Salutem & Apostolicam benedictionem.

,, Quòd Anglici Regis cor ad Apostolicæ
,, Sedis obedientiam, omnipotentis Dei di-
,, gnatio inclinavit; eidem miserationum Domi-
,, no, gratias agimus, in cujus manu Regum
,, corda versantur. Hoc nimirum tuæ charitatis
,, gratiâ, tuarumque orationum instantiâ factum
,, credimus, ut in hac parte, populum illum, cui
,, tua solicitudo præsidet, miseratio superna re-
,, spiceret. Quod autem, & Regi, & iis qui
,, obnoxii videntur adeo condescendimus: eo
,, affectu, & compassione factum noveris, ut eos
,, qui jacebant, erigere valeamus. Qui enim
,, stans jacenti ad sublevandum manum non por-
,, rigit; nunquam jacentem eriget; nisi & ipse
,, curvetur. Cæterùm quamvis propinquare in-
,, clinatiò videatur, statum tamen rectitudinis
,, non amittit. Te autem Frater in Christo ve-
,, nerabilis & charissime, ab illa prohibitione;
,, sive, ut tu credis, excommunicatione absolvi-
,, mus, quam ab Antecessore nostro sanctæ me-
,, moriæ Urbano Papa, adversus Investituras,
,, aut hominia, factam intelligis. Tu vero eos,
,, qui Investituras acceperunt, aut investitos be-
,, nedixerunt, aut hominia fecerunt; cum ea sa-
,, tisfactione, quam tibi per communes Legatos
,, Willielmum & Balduinum, viros fideles & ve-
,, ridicos, significamus; Domino cooperante
,, suscipito: & eos vice nostræ authoritatis ab-
,, solvito: quos vel ipse benedicas: vel à quibus
,, volueris, benedici præcipias: nisi aliud fortè
,, in iis repereris, propter quod à sacris sint ho-
,, noribus repellendi.

VIII. Eliens. Abbas.
,, Cæterùm Eliensi Abbati, tuæ commissionis
,, consortium subtrahes, quamdiu Abbatiam re-
,, tinere præsumpserit; quam contempto nostri
,, oris, quod præsens audierat, interdicto, per
,, repetitam Investituram præsumpsit invadere.

Si

Hominia hic non prohibentur, et quomodo. Episcopi qui falsum nuntiaverant, non sunt vitandi.

Si qui verò deinceps præter Investituras Ecclesiarum, Prælationes assumpserint; etiamsi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc, à benedictionis munere arceantur. donec per omnipotentis Dei gratiam, ad hoc omittendum, cor Regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea super Episcopis qui falsum, ut nosti, à nobis rumorem attulerunt, cor nostrum vehementiùs aggravatur: quia non solùm nos læserunt: sed multorum simplicium animas deceperunt: & Regem adversus charitatem Sedis Apostolicæ impulerunt. Unde & inultum eorum flagitium, Domino cooperante non patimur. Veruntamen quia filii nostri Regis instantiâ, pro eis nos pulsat attentiùs: etiam ipsis communionis tuæ participium noo oegabis; donec veniendi ad nos præceptum accipiant. Sanè Regem, & ejus conjugem, ac proceres illos, qui pro hoc negotio circa Regem, ex præcepto nostro laboraverunt, & laborare uitentur: quorum nomina è supradicti Willielmi suggestione cognosces; juxta sponsionem nostram à pœnitentiis suis, & peccatis absolves. Igitur quandoquidem omnipotens Deus, vos in regno Angliæ, ad suum, & Ecclesiæ suæ honorem, in hac præstitit correctione proficere: eâ deinceps mansuetudine, dispensatione sapientiæ, provisione, circa Reges & Principes tua fraternitas satagat: ut quæ minus adhuc correcta sunt; auxiliante Domino Deo nostro, per tuæ solicitudinis studium corrigantur. Quâ in re, ita dilectioni tuæ nostrum sentias adesse præsidium; ut quæ solveris, absolvamus: quæ ligaveris, alligemus. Rothomagensis Episcopi causam, & interdictum, justitia dictante, prolatum, tuæ deliberationi commisimus. Quod enim indulseris indulgemus. Fraternitatem tuam superna dignatio, per tempora longa servet incolumem. Datum X. Kalen. Aprilis.

IX. Quid commiserat Rothomagensis Episcopus.

Quod ad Rotomagensem Episcopum attinet, qui Anselmi arbitrio stare debet, aut cadere, Annales nostri ejus crimen non exponunt: nec aliud ab eo peccatum invenio, quàm quòd Ranulfum Dunelmensem Episcopum, Lexoviensi Ecclesiæ præesse permiserit. quod, quando aut quomodo factum, Authores nostri nusquam prodiderunt. Id tamen à Ranulfo factum, à Guilielmo Rothomagensi Archiepiscopo permissum constat, ex Ivonis Carnotensis Episcopi literis ad Paschalem Papam: ubi Nornannicæ Ecclesiæ calamitatem, sub Roberto Duce, deplorans, ita literas auspicatur.

Paschali summo Pontifici: Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister debitum cum omni subjectione famulatum.

Apud Baron. an. 1107. Ivo conqueritur de Normannorum Ecclesiis

Cum status Ecclesiæ penè ubique terrarum ruinas lamentabiles patiatur: quisque dilector domus Dei, dehonestationes ejusdem domus, quantò viciniùs sentit, tantò uberiùs plangit, quoniam ignis viciniora comburit. Quod idcirco majestati tuæ prælibavimus; quoniam cum in aliis locis unusquisque domus Dei prostitutor, malitiam suam, aliquo velamine, tegere moliatur: In terrâ Normannorum ita manifestè prostituta est Ecclesia, ut de eâ illud Propheticum dici possit: Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Quod in Ecclesiâ Lexoviensi Paternitas vestra poterit agnoscere: quam jam per plures annos, Ranulphus, agnomine Flammardus, Dunelmensis Episcopus inaudito invasionis genere occupavit. Qui duos filios suos vix duodennes, accepto Pastorali baculo, à Comite Northmannorum, prædictæ Ecclesiæ intrudi fecit: ea conditione; ut si primogenitus moreretur, Judaico more, alter alteri subrogaretur. Quod cum partim dolentibus, partim deridentibus plurimis, diu perpessa esset Ecclesia, monitu quorundam religiosorum graviter redargui solo charitatis intuitu, Rothomagensem Archiepiscopum: ad cujus Diœcesim pertinet prætaxata Ecclesia: quod ex adverso non staret, qui pro domo Israël murum opponeret.

Indebite occupatis. Ranulphus Dunelmen. occupat Lexovien. Ecclesiam.

X. Ejicitur inde.

Tandem cum Comes terræ illius, periculo amittendi Principatus sui urgeretur: quasi pœnitentiâ ductus, monente Ebroicensi Episcopo, cum Metropolitano suo præcepit, ut prædictus Dunelmensis Episcopus, de Ecclesiâ, cum suâ sobole ejiceretur: & Episcopus ibi Canonicè eligeretur. Pergit pluribus idem Author dicere, Antistitem noviter electum, Ranulphi improbitate, à Sede suâ arceri. Quod fortè Rotomagensi Episcopo crimini datum: ideoque ab officio Canonico suspensus est. Extant sanè ejusdem Ivonis ad Rhotomagensem literæ, quibus magno zelo scelus insectatur, quo duabus Ecclesiis unus præficitur, ubi Ranulphi Dunelmensis mentionem injiciens, ita loquitur inter alia: *Cum ab ipsâ infantiâ mundi, in Lamecht, carnalis bigamia sit culpata: quomodo poterit in sponsâ Christi, quæ est Ecclesia, laudari: quæ & Sacramento, & in veritate Sacramenti, uni debet viro desponsari? Eliminetur ergo de Lexoviensi Ecclesiâ Ranulphus Dunelmensis Episcopus, ut bigamia non admittatur: eliminentur pueri ejus, ut Neophytorum hæresis extirpetur.* &c.

Apud Baron. an. 1107.

XI. Temporis ratio.

Quod ad controversiæ hujus tempus spectat, cum Ivo supra dixerit; Robertum timore amittendi Principatus, Lexoviensem Sedem alteri permisisse; patet hoc anno factum: nam, ut infra dicam, Robertus hoc anno Principatum amittet. Cæterùm, si Ranulphus per plures (ut supra) annos, Lexoviensem Ecclesiam invasit: opinor id factum sub Henrici Regis exordia: tunc enim Ranulphus, è turri Londinensi, quò eum, ejus scelera conjecerant, elapsus, in Normanniam trajecerat: & Roberti Ducis partes secutus; secessionis præmium accipere potuit Lexoviensem Sedem. Postea tamen ab Henrico veniam, & Dunelmensem Sedem postliminio meritus; fortè filios, ante Sacerdotium susceptos, Roberti Comitis indulgentiâ; vel re, vel spe, eidem Sedi intruserat: quod Ivo Carnotensis ægrè ferens, vindicari postulat, Rotomagensi æquè ac Dunelmensi iratus. Cæterùm an facti hujus reatus, an verò (quod potius crediderim) Philippi Francorum Regis, cum Pellice conjunctio, Rotomagensem ab officio suspenderit, nescio: illud constat: Anselmum, per nuntios, Paschalem ad misericordiam inclinasse. Cui demum de facti jurisque inquisitione, permissum est arbitrium. nam ita in Edmero legitur. *Suspensus fuerat ob*

V. Malmesb. fo. 159. fine.

Edmer. l. 4. fo. 56.

officio

officio Episcopali, jam olim VVillielmus Archiepiscopus Rotomagensis: & per hos nuntios intercesserat pro eo apud Dominum Papam Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis. mandavit itaque ei Dominus Papa, ut de causâ ipsâ, quod faciendum intelligeret, suâ vice faceret: sciens eum à justitia semita, nullius rei interventu, scienter flecti posse. Ivit ergo Rotomagum, & in Synodo Clericorum, quæ tunc erat adunata, adventus sui causam exposuit. Profert literas VVillielmus Legatus Regis, quas ex parte Apostolici, de re, Româ detulerat: & coram omnibus recitantur sic:

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili Fratri WILLIELMO, Rotomagensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

XII. PASCHALIS LITERÆ AD ROTHOMAGEN. EPISCOPUM.

„ LICET causæ tuæ qualitas patientiam no-
„ stram plurimùm gravet: pro reverentiâ ta-
„ men Fratris nostri Cantuariensis Episcopi, &
„ dilectione latoris præsenoum, filii nostri Wil-
„ lielmi, qui pro te apud nos vehementiùs in-
„ tercesserunt: paternâ penes te benignitate mo-
„ vemur. Causam itaque tuam, eidem Fratri,
„ Cantuariensi Episcopo, commisimus; ut quod
„ ipse indulserit, indulgeamus. Eo nimirum
„ intuitu, eâ conditione, ut malos consiliarios;
„ quorum instinctu multas pravitates incurristi;
„ à tuâ familiaritate repellas. Datæ Beneventi
„ V. Calen. Aprilis.

Dum Paschalis hoc anno Beneventi commoratur, Farsensis Abbas Petri Sedem, pessimorum factione, ingressus, Silvester voluit appellari. quod pusillorum animos aliquamdiu turbavit. Sed & Henricum Regem, suspenso interdum animo fuisse, petiisseque ab Anselmo doceri rei gestæ veritatem, colligi videtur è literis hoc tempore ad Henricum datis: quæ sic se habent.

Apud Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 114.

HENRICO charissimo Domino, Regi Anglorum: ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

XIII. ANSELMI AD HENRICUM DE NOVO SCHISMATE FARSEN. ABBATIS.

„ PRÆCEPIT mihi Celsitudo vestra, in literis
„ suis: quatenus sibi aliquem de familiaribus
„ nostris mitterem; cui familiariter credere pos-
„ set ea, quæ mihi mandare vellet. Mitto igitur
„ Fratrem Gislebertum, Monachum Beccensem,
„ familiarem meum: cui sicut mihi credere po-
„ testis, quod mihi mandare placuerit. Qui
„ etiam notificabit vobis, quomodo Dominus
„ Balduinus, & Willielmus jam iter Romæ in-
„ gressi fuerant, quando vestram suscepi Episto-
„ lam; & quod audivimus de Apostolico Pascha-
„ li: & de illo qui Sedem ejus per rapinam dici-
„ tur invasisse. Hoc tantum dico; quia Aposto-
„ licus Paschalis secundùm Deum, Ecclesiasticè
„ est electus, & per totam Ecclesiam Catholi-
„ cam jam susceptus, & confirmatus. Ille verò
„ invasor, de quo fama est, nullam habet ele-
„ ctionem, aut susceptionem, nisi à filiis diaboli,
„ inimicis Ecclesiæ Dei. Quapropter expecta-
„ mus, ut cadat super eum, si non cecidit, quod
„ dixit Dominus: Omnis plantatio, quam non
„ plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.
„ Nec moveri debet aliquis Christianus; si per-
„ secutionem patitur Ecclesia Dei: quod idem
„ ipse passus est, & eandem Ecclesiam passuram
„ prædixit: In mundo, inquiens, pressuram ha-
„ bebitis: quam consortat, subjungens: sed con-
„ fidite, ego vici mundum. Omnipotens Deus
„ sic vos faciat in hac vitâ regnare super An-
„ glos: ut in futurâ regnetis super Angelos.

Ita Anselmus schismati occurrens, quod Silvestrina factio conabatur inducere: sed frustrà: nam fungus ille, è terræ putredine subitò enatus, statim emarcuit: & Canonica Paschalis electio clarior constantiorque apparuit.

XIV. ANSELMUS IN ANGLIAM VOCATUR, ET ÆGROTAT.

Detinuimus hactenus in Normanniâ Regis Oratorem Guilielmum; qui inde recedens, in Angliam trajecit, Henrico legationis suæ rationem redditurus: quid inde sequutum, & quomodo Anselmus, cum variâ fortunâ conflictatus, inter spem, metumque multorum, beavit tandem, suo reditu, Anglicanam Ecclesiam, dicat Anselmi Comes, Edmerus. *Itaque VVillielmus, ubi ad Regem in Angliâ venit: & ei quæ de negotio ejus ad Romanum Pontificem acta fuerant, enarravit: lætus ille ad audita, illicò Anselmum, ad Ecclesiam suam redire, per eundem VVillielmum, postulavit. Qui VVillielmus, ad nos post paucos dies reversus, Anselmum infirmum invenit: & valde conturbatus est. Erat enim tunc jam ad libertatem Ecclesiæ Dei cor habens: & in quantum poterat, sollicitè operam dans, ut Anselmus suæ Sedi, in pace, & honore restitueretur. Timens ergo, ne virum, loci ac fratrum amor, non minùs quàm ea quâ gravabatur, corporis invaletudo, ab itinere Angliæ præpediret; modis quibus poterat, tum per se, quàm per nos, qui secum eramus, agere cœpit: qualiter virum loco evelleret: & in iter quod desiderabat, promoveret. Præmissis igitur precibus, quibus eum ex parte Domini sui Regis Anglorum interpellavit: quatenus Angliam, ejus absentiâ desolatam, citato reditu visitaret: affirmabat, & affirmando promittebat, Regem ipsum penitùs ad voluntatem illius, in omne quod deinceps præciperet, promptissimam mentem habere. nec ulteriùs à Romanâ Ecclesiâ velle dissentire: & subjungens, ait: Propterea obsecro, ut omnem moram rumpatis, in veniendo, ne fortè ex adverso aliqua sæcularis aura prorumpat, quæ eum ab ipsis subvertat. Hæc ille audiens, Deo super admirabili dono ejus gratias egit. Acceptaque licentiâ à fratribus, inter quos jam diu magno cum amore, & honore, habiti fueramus, in Angliam iturus, Gemmeticum venit. ubi renovatâ infirmitate, quâ ut memoravimus, Becci gravatus fuerat, à loco progredi nequaquam potuit.*

Edmer. l. 4. fo. 88.

XV. HENRICUS DOLET DE ANSELMI INFIRMITATE.

Quapropter missis in Angliam nuntiis, intimavit Regi, quid sibi, ne rediret, obstabat. Turbatur ille ad audita, & vehementer indoluit, jurans per verbum Dei: scilicet omnia damna æquanimius toleraturum; quàm Anselmi decessum. Remissis ergo celerrimè nuntiis, orat virum sibi ipsi parcere, ac omnimodis indulgere quieti. Præcepit quoque ut de iis quæ sui juris in Normanniâ erant, pro voto acciperet. & sibi, ac suis exinde ministrari sufficienter juberet: seque in proximo transfretaturum expectaret. Quo ipse gratiosè accepto, circiter mense uno ibi remansit. Mitigato deinde languore Beccum rediit, ratus sibi opportuniùs & honestiùs fore, illic quàm alias, Regium præstolari adventum. Ubi omnibus mira alacritate de reditu ejus exultantibus: ecce lacrymabile malum concussit atque subvertit gaudium ipsum. Nam tam gravis infirmitas iterum invasit Anselmum, ut de eo præter mortem nihil expectaremus. Confluunt Episcopi & Abbates terræ illius, ac de funere ejus quique

pertractant.

pertractant. Sed omnipotens Deus suâ pietate, ipsum contra omnium opinionem sanitati restituit: & multos magno exinde gaudio exhilaravit.

XVI. ROBERTUS IN HENRICUM FRATREM SURGIT, ET IN VINCULA CONIICITUR.

Hoved. hic.

Dum Anselmus varia tempestate in Normanniâ tentatur: Robertus Normannorum Princeps in Angliam proficiscitur; recuperaturus prece, & blanditiis, quod temeritate perdiderat. Sed Henrici fratris cupiditas, ambitioque proferendi imperii, nullum precibus locum dedit. Unde Robertus, in fratrem excandescens: dum magno impetu in Regem surgit, non solùm amissa non recuperat; sed adverso Marte pugnans, non potuit parta tueri. Quod ad tempus spectat, ita rem narrat Hovedenus. *Anno millesimo centesimo sexto, Robertus, Comes Normanniæ, venit in Angliam, ut loqueretur fratri suo Regi Henrico, quem invenit apud Northamptun. Tunc Comes quæsivit ab eo ut redderet sibi ea, quæ acceperat, super eum in Normanniâ. Cui Rex omnia contradixit. Quamobrem Comes iratus mare transiit.* Secutus est fratrem Henricus Rex, & immanè persecutus; nam omni Principatu exutum, æternis vinculis mancipavit.

Idem suprà.

quod ita narrat Author, qui suprà. *Rex Anglorum Henricus, ante Augustum mensem, transiit mare, tendens in Normanniam. Cui omnes ferè primi Normannorum se dederunt; exceptis Roberto de Belesmo, & Willielmo de Moretgou, & paucis aliis, qui se tenebant cum Comite Roberto.* Henricus, in fratrem non nisi propitio Deo pugnare statuens, dextram cum Anselmo jungit, & omnia quæ præsumpserat Ecclesiæ jura devotè resignat, teste qui aderat Edmero.

XVII.

Edmer. l. 4. fo. 89

REX ET ANSELMUS IUNGUNT DEXTRAS. HENRICI POENITENTIA, ET PIETAS.

Igitur in Assumptione Beatæ Mariæ Rex Beccum venit, celebratoq; ab Anselmo solenni Missæ officio: unà, Rex scilicet & ipse, convenerunt: & tandem omnia quæ ipsos in diversa traxerant, pacem & concordiam invenerunt. Si quidem Ecclesias Angliæ, quas Willielmus Rex, frater Regis Henrici, sub censum, ut longè superius retuli, primus redegerat; liberas ab eâdem exactione Rex in manus Anselmi reddidit. & se de ipsis, dum viveret, nihil accepturum, quamdiu essent sine Pastore, promisit. Pro pecunia autem, quam à Presbyteris, ut præfati sumus acceperat, eam emendationem spopondit: ut si qui nondum inde quid dederant, nihil darent: & qui dederant, tribus annis sua omnia in pace, & quiete libera possiderent. Cuncta verò quæ de Archiepiscopatu, exulante Anselmo, suo jussu accepta fuerant, se redditurum, cum in Angliam esset reversus, dato vadimonio pollicitus est. Ita insigni victoriæ, quæ deinde sequuta est, prælusit Henricus Rex. Anselmus pace datâ acceptaque, relicto in Normannia Rege, in Angliam reversus, à summis infimisque, ingenti gaudio, excipitur, Edmero teste qui ita loquitur.

XVIII.

Edmer. l. 4. fo. 89.

ANSELMI IN ANGLIAM REDITUS.

His & aliis quæ res expetebat, inter Regem & Episcopum compositis; Anselmus iter Angliam remeandi ingressus est. & divino tutamine fretus, sanus & alacer, cum suis omnibus Doferis est appulsus. Quâ verò exultatione, quâ jocunditate, quâ spe bonis in Angliam veniens, susceptus sit: reor ex consideratione malorum, quæ paucis tetigimus, illic ante reditum ejus provenisse; aliquantulum subintelligi posse. Unde ut diversæ ætatis, & ordinis hominum gaudia sileam;

REGINÆ PIETAS IN ANSELMUM.

de ipsâ Reginâ hoc breviter dixerim: quod nec terrena negotia, nec pompa sæcularis gloriæ ulla, poterant eam detinere; quin virum diversa loca obeuntem præcederet; & Monachis seu Canonicis, et pro more obviam procedentibus; ipsa procederet: hospitiaq; ejus sua providentia, dignis apparatibus adornaret. Itaque posthac, ii qui Ecclesiis ac Monasteriis, pro exigendâ Regiâ pecuniâ fuerant intromissi, ejecti sunt: & personis cujusque Ecclesiæ res intus & extra, ad communem utilitatem commendatæ. Presbyterorum etiam causa sicut Regem Anselmo promisisse diximus, disposita sunt. atque id ipsum per totum regnum divulgatum. Coronavit Deus hanc Regiam pietatem indulgentiamque insigni victoriâ; quæ Normanniam subjugavit Anglis, quos ante quadraginta annos Normannia subjugaverat: civili discordiâ viam Henrico ad imperium sternente. Rem ordior ab ovo.

XIX.

Malmesb. in Henrico I. fo. 157.

ROBERTUS DE BELESMO ET GUILIELMUS COMES DE MORTAYNE NORMANNIAM TURBANT.

Robertus de Belesmo, Rogeri Comitis de Montegomerico filius, olim proscriptus, Normanniam veniens: & tunc & deinceps (loquitur Malmesburiensis) *habuit malignitatis suæ complices; &, ne parum videretur, illices. In his erat Willielmus Comes Moretolii, filius Roberti Regis patrui. Is semper à puero, Henrici gloriæ invidus, tum maximè in adventum Normanni pravum animum extulit. non enim contentus duobus Comitatibus Moretolii in Normanniâ* (alii Moretonium, alii de Mortevil, alii Mortayne vocant) *& Cornugalliæ in Angliâ: Comitatum Cantii, quem Odo patruus habuerat, à Rege exigebat: infestus & improbus adeo, ut insani arrogantiâ se denotaret; non induturum chlamidem nisi à patruo (ut dictitabat) sibi refusam consequeretur hereditatem. Sed tunc quidem suspensi calliditate responsi frustratus est Rex prudentissimus hominem. Discussis verò turbinibus, serenaq; pace reddita: non solum quæ petebat, non annuit: verum etiam indebite retenta repetere cœpit: modeste tamen & judiciali placito; ut nihil, quod faceret, videretur resultare juri, & calcitrare ab æquo. Tunc verò Willielmus, sententiâ judiciis expunctus, indignabundus & fremens Normanniam abiit. Ibi præter assultus, quos Regiis castellis irritos fecerat, in Richardum quoque Comitem Cestrensem, Hugonis filium debacchatus; nonnulla partibus ejus appendicia invasit, carpsit, abrosit.*

RICHARDUS CESTRENSIS COMES A GUILIELMO VEXATUR.

Erat ille tunc pro ætate parvulus, & Regis fidei tutelæq; accommodatus. Hi ergo duo factionum capita, rebellionum incentiva. Patriam populationibus latè contristabant. consumebanturq; frequentes sed cassæ apud Comitem querelæ provincialium, de violentiâ clamantium. Movebatur his ille: sed rebus suis timens; ne exacerbati ejus interpolarent otium dissimulabat.

ROBERTUS NORMANNIÆ DUX MALO NON MEDETUR.

XX.

*At verò Henricus Rex, pro fratris infamiâ, quam cumulabat patriæ miseria, dolorem transeuntem ferre nequibat: crudele & à boni Principis officio longè *esse permensus: quod impii homines pauperum fortunis ingluviem suam urgebant. Itaque fratrem ad se accitum in Angliam, semel blandis verbis; post verò in Normanniam veniens, non semel durè bellis admonuit; ut Comitem, non Monachum ageret. nam & incentori Willielmo, omnia quæ habebat in Angliâ abstulit: castella ad solum complanavit. Sed cum ad pacem nihil promoveret; diu deliberatione consilii Regia sublimitas curis pectus exercuit: Utrum fraternæ necessitudinis oblitus, patriam discrimine eriperet: an indiscreta pietate fluctuare permitteret. Et profectò commune commodum, & pietas, privatæ necessitudinis intuitu, terga dedisset: nisi (ut aiunt) Paschalis Apostolicus dubitantem ad opus, Epistolis impelleret: asseverans facundiâ quâ vigebat, non fore civile bellum; sed præclare Patriæ prædicandum emolumentum. Itaque Normanniam veniens, brevi totam cepit, vel potius recepit, omnibus ad ejus dominium confluentibus, ut fessæ provinciæ vigore, quo pollebat, consuleret.*

HENRICUS REX ET PRECE SUAVITER, ET BELLO FORTITER MALIS OCCURRIT.

* ist.

Hæc Author in Henricum pronior, quia librum inscripsit Roberto Glocestriæ Comiti, quem Henricus Rex à concubinâ susceperat. Cæterùm quod de Paschali dicitur, an rumor fuerit, an constans fama, nescio. constat tamen Normannorum Ecclesiam dirè vexatam, Paschali preces, ut succurreret, porrexisse, Ivone Carnotensi malorum & calamitatis interprete, ut suprà. Sed Henricum à Paschali ad bellum animatum non reperio: nec eventus docuit: nam Ecclesiam sub Henrico gemuisse, nihilò meliorem, dicam anno sequenti.

Vide hic n. 9.

XXI. *Huntindo. hic fo. 379.* PUGNANT HENRICUS REX, ET ROBERTUS EIUS FRATER.

Nunc quâ ratione Rex Normanniæ Principatum adeptus sit, dicat Huntindonius. *Cum Rex*, inquit, *obsedisset castrum Tenerchebrai, venit Dux Normannorum, & cum eo Robertus de Belesme, & Consul Mortvil, & omnes fautores ejus. Rex verò secum omnes proceres Normanniæ, & robur Angliæ, & Andegaviæ, & Britanniæ, non improvidus habebat. Igitur cum cornua rauco strepuissent cantu. Dux Normanniæ cum paucis, multos audacissimè aggressus est. Assuetusq; bellis Ierosolymitanis, aciem Regalem fortiter & horrendè repulit. Willelmus quoque Consul de Mortvil* (hic passim dicitur Comes Moretonius) *aciem Anglorum de loco in locum turbans, promovit. Cum acies equestris Britannorum (Rex namque, & Dux, & acies cætera, pedites erant, ut constantiùs pugnarent) aciem Ducis ex adverso premens, subitò diffidit. & mole magnitudinis oppressa gens Ducis dissoluta est, & victa. Robertus verò de Belesme, simul hoc aspexit, fuga sibi consuluit.* ROBERTUS VICTUS CAPITUR. *Captus est igitur Dux fortissimus Normannorum Robertus, & Willelmus Consul de Mortvil: reddiditq; Dominus vicem Duci Roberto: quia cum gloriosum reddidisset eum in actibus Ierosolymitanis; regnum Ierusalem oblatum sibi renuit: magis eligens quieti & desidiæ in Normanniâ deservire, quam Domino Regum in sancta civitate desudare. Damnavit igitur eum Deus desidia perenni, & carcere sempiterno.* Hactenus ille.

XXII. NORMANNIA ANGLIS SUBDITUR. *Malmesb. in Hen. I fo. 130.*

Quod ad tempus spectat Normanniæ debellatæ, Malmesburiensis ita loquitur: *Hoc bellum actum est apud Tenerchebras, castellum Comitis Moritoliensis, Sabbato in Sancti Michaëlis vigiliâ. Idem dies ante quadraginta annos fuerat, cum Willelmus Primus Hastingas appulit: providi forsan Dei judicio, ut eo die subderetur Anglia Normanniæ, quo ad eam subjugandam olim venerat Normannorum copia. Captus est ibi Comes Moretolii, qui eò venerat studiosam sui operam oppidanis pollicitus: simul & injurias suas ultum iri sperans. Sed ut dixi pressus, squalloris carceri totâ vitâ accolatum accepit vivacitate mentis, & alacritate juventutis nonnihil laudandus: sed pro perfidiâ finem asperum emeritus. Et tunc quidem Belesmensis, in ipso exordio mortem cavit effugio. sed dum postmodum clandestinis factionibus Regem irritasset: & ipse captus, cæterorum involutus est periculo, ad mortem perpetuo inclusus ergastulo.* BELESMENSIS PERPETUO CARCERI MANCIPATUR. Ita Author de insigni victoriâ, quæ Normanniæ Ducatum Anglorum Regum titulis de novo inseruit. *Non tamen sine sanguine*, loquitur idem Author, *tantam victoriam consummans multos ex charissimis Rex amisit. Inter quos Rogerium de Glocestre probatum militem in obsessione Falesiæ, arcubalista jactu, in capite percussum. Præterea Robertum filium Haymonis qui contusis tempora, hebetatusq; ingenio, non pauco tempore, quasi captus mente supervixit. Merito mulctatum ferunt: quod ejus liberandi causâ, Rex Henricus Bajocas civitatem, cum principali Ecclesia ignibus absumpserit. Sed utrique, ut spero, purgabile fuit. nam & detrimenta Ecclesiæ Rex mirificè resarcivit: & Robertus Monasterium Theochesberia suo favore, non facilè memoratu, quantum exaltavit: ubi & ædificiorum decor, & Monachorum charitas, adventantium rapit oculos, & allicit animos.*

XXIII. ROBERTUS HAIMONIS F. MONASTERII THEOKESBERY FAUTOR. [...] n. 7.

Robertus hic, Monasterii fautor, vir princeps inter Silures, & Glamorganiæ Regulus fuit. Cœnobium, quod Odo, & Dodo, Merciorum Comites, * anno septingentesimo decimo septimo, ad Cranburnum oppidum fundarant; inde translatum, è Prioratu, ad Abbatiæ dignitatem erexit anno millesimo centesimo secundo, ut habet Catalogus ædium destructarum. filiam quam habebat unicam Roberto Glocestrensi, Henrici Regis illegitimo filio, uxorem dedit, nomine Mabiliam. quæ conjugem impulit, ut eidem loco faveret benè, paternamque pietatem sequeretur quod ille religiosè præstitit, unde à Malmesburiensi commendatur in hunc modum. *Munificentia vestra, pecuniæq; contemptum prætendit Theochesberia Cœnobium. De quo, ut audio, non solum xenia non corroditis; sed etiam ultro missa remittitis. Quantum hoc sit, isto præsertim tempore, quanta in sæculo gloria, quanta apud Deum gratia, ipsi certè intelligitis.* Hoc elogio, claudit Author quinque libros, quos de Regibus, eidem Roberto inscripserat. & cujus causa Roberti Fitzhalmonis mentionem fecerat, fundatique ab eo Cœnobii. Nunc ad Henricum redeo, partamque de Normannis victoriam; quam scriptis statim ad Anselmum literis, in divinæ misericordiæ beneficiis ponit, in hunc modum.

Malm. [...] l. fo. 1 4.

HENRICUS Rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi Archiepiscopo, Salutem & amicitiam.

XXIV. *Apud Edmer l. 4. fo. 90.* HENRICUS VICTORIAM DEO TRIBUIT

„ PATERNITATI, & Sanctitati vestræ significamus, Robertum Comitem Normanniæ, „ cum omnibus copiis militum, & peditum, quos „ prece & pretio adunare potuit, die nominatâ, „ & determinatâ mecum ante Tenerchebraium „ acriter pugnasse: & tandem sub misericordiâ „ Dei vicimus: & sine multâ cæde nostrorum. „ Quid plura? Divina misericordia, Ducem „ Normanniæ, & Comitem Moritonii, & Willelmum Crispinum, & Willielmum de Ferreris, & Robertum de Stutevile senem, & alios „ usque ad quadringentos milites, & decem millia peditum, in manus nostras, & Normanniam dedit. De illis autem quos gladius peremit, non est numerus. Hoc autem non elationi vel arrogantiæ, nec viribus meis tribuo; „ sed dono divinæ dispositionis attribuo. Quocirca Pater reverende, supplex & devotus genibus tuæ Sanctitatis advolutus, te deprecor; „ ut supernum judicem; cujus arbitrio, & voluntate triumphus iste tam gloriosus, & utilis „ mihi contigit, depreceris; ut non sit mihi ad „ damnum & detrimentum: sed ad initium bonorum operum & servitii Dei, & sanctæ Dei „ Ecclesiæ statum tranquilla pace tenendum, & „ corroborandum; ut amodò libera vivat, & nulla concutiatur tempestate bellorum. Recitat has literas ex Edmero Malmesburiensis, & addit: *Hinc est contemplari quanta materia boni in Regis pectore fuerit. si quis tam ingenuæ fidei scintillas fomento verborum animaret, & in majores vires bonis admonitionibus excitaret. Venit igitur Rex, sublimi*

Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 22

INVESTITURA ECCLESIIS IN PERPETUUM CONCEDITUR. *Hunt. l. 7. fo 379. linea 32.*

trophæo ſplendidus, & triumphali gloriâ Angliam invectus, Inveſtiturasq́; Eccleſiarum, Anſelmo in perpetuum, in manum remiſit: eodem concedente, ut propter hominium Regi factum nullus arceretur à benedictione. Nec aliud conſtat à Rege, aut Anſelmo, hoc anno factum. niſi dixeris, Henrici reditum in Angliam ſub ſequentis anni initium contigiſſe. quod Huntiodonius ferè inſinuat: & Rogerus Hoveden. multò clariùs.

ANNUS CHRISTI 1107.

PASCHALIS II. PAPÆ 9.

HENRICI PRIMI REGIS 8.

I. ANnus Chriſti milleſimus centeſimus ſeptimus Inſulæ ſerenus illuxit: cum ſceptri & Sacerdotii majeſtas utramque Reinp. beavit, cum Henricus aucto Principatus ſui pomerio illuſtrior: & Anſelmus, Inveſtiturarum jure ſuperior, Eccleſiaſticam diſciplinam nitori ſuo, & vacantibus Sedibus Epiſcopos reſtituit. Quod fieri quidem debuiſſet, ſtatim à Regis in Angliam reditu; nimirum ſub anni exordia: ſed Paſchalis Papæ in Gallias adventus: & Trecenſis ibi Synodi negotia, Henricum Regem paululùm diſtraxerunt: quod Edmerus in hunc modum explicat. *Normanniâ ergo ſub Regia pace diſpoſitâ: & Duce Roberto, cum Comite Moritonii in Angliam ſub captione præmiſſis: Rex ipſe in regnum ſuum reverſus eſt. Adunatis autem ad curiam ejus ad Paſcha terræ Principibus; dilata eſt Eccleſiarum ordinatio, quam Rex ſe facturum diſpoſuerat: eò quòd ſummus Sedis Apoſtolicæ Pontifex Paſchalis Franciam venerat: & ſibi ad Concilium, quod Trecis erat celebraturus; à Rege Henrico, & ab Anſelmo Archiepiſcopo, ſæpe ſupra memoratos viros VVillielmum, & Baldwinum mitti mandaverat. Ratus itaque Rex aliquid novi ſe, in reditu eorum, accepturum, in ſubſequens feſtum Pentecoſtes, omnia diſtulit. quatenus eis reverſis, ſecurius quæque, agnitâ Pontificis voluntate, diſponeret.*

Edmer l. 4. fo. 90. PASCHALIS PAPÆ TRECIS SYNODUM COGIT.

II. Ex hac Normannicâ victoriâ Henrico animus crevit, & major majeſtas. quod tunc apparuit, cum Curiam ingreſſus, quò Proceres Angli, Normanniq́ue convenerant, ſummâ reverentiâ cultuq́ue ab omnibus excipitur: *Igitur Victorioſus* (loquitur Huntindonius) *& tunc primùm Rex fortis tenuit Curiam ſuam ad Paſcha, apud VVindleſores. In quâ Proceres Angliæ ſimul & Normanniæ, cum timore, & tremore aſſuerunt. Antea namque & dum juvenis fuiſſet, & poſteaquam Rex fuerat, in maximo habebatur deſpectu. Sed Deus qui longe aliter judicat, quàm filii hominum, qui exaltat humiles, & deprimit potentes, Robertum omnium favore, celeberrimum depoſuit: & Henrici deſpecti famam per Orbem terrarum clareſcere juſſit. Deditq́; ei gratis tria Dominus omnipotens munera, ſapientiam, victoriam, divitias: quibus ad omnia proſperatus, omnes ſuos prædeceſſores præceſſit; unde omnes ſuos ditavit.* Hanc Regis felicitatem, paſſim Authores, nec immeritò paci tribuunt concordiæq́ue cum Anſelmo. Tunc enim benè, ornatè, conſtanter Regio vertici corona ſedet: quando Archiepiſcopi Cantuarienſis dextra componitur. Vexa, preme, tolle hanc dextram: & eâdem injuriâ tractabis regiam coronam. non ergo potuit Henricus clareſcere, quamdiu ſub nube Eccleſia fuit: ut jam ferè, quinquennio fuerat: nunc reddita luce, & Anſelmo Sedi, orbiq́ue ſuo ſideri reſtituto, Angliæ cælum illuſtrius fuit.

HENRICI VICTORIA ILLUSTRIOREM SUM FECIT. *Huntind. hoc fo. 379.* HENRICO DONA A DEO DATA. QUANDONAM REGIO CAPITI CORONA SEDET BENE.

III. Nec opinor Henricus Normannorum Eccleſiis iniquior fuit, præſertim à Victoriâ. Unde Hildeberti Cenomanenſis querelas, non ad eum, ſed ad Guilielmum fratrem ejus ſuperiùs retuli, dubitanter tamen, ex quo Baronium hoc anno loquentem audivi, & ſcribentem ſic: *Ex his*, inquit, *docemur quam mutabiles ſint Principes atque lubrici ad malum. Ecce tibi quem ex ſuis ipſius * literis audiſti Regem maximè pium: mox auditurus eris in Tyrannum converſum, ipſum Henricum Regem Anglorum. nam audi Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum talia tantaq́; ab ipſo patientem: ut ad dimittendum Epiſcopatus onus, intolerabilibus preſſus anguſtiis, Romam ſe ad Paſchalem Pontificem conferre compulſus fuerit. ſic enim ipſe Epiſtolâ ſuâ. Longum eſt enarrare quam conſtanti tyrannide Rex Anglorum in nos ſævierit: qui temperantiâ Regni abjectâ, decreverit non prius Pontifici parcendum, quàm Pontificem compelleret in ſacrilegium. Quia enim turres Eccleſiæ noſtræ dejicere nolumus, tranſmarinis ſubjiciendi judiciis, coacti ſumus injurias pelagi ſuſtinere: ſingularem ſcilicet itineris moleſtiam: atque unicam totius humanæ compagmis diſſolutionem. Tantis igitur agitati turbinibus, ad Apoſtolorum limina decrevimus proficiſci: magnum novæ tribulationis arbitrati remedium ſi Romanus Pontifex nobis & conſilio ſubvenerit & auxilio.* Ita partem literarum recitat Baronius: ego integras dedi, ad annum milleſimum nonageſimum ſeptimum: & per Anglicum Regem, Guilielmum intellexi: quod ex Conſulum mutatione (cujus ibi mentio) videtur probari poſſe. nec obſtat literarum inſcriptio ad Paſchalem Papam: quia ſub eo Pontifice, Guilielmus extinguitur. & ille in Eccleſiam impius vario ſacrilegio vitam morteḿque ſuam turpavit. Cæterùm Baronii authoritas, Henricum accuſantis, & nuperâ victoriâ, inſolentiæ plerumque parens, ſuſpenſum me tenent, quid de utrovis ſentiendum. nec otium eſt literarum circumſtantias, & temporis rationem expendere.

NUM HENRICUS TYRANNIDEM EXERCUERIT IN NORMANNORUM ECCLESIAS. *Baronius hic.* * LITERAS V. an. 1106. n. 24. V an. 1097. n. 30.

IV. Ad Edmerum redeo, qui Anſelmi itinera legens; narrat, quid ab eo, ſoluto procerum nupero conventu, factum. *Solutâ*, inquit, *Curiâ: Anſelmus ad Abbatiam S. Edmundi vadit, crucem magnam ibi conſecraturus: & alia quadam Epiſcopalia officia adminiſtraturus. Quibus expletis; cum jam rediturum ſe putaret, gravi corporis infirmitate corripitur: & ingraveſcente languore, ad extrema ferè perducitur. Detentus autem eſt ibi, propter ipſam infirmitatem, uſque ad octavas Pentecoſtes; & Concilium quod ſicut diximus, dilatum erat; causâ infirmitatis ejus, inducias in Calendas Auguſti accepit.* Interea reverſis è Trecenſi Synodo, quos Romanus Pontifex evocaverat; nihil in Regis Henrici beneficium, quod Henricus ſperaverat, Oratores retulerunt. Paſchalis enim ut præteritorum Pontificum ſenſu, ſententiaq́ue conſtans, Laicorum in Eccleſias juris omnem dictionem prohibuit: & Epiſcoporum ſuffragio ratum firmumq́ue eſſe voluit. Unde de Synodo illa Urſpergenſis hæc habet: *Paſchalis, ut fidelis diſpenſator & prudens, quotidianam ſollicitudinem omnium Eccleſiarum gerens, tandem circa aſcenſionem Domini, Concilium non modicum apud Trecas habuit. ubi inter*

Edmer. l. 4. fo. 90. ANSELMUS APUD EDMUNDI BURGUM ÆGER DECUMBIT. *Apud Baron. hoc anno.*

multa, quæ pro tempore & necessitate corrigenda, correxit. Sententiam de liberâ Pastorum electione: & de coërcendâ laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione juxta Prædecessorum suorum decreta promulgavit. Nihil ergo Treceose Concilium Henrici causæ aut cupiditati favit.

V. Unum porrò, per Legatum suum, à Pontifice postulasse, & impetrasse videtur. nimirum, Richardi Eliensis Abbatis solutionem ab excommunicationis sententiâ; quam ab Henrico Rege investitus incurrerat; ut suprà. Hoc enim Paschalis literæ, apud Edmerum testantur: quæ ad Anselmum scriptæ sic loquuntur.

V. an. 1104. n. 23.

Apud Edmerum fo. 91.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili Fratri, ANSELMO Cantuariensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ DE Presbyterorum filiis, quid in Romanâ „ Ecclesiâ constitutum sit, fraternitatem „ tuam nescire non credimus. Cæterùm quia „ in Anglorum regno tanta hujusmodi plenitu„ do est; ut major penè, & melior Clericorum „ pars, in hac specie censeatur: nos dispensatio„ nem hanc sollicitudini tuæ committimus. Eos „ enim, quos scientia, & vita commendat apud „ vos, ad sacra officia promoveri, pro necessita„ te temporis, & utilitate Ecclesiæ concedimus: „ ut imposterum constitutionis Ecclesiasticæ „ præjudicium caveatur. De personâ quoque „ Richardi, Heliensis Abbatis; petentibus filiis „ nostris Henrico Rege, & Willielmo de Wa„ relwast; permittimus, ut eam, in communio„ nem tuam, præmissa satisfactione, suscipias: „ & si ad Monasterii regimen utilis ejus persona „ conspicitur, tuæ dispensationi committimus. „ Cætera etiam quæ in regno illo pro necessitate „ temporis dispensanda sunt juxta gentis barba„ riem, juxta Ecclesiæ opportunitates, sapien„ tiæ, ac religionis tuæ sollicitudo dispenset. „ Data Kal. III. Junii.

RICHARDUS ABBAS ELIEN. RESTITUITUR.

VI. Anselmus à morbo recreatus, in componendâ Anglicanæ Ecclesiæ Rep. totus erat: cum Induciarum tempus effluxit ad Calendas Augusti: quod tempus Episcoporum conventui, & negotiis ibi tractandis Henricus præfixerat. Eò Anselmus cum aliis vocatus, difficili, diuque pendenti liti felicem finem imposuit, inter regnum & Sacerdotium pace compositâ. Rem gestam qui aderat, narret Edmerus. *In Calendis ergo Augusti, Conventus Episcoporum, Abbatum, Procerum regni Lundoniæ in Palatium Regis factus est. Et per tres continuos dies, absente Anselmo, inter Regem & Episcopos satis actum, de Investituris Ecclesiarum. quibusdam ad hoc nitentibus; ut Rex eas faceret, more patris ac fratris sui, non juxta præceptum & obedientiam Apostolici. Nam Papa in sententiâ, quæ exinde promulgata fuerat, firmus stans, concesserat hominia, quæ Vrbanus Papa, æque ut Investituras, interdixerat. Ac per hoc Regem sibi de Investituris consentaneum fecerat. ut ex Epistolâ quam suprà descripsimus, colligi potest. Dehinc, præsente Anselmo, astante multitudine, annuit Rex, & statuit: ut ab eo tempore in reliquum, nunquam per dationem baculi pastoralis, vel annuli, quisquam Episcopatu, vel Abbatia, per Regem, vel quamlibet laïcam manum investiretur in Angliâ. Concedente quoque Anselmo, ut nullus in Prælationem electus, pro hominio quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis penè omnibus Ecclesiis Angliæ, quæ suis erant Pastoribus diu viduatæ, per consilium Anselmi, ac procerum regni, sine omni virga Pastoralis, aut annuli Investiturâ, Patres à Rege sunt instituti. Instituti quoque sunt ibidem eodem tempore ab ipso Rege quidam ad regimen quarundam Ecclesiarum Normanniæ; quæ similiter suis erant Patribus destitutæ.*

PAX INTER REGNUM ET ECCLESIAM COMPONITUR.

Edmer. l. 4. fo. 91.

CONVENTUS LONDINEN.

V. an. 1106. n. 7.

VII. Qui Normannorum Ecclesiis, in hoc conventu, præfecti fuerint; nec nominant Authores nostri; nec Angliæ Annales scribenti, opus inquirere. Tribus in Angliâ vacantibus Ecclesiis, tres olim fuerant electi Antistites. In Walkelini Wintoniensis Episcopi locum, electus successerat Guilielmus, cognomento Giffardus, ut dictum anno millesimo nonagesimo octavo: sed Anselmi & Canonum reverentiâ, religiosè deterritus, baculum à Rege accipere recusaverat; à Rege propterea prohibitus consecrari, anno altero hujus sæculi. Extat ad eum Anselmi * Epistola, ejus constantiam probantis & confirmantis, in Ecclesiasticæ disciplinæ rigore servando. Diu luxerant Salisburiensis Ecclesia, & ab anno millesimo nonagesimo nono, nimirum ab Osmundi excesso luctum non posuerat. Henricus Rex præpostero zelo, Rogerium baculi annulique traditione, in Sedem evexerat: anno 1101. sed Anselmus ita investitum noluit hactenus consecrare, lite diu Romæ pendente. † Idem de Rogero factum; quem Herefordensi Ecclesiæ eâdem cærimoniâ Rex præfecerat; & eâdem constantiâ Anselmus respuerat: sed eo mox mortuo, cum Henricus Rainelmum substituisset, noluit illi Anselmus manum imponere. non mentis animive pertinaciâ, quod aliquando illi imponitur: sed Canonum sanctitate, & Paschalis oraculo prohibitus. Nunc verò cum Henricus Rex in prætenso jure remissior esset; jubetur Anselmus aliquid de Canonum severitate remittere: & olim electos ad majus Sacerdotium, sacrâ benedictione promovere. Ita dictum, sancitumque in Synodo.

V. an. 1098. n. 17.

V. an. 1102. n. 13. & n. 14.

** V. l. 3. Epistolarum, Epistolam 105.*

DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE AGITUR.

† V. an. 1102. 32.

V. an. 1102. n. 12.

VIII. Ibidem etiam, de Gerardi Eboracensis Episcopi professione tractatum, qui de Herefordensi Sede ad Eboracensem translatus, nullam adhuc Cantuariensi Sedi fidei obedientiæque sponsionem fecerat. & Anselmus pro Ecclesiæ suæ prærogativâ solicitus, noluit illum Eboraci sedere, qui superiorem sedem non agnosceret. gnarus sæpè de jure illo litigatum: quod levi argumento, & unâ alterâve omissione aut perditur, aut denuò saltem controvertitur. Quid tunc acciderit: Edmerus in hunc modum narrat. *Inter ista, cœpit Anselmus coram Rege regniq; Episcopis atque Principibus, exigere à Gerardo, Archiepiscopo Eboracensi professionem de suâ obedientiâ, & subjectione: quam non fecerat, ex quo de Episcopatu Herefordensi, in Archiepiscopatum Eboracensem, ut suprà meminimus, translatus fuerat. Ad quæ cum Rex ipse diceret; sibi quidem non videri necesse esse, ut professionis, quam ordinationis suæ tempore, Gerardus fecerat, aliam superadderet. Præsertim, cum licet Ecclesiam mutaverit. idem tamen qui fuerat. in personâ permanserit: nec à primâ professione absolutus extiterit. Anselmus in præsenti quidem, Regis verbis adquievit; ea conditione; ut Gerardus in manum sibi daret, se eandem subjectionem, in Archiepiscopatu ei servaturum, quam in Episcopatu professus fuerat.*

DE GERARDI EBORACEN. PROFESSIONE CANTUARIEN. ECCLESIÆ.

Edmer. fo. 91.

V. an. 1101. n. 13.

fuerat. Annuit Gerardus, & suâ manu impositâ manui Anselmi, interpositâ Fide suâ, pollicitus est, se eamdem subjectionem & obedientiam ipsi, & successoribus suis, in archiepiscopatu exhibiturum, quam Herefordensi Ecclesia ab eo sacrandus Antistes promiserat. Anselmus querelam hanc olim apud Paschalem deposuerat: quid ab eo responsum dicam anno sequenti.

IX. Cum Patres in Synodo trium Episcoporum consecrationem, Cantuariæ faciendam decrevissent: ad Exoniensem Ecclesiam; quæ à morte Osberni, & anno Christi millesimo centesimo tertio, vidua manserat: nominavit Rex Guilielmum Warelwast, multis in urbem legationibus nobilem: qui licet Regiæ parti principio addictior; didicit tamen ex rerum tractandarum praxi, & melioris orbis sensu atque consensu, Ecclesiæ potiùs, quàm Regiæ majestati deferendum, & ita pacis sequester fuit. Vacavit etiam inter Britannos Landavensis Ecclesia, per mortem Herewaldi, & Urbanus à Rege eligitur, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus. Hi quinque è Decreto Synodi ab Anselmo consecrari jubentur. de quorum consecratione ita Edmerus: *Exin statutum est*, inquit, *ut qui ad Episcopatum electi erant, Cantuariam irent: & ibi dignitatis ipsius benedictionem, ex more susciperent. Willielmus itaque Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, & Reynelmus, tunc nuper Ecclesiæ Herefordensi restitutus Episcopus, quorum † supra meminimus: necnon Willielmus, qui legatione Regis fungi solebat, tunc autem Execestrensi Ecclesiæ electus Episcopus. * Urbanus quoque Glamorgatensi Ecclesia, quæ in Gualis est, similiter electus Episcopus; simul Cantuariam venerunt: & in Dominicâ die, quæ fuit tertio Idus Augusti pariter ab Anselmo consecrati sunt: ministrantibus, & cooperantibus sibi in hoc officio Suffraganeis ipsius sedis: Gerardo videlicet, Archiepiscopo Eboracensi, Roberto Lincolniensi Episcopo, Ioanne Bathoniensi, Herberto Norwicensi, Roberto Cestrensi, Radulfo Cicestrensi, Ranulfo Dunelmensi.* Hæc ille.

V. an. 1103. n. 29.
GUILIELMUS ELIGITUR EXONIEN. EPISCOPUS.
V. an. 1103. n. 31.
URBANUS LANDAVENSIS EPISCOPUS.
Edmer. l. 4. fo. 92.
PLURES EPISCOPI CONSECRANTUR: GUILIELMUS WINTONIEN. ROGERUS SALISBURIEN. REYNELMUS HEREFORDEN. GUILIELMUS EXONIEN.
† V. an. 1102. n. 12. 13.
* V. an. 1101. n. 30.
URBANUS LANDAVEN. EPISCOPUS.

Addit Rogerus ab Hoveden. [a] *Nullus certè fuit tunc temporis, qui meminisset retroactis temporibus, simul tot Pastores electos & consecratos in Angliâ: nisi Edoardi Senioris tempore: quando Pleigmundus Archiepiscopus septem Episcopos, septem Ecclesiis in unâ die consecravit.* De illis egi suo loco ad [b] annum Domini nongentesimum quintum: ubi Romano Pontifice jubente, vacantes Episcoporum Sedes impletas dixi: & Edoardum Seniorem dicto audientem. [c] ut videas Romani Pontificis potestatem omni sæculo, sub Saxone, sub Anglo, sub Normanno Principe, adoratam. Cujus etiam mandato, Anselmus in hac Synodo paruit,

X. cum [d] Ealdwinum Abbatem, in Londinensi Synodo exauthoratum restituit. de quo ita Edmerus. [e] *Ipso die, priusquam eorundem Episcoporum consecrationem Anselmus faceret, præsentibus eis, & Episcopis qui convenerant; juxta mandatum Domini Papæ; nam hoc ei per literas olim mandaverat; reddidit Ealdwino virgam Pastoralem Abbatiæ de Ramsei, quam, [f] ut suprà meminimus, perdiderat in Concilio Londinensi.* Quid de aliis Abbatibus, Londini depositis, actum non habeo dicere. [g] Pro Eliensi nuper apud Paschalem Papam Rex & Anselmus intercesserant. Sed diu adepta dignitate gaudere non potuit, hoc ipso anno mortuus. Idemque de Roberto S. Edmundi dicendum, quem tunc baculo, nunc vita privatum habent Annales nostri. Sed ejus locum intravit Robertus alter, de quo sic Edmerus: [h] *In subsequenti etiam quintâ feriâ (nimirum post Episcoporum inaugurationem) sacravit Anselmus in ipsa Sede Robertum, Monachum Cœnobii Sancti Petri Westmonasterii, ad regimen Abbatiæ S. Eadmundi.*

a Hoved. ad hunc annum fo. 472.
b V. an. 905. n. 4. 5.
c ALDUINUS ABBAS RESTITUITUR.
d V. an. 1102. 4.
e Edmer. fo. 92.
f V. an. 1102.
g RICHARDUS ELIEN. ABBAS MORITUR.
h ROBERTUS ABBAS S. EADMUNDI.

XI. Quoniam nobilissimi Monasterii facta est mentio, & novi Abbatis ab Anselmo consecrati, opinor in gratiam ejus, Henricus Rex, sub hoc Abbate, eundem locum Regio Diplomate ornavit, munivitque; quod hic subjicio.

HENRICI REGIS DIPLOMA PRO EDMUNDI BURGO.

HENRICUS Rex Angliæ; * HENRICO Episcopo Norwici, & omnibus Baronibus, & fidelibus, & Ministris suis de Norfulk, & Suffolk, & ubicumque Sanctus EDMUNDUS habet terras: Salutem.

* Vid. paulo inferius nu. 12. & pone Herberto.

„ NOTUM sit vobis, quod volo, & præcipio „ firmiter, ut Monasterium, & Burgus Sancti Edmundi, & omnes in eo manentes, & „ omnia maneria S. Edmundi, semper sint in eâ „ libertate, quâ fuerunt temporibus Cnuti & „ Edwardi, Regum Angliæ: sicut chartæ eorum „ testantur. Præcipio etiam, ut nulla sæcularis „ persona, aut Minister Regis, in aliquo se intromittat de prædicto Burgo, & hominibus „ manentibus in eo, nisi Abbas & Conventus, & „ Ministri eorum. Volo etiam ut Abbas, & Conventus, & Burgenses Sancti Edmundi in perpetuum habeant quietancias; de teloneis, & „ aliis consuetudinibus, & omnibus foris & nundinis, per omnes terras meas: & nullus eos „ disturbet, super forisfacturam meam: Præcipio etiam, ut Socna octo hundredorum, & „ dimidii pleniter Monasterio S. Edmundi adjaceat omnibus diebus, cum omnibus liberalitatibus, & dignitatibus, & forisfacturis, ad „ Coronam Regis pertinentibus. Quam Socnam Rex Edwardus dedit S. Edmundo in „ eleemosynam, ita plenè in omnibus rebus; „ sicut ipse in manu sua eam tenuit, & charta „ sua, quam vidi confirmavit. & volo quod „ omnia Dominica Sancti Edmundi sint quieta „ in perpetuum de omnibus scottis, & gildis, & „ auxiliis. Præcipio etiam, ut omnes liberè „ tenentes, de octo Hundredis & dimidio, veniant ad magna placita Abbatis S. Edmundi: „ & qui venire noluerint, distringantur. & per „ hoc sint quieti omnibus temporibus, de omnibus sectis, & consuetudinibus ad Shiras, & „ Com. Suffolciæ. Testibus A. Cantuariensi „ Archiepiscopo, Mauricio Londinensi Episcopo. R. Sarisberiensi Episcopo. R. filio Haimonis. R. Bicott, & A. de Ver. apud Westmonasterium.

XII. Ita reperi in charta quam, *Inspeximus*, appellamus: ubi varia Regum Diplomata pro Edmundi Burgo scribuntur. & quod ad tempus spectat dati Diplomatis, hoc anno scriptum puto, cum Ecclesiarum pace compositâ, Regem inter & Anselmum convenit. Suadent hæc Episcoporum subscriptiones & Mauritii imprimis, qui solus expressis literis scribitur. Cæteri enim initialibus tantum adnotantur. quas ita explico, ut A. Anselmum. R. Rogerum Sarisburiensem significent. Hic autem cum nuper tantum inauguratus sit, ad priora tempora referri Diploma non potest: nec debet ultra differri; quia

TEMPUS SCRIPTI DIPLOMATIS EXPENDITUR.

Mauritius Londinensis moritur.

Herebertus non Henricus est Norwicen. Episcopus.

*V. an. 1086. n. 11.

Mauritius Londinensis, hoc anno moritur, ad vigesimum sextum Septembris. Unum in Regiâ hac chartâ displicet, quod in initio ponatur Henricus, Norwicensis Episcopus: cum nullus eo nomine hactenus, sed nec sequenti etiam sæculo ibi sederit. Dico igitur initialem tantummodo literam principio fuisse: quam Amanuensis expositurus, ex H. Henricum supposuit; cum Herebertum revera scribere debuisset. quod facilè in chartarum descriptione accidit; ut accidisse suprà diximus, cum Monasterium de Bello fundavit, munivitque Guilelmus Primus,* anno millesimo octogesimo sexto. ubi Sigebertum Cicestrensem, pro Stigando Cicestrensi, vino positum ostendi. Cæterùm Herebertus, Guilielmi Secundi tempore, Ecclesiæ Norwicensi præfuit, & etiamnum superest; superstes etiam futurus ad annum hujus sæculi decimum nonum. nunc ad Anselmum redeo, Cantuariæ Episcopos & Abbates consecrantem. ubi S. Augustini Abbatis ordinatio, difficultatem inveniet, hoc anno non solvendam: nisi placeat litis initium cum fine conjungere: quod Lector, opinor, fieri patietur, ne frequens rerum interruptio, nimium ejus animum distrahat. Do igitur ex Edmero sequentia.

XIII. *Edmer. l. 4. fo. 92.*

Hugo Monachus Beccensis eligitur Abbas S. Augustini.

Ordinatio Abbatis S. Augustini per id temporis, ea causa, ut ita dixerim, dilata est: quod ipse, qui in Abbatem (scilicet Hugo Monachus Beccensis) electus erat nondum sacros ordines habebat. Ordinatus vero ad Diaconatum ab Archiepiscopo, in Capella sua Cantuariæ, cum multis aliis, in jejunio septimi mensis: & item ad Presbyteratum, a Willielmo Exoniensi Episcopo, in eâdem Capella, jejunio decimi mensis: Anselmus enim infirmabatur. Et partim ea re, partim propter imminens festum Nativitatis Christi, Cantuariam ad Anselmum idem Episcopus jussus venerat. Posthac cum Anselmus ordinationem ipsius Abbatis accelerare vellet, eo quod res Ecclesiæ passim ibant: & quotidie in sui diminutionem intus & extra decidebant: voluit ut prædictus Episcopus eum in Abbatem, ad altare Christi Cantuariæ solenniter, se astante, consecraret. Sed ubi Monachis Sancti Augustini res innotuit; ad contradicendum animati sunt. Nam Ecclesiam suam privilegia habere comminenti sunt; per quæ Abbatem suum, non nisi in Sede suâ, ordinari debere, manifestâ allegatione se probaturos asseruerunt. Duravit autem hæc fabula eorum diebus nonnullis; Anselmo nullatenus assertioni eorum cedere volente.

Monachi Cantuarienses contra Anselmum contendunt.

Tandem in initio Quadragesimæ cum Anselmus juxta Lundoniam, pro colloquio Regis, venisset: quidam ex ipsis Monachis, quos ad rem exequendam, ii qui domi remanserant, pari voto selectos, eò direxerant: omissis privilegiis suis (quæ nulla, vel non rata à Rege, & Principibus comprobata sunt, & damnata) per suos advocatos Regi persuaserunt; ut Anselmo mandaret, Abbatem in Ecclesia S. Augustini, ex antiquâ consuetudine consecrare. Hujus mandati nuntii fuerunt Willielmus Episcopus Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, & Willielmus Exoniensis, cum Gisleberto Abbate Westmonasterii, à Rege ad Anselmum.

XIV. Anselmus non vult Monachis cedere.

Respondit ergo Anselmus: Si Rex me rogaret, quatenus pro suo amore, ipsum Abbatem in Ecclesiâ suâ ordinarem; fortassis facerem, eâ consideratione, eo intuitu, quod Antecessorum meorum juris fuit, & meum est, indifferenter per Angliam, ubicumque voluntas fuerit, Episcopale officium administrare. Nunc autem, quia mandat me id faciam ex consuetudine; Dico consuetudinis illud non esse. At illi: si contra Fidem non esse dinoscitur; cum ne vult, ut in suâ sede consecretur. Refert. Non omnia facienda sunt, quæ fidei contraria non sunt. alioquin plura inconvenientia fierent. Hoc quoque unde agitur, quamvis si fieret, fidei contrarium non esset; fieri tamen ex consuetudine non debet: eò quod nimis inconveniens esset. Eum quippe, qui Canonicè mihi & Ecclesiæ nostræ, per omnia subjici debet, subditum in hoc, contra ordinem fierem. Adhæc Archiepiscopus Cantuariensis, Primas est totius Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, & adjacentium Insularum; nec pro alicujus persona consecratione; nisi solummodo Regis, & Reginæ, sedem suam, ex consuetudine egreditur. Si ergo Rex vult, ut ego eundem honorem exhibeam Abbati S. Augustini, quem sibi; parem eum vult in regno suo facere sibi. Quod ne fiat consulo; sicut ei cui fidem debeo; quatenus se ab hac voluntate cohibeat. Re etenim vera dico; quia si unquam tanta inordinatio in Anglia facta fuerit, non modo Regi, sed Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, & toti regno grande opprobrium erit.

Cantuariensis Sedis iurisdictio.

XV. *Dixerunt: Eia, si eum in Sede suâ ordinare, istis rationibus actus, non vis: mandat ut in suâ Capellâ, se præsente, illum ordinari permittas ab aliquo Episcoporum, cui ipse præceperit. Respondit: Cur illum ab alio Episcopo ordinari permitterem; quem ego, gratiâ Dei pro meo jure uti debeo, ordinare potis sum? Et hoc quidem (aiunt) mallet; ut illic eum tu ipse consecrares. Dixit: Si hoc fecero, nonnullam injuriam faciam Domino meo: meum quippe non est, in Capella ejus Missam celebrare: nisi quando ipse debet a me coronari. Itaque si hoc facio pro Abbatis consecratione, Regius honor vilescet: & deinceps meo exemplo, exigetur pro consuetudine, quod hactenus fiebat statuto tempore pro solo Regis honore. Verum quia ipse vult, ut proximè consecretur: eo quod nondum confirmato Abbate, fluctuant res Abbatiæ. Si voluerit, hic in Capellâ hospitii mei, eum ordinabo. quoniam quidem mihi facile non est, pro tam levi re, hac vice Cantuariam ire. Relata sunt ista Regi: & approbata ratione Anselmi; laudavit, ut omissis cunctis objectionum ambagibus, Abbas sacraretur; uti dixit Anselmus. Ordinavit igitur illum IV. Kal. Martii quintâ feriâ primæ septimanæ Quadragesimæ, apud Lambetham, in Capellâ Roffensis Ecclesiæ. ubi tunc Anselmus erat hospitatus. Acceptâ ab eo professione, ex more, quâ se Ecclesiæ Cantuariensi, & Archiepiscopis ejus, Canonicè per omnia obediturum promisit. Ii ergo qui affuerunt, multò honestius ipsum Cantuariæ potuisse sacrari dixerunt: & quod major honor esset Abbati requirere Patrem patriæ pro benedictione suâ, in Metropoli Sede, quam in Capellâ Roffensis Ecclesiæ.*

Abbas tandem Lambethæ consecratur, ubi Anselmus hospitatus est.

XVI. Anselmus ut vidit Regem sibi in re omni Ecclesiastica morigerum, Paschalem per literas docuit, sopitam esse omnem de Investiturarum jure controversiam; laudavitque eos qui sancto operi manum operamque porrexerunt. Literarum series fuit hujusmodi.

PASCHALI Domino, Patrique Reverendo, summo Pontifici: ANSELMUS servus Cantuariensis Ecclesiæ, debitam obedientiam, cum orationum assiduitate.

Apud Edmer. l. 4. fo. 93.

„NON debeo tacere Excellentiæ Vestræ, „quod per eam Dei gratia operatur in Angliâ, & in Normanniâ. Rex qui dominatur „Anglis & Normannis, obedienter suscipiens

vestram

Anselmus Paschalem monet, omnem controversiam sopitam esse.

„vestram jussionem, Investituram Ecclesiarum, reoitentibus multis, omnino deseruit. Quod ut faceret, Robertus Comes de Mellente, & Richardus de Redueris, ut fideles vestri, & filii Ecclesiæ, veritatis attracti monitis, vehementer institerunt. Rex ipse in personis eligendis, nullatenus propriâ utitur voluntate: sed religiosorum se penitùs cōmittit consilio. De me autem quantas debeo gratias Paternæ benignitati vestræ, scribendo non sufficio reddere: sed eas in chartâ cordis mei scriptas lego assiduè. Cum enim sicut servi vestri dilecti, Fratres nostri, Willielmus & Balduinus retulerunt; vitæ meæ corruptibilis curam, nè cito deficiat, tam benignâ solicitudine mihi gerere præcipitis; non modicum pietatis affectum, magnitudinem vestram erga parvitatem meam, habere monstratis. Omnipotens Deus vitam vestram nobis in omni prosperitate diu custodiat.

XVII. Præstitit reverà Henricus Rex, quod Anselmus scripserat: ut Mathildis Reginæ argumento probatur. Illa enim, cum ad vacantem Malmesberiensem Abbatiam, Ernulfum hoc annu nominasset: noluit porro, aut baculum aut annulum laica manu contingere: sed Anselmi brachium implorans, has ei literas, humili obsequio plenas misit.

Domino suo, & Patri Reverendo pariter & colendo, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: Mathildis Regina, devota sanctitatis ejus ancilla, cum Christo suo: Salutem.

Ansel. Epistolarum l. 3. Epistola 119

Regina rogat Anselmum ut baculum et annulum tradat electo Malmesburien. Abbati.

„Quoties Epistolari beneficio vestræ mihi Sanctitatis municipium impartitis; toties innovatæ lætitiæ luce nebulosam animæ meæ caliginem serenatis. Est etenim vestri quædam, & absentia qualiscumque revisio, & chartulæ contrectatus; & literæ perjucunda sæpiusque recitata relectio. Quid namque vestris, Domine, scriptis, aut stylo ornatius, aut sensu refertius? Non bis desunt Frontonica gravitas Ciceronis, Demosthenis, aut Quintiliani. In his sanè doctrina quidem redundat Pauli, diligentia Hieronymi, elucubratio Gregorii, explanatio Augustini. Et quod his majus est; hinc dulcor evangelici stillat eloquii. Hac igitur mihi gratiâ diffusâ à labiis vestris, cor meum, & caro mea exultaverunt in affectum vestræ dilectionis, in effectumque Paternæ vestræ monitionis. Frequentissimo quippe recursu exhortationis vestræ, benignissimæque obsecrationis memoria, cordis mei januam reverberat, obsecutionisque obedientia judicat. Vestræ igitur Sanctitatis favore freta, Domino Ernulfo, Wintonienti Monacho, olimque Sacristæ, vobis credo nuto, Abbatiam Malmesberiæ, in his quæ mei juris erant commisi: vestræ quidem donationi, & dispositioni, quæcumque illius sunt ex integro reservatis. Ut scilicet, tam virgæ, quàm curæ pastoralis commissio, vestræ discretionis contradatur arbitrio. Ei autem vestræ bonæ voluntatis gratiæ, quæ erga me non tepescit, dignum munus recompenset Numen gratiæ cælestis. De cætero vestram Christus dignitatem salvificet: quique vos in terrâ beatificat, de vestro me reditu citò lætificet. Amen.

XVIII. Non potuit hæc mollis oratio Anselmum flectere; ut Ernulfum, Abbatis infulâ ornaret: qui misso munere mercari Infulam videbatur. Ita ergo Reginæ Anselmus satisfecit.

Anselm Epistolarum l. 3 Epistola 120.

Dominæ, & Filiæ charissimæ, gloriosæ Reginæ Mathildi, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ. fidele servitium, cum orationibus.

Anselmus ob munus ad se missum non vult Abbatem consecrare.

„Noverit Excellentia Vestra, dilectissima Domina, de Abbatiâ Malmesberiensi, & de Fratre illo, de quo mihi mandastis, libenter confirmarem voluntatem vestram, si possem. Vos enim, quantum ad vos spectat, benè, & secundum Deum fecistis, quod inde fecistis: sed fecit ipse, in hoc, quiddam valde insipienter, quod facere non debuit. nam per eosdem Legatos, qui mihi literas vestras, & aliorum, de suo negotio attulerunt; misit mihi scyphum unum. Quem quidem scyphum nullatenus retinere volui: sed inde dolui; quia non video, quomodo in hoc possit à culpâ excusari. Omnipotens Deus dirigat omnes actus vestros in beneplacito suo: & defendat vos ab omni malo. Amen.

XIX. Fatalis hic annus Coronæ & insulis fuit. Robertus Henrici frater quem è Normanniâ captivum, carceri mancipatum diximus; pertæsus vincula, in Scyllam (ut volunt aliqui) incidit cupiens vitare Charibdim. Enimvero, liberâ primùm usus custodiâ, dum omni custode remoto, ad majorem libertatem anhelat, profundum servitutis incurrit, luce solis, & oculorum lumine privatus: ita saltem refert Parisiensis, ad hunc annum. *Dux Robertus immemor illius boni consilii: humiliamini sub potenti manu Dei; in ampullosa verba, & minas prorupit, falsis promissis, & præcipuè Comitis Cestrensis animatus. Deceptis igitur custodibus, conatus est evadere. sed fugiens ab eisdem captus est: incidens suo manno in bitumen profundum. fuerat autem reverenter in liberâ custodiâ detentus. Quod cum Regi nuntiaretur; jussit eum arctiori carceri & custodiæ mancipatum, fulgenti obstaculo, oculorum luce privari. Dux verò ex illâ horâ, usque ad mortem, mente & corpore inconsolabili dolore contabuit.* Ita ille. Sed quod ad lucis oculorum, privationem spectat, excutiam illud inferiùs (an. 1135. 10.) Annos sex omnino & viginti Robertus in miserâ servitute luxit apud Silures, & Castrum Cardif: In Palæstinâ, & orbe altero, quàm in suo, felicior. de quo Camdenus, cum Cardif urbem describit, & res ibi magis illustres. *Quomodo* (inquit) *Robertus Curthose* (tale ab habitu cognomen habuit) *Gulielmi Conquestoris filius, natu maximus, vir bellicâ virtute stolidè ferox: spe Anglici imperii à minoribus fratribus excussus, oculisque orbatus in hoc Castro consenuerit, ex nostris si placet historicis queras: simulque discas ex clarissimâ familia nasci, nec tranquillum, nec tutum esse.* Verùm de oculorum orbitate inferius, an. 1135. n. 10.

Robertus Dux ob fugam è carcere, excæcatus dicitur.

Mat. Paris hic.

Camden. in Glamorgan.

XX. Funestavit etiam hunc annum sua morte, Scotorum Rex Edgarus: *Cui successit Alexander frater suus, concessu Regis Henrici*, inquit Huntindonius. Vix coronam novus Rex induerat, cum scriptis ad Anselmum literis, ejus pro defuncto fratre

Huntindo. l. 7 fo. 370.

Edgarus Rex Sco-

TIÆ MORITUR. SUCCEDIT ALEXANDER FRATER EIUS.

precum suffragia implorans; unà consilium sibi, monitaque porrigi, ad Remp. benè feliciterque administrandam petiit: & Anselmus, cui Scotorum etiam Ecclesia suberat, Alexandro rescripsit in hunc modum.

Anselmi Epistola. l. 3 Epist. 132.

ALEXANDRO, Dei gratiâ, Scotorum Regi: ANSELMUS servus Ecclesiæ Cantuariensis, Salutem & fideles orationes, & benedictionem Dei, & suam quantam valet.

PROMITTIT SE PRO FRATRE ORATURUM.

» GRATIAS ago Deo, & gaudemus ego, & » tota Congregatio Ecclesiæ Christi Can» tuariensis; quia Deus vos in regnum pater» num, hereditario jure, post fratrem vestrum » sublimavit: & quia vos moribus dignis regno » decuravit. Pro fratre vestro, qui sanctè vi» vendo meruit; ut de hac vita bono fine, mise» ricordiâ Dei, transiret, sicut pro dilecto dile» ctore nostro, secundùm petitionem vestram » oramus & orabimus: ut Deus animæ illius, » gloriæ suæ, cum electis suis gaudium æternum » tribuat, & æternam beatitudinem concedat. » Scio quia Celsitudo vestra, meum amat, & de» siderat consilium: Imprimis igitur oro Deum; » ut ipse vos Sancti sui Spiritus gratia sic diri» gat; & in omnibus actibus vestris consilium » attribuat; ut ad regnum cæleste, post hanc vi» tam, perducat. Nostrum autem consilium est, » ut timorem Dei, & bonos ac religiosos mores, » quos in adolescentiâ, & ab infantiâ cœpisti » habere, ipso adjuvante, à quo accepistis, stu» deatis tenere. Tunc enim benè Reges re» gnant, cum secundùm voluntatem Dei vivunt, » & serviunt ei in timore; & cum super seipsos » regnant: nec se vitiis subjiciunt: sed illorum » importunitatem constanti fortitudine supe» rant. Non enim repugnant in Rege, virtu» tum constantia & fortitudo Regia. Quidam » enim Reges sicut David, & sanctè vixerunt, » & populum sibi commissum, cum rigore justi» tiæ, & pietatis mansuetudine, secundùm quod » res exigit, rexerunt. Sic vos exhibete: ut ma» li vos timeant; & boni vos diligant: & ut vita » vestra semper Deo placeat: semper mens ve» stra vindictam malorum, & præmium bono» rum, post hanc vitam * memoriam retineat. » Omnipotens Deus vos, & omnes actiones ve» stras nulli alii, quàm suæ piæ dispositioni com» mittat. De Fratribus nostris quos in Sco» tiam, secundùm voluntatem Fratris vestri; qui » de labore hujus vitæ sicut credimus, ad re» quiem transivit; misimus; benignitatem ve» stram rogare necesse non putavimus; quia bo» nam voluntatem vestram non ignoramus.

forte * memoria.

XXI. MAURITIUS LONDINEN. EPISCOPUS MORITUR.

Infulas etiam hoc anno mors invasit, cum Londinensem Episcopum, & plures Abbates sustulit. Mauritius, ab * anno Domini millesimo octogesimo sexto, Londini sederat, nominis æternitatem illustrissimo opere meritus, cum gentium Doctori Paulo Templum cœpit extruere jactis tam altè fundamentis, ut passim crederent multi, fastigium per plura sæcula imponi non posse. *Tanta crypta laxitas* (loquitur Malmesburiensis) *tanta superioris adis capacitas, ut cuilibet populi multitudini videatur posse sufficere. Quia igitur Mauritius erat mentis immodicus, laboriosi operis impensam transmisit ad posteros.* Ille certè omnem animi conatum, ad operis perfectionem adhibuit: & corrogata undique stipe cum nihil operæ industriæque omisisset, viginti annorum spatio, nuda tantum Templi fundamenta, eaque imperfecta reliquit. Unde Godwinus de illo, & Paulino Templo: *Nova* (inquit) *jecit fundamenta, tam spatiosa; ut qui ea tempestate vixerunt plerique, coeptum hoc ejus tanquam temeratium, & audax nimium reprehenderent. numquam futurum dicentes, ut moles tam ingens structura aliquando perficeretur. In eo loco, ubi postea Kilwarbeius Archiepiscopus Dominicanis suis Cœnobium condidit, arx magna steterat, a flammis devorata. Hujus arcis reliquias a Rege Mauritius impetravit in eastructurâ impendendas. Quo etiam tempore, donavit eum Rex Stortfordensi arce, & prædiis ad illam spectantibus. Verumenimvero hic aliisq; multis rationibus adjutus, in viginti annorum spatio, quibus Sedi præfuit, opus inchoatum parum promovisse visum est. quamvis diligentissimè, & omnibus animi nervis, in id unum incubuerit. Decessit Septembris 26. anno Christi 1107.* Hæc ille. Quis illi successerit dicam anno sequenti.

* V. an. 1086 n. 15. & an. 1087. n. 2.

Malmesb de Pontif. l. 2 fo. 237.

PAULINI TEMPLI PRIMUS ÆDIFICATOR.

Godwin in Episcopis Londin.

XXII. RICHARDUS ELIEN. ABBAS MORITUR. ET MONASTERIUM FIT SEDIS EPISCOPI.

Mortui sunt etiam Abbates duo, Richardus Abbas Eliensis, & Robertus Abbas de Sancto Edmundo. Iste successorem habuit sibi cognominem, ab Anselmo consecratum * ut suprà. Ille Richardus, Eliensi Monasterio ultimus, cum Abbatis dignitate, præfuit. Nam eo mortuo, cum Harvæus Bangorensis sede pulsus, sede dignus esset: & Lincolniensis provincia, amplissima esset, duobus par Episcopis: cum denique Eliense Monasterium, structuræ elegantiâ, & latifundiorum copiâ emineret: novæ Sedis erigendæ, ibique eam statuendæ, inde sumptum, est argumentum: ab Henrico probatum, ab Anselmo roboratum: à Paschali denique concessum: de quibus sigillatim agendum. narrationi materiam præbet fragmentum M. S. Eliensis Ecclesiæ historiæ, quod Seldenus in lucem edidit, ubi erectæ Sedis exordia accuratè describuntur in hunc modum. *Post mortem Richardi Abbatis, mittitur à Rege, ad Eliense Cœnobium Hervæus Pangorensis Episcopus, à suo Episcopatu per violentiam ejectus: ut ibi de rebus Ecclesiæ, ad tempus sustineretur; donec Rex plenius deliberasset, quid de eo esset faciendum. Est autem Pangor* (nos communiùs Bangor dicimus) *Monasterium in Wallis tot habitationibus plenum, ut sicut Beda refert, si in septem partes divideretur, non minus quaque portio quam trecentos homines haberet. Hic cum Episcopatu fungeretur Herveus, gentem efferam nimiâ austeritate tractabat. Videns tantam in moribus eorum perversitatem (quam nemo facilè posset tolerare: unde Episcopali timori nullam servabant reverentiam) gladium bis acutum ad eos domandos, exeruit: nunc crebro anathemate, nunc propinquorum, & aliorum hominum eos coërcens multitudine. Nec minor fuit eorum contra eum rebellio. Tanto periculo ei insistebant, ut fratrem ejus perimerent, simili modo eum perempturi, si possent in eum manus injicere. Expavit Episcopus ingruens infortunium: plurimisq; suorum interfectis, aut graviter vulneratis: videns quod anima sua quæreretur, nec congruos haberet defensores: ad Regis Angliæ confugit patrocinium, utile sibi consecutus exilium.*

* Hic n. 10.

Apud Selden in Spicil. fo. 209.

HERVÆUS SEDE EIECTUS, ELIEN. MONASTERIO COMMENDATUR.

XXIII. QUOMODO SEDEM

Rex autem ejus adventum, ut famosi tunc temporis, & religiosi Episcopi benignè suscipiens, ad Eliensem Ecclesiam destinatum, procurationem inde accipere

cum

ibi Episcopalem adeptus.

eum constituit. Ipse vero illuc veniens, gratiâ. conversatione, & mirabili prudentiâ, omnium penè Monachorum sibi alligavit affectum: ut si fieri posset, eum sibi Episcopum adoptarent. Quam circa se affectionem aspiciens, cœpit paulatim quibusdam tiriam locutionibus, loci utilitatem eu proponere, fratrum animos attentare, & multa jocunda promittere: si Abbatiam in Episcopatum promovere; & seipsum vellent in Episcopum suscipere. Ad quod efficiendum, suum quoque eis promisit auxilium: dum tamen illi suum praberent assensum. Ipsis autem facile ad eum conversis, ipse Regem adiit. Rex petita concessit: Robertum Lincolniensem Episcopum ad colloquium invitavit: ut, quod ille locus in ejus Episcopatu esse videbatur, sine ejus conniventiâ non fieret ista mutatio; ne Diocesis ejus pateretur injuriam, si inconsulto suo Episcopo, alius in eum induceretur Episcopatus. Praterea oportuit, ut futurus Episcopatus aliquam haberet parochiam, quam sibi impartiri, de Lincolniensi Ecclesia, Canonica justitia, cum aquâ compensatione postulabat. Datum est itaque manerium de Spaldewic Lincolniensi Ecclesia, in jus perpetuum pro commutatione Episcopalis cura, super pagum Grantebregensem. Et finito hoc inter Regem, & Robertum Episcopum secreto negotio (Monachis omnino inconsultis Ecclesia filiis id ignorantibus) Hervæus Episcopus, cum literis Regis, ad confirmandum hoc propositum, Romam destinatur. Quo veniens impetravit qua petiit: ad Regem & Archiepiscopum, & comprovinciales Episcopos, literas Apostolicas, super suâ causâ, quales optabat, reportans.

Hervæus Romam proficiscitur.

XXIV. Hactenus Fragmentum, ubi Paschalis literæ, & Henrici Regis sequuntur. Omittit tamen aliqua, Hervæum & Anselmum spectantia, quæ meritò Annalibus inserenda sunt. Imprimis Henricus Rex, exulem Episcopum cupiverat aliquando in Lexoviensem Sedem promovere: quam vel Ranulfus Dunelmensis, vel filii ejus injuriâ impleverant. Sed quia magnæ molis erat, externum hominem, in Normanniâ, invitis Normannorum Episcopis, ordinari: Anselmum Rex consuluit. petivitque quid facto opus? Rescripsit Anselmus in hanc sententiam.

Apud Ansel. Epistolarum l. 3 Epistola 126.

Suo charissimo Domino Henrico Dei gratia Anglorum Regi, & Duci Normannorum: Anselmus Archiepiscopus fidele servitium cum orationibus.

Responderi Anselmus quæsito Regis num Hervæus esse possit Lexoviensis Episcopus.

„ Mandavit mihi dignatio vestra, per electum Episcopum Wintoniensem, ut sibi scriberem, Utrum Dominus Hervæus, Episcopus Bancorensis, possit constitui Episcopus in Ecclesiâ Lexoviensi. Hoc utique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus Episcopus sacrari debet, alicui Ecclesiæ sine assensu & consilio Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum totius provinciæ. Ita qui sacratus est Episcopus, non potest constitui in aliâ provinciâ Episcopus Canonicè, sine consilio & assensu Archiepiscopi, & Episcoporum ejusdem provinciæ, cum authoritate Apostolicâ, nec sine absolutione Archiepiscopi, & Episcoporum provinciæ in qua sacratus est. Quæ absolutio fieri nequit, sine magnâ & communi consideratione, & consilio eorum, sine quibus consecrari, ut dixi, non potuit: quamvis Episcopatus ejus ita videatur destructus, ut in eo manere non possit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac, & aliis actionibus vestris. Amen.

XXV. Ita scripsit Anselmus hoc anno priusquam Cantuariæ Episcopi sacrarentur. unde Gulielmus dicitur electus tantùm Wintoniensis Episcopus. Cæterùm mutato deinde consilio, cœptum est, de Eliensi Sede, & illi præficiendo, Hervæo Bangorensi. In quo in Anselmum, ut par erat, negotii summa resedit. Ex ille gnarus, nihil hujusmodi, inconsultâ Romanâ Sede, tentandum esse, ita ad Paschalem scripsit.

Domino, & Patri Reverendo, Paschali summo Pontifici: Anselmus Ecclesiæ Cantuariensis, debitam obedientiam, cum fideli obsequio & orationibus.

Apud Edmer. l. 4. fo 93.

Anselmus a Paschali petit, in Eliensi Insula erigi Sedem Episcopi.

„ Quoniam robur dispositionum quæ utiliter fiunt in Ecclesia Dei, de vestræ pendet authoritate prudentiæ; quando fiunt, ad vestram referendæ sunt notitiam, & judicium: ut cum Apostolico assensu fuerint confirmatæ; nulla præsumptione à posteris; quæ salubriter statutæ sunt, queant violari: sed ratæ permaneant in perpetuum. In Angliâ est quidam Episcopatus, scilicet, Lincolniensis, cujus Diœcesis, tam ampla est, ut ad ea, quæ non nisi ab Episcopali personâ fieri queunt; unus Episcopus sufficere plenè non possit. Quod cum consideraret Rex, & Episcopi, & Principes, & alii rationabiles, & religiosi viri regni Anglorum, ad utilitatem Ecclesiæ visum consilium est, Episcopatum præfatum in duos dividere: ita ut Sedes Episcopalis in quadam Abbatia, quæ sita est in Insula vocata Heli, & est intra præfatam Diœcesim, constituatur: Monachis ibidem permanentibus; sicut sunt multi Episcopatus, qui Monachos in matre Ecclesiâ habent, non Canonicos. Quod libenter concedit ipse Episcopus Lincolniensis, Robertus nomine: quia pro iis quæ assumuntur, de suâ Ecclesiâ, ad instaurandum novum Episcopatum, in Heli; tantum Ecclesiæ Lincolniensi restauratur, ut ipse sufficiens, & gratum sibi esse fateatur. Cui rei mihi, tum propter prædictam necessitatem, tum propter multitudinem prædictorum, qui in hoc consensuot, visum est, ut salvâ vestrâ authoritate, assensum præberem. Precatur igitur suppliciter mea parvitas; quatenus hoc pro utilitate Ecclesiæ sic dispositum, vestra authoritate in perpetuum roboretur: nè à posteris ulla præsumptione (quod benè statutum fuerit) violetur. Oramus Dominum omnipotentem, ut Ecclesiæ suæ vos in diuturnâ prosperitate custodiat.

XXVI. Eodem argumento Henricus Rex, Paschali Papæ literas dictavit: nullâ (ut etiam Anselmus) Harvei factâ mentione: qui dictarum literarum bajulus, cum causam suam Romæ perorasset; Paschalem impulit, Regem rogare, ut Sede aliquâ in Angliâ donaretur, qui pro tuenda Canonum, & Ecclesiæ puritate, Sedem perdidisset. potest hoc evinci, è Paschalis ad Regem rescripto, quod è Fragmento suprà nominato Seldenus in Spicilegio ita recitat.

Apud Selden in Spicilegio fo. 210.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei: Dilecto in Christo filio Henrico, glorioso Regi Anglorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Concedit Pontifex erigi novam Sedem in Ely.

„ Omnipotenti Deo gratias agimus; qui „ talem te Regem nostris temporibus con„ stituit: qui & terrenum regnum sapienter ad „ honorem Dei gubernas: & æterni Regis soli„ citudinem, ante oculos mentis portas. Postu„ lasti, siquidem à nobis, per literas, ut in loco, „ qui Ely dicitur, novus ex Apostolicâ authori„ tate Episcopatus constituatur: quia Lincol„ niensem Episcopatum tantæ magnitudinis esse „ dixisti: ut ad peragenda ea, quæ Episcopalis „ sunt officii, unus Episcopus nullatenus suffice„ re possit. Pro quo & devotionem tuæ volun„ tatis laudamus: & dispositioni assensum præ„ bemus: ita tamen, ut in celebri loco consti„ tuatur, nè Episcopi nomen vilescat. Ad hoc „ enim Episcopus constituitur: ut populum Dei, „ & verbo doceat, & vitâ informet: & ad ve„ rum Pastorem commissarum sibi animarum „ lucra reportet. In his quoque de quibus roga„ sti; licet quædam ibi inordinata videantur, tuæ „ tamen voluntati refragari nequaquam vale„ mus.

XXVII. Ut Hervæus Sedem alicubi habeat Pontifex petit.

„ Novit præterea gloria vestra Dominum Her„ væum Episcopum, quem vita & scientia com„ mendat non modica, nimiá barbarorum fero„ ciâ, & persecutione, de Sede suá expulsum: „ & multa fidelium fratrumque suorum cæde „ fuisse fugatum. Cujus ut scientia fructum qui „ non perit afferre: & vita bonum valeat Dei „ populo exemplum præbere: volumus, & ro„ gamus, ut si qua eum apud vos vacans Eccle„ sia vocaverit: ibi Apostolica authoritate con„ stituatur: ne infructuoso diu silentio torpeat, „ qui vitæ cælestis documenta, in scientia & mo„ ribus portat. Omnipotens Deus Apostolo„ rum suorum precibus, & vos & prolem vestram „ custodiat: & cæleste post terrenum vobis re„ gnum concedat. Dat. XI. Kal. Decembris. Ex data literarum patet, sub finem hujus anni scriptas esse. quo etiam tempore, Paschalis Papa ad Anselmum rescripsit per Hervæum Episcopum, qui non nisi sequenti anno, in Angliam rediens, ad Eliensem Episcopatum admittitur: & tunc demum, omni juris adminiculo. nova Sedes erigitur atque munitur, ut infrà. Interim, rescripti quod Paschalis ad Anselmum misit, hæc est sententia.

Apud Sold. in Specilo. fo. 210.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, & cæteris comprovincialibus Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

XXVIII. Paschalis rescriptum de dividendo Lincolniensi Episcopatu.

„ Inter cætera regna terrarum, ad Apostoli„ cæ Sedis dilectionem, atque obedientiam, „ Anglorum regnum specialiter pertinere, Apo„ stolicæ Sedis scripta, & Anglicarum historia„ rum series manifestant. Quæ nimirum causa „ sollicitudinem nostram propensius impellit, il„ lius regni Ecclesias familiariùs confovere, & „ earum dispositionibus sollicitiùs invigilare. „ Lincolniensem itaque Episcopatum, tam spa„ tiosum, ex filii nostri Regis, vestrisque literis, „ agnovimus: ut ad ea quæ Episcopalis sunt of„ ficii peragenda, unus nullatenùs sufficere pos„ sit Episcopus. Quapropter ex voluntate Lin„ colniensis Episcopi postulat à nobis idem cha„ rissimus filius noster, & Christianissimus Rex „ Anglorum Henricus; quatenùs in parte unâ „ Episcopatus ipsius, ex Apostolicæ Sedis pro„ missione, novus Episcopus constituatur; in „ loco videlicet qui Ely vocatur. Cujus nos pe„ titionibus, quia religiosæ videbantur, asse„ sum libenter præbuimus: & Episcopatum in „ loco præfato constituendi, ex Apostolicâ au„ thoritate, licentiam damus: statuentes, ut Se„ des Episcopalis in loco prædicto constituta, „ omni deinceps tempore perseveret. Paro„ chiam quoque, quam vestra fraternitas, cum „ prædicto fratre Lincolniensi Episcopo. & Re„ gis providentiâ, eidem Episcopatui assignave„ rit, perpetuò possideat. Portò de Monaste„ rio, in quo Sedes Episcopalis constituitur „ Anglicorum Monasteriorum, in quibus Epis„ copi constituti sunt, consuetudo servabitur. „ Hujus constitutionis conservatores, omnipo„ tentis Dei & Apostolorum suorum benedictio„ ne, perpetuò perfruantur. Amen.

Henricus Rex Christianissimus a Papa vocatur.

Moritur etiam hoc anno Albericus secundus Cisterciensis Cœnobii Abbas: & succedit Stephanus Hardingus, de quo plura cum moritur.

Albericus Abbas moritur, succedit Stephanus.

XXIX. Godefridus Prior Wintoniensis moritur.

Mortuos Abbates excipiat mors Godefridi Prioris Wintoniensis, quem * suprà à religione, à doctrinâ, à pietate commendavi, studioque reformandi concinnandique divini Officii, præscriptum Clericis pensum. hic post expensos sanctè labores, post diuturnæ infirmitatis molestias, requiem hoc anno, & beatæ vitæ initium cepit. de quo Malmesburiensis. *Inerat sancto viro morum humilitas, ut nihil ex illo unico philosophiæ promptuario redoleret, nisi humile. nihil procederet, nisi dulce. Quantula verò videri potest hæc ejus laudatio? Quotus enim quisque est, qui vel minimum literis imbutus, non alios infra dignitatem suam opinetur tumido gestu, & pompatico incessu præseferens conscientiam literarum. Veruntamen ne quid perfectioni, sanctæ deesset animæ, multis annis ille grabatum fovit, camino diuturnæ tabis medullas, & peccata excoctans.*

* V an. 1098. n. 16.

Malmesb. de Henric. fo. 17

XXX.

Illustravit etiam hunc annum mors Ailrici, qui cum plures annos Deum, in eremo coluisset, nunc æternâ requie, & beata Dei visione donatur. extat ejus mentio in vita S. Godrici, quem Deus ad Ailricum misit, vitæ mortisque ejus futurum testem, addo & instituti ejus discipulum. nam de Godrico hæc narrat Parisiensis (an. 1170.) *Godricus solus in eremo, diebus multis conversatus; nunc genuum flexionibus, nunc manibus in cælum elevatis, nunc humi prostratus, Dominum assiduè precabatur. Tandem solitarium quendam inveniens, & speluncam senis ingrediens, ab ipso confestim audivit. Bene venias Frater Godrice; & tu benè valeas Pater Ailrice: cum autem prorsus essent ignoti. Tu, inquit senex, ad hoc missus es a Deo; ut corpus senile sepulturæ tradas. Itaque soli per biennium commanserunt, nullam omnino substantiam possidentes. Sene tandem graviter infirmato, Godricus debilem sublevat, & transportat. cibos ori ejus applicat, Presbyterum adducit; qui ei factâ confessione, Eucharistiam subministraret. Videns ergo Godricus quod morbus*

invalesceret, dixit: O spiritus, qui ad imaginem Dei creatus es: adjuro te per Deum omnipotentem, ut me nesciente ex hoc corpusculo non recedas. Sene autem sine morâ animam exhalante; vidit in similitudinem venti urentis & fervidi, formam quasi sphæricam, quæ instar vitri lucidissimi tota resplenduit: & illam undique incomparabilis candor obduxit: licet modum qualitatis animæ nemo valeat explicare. Audito audito tamen obitu Viri sancti: Socii ejus, qui erant in Curiâ B. Cuthberti, inter quos fuerat juvenis conversatus, sepelierunt eum in cœmiterio Dunelmensi. Ita Parisiensis; ex quo etiam colligitur, Ailrici mortem hoc anno consignandam. nam post triennium (nimirum anno 1110.) Godricus in Finchale, & agro Dunelmensi, Sedem figet, ad annos sexaginta, & demum morietur Sanctus anno 1170. Cæterùm à morte Ailrici, triennium peregrè Palæstinum lustrans explebit, priùs, quàm Eremum apud Finchale colere incipiat. ut dicam in sequentibus.

ANNUS CHRISTI 1108.

PASCHALIS II. PAPÆ 10.

HENRICI PRIMI REGIS 9.

I. SEQUENS Christi annus centesimus octavus supra millesimum, novæ Sedis Episcopi erectionem quam superior annus parturiverat, apud Eliensem Insulam, edidit. Sed quâ obstetrice manu, laicâne an Ecclesiasticâ? dubitari forte potuisset, nisi Paschalis & Anselmi suprà recitatæ literæ, satis ostenderent, quicquid in eâ actum, Apostolicâ potestate peractum esse. Quod etiam Regium diploma manifestè probat; licet appositâ hederâ (Diplomatis, inquam epigraphe) Henricum Regem Episcopatum illum erexisse videatur indicare. Quicquid sit, hoc primùm anno, Hervæus ex urbe rediens, & Romani Pontificis munitus literis, Sedem illam ingreditur. de quo fragmentum Eliensis Ecclesiæ. *Hic, inquit, suæ confirmationis susceptis Epistolis, Hervæus Angliam, cum Apostolicâ benedictione properavit. Regem & Archiepiscopum adiit: literas eis ostendit, assensum eorum obtinuit: & in sequenti anno totum negotium consummavit: Anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octavo, Pontificatus autem Domini Paschalis II. Papæ anno decimo. Quo etiam anno Rex Henricus Abbatiam Eliensem, ad Episcopalem mutavit Sedem: & eundem Hervæum, Bangorensem Episcopum, eidem Ecclesiæ præfecit, confirmans cum sequentibus chartis.*

Apud Selden in Spicileg. fo. 211.

HERVÆUS IN ANGLIAM REDIIT.

ABBATIA ELIENSIS MUTATA AD EPISCOPALEM SEDEM.

II. Verùm una tantùm charta, è Manuscripto Codice, publici juris est; legiturque in Seldeni Spicilegio; qui rectè disputat, genuinusne an adulterinus sit partus; cum Anselmus, qui anno sequenti primùm moritur, hoc anno mortuus supponatur. Charta autem sic inscribitur.

DE FIDE CHARTÆ REGIÆ.

Charta Regis HENRICI quomodo Abbatiam de Ely in Episcopatum transmutavit.

Apud Seld supra.

DIPLOMA HENRICI PRO NOVA EPISCOPALI SEDE.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis,
„ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Anno ab
„ Incarnatione Domini millesimo centesimo
„ octavo Indictione::: Anno Pontificatus Do-
„ mini Paschalis Papæ Secundi, decimo: regni
„ quoque mei similiter decimo. Ego Henricus,
„ providente divinâ clementiâ, Rex Anglorum,
„ & Normannorum Dux, Willielmi Magni Re-
„ gis filius, qui Edwardo Regi hereditario ju-
„ re successit in regnum: videns & Ecclesiæ mes-
„ sem in regno meo multam esse, & agricolas
„ quidem paucos, & ob id plurimum laborantes
„ in messe: & in ipsâ Lincolniensem Ecclesiam,
„ multâ plebe fecundam: ex authoritate & con-
„ silio prædicti Papæ Paschalis, & assensu simul,
„ & prece Roberti Lincolniensis Episcopi; qui
„ tunc Ecclesiæ prædictæ præsidebat, & totius
„ Capituli sui cum ipso: annuente Domino An-
„ selmo beatæ memoriæ Cantuariensi Archie-
„ piscopo: & Thoma Secundo Venerabili Ebo-
„ racensium Archiepiscopo: & universis Episco-
„ pis & Abbatibus totius Angliæ: sed & omni-
„ bus Ducibus, Comitibus, & Principibus regni
„ mei, Elyense Monasterium: in quo quidem
„ usque in tempora mea, Abbates fuerant, cum
„ Cante-brigensi Provinciâ, quantum videlicet
„ ad jus Lincolniensis Ecclesiæ pertinebat, cum
„ duabus Abbatiis Thorneia, videlicet, & Char-
„ terich, in Episcopalem sedem; sicut & cæte-
„ teris Episcopatus regni mei, liberam & abso-
„ lutam perenniter statuo, & confirmo: & pro
„ subjectione, & omnibus Episcopalibus con-
„ suetudinibus ad supradictam Ecclesiam Lin-
„ colniensem pertinentibus absolvendum, con-
„ silio; & assensu prædicto Papæ Paschalis, de
„ beneficiis ejusdem Monasterii Villam, nomine
„ Spaldewic, cum omnibus appendiciis suis,
„ quæ in territorio Huntendone sita est: cum
„ omnibus consuetudinibus ad villam prædictam
„ pertinentibus, supradictæ Lincolniensi Eccle-
„ siæ, & Roberto ejusdem sedis Episcopo, &
„ successoribus suis: sicut eam unquam Eliense
„ Monasterium liberiùs & quietiùs tenuit, jure
„ perpetuò tradidi possidenda.

III. „ Primùm siquidem Londoniis apud West-
„ monasterium in solennitate Pentecostes, de
„ negotio isto, in præsentiâ meâ, coram felicis
„ memoriæ Anselmo Archiepiscopo, & univer-
„ sis Episcopis, & Proceribus regni mei tracta-
„ tum, & eorum omnium communis assensus
„ est favorabiliter consecutus. Post mortem
„ prædicti Pontificis Anselmi, ex authoritate
„ Domini Papæ Paschalis, sicut jam supradictum
„ est; in Concilio apud Castrum Nothingam ha-
„ bito, in die translationis Beatæ Etheldredæ
„ virginis Sedis ejusdem, feliciter per misericor-
„ diam Dei terminatum est, & definitum. Nono
„ Calendas Novembris. Hactenus Diploma: quod suspectæ fidei vocat Seldenus; quia *forensis* (inquit) *qui eo anno in usu, styli characterem non habet Henrici Regis Diploma: utpote quod ab insuetâ omnino verborum, nescio quâ pompâ, in Pontificis Romani honorem consarcinata auspicatur. & Duces veluti nomen honorarium, idq; à Comitibus planè distinctum, memorat. Cum certissimum sit, neminem post Gulielmi Primi tempora, usque ad Edwardum III. ejusmodi dignitatis vocabulo, apud nos esse insignitum. Nec in Archivis Regiis, ubi sæpiùs vetustiorum, quæ Episcopio Eliensi, uti etiam quæ aliis indulgentur, privilegiorum instrumenta iterantur, hujusmodi quid, diligenter licet anquisierim, reperio. Anselmus item obiit anno M. C. IX. XI. Kal. Maii. At verò in*

SELDENUS NULLA CAUSATUR CIRCA FIDEM DIPLOMATIS. DUCUM NOMINA QUANDO USURPATA.

Diplomate hoc, quod anno MC. VIII. tribuitur, mentio est Anselmi mortui. Præterea annus millesimus centesimus octavus sit annus decimus Henrici Regis; cum planissimè nonum superare non posset. Ita ille: qui vel omisit *consarcinatam* illam, quam causatur, *verborum pompam in Romani Pontificis honorem*: vel ad solam Papæ mentionem, quod hæreticis familiare, horruit.

IV. QUANDO DATUM DIPLOMA.

De Ducum, Comitumque differentiâ, nnu est mihi, qui Ecclesiastica tracto, admodum laborandum. Sed quia utrumque nomen, etiam primi Guilielmi sæculo frequens occurrit; cum Dux, Comes, Consul. synonyma ferè fuerunt: cur vitiabitur diploma synonymorum oppositione? Dico igitur, ex historicâ deductione, quid probabilius videatur. Hoc anno millesimó centesimo octavo, Hervæus in Eliensem Ecclesiam electus, & Eliensis Ecclesia in Sedem Episcopalem assumitur, Anselmo etiamnum superstite: Rege id petente, Pontifice concedente. Sed possessionem, stallumque in Ecclesiâ, Hervæus primùm adivit, anno sequenti; quo confectum Diploma, cætera juris adminicula dedit; omnium à morte Anselmi, & Girardi Eborscensis, qui hoc anno 1108. mortuus, secundo Thomæ locum sedemque reliquerat. Unde passim Authores, Hervæi inaugurationem, in sequentem annum rejiciunt, Huntindonius, Hovedenus, & Godwinus in Catalogo. è quibus & ex ultimâ Diplomatis clausulâ colligitur, chartam duorum annorum gesta complecti. & benè sedis erectionem; quod Paschalem spectat; ad decimum Pontificatus ejus, & præsentem annum referri: nec malè decimum Henrici Regis annum vocari; cum Diploma conficitur: & ultima manus negotio apponitur: sic Regiæ chartæ substantia, explicatis circumstantiis, benè subsistit.

V. GUNDULFUS ROFFENSIS EPISCOPUS MORITUR.
* V. an 1077 n. 5.
Godwin. in Roffen.

Sub anni præsentis exordium, Gundulfus Roffensis, & Girardus Eboracensis, vitam cum morte commutarunt, egregii Præsules, qui illustria pietatis in Ecclesiam argumenta dederunt. Gundulfus ab * anno millesimo septuagesimo septimo Roffensem Sedem rexerat, Anselmo inter paucos charus, ut plures Epistolæ ad eum datæ testantur. *Fundavit hic Præsul*, inquit Godwinus, *ptochotrophium S. Bartholomæi Chettamæ, & Monialibus Cœnobium Mallingæ, quod suppressionis tempore, valere censebatur annuatim ducentas quadraginta quinque libras, decem solidos, & denarios duos. Magnam etiam partem arcis Roffensis construxit; turrim nimirum prægrandem illam, etiamnum ibi visendam. cujus structuræ sumptum Rex dono maneris cujusdam compensavit. Denique S. Paulini ossa feretro pretiosissimo condidit. & septimo Martii (hoc est, hujus anni exordio) naturæ debitum persolvit.*

S. PAULINI OSSA FERETRO CONDUNTUR.
Apud Capgravium in Paulino.

Quod ad opera spectat, illa etiam in Lanfranci laudibus; qui eum è Beccensi Cœnobio ad Sedem provexerat, ponuntur. Unde in vitâ S. Paulini hæc leguntur. *Gundulpho Pontificante, Lanfrancus Archiepiscopus veterem Ecclesiam Beati Andreæ funditus destruxit: novamque Basilicam reædificavit; ossa Sancti Paulini, de terrâ levavit, & in scrinio honorifice collocavit.* Mortuo Gundulpho Anselmus parentavit: de quo Edmerus ita loquitur.

Edmer. l. 4. fo. 94.

Gundulpho Roffensi Episcopo, de hac vitâ sublato, Anselmum ad eum sepeliendum, Rofam ivit. Qui obsequio, sub magnâ lugentium Monachorum, Clericorum, ac Laicorum multitudine, decenter expleto: res ipsius Episcopii sicut expedire melius intelligebat, ad opus Ecclesiæ intus & extra, suas videlicet, ordinavit. Baculus autem Episcopalis Cantuariam, ab Ernulfo Monacho Roffensi, qui ejusdem Episcopi Capellanus extiterat, pro more delatus est: & in præsentiâ Fratrum super altare Domini Salvatoris præsentatus.

VI. GERARDUS EBORACENSIS EPISCOPUS MORITUR.

Girardus olim Herefordensis, dein Eboracensis Archiepiscopus, ab anno primo hujus sæculi, morti debitum nuoc persolvit. Initio pro Sedis suæ prærogativâ disputans, Anselmo ansam dedit Paschalis authoritatem implorandi: & ille Cantuariensis Sedis privilegia confirmans Girardo mandat Subjectionis professionem Anselmo emittere, & ejus successoribus. Ita scribens.

Apud Malmesb. de Pont. fo. & Edmer l. 4. fo. 116.

PASCHALIS Papa, servus servorum Dei: Venerabili Fratri Eboracensi Archiepiscopo GIRARDO, Salutem & Apostolicam benedictionem.

MANDAT PASCHALIS GERARDO OBEDIENTIÆ PROFESSIONEM CANTUARIEN. FACERE.

„ QUAMQUAM pravè contra nos, imo contra „ matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam, te non ignoremus egisse: Præsentibus „ tamen tibi literis mandamus: ut professionem „ Venerabili Fratri nostro Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam, quondam prædecessorem tuum, ex hac eadem se contentionem „ movisse: & cum in præsentiâ Domini. Alexandri Papæ Secundi, ventilata esset: ex præcepto ejus, definitione habita post varias disquisitiones Lanfranco prædecessori suo, & successoribus suis, eandem professionem fecisse. „ Unde & nos, quod tunc temporis definitum „ est, volumus authore Deo firmum illibatumque servari.

VII. *Malmesb. suprà.*
*V an. 1107. n. 8.
CUR A PAPA REPREHENSUS.
V. an. 1102. n. 27.
Malmesb. fo. 271.

Recitat has literas Malmesburiensis, & subdit. *Hanc Epistolam directam sibi Girardus non legit; quia necesse non fuit. Prævenerat ipse jussum Apostolicum, & hortatu Regis, Anselmo in manum dederat, servaturum se ipsi eandem * professionem, in Archiepiscopatu Eboracensi, quam fecerat in Episcopatu Herefordensi. Nequitia, quâ eum Papa notat, hæc fuit; quod à Româ cum pallio regressus, mendacio suo Sedem Apostolicam infecit, dicens Regi: Quod si se in aliis Ecclesiasticè ageret; Investituras Ecclesiarum fieri, æquanimiter Papa toleraret.* de quo nos suo loco. Obscuravit hic nævus viri gloriam, & adhuc magis repentina mors; de qua idem Author. *Decessit insperatè, morbo quidem, sed levi, antea tactus. nam cum aliquantulum æger, in quodam viridario, domui suæ vicino cubitaret, ut salubriore aurâ, quam suaveolentes herbarum flores animarent, foris frueretur: jussit ut astantes domum secederent, corporis curam interim provisuri. Abierunt illi, & post epulas reversi fleverunt Dominum exanimem. Utinam hæc rumor finxerit: nec homo Pontificalis gratia, sic obierit. Certè Canonici Eboracenses, ne in Ecclesiâ sepeliretur, pertinacissimè restiterunt: vix ignobilem cespitem cadaveri pro foribus injici passi. Quamvis post aliquot annos, Thomas successor ejus, indignitatem facti leniens, in Ecclesiâ ipsum juxta prædecessores suos eminentissimè tumulaverit.*

IGNOBILITER PRIMO SEPULTUS.

VIII. THOMAS EBORACENSIS ARCHIEPISCOPUS

En habes Girardi successorem Thomam, secundum eo nomine, Eboracensem Archiepiscopum: fuit ille Sampsonis Wigorniensis Episcopi filius, vir Infulâ dignissimus; qui in illa temporum calamitate, cum nimiùm (proh dolor!) ad fœminarum commercia sequior Clerus inclinaret:

Eligitur.

ipse virginei pudoris cultor, morti proximus, & unico remedio sanabilis, mori tamen quàm fœminæ misceri, maluit. sed hoc posteriùs: illud hoc loco dicendum, quod eruditionis famâ, & virtutum passibus, ad majus Sacerdotium suo merito ascenderit; eodem tempore, ad duas Sedes, Londinensem & Eboracensem, postulatus. Sed Londinum Richardo de Beaumes, Thomæ Eboracum obtigit. Richardus hoc anno, ab Anselmo consecratur, ut infrà. Thomas consecrationem distulit, hereditario illius Sedis errore, quod Cantuariensi Sedi subesse nollet. Unde renovata lis est; ot Anselmi virtus, constantiaque probaretur: qui totus in purgando Ecclesiæ Anglicanæ agro; quem spinæ, tribulique viciarant; patienter Thomæ tergiversationem aliquamdiu sustinuit: sed veritus tandem, ne patientia in primæ Sedis præjudicium vergeret, Ecclesiasticæ disciplinæ nervos pressit, ut infrà. nam priùs, ut dixi, omnium per Angliam Ecclesiarum sollicitudine occupatus, Episcoporum, & Abbatum consilio; Cleri & Laicorum mores composuit.

Richardus Londinensis Episcopus, eligitur.

Ita Regis Henrici invocato brachio, Synodum Londini habuit: de qua Edmerus, Conventus causas exponens. *Divina*, inquit, *officia quoniam indignè per quorundam Sacerdotum manus, eo usque tractabantur:* (Anselmus) *sollicitus instituit; ut & ipsa suo ritu castè celebrarentur. Multi nempe Presbyterorum, statuta Concilii Londinensis; necne vindictam, quam in eos Rex exercuerat, quorum superius mentionem fecimus, postponentes, suas feminas retinebant: aut certè duxerant, quas prius non habebant. Quod incontinentia crimen Rex subvertere cupiens, adunatis ad Curiam suam, in solennitate Pentecostes, apud Lundoniam, cunctis majoribus regni; de negotio, cum Anselmo Archiepiscopo, & cæteris Episcopis Angliæ tractavit: eosq́, ad malum illud extirpandum, Regali authoritate, atque potentiâ fultos roboravit. Unde Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, & Thomas electus Archiepiscopus Eboracensis (nam Gerardus tunc nuper ad eandem Curiam tendens obierat) & omnes alii Angliæ Episcopi statuerunt, in præsentiâ ejusdem gloriosi Regis Henrici, assensu omnium Baronum suorum,* &c. Refert inde Author summariè, Synodi Decreta; quæ etiam Rogerus Hoveden. expressâ mentione temporis, in hunc modum recitat.

Edmer. l. 4. fo. 94.

Concilium Londinen. sub Anselmo.

Clerus degener.

IX.

Hoveden. in Henrico I. fo. 472.

Statuta Concilii.

Clero in sacris constituto castitas præcipitur.

Hæc sunt Statuta, de Archidiaconibus, Diaconibus, Subdiaconibus & Canonicis, in quocunque gradu constitutis, quæ anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octavo, statuerunt Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Thomas Eboracensis Archiepiscopus electus, cum eo, omnesq́, alii Episcopi Angliæ in præsentiâ gloriosi Regis Henrici, assensu Comitum, & Baronum suorum. Statutum est, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, castè vivant, & feminas in domibus suis non habeant, præter proxima consanguinitate sibi junctas; secundum hoc quod sancta Synodus Nicæna definivit. Illi verò, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui post interdictum Lundoniensis Concilii feminas suas tenuerunt; vel alias duxerunt: si amplius Missas celebrare voluerint: eas omnino à se sic faciant alienas: ut nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos earum ingrediantur. Sed nec in aliquâ domo scienter conveniant: neque hujusmodi fœminæ in territorio Ecclesiæ habitent. Si autem propter aliquam honestam causam, eos, vel eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis testibus, extra domum colloquantur. Si verò in duobus aut tribus legitimis testibus, vel publicâ parochianorum famâ; aliquis eorum accusatus fuerit; quod hoc Statutum violaverit: purgabit se adductis secum ordinis sui idoneis testibus sex, si Presbyter fuerit; si autem Diaconus, quatuor: si Subdiaconus, duobus. Cui autem hæc purgatio defecerit, ut transgressor Statuti sacri judicabitur.

X.

Illi autem Presbyteri, qui divini altaris, & sacrorum ordinum contemptores, prælegerunt, cum mulieribus habitare, à divino Officio remoti, omniq́, Ecclesiastico beneficio privati, extra chorum ponantur infames pronuntiati. Qui verò rebellis & contemptor, fœminam non reliquerit, & Missam celebrare præsumpserit, vocatus ad satisfactionem, si neglexerit, excommunicetur. Eâdem sententiâ Archidiaconos, & Canonicos omnes complectitur: & de mulieribus relinquendis, & de vitandâ earum cohabitatione, & de districtione Censuræ, si Statuta transgressi fuerint. Iurabunt etiam Archidiaconi omnes, quod pecuniam non accipient, pro tolerandâ transgressione hujus Statuti: nec patientur Presbyteros, quos sciunt fœminas habere, Missam cantare, vel Vicarios habere. Similiter & Decani jurabunt. Archidiaconus verò vel Diaconus, sive Decanus, qui hæc jurare noluerit; Archidiaconatum, vel Decanatum perdet. Presbyteri verò, qui relictis mulieribus, Deo & sacris altaribus servire elegerint, quadraginta diebus ab Officio cessantes, pro se interim Vicarios habebunt; injunctâ eis pœnitentia secundùm hoc, quod Episcopis eorum visum fuerit. Hæc omnia Hovedenus: quibus hæc pauca addit Edmerus: *Omnia verò mobilia lapsorum posthac Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Canonicorum, tradentur Episcopis: & concubinæ cum rebus suis velut adulteræ.*

•Nota: Nulli ibi hic uxorum mentio.

Edmer. l. 4. fo. 95.

XI.

Sapit hæc clausula antiquam Britannorum, Saxonum, & Anglorum fidem; quæ gratiarum fluenta, & Missæ sacrificium venerata, sacris tantum hominibus, hoc est, mundo & carne majoribus, sacra mysteria credidit. degeneravit hæc ætas, à majorum sanctitate, atque dialecto; cum fœminas Sacerdotibus nefariè conjunctas, uxorum nomine dealbat, quæ olim concubinæ, & adulterarum pœnis obnoxiæ censebantur: ferenda forsan verbi catechresis, nisi porrò ad insaniam pergeret, diceretque permissa passim Sacerdotibus Anglis conjugia, ante Anselmi tempora, qui primus illa contra Dei ordinationem Sacerdotibus interdixit. Ita peccat Godwinus in Catalogo, qui Anselmum accusans: *Clericorum*, inquit, *conjugia ad id usque temporis, in Ecclesiâ Anglicanâ passim usurpata, magnâ vi prohibuit: nec quemquam imposterum, nisi cælibem, quiq́, juramento castitatis professionem faceret, ad Subdiaconatum admittendum constituit. Hi Canones ne legum vim & potestatem sortirentur, obstitit aliquamdiu discordia inter ipsum (Anselmum) & Regem oborta, de Investituris. Hac verò jam compositâ, in id totus incubuit; ut conjugatos ab Ecclesiis ubique pelleret: & ordinandos à sacrorum Ordinum susceptione arceret. Ante hunc multi hoc ipsum tentarunt, sed perficere nequiverunt. Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus, aliiq́, neque amplius profecerunt, quàm ut Cœnobiis conjugatos ejicerent. Hic verò nullum aliud ob crimen, quàm quòd secundùm Dei ordinationem uxoribus legitimè essent copulati, non contentus Sacerdotia auferre, bona etiam ipsorum fisco Episcopali adjudicat: tamq́, ipsos, quam uxores, fornicatores pronuntiat. Deinde sub magnâ pœnâ Episcopis*

Godwin. in Anselmo.

Godwini παράξαμα

interminatur; ne cunquam sacrando manus imponant, qui perpetui cælibatus votum sub juramento non suscepisset. Hæc ille. Quæ quâ fide, quâ fronte dicantur; norunt omnes, qui Nicænæ Synodi Canonem, qui Britannorum & Saxonum sanctiorem Remp. qui denique Episcoporum nostrorum vitas, vel primis oculis libaverunt.

XII. ANSELMUS PRO CLERICORUM CASTITATE ADVOCAT.

Anselmus quidem in Sacerdotum tuendâ castitate constans & invictus fuit, concubinarium Clerum vehementer insectatus. Undè, quod legitimè, & secundùm Dei ordinationem conjugati dicuntur, fabula est superioribus sæculis inaudita. Anselmus melio rectiùs, sacrum Clerum fœminis misceri, *rem* vocat, *Deo execrabilem, & omnibus Christianis odibilem.* in Epistolâ, quam ita inscripsit.

Ansel. l. 3 Epistolarum Epistola 112.

ANSELMUS Archiepiscopus, Reverendo GUNDULFO Episcopo, & ERNULIO Priori, & Archidiacono Cantuariensi WILLELMO, & omnibus in suâ parochiâ religionem sui ordinis amore Dei servantibus: Salutem.

QUID SENTIAT ANSELMUS DE FÆMINIS SUBINDUCTIS?

» NUPER relata est mihi Deo execrabilis, » & omnibus Christianis odibilis, superba » quorundam (qui se Sacerdotes nominant) » præsumptio. Scripsit namque mihi Archidiaconus noster Willelmus: quia nonnulli Presbyteri, qui sub ejus sunt custodiâ; iterum repetentes prohibitas fœminas in immunditiam; à quâ salubri consilio, & jussione abstracti fuerunt, se revolverunt. Quod cum idem Archidiaconus vellet corrigere; omnino ejus monitionem, & susceptibilem jussionem, nefandâ superbiâ contempserunt. Qui convocatis secum pluribus religiosis, & obedientibus Sacerdotibus, superbos & inobedientes, gladio dignæ excommunicationis percussit. Quam excommunicationem, bestiali insaniâ contemnentes, ministerium sanctum polluere; quantum in ipsis est, non formidant. Quapropter ego Anselmus, quamvis peccator, Archiepiscopus, eâ authoritate quam mihi dedit per Archiepiscopatum Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, confirmo eandem excommunicationem quam fecit idem Archidiaconus; usque ad satisfactionem, ejus judicio, suscipiendam. Ita Anselmus, & ætas castior, de Clero, præter legem, sine freno, abeunte post carnem alteram, censuit.

XIII. QUID ETIAM REX ET REGNI PROCERES.

Ita etiam Henricus Rex, regnique Proceres, qui conventui adfuerunt, pro Anselmo, & Cleri castitate steterunt. Qui, facto inde gradu; Laicorum etiam vitia, & molitos, à Normannorum ingressu, mores, in humanitatem peccantes, correxerunt. In quo Henrici pietas eluxit: sic Edmerus: *Inter hæc* (inquit) *Rex Henricus considerans totum pene regnum, in gravem ærumnam, multis ex causis decidisse: per consilium Anselmi, & Procerum regni, operam dare instituit: qualiter aliquo modo, mala quæ pauperes maximè deprimebant, mitigarentur: Cujus boni exordium quærens à suâ Curiâ cœpit. Tempore siquidem fratris sui Regis, hunc morem multitudo eorum, qui Curiam ejus sequebantur, habebat: ut quæque pessundarent, diriperent, & nulla eos cohibente disciplina, totam terram, per quam Rex ibat, devastarent. Accedebat his aliud malum. Plurimi namque eorum suâ malitiâ * debriati; dum reperta in hospitiis quæ invadebant, penitus absumere non valebant. ea aut ad forum per eosdem ipsos, quorum erant, pro suo lucro ferre, ac vendere: aut supposito igne cremare: aut si potus esset, lotis exinde equorum suorum pedibus, residuum illius per terram effundere: aut certè alio aliquo modo disperdere solebant. Quæ verò in patres familias crudelia, quæ in uxores ac filias eorum indecentia fecerint, reminisci pudet. Has ob causas quiqui, præcognito Regis adventu, sua habitacula fugiebant. sibi suisq́; quantum valebant, in silvis vel aliis locis, in quibus se tutari posse sperabant, consulebant.*

Edmer. fo. 94.

LAICORUM IMPIETAS

*l. * inebriati.*

XIV. AB HENRICO PUNITUR.

Huic malo Rex Henricus mederi desiderans, indicto edicto omnibus, qui aliquid eorum quæ dixi, fecisse probari poterant: aut oculos eruis, aut manus, aut pedes, vel alia membra, constanti justitiâ, strenuus faciebat amputari. Quæ justitia in pluribus visa, cæteros integritatem sui amantes, ab aliorum læsione deterrebat. Item monetâ corruptâ & falsâ, multis modis multos affligebat. Quam Rex sub tantâ animadversione, corrigi statuit; ut nullus qui posset deprehendi falsos denarios facere; aliquâ redemptione quin oculos & inferiores corporis partes perderet, juvari valeret. Et quàm sæpissimè, dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur: statuit ut nullus denarius, vel obolus integer esset. Ex quo facto magnum bonum ad tempus toti regno creatum est. Hæc in sæcularibus ad relevandas terræ ærumnas, interim Rex faciebat. Hæc Edmerus. Composita hunc in modum, per Henricum, & Anselmum, utraque Rep. ornatior Ecclesia, illustrior Clerus, & cultiores Laicorum mores, esse cœperunt. Quid inde ab utroque Principe factum, narrat Edmerus, quem particularia narrantem audire juvat. Sic ergo ille, cum omnia in Procerum conventu gesta absolvisset.

XV. *Edmer. l. 4. fo. 96.*

RICHARDUS LONDINENSIS CONSECRATUR.

Solutâ Curiâ (inquit) *Anselmus ad villam suam Mortelac nomine, ivit: ibique in subsequenti jejunio quarti mensis, multos ad sacros ordines promovit. Inter quos Richardum quoque in præcedente proximâ solennitate Pentecostes, electum ad Pontificatum Ecclesiæ Lundoniensis, ad Presbyteratum ordinavit. Deinde ad festivitatem gloriosissimorum Apostolorum Petri & Pauli, Cantuariam veniens, die ipsius festivitatis, in Capitulo, præsentibus Ecclesiæ Fratribus & multis aliis, tam Monachis, quàm Clericis, necnon & Laicis, dedit Radulpho Abbati Sagii, viro equidem bono, & religioso, & ipsi Ecclesiæ valde familiari, Episcopatum Roffensem: accepto priùs ab ipso, coram omnibus, hominio, ac fidelitate. Quam fidelitatem se illi, & cunctis legitimis successoribus ejus, Ecclesiæq́; Cantuariensi, perpetuò servaturum promisit: & hoc super quatuor Evangelia jurando confirmavit. In crastino autem misit eum Rovecestram & cum eo Willielmum Archidiaconum suum, ut illum ex sua parte ipso Episcopatu investiret. Ejusdem quoque negotii causa, misit & Antonium Monachum illuc; qui Subprioris officio in Monasterio Cantuariensi fungebatur. nam ex quo Ærnulphus ipsi Ecclesiæ Prior, apud Burgum Abbas fuerat factus, usque id temporis, nullus in Prioratum successerat.* Hæc ille. De Radulfi Roffensis novi Antistitis exordio, & inauguratione, hæc habet Malmesburiensis.

RADULFUS CONSECRATUR ROFFENSIS EPISCOPUS.

XVI. *Malmesb. de Pontif. l. 1 fo. 230.*

RADULPHI EXORDIA.

Radulphus apud Sagium, quæ est Abbatia Normanniæ, primo adolescentiæ flore, Monachum se devoverat: coalescentibusq́; virtutum incrementis, primo Supprior, mox Prior, postremò Abbas fuerat. Hunc ille locum exilem admodum & angustum, probè foris & intus exaltaverat. Assentiebatur ei primo Robertus

Robertus Belesmensis Radulpho gravis.

Belesmensis, illius provinciæ Dominus, patiebaturque, hominem liberè religioni excubare. Sed simul, ut ab Henrico Rege Angliâ pulsus, Normanniam concessit; de Sacramento & homagio Abbatem exagitare, pertinaciùs insistere. Alter, qui Romæ Papæ prohibitionem audisset; prorsus abnuere. Quapropter Abbatiâ relictâ, Angliam appulsus, circuitione Abbatiarum; in quibus vita, & sermocinationum merito, gratiosè suscipiebatur, multum tempus elusit, & perdidit. Nec enim ad Normanniam, ad Robertum redire judicabat ingenuum, quòd esset ille omnium sorditatum, & iniquitatum altissimus gurges.

Et qualis ille?

Nec verò alicubi in Angliâ diu fovere hospitium putabat honestum: ne importunitate suâ, indigenarum nauseam irritare videretur. Multitudo enim Normannorum Abbatum tunc inundaverat provinciam qui meditatos in patriâ, & exsculptos sermones inferebant Anglis: nunc hic, nunc illic, aliorum impendio, lenta consumentes otia: assueti venditare linguas, favoris venari auras. Istas fallendi causas, quantum modestè poterat, Radulphus evitans; magis circa Archiepiscopum (Anselmum) conversabatur. Cujus jam inde ab adolescentiâ fuisset sancto familiaris contubernio.

XVII. *Radulfo prognosticon. Erunt similes Angelis Dei.*

Hinc fuit, ut illum Gundulfo Roffensi Episcopo defuncto subrogaret, accepto ab eo prius homagio, & Sacramento, fidelem fore sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ. Imminente consecrationis die, Anselmum obnixè Deum rogasse accepimus: ut quia Radulphum elegisset Episcopum, tale illi prognosticon efferret, quo suum judicium divinæ voluntati concordare gauderet. Affuit simplici preci pia divinitas, & hunc versum exhibuit. Erunt similes Angelis Dei. Ita factus Episcopus æstimationem boni, quam de eo habuerant homines non fefellit. Sed provexit in effectum. Plura de Radulpho inferiùs cum Cantuariensi Infula, post Anselmi mortem, induitur. *V. an. 1114.* hanc enim casti ejus mores, eruditio, vitæque innocentia meruerunt. Enimvero Anselmus laboribus, itineribus, studioque lectionis fractus, & infirmâ usus valetudine, diu superstes esse non potuit. nunquam tamen pietatis officia intermisit: nunquam in asserenda Ecclesiæ majestate torpuit: nunquam à scriptione lectioneque abstinuit.

Anselmus scribit librum de Præscientia, &c.

Unde hoc anno ejus mortem præcedente, difficilem illam quæstionem expedivit, quam *de concordia præscientiæ, & prædestinationis, nec non gratiæ Dei, cum libero arbitrio*, inscripsit: æternum ingenii ejus, doctrinæque monumentum. fatigavit ea lucubratio Anselmi vires, fregitque adeo; ut Regi Henrico Normanniam cogitanti adesse de more non potuerit: de quo Edmerus hæc habet.

XVIII. *Edmer. l. 4. fo. 96.*

*Eodem tempore Rex Normanniam ire parabat. Anselmus autem ad benedicendum illi, portum maris, ubi transire debebat, ab eo invitatus advenit. Sed nocte, cum sequenti mane brachiolum maris, quo Regis hospitium, ab Anselmi hospitio dirimebatur, Regi locuturus transire deberet; adeo infirmatus est; ut ad Regem accedere nullo pacto valeret. Quod ubi nunciatum est Regi; is per Willelmum Episcopum Wintoniensem, & ejusdem nominis Episcopum Execestrensem, præcipiendo mandavit: ut ad se nullatenus iret; sed plenæ indulgeret quieti. Per eosdem quoque semetipsum, quo pergebat; & filium suum, quem in regno relinquebat, cum toto regno commendavit tuitioni ejus: ut quicquid statueret, ratum esset: irritum quod prohiberet. Rogavit etiam illum propter amorem sui, consecrare * Richardum, Londoniensi Ecclesiæ electum Pontificem, apud Cicestram, quoniam prope erat: & Episcopi, quos adjutores ac Ministros in officio ipso haberet præsto. Causa autem propter quam hoc ita festinatò fieri volebat, illa dicebatur esse; quia eundem Richardum in sæcularibus multum valentem, longè versus Occidentales Angliæ fines, ad sua negotia exercenda, transmittere, sub celeritate disponebat. At Anselmum consideratis quibusdam rationabilibus causis renuit. nec Episcopum sacrare in Cicestra, sicut petebatur, adquievit. Veruntamen ne nihil pro Rege, qui cuncta quæ tunc petebantur, pro Anselmo faciebat, facere videretur: eundem Episcopum pro amore illius in Capella sua apud Pagaham consecravit, septimo Calendas Augusti: ministrantibus ei in hoc officio Willelmo Episcopo Wintoniensi, Rogerio Serberiensi, Radulfo Cicestrensi, & Willelmo Execestrensi: acceptâ prius ab eo, pro more, de obedientiâ, & subjectione suâ, professione.*

*V. hic n. 8.

Richardus Londinen. consecratur.

XIX. *Radulphus consecratur Roffensis Episcopus.*

Posthac venit Anselmus Cantuariam: & ibi cum magno honore sacravit præfatum Radulfum Roffensi Ecclesiæ electum Episcopum, quinto Idus Augusti ministrantibus sibi in hoc Willelmo Episcopo Wintoniensi, Radulfo Cicestrensi, & Richardo Londoniensi. Qui Richardus, antecessorum suorum morem secutus; honesto munere honoravit ipso die matrem suam Ecclesiam Cantuariensem: juxta quod statutum fuerat à Rege, quando impetravit ab Anselmo, ut eum sacraret apud Pagaham, sicut diximus. Sequitur concertatio, Anselmum inter & Thomam Archiepiscopos, quæ hoc anno terminari non potuit. Thomas ad Sedem Eboracensem, sub anni exordium electus, necdum consecrationem acceperat, quam tamen intra trimestre spatium, ab electione petere, sacrorum Canonum imperio, debuerat. Juxta illud Chalcedonensis Concilii. Ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ἐντὸς τριῶν μηνῶν γίνεσθαι τὰς χειροτονίας τῶν Ἐπισκόπων. Visum est sanctæ Synodo intra tres menses, fieri debere Episcoporum ordinationes. *Conc. Chalced. act. 15. can. 25.* Cæterùm plures menses effluxerant, & plures electi, consecrationem petierant: silente Thoma, & Episcopi munia nihilominus usurpante. Unde cum Turgotus, Prior Dunelmensis, ab Alexandro Scotorum Rege, ad Episcopatum S. Andreæ postularetur; consecratioque ejus ad Eboracensem Episcopum spectaret. Dunelmensi Episcopo datur negotium, eundem Turgotum consecrandi. Intercessit Anselmus; id Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium interpretatus; sed præstat audire fidelissimum Anselmi Comitem Edmerum.

XX. *Edmer. l. 4. fo. 97.* *Ranulfus Dunelmensis cupit consecrare Episcopum Scotiæ.*

Electus est, inquit, *ab Alexandro Rege Scotiæ, & Clero, & populo, Monachus quidam Dunelmensis, nomine Turgodus, ad Episcopatum S. Andreæ de Scotiâ. Cujus consecratio, dum ultra, quàm expediret, demoraretur: tum propterea, quia Thomas Eboracensis Ecclesiæ Antistes electus, necdum fuerat consecratus: tum propter quædam alia quæ longum est enarrare: Ranulfus Dunelmensis Episcopus proposuit eundem electum in præsentia ipsius Thomæ, apud Eboracum consecrare: associatis sibi Episcopis Scotiæ, & Orcadarum Insularum. Verùm quia id præter consensum & authoritatem Cantuariensis Episcopi, ritè fieri non posse sciebat: mandavit ei de negotio, per militem quendam: & ut ejus consilio & concessione sacraretur, deprecatus est. ad quæ scripsit ei Epistolam hanc.*

Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ,
Ranulfo Episcopo Dunelmensi,
Salutem.

Anselmus non

„ Mandastis mihi per quendam militem,
„ Scollandum nomine, quòd volebatis, ut

CONCEDIT.

electus Episcopus Ecclesiæ S. Andreæ de Scotiâ sacraretur. & hoc volebatis fieri meo consilio, & meâ concessione. Sed hoc nec debet, nec potest Canonicè fieri ab eodem electo Archiepiscopo, nec ab alio per illum, priusquam ipse fiat Archiepiscopus Canonicâ consecratione. Quapropter nec consulo, nec concedo (immo interdico) ne fiat ante consecrationem ejusdem electi Archiepiscopi: nisi à me, si fortè hoc necessitas exegerit. Vale.

XXI. Posthæc Anselmus considerans, Thomam Episcopalem suam benedictionem non ita expetere, sicut debebat, scriptam hanc Epistolam ei direxit.

Apud Edmerum sup. & Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 149

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo THOMÆ electo Achiepiscopo Ecclesiæ Eboracensi, Salutem.

ANSELMUS MONET EBORACENSEM ELECTUM, UT CONSECRETUR.

CANONICA authoritas præcipit, ut Ecclesia Episcopatus ultra tres menses non maneat sine Pastore. Quoniam autem Regi placuit, consilio Baronum suorum, & nostrâ concessione; ut vestra persona eligeretur, ad Archiepiscopat. in Eboracæ; non debet per vos terminus salubriter constitutus diutiùs differri. Unde miror, quia post electionem vestram, non requisitis, ut consecraremini, ad quod electus estis. Mando itaque vobis, ut in octavo Idus Septembris sitis apud matrem vestram, Ecclesiam Cantuariensem; ad faciendum quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis: ad me pertinet, ut ego curam habeam; & faciam quæ pertinent ad Episcopale officium, in Eboracensi Archiepiscopatu. Præterea audivi quòd vos priusquam consecremini, facere vultis, ut electus Episcopus Sancti Andreæ de Scotiâ, apud Eboracam consecretur. Quod nec vos facere debetis: nec ego concedo, sed omnino interdico nè fiat, aut de illo, aut de aliquâ personâ, quæ in regimen animarum debet provehi, ab Archiepiscopo Eboracensi: quia non pertinet ad vos dare vel concedere alicui regimen, aut curam animarum, quam nondum accepistis. Valete.

XXII. THOMAS ANSELMO REFRAGATUR, ET MORAS NECTIT.

Thomas acceptis his literis, mandato, & interdicto, diu cunctatur Cantuariam venire; multa causatus, quæ moram injicerent: tegens verò silentio præcipuum moræ impedimentum; ne videlicet Sedem suam Cantuariensi submitteret. Sed quia durum sciebat esse contra Anselmum calcitrare: hac molli oratione eum demulcet.

Apud Edmer. l. 4. fo. 98.

Dilectissimo Patri, & Venerabili Domino, ANSELMO, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopo: THOMAS Eboracæ Metropoli electus, licet indignus: Salutem, & amicæ fidelitatis obsequium.

EXCUSAT CUR CANTUARIAM NON VENERIT.

GRATIAS ago vobis, Reverende Pater, quod me semper dilexistis, & audivistis: & de proventu meo exultavit, & lætatum est cor vestrum in Domino. Dominus Deus retribuat vobis pro me. Quod ad consecrationem meam venire distuli; causa fuit, non una, nec parva, quæ me detinuit. Pecuniam, quam pro facultate meâ magnam, causâ veniendi ad vos, contraxeram, ultra spem meam, & nimium diu moratus, dispendi Wintoniæ: A quâ citiùs discedens, ad vos venire disposueram. Placuit autem Domino nostro Regi: ut cum ille Legatos Romam pro causâ suâ mittebat: ego cum eis meum mitterem, ad requirendum Ecclesiæ nostræ pallium. Festinanter igitur consilio Regis, ad propria reversus, ad hoc opus quæsivi, & adhuc quæro pecuniam: sed parum, nisi graviter mutuatam invenio. Quoniam Dominus Girardus Archiepiscopus, Ecclesias nostras, & homines, & ipsum dominium nostrum, multum pauperavit. Et certè Rex promisit mihi, quòd vobis colloqueretur, & dilationem meam apud vos excusaret.

Termino à vobis constituto (Domino auxiliante) ero apud sanctam Cantuariensem Ecclesiam; si opportunè potero, suscepturus & facturus, quæ debeo. Quod si non potero, cum mihi Paternitas vestra mandavit, ut quindecim diebus ante vobis renuntiarem: precor benignitatis vestræ Sanctitatem, ut decem diebus ante vobis renuntiare possim, mihi concedatis. Literas verò Paternitatis vestræ requiro, in testimonium personæ, & electionis nostræ, quales debetis & scitis oportere. Hoc modo vestra Sanctitas meæ parvitati debet: Hoc vestra Ecclesia nostræ denegare non debet. De electo Episcopo Sancti Andreæ de Scotiâ, quod audistis rumores sunt; quibus credere non oportet. facile ergo est interdici; quod, ut fieret, non à me excogitatum est. Vivere vos sanum, lætumque, diuque, Deoque nostro Domino nostra supplicat Ecclesia. Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ congregationem saluto: & oro, ut pro me oret. Valete. XXIII. Ita Thomas, cui Anselmus in omnibus ferè satisfaciens, ultra quod petiit indulsit, rescripsitque hunc in modum.

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo THOMÆ electo Archiepiscopo Eboracensi, Salutem.

Apud Edmer. l. 4. fo. 98.

XXIV. ANSELMI RESCRIPTUM.

MANDASTIS mihi in literis vestris, quod termino à me vobis constituto (Deo auxiliante) Cantuariæ eritis, si opportunè poteritis, suscepturus & facturus, quod debetis. Rogastis quoque, ut si id efficere non valetis; concederem, quatenus id mihi decem diebus ante renuntiare possetis. Sed & Willielmus Clericus, nuntius vester, precatus est me, ex vestrâ parte, quatenus ego ipsum terminum adventus vestri aliquantùm extenderem, ut ad nos opportuniùs possetis venire. Quod ego causâ vestri amoris, & opportunitatis libenter facio. Ne itaque opus sit vos mihi quicquam ante, de vestro adventu renuntiare. Summoneo vos ut die Dominico, qui erit quinto Calendas Octobris Cantuariæ sitis, ad faciendum quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Præterea, quod dicitis in literis vestris, vos pecuniam quærere, ut Romam mittatis pro pallio Ecclesiæ vestræ, non concedo. Et puto, quod id frustra faceretis. Quoniam nullus debet habere pallium, antequam sit consecratus. Literas quas requiritis in testimonium personæ, & electionis vestræ; cum mihi loquuti fueritis, & ostenderitis cui

„ eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis; „ ficut pro amico, quod facere debeo. Valete.

XXV. Cum ita Anselmus inducias Thomæ indulsisset: veritus nè ille induciarum opportunitate usus, Pallium ex Urbe adeptus, Cantuariensis Ecclesiæ prærogativam læderet: Paschalem monuit, periculum subesse si Episcopo, necdum consecrato, pallium mitteretur. oratque hisce literis primæ Anglorum Ecclesiæ dignitatem, & jura conservet.

Apud Ansel. l. 3. Epistolarum Epistola 152. & apud Edmerum sup fo. 99

Domino, & Patri verè diligendo, & Reverendo Paschali summo Pontifici: Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis debitam obedientiam, cum fidelibus orationibus.

Petit Anselmus ne Pallium Eboracensi, ante consecrationem mittatur.

„ Quoniam fortitudo & dilectio Ecclesiarum Dei maximè pendet ex authoritate „ Paternitatis vestræ, post Dominum: quando „ ratio exigit ad ejus libenter recurrimus auxi„ lium, & consilium. Archiepiscopus Ebora„ censis, Girardus nomine, migravit de hac vitâ. „ Et alius, Thomas nomine, loco ejus electus „ est. De quo rumor est, quod quæritur ei pal„ lium antequam sit consecratus, & mihi faciat „ professionem, secundùm antiquam consuetu„ dinem antecessorum meorum, & suorum. Hæc „ est igitur summa precum mearum, in hac re: „ ut antequam consecretur, & mihi debitam „ obedientiam, ut dixi, profiteatur: & hoc fa„ ctum esse, literis nostris cognoscatis; à vestrâ „ Excellentiâ pallium non suscipiat. Quod non „ idcirco dico, quod illi Pallium invideam: sed „ quoniam quidam autumant, & etiam procu„ rant, ut si hoc à vobis concessum fuerit, con„ fidant se professionem debitam mihi posse de„ negare. Si enim hoc contingat, scitote, quia „ Ecclesia Angliæ scinderetur: & secundùm „ sententiam Domini dicentis: Omne regnum „ in seipsum divisum desolabitur: desolaretur. „ & vigor Apostolicæ disciplinæ, in eâ non pa„ rum debilitaretur. Ego quoque nullatenus „ remanerem in Angliâ. Non enim deberem, „ aut possem pati, ut me in ea vivente, Primatus „ Ecclesiæ nostræ destrueretur.

XXVI. Nec etiam Londinen.

„ Hoc ipsum, & eodem affectu suggero Re„ verentiæ vestræ: quia de Lundoniensi Episco„ po Pallium petitur, quod nunquam habuit: „ ut scilicet ad hoc nullatenus assensum præbeat. „ Quidam namque concinnant sub hac specie „ boni, Primatus Cantuariæ dignitatem (quem„ admodum non oportet) humiliare. Misi San„ ctitati vestræ, hoc anno, post Pentecosten, „ literas, per Bernardum servientem Domini „ Petri, Camerarii vestri: quod Rex Angliæ „ conqueritur, quod sustinetis Regem Teutoni„ cum dare Investituras Ecclesiarum, sine ex„ communicatione: & ideo minatur se sine du„ bio resumpturum suas Investituras, quoniam „ ille suas tenet in pace. Videat igitur pruden„ tia vestra, sine dilatione, quid inde agere de„ beatis: nè quod tam benè ædificastis, irrecu„ perabiliter destruatur. Rex enim noster di„ ligenter inquirit, quod de illo Rege facitis. „ Oramus Dominum Deum, ut nos lætificet de, diuturnâ prosperitate vestrâ. Hæc ad Paschalem Anselmus: opportunè sanè, tum ad Sedis suæ privilegium sartum tectumque servandum: tum ad convellendum errorem qui de Teutonico Rege ferebatur. Henricum intellexit, Henrici Imperatoris filium, qui post aliquot annos imperii quoque coronâ donabitur: quique Investituras à Paschali, immani violentiâ extorquebit. Cæterùm quod ad annum præsentem spectat, procul absuit Paschalis ab Investiturarum concessione. nam Beneventum adiit hoc Octobri, & ibi Synodo celebratâ: *Prædecessorum vestigia secutus* (loquitur Petrus Diaconus) *constituit: ut si quis Ecclesiastica beneficia de manu Laicorum acciperet; uterque communione privaretur: & qui scilicet daret: & qui acciperet.* Unde è Beneventanâ urbe has ad Anselmum literas misit.

Apud Baron. hoc anno.

Investituræ Laicis prohibentur.

Apud Edmer l. 4. fo. 100.

Paschalis Episcopus, servus servorũ Dei: Dilecto Fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

„ Literas tuæ dilectionis recepimus, per „ quas affabilitatis tuæ dulcedinem recogno„ vimus. Benè autem & sapienter egistis, quòd „ nos de causâ & honore Cantuariensis Ecclesiæ „ præmonitos, & cautos reddidisti. Nos siqui„ dem in te, Beati Augustini, Anglorum Apo„ stoli, personam venerabilem intuemur: & „ ideo honori tuo, vel Ecclesiæ tuæ aliquid de„ trahere omnino refugimus. Unde quæ rogasti „ libenter suscepimus, & ad servandum tuum, & „ Ecclesiæ tuæ honorem, custodiam & solicitu„ dinem adhibemus. Porrò quod in eisdem li„ teris significasti, scandalizari quosdam quod „ Regem Teutonicum dare Investituras Eccle„ siarum toleramus: nec tolerasse nos aliquan„ do, nec toleraturos scias. Expectavimus qui„ dem, ut ferocia gentis illius edomaretur. Rex „ verò, si in paternæ nequitiæ tyrannide persevera„ verit; Beati Petri gladium, quem jam educere „ cœpimus, proculdubio experietur. Datæ Be, neventi, IV. Idus Octobris. Benè dicit se necdum tolerasse, nec imposterum, quantum in se est, toleraturum: quod enim post aliquos annos à Paschali factum; à vincto captivoque, non à libero factum constat. nec inde potuit Henricus noster, ad vomitum redeundi argumentum sumere.

XXVII. Concedit Anselmo quæ petierat.

XXVIII. *Supra memoratus Thomas* (Edmerum legis) *inter ista, mutato priori consilio, Cantuariam, statuto sibi termino, prohibitus a Canonicis suis, sicut per literas Anselmo mandavit, venire non potuit. Et ob hoc, quid sibi inde foret agendum, consilium ab eo petivit. Ipsi quippe Canonici, scientes Anselmum ætate simul & debilitate fatigari: tam sunt eum citiùs hac vita subtrahendum: & ideo motâ calumniâ, Ecclesiam Eboracensem, parere Cantuariensi, Anselmo scripserunt. In quo tamen electum Antistitem Ecclesiæ suæ, Cantuariam ire debere, pro benedictione suâ cognoverunt: sed professionem de subjectione suâ Pontifici Cantuariensi eum facere debere negaverunt. Ac ne faceret, quantum in eis fuit, ex parte Dei, & Romanæ Ecclesiæ, prohibuerunt. Quod quali fama ipsos Canonicos, apud multorum mentes notaverit: & me tacente, conjicere possunt, qui, quid juris ex antiquo Ecclesia Cantuariensis super Eboracensem semper habere consueverit, sciunt. Anselmus autem postponens Clericorum literis respondere, ad literas Thomæ scripsit hæc.*

Edmer. l. 4. fo. 100.

Canonici nolunt Thomam Anselmo subjici.

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo THOMÆ, electo Archiepiscopo Eboracensi, Salutem.

Iterum monet Anselmus ut Cantuariam Eboracen. veniat.

XXIX. » MANDAVI vobis charitativè, plusquam semel: quatenus ad matrem vestram, Ecclesiam Cantuariensem veniretis, ad suscipiendam benedictionem vestram, & ad faciendum quod debetis: & non venistis. Quapropter eâdem dilectione, vobis adhuc mando: quatenus apud ipsam Matrem vestram, sexto Idus Novembris, sitis; ut faciatis, quod debetis; & suscipiatis benedictionem nostram. Praeterea quia consilium petitis: consulo vobis, ut non incipiatis aliquod, quod non debetis, contra Ecclesiam Cantuariensem. nam pro certò sciatis; quia omnibus modis quibus possum, ad hoc me impendam, ut de sua dignitate, Ecclesia ipsa, meo tempore, nihil perdat. Valete.

Apud Edmer. l. 4. fo. 101.

Thomas Anselmo quæ scripserit.

Obsurduit Thomas ad hoc Anselmi consilium, & Canonicorum suorum sensum objiciens, hæc pauca Anselmo rescripsit. *Causam, qua differtur salvatio mea; quam nemo studiosius quàm ego, vellet accelerare; qui protulerunt, non desistunt corroborare. Quamobrem quàm periculosum, quàm turpe sit, contra consensum Ecclesiæ, cui praeesse debeo, regimen ipsius invadere, vestra discretio noverit. Sed & quàm formidabile, quàm sit evitandum, sub specie benedictionis, maledictionem induere.*

XXX. Hic magis patuit Thomæ tergiversatio: quæ Anselmum ad tuenda Ecclesiæ suæ jura magis calefecit. Uterque strenuè in causâ laboravit; verum infirmior Thomas, sæcularis brachii patrocinio innixus. sed malo Edmerum loquentem audire: *Ex his* (inquit) *Anselmus advertens Thomam Clericorum suorum, magis quàm suo, quod petierat, consilio inhaerere: fecit Episcopos venire ad se: & cum eis negotia tractans, quid praecipuè foret agendum, disquisivit. Probant illi duos adhuc Episcopos ad eum dirigi. qui illum ex parte Anselmi, & omnium Episcoporum Angliæ moneant, cœpta rebellioni renuntiare: & si quidem id facere nolit: suadeant ei Cantuariam pro benedictione suâ, secundùm quod se facere debere cognoverat, venire: ibique si posset, probet se à subjectione, quam Anselmus exigebat, debere liberum esse: & hoc si queat efficere, sacratus redeat in sua cum pace. Placuerunt ista Patri. Et hæc agere, missi sunt Episcopi duo, Lundoniensis videlicet, qui Decanus Ecclesiæ Cantuariensis & Roffensis, qui ejusdem Ecclesiæ proprius atque domesticus esse dignoscitur. Hi ergo iter aggressi, mandaverunt Thomæ, & occurrit eis apud Southwellam villam suam. Exponunt ei pro quibus venerint. At ipse nuntium suum, quem in Normanniam ad Regem miserat. & plures de suis, quos ad se longe inde pervenire mandaverat, se expectare respondit. Qui cum venerint, inquit, audito eorum consilio, faciam quod potissimum mihi faciendum laudaverint. Reversi sunt istis Episcopi sunt. Post hæc brevi temporis spatio interposito: nuntius, ex parte Thomæ ad Anselmum directus, literas, quas ecce scribimus, sigillo Regis inclusas, ei porrexit.*

Edmer. l. 4. fo. 101.

Anselmus Episcopos consulit, quid facto opus.

Duo Episcopi ad Thomam mittuntur.

Thomas Regis literas Anselmo mittit.

HENRICUS Dei gratia Rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi Archiepiscopo, caro Patri suo: Salutem, & amicitiam.

XXXI. » MANDO vobis, & respectetis æquo animo, & bonâ voluntate, benedictionem Thomæ Eboracensis Archiepiscopi, usque ad Pascha: & quicquid inter vos inde actum est. Ego enim, si infra dictum terminum, in Angliam rediero, consilio Episcoporum & Baronum meorum vos justè & honorificè inde concordabo. Quòd si tam citò non rediero; taliter inde agam quod fraterna pax, & bona concordia inter vos erit. Ad hæc, nuntio petenti, quid Anselmus vellet dare responsi, dixit: Se Regi, qui sibi literas misit, non Thomæ responsurum. Delegatâ igitur legatione hujus rei, Odoni Decano Ecclesiæ Cicestrensis, & Alboldo Monacho Cœnobii S. Mariæ Beccensis: destinavit eos in Normanniam, ad Regem: narrare illi totum, quod præsentis dissidii tenore, inter se & Eboracenses actum extiterat. Rogarent etiam illum, quatenus authoritatis suæ ingenuitate, & provisione satageret; ne integritas Christianitatis in duo divisa scinderetur in Angliâ; certus existens, quod scissionem, juxta Domini dictum desolatio sequeretur. De induciis autem quas Thomæ Eboracensi Archiepiscopo dari mandaverat; pro certo sciret: quòd priùs pateretur totus membratim dissecari; quàm de negotio, in quo illum contra antiquas Patrum sanctiones, se injustè, & adversus Deum erexisse sciebat, vel ad horam illas aliquando daret. Reversi nuntii referunt; Regem æquo animo ac benigno, verba Anselmi suscepisse: pollicitumque se, per auxilium, & misericordiam Dei, reipsa ostensurum, quod integritatem Christianitatis diligeret in Angliâ non scissuram. Ita Edmerus, de Rege in Normanniâ existente, quò illum novæ turbæ vocaverant, post mortem Philippi Francorum Regis, de quo Huntindonius noster. *Henricus* (inquit) *octavo anno regni sui: cum decessisset Philippus Rex Francorum, transiit in Normanniam contra Ludovicum filium Philippi Regem novum Franciæ, Werram promovens maximam.* Hunc annum intelligit, cum Henricus octavum regni annum complesset, nonum auspicatus.

Henricus petit pro Thoma inducias.

Philippus Rex Francorum moritur.

Huntindon. fo. 379

Ludovicus pro eo regnat.

ANNUS CHRISTI 1109.

PASCHALIS II. PAPÆ 11.

HENRICI PRIMI REGIS 10.

I. VIX cælo nostro serenitas accesserat: vix lucere cœperant Anglorum Ecclesiæ; cum anno Domini millesimo centesimo nono, facta est, per Anselmi mortem, lucis echlipsis. & Ecclesia iterum in luctu fuit. Thomas Eboracensis electus, superiore anno, inducias petiverat consecrationi suæ; quas Anselmus noluit indulgere: ratus ideo solùm moras à Thoma necti; ut jugum excuteret, obsequiumque debitum Cantuariensi Sedi. quod quià Anselmo vivo (& diu vivere non potuit) sperare non poterat: eo demum mortuo faciliùs impetraret. Sed contra hunc arietem, Anselmus alium extruxit: cum scriptis literis, omnes Angliæ Episcopos obtestatur, ne Thomæ manus priùs imponant, quàm primæ Sedi, obsequii professione satisfecerit. Quod si aliunde consecrationem impetraverit;

Ecclesia luget Anselmi mortem.

Anselmi obtestatio contra Thomam Eboracen.

hortatur,

hortatur, jubet, præcipit, ne ad communionem admittatur. adeo pro Ecclesiæ suæ tuendâ dignitate, opportunè, importunè laboravit: munivitque vias omnes, nè Ecclesiæ Anglicanæ unitas, ordo, & hierarchia, solveretur. & verò, facto opus erat, cum vir Deo conjunctissimus, brevi se Deo intimiùs conjungendum cerneret. & qui Apostolicam Sedem summè semper veneratus fuerat: voluit etiam primam in Anglia Sedem etiam moriens sartam, tectamque servare. Quare Thomæ cupiditatem hoc freno moderatus, ita scripsit.

Apud Edmer. l. 4. fo 112. & Anselm l. 3 Epistolarum Epistola 155

II.

ANSELMUS Minister Ecclesiæ Cantuariensis, THOMÆ electo Archiepiscopo Eboracensi.

„TIBI Thomæ, in conspectu omnipotentis Dei, ego Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, & totius Britanniæ Primas, loquor: loquens ex parte Dei ipsius: Sacerdotale officium, quod meo jussu in parochiâ meâ, per Suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico; atque præcipio, ne te de aliquâ curâ Pastorali, ullo modo præsumas intromittere: donec à rebellione, quam contra Ecclesiam Cantuariensem incepisti, discedas: & ei subjectionem quam antecessores tui, Thomas videlicet, & Girardus Archiepiscopus, ex antiquâ antecessorum consuetudine, professi sunt, profitearis. Quod si in iis quæ cœpisti, magis perseverare, quàm ab eis desistere, delegeris. Omnibus Episcopis totius Britanniæ, sub perpetuo anathemate interdico: nè tibi ullus eorum, manus ad Pontificatus promotionem imponat. Vel si ab externis promotus fueris, pro Episcopo, vel in aliquâ Christianâ communione te suscipiat. Tibi quoque Thoma, sub eodem anathemate, ex parte Dei interdico; ut nunquam benedictionem Episcopatus Eboracensis suscipias; nisi priùs professionem, quàm antecessores tui Thomas, & Girardus Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt, facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris; concedo, ut officio Sacerdotali, quod jam suscepisti, utaris. *Hanc Epistolam* (subdit Edmerus, qui illam recitat) *omnibus Episcopis Angliæ, singulam, singulis, cum suo sigillo direxit: unicuique mandans, atque præcipiens, per sanctam obedientiam, quam Ecclesiæ Cantuariensi debebant: ut secundùm quod in illa scriptum erat, se erga Thomam deinceps tenerent.*

III. Quid Epistola ista effecerit: & quàm reverenter ab omnibus Episcopis suscepta, & quàm religiosè post Anselmi mortem observata, dicam inferius. nunc aliam Epistolam subjungo, quam Anselmus dictasse affirmatur: ut Festum Conceptionis Deiparæ devotè ab omnibus coleretur. Enimvero licet Orientalis Ecclesia dudum conceptam Virginem, diemque Conceptionis, solennem habuerit: Occidens tamen non accesserat; donec Anselmus, Virgini addictissimus, in Anglorum Ecclesias illum primus introduxit; occasione illâ quam refert sequens Epistola.

ANSELMUS Cantuariensis Archiepiscopus, & Pastor Anglorum: Coepiscopis suis, & omnibus B. MARIÆ mysteria colentibus, Salutem, & perpetuam in Christo benedictionem.

„CONCEPTIO venerandæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis MARIÆ, dilectissimi Fratres; quemadmodum per multa signorum experimenta in Angliâ, & Franciâ, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata: me narrante audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo divinæ placuit pietati, Anglorum gentem, de malis suis corrigere; suæque servitutis officiis arctiùs adstringere: gloriosissimus Normannorum Dux Guilielmus eandem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guilielmus tunc temporis Anglorum Rex factus, Dei virtute & industriâ suâ, totius Ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformavit. Cujus piæ intentionis operibus invidens, bonorum omnium inimicus diabolus; tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus, multoties conatus est ejus obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. IV. *Ansel l. de Concep. Vir*

„Audientes autem Daci, Angliam esse subjectam Normannis; graviter sunt indignati: & suo quasi hereditario jure privati, arma parant, classem aptant: ut eos adeuntes à datâ sibi divinitùs patriâ expellant. Hoc comperto prudentissimus Guilielmus (Helsinum) quendam, religiosum Abbatem (Ramseiensis) Cœnobii accersitum, in Daciam direxit, ut inquirat hujus rei veritatem. At ille, ut vir sagacis ingenii, strenuè negotium Regis exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reverti cupiens, mare ingreditur. Et cum jam maximam partem maris prospero cursu transisset: subitò deosis surgentibus undique ventis, horrida tempestas cælum commovit & undas. Fatigatis igitur nautis, nec ultra jam obniti valentibus, fractis remis, funibusque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur; nihil sibi nisi submersionis exitium miserabiliter expectantibus. Cumque de salute corporum desperati, animarum solummodo, magnis clamoribus salutem Creatori suo commendarent; & Beatissimam Virginem MARIAM Dei Genitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem, devotè reclamarent. Ecce subitò conspiciunt quendam admodum reverendæ habitudinis virum, Pontificali infulâ decoratum, quasi inter medias undas navi proximum. Qui vocans ad se Helsinum Abbatem, his verbis cœpit eum appellare. Vis, inquit, periculum maris evadere? vis in patriam tuam sanus redire? Cumque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum expectare, responderet. Tunc ille: Scias, inquit, me ad te, à Dominâ nostrâ, Dei Genitrice MARIA directum esse, ad quam dulciter reclamasti. Et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum Comitibus tuis evades imminens periculum maris. Ille verò ilicè spondet se ei in omnibus obtemperaturum; si hoc evaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo & mihi, quod diem V.

„ Conceptionis, & creationis Matris Domini „ nostri Jesu Christi, solenniter celebrabis, „ & celebrandum prædicabis. At ille, ut pru- „ dentissimus: Et quis, inquit, dies in hoc fe- „ sto celebrandus erit? Sexto, ait, Idus De- „ cembris hoc festum solennizandum tenebis. Et „ quo, inquit Abbas, officio utemur, in Eccle- „ siastico obsequio? Omne, inquit officium „ quod dicitur in ejus Nativitate dicetur in Con- „ ceptione: excepto quod nomen Nativitatis „ mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis, „ ille disparuit, & dicto citiùs sedatâ tempestate, „ Abbas incolumis, concito flatu applicuit lito- „ ribus Anglicanis. Et quæ viderat, & audie- „ rat, quibus potuit notificavit. statuit autem „ idem festum in (Ramsciensi) Cœnobio cele- „ brari: & ipse quamdiu vixit devotis obsequiis „ celebravit. Et nos Fratres dilectissimi, si por- „ tum salutis volumus apprehendere, Dei geni- „ tricis Conceptionem dignis obsequiis & officiis „ celebremus: ut ab ejus filio dignâ mercede re- „ muneremur.

VI. Plura sequuntur in eâdem Epistolâ, pro Conceptionis festo argumenta. sed refero tantùm, quæ Angliam spectant. Illa enim in Occidentali Ecclesiâ prima princepsque creditur in conceptæ Virginis cultu. Sequuta est Gallia, & Lugdunensis Ecclesia; quæ Anselmum peregrinum devotè excepit, & venerata est; & ejus (opinor) exemplo, cultum induxit. Anselmus enim festi præceptique obligationem Anglorum Ecclesiis præscripsit. nam ita in prædicta Epistola legitur. „ Et nos Fratres charissimi, nostra Archiepisco- „ pali authoritate corroboramus, atque præcipi- „ mus: ut nullus nostrum ita sit rebus tempora- „ libus, aut propriis delictis desperatus, quin „ B. Mariæ Virginis Conceptionem celebret „ annuatim. Sicut enim in Sanctâ Ecclesiâ ejus „ extollitur Nativitas; ita debet ejus extolli Con- „ ceptio. Nisi enim conciperetur, nunquam „ nasceretur. Sicut enim ad salvandum genus „ humanum olim fuit necessaria ejus nativitas: „ sic fuit necessaria ejus Conceptio. Jussu Dei „ concipitur, & nascitur. Inde si divina ratio „ perspiciatur; spiritualis conceptionis ejus dies „ major fore approbatur; quàm ejus Nativitatis. „ Res enim major extitit, Adam à Deo creari: „ quàm filios Adæ de matre nasci. non est mi- „ rum si homo à Deo (creatus de matre nasci- „ tur. Erubescant igitur nimiùm insensati, qui „ tanta Sacramenta, tantaque mysteria, tenebris „ ignorantiæ excæcati ideo respuunt celebrare, „ quod viri & mulieris copulatio in Conceptio- „ ne Virginis extitit. Si enim ejus Conceptio- „ nem, idcirco quod carnalis extitit, stultis non „ placet hodie celebrare: tamen diem, & no- „ ctem illam dignam, quamvis multis sit inco- „ gnita, & tempus, & horam spiritualis Conce- „ ceptionis ejus hodie celebrare delectet: qua „ ipse animarum creator, animam suæ matris di- „ gnam & sanctissimam corpori virginali ejus, „ ministrantibus Angelis, copulavit. Quam etiam „ diem primam nostræ reparationis, & salutis, „ dispositor nostræ salvationis inter cæteros dies „ facit, prælegit, & sanctificavit.

VII. Hanc Epistolam, è veteri M. S. Codice Monasterii S. Rague berti Jurensi transcriptam, operibus S. Anselmi inseruit Theophilus Raynaudus: & spirat sanè Anselmi in B. Virginem affectum atque pietatem. Stabilitur etiam inde communis multorum opinio; Conceptæ Virginis festum, ex Anglorum Ecclesia*, in alias descendisse. Cæterum quo anno scripta sit Epistola, non possum conjicere: Ego eum ultimæ voluntatis ejus tabulis compono: quando Sanctorum plerique devotiùs pietatis sinum aperiunt. Porro in Anselmi laudibus, conceptæ Virginis cultum ponendum esse testatur Anonymus à Petro Exquilino exscriptus, ubi dicitur. *Anselmus ad Archiepiscopatum Cantuariensis Ecclesiæ electus festum Conceptionis almæ Dei Genitricis, sibi a Domino revelatum miraculosè, colendum decrevit. Ipse primus celebravit, & celebrandum in ejus Ecclesiâ constituit.* Ita ibi. & refertur à Vincentio Barrali in L[e]rinensi Chronologia, ut habetur in elogiis An[se]lmi vitæ præfixis.

VIII. Cygneam Anselmi vocem, qua pro Ecclesiæ suæ prærogativa, in Thomam stipulatur, mox mors sequuta est: quæ hoc anno contigit: & de qua Baronius ita scribit. *Hoc eodem anno, ex hac vitâ ad æternam gloriam transiit S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus. cujus certamina pro sanctâ Ecclesiâ Catholica exantlata sæpè superius, suis sunt locis, pro ratione temporum enarrata. Illustravit planè Anglicanam Ecclesiam doctrina, illustravit & sanctitate, cæteris sanctissimis Patribus, Christi Confessoribus, quos Ecclesia veneratur, minimè impar. Clarus miraculis vivens, atque defunctus: Lucidum sidus Ecclesiæ Anglicanæ, multiplici fulgore coruscans, omnibus intuentibus, in tantâ noctis obscura caligine.* Ita ille. Paulò latius Authores nostri, mortis tempus, sepulturam, viventis & mortui miracula explicant, digna quæ Ecclesiasticis Annalibus consignentur. Imprimis quod ad tempus spectat, ita qui præsens morienti adfuit, Edmerus: *Post hæc*, inquit, *undecimo Calendas Maii defunctus est Cantuariæ in Metropoli Sede gloriosus Pater Anselmus, & die sequente, qui fuit Cœna Domini, in majori Ecclesiâ, ad Caput venerandæ memoriæ Lanfranci prædecessoris sui honorificè sepultus, anno Incarnati verbi millesimo centesimo nono, regni vero gloriosi Regis Anglorum Henrici nono* (completum intellige nam in Augusto, decimum inchoabit) *Pontificatus autem ipsius Anselmi decimo sexto, ætatis verò septuagesimo sexto.* Eadem habet Malmesburiensis, plura addens in Sanctissimi Præsulis laudem, & inter cætera, de ejus sepulturâ.

IX. *Sepultus est*, inquit, *primò ad caput prædecessoris sui Lanfranci: postea dignum Mausoleum, in Orientali porticu accepit: vir qui omnes, quos quidem viderimus, sapientiâ & religione præstaret. adeo peccatorum exsortis, ut viro veracissimo, mihiq; notissimo, dixerit, nunquam se postea quàm Monachus fuisset, ita stimulis iræ actum, ut alicui impingeret convitium, nisi semel tantum in hoc excidisse. nunquam nisi unum dictum emisisse, cujus memoria conscientiam exulcerasset. Obedientiæ pertinax custos. Cum Archiepiscopus libera potestatis esset, rogavit Papam Urbanum; ut sibi aliquem proponeret, cujus jussu vitam disponeret. Is Edmerum exhibuit: cujus Anselmus jussa tanti faciebat: ut cum eum in cubili locasset: non solum sine præcepto ejus non surgeret: sed nec latus inverteret. Eloquentia etiam in communi loquelâ, torrens profluus: qui nec inter comedendum a divinis vacaret eloquiis. Delectabaturq; eximiè, cum quæstionibus propositis objicientium acumen experiretur. fere omnia, vel sua assumpta similitudinibus, vel aliorum objecta *transfigens, vel eludens. Iam*

Margin notes: * Ba[r. …] — An[no …] — Edmer. […] — Malmesb. Pontif. fo. 220 — Anselmi obedientia — forte * transfigens.

verò

verò ex industriâ hebetem in secularibus se prabebat: ne turbulentâ talium negotiorum procellâ vexatus, artubus quoque deficeret. Quod cum domestici contubernales viderent; semotis turbis subornabant aliquem; qui animum residem, cote quæstiunculrum exacueret. Continuoq; ille suscitata mente, & scintillanti lumine, in querentes intendens, robur utriusque resumebat materia. Quàm penitus verò arcanos humanorum, & divinorum sensuum sinus intraverit; indicio sunt libri: quibus jamdudum, decedente livore, orbis latini successit favor.

X. ANSELMI MIRACULA.

Malmesb. supra.

Prosequitur Author enarrare, quæ Deus per Anselmum mirabiliter egerit, fueruntque sanctitatis ejus illustria argumenta: nefas ergo illa silentio transire. Nec verò Episcopatus onus (inquit Author) *tantorum negotiorum moles, consuetis miraculis ferias indixit. Ignes materiales & fulmineos, qui jam vicinas ædes depascebantur, porrecto salutari signo, in cinerem compescuit. Stupuit Campania novum ebullire de rupe fontem: quando ipsius benedictione silex cavatus evomuit laticem. Lepusculus ab hostibus circumventus, dum sub pedibus animalis, cui sanctus insederat, quærit remedium, salvus effugit. Ampsit ille, & persecutores inhiantes latratus destituit, simul & conantes cursus fefellit. Ecce mulieris orbes vacuos, sputo mixto, jubar serenum implevit. Febricitantis rigorem panis ab eo datus coërcuit. Cum jam supremum, post decem & sex annos Episcopatus, efflasset. percontatus est Baldwinum Radulfus Roffensis Episcopus, qui aderat: an balsami aliquantas guttas haberet, quo Caput salrem delibutum corruptionis labem evitaret in posterum. Protulit ampullam, in fundo cujus parvissimum quiddam resederat. Manus ergo Edmeri nectareus liquor, quantus erat, infusus, vix vola medietatem madefecerat. Quo velociter expenso, iterum tantum effluxisse miratus est: nec destitit avarus exactor, repetitis ausibus urgere prodigium, donec totum corpus, ex omni sua parte, non perfunctoriè, balsamico unguine sufficeret. Quoque magis facto applaudas, ampulla modo demisso ventre, modo obliquato sinu, toties vacuata, peracto solenniter munctionis officio, inventa est plena plus medio. postreroq; die, cum ad sepeliendum componeretur, offenderunt lapidem corporis receptaculum minus pleno palmo temere cavatum. Cumque omnes mussitarent: quod nec alius lapis facilis esset inventu: nec corpus curvando, injuriam vellent sancti Spiritus facere organo: repentè viderunt lapidem idoneum: & corpus sine adminiculo decenter sepulchro illapsum. Adsistentium oborta lætitia clamor impulit astra quem non tam meruit (quamquam prædicanda) miraculi dignitas; quam subventionis non experta celeritas.*

XI. EPISCOPI OMNES MORTUUM REVERENTUR.

Plura refert idem Author,* quæ Deum in Anselmo mirabilem faciunt: nec opus illa referre, cum viri sanctitatem abundè testetur, omnium Episcoporum reverentia, quam mortuo detulerunt: ubi Thomæ Eboracensis causa agitari, & Anselmi censura opponi cœpit. Tunc enimvero, pro Anselmo dictum, factumque constanter: & nemo inventus est, qui latam nuper sententiam, vel sententiæ apicem violaret: tantum apud illos defuncti Præsulis memoria, conceptaque de ejus probitate, opinio valuit. Sed præstat controversiæ illius finem, quæque finem præcesserunt, ex Edmero, qui omnia spectavit audire.

Edmer. l. 4. fo. 102.

Itaque posthæc (inquit) *paucis diebus evolutis (à morte Anselmi) venit Angliam missus à venerando summo Pontifice Paschale, Clericus quidam, Ulricus nomine, Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Hic Pallium Eboracensi Ecclesiæ secum ferens: ubi didicit Anselmum vitam finisse (nam obitum ejus, quia tunc nuper acciderat; non longe extra Angliam fama certitudo pertulerat) consternatus animo, quid potissimum sibi foret agendum, dubitabat. Pallium etenim ipsum Anselmo primitùs deferendum à Romano Pontifice sumpserat: & ut deinum, juxta consilium, & dispositionem ipsius, inde ageret: ab eodem præceptum acceperat.*

XII. QUÆRITUR DE THOMA ELECTO CONSECRANDO.

In subsequente festivitate Pentecostes, Rex Henricus, Curiam suam Lundoniæ, in magnâ mundi gloriâ, & diviti apparatu, celebravit. Qui transactis coronæ suæ festivioribus diebus; cœpit agere cum Episcopis, & regni Principibus. Quid esset agendum de consecratione electi Ecclesiæ Eboracensi. Ad quod recitata est coram eo Epistola, quam proximè suprascripsimus, ipsi electo, ab Anselmo destinata. Interdicendo, videlicet, illi benedictionem; ni primò non faceret Ecclesiæ Cantuariensi professionem. Quam Robertus Comes de Mellento sibi expositam, ubi intellexit. sciscitatus est. Quisnam Episcoporum eandem Epistolam suscipere ausus fuerit, præter assensum & imperium Domini Regis. In quâ interrogatione, Episcopi advertentes Comitem velle calumniam movere: quâ eos Regiæ majestati obnoxios faceret: remoti à multitudine, habito consilio, statuerunt apud se, sibi omnibus si Regia sententia hoc fortè Comitis instinctu dictaret, se malle despoliari, quàm in quæ Anselmus, de præsenti querela præceperat, non obtemperare. Erant autem hi: Richardus Lundoniensis, Wilhelmus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Herbertus Norwicensis, Rogerius Serberiensis, Radulfus Roffensis, Renelmus Herefordensis, Robertus Cestrensis, Ioannes Bathoniensis, Radulfus Cicestrensis, Willielmus Exoniensis.

OPPONITUR ANSELMI SENTENTIA.

XIII. CUI CONSENTIUNT OMNES EPISCOPI. SAMPSONIS WIGORNIENSIS CONSTANTIA PRO CANTUARIENSI PRIVILEGIO.

*Istu ergo firmato consilio, ut diximus, inter se, visum est, Sampsonem Wigorniensem Episcopum accersiendum: & quam de negotio sententiam ferret, etiam ipso, perquirendum. Factum est, & respondit: Licet hunc qui in Pontificatum Eboracensem electus est, olim ex conjuge filium susceperim: eiq; juxta seculum, & carnis naturam, honoris ac dignitatis provectu, jus æquiß me debeam. Multo maximè tamen, id matri meæ Ecclesiæ Cantuariensi debeo, quæ me invenit, in quo sum, honorem provexit: & gratia, quam a Christo Domino meruit, me per Pontificale ministerium participem fecit. Quapropter notum omnibus esse volo, me & literis Patris nostri Anselmi de causâ, quæ nunc inter nos agitur factis, modis omnibus obediturum: nec unquam assensum præbiturum. ut is, qui electus est in Episcopatum Eboracensem aliquatenus consecretur, donec de subjectione suâ Ecclesiæ Cantuariensi, debitam & Canonicam obedientiam profiteatur. Ipse enim præsens fui, quando Frater meus Thomas Archiepiscopus Eboracensis, tum antiquis consuetudinibus, tum invincibilibus allegationibus actus, eandem professionem Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, & cunctis ejus successoribus, fecit. His dictis ilico simul omnes Episcopi. ad Regem reversi sunt, constanter & literas, super quibus Comes sciscitatus fuerat, se suscepisse; & contra eas, nulla ratione quicquam acturos, asserentes. Ad quæ cum idem Comes caput agitaret: autumans jam in illos, quasi de contemptu Regis crimen injiciendum, dixit Rex. Quicquid in eis aliorum sententia ferat, de me constat; quia cum Episcopis sentio: Nec vel ad horam * excommunicationem Anselmi subjacere volo. Quibus auditis gavisi sunt omnes: & agentes Domino grates, pariter conclamaverunt, Anselmum adesse: & quam*

V. an 1070. n. 13. 14. & an. 1072. n 15.

EGREGIUM HENRICI LEMMA. * excommunicationi.

non poterat in corpore degens, jam mundo absentem causam Ecclesiæ suæ determinasse.

XIV. HENRICUS CANTUARIEN. ECCLESIÆ DIGNITATEM TUETUR.

Deinde in laudibus eximii Principis demoratum est: ac ut ipse dignitatem Primatus Ecclesiæ Cantuariensis humiliari à nullo permitteret, postulatum. Siquidem in hoc, dicunt, consuetudines antiquæ, & earum confirmationes, astipulatione totius regni, sub magno Rege VVilhelmo factæ: necne privilegia his priora existunt ab Apostolicâ Sede, ipsi Ecclesiæ collata corrumperentur, scinderentur, annihilarentur. Adquievit istu Rex, & jussit ipsarum quoque scripta authoritatum, quæ Ecclesia Cantuariensis habebat, sub celeritate afferri, allata recitari. Quod ubi factum est, intulit. Quid amplius quæritur? authoritates, & privilegia Apostolicæ Sedis: & quæ in præsentiâ Patris, & matris meæ, sub testimonio & confirmatione Episcoporum, Abbatum, & Procerum regni, definita sunt: ut quasi de Epistola Anselmi penitus taceatur; ego in quæstionem mitterem: ego novis ambagibus agitari permitterem? Imo sciat Thomas, se aut subjectionem, & obedientiam Ecclesiæ Cantuariensi ejusq; Primatibus, ut antecessores sui professi sunt, professurum: aut Archiepiscopatus Eboracensi, ex toto, cessurum. Eligat ergo quod vult. Consideratis itaque Thomas authoritatibus, quibus Ecclesiam Dorobernensem niti, & circumvallari videbat: spretis Clericis suis; quorum se consilio credidisse sero dolebat; se contra ipsas authoritates nolle stare: sed morem Antecessorum suorum sequendo se & ipsis adquiescere, & Ecclesiam ipsam deinceps semper diligere velle dixit, & honorare. Præcepit itaque Rex, ut professio quam Thomas erat facturus, in sui præsentiâ dictaretur, scriberetur, sigilloq; suo, ne quid in ea, quovis molimine, antequam eam profitendo Thomas legeret, mutaretur, servaretur inclusa. Quod & factum est.

XV. THOMAS FACTA DEMUM PROFESSIONE CONSECRATUR.

Dominica ergo die, quæ fuit quarto Calendas Iulii convenerunt, jubente Rege, Richardus Lundoniensis, VVilhelmus VVintoniensis, Radulfus Roffensis, Herbertus Norwicensis, Radulphus Cicestrensis, Ranulphus Dunelmensis, & Hervæus Bangorensis, Episcopi in Ecclesiâ Beati Pauli, Lundoniæ, pro consecratione Thomæ. Inter solitam ergo examinationem, suo loco professionem de subjectione, & obedientiâ, sanctæ Ecclesiæ Dorobernensi exhibenda, Richardus Lundoniensis Episcopus, qui Thomam erat sacraturus, ab eo exegit. Professio igitur, sicut erat sigillata, sibi coram omnibus oblata est: fractoq; sigillo evoluta, & lecta ab eo est ita. Ego Thomas Eboracensis Ecclesiæ consecrandus Metropolitanus, profiteor subjectionem & Canonicam obedientiam sanctæ Dorobernensi Ecclesiæ, & ejusdem Ecclesiæ Primati Canonicè electo & consecrato, & successoribus suis Canonicè inthronizatis: salvâ fidelitate Domini mei Regis Henrici Anglorum: & salvâ obedientiâ ex parte mea tenendâ, quam Thomas antecessor meus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex parte sua professus est.

XVI.

Intererat huic officio, Prior Ecclesiæ Dorobernensis, Conradus nomine, & ex Monachis ejusdem loci quamplures: qui pro hoc ipso, quoniam res eos maxime respiciebat, illo convenerant. Lectam itaque professionem, cum a Thoma sibi oblatam, Richardus Antistes Lundoniensis accepisset: eam nominato Priori, & Fratribus tradidit, dicens: Hanc Fratres, & Domini mei, in testimonium authoritatis vestræ Ecclesiæ suscipite: & ipsam vobis factam, in memoriam posteritatis servate. Deinde a Radulpho Cicestrensi Episcopo dictum in populo est: ipsam consecrationem, ex recto, & antiquâ consuetudine debere fieri Cantuariæ. & adjecit: Verum quia ipsa civitas, defuncto Patre nostro Anselmo, nunc quidem Pontifice caret: visum Regi sacratisq; ordinibus regni est, atque Principibus: eam hic atque ab hujus Sedis Episcopo, præ aliis, potissimum celebrandam: eo intuitu, eâ ratione: quòd Episcopus Lundoniensis, inter alios Episcopos, est Decanus Ecclesiæ Cantuariensis: & ideo speciali quadam dignitate, cæteris anteponendus. Ita ergo in Episcopum Eboracensem Thomas consecratus est: suscipiens à Ministro, quod suscipere detrectavit à Magistro. Dum ergo vitæ præsenti superfuit, pœnitudo hujus facti ab animo ejus non recessit: se infelicem, nec tanti Patris benedictione dignum fuisse pronuntians. Quibus peractis, præfatus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, audito Rege, Curiaq; Regis consilio, Pallium quod detulerat, Eboracam detulit ipsoq; Pontificem ejus investivit: sicq; Romam redeundi iter repetiit. Hæc omnia Edmerus.

XVII. * Apud Godwin in Card. Angliæ.

Quis Ulricus ille fuerit, Apostolicâ legatione functus; tacent Authores nostri. * Ciaconius Anglum vocat: quod libens admitterem, si amplior esset authoritas. nam errat Author ille, legationem hanc consignans ad annum Domini millesimum centesimum septimum: cum è rerum gestarum serie, planè constet, posteriùs contigisse. Malmesburiensis noster Odolricum vocat, & ita de illo: *Erat tunc temporis in Angliâ Odolricus quidam Cardinalis, qui Pallium Eboracensis Ecclesiæ attulerat, per Anselmi Concilium dandum: sed cum eum jam obiisse inveniebat: hærebat animo incertus quid faceret. Sedatâ ergo omni, per potestatem Regis controversiâ, decretum est, ut Eboracum ab eodem Cardinali deportaretur pallium.* Ciaconium fortè fefellit alius, hoc sæculo, sanctitate florens, Ulfricus nomine; qui natus in Dobunis, & Oxoniensi agro, nomen inter Anglos perennavit. De illo agam inferiùs, ad annum quo moritur millesimum centesimum quinquagesimum quartum. De Ulrico Cardinali non aliud proditur, quàm quòd Eboracum profectus, Thomam pallio ornaverit. nam quod addit Godwinus, *Authorem Thomæ fuisse, ut Turgotum, Priorem Dunelmensem in Episcopum consecraret S. Andreæ in Scotiâ.* auxesis est. * dudum enim Alexander Scotorum Rex Turgotum Sedi illi assignaverat, & Thomas Regio voto accesserat: nec aliud inaugurationis impedimentum, nisi Pallii defectus fuit. Quo Thomas insignitus, eodem die Turgotum consecravit. diem, mensem, annumque Rogerus consignat ita scribens ad hunc annum. Thomas *ab Vlrico Cardinali Pallium, quod sibi Papa miserat, in Calendis Augusti, die Dominicâ Eboraci suscepit: & ipso eodem die Turgodum, Dunelmensem Priorem ad Episcopatum Sancti Andreæ de Scotiâ, qui dicitur Cenrimunt consecravit.* De Sede, oppidoque illo, totius Scotiæ Metropoli, & cur à Sancto Andrea nomen acceperit; dixi tomo primo, ad annum Domini trecentesimum nonagesimum quintum: quando Pictorum dialecto Rigmunt appellari dixi. Quis Turgotus, & quàm Sede dignus fuerit, habes * supra pluribus in locis. Nunc è Scotiâ in Angliam, & conventum illum redeo, quem in Pentecoste habitum dixi.

Malmesb. de Pont. l. fo. 274.

Godwin. suprà.
* V. an. 1108. 19. 20.

Hoveden. hic fo. 412.

V. an. 395. n. 3.

* Vid. an. 1074. 16. 17. & an. 1093. 31.

XVIII. alius, * quartus. HENRICUS TEUTONICUS

Dum Rex, Proceresque, regni negotia componunt: Henricus Teutonicorum Rex, brevi Imperiali coronâ donandus, dicendusque eo nomine * quintus; Oratores in Angliam ad Henricum Regem destinavit, fœderis societatem, matrimonii lege sanciendam, postulantes. Henricus filiam unicam è Mathilde uxore susceperat,

Mathilden

HENRICI REGIS FILIAM PETIT UXOREM.

Paris hic.

Mathilden quoque appellatam: Henricus alter, illam sexennio non majorem, sponsam sibi, futuramque, ubi adoleverit, uxorem petit. nec abnuit Anglorum Rex, Romani imperii candidato filiam promittere: Proceres quoque, regnique ordines Regum votis, suffragio accedunt. De hac legatione ita scribit Parisiensis. *Eodem anno* (millesimo centesimo nono) *missi sunt nuntii solennes ab Imperatore Romanorum Henrico* (ita per ampliationem dicitur, qui necdum imperat) *in Angliam, filiam Mathildem, in Domini sui conjugium postulantes. Tenuit itaque Rex, apud VVestmonasterium, in Pentecoste Curiam suam: quâ nunquam tenuerat splendidiorem: & Sacramenta de conjugio filiæ suæ, ab Imperatoris Legatis petiit, & accepit. Data est igitur filia Regis Imperatori, sicut decuit. Vt breviter dicatur: Rex cepit ab unaquaque hidâ terræ totius Angliæ tres solidos.* Ita ille, plura conjungens, quæ meliùs separantur. nam hoc anno de sponsalibus actum, conclusumque: sequenti anno sponsa ad sponsum mittitur, dosque assignatur, quam hidæ, sive terræ jugera solvunt. Hæc est Heroina illa, quæ post Henrici Imperatoris mortem vidua, iterum nupta, Henricum eo nomine Secundum Angliæ Regem genuit, è Comite Andegavensium Godefrido. & primo pro se, deinde pro filio strenuè pro Angliæ regno decertavit, ut infra.

XIX. ECCLESIA CANTUAR. VACAT. IN CONVENTU REGIO CONTENDIT LUNDINEN. EPISCOPUS CUM EBORACENSI.

Edmer. l. 4. fo. 101.

Vacavit hoc anno, & multis sequentibus, Cantuariensis Ecclesia; & Thomas Eboracensis, Primatis locum officiumque supplere, Ecclesiæ suæ prærogativâ subnixus, frustra laboravit: Rex Christi natalitia de more celebraturus, utriusque Reip. Principes vocat: Ibi cum Ecclesiarum jura, ventilata, compositaque sunt: de Clericorum quoque vitâ componendâ, seriò tractatur. Res ibi gestas ita narrat Edmerus. *In subsequenti Nativitate Domini Christi, regnum Angliæ ad Curiam Regis Lundoniæ pro more convenit: & magna solemnitas habita est, atque sublimis. Ipsa die Archiepiscopus Eboracensis, se loco Primatis Cantuariensis Regem coronaturum, & Missam sperans celebraturum ad id omnino paratum se exhibuit. Cui Episcopus Lundoniensis non adquiescens, coronam capiti Regis imposuit: eumque per dextram induxit Ecclesiæ, & officium diei percelebravit. At cum ad mensam Regis ventum esset: & de loco sessionis inter eosdem Episcopos dissensio mota fuisset: noluit eos Rex audire: sed utrumque à prandio suo remotum, pransurum hospitia sua præcepit adire. Et quidem quòd Episcopus Lundoniensis ita fecit (ut alia taceam) ea ratione usus est; quòd, & Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, & item juxta institutionem Beati Gregorii. Anglorum Apostoli; tunc prior alterius extitit, quia prius eo fuerat ordinatus. Cujus nimirum prioratus gratiâ, se subitaneâ festinatione* (ut suprà diximus) *licet aliud in populo prædicaretur, in Pontificatum ordinari gnarus expetiit. Quemadmodum nobis testati sunt, qui animi ejus absque dubio secreta noverunt: & ipsemet à me percontatus, familiari affatu asseveravit. Sed de sessione prandii Regalis, tunc inter Episcopos, res ita remansit determinanda judicio futuri Pontificis Cantuariorum.*

XX. CAUSA PRESBYTERORUM DISTRICTE AGITUR.

Quæ sequuntur in Edmero; licet putem, sequentis anni exordio contigisse; nimirum post octo natalitiorum dies: tamen non importunè hic inferuntur, nè crebra interruptio, lectorem distrahat. Nequior Clerus, ab eâ morum honestate recesserat; quam sanctior Clerus, & Episcopi, Anselmo vivente, ratam sanctamque esse voluerunt. & eò effreniùs in vitia ferebatur, quò custode remoto, nullum qui inhibere vellet, superesse putabat. Et verò non malè præsumpsisset; si unius Anselmi, aut Londinensis solum Synodi, decreta fuisset illa morum reformatio. Sed nihil ille, aut illa Synodus Clero dictaverat, quod centies priùs inculcatum, præscriptum, observatum non fuit: quidquid factiosi, in omnem antiquitatem inmane peccantes, asserant. Audiamus ergo quid post mortem Anselmi, de Presbyterorum castitate, Rex & Episcopi in hoc conventu senserint. *Per id temporis* (loquitur Edmerus) *acta est causa Presbyterorum Angliæ, & districtiùs, quàm tempore Patris Anselmi, à consortio mulierum coerciti sunt. Quamplurimi namque illorum, ex obitu Patris Anselmi, non modicum exhilarati, promiserant sibi, eo de medio sublato, licitum fore, quod ipso superstite, sibi illicitum fuisse condoluere. Sed in contrarium res lapsa est. Rex enim, qui pluris Deo à multis timebatur, suâ lege eos constrinxit: quatenus vellent, nollent, Concilii Lundoniensis* (quod supra notavimus) *saltem oculis hominum fierent executores.* Ita optimus quisque favebat continentiæ Clericorum: censebatque pœnis obnoxios, qui illam violarent.

Edmer l. 4. fo 103.

XXI. BELGÆ IN ANGLIAM ADMITTUNTUR, ET SEDES HABENT. ET UBI?

Giraldus Itin. Camb. l. 1. c. 11.

Nec segnior in alterâ Rep. curandâ Henricus fuit: quilibet ab omni motu intestino; Britannorum (Wallenses hoc sæculo dicebantur) solùm impetus subitasque irruptiones formidabat: ad quos premendos, frangendosque, Belgarum coloniam in Dimetarum regionem, & Pembrochiensem agrum deduxit. *Gens illa* (Flandros Giraldus intelligit) *fortis & robusta, continuoque bellis inflicta, gens Cambrensibus inimicissima: gens lanificii, gens mercimoniis usitatissima: quocumque labore, sive periculo, terra, marique, lucrum quærere. Gens prævalida vicissim loco, & tempore: nunc ad aratra, nunc ad arma gens promptissima. Hæc gens originem à Flandria ducens, ab Anglorum Rege Henrico Primo, ad hos fines* (Haverfordiam, & Ros intelligit) *inhabitandum transmissa.* Ita ille. Henrici mater Mathildis, Balduini Flandriæ Comitis filia, è Belgio oriunda, plures è tribu illâ in Britanniam traxerat, Guilielmi Primi tempore. quibus Guilielmus alter, in Brigantum regione, & Cumbriæ provinciâ Sedem assignaverat ad Carleolum oppidum, ut suprà notavi, & alii erant per Insulam sparsi, quos omnes Henricus in unum collectos, Britannis opponens, brevi compendio perfecit; quod magno labore, sed irrito semper conatu, frater tentaverat. Henrici consilium laudat Malmesburiensis: *VVallenses*, inquiens, *Rex Henricus, semper in rebellionem surgentes, crebris expeditionibus in deditionem premebat: consilioque salubri nixus: ut eorum tumorem extenuaret, Flandrenses omnes, Angliæ accolas, eò traduxit. Plures enim qui tempore Patris, pro Matris paterna cognatione confluxerant, occultabat Anglia: adeo ut ipsi regno pro multitudine onerosi viderentur. Quapropter omnes cum substantiis, & necessitudinibus, apud Ros, provinciam VValliarum, velut in sentinam congessit: ut & regnum defæcaret, & hostium brutam temeritatem retunderet.*

V an 1092. 8.

Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 158.

XXII. HARVÆUS ELIENSIS EPISCOPUS PRIMUS.

Hoc demum anno millesimo centesimo nono, superatâ difficultatum omni mole, Hervæus quondam Banchorensis, in Eliensi Insulâ Episcopalem sedem primus ascendit, Romano Pontifice,

Henrico Rege, & Lincolniensi Episcopo, ad novæ Cathedræ erectionem conspirantibus. *Datum est manerium de Spaldwic Lincolniensi Ecclesia* (ita loquitur Liber Eliensis) *in jus perpetuum, pro communicatione Episcopalis curæ, super pagum Grantbrigiensem.* Cæterùm Hervæus in novâ Sede otiosus non fuit: nihil enim priùs habuit, quàm Ecclesiæ suæ dignitatem augere. *Vt esset ubique à telonio libera* (iterum loquitur Eliensis Liber) *impetravit: de jugo servitutis, & custodia, quam castello Norwici debebat. Viam ab Exning ad Ely per paludes sex plus minus millia passuum substruxit, & latifundia non pauca acquisivit. Successores autem, occiso Monachorum numero (è septuaginta enim solummodo quadraginta reliquerunt) rerum copiâ, divitiisq; affatim ad nostra usque tempora affluxerunt. & dies festos & solennes, tanto cum apparatu, & pompâ celebratunt: ut reliquis Angliæ Monasteriis laudem omnem præripuerint. Vnde & Poëta illo seculo non male cecinerit:*

Apud Camden. in Cambridgeschire.

Camden. supra.

Pravisis aliis, Eliensia festa videre?
Est quasi prævisa nocte, videre diem.

Templum item quod jam vetustate nutavit, paulatim extinxerunt. & in eam, quam nunc cernimus amplitudinem perduxerunt. Ita Camdenus de Eliensi Insulâ, & primo Sedis Episcopo.

XXIII.
INGULFUS MORITUR ABBAS CROYLANDIÆ.

Moritur hoc anno Croylandensis Monasterii Abbas Ingulphus: cui Annales Angliæ omnia debent, quæ de Cœnobio illo scribuntur. Ille enim Antiquitatem ingressus, Merciorum Regum syllabum texuit, qui Fidem inter Mercios, & Monasteria fundaverunt: illorum pia opera, chartas, & diplomata, insigni industriâ è tenebris in lucem protulit: nihil omittens, quod à primis Croylandiæ incolis, ad sua usque tempora scitu, lectioneque dignum esset. Cum Monasterio præfuisset ab anno millesimo septuagesimo sexto, & egregiè locum illustrasset, munere, vitaque cessit hoc anno millesimo centesimo nono. *Successit illi cum Abbatis titulo Ioffredus, Prior Cœnobii Sancti Ebrulphi in Normanniâ, ab Henrico Primo suffectus, intercessione dilecti sui Alani Crown* (ita legitur in Fragmento, quod extat in appendice post Ingulphum, & sequitur:) *Erat autem Ioffridus natus Gallus de Marchione Herberto super Hildeburgen, & educatus Aurelii in Monasterio, vir eruditus. Ad ædificationem Ecclesiæ suæ Croylandiæ, tempore prædecessoris sui Ingulphi, viri etiam in omni fere literarum genere versati; varios in varia loca, bonorum eleemosynas petitum misit: quosdam in Scotiam, quosdam in Hiberniam, VValliam, & Cornubiam: alios in Flandriam, alios verò in Galliam & Daciam. quosdam verò in Norwegiam misit. Ad Cotenham vero manerium suum, Cantabrigiæ vicinum, misit Dominum Gislebertum, & alios tres Monachos, qui eum sequuti sunt in Angliam.* Ita ibi. Ab hac quatuor Monachorum coloniâ, jaci cœperunt Cantabrigiensis Academiæ certa indubiaque fundamenta. nam priùs illa investigare, pietati quidem industriæque tribui; sed nihil certò constanterque affirmari, potest. non omittam ergo florentissimæ quondam scholæ rudimenta explicare, quæ Joffrido Abbate cœpta, in multa post sæcula, cum magnâ ingeniorum laude surrexerunt. Verùm cum aut addere Cantabrigiensi Academiæ, aut eidem detrahere, æquè periculosum sit; ob ortam dudum, cum sorore Oxoniensi, & nunquam occasoram litem, malo è Camdeno loqui sic scribente, de Cantabrigiâ.

V. an. 1076. 4. 5. 6.

JOFFREDUS SUCCEDIT.

CANTABRIGIENSIS SCHOLÆ CERTA INITIA.

XXIV.
Camden in Icenis, & Cambridgshire.

Vocat hic me tacita nonnullorum expectatio, ut de antiquitate hujus Academiæ, opinionem proferam meam. Sed nihil me interpono. nec enim animus est florentissimas nostras Academias παραλληλίζειν, quibus pares non noverim. Vereor tamen nè Nephelococcygias nobis condiderint: qui hujus vetustatem, longè supra veri fidem efferentes, Cantabrum statim post Romam conditam, multos videlicet ante Christum natum annos, hanc Academiam instituisse tradiderunt. Hoc certum est, quocumque tempore instituta fuit, regnante Henrico Primo bonarum literarum seges denuò esse cœpit. Sic enim in appendice vetusta ad Ingulphum legitur. Transmisit Abbas Ioffredus ad manerium suum de Cotenham juxta Cantabrigiam Dominum Gislebertum Commonachum suum, & sacræ Theologiæ Professorem, cum aliis tribus Monachis, qui secuti eum in Angliam, Philosophicis theorematibus, & aliis scientiis primitivis instructissimi, quotidie Cantabrigiam adeuntes: & conducto quodam horreo publice, suas scientias palam profitentes; in brevi temporis excursu, grandem discipulorum numerum contraxerunt. Anno verò secundo adventus illorum, in tantum accrevit discipulorum numerus: tam ex totâ patriâ, quam ex oppido, quod qualibet domus maxima, horreum nec ulla Ecclesia sufficeret eorum receptaculo. Unde diversis in locis à se divisi, & formam Aurelianensis studii sequuti: summo mane frater Odo, grammaticus, & satyricus singularis, pueris & junioribus sibi assignatis legebat grammaticam, juxta Prisciani doctrinam, & Remigii in eundem. Ad horam verò primam Terricus, acutissimus Sophista, Logicam Aristotelis, juxta Porphyrii & Averrois Isagogas, & commenta adolescentioribus tradebat. Ad horam verò tertiam frater VVilhelmus Rhetoricam Tullii, Quintilianiq; flores perorabat. Magister verò Gislebertus, omnibus Dominicis diebus, & Sanctorum festis, verbum Dei ad populum prædicabat. Hæc Camdenus.

MONACHI QUI CANTABRIGIÆ PRIMÙM DOCUERUNT, ET PRIMUS GISLEBERTUS.

XXV.
Appendix post Ingulphum fo. 919.

Sed juvat Appendicis reliqua, quæ ille omittit, hìc inserere. *Gislebertus, rudis in Anglicanâ linguâ: sed expeditus & profundus in Latinâ, & Gallicanâ suâ; contra Iudaicum errorem maximè disputabat. Ferialibus autem diebus, literatis ac Sacerdotibus ad ejus auditorium specialiùs confluentibus, ante sextam horam textum sacræ paginæ exponebat. Cumque nonnulli increduli, & adhuc Iudaicâ perfidiâ cæcati, ad ejus verba, in sinum matris Ecclesiæ, relicto penitus suo pristino errore, compuncti, accurrerent: & fides Christiana indies solidior quotidie firmaretur: non modicum commodum eorum industria Monasterio affluxit: in tantum, ut, nihil onerantes manerium, sed multum meliorantes aliquo dono; centum marcas ad ædificationem suæ Ecclesiæ transmissis ab illis partibus comportarent. Maximè ipso venerabili Abbate Ioffrido, in partibus illis, suos filios visitante: & sermonem ad populum suo more luculentissimè personante; viri & mulieres innumeri de vicinis oppidis concurrebant. Qui licet latinè vel gallicè loquentem illum minimè intelligerent, tantum intendentes ad illum; virtute verbi Dei, & gratia vultus sui, ad lacrymas multoties compuncti, ad reædificationem Ecclesiæ suæ nuper concrematæ; quam semper in conclusione sermonis ingerebat, innumeras eleemosynas erogabant. Semper etiam tres, vel quatuor, finito sermone, sua vestigia sequentes, & nusquam divertentes; tam laicos, quam literatos; vel suo conventui incorporavit Monachandos; vel vicinis Monasteriis Burgi, Thorney, & aliquoties locis remotioribus Monachandos; vel vicinis Monasteriis, cum suâ Epistolâ commendavit. Ex isto itaque fonte parvo, qui crevit*

GISLEBERTI ET JOFFRIDI OPERA CROYLANDIA ILLUSTRATUR.

in

in fluvium jam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam, per plurimos Magiſtros, Doctoreſq́, de Cantabrigiâ exeuntes, ad ſimilitudinem ſanctiſſimi Paradiſi. Hactenus Appendix, quæ poſt Ingulphum legitur.

XXVI. UNDE JUDÆI IN ANGLIA? Olim hæc meminiſſe juvabit: nunc Cinis eſt, ubi Troia fuit: nunc magnus ille fluvius exaruit: ex quo ſerpentis ſibili, Paradiſum penetrantes, Ævam noſtram novo ſchiſmate ſeduxerunt. Tunc, quod Henrico Primo, ſanctiſſimè inſtitutum eſt: Henrico ultimo cœpit marceſcere: & demum planè concidit, ubi neſcio quo ſidere percuſſi homines,* comitiali morbo laborarunt. Sed quid? olim laboravit Inſula Judaica perfidiâ, ut neceſſum Giſleberto fuerit, illam inſectari? Ita præſeferunt ſupradicta verba. & reverà fatendum eſt, Guilielmi Secundi Regis impietate factum, ut Judæorum factio è Normannia cum Normannis prodeuntium, vires animoſque ſumpſerit in hac Inſulâ. Malmeſburienſis, de ſuperiori tempore ita loquitur. *Inſolentia in Deum Iudæi, Guilielmi Secundi tempore, dedere iudicium. ſemel apud Rothomagum: ut quoſdam ab errore ſuo refugos, ad Iudaiſmum revocarent muneribus inflectere conati: alia vice apud Londoniam, contra Epiſcopos noſtros, in certamen animati. Quia ille* (Guilielmus Rex) *ludibundus credo dixiſſet: Quod ſi viciſſent Chriſtianos apertis argumentationibus confutatos, in eorum ſectam tranſiret. Magno igitur timore Epiſcoporum, & Clericorum res acta eſt, piâ ſollicitudine fidei Chriſtianæ timentium. Et de hoc quidem certamine Iudæi nihil præter confuſionem retulerunt: quamvis multoties jactitarent, ſe non oratione, ſed factione ſuperatos.* Infecerant ergo Inſulam Judæi, & Giſlebertus ſe murum oppoſuit, pro domo Dei; Ille forſan, qui inter illuſtres Angliæ Scriptores, à Pitſio ponitur, mortuus anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo. nam librum ſcripſiſſe dicitur: *De Fide Eccleſiæ contra Iudæos:* câ occaſione, quam narrat Pitſius ita: *Giſlebertus, aliàs Gilbertus, redeundo Roma per Germaniam, in civitate Maguntina incidit in quendam Iudæum, veteris legis, & Hebraicæ linguæ peritiſſimum; contra quem habuit doctiſſimam diſputationem: quam optimâ formâ poſtea redegit in Dialogum; in lucem emiſit, & S. Anſelmo nuncupavit.* Verum cum Giſlebertus ille, natione Anglus, Weſtmonaſterii Monachus, & Præpoſitus ibi, ab Harpesfeldo, & Pitſio aſſeratur, ac Abbas demum à nonnullis putetur: qui etiam in Hiberniam profectus Lunicenſem (ita ſcribit Pitſius) Eccleſiam cum majori Sacerdotio rexerit: nulla Croylandenſis Cœnobii ab Authoribus illis facta mentione. hæreo quid dicendum. & veriùs puto, Giſlebertum, Cantabrigiæ Doctorem, Anglum non fuiſſe, cum rudis in illâ linguâ affirmetur, in Gallicanâ, Latinâque doctus: & Anſelmo non niſi Rothomagi notus: ad quem hanc miſit Epiſtolam.

* Tempore rebellionis.

Malmesb. de Regib. l. 4. fo. 123. fin.

Pitſius in Catalo. ad an. 1117.

Harpesf. fo. 302.

Anſel. l. 3. Epiſto. Epiſtola 143.

ANSELMUS ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, GISLEBERTO Lunidenſi Epiſcopo: Salutem.

XXVII. ANSELMUS AD GISLEBERTUM EPISCOPUM SCRIBIT. „ GRATIAS ago Reverentiæ veſtræ; quia lætari ſe ſignificat in literis ſuis; quòd Deus „ in Eccleſiâ ſuâ ad profectum religionis, per „ me dignatur aliquid operari. Quoniam autem „ olim nos apud Rothomagum invicem cognovimus, dilectione ſociati ſumus. & nunc cognoſco vos, ad Epiſcopatus dignitatem, gratiâ Dei proſeciſſe: confidenter audeo vos obſecrare: & ſecundùm quod intelligo opus eſſe „ vobis conſulere. Sublimavit Deus in Hiberniâ veſtram prudentiam ad tantam dignitatem: „ & poſuit vos, ut ſtuderetis, ad religionis vigorem, & animarum utilitatem. Satagite ergo „ ſollicitè, ſicut ſcriptum eſt: qui præeſt in ſollicitudine; in illa gente, quantum in vobis eſt, „ corrigere, & extirpare: & bonos mores plantare, & ſeminare. Ad hoc etiam (quantum „ in vobis eſt) Regem veſtrum, & alios Epiſcopos, & quoſcumque poteſtis, ſuadendo, & „ gaudia, quæ parata ſunt bonis; ac mala quæ „ expectant malos, oſtendendo attrahite. Et „ de veſtris, & aliorum bonis operibus, præmium mereamini à Deo accipere. Grates refero, pro munere veſtro, quod mihi benignè „ miſiſtis. Orate pro me. Ita Anſelmus morti proximus, pro Hibernorum Eccleſiis ſollicitus fuit.

XXVIII. Cæterùm cum Giſlebertus iſte Lunidenſis Epiſcopus fuerit: non potuit is eſſe, quem Joſfridus Abbas Cantabrigiam miſit, poſt mortem Anſelmi. Fuit & alius, Giſlebertus nomine, Weſtmonaſterienſis Cœnobii Abbas; ad quem Anſelmus Epiſtolam ſcripſit, quæ libro ſecundo Epiſtolarum ejus, eſt numero decima ſexta. ejus etiam meminit Guilielmus Gemiticenſis, & vocat Giſtebertum Criſpinum, tam nobilitate generis, quàm ſcientiâ ſæculari, & divinâ pollentem. Illum forte Pitſius intelligit: ſed malè cum Lunidenſi confundit. nec poteſt noſter eſſe, qui ſtudia promovit. nam Abbas priùs fuit quam Anſelmus Cantuarienſem Sedem aſcenderet. Idem ſentio, eademque ratio militat, de Giſleberto Abbate Cadomenſi, quem Anſelmus, Beccenſis adhuc Abbas, plurimis in literis Abbatem vocat. Vide libri ſecundi Epiſtolarum, Epiſtolam 36. & 44. & 47. ubi Abbas, ab Abbate Anſelmo vocatur: & differre debet ab eo cui Joffridus Croylandenſis docendi munus impoſuit.

Gemit. de Ducib. Normann. c. 22.

ANNUS CHRISTI 11o.

PASCHALIS II. PAPÆ 12.

HENRICI PRIMI REGIS 11.

I. HENRICUS TEUTONICUS TURBAT ECCLESIAS. SEQUENS Chriſti annus milleſimus centeſimus decimus, & aliquot ſequentes, luctum ubique Eccleſiis noctemque inducunt. Henricus Teutonicorum Rex Quintus, cupit quartus eſſe eo nomine Romanorum Imperator: & vi conatus, quod prece pretioque non potuit impetrare: Italiam hoſtili manu premit. Henricus interim noſter, Cantuarienſi Eccleſiæ luctum permittit: de Paſtore eligendo parum ſolicitus: dum ſe Anſelmo parem quærere ſimulat: nullo reperto, oves hoc anno, tribuſque ſequentibus, per devia feruntur. Hoc morbo regio quoties laborat Eccleſia: toties pullum palloremque induit, viduaque cenſetur. Sed avertam oculos à Regum nævis, & illis Oſwini Regis pietatem oppono: quem Deus ſæpè aliàs, & hoc etiam anno gloria & honore coronavit. nam illi falluntur egregiè, & multo argumento errare

convincuntur, qui Sanctorum cultum, memoriamque è mortalium menobus conantur tollere.

II. INVENTIO CORPORIS S. OSWINI REGIS ET MARTYRIS.

De Oswino Deirorum Rege sæpè dictum est suprà. moritur anno sexcentesimo quinquagesimo primo, Martyris nomen, & prærogativam meritus. quod Deus, nunc uno, nunc alio miraculo, confirmavit. Qui vitam ejus scripsit apud Capgravium, inaccuratè temporis circumstantias, personasque confundit. Cæterùm in rei substantiâ cum aliis est qui meliùs omnia distinguunt. Ita enim ibi. *Anno gratia millesimo centesimo decimo, cum Monachus quidam nomine Edmundus, loci adituus, nocte quadam post orationes more solito fusas sopore depressus esset, apparuit ei quidam atate canus, vultu decorus, statura procerus, & verbis jucundus atque benignus. Quem cum diligenter intuens aspiceret: & quis esset, interrogare non auderet: Is qui ei apparuit, dixit, Edmunde, frater Edmunde. At ille securior redditus, ait: Quis es Domine? Ego sum, ait, Oswinus Rex, qui ab Hunewaldo Comite nequiter traditus; ab Oswio Rege morte detestandâ * peremptus, hac in Ecclesiâ, cunctis incognitus, jaceo tumulatus. Surge & dic Pontifici Egelwino; quatenus corpus meum elevet, & decentiori loco illud collocare non tardet. Quod cum ille Episcopo nuntiasset: & ille corpus Sanctum de terrá elevasset, tanta odoris fragrantia egressa est ut omnium aromatum genera diffusa putarentur. & omnes qui aderant inæstimabili suavitate replerentur.* Hæc ille.

Capgrav in Oswino.

* V. an. 651. per totum.

III. VEL POTIUS NOVA ELATIO.

Qui annos singillatim colligunt & excutiunt, hic facilè Antichronismum vident. Quod de invento Oswini corpore, & Edmundo æditio, Pontificeque Egelwino; verùm id quidem & à pluribus assertum: sed annus & sæculum malè consignantur. & nos multò rectiùs ostentum illud retulimus ad annum millesimum sexagesimum quintum: quando severà Egelwinus vixit Dunelmensis Episcopus, & Oswini corpus extulit. Cæterùm hoc anno, corpus illud, è minore Ecclesia, ad novam majoremque, solenni cærimonia transfertur, Richardo Albanensi Abbate qui augustiorem Ecclesiam Deiparæ sacram, sacro Thesauro condito extruxerat. de quo Parisiensis noster, ad hunc annum: *Eodem anno (millesimo centesimo decimo) Richardus Abbas Sancti Albani, pretiosas Beatissimi Regis & Martyris Oswini reliquias, cum magno Cleri, & populi tripudio, in novam Dei Genetricis MARIÆ transtulit Basilicam, apud Tinemutham; ab antiquo ejusdem Dei Genetricis Oratorio. in quo corpus ejus sanctissimum fuerat priùs inventum, & in novo feretro collocatum. Facta est autem hac translatio, in die passionis ejusdem Martyris, decimo Calendas Septembris, secundum rotulam Cancellarii,* Hæc ille. Plura de hoc Sancto, de novâ Tynemutensi Ecclesiâ, & pietate civium in Sancto colendo, Vide ad annum Christi millesimum sexagesimum quintum.

V. an. 1065. n. 5. 6.

Paris hic.

V. an. 1065. 5. 6. 7.

IV. GODRICUS EREMUM PETIT.

In odorem sanctitatis Regiæ, aliqui pientissimè cucurrerunt, sancti quoque prærogativam nomenque adepti. Hos inter, Godricus, hoc anno, ab authoribus nominatur. Ille olim in Icenorum regione, & Norfolciensi agro natus: cum utramque fortunam, vario vitus genere, probasset: elegit tandem unum illud necessarium, quod in solo Dei cultu, & æternitatis contemplatione consistit. Hac mente, & divino, ut creditur excitus oraculo, in Dunelmensi agro sedem fixit: ubi factus eremi cultor, per annos sexaginta, consortia mortalium fugiens, cum Deo & Angelis conversatus est. Hujus propositi exordium, ad hunc annum passim ab Authoribus notatur. Westmonasteriensis, cum Oswini translationem retulisset. *Eodem anno* (inquit) *Sanctus Godricus vitam inchoavit eremiticam: quis, illa per annos sexaginta laudabiliter continuata feliciter migravit ad Dominum.* Idem habet Matthæus Parisiensis, & locum nominat sanctæ quietis, qui Finchale dicitur, prope Dunelmum. de quo Camdenus. *Vedra fluvius*, inquit, *aquas ducit per Finchale, ubi Henrico Secundo regnante, Godricus vir antiquâ & Christianâ simplicitate, totus Deo defixus, solitariam vitam egit, & peregit, eodem loco sepultus; quo vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere consueverat*, inquit Guilielmus Newbrigensis. *Qui tantam sui admirationem, hac sanctâ simplicitate excitavit: ut ejus memoriam, Ecclesiola R. Frater opulenti illius Episcopi Hugonis de Puteaco honorarit.* Ita Camdenus. Plura de hoc Sancto cum moritur anno Christi millesimo septuagesimo.

Westmonast. hic.

Camden. in Dunelmen.

Neubrigen l. 2. c. 20.

V.

DE WINDSORA.

In altera Rep. Henricus Rex, quietem à bello otiumque nactus; Proceres ad Conventum in Pentecoste vocat, ad locum quem nuper ædificiis auctum splendidè ornaverat. Windsoram, inquit, amœnam sanè & Regiis voluptatibus commodam sedem. Quam olim Edoardus, cognomento Confessor, Westmonasteriensi Cœnobio donaverat cum hac verborum clausula. *Ad laudem Dei omnipotentis, posui in dotalitium, & in perpetuam hereditatem, ad usum Domino servientium, Windlesoram cum pertinentibus.* Sed Guilielmus Primus, loci elegantia captus, hereditaois jus elisit. *Cum consensu* (inquit in Charta ejus) *& favore Venerabilis Abbatis Westmonasterii, conventionem feci de Regiâ possessione Windlesorâ: quod locus ille utilis & commodus visus est, propter contiguam aquam, & silvam venatibus aptam: & alia plura, qua nobis sunt Regibus commoda: imo regia perendinationi aptus existit. Pro qua Wakendune, & Feringes concessi.* Hunc locum Henricus, hoc anno, cum vario ornatu auxisset, ibidem Pentecostes solennia, cum Procerum conventu celebravit: expeditque de more negotia, quæ regno, ac Reip. conducebant. Quænam illa fuerint, paucis ab Authoribus explicantur.

Apud Camden in Barkshire.

Apud Camden. supra.

VI. MATHILDES HENRICI FILIA AD NUPTIAS PRÆPARATUR.

Imprimis de Mathilde Regis filia actum, quam anno superiore Henricus Teutonicorum Rex, in uxorem postulaverat. Assensum tunc ab Henrico nostro: nunc autem regio apparatu nova sponsa in Germaniam deducenda decernitur; post annos quatuor Henrico Imperatori, matrimonii lege, jungendâ. Tum de componendâ Normannorum Rep. ubi frequentes civium motus, Anglorum pacem otiumque turbarant: & placuit factionum capita premere; ne nimium elata majestatem contemnerent. Quinam illi fuerint, à Parisiensi & Huntindonio in hunc modum numerantur. *Eodem anno* (millesimo centesimo decimo) *cum Rex Curiam suam tenuisset ad Pentecosten apud novam VVindlesores, quam ipse ædificaverat; exheredavit eos qui ei nocuerant: scilicet Philippum de Brahuse, & VVilhelmum Malet, & VVilhelmum Bainard. Helias verò Consul Cenomanensis, qui eam sub Henrico Rege tenebat, vita privatus est. At Consul Andegavensis suscepit Cenomanniam, cum filia ipsius, & tenuit eam contra Regem Henricum.*

Huntind. hoc fo. 379.

MOTUS IN NORMANNIA PROPTER CENOMANNIAM.

Elias

Elias de quo hic mentio, olim Gulielmo Secundo gravis, Cenomanniam, sub Normannorum Ducum patrocinium positam, invaserat: & à Rufo pulsus, pressusque, jam denuò caput extulerat: & nunc capite luit, quod semel iterumque peccaverat. Nec sopita est de Cenomanniæ imperio controversia. nam Fulco Andegavensium Comes, Eliæ filiam, provinciamque illam in dotem accepit: nec à turbidis rebus quievit; donec Henricus unicam filiam, quam hoc anno Teutonicorum Regi spopondit; eo mortuo, Godefredo Fulconis filio, in uxorem dedit, de quo postea. nam de Mathilde frequens erit imposterum mentio, quæ Imperatori nupta, & denupta, variam fortunam experta, post parentis mortem, pro Angliæ Principatu certabit.

VII. ROBERTUS HENRICI FILIUS, E CONCUBINA DUCIT FILIAM FITZHAIMONIS.

Interim Henricus Rex, filium jam olim è concubina genitum, Robertum nomine, matrimonium inire, & filiam Fitzhamonis uxorem ducere voluit: quo eum prædiis & honoribus auctum, in lucem populorum educeret. Uxoris nomen confusè ab Authoribus proditur. Camdenus Sibyllam, Spedus Mathildem, Stous Mabiliam vocaverunt. Quicquid sit, ex eo nuptiarum fœdere, Robertus, Fitzhaimonis ex asse scribitur heres, & Glocestriæ in Dobunis Comes, & Glamorganiæ Dominus efficitur: Prolemque suscepit in utraque Rep. nobilem. Gulielmum Glocestriæ Comitem, Rogerum Wigorniensem Episcopum, & Mathildem filiam. Sed nobilior è dotibus animi Robertus parens, cujus natalitium & originis defectum abunde suppleverunt ornamenta animi, resque ab eo præclarè gestæ. Unde à doctioribus sui sæculi; quod certum probitatis argumentum est; laudem meruit, nec immeritò. nam doctorum hominum fautor, & Mecænas fuit; ipse à literis quoque & eruditione commendatus. Unde Malmesburiensis, dum gesta Regum à se digesta illi consecrat, ita de illo: *Nullum magis decet bonarum artium esse fautorem, quàm te cui adhæsit magnanimitas avi, munificentia patrui, prudentia Patris. quos cum æmulus industria lineamentis repræsentes: illud peculiare gloriæ tuæ facis, quod literis insistis.* & alibi idem Author, in fine Gestorum: *Hoc opus* (inquit) *postquam absolvi, circumspectis plurimis, vobis potissimum delegandum credidi. Cum enim alios considero: in uno nobilitatem, in altero militiam: in isto literaturam, in illo justitiam: in paucis munificentiam invenio. Itaque in aliis aliqua; in singulis singula, in vobis admiror universa. Si quis enim unquam fuit nobilis: vos ex eâ re præcellitis, cujus genus à præcellentissimis Regibus, & Comitibus lineam trahit. Habetis ergo à Normannis bellandi periciam, à Flandrensibus lineamentorum gratiam, à Francis generositatis eminentiam. De militia porrò vestra industriâ. quis hæsitat: cum tam excellentissimus Pater in vobis suspiciat. Cum enim aliqui motus in Normanniâ nuntiantur, vos præmittit, ut virtute vestrâ profligentur, sagacitate redintegretur concordia. Cum redit in regnum, vos reducit: ut sitis ei foris tutela, domi lætitia, ubique ornamento. Literas ita fovetis; ut cum sitis tantarum occupationum mole distracti, horas tamen aliquas vobis surripiatis, quibus aut ipsi legere, aut legentes possitis audire.* Ita Malmesburiensis. Galfridus etiam Monumetensis, Roberto huic librum inscripsit, De Origine Britonum: eumque à nobilitate, à militia, ab eruditione commendat.

Malmesb. in Epistola præfixa.

In fine lib. 5.

Hoc anno millesimo centesimo decimo, Henrici Primi Regis anno primo, ut habet Spedus in Catalogo, Robertus Ferrerius Monasterium ad Merivale extruxit, Deo, & Deiparæ Virgini dedicavit, Monachisque Cisterciensibus, vel, ut alii, Carthusianis dedit. Quo in loco cum dictus Robertus vivendi finem fecisset, corio bubalo insutus, sepulturæ traditus est. Ita Camdenus cum Warwicensem agrum lustrat.

VIII. MERIVALE MONASTERIUM.

ANNUS CHRISTI 1111.

PASCHALIS II. PAPÆ 13.

HENRICI PRIMI REGIS 12.

I. HENRICUS GERMANIÆ REX INVESTITURAS PRÆSUMIT ECCLESIARUM; LICET ILLAS IN PATRE CONDEMNARIT.

CHRISTI annus centesimus undecimus supra millesimum, Romanæ Ecclesiæ turbulentus extitit. Henricus Teutonicorum Rex, qui Henricum Patrem, ob usurpatum Investituræ jus, coronâ primùm, inde vitâ exuerat; paterno morbo laborans, Ecclesiæ jura & ipse præsumpserat. Adde Imperatoris nomen dignitatemque affectans, hostili manu hoc anno Italiam ingreditur, Romam pergit: & dato Paschali Judæ osculo, eundem sub militum custodiâ captivum tenet. [a] nec potuit Ro. Pontifex libertatem nancisci, nisi eundem Henricum Imperiali coronâ; & Investiturarum jure induisset. Hanc maculam in utraque Rep. referunt passim Authores, & Historici nostri. unus spongiam adhibet [b] David Scotus; qui paulò post Banchorensi infulâ donabitur: sed oblitterari non potest infame factum: & uterque, Pontifex. inquam, & Imperator Henricus, debent illud pœnitentiâ expiare: & David Scotus, Panegyricus potiùs quàm historicus audire. de quo ita Malmesburiensis. [c] *David Scotus*, inquit, *Bancorensis Episcopus exposuit, magis in Regis gratiam, quàm historicum deceret, acclivus. denique & inauditam violentiam, quod Apostolicum cepit, quamvis liberè custodierit, laudi ducit, ab exemplo, quod Iacob Angelum violenter tenens, benedictionem ab eo extorsit. Præter hæc laborat asserere, dictum Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus; non adversari cupiditatibus Pontificum, per laicos investitorum: quia non sit sæculare negotium, si Clericus Laico fecerit hominium. Quæ quantum sint frivola, cujuslibet dijudicabit prudentia. Ego interim ne bonum virum verbo videar premere, statuo indulgendum, quia non historiam, sed panegyricum scripsit.* Ita ejusdem temporis, & ævi, Scriptor.

[a] PASCHALIS CEDERE COGITUR, ET HENRICUM CORONARE.

[b] DAVID SCOTUS HENRICO GERMANO ADULATUR.

[c] Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 100.

II. HENRICUS REX IN NORMANNIAM SOLVENS, MOTUS IBI COMPONIT. ROBERTI CAPTIVITAS NORMANNIÆ PROCERES PUNGIT.

Interim Henricus noster, cum novum Monasterium, quod in urbe Wintoniensi constructum fuerat, extra urbis muros, de novo condidisset, Gulielmo Episcopo ita procurante, in Normanniam solvit, Fulconi Andegavensium Comiti bellum illaturus. Enimvero Cenomanniæ principatum, sub Henrici tutelâ patrocinioque positum invaserat: & Eliæ mortem ulturus, Normanniæ pacem turbarat: sed & Constantiensem urbem militi prædam fecerat: cupiebatque omnem provinciam, in Roberti, quem frater in vinculis tenebat, potestatem dominiumque transire. Et sanè miseri Principis captivitas, Normanniæ Proceres ad pietatem accenderat; ægrè ferentes, legitimum omni juris adminiculo,

Normanniæ heredem, in tenebris esse, & duram sub fratre servire servitutem. Hæc motuum causa, & Henrici in Normanniam transitus. qui Fulconis impetum, & militum licentiam, igne ferroque sistere fortasse potuit: cæterùm vix aliud egisse memoratur. nam expeditionem illam paucis absolvunt Authores nostri, Matthæus Parisiensis ita loquitur. *Anno Domini millesimo centesimo undecimo, Rex Anglorum Henricus pergens in Normanniam, contra Comitem Andegavensem, qui Cenomanniam, eo tenebat invito, Werra leges contra cum ferro simul & incendio constanter exercuit. ipsumq; & terram ejus totam gravi depopulatione contrivit. mortalitas tunc erat animaliumq; maxima, fames valida in Normanniâ.*

Parisien. hic.

III. OXONIEN. MONASTERIUM RESTITUITUR.

Subdit Author, & ad hunc eundem annum refert, Rogeri Sarisburiensis Episcopi pietatem in restituendo Monasterio, quod Oxonii avorum devota religio Virginibus à Sanctâ Fridesuvidâ collectis, olim fixerat: cujus & nos mentionem suprà non uno in loco fecimus. Hic lubet, cum Malmesburiensi fundationis exordium, & restitutionis ordinem describere atque conjungere: licet sparsim suprà, eadem dixerimus. *Fuit* (inquit ille) *antiquitus in Oxenfordensi civitate Monasterium sanctimonialium, in quo requiescit Fredesuvida virgo sacratissima, Regis filia, Regis thoros despexit, integritatem suam Domino Christo professa. Sed ille cum ad Virginis nuptias appulisset animum, precibus, & blanditiis inaniter consumptis, vi agere intendit. Quo Fridesvvida cognito fuga in silvam consuluit. Nec latibulum latere potuit amantem. nec cordis desidia obfuit, quin persequeretur fugitantem. Iterato ergo virgo, juvenis furore comperto, per occultos tramites, Deo comitante, Oxenfordiam ingressa est nocte intempestâ. Illuc cum mane curiosus amator advolasset, puella jam de fugâ desperans, simulq; præ lassitudine nusquam progredi potens: Dei tutelam sibi, prosequutori pœnam imprecata est. Iamq; ille cum Comitibus, portas subibat urbis; cum cælesti plagâ irruente, cæcitatem incurrit. Intellectoq; pertinacia sua delicto, & Fridesvvida per nuntios exoratâ: eadem celeritate, quâ perdiderat, lumen recepit. Hinc timor Regibus inolevit, illius urbis ingressum, & hospitium cavere. quod feratur pestifer esse singulis refugientibus, sui damno periculi, rei veritatem experiri. Ibi ergo fœmina virginei triumphi compos, statuit Monasterium: & diebus suis, sponso vocante, subivit fatum.* Nimirum anno Christi septingentesimo quadragesimo. ut dictum ibi.

Malmesb de Pont. l. 4 fo. 290 fine.
V. an 740. n 9 &c.

DE VIRGINE FRIDESWIDA.

IV.

Idem supra fo. 291.
* V. an. 1002. 8.

Tempore verò Egelredi (prosequitur Author, & Ethelredum Regem intelligit) *cum Dani neci * adjudicati, in Monasterium illud confugissent: pariter cum domibus, insatiabili irâ Anglorum flammis absumpti sunt. Sed mox Regis pœnitentiâ, purgatum sacratum, restitutum Monasterium, veteres terræ redditæ, recentes possessiones additæ. Nostro tempore* (annum Parisiensis designat millesimum centesimum undecimum: Spedus in Catalogo, Henrici Regis undecimum) *paucissimis ibi Clericis, qui pro libito viverent, residuis; datus ille locus, à Rogero Salesberiensi Episcopo, Guimundo excellentis literaturæ, & non aspernandæ religionis Canonico. Qui non inoperosè, commisso insudans muneri, multos ibi Canonicos regulariter victuros, Deo exhibuit.* Ita ille. Cæterum liber Frideswidæ apud * Godvvinum paulò aliter, Monasterii statum & vicissitudines explicat. vult enim sub Normannorum adventum, Cœnobium illud Abendoniæ Abbati, regis munere, datum; expulsis inde Canonicis, qui seculares dicebantur: quos tamen paulò post restitutos assignat innominati etiam Regis largitione: & locum illum insedisse, usque ad annum millesimum centesimum vigesimum secundum. Quo anno scilicet, sæcularibus pulsis, Guimundus, Henrico Regi à Sacello, substituitur: occasione captâ, quæ parum Regem, multò minùs Guimundum regularem Canonicum, decebat. Illam tamen ex eodem Fridesvvidæ libro, non gravabor apponere. sic enim ibi legitur.

Paris hic.
ROGERUS SALISBURIENSIS, OXONII PONIT CANONICOS REGULARES.
* *Godvvin in Oxon.*

Anno Domini millesimo centesimo vigesimo secundo, Henrici verò Regis vigesimo secundo: Guimundus videns, quòd Rex Clericos suos ferè illiteratos, in Episcopos promoveret, aliis dignitates, aliis redditus non modicos conferens; sibi, literatus cum esset, & integræ opinionis, nihil præter victum, & vestitum, à Rege donari. Indignans super hoc; die Rogat onum. cum Rex Missam audiret: ipse lectionem propheticam, in qua scriptum est: Non pluet super terram annos III. & mcnses VI. sic pronuntiando legit: Non pluet super terram annos I. I. I. & menses V. I. distinguendo notas. Clericis omnibus super hoc admirantibus, ipsumq; subsannando deridentibus. Increpatus igitur, post Missam, à Rege: & interrogatus, quare sic fecisset? subridendo respondit. Quia vos sic legentibus Episcopatus, & Ecclesiastica beneficia confertis. Ideoq; sciatis me, de cætero, soli Christo Regi Regum summo serviturum: qui sibi servientibus, non solùm temporalia beneficia largiri novit, sed & æterna. Ex qua responsione confusus Rex, Ecclesiam Sanctæ Fridesvvidæ Oxonii, ad Capellam suam spectantem, cum omnibus pertinentiis suis, ei dedit: qui mox ejectis inde Canonicis secularibus; qui usque ad id tempus, eidem Ecclesiæ præfuerunt; Regulares sibi Canonicos congregavit: quorum ipse primus Prior extitit, dictam Ecclesiam feliciter regens annos novendecim. V.

Liber Fridesvvidæ apud Godvvin. in Oxon.
GUIMUNDUS QUOMODO MONASTERIUM ACQUISIERIT.

Hoc etiam anno, in Trinobantibus, & Essexiensi agro, ad oppidum Dunmo erectum est Cœnobium, Deiparæ sacrum, quod aliqui nigris Canonicis, alii Monialibus datum affirmant. Fundavit illud Juga, nobilis fœmina. de qua Camdenus è privata loci illius historia hæc habet. *Dunmow oppidum, ubi Iuga, filia Rodulphi Bainardi Monasterium anno millesimo centesimo undecimo fundavit. Sed Gulielmus Bainardus de quo Iuga tenebat* (sic scribitur in privatâ loci historiâ) *villam de parvâ Dunmow, per feloniam amisit Baroniam suam: & Rex Henricus illam Roberto filio Richardi, filii Gisleberti, Comitis Claræ cum honore Castri Bainardi, Londini dedit.* Ita refert Camdenus, & Antechronismum notat, ubi Comites Claræ hôc sæculo nominantur, quos sequentia tantùm sæcula cognoverunt. Cæterùm mentio Prioratus de Dunmowe habetur in Scripturâ 52. apud Reynerum in Appendice 2. partis. Unde patet Canonicis S. Augustini fundatam fuisse Ecclesiam. VI.

ANNUS CHRISTI MCXII.

PASCHALIS II. PAPÆ 14.

HENRICI PRIMI REGIS 13.

DUODECIMUS Christi annus supra centesimum atque millesimum, Romani Pontificis pœnitentiâ, quod Ecclesiæ jura prodidisset, I.

illustratur. Quo etiam anno Henricus noster in Normanniâ pugnans, secundo Marte hostem profligavit: & Robertum de Belesmo, qui, ut suprà dictum, Regis iram, manumque evaserat, cepit. de quo Malmesberiensis: *Tunc quidem* (nimirum in prælio apud Tenerchebrey) *Belesmensis in ipso exordio mortem cavit effugiq. Sed dum postmodum clandestinis factionibus Regem irritasset; & ipse captus, cæterorum involutus est periculo, ad mortem perpetuo inclusus ergastulo. Vir pro incompositis moribus intolerabilis, & in aliorum delicta inexorabilis. Præterea sævitiâ notabilis; cum in aliis, tum in hoc, quod puerulum è baptismo filiolum, quem in obsidatum acceperat, pro modico delicto patris excæcaverit, lumina miselli unguibus nefandis abrumpens: simulationis & arguciarum plenus. fronte sereno, & sermonum affabilitate credulos decipiens: gnaros autem malitia exterritans, ut nullum esset majus futuræ calamitatis indicium, quam prætensa affabilitatis eloquium.* Ita captus est hoc anno Robertus in astutiâ suâ, & *in Keresburga, mense Octobris, in custodia positus*. inquit Hovedenus: sequenti anno in Angliam transferendus, & æterno ibi carceri mancipandus.

V. an. 1106. n. 21.
Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 158.

II. PRIORATUS IN KENELWORTH CANONICIS REGULARIBUS.

Kenelvvorthiæ in agro Warvvicensi, surrexit hoc anno Prioratus quem Galfridus Clinton, Henrico Regi à cubiculis, Canonicis Regularibus posuit. sed quinam illi fuerint; albine, an nigri, non malè dubitatur. Spedus in Catalogo, nigros vocat. Camdenus & Stous, indefinitè Canonicos Regulares nominant: qua ootione, uterque Ordo, sub S. Augustini normâ militans, venit. Ego puto Albos, seu Præmonstratenses fuisse. Norbertus enim hoc tempore inclarescere cœperat: & Angliam sanctitatis famâ impleverat. Unde Galfridus Clinton, morti, ut apparet, proximus, novum sanctioris vitæ institutum, in provinciam induxit, locumque Monasterio assignavit, quem filius à parentis morte Canonicis confirmavit: dempto solùm terræ spatio, quod castro ponendo, & vivario, parens reservarat. De quo ita Camdenus: *Kenelvvorth castrum habet amplissimum, pulcherrimum, munitissimum, vivariis circumseptum: quod nec Kenulphus, nec Kenelmus, nec Kinegilsus construxerunt: ut somniant nonnulli. Sed Galfridus Clinton, Henrico Primo à cubiculis, & ejus filius, cum prius Ecclesiam Canonicis Regularibus erexisset atque fundasset.* Cæterùm qood Canonici Norbertini fuerint, è patentibus literis colligitur, quas Edwardus I. Præmonstratensibus dedit: & eorum Monasteriis, inter quæ, Prior de Kenelvvorth nominatur, ut habet Scriptura 52. apud Reynerum in Appendice. Joannes Stous, tam Castri, quàm Ecclesiæ structuram refert ad annum Christi millesimum centesimum duodecimum, & Henrici Regis annum XIII. quo etiam anno Christi & Regis, extrui cœpta est Exoniensis Ecclesia, ut notat Spedus: malè tamen E. I. pro H. I. hoc est Henrici Primi ponitur. Eodem anno Walterus Giffard Buckingamiæ Comes Monasterium fundat Canonicis nigris ad Nuley in agro provinciæ suæ, & Ecclesiam Deiparæ coosecrat. Camdenus fundati Monasterii meminit; sed locum (opinor) rectiùs vocat Notesly. Vide illum in Buckingamiâ.

Camden. in VVarvvicksh.
Spedus in Catalogo
Camden. in Buckin.

III. MORITUR SAMPSON. WIGORNIENSIS EPISCOPUS.

Moritur hoc anno Sampson, qui ab anno millesimo nonagesimo sexto, Wigorniensem Sedem rexerat. Hic Wulstani prædecessoris sanctitatem æmulatus, cætera innoxius, in uno peccasse convincitur: quod Wesburiam, Monachis à Wulstano donatam, repetens, sæculari Clero concesserit: quod crimen morte expiasse creditur. Unde Malmesburiensis scriptum reliquit. *Sampson, ad Monachos innoxius, nisi quòd eis VVesberiam abstulit, ubi VVulstanus Monachos posuerat; & privilegio sanctitatis sua muniverat. Illud Sampson diruptis: nec multis post annis, in eâdem villâ, quâ culpam commiserat, excessit.* Mortis diem annumque Hovedenus consignat ita: *Anno millesimo centesimo duodecimo Sampson VVigorniensis Archiepiscopus vigesimus quintus, tertio nonas Maii, die Dominicâ, obiit.* Malè Archiepiscopus dicitur: fratrem tamen, filiumque, Archiepiscopos habuit, Eboraci sedentes: de quibus suprà. *Sepultus est in navi Ecclesiæ ante imaginem Crucifixi*, inquit Godwinus: nimirum familiari orthodoxorum more, qui in fide, meritisque Crucifixi spem collocantes, eo hieroglyphico immortalitatem sperant, atque nanciscuntur.

Malmesb. de Pontif. l. 4. fo. 282.
Hoveden. hic.
Godvvin. in VVigorniem.

ANNUS CHRISTI 1113.

PASCHALIS II. PAPÆ 15.

HENRICI PRIMI REGIS 14.

I. HENRICUS REX REDIT IN ANGLIAM, ET ROBERTUM DE BELESMO PERPETUO CARCERI MANCIPAT.

ANNO, qui sequitur, millesimo centesimo decimo tertio, Henricus Anglorum Rex, rebus in Normanniâ feliciter gestis, in Angliam rediit, Robertum Belesinensem, turbarum authorem, captivum ducens: quem ad perpetuas tenebras; ne novas res rursum moliretur; addictum; in Durotrigibus, & Dorsetano agro, ad Warham oppidum, condemnavit. Quid inde sequutum ita narrat Malmesburiensis. *Henricus Rex clarus successibus, ovans in regnum regressus est, compositâ pace in Normanniâ; qualem nulla ætas meminit: qualem nec ipse Pater, magno illo rerum & verborum fastu, unquam efficere potuit. In cæteris quoque genitoris æmulus, rapinas Curialium, furta, stupra, edicto compescuit. Deprehensis oculos cum testiculis evelli præcipiens. Contra trapezitas* (quos vulgò monetarios vocant) *præcipuam sui diligentiam exhibuit: nullum falsarium, quin pugnum perderet, impune abire permittens, qui fuisset intellectus falsitatis suæ commercio fatuos irrisisse.*

Malmesb. de Regib. l. 5. fo. 158.

II. HENRICUS ALEXANDRO SCOTORUM REGI FILIAM ILLEGITIMAM IN UXOREM DAT.

Juvit Angliæ Normanniæque pacem, prudens Henrici consilium; Scotorum Reges fœdere sibi, & matrimonii societate jungendo. nam illegitimam filiam Alexandro Scotorum Regi in uxorem dedit. tuendis civibus, & Septentrionalibus provinciis præsidium singulare. Inde enim, si uspiam, tumultus oriri: inde hostiliter Anglia peti: Ibi factionum Seminaria nasci consueverant. Quod præcavens Henricus, Scotorum amicitiam coluit. & non Alexandrum modò Regem, sed Davidem quoque ejus fratrem, obsequio demereri studuit. nam in Angliâ plerumque conversantem, & Anglorum mores indolemque præferentem; prædiis in Angliâ, & honoribus ditavit: ac post Alexandri mortem, ad Scotiæ regnum evexit. De quo ita loquitur Malmesburiensis. *Alexandro majoribus suis appositos David junior filiorum Malcolmi, quem Henricus Comitem fecerat, & connubio insignis fœminæ donaverat, solum*

Malmesb. supra.
DAVID ALEXAN-

Dri frater uxorem ex Anglia ducit, et inde ditatur.
*V. an. 1057. 7. 1072. 24. 1074. 19. 1075. 13. &c.

Scottorum ascendit. Iuvenis cæteris Curialior: & qui nostrorum convictu, & familiaritate limatus, à puero, omnem rubiginem Scoticæ barbariei deterserat. Intelligit Author per *insignem fœminam*, Walteofi Comitis (de quo in * superioribus mentio) primogenitam filiam; è Juditha, Guilielmi Primi Regis, per uterinam sororem nepte, natam: quæ Simoni Silvanectensi primùm nupta; inde vidua, Davidem duxit, eique Huntindoniæ Comitatum in dotem attulit, permissu Henrici Regis. Hac arte Septentrionales provinciæ, unde asperior hiems, frequens tempestas, & omne malum, plerumque nascebantur: in officio contentæ: quoad Henricus Rex vixit, serenatæ sunt.

III. Guilielmi Exoniensis Episcopi opera pietatis.

Exoniensem Ecclesiam egregiè hoc anno ornavit ejusdem urbis Episcopus Guilielmus; Ecclesiæ damnum resarcire cupiens, quod olim in Anselmum conatus intulerat. Ædem sacram superiori anno inchoatam hoc anno perfectam vidit: studioque proferendæ pietatis, Ecclesiæ pomerium auxit, emptis adjectisque prædiis, quæ Godwinus ita enumerat. *Guilielmus Vvaltelwast Ecclesiam suam amplificare primùm aggressus est: & pro eâ, quâ valebat apud Regem gratia, impetravit ab eo hæc manneria Plimptonam, Bramptonam, & Sancti Stephani in urbe Exoniensi situm. Brampsonam Ecclesiæ suæ Canonicis contulit: & illi, Decanatui (paulo post erecto) adjecerunt. Illud Sancti Stephani, sibi, ac suis successoribus reservavit. Ad Plimptonam quod attinet, condidit in eo Cœnobium hic Antistes Canonicis Regularibus.* nigris nimirum S. Augustini, ut habet Catalogus Ædium destructarum. Quod vitæ institutum, Guilielmus ipse sub finem vitæ amplexus, animam Deo reddidit, ut suo loco.

Monasterium ad Plimpton.

IV. Wigorniæ urbis calamitas.

Wigorniensis civitas in Cornaviis, hoc anno, infelici incendio conflagravit: traxitque secum in cineres Principem Ecclesiam. Sed & hominum funera, miseram urbis faciem, è plurimorum luctu effecerunt. Quod Wigorniensis ibi Monachus, & Annales passim ita exponunt. *Anno millesimo centesimo decimo tertio, Civitas Wigorniæ, cum Principali Ecclesiâ, & omnibus aliis, & Castello, decimo tertio Calendas Iulii, feriâ quinta, igne concremata est. De Monachis unus utilissimus Monasterio, cum duobus servientibus, & quindecim de civibus, igne conflagraverunt.* Paulò aliter Godwinus in Catalogo incendii tempus & mortuorum numerum explicat, cum Sampsonem Episcopum extulisset: *Civitas*, inquit, *Wigorniensis, una cum arce, & Ecclesiâ Cathedrali, paulo post mortem ejus* (Sampsonis) *videlicet Maii vigesimo, anni millesimi centesimi decimi-tertii, fortuito igne conflagrarunt. In quo Monachus unus, tres Cœnobii famuli, & quindecim cives perierunt.* Calendas ergo Junii, non Julii, sed perperam, opinor intellexit. His adde alia funera, de quibus Hovedenus. *Viri*, inquit, *probitatis eximiæ, Venerabilis domnus Prior Thomas, & Colemannus; Sanctæ Mariæ Wigorniensis Ecclesiæ nobiles Cœnobitæ, quarto Nonas Octobris Sabbato, modum fecerunt huic vitæ.* addit Wigorniensis sanctè mortuis Epitaphium istud.

Vvigorni. Hoved. &c.

Godvvin. in Sampsone.

Hoved. hic.

Vvigorn. hic.

Communis sortis solventes debita morti
Gaudia summa petant, ubi summa pace quiescant
Cum Sanctis læta contemplando sine metâ.

V. Theulphus Wigornien.

Henricus Rex afflictæ urbis, viduæque Sedis misertus, Episcopum Wigorniensem nominavit, è Regio Sacello assumptum, Theulphum nomine, quem Harpesfeldus Theophilum, Edmerus infrà Theobaldum, vocant. De cujus electione & consecratione, ita Godwinus. *Bajocensis pariter Canonicus, & Antecessori suo non absimilis moribus* (teste Malmesburiensi) *Theulphus, Henrici Primi Regis Capellanus, Episcopus Wigorniensis ab eo designatur, Decembris vigesimo, anno millesimo centesimo decimo tertio: Sed consecrationem non accepit ante Iunii vigesimum septimum, anni millesimi centesimi decimi quinti.* Ita urbis luctum Henricus lenivit, & multorum vocibus clamoribusque occursit, conquerentium Ecclesiarum bona, Regio fisco, regiæque cupiditati nimiùm famulari, in fidei, religionis, & pietatis injuriam. nam quintus jam agebatur annus, quò prima Sedes, Pastore viduata, ab Anselmi morte, pro successore suspiraverat: Rege frustra causante, & cupiditatem suam hoc velamine tegente: se Sedi illi, Lanfranco, & Anselmo parem quærere: sed in inquisitione deficere. Interim, licet ea, quæ ad Sedem spectabant bona, sui juris fecerat; Monasterii tamen jura Monachis permisit: nolens ea; quod aulæ vitia volebant; aliò derivare. quod inter ejus laudes, ab Edmero ponitur, ita scribente.

Episcopus eligitur.

Godvvin. in Vvigorniens.

VI. Edmer. l. 5. fo. 109.

Henricus Cantuarien. Ecclesiæ bona occupat Monachis tamen favet.

Ubi beatus, & fœlix Præsul Anselmus, ab ærumnis vitæ labentis, in beatitudinem vitæ permanentis translatus est: omnia ad Episcopatum quidem Cantuariensem pertinentia, morem fratris sui Willielmi Regis secutus, in suum dominium Rex Henricus redigi præcepit. Rebus Monachorum, in ea, qua illas Pater Anselmus posuerat, libertate, & providentia persistentibus. Unde & tunc multa in decorem domus Domini Christi facta sunt. Quapropter, cum maligni quidam Regi suggessissent: Monachos insanire, & quæ Regalibus expensis magnificè possent adminiculari, in superfluos usus ab eis quotidie profligari: ipse (ut vir pendenti bonitate conspicuus:) Quid, inquit, in externas expensas, in sæcularia aliqua, in vana, vel ordini suo contraria opera, res suas Monachi ponunt? At si in argumentum & gloriam domus Dei, eas expendunt; benedicatus Deus, qui & illis hujusmodi animum inspiravit: & hanc mihi suo munere gratiam tribuit; ut meis diebus, mea mater Ecclesia incrementum potius capiat, quàm detrimentum. Sic itaque & Ecclesia proficiebat: & ne à quovis infestaretur, regia censura prospiciebat. Agebat quoque in ea curam Pontificalis officii, Radulphus Roffensis Antistes: & ei intus & extra, si qua emergebant, assiduus propugnator erat, atque fidelis. Ipse Ecclesias in omnibus terris totius Pontificatus Cantuariensis, intus, & extra Cantiam, inconsultis Episcopis, uti petebatur, dedicabat. Ipse quæ ad Christianitatem pertinent, in eisdem terris, prout res exigebat, sedulus ministrabat. Et hæc ita integro quinquennio, quo a transitu Patris Anselmi, Ecclesia ipsa viduata permansit, in filiis ac rebus ejus agebantur. Quid inde factum sequens annus aperiet. Interim non omittam quod nostris Annalibus dignum & proprium puto: Bernardum Sanctum, Claraevallensem postea Abbatem, sub Stephano Hardingo, natione Anglo, & Cistercienfi tunc Abbate, religiosæ vitæ tyrocinium incepisse. De illo ita scribit Guilielmus Abbas S. Theodorici, sancti viri sanctus collega (loquitur Baronius) in vitæ ipsius primordiis. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, à constitutione domus Cisterciensis decimo quinto servus Dei Bernardus natus circa viginti duos annos Cistercium ingressus cum Sociis ampliùs quam triginta, sub Abbate*

Stephano suave jugo Christi collum submisit. Ab illa autem die, dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines suas. Angliam intelligit, ubi Cesterciensis Ordo florentissimus fuit, ut infrà patebit.

ANNUS CHRISTI 1114.

PASCHALIS II. PAPÆ 16.

HENRICI PRIMI REGIS 15.

I. Cantuariensi Ecclesiæ Episcopus præficitur.

ANnus Christi centesimus decimus quartus supra millesimum, Cantuariensi Ecclesiæ serenus illuxit: cum luctu mœroreque posito, sponsum accepit, libertate donata, quam laicæ manus abstulerat. Luxisset illa diutiùs, & captiva porrò gemuisset; nisi Paschalis Pontifex, nisi Anglorum Episcopi, nisi ipsa Cantuariensis Ecclesia, pro asserendâ libertate laborassent. Henricus itaque triplici hoc funiculo tractus, moras ultra non nexuit: in eo commendandus, quod suo voto nihil indulgens, eligendi idoneum, aliis fecerit liberam potestatem. quod Malmesburiensis ita exponit. *Postquam venerabilis memoriæ Anselmus, inter corporis nodos evadens, huic vitæ valefecit; vacavit Episcopatus pleno quinquennio. Hoc toto spatio, cum Rex admoneretur, ut matris suæ Ecclesiæ viduitati consuleret, mitis responso differebat: Optimos fuisse Archiepiscopos, quos Pater, Fraterq; misissent: se nolle à parentum felicitate degenerare. Quocirca magno scrutinio debere agitari consilium: ut eum poneret Archiepiscopum; qui vel æquis passibus virtutum antecessores suos consequeretur, vel æmularetur proximis. Talia responsa videbantur plena juris, & æqui: & erant planè. Diu ergo multumq; librato consilio, Concilium Windlesoris coegit, summam manum negotio impositurus: eratq; mentis propositum, ut eligeretur Faricius Abbas Abendonensis, vir ingentis acrimoniæ, & insignis industriæ, ad ea quæ cœpisset explenda. Nihil tamen in Archiepiscopi duntaxat electione, voto indulgens suo, in commune arbitrium refudit electionem. Quod & tunc, & aliàs insigni continentiâ fecisse dignoscitur; ipsorum in divino examine interesse, quo animo judicium sibi delegatum ventilaverint.* Ita ille, de Synodo, apud Windsor, quæ hoc anno sub Aprilem mensem habita, viduis Ecclesiis pluriorum profuit. quamobrem in ea diutius hærendum. & quoniam Edmerus Synodo interfuit, notavitque singillatim quid in ea actum, erit pretium operæ ipsum audire.

Malmesb. de Pont. l. 1. fo. 230.

Vacavit Cantuariensis Ecclesia 5. annis.

II. *Edmer l. 5. fo. 109.*

In conventu Procerum de eligendo Pontifice agitatur.

Peracto penè quinquennio (inquit, à morte Anselmi) *Rex Henricus, & monitis Domini Papæ, & precibus Fratrum Cantuariensium, aliorumq; multorum: immo quod maximum est, instinctu Dei permotus, Episcopos & Principes Angliæ, in unum apud Windlesoram fecit venire: eorum consilium, in constituendo Pontifice Cantuariensi volens habere. Invitati etiam sunt Radulphus Roffensis Episcopus & Prior, & nonulli Fratres Cantuariensis Ecclesiæ, Curiam venire, ignorantes certitudinem causæ propter quam invitabantur. Ivimus ergo illuc. Quamplures verò, nobis euntibus obviantes; & se à Curia venire, & nos absque omni contradictione, Abbatem Abendoniæ, Faricium nomine, Archiepiscopum habituros asseverabant. Quod nos industriam hominis probatam habentes, gaudenti animo amplectebamur. Placeret solummodò Dei voluntati: in quo totam spem nostram locaveramus. Quid multa? Ad Curiam venimus, & ecce omnia plena erant, de Abbate quæ audieramus. Et revera regia voluntas hoc proposuerat: ac propter id ipsum, jussus à Rege idem Abbas, Curiæ se præsentaverat. Animus tamen Episcoporum, & quorundam Magnatorum in aliud vergebat: præoptantium videlicet, aut quemlibet Episcopum de ordine Clericali, aut Clericum aliquem de Capellâ Regis, in opus illud asciscì. Verùm ubi eis objectum est, nullum a Beato Augustino, nisi de Monachico ordine, unquam Pontificatui Cantuariensi præsedisse, uno duntaxat excepto, qui & ob hanc præsumptionem, & alia quædam perversè ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit. & ea tam antiquam, & autenticam consuetudinem; cum nulla ratio, vel necessitas exigeret; subverti non oportere; desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt.*

Nemo è Clericis præter Stigandum Cantuariæ sedit.

III. Intelligit Author Stigandum, qui è Clericali gradu Cantuariensem Sedem perperam ingressus, descendere inde coactus est: priorusque & solus ex eo ordine, primæ Sedi præfuit. Frustra ergo se torquent Parkerus, Godwinus, & Seldenus, nuperæ factionis homines, dum nodum in scirpo quærentes, contestatam hic Monasticæ consuetudinis prærogativam convellere conantur, Nothelmum, Cuthbertum, & alios proferendo: quos & supra Monachos fuisse, abundè probatum est: & ex hac Synodo, si alia deessent argumenta, manifestè colligitur. Quis enim credet, aut toti Synodo impositum; aut tam illiteratos in ea fuisse, qui fraudem, si fuisset, non adverterent. præsertim cum Parkerus scribat. *E magnatibus autem complures, qui Monachos odisse cœperunt, aliquem è Regiis Capellanis, aut secularibus Clericis, ad Archiepiscopalem dignitatem sumi volebant.* Si in hac Synodo Monachos oderant, & odii impetus Magnates plerumque rapit ad omnia prætensi juris per fas & nefas adminicula; Si *plurimo conatu laborarunt Episcopi*, cur tam supini fuerunt, in tundendâ Monachorum arrogantiâ; si vel levis arrogantiæ macula fuisset? Sed oculatiores sunt nostri temporis hæretici; & in fidei, factorumque circumstantiis, mysteria vident, scilicet, quæ priora & proximiora sæcula latuerunt. Et quia Laurentium, Augustini nostri successorem, Beda semel *Presbyterum* vocavit: ideo errasse hæc Synodus convincitur; quod Monachorum intercessionem admiserit, silentioque probaverit. Vide quæ dixi tomo secundo, cum Laurentium & Bedam Presbyteros appellavi: quæ nuncupatio, tam Monachorum, quàm sæcularium Clericorum ordinem illustrat; neutrum obscurat. & clarè patet antiquam & autheoticam consuetudinem fuisse, Monachos Cantuariensi Ecclesiæ præficere: cum nec Episcopi, nec Magnates; licet plurimum conarentur; enervare illam aut excipere potuerint. nunc Synodi reliqua prosequamur. ubi adverti cupio. antiquam consuetudinem, à tota Synodo admissam, assertam, probatamque. nam sequitur.

Parkerus in Laurentio & Odone. Godwin. in Rodulpho. Selden in notis hic fo. 212.

Antiq. Britan. in Rodulpho fo. 123.

V. an. 619. n. 2. 3.

Cur Laurentium et Bedam, Presbyteros vocavit.

IV. *Edmer. l. 5. fo. 110.*

Rodulphus eligitur Cantuarien. Archiepisc.

Disponente igitur providentiâ summi Dei, in prænominatum Roffensem Episcopum (Rodulphum) *subitò versa Episcoporum sententia est. Illum, scilicet, in Primatem totius Britanniæ constitui cupientium. & assensum Regis, in hoc sibi cooperari postulantium. Ad quod Rex mutatâ mente, quam in promotione*

Abbatis

Abbatis habebat, libens in eâ, quæ de Episcopo suggerebantur, animum transtulit: Vellent tantummodo Monachi, natuq; majores, & populi Cantuarienses. Nec mora; requiritur quale sit in istis velle: eorum, & vota omnium inveniuntur esse unum. Refertur in turbam negotii summa: & in laudem Dei laxantur pro hoc omnium ora. Sic electus in Pontificatum Cantuariensem Radulphus Roffensis Episcopus est: & inexplicabilis lætitia, omni multitudini quæ confluxerat, exinde procreata. Mira namque affabilitas, quæ ad cunctos in eo vigebat: & eum magnopere diligi, & honori ejus adgaudere, quemque bonum faciebat. Audires interea (si adesses) multos unà conclamare: Verè cor Regis in manu Dei. Quocumque vult, inclinet illud. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo decimo quarto. sexto Calendas Maii. quinto die peracto quinquennio à transitu gloriosissimi Patris Anselmi. Hactenus Edmerus, nec aliud in Synodo actum: nisi fortè decreta tunc in Britannos expeditio: qui Anglorum cervicibus imminentes, eorum agros, provinciamque vexabant, de quibus postea: quia Ecclesiastica placet conjungere. Matthæus Paris Rodulphum scribit per annulum & baculum ab Henrico Rege investitum. de quo infrà.

Paris an. 1113.
V. an. 1119 10.

V. Rodulphus à Synodo in primam Sedem electus, multò primùm applausu Cantuariæ excipitur. inde, quæ hominum inconstantia est, lætitiam luctus excepit. de quo Edmerus. *Venit Rodulphus* (inquit) *Cantuariam, decimo sexto Calendas Iunii: & gloriosè, à Clero & populo susceptus est: atque ab Episcopis (qui ob hoc convenerant) loco Pontificis sublimatus. Egit autem primos introitus dies, in magnâ gloriâ, & diviti rerum apparatu, gaudentibus cunctis, & Deum collaudantibus; quod jam tandem, post diuturnam expectationem, Ecclesia sua Pastorem, non de externis, sed de domesticis instituere dignatus sit.* Domesticum vocat Rodulphum; qui licet in Normanniâ natus, & Sagiensis ibi Abbas extiterit: è diuturno tamen in Angliâ domicilio, priùs etiam quàm Episcopus esset, domestici cognomentum meruit: provincialibus tamdiu gratus, quamdiu eorundem beneficiis obnoxius. Sed in sublimi positus, & Anglis omnibus major; humanitatem, quo Anglorum pectoribus irrepserant, vel exuit omninò, vel acrimoniâ temperavit. Unde sequitur in Edmero. *Posthac, semotis è Dominatu iis, qui Pontificatus dominari solebant, locavit suos; ut sibi quidem melius videbatur: & sensus plurimorum; necne volunt ii ab eo, quo fuerant super ipsum, diminuta sunt: ac fama illius, quæ antehac ab omnibus prædicabatur; à multis, vulgi more, sinistrorsum detrahebatur.* Tunc, opinor, Domesticus ultra non audivit, cum mores Angliæ quos induisse videbatur, exuisset. Et sicut plures alios, ita ipsum hoc tempore, Anglum esse puduit. Adeo Deus Anglorum gentem justissimè presserat: ut cælum, terraque ad eam humiliandam conspirasse videatur. Unde sequitur in Edmero.

Edmer. l. 5 fo. 110.
Rodulphi exordia læta, non item sequentia.
V. an. 1108. n. 16.
Edmer. sup.

VI. *Inter hæc Rex Henricus Normanniam ire parabat: Francos suosq; vicinos, sibi inimicitias extruentes, paci subigere, quâ pridem erat industriâ, volens. Sed nè quid in Angliâ, se abeunte, maneret indispositum; Monasteria cuncta, quæ jam diu cura pastorali fuerant destituta; consilio Episcoporum, & Principum suorum, locatis personis, in hoc officium ordinavit. Quod si aliqui eorum, lupi magis, quàm Pastores effecti sunt, ipsi viderint. Rex eos, ut Pastores, non lupi essent (sicut credi fas est) collocavit. Quod tamen credibilius fortè videretur; si non omnes ex alienigenis; sed aliquos saltem ex indigenis terræ, non usquequaque Anglos perosus, tali ministerio substituisset. Vita etenim meritum, ac regularis observatio disciplinæ, necnon prudentia rerum administrandarum, quæ oportebat, eis qui respuebantur, non minùs quàm iis inerat, qui assumebantur. Unum eos, natio scilicet, dirimebat. Si Anglus erat, nulla virtus, ut honore aliquo dignus judicaretur, eum poterat adjuvare. Si alienigena, solummodo, quæ alicujus boni speciem, amicorum testimonio prætenderent, illi ascriberentur; honore præcipuo ilico dignus judicabatur. Verùm in istis, nemo cujusvis injustitia Deum accuset, cum ejus dispositioni cuncta subjaceant: cum nihil injustè usquã disponat: cum interea nihil fiat sine causa.* Hæc Author: & Fides vaticinio fuit. quod Edwardi Confessoris tempore editum, nostro etiam sæculo revixit. nimirum *ex scelerum immanitate: quia non solum cædi & proditioni Angli insistebant: sed ebrietati & negligentiæ domus Dei dediti erant; inspiratum eis à Francia adventurum dominium: quod & eorum excellentiam deprimeret: & honorem sine termino restitutionis eventilaret.*

Edmer. l. 5. fo. 111.
Angli ab Henrico premuntur.
In vita S. Edwardi Confess.

VII. *Dum itaque Rex* (pergit Edmerus) *Ecclesiarum dispositioni operam daret, postulatus à Pontifice Cantuariorum est, quatenus sibi Monachum Ecclesiæ Cantuariensis, tunc quidem Abbatem Burchorum, Ernulphum nomine, redderet* (Burgi Monasterium intelligit, ubi Anselmus, è Priore Cantuarienti, Abbatem consecrarat) *ut eum Roffensi Ecclesiæ, loco Pontificis, sibimet ipsi subrogaret. Et hoc quidem faciebat: tum quia sapientiam & religionem hominis compertam habebat: tum quia ignotam personam super ipsam Ecclesiam, vel inter Fratres Cantuarienses immittere nolebat: tum etiam, quia se ex vicinitate ipsius multum sperabat adjuvandum in dispositione rerum suarum. Quod Rex perpendens, libenter annuit. Abductus igitur Abbas à Burcho est, & Cantuariæ in Capitulo Fratrum ab Archiepiscopo IV. Kal. Octobris, Episcopatu Roffensi, ex antiquo more investiens; convenientibus ad hoc, eumq; eligentibus Monachis, Clericis, & Laicis, ad ipsum Episcopatum pertinentibus, & alia hominum multitudine copiosâ. Qui electus, licet Ecclesiæ Dorobernensis Monachus esset professus; tamen antequam Episcopatu per virgam Pastoralem investiretur: tactis Evangeliis, promisit se, & fidelitatem Ecclesiæ Cantuariensi, & Antistiti ejus, per omnia servaturum; & nullo unquam molimine, aut occasione se intromissurum, vel assensum præbiturum; ut Ecclesia Cantuariensis dignitatem, aut potestatem, quam super Roffensem Ecclesiam catenus habuit, ullo modo perderet. Ut enim ista sponsio fieret, Archiepiscopus (qui Roffensis Episcopus fuerat) omnimodo expedire sciebat. Moratus est autem ipse electus Cantuariæ, penè quindecim diebus posthac. Ac demum VI. Id. Octobris ab Archiepiscopo Rhopham perductus, atque in Sedem Pontificalem, digno cum honore, à Clero & populo susceptus.*

Edmer. sup.
Ernulphus eligitur Roffensis Episcopus.

VIII. Ernulphus hic, Roffensis electus, is est, ad quem Anselmus plures literas dictavit. unas suprà recensui. Ejus natales, vitæque anteactæ rationem Malmesburiensis ita explicat. *Radulpho* (inquit) *ad Archiepiscopatum levato, Ernulphus successit. Is natione Gallus, apud Cœnobium Sancti Luciani in Belvacis, non paucum tempus, Monachus egit. Sed cum nonnulla plena insolentia videret: quæ nec emendare poterat, nec pati vellet; discessum intendit: quæsitu priùs à Lanfranco consilio, incunctanter*

V. an. 1105. n. 13.
Malmesb. de Pontif. l. 1. fo. 230.
Ernulfi exordia.

factus est,

factturus, quicquid ille jubendum putasset. Ille qui hominis industriam probe calleret (nam & apud eum, diu Becci studuerat) persuasit, ut ad se veniret; quia ibi animam suam salvare non posset. Venit ergo, & toto tempore Lanfranci, Monachus apud Cantuariam; ab Anselmo, Prior ibidem: mox apud Burgum Abbas: à Rudulpho, Episcopus apud Rofam constitutus est. Grave quidem memoratu, quanta probitatis, ac prudentiæ, in omnibus officiis fuerit. Cantiæ dejectam priorem partem Ecclesiæ, quam Lanfrancus ædificaverat, adeò splendidè erexit: ut nihil tale possit in Angliâ videre, in vitrearum fenestrarum luce, in marmorei pavimenti nitore, in diversi-coloribus picturis; quæ mirantes oculos trahunt ad fastigia lacunaris. In Burgo, Monachorum numerus auctus; religio bonis moribus confota, ædium veterum ruderibus deturbatis, nova fundamenta facta, culmina erecta: eaq; omnia, cum vorax ignis absumpsisset; meditanti reficere, honos Pontificalis impactus. Ibi, quamvis omnia jam facta viderentur (prævenerat enim vivacitas Gundulfi omnium successorum diligentiam) tamen semper aliquid comminiscens, ubi virtus enitescere posset: firmare antiqua, moliri recentia.

IX. Britanni in Anglos surgunt: solo premuntur.

Dispositâ Ecclesiarum œconomiâ: non priùs in Normanniam Henricus trajecit; quàm alteram quoque Remp. in tuto posuisset. Britanni, quos Cambros, & Wallenses dicimus, conterminis Anglorum finibus graves, Regis curam exercebant. Eorum vires olim Guilielmus Secundus fregerat; sed Cereticam regionem Caducano Britanno, sed Anglis amicissimo, permiserat: cujus filius Odoenus, *juvenis amentiâ præceps*, (inquit Camdenus) *pacis odio, Anglos, & advenas Flandros, assiduis excursionibus infestavit.* Idem à Griffino in Ordovicibus factum; qui Hugonis Cestrensis provinciam ingenti fiduciâ populatus, terrorem civibus incusserat. Henricus hoc classico excitatus, irarum plenus, & Britanno nomini extrema minatus, militem colligit, aciem trifariam dividit. uni Gilbertum Clarensem, contra Silures: alteri Alexandrum Scotorum Regem, & Hugonem Cestriæ Comitem, qui Ordovices frangerent, præficit. tertiam ipse totius exercitus Imperator ducit. Hoc bellico apparatu territi Britanni, fugæ præsidia quæsiverunt, provinciam Victori Anglo relinquentes. Tunc Henricus Cereticam, vulgò Cardiganshire, Gilberto Clarensi donavit: qui præsidia ibi per loca disponens, & castella muniens, Britannis servitutis jugum, quod priùs subire noluerunt, imposuit: & tunc demum, hoc, inquam, anno, in Normanniam trajecit. Unde benè Hovedenus è Wigorniensi ad hunc annum scribens: *Rex Henricus* (inquit) *postquam exercitum in Walloniam duxit, ante festum Sancti Michaëlis, mare transiit.* Sed corrige eundem Hovedenum, ubi dicit: *Arnulfus Abbas de Busch ad Herefordensem Ecclesiam eligitur Episcopus: corrige, inquam, & repone Roffensem Ecclesiam.* nam Reynelmus adhuc Herefordiæ sedet, sequenti tantùm anno moriturus.

Camd. in Cardiganth.

Sped. hic.

Hoved. & Wigor. hic.

X. Henricus vitæ periculum adiit, et evasit.

Videtur Henricus aliquoties in Britannos surrexisse: & fortè hoc anno non procul à vitæ periculo abfuisse. de quo Malmesburiensis, cum Flandrorum coloniam in Walliam ab Henrico deductam narrasset: *Nec eo secius* (inquit) *illuc expeditionem, pro temporum opportunitate, dirigebat. In quarum una, incertum cujus audacia, eminus insidiantis, arundine impetitus, probè & pulchrè evasit: fideliter hamatæ thoracis adjutus beneficio: & simul perfidiam frustrante Dei consilio. Sed nec tunc author telis eminuit: nec unquam postea investigari valuit: quamvis ille statim non hæsitasset dicere: sagittam non à quolibet Wallensi, sed à provinciali emissam, per mortem Domini nostri talia pronuncians: quem morem jurandi, vel ira nimietas, vel res seriatas, ab ore Principis extorquebat. Nam & eâ horâ, in proprio solo, non in hosticâ regione progrediebatur sensim, & cautè exercitus: ut nihil minùs quàm insidias quis opinari possit. Nec tamen intestini discriminis metu, pedem ab incepto retulit. donec Wallenses datis obsidibus, nobilium suorum filiis, cum aliquantâ pecuniâ, & multo periculo, regiæ magnanimitatis motum sedarent.* Ut postea ad ingenium redeuntes, Angliæ pacem turbaverint, dicam post annum sequentem: nunc ab acie, in Ecclesiam.

Malmesb. de Regib. l. 3. fo. 158. f.

V. an. 1116. n. 13.

XI. Pallium Radulpho ex Urbe petitur.

Radulphus Cantuariæ pallio carebat, maximo illius Sedis ornamento, & ad majori Sacerdotio initiandos necessario. Solebat quidem illud, non ab Urbe, per nuntios, sed in Urbe ab ipso initiando peti: verùm multorum vota precesque, Paschali porrectæ, electum à Romana profectione eximi supplicarunt. Inter eos, qui pro Radulpho supplices fuerunt, meritò primum locum Ivo Carnotensis Episcopus obtinet: qui ad Paschalem literas dedit, quas hic subjicio.

Apud Baron. hic.

Paschali summo Pontifici, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, devotam ut Patri obedientiam, & debitam ut Domino reverentiam.

Ivo pro Radulfo orat ut Pallium ei mittatur.

,, Quoniam in oculis Apostolicæ majestatis,
,, aliquam piè præsumo habere me gratiam.
,, Ea præsumptione aliquando cum aliqua spe
,, peto, ab eadem Sede Apostolica, ea quæ vi-
,, dentur esse contra rigorem Apostolicum, si
,, non sint contra honorem Apostolicum. Quia
,, non est indecens Sedi Apostolicæ cantare Deo
,, misericordiam & judicium. Cum ergo oppor-
,, tunum est; securus pulso ad thronum miseri-
,, cordiæ. Judicium sine ullâ disceptatione de-
,, bet omnis judex: de misericordiâ verò delibe-
,, randum est, utrum expediat. Hæc non igno-
,, rantibus scribo; sed ad hæc ista præmitto; ut
,, in quamcumque harum partium se vertat po-
,, stulatio meâ: aut petenti justitia non negetur:
,, aut piè pulsanti misericordiæ janua non clau-
,, datur. Quod benè discernere poterit vestra
,, Paternitas, cum summam nostræ petitionis au-
,, dieritis: & per præsentes Legatos adventus sui
,, causam cognoveritis. Novit enim vestra Pa-
,, ternitas, quanto tempore, post mortem bo-
,, næ memoriæ, Anselmi Archiepiscopi Cantua-
,, riensis, Ecclesia Pastore viduata languerit:
,, Quomodo Rex Anglorum bona Episcopalia in
,, usus sæculares usurpaverit: quanto studio
,, Episcopalem electionem ibi fieri non permi-
,, serit. nunc verò post increpationes vestras,
,, post multas Episcoporum Diœcesanorum ad-
,, monitiones, prætaxata Ecclesia, consensu Epis-
,, coporum, Rege tandem connivente, elegit si-
,, bi in Episcopum Radulphum Roffensem Epis-
,, copum, virum religiosum & honestum, scien-
,, tia, & moribus clarum.
,, Hic in propriâ personâ Sedem Apostolicam
,, visitare, secundùm majorum instituta delibe-
,, ravit. Sed eum partim corporis debilitas;

XII. Excusat eius an-

VENTUM ROM. OB INFIRMITATEM.

,, partim periculum Romani itineris deterruit.
,, Mittit itaque prædicta Ecclesia, vice electi sui,
,, religiosas personas: & dictis & scriptis obnixè
,, postulantes, ut prædictum electum Cantua-
,, tiensi Archiepiscopatui confirmetis, & digni-
,, tatem ei Pallii concedatis. Ego quoque affectu
,, fraternæ charitatis, & ausu Paternæ dilectionis
,, consulendo rogo, & rogando consulo; ut
,, etiamsi aliter fieri non potest: cum aliquâ ta-
,, men dispensatione, languenti Ecclesiæ subve-
,, niatis: & propter Ecclesiæ necessitatem; dein-
,, de propter utilitatem & honestatem personæ,
,, petentium supplicationibus aurem misericor-
,, diter inclinetis. Nisi enim medicinalis manus
,, citò præveniat, prædicta Ecclesia in veteres
,, ruinas relabetur, & vox dilatoria potentium
,, sine modo, ultra modum protelabitur. Cum
,, enim Dominus noster, qui erat institutor Sab-
,, bati, misericordiæ opera faceret in Sabbato:
,, & redargueretur à Judæis, quod solveret Sab-
,, batum, spicas discipulis vellentibus: eorum
,, murmurationi respondit: Si intellexissetis: Mi-
,, sericordiam volo, & non sacrificium; nun-
,, quam condemnassetis innocentes. Et alibi:
,, An nescitis; quia filius hominis, Dominus est
,, etiam Sabbati? Per hoc Doctores informans
,, quia tunc possunt Legum rigorem, propter
,, necessitates Ecclesiasticas, temperare: quando
,, ipsa Legum remissio, nihil continet contra Fi-
,, dei veritatem, vel morum honestatem. His
,, exemplis admoniti securè pulsamus ad januam
,, misericordiæ, credentes non esse indignum, si
,, Apostolicus præceptum mittentis sequatur aut
,, exemplum. Postremò quantùm potest mens
,, humana, de alieno corde pensare; sanum no-
,, bis videtur esse consilium: ut eum paternè
,, suscipiatis: quatenus vos liberalem filium &
,, fidelem vobis adoptasse gaudeatis. Hactenus
Ivo. quem non diu superstitem, à scriptis his literis Baronius suspicatur.

XIII. NUNTII ROMAM A RADULFO MITTUNTUR.

Cæterùm Legati, quorum hic mentio, quos Cantuariensis Ecclesia in Urbem misit, ab Edmero nominantur, aliæque referuntur literæ pro Radulpho ad Paschalem datæ. *His diebus* (inquit) *missi sunt Romam nuntii, qui Pallium Archiepiscopo Cantuariensi ab Apostolicâ Sede deferrent. Fuerunt autem hi. Ioannes Monachus Sagis, qui paulò ante hos dies, in Abbatem Buchorum, post prosatum Ernulphum electus fuerat, & consecratus: VVarnerus Monachus Cantuariensis, & Ioannes Clericus filius sororis Archiepiscopi: Qui Romam venientes, literas Regis Anglorum, & Archiepiscopi, Conventus quoque Fratrum Ecclesiæ Cantuariensis, & singillatim omnium penè Episcoporum Angliæ, Domino Papæ detulerunt. Quorum literarum unas de omnibus hic ponere non abre æstimavimus: volentes & aliarum sensus per illas agnosci. Sunt igitur hæ.*

Edmer. l. 5. fo. 112.

Domino sanctæ universalis Ecclesiæ summo Pastori, Paschali: Conventus Ecclesiæ Cantuariensis, fideles orationes, & totius sanctæ devotionis obsequium.

XIV. CONVENTUS ECCLESIÆ PETIT

,, NOTUM esse non dubitamus gloriosæ Pa-
,, ternitati vestræ (piè Domine) quod Ec-
,, clesia Cantuariensis, Mater nostra, sanctæ
,, scilicet Romanæ Ecclesiæ specialis filia, jam
,, ab obitu beatæ memoriæ Patris nostri Ansel-
,, mi Archiepiscopi, per quinquennium, cura
,, Pastoralis officii, peccatis nostris exigentibus,
,, sit destituta. nuper autem respectu misericor-
,, diæ Dei, adunato conventu totius Anglici re-
,, gni, in præsentiâ gloriosi Regis nostri Henri-
,, ci, electus à nobis, & Clero, & populo est, ad
,, regimen ipsius Ecclesiæ, Radulphus Roffensis
,, Episcopus, nobis sufficientissimè cognitus, &
,, propter vitæ suæ meritum, & sanctæ conversa-
,, tionis effectum, toti regno valde acceptus.
,, Huic electioni affuerant Episcopi, Abbates, &
,, Principes regni, & ingens populi multitudo,
,, consentiente Domino nostro Rege, & can-
,, dem electionem laudante, suaque authoritate
,, corroborante. Quoniam igitur ita res se ha-
,, bet; mittimus ad vos, modis quibus possumus
,, supplicantes: ut quem ad sublevationem, &
,, consolationem Ecclesiæ suæ Deus (quantum
,, nobis datur intelligi) elegit: vestra sancta au-
,, thoritate, in quo electus est, confirmetis: &
,, ei Pallium, quod omnes Antecessores sui, à
,, sacratissima Sede Beati Petri consecuti sunt,
,, transmittere dignemini. Ne sanctitate vestrâ,
,, aures pietatis suæ precibus nostris (quod
,, Deus avertat) non inclinante; in pristinas mi-
,, serias, aliquo eventu, Ecclesia nostra (filia ve-
,, stra) relabatur. Ipsemet enim, tanta corporis
,, infirmitate gravatur; ut non sine magno peri-
,, culo sui, & detrimento omnium nostrum,
,, valeat hoc tempore vestigiis vestris se præsen-
,, tare. Sanctum Apostolatum vestrum omni-
,, potens Deus dignetur ad honorem suæ sanctæ
,, Ecclesiæ per multa tempora incolumem con-
,, servare, dignissime Pater. Amen.

ELECTUM CONFIRMARI, ET PALLIO ORNARI.

XV.

Quid ad hasce, & aliorum literas, Paschalis responderit; dicam anno sequenti. Interim Henricus Rex in Normanniâ provincialium animis illapsus, filium suum è Mathildâ genitum, Guilielmum nomine, Normanniæ Ducem creat; creatoque fidei Sacramentum ab omnibus præstatur: quod postea magnæ controversiæ cardo fuit: quibusdam stomachantibus, Guilielmum alterum, Roberti, Regis fratris filium à principatu ad quem natus erat excludi: & luere parentis errores, quos non commiserat. Utriusque infortunio exasperati quorundam animi, discordiarum in Normanniâ, bellique quod successit, seminarium fuerunt. Sed Henricus noster, Henrico Imperatori, hoc anno, affinitate conjunctus, par hostibus, & superior fuit. Mathildis ejus filia, quam ab Henrico altero in uxorem postulatam, missamque suprà dixi; nunc pubes, & apta viro, solenni cerimoniâ, & lege matrimonii, viro datur: & in Imperatricem Moguntiæ consecratur. quod fieri priùs non potuit, ob ætatis defectum. Hæc prospera: adversa fuerunt, & passim in Annalibus notantur, duorum elementorum pugnans conditio, ignis, & aquæ. hæc passim deficiens, ingentia flumina, Thamesim, & Trentam arefecit: & siccos alveos transeuntibus exhibuit. ille exundans ferociùs desævit, tecta, domos, urbes depopulans.

MATHILDES HENRICO IMPERATORI CONJUNGITUR.

V. an. 1109. n. 18. 1110. 6.

XVI.

Sensit hoc Cicestria, urbs in Suffeziensi agro; quam hoc anno ignis invasit: de quo Hovedenus: *Civitas Cicestria*, inquit, *cum principali Monasterio, per culpam incuriæ, tertio nonas Maii, feriâ tertiâ, flammis consumpta est*. Enituit tunc Radulphi Cicestrensis Episcopi pietas, & industria: cujus constantiam suprà laudavimus. Hic Regem

Hoveden. hic.

V. an. 1105. n. 28.

impulit;

impulit; ut junctis secum viribus, Ecclesiam igne consumptam, non reficeret modò, verùm etiam nobilius excitaret. ut advertit Camdenus, cum agrum illum lustrat. *Radulphus Episcopus*, inquit, *Ecclesiam* (Cicestrensem) *construxit: necdum supremam manum imposuerat, cum fortuito incendio conflagravit. Ejus tamen opera, & Regis Henrici Primi munificentia, ab integro, majori elegantia restaurata surrexit.* Non omisit hanc laudem Malmesburiensis, sed Radulphi encomium texens: *Religio, inquit, & animositas viri magnam sibi apud Regium animum laudem paravit: ut ipsi omnia remitteret; subinde dictitans; pauperem esse Episcopatum, Ecclesiam esse absumptam* (& certè Maii quinto, anno millesimo centesimo quartodecimo incensa conflagraverat, ut inserta parentesi notat † Godwinus) *non deberi tributis expilari, sed oblationibus augeri. Ita constans innocentia hominem spectabilem fecit: ut Rex qui aliis auferret, ipsi libens, & submissim daret. Denique Ecclesiam suam, quam à novo fecerat, cum fortuitus ignis* (ut dixi) *pessundedisset, liberalitate potissimùm Regis, brevi refecit.*

Camden in Sussex. RAOULFI CICESTREN. EPICOPI INDUSTRIA, ECCLESIA COMBUSTA RESTAURATUR. * *Malmesb. de Pontif. l. 2 fo. 257. b.* † *Godwin. in Cicestren.*

XVII. MORITUR THOMAS EBORACEN. EPISCOPUS. *Malmesb. de Pontif. l. 3 fo. 274 mo.*

Moritur hoc anno Eboracensis Archiepiscopus Thomas, hoc nomine Secundus, *expers* (ut credebatur, inquit Malmesburiensis) *ab adolescentiâ fœminarum, sed & obscœnitatum omnium: dapsilis exemplo suis ad omnes: prædicandæ pietatis, & favoris in Clericos. Decessit juvenis, vix quatuordecim annis functus gradu.* Est sanè dignum Annalibus, quod de hujus viri continentiâ passim refertur. Hovedenus ita scribit ad hunc annum. *Thomas junior, Eboracensis Archiepiscopus, sexto Calendas Martii, feriâ tertiâ obiit. Quo ægrotare incipiente, dixerunt ei Medici sui, quod non convalesceret, nisi per coitum. Quibus ille respondit. Væ ægritudini, cui competit medicina luxuriæ. Et sic virgo electus à Domino vitam finivit temporalem.*

Hoved. ibid. EIUS CONTINENTIA.

Quod à Godwino nuperæ factionis Episcopo, Thomæ Godwini ejusdem creationis Episcopi filio, sic effertur. *Cum annos quinque & menses ferè novem Thomas sedisset, in morbum incidit: quem letalem medici pronuntiarunt, nisi fœminæ vellet uti consuetudine. Maluit ille castus interire, quàm dignitatem Pontificalis maculâ tam pudendâ vitam redimere, atque ita decessit, Februarii nimirum decimonono, anni millesimi centesimi decimi quarti, propè patruum sepultus.* Si fœminæ commercium, Pontificali dignitati pudendam maculam, ad extremum vitæ discrimen avertendum, adfert: cur non puduit utrumque Godwinum, citra ullum vitæ periculum, pudendæ maculæ notam incurrere: sed ignosco, quia quod in græcâ, latinaque Ecclesia nævus censebatur, & Pontificali dignitati pudenda macula: de vero id orthodoxoque Sacerdotio, debet intelligi: non de illo, quod è modernâ tripode, & plebis officinâ descendens, populari suffragio stat, caditque.

Godwin. in Eboracen.

XVIII. EIUS OPERA PIETATIS.

Et reverà Thomas altioris erat classis fideique: & operum sanctitate credidit, acquiri beatitatem posse. Unde à Monasteriorum erectione, & ornatu Ecclesiarum laudem ei tribuit idem Godwinus. *In Ecclesiâ suâ Eboracensi* (inquit) *duas de novo præbendas erexit: Canonicos Regulares Hagustaldæ collocavit. Prædia nonnulla pretio comparata, Suthwellensibus dedit Canonicis, & easdem immunitates illis impetravit, quibus Eboracenses, Beverlacenses, & Ripponenses gavisi noscebantur.* Hinc corrige Joannem Spedum in Catalogo, ubi Regulares Canonicos à Thoma Eboracensi Episcopo institutos ait, tempore Henrici Secundi, quo regnante nullus in Eboracensi Sede Thomas legitur. Sed satis de Thoma: nunc de successore ejus.

XIX. THURSTANUS ELIGITUR EBORACEN. EPISCOPUS. IIERUM ARCHIEPISCOPI DE PRÆROGATIVA CONTENDUNT. * *Hoved. ibid.*

Cum Sedes semianno vacasset, Thurstanus è Regio Sacello, ad Sedem illam assumitur: qui curiali morbo laborans, consecrari quidem à Radulpho petiit; noluit tamen professionem faciendo, Monacho subesse, Thomæ verus in contumaciâ successor. Nec minus alter Anselmi verus successor, in tundendo, premendoque homine constans fuit. Unde controversia hoc anno nascitur, quæ plures annos urbem & orbem nostrum, Principes populi, & Clerum vexavit. Ad hunc annum quod attinet; * Hovedenus ita scribit. *Turstinus* (Thurstanus dicitur cōmuniùs) *Regis Capellanus, ad Eboracensem Archiepiscopatum, die Assumptionis Sanctæ MARIÆ eligitur Wintoniæ.* Addit Huntindonius: *Inter Radulphum verò, & Thurstanum Archiepiscopos, orta est magna dissensio: quia Eboracensis Cantuariensi, de more subjici nolebat. Causa autem sæpè coram Rege, sæpè coram Apostolico ventilata est, sed necdum definita.* Quid actum in hac quæstione, quoties Romana Sedes appellata, in causa Cantuariensis Ecclesiæ: quoties ab Eboracensi facta intercessio: quem demum sortita finem est controversia, patebit è dicendis infra.

ANNUS CHRISTI 1115.

PASCHALIS II. PAPÆ 17.

HENRICI PRIMI REGIS 16.

I. LEGATI A RADULPHO ROMAM PRO PALLIO ÆGRE AUDIUNTUR.

PERVENERUNT in urbem Cantuariensis Ecclesiæ Oratores, qui Regis Cleri populique preces, & litteras Paschali porrexerunt, pro Radulphi pallio supplices, anno Domini millesimo centesimo decimo quinto. Pontifex obliquis quidem oculis, auribusque omnia excepit; Regi regnoque subiratus. Unde responsum distulit; & distulisset longiùs nisi Anselmus junior, senioris è sorore nepos, in Anglicanæ Ecclesiæ causâ perorasset. Quid irarum Paschalis in Regem conceperit, ex ejusdem Pontificis Epistolâ constabit. Dicat interim Edmerus, qui illam refert, summam legationis. *Adhæc*, inquit, *qui missi fuerant, legationis suæ officium, quâ præditi erant prudentiâ, Apostolicis auribus suggesserunt. Sed responsum, quod eis alicujus causæ suæ effectus spem promitteret, primò recipere non meruerunt. Locuti sunt his & illis sibi non notis; & respondebatur eis sicut ignotis. Fluctuabant ergo; nec quò se tutò verterent, advertebant.*

Edmer. l. 5 fo. 112.

II. ANSELMUS JUNIOR LEGATORUM CAUSAM AGIT.

Erat illis diebus Romæ, Anselmus, nepos Anselmi Domini Archiepiscopi, Domino Papæ familiaris: & ab eo Abbas Sancti Sabæ Confessoris effectus. Qui in diebus beati avunculi sui, plurimo tempore in Angliâ degens, pro mansuetudine suâ, ab indigenis terræ, quasi unus eorum diligebatur. Hic audito, præfatos nuntios advenisse; alacer ad eos Lateranis venit: & in cunctis, quæ negotii sui tenor exigebat, ergà eos, morem veri amici sequens, exercuit. Quid plura? Romanum Pontificem, & quorum consilio utebatur, communicatâ instantiâ, ita causæ illius fautores effecit:

IN ANGLIAM PRO TRADENDO PALLIO MITTITUR.

ut gratis omnino, voti sui compotes fierent. Et ipsum Anselmum (qui Pallium pro quo iverant, ex parte Beati Petri, & Domini Papa Cantuariam deferret) tradente illud eodem summo Pontifice per manum, acceperint. Quibus peractis, nuntii Roma regrediuntur: Anselmo, pro iis quæ sua intererant, cum Papa relicto. Venientes igitur in Normanniam ad Regem: quid egerint, edisserunt: & sua industria meritas laudes excipiunt. Inde directo nuntio in Angliam, qui Archiepiscopo gesta referret: ipsi adventum præfati Anselmi trans mare præstolantur. Qui adveniens, à Rege cum honore suscipitur: ac pro sua sollicitudine dignitati regni Anglorum impensâ, dignæ grates persolvuntur. Traditis deinde literis, ipsi à Papa directis, post aliquot dies cum eo exactos Angliam, nuntiis qui Româ venerant, comitatus impiger tendit. Hactenus Edmerus.

III. Hic plurium literarum mentio, à Paschali in Angliam datarum: quas quo ordine scriptæ sunt, rescram. unas, Anglorum nuntii ex urbe tulerunt, quæ ad Ecclesiam Cantuariensem scriptæ, ejusdem Ecclesiæ supra recitatis literis respondent: atque in hunc modum inscribuntur.

Apud Edmer. l. 5. fo. 114.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: Cantuariensis Ecclesiæ filiis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PASCHALI DISPLICET TRANSLATIO SEDIUM. IPSO INCONSULTO.

„ ECCLESIÆ vestræ Legatos benignè suscepimus, tanquam viros religiosos atque prudentes. Sed legatio, quam ad nos, cum vestris literis attulerunt: nobis non ingrata tantum, sed etiam gravis fuit. Significabatur enim, Roffensis Episcopi ad Metropolim vestram facta translatio, quod præter scientiam, & conniventiam nostram præsumi omnino non debuit; quia Sanctorum Patrum decretis inhibitum prorsùs agnoscitur. Pro religione tamen, & honestate personæ, quæ translata dicitur, nos hanc præsumptionem vestram toleramus: sed, nostrum ad vos Legatum in proximo dirigemus, largiente Domino; qui super hoc negotio, quæ fuerint disponenda disponat. Datæ Laterani XII. Calend. Martii.

IV. Paulò acriores Literæ Henrico Regi, à Paschali scribuntur, Anselmus illas porrexit: in quibus multa Pontifex conqueritur, in Angliâ fieri, in Romanæ Sedis, debitæque illi obedientiæ, præjudicium. Enimvero Rex introductæ à Normannis consuetudinis tenacior, quicquid à Patre, fratrévè factum, aut conatum, id sibi hereditario jure competere, illique mordicùs inhærere cupiens; Episcoporum ordinationes, eorundem translationes, & alia, inconsultâ Romanâ Sede, præsumpserat: quæ quia Normannicum potiùs quàm Ecclesiasticum sapiebant: Paschalis, ne iterum præsumantur, cavet: itáque Regem alloquitur.

Apud Edmer l. 5 fo. 112.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei: dilecto filio, HENRICO, illustri Anglorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PASCHALIS REGEM MONET, ET CONQUERITUR MULTA PRÆTER ORDINEM FIERI.

„ CUM de manu Domini largiùs honorem, divitias, pacemque susceperis: miramur vehementiùs, & gravamur, quòd in regno, potestateque tuâ, Beatus Petrus, & in Beato Petro, Dominus honorem suum, justitiamque perdiderit. Sedis enim Apostolicæ nuntii, vel literæ, præter jussum Regiæ majestatis, nullam in potestate tua susceptionem, aut aditum promerentur. Nullus inde clamor, nullum inde judicium, ad Sedem Apostolicam destinatur. Quamobrem multæ apud vos ordinationes illicitæ præsumuntur; & licenter delinquunt, qui delictorum deberent licentiam cohibere. Nos tamen usque adhuc, in his omnibus ampliori patientiâ usi sumus; sperantes per tuæ probitatis industriam, omnia corrigenda. Quid enim honoris, quid opulentiæ, quid tibi dignitatis imminuitur; cum Beato Petro debita in regno tuo reverentia conservatur? Hæc nimirum tantò nobis indigniora sunt, quamò familiariùs regnum vestrum, veterum Regum temporibus, Sedi Apostolicæ adhæsisse cognoscimus.

V. ANGLORUM REGUM ANTIQUA PIETAS.

„ Legimus quippe Reges ipsos, Apostolorum limina visitasse: & illic usque ad obitum commoratos. Legimus nonnullos Ecclesiarum Prælatos, & Magistros, ultrò illuc à Romanis Pontificibus destinatos. Pro his igitur apud vos pertractandis & corrigendis charissimum filium Anselmum, familiarem tuum, nunc Sancti Sabæ Abbatem, ad tuam Excellentiam destinamus. Per quem etiam tuæ, & Episcoporum petitioni, in causâ Cantuariensis Episcopi, quamvis contra authoritatem Sedis Apostolicæ, satisfecimus: Sperantes & vos deinceps Sedi Apostolicæ, in suæ dignitatis justitiâ satisfacturos. Alioquin si suam vos Beato Petro justitiam subtraxeritis; ipse quoque impostcrum suæ vobis subtrahet beneficia dignitatis. Quæ minùs literis continentur, vivis Legati vocibus explebuntur. Omnipotens Deus, suâ te dexterâ protegat, & in suâ dilectione perficiat. Eleëmosyna Beati Petri (prout audivimus) ita perperam doloseque collecta est; ut neque mediam ejus partem hactenus Ecclesia Romana susceperit. Quod totum tibi, sicut & alia, imputatur: quia præter voluntatem tuam, nihil in regno præsumitur. Volumus igitur, ut eam deinceps, pleniùs colligi facias: & per præsentem Nuntium mittas. Datæ Laterani tertio Kal. Aprilis.

VI. DEGENERARUNT NORMANNI PRINCIPES A PRIORUM REGUM PIETATE.

Eleganter hic Pontifex, injectâ majorum, & precedentium Regum memoriâ, Henricum degeneris animi, & pietatis arguit. Enimvero cum prima & puriora sæcula, Romanam Sedem omni semper conatu ornaverint; cum obsequio illam, & multo religionis cultu venerati sint: Cum omne imperium, ipsamque Insulam, Beato Petro submiserint atque consecrarint. Cum Ethelwolfus, Alfredus, aliique Apostolicam Sedem, peregrino more, visitaverint: cum Offa in Oriente, Coenredus & Burrhedus in Merciis, Cedwalla & Inas in Occidente, Reges, Romæ pietatis causa consenuerint. Mirandum sanè dolendumque, Henricum, eorum in regno successorem, tam procul à premendis eorum vestigiis recessisse: ut vario opere destruere conetur, quod illi extruxerunt. Illud porrò magis insolens, à majorum exemplo procul & minùs ferendum, Sacerdotii jura invadere, Romanæ Sedis judicia declinare, Episcoporum Sedes implere, Cantuariensi Ecclesiæ Antistites præficere, quos olim Romanus solùm Pontifex nominabat. Magnus

Gregorius

Gregorius Augustinum, Laurentium, Mellitum, Justum, Honorium miserat. qui Romanę imprimis oraculo sederunt Cantuariæ. Vitalianus, Theodorum; Leo Quartus, Wulfridum, Romæ electos ad primam quoque Sedem consecrarant. nunc dignitas illa, & Petri prærogativa, Regis arbitrio stat, caditque. Paschalis ista, per literas, & Anselmum conquestus, indulget tamen, quod Rex, & Insula postulaverat, honorem pallii, mittitque absenti, quod præsenti solùm dari consueverat. ratus hac indulgentiâ, & juris remissione; remissurum quoque Regem de prætenso Normannorum jure. Mandati executio. Anselmo committitur, cum Apostolici Legati munere. quod Cantuariensi Episcopo præjudicium, exulceravit potiùs Anglorum animos; V. an. 1100. n. 28. quàm lenivit. nam Guidonem priùs, Anselmus senior, & Insula non admiserat, ob Sedis prærogativam. Nec aliud Paschalis intellexit: cum in Literarum exordio dicit, Apostolicæ Sedis nuntios aliquando non admitti. Admissi quidem sunt, & cum honore (ut nunc junior Anselmus) excepti: sine tamen prætensâ Legatinæ potestatis plenitudine.

VII. Edmer. l. 5. fo. 113. PALLIO ARCHIEPISCOPUS INDUITUR.

Sequitur in Edmero: *Igitur Anselmus Angliam ingressus, Archiepiscopum adiit: à quo decenter susceptus, decenter est per plurimum tempus ab eo detentus. Die ergo Dominica, quæ fuit V. Cal. Iulii, convenerunt in Metropoli Sede, Cantii, Episcopi, Abbates, quique nobiles, & innumerabilis quaquaversum coacta hominum multitudo. Itaque juxta quod fuerat præordinatum, præfatus Anselmus, Pallium in vase argenteo honorificè ferens, Cantuariam venit: itumque est illi obviam, usque ad portam civitatis, ab utroque Conventu duarum Ecclesiarum, Archiepiscopatus scilicet, & vicinæ Abbatiæ Sancti Augustini, cum omnibus, qui pro hoc ipso, illo confluxerant. Pater stipatus Episcopis, & indutus (ut alii) vestibus sacris, nudis pedibus devotus occurrit. Sicq; delatum super altare Salvatoris pallium est: & à Pontifice inde susceptum. factâ priùs Romano Pontifici de fidelitate, & Canonicâ obedientiâ, professione. Deinde pro reverentiâ Beati Petri, ab omnibus deosculatur: & indutus eo Pontifex summus, ad Cathedram Patriarchatus Anglorum gloriosè perducitur, & inthronizatur.*

VIII. THEULPHUS CONSECRATUR WIGORNIEN. EPISCOPUS.

Ante, quam Cathedram, dictis orationibus, & aliis, quæ ipsius Ecclesiæ sacer usus dies instituit: mox Ecclesiæ VVigorniensis Antistes electus, Theobaldus nomine, ei consecrandus præsentatur. Qui ab eo examinatus, & more solito, Canonicam ei & successoribus suis obedientiam professus, sacratus est honorificè, in Pontificatum, ad quem fuerat postulatus. Huic consecrationi interfuerunt, & adjutores extiterunt Episcopi, qui convenerant Richardus, Lundoniensis; Rogerius, Serberiensis; Herbertus, Norwicensis; Radulphus, Cicestrensis; Ioannes, Bathoniensis; Hervæus, Eliensis. Quod Episcopus Roffensis, eâ die, licet affuerit, sacratus non fuit; in eo remansit, ratione detento; quæ in aliud tempus id differendum magis expedire persuasit animo ejus. Hæc de consecratione Theobaldi Edmerus. V. an. 1113. n. 5. nos suprà, Wigorniensem Episcopum, Sampsonis successorem, cum Malmesburiensi, Wigorniensi, aliisque passim, non Theobaldum, sed Theulphum appellavimus, quem etiam Harpesfeldus Theophilum vocavit. Godwin. in Wigorniem. Godwinus ita de illo: *Designatur Episcopus Decembris vigesimo, 1113. sed consecrationem non accepit ante vigesimum septimum Iunii, anno millesimo centesimo decimo quinto.*

IX. Edmer. l. 5. fo. 114. JOANNES CANTUARIEN. ECCLESIÆ ARCHIDIACONUS.

Post hos dies (prosequitur Edmerus) *consilio, & petitione Episcoporum proximè supranominatorum, dedit (concedentibus & approbantibus Monachis Cantuariensibus) Archidiaconatum ipsius Ecclesiæ Ioanni nepoti suo. Clerico videlicet honestorum morum & mansuetæ conversationis ad omnes. Quæ donatio facta est in Capitulo, præsente Fratrum Conventu, copiosa Clericorum & Laicorum multitudine, pro hoc ipso in medium adductâ: Facto prius ab eodem Ioanne, tactis Evangeliis, Sacramento: quo se fidelitatem Ecclesiæ ipsi, per omnia, & in omnibus exhibiturum, dum viveret, repromisit.* Cum hæc scripsissem, in Rogerum Hovedenum incidi, ita ad hunc annum scribentem. Hoveden. hic. *Radulphus Dorobernensis Archiepiscopus, ab Anselmo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato, quinto Calendas Iulii, die Dominica, pallium suscepit Cantuariæ: & ipso die cum magno honore consecratus est. Ibique fuerunt congregati totius Angliæ Episcopi. Teoulfus Wigorniensis Episcopus obiit. & Wilfridus Episcopus de Sancto David in Wallonia est, usque ad illum Episcopi extitere Britonici: cui Bernardus Cancellarius Reginæ successit.* Inaccuratè hæc ultima scribuntur, non Authoris, sed typothetarum vitio. Corrige ergo è Florentio Wigorniensi, unde Hovedenus illa deprompsit. & lege: VVigornien. hîc. *Ibi fuere congregati Episcopi totius Angliæ. Ipsoq; die magno cum honore consecratus est Theulfus VVigorniensis Ecclesiæ Episcopus. VVilfridus Episcopus de Sancto David in VValonia obiit, usque ad illum Episcopi extitere Britonici. Bernardus Reginæ Cancellarius ad Ecclesiam Sancti David in VValoniâ, decimo quarto Calendas Octobris Sabbato Præsul eligitur.* Ita Wigorniensis. unde alter corrigitur, & illustratur.

X. WILFRIDUS MENEVEN. EPISCOPUS MORITUR.

Obiit ergo hoc anno non Theulfus; sed Wilfridus Menevensis Episcopus: de quo non aliud scribit * Godwinus, quàm quòd, *VVilfridus, in VVallorum Annalibus, Griffri, ut fallor, appellatus, obiit anno millesimo centesimo decimo quinto.* Cæterùm, quod de † successore scribit, consecrato duodecimo die Julii ejusdem anni, παράδοξον est; & multò rectiùs ab Edmero consecrationis series, & tempus exprimitur, in hunc modum. *Interea Clerici Menevensis Ecclesiæ, quæ sub patrocinio Beati Andreæ, & Sancti David, in VValis fundata consistit: Episcopum sibi, defuncto Episcopo suo VVilfrido, à Rege Henrico postulavere. Et electus est in hoc opus, Bernardus quidam Capellanus Reginæ, vir probus, & multorum judicio, Sacerdotio dignus. Electus est autem Sabbato jejunii septimi mensis, & eodem die ad Presbyteratum à VVentano Episcopo VVillelmo, apud Southwercham consecratus. De promotione verò Pontificatus, quam mox in crastino fieri, & Rex, & alii plures optabant: cum ubi aptius fieri posset, disquireretur; intulit Robertus Comes de Mellento, supervacuè de loco dubitari: dum constaret Episcopum tali eventu electum, ex consuetudine, in Capella Regis debere sacrari: & hoc se probaturum (si opus esset) pronuntiat. Quod non æquum hominis dictum Pater Radulfus, parato animo ferre non valens; dixit eum hujusmodi allegatione leviter posse efficere; ut nec ibi, nec alibi, nisi Cantuariæ pro quavis causâ, Pontifex idem sacraretur. Sciret tamen Comes ipse; quia postquam de Capella tantum Regis dixit: nulla ratione se illum ibi consecraturum. Ad quæ Rex ad Comitem versus: Nihil est, inquit, quod intendis. Nec enim ego, aut quilibet alter potest Archiepiscopum Cantuariensem, aliquo modo constringere, ut Episcopos Britanniæ alibi consecret, quam velit ipse. Quapropter viderit. Suum est. Consecret Episcopum suum,*

* Godwin. in Meneven.

† BERNARDUS SUCCEDIT. Edmer. l. 5. fo. 116.

BERNARDUS CONSECRATUR MENEVENSIS EPISCOPUS, ET SUBJECTIONEM PROMITTIT.

ubi voluerit. Proposuit itaque illum in Ecclesia hospitii sui, apud Lambetam consecrare. Verùm quia ipsi officio Regina interesse volebat; postulatus ab ea, sacravit ipsum in Ecclesiâ Beati Petri VVestmonasterii XIII. Kal. Octobris: acceptâ, ab eo, solitâ professione, de subjectione, & obedientiâ Ecclesiæ Cantuariensi, & Episcopis ejus exhibendâ. Huic consecrationi interfuerunt, & cooperatores extiterunt, Suffraganei Ecclesiæ Cantuariensis Episcopi, videlicet hi: VVillelmus VVintoniensis, Robertus Lincoliensis, Rogerius Serberiensis, Joannes Bathoniensis, Urbanus Glamorganensis, Gilebertus Lumniensis, de Hibernia.

XI.
PROMISSIO ILLA PERPERAM POSTEA IN DUBIUM VOCATA.
V an. 1148. n. 10.

Cum hæc Edmerus accuratè scribat, cum emissæ professionis expressam faciat mentionem, testesque nominet plures Episcopos; mirum valde: cur Bernardus iste, à Radulfi morte, (nam antea eum puduisset) litem Cantuariensi Sedi moverit, servitutis jugum excutere laborarit, factamque Radulpho professionem negaverit, coram Eugenio Papa, in Rhemensi Concilio. Interim dico, patriæ amore peccasse Giraldum Cambrensem (qui sub finem dicti sæculi in Menevensem & ipse Sedem consecratus est) dum *falsos testes* appellat illos, qui de factâ professione testimonium in Synodo tulerunt. scribit enim sic: *Bernardus, primus Francorum, apud Meneviam Episcopus, Ecclesiæ suæ jura publicè protestans, post multas sumptuosas & graves, ad Curiam Romanam vexationes: demum nisi facta professionis, & subjectionis exhibita Cantuariensi Ecclesiæ, falsi testes, in Rhemensi Concilio, coram Eugenio Papa palam prodiissent; non inefficaciter reclamasset. Tribus enim fultus auxiliis, tam formidabiles tantæ causæ conflictus, confidenter est aggressus. Regis videlicet Henrici Primi familiaritate subnixus plurima, & favore: tempore pacifico gaudens, & pacis sequela sufficienti. Adeóq; quidem ex nimia securitatis audacia, debito de jure quandoque præsumpsit: ut & crucem interdum sibi præferri, per Cambriæ fines attemptaverit.* Ita Cambrensis: *jus debitum* appellans, & *falsos testes*; quia ipse paulò post Menevensem Infulam gestavit. Et reverà, si de antiquo Britannorum jure, lis mota fuisset; non omnino Giraldus aberrasset. nam Davidem, primum Menevensis Sedis fundatorem, totius Cambriæ Metropolitam, & Apostolicâ legatione fungentem, tomo secundo appellavi. Verùm sub adventum Augustini, Cambriæ Sedes omnes Cantuariensi Præsuli subjectas fuisse, eodem tomo ostendi. nunc ad historiæ seriem redeo.

Girald. apud Godvvin. in Meneven.
V. an. 519. n. 7.
V. an. 604. n. 71.

XII.
CONVENTUS APUD WESTMONASTERIUM.
Edmer. l. 5. fo. 114.

Consecratur ergo Bernardus Episcopus, non in Julio, ut putat Godwinus, sed XIII. Cal. Octobris, ut Edmerus: nimirum, cum Episcoporum Synodus, & Magnatum Conventus ab Henrico Rege, hoc anno indicitur: de quo idem Author hæc narrat. *Eodem anno Henricus Rex jussit omnes Episcopos, & Principes totius regni, ad Curiam suam, sub uno venire. Unde rumor per totam terram dispersus est, Pontificem Cantuariorum generale Concilium* (præsente Legato Domini Papæ, cujus suprà meminimus) *celebraturum: & nova quædam, tantoque Conventu digna, pro correctione Christianæ religionis, in omni ordine, promulgaturum. Itaque ut Rex jusserat decimo sexto Cal. Octobris Conventus omnium, apud VVestmonasterium, in Palatio Regis, factus est. Et quod de Concilii celebratione, & Christianitatis emendatione, rumor disperserat: nihil fuisse, quæ confluxerat multitudo tandem advertit. Venit tamen illuc sæpe nominatus Anselmus, qui Pallium Cantuariam detulerat, deferens Epistolam ex parte Apostolicæ, Regi & Episcopis Angliæ, hunc textum habentem.*

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei: Dilecto filio HENRICO illustri Regi, & Episcopis Anglici Regni, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

XIII.
PASCHALIS REGEM ARGUIT QUOD ECCLESIASTICA PRÆSUMAT.

„QUALITER Ecclesia Dei fundata sit, non est à nobis nunc temporis disserendum. hoc enim pleniùs Evangelii textus, & Apostolicæ literæ profitentur. Qualiter verò Ecclesiæ status, præstante Domino perseveret; & referendum nobis est, & agendum. A Sancto siquidem Spiritu, Ecclesiæ dictum est: Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram. Super quâ Constitutione Paulus Apostolus præcipit, dicens: Manum citò nemini imposueris: neque communicaveris peccatis alienis. Quam etiam Apostoli sententiam Beatus Leo Doctor exponens: Quid est citò manum imponere; nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris; ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Quâ igitur ratione, Anglici regni Episcopis Sacerdotalis honoris confirmationem tribuere possumus; quorum vitam, quorum scientiam, nulla probatione cognoscimus. Ipse caput Ecclesiæ Dominus JESUS CHRISTUS; cum Pastori primo, Petro Apostolo Ecclesiam commendaret, dixit: Pasce oves meas, Pasce agnos meos. Oves quippe in Ecclesiâ, Ecclesiarum præpositi sunt: qui Deo filios generare, ipso donante, consueverant. Quomodo ergo vel oves, vel agnos pascere possumus, quos neque novimus, neque vidimus? Quos neque audimus, neque ab ipsis audimur? Quomodo super eos illud Domini præceptum implebimus, quo Petrum instruit, dicens: Confirma fratres tuos. Universum siquidem terrarum Orbem, Dominus & Magister noster, suis Discipulis dispertivit. Sed Europæ fines Petro singulariter commisit, & Paulo. Nec per eorum tantum; sed per successorum Discipulos, ac Legatos, Europæ universitas conversa est, & confirmata. Unde usque ad nos (licet indignos) eorum Vicarios, hæc consuetudo pervenit: ut per nostræ Sedis Vicarios, graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertrectarentur, seu retrectarentur.

EUROPA PER PRINCIPES APOSTOLORUM CONVERSA.

XIV.
EPISCOPORUM CAUSÆ A ROM. PONTIFICE TERMINANDÆ.
OPPRESSI AD ROM. SEDEM APPELLANT.

„Vos autem (inconsultis nobis) etiam Episcoporum negotia definitis: cum Martyr Victor, Ecclesiæ Romanæ Pontifex, dicat: Quamquam comprovincialibus Episcopis, accusati causam Pontificis scrutari liceat: non tamen definire * inconsulto Romano Pontifice, permissum. Zephyrinus quoque Martyr & Pontifex: Judicia, inquit, Episcoporum, majoresque causæ à Sede Apostolicâ, & non ab aliâ, sunt terminandæ: Vos oppressis Apostolicæ Sedis appellationem subtrahitis: cum Sanctorum Patrum Conciliis, decretisque sancitum sit; ab omnibus oppressis, ad Romanam Sedem appellandum. Vos præter conscientiam

* consulto.

Concilia celebranda non sunt, sine scientia Ro. Pontif.

„ nostram, Concilia Synodalia celebratis: cum Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ scribat: Scimus in Niceâ magnâ Synodo trecentorum decem & octo Episcoporum, ab omnibus concorditer esse corroboratum: non debere, absque Romani Pontificis scientiâ, Concilia celebrari. Quod ipsum scriptis suis sancti Pontifices firmaverunt: & aliter acta Concilia, irrita fieri statuerunt. Videtis igitur, & vos contra Sedis Apostolicæ authoritatem plurimum excessisse, & dignitati plurimum subtraxisse; & nobis pro nostri officii debito imminere: ut probatos habeamus, quibus Sacerdotalem conferimus dignitatem: nè contra Apostolum, manum citiùs cuique imponentes, communicemus peccatis alienis: quia juxta B. Leonis sententiam: Gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

XV.

„ Vos præter authoritatem nostram, Episcoporum quoque mutationes præsumitis: quod sine sacrosanctæ Sedis Romanæ authoritate, ac licentiâ, fieri novimus omnino prohibitum. Si ergo in his omnibus, Sedi Apostolicæ dignitatem ac reverentiam servare consentitis: nos vobis ut fratribus & filiis, charitatem debitam conservamus; & quæ vobis ab Apostolicâ Sede concedenda sunt, benignè & dulciter, Domino præstante, concedimus. Si verò adhuc in vestrâ decernitis obstinatiâ permanere; nos Evangelicum dictum, & Apostolicum exemplum, pedum in vos pulverem excutiemus: & tanquam ab Ecclesiâ Catholicâ resilientes judicio divino trademus; dicente Domino: Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, adversum me est. Deus autem omnipotens, & nobiscum vos in ipso esse; & nobiscum vos in ipso colligere, ita concedat; ut ad æternam ejus unitatem, quæ idipsum permanet, pervenire concedat. Data Lateran. Kal. Aprilis, Indictione octava.

XV. Ad satisfaciendum Paschali Legatio Romam decernitur.

Hæ Literæ, Conventus causa fuerunt: quarum recensione commotus Rex; ut pro Anglicanæ Ecclesiæ dignitate, responsum daret, Episcoporum, quorum intererat, suffragia postulavit. Pupugerat ejus animum, quod anno superiore, Legatus alter à Paschali missus in Galliam, Normannorum Episcopos suspenderat; facturus idem in Anglos, si Angliæ Rex & Episcopi silerent. Quid inde factum dicat Edmerus: *Rex adhuc*, inquit, *consilio cum Episcopis habito, quid super his, & quibusdam aliis, quæ animum suum plurimum offendebant, Papæ responderet, placuit in commune, ut suos nuncios mitteret: per quos quæ vellet, securius Papa mandaret. Nam ante hos dies, quidam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, functus legatione Apostolicæ Sedis, Cono nomine, Franciam venerat: & ibi juxta suæ legationis officium, generalia Concilia celebrans, Episcopos Normanniæ, ab Episcopali officio suspensos, excommunicavit: eo quod Conciliis tertiò vocati, interesse noluerant. Quæ Episcoporum excommunicatio, animum Regis valde reddidit conturbatum: & rationis esse duxit, super his Papam convenire. Maximè quòd in hujusmodi visus sit, privilegia Patri, & Fratri suo, sibique à Romana Ecclesia, jam olim collata, se non promerente, scidisse. Ad hæc itaque agenda, directus est VVilhelmus Antistes Exoniensis, Papæ notissimus: utpote, qui sæpè ad eum, tempore gloriosi Patris Anselmi, pro negotiis, quæ tunc inter Reges Angliæ, & eundem Patrem versabantur, ab ipsis fuerat Regibus destinatus. Nec enim cæcitas, quæ visum ei tulerat, ab ipso itinere, illum poterat excusare: quia præterita gesta ejus, fiduciam Regi præbebant; illum pro posse, juxta morem suum, suæ causæ fideliter velle insistere.*

Edmer. l. 5. fo. 116.

Exonien. Epicopus Romam pergit.

XVII. Et Paschali satispecit.

Quid in hac legatione Exoniensis Episcopus præstiterit, Edmerus non explicat. E Paschalis tamen silentio, qui porrò non processerit; concludi potest; eidem, Guilielmi oratione satisfactum. Unde Godwinus scripsit: *Memorabile est (si verum) quod perhibet de Gulielmo Exoniensi Hookerus, luminibus orbum, Romam à Rege Legatum profectum. Ac simultate inter Pontificem & Regem orta, pacem prudenter composuisse, & negotia denique animi ex omni sententiâ confecisse.* Quievit ergo Pontifex, & Episcoporum electionem Henrico Regi permisisse videtur. Cæterùm à visitatione Insulæ, mittendoque in Angliam Legato, qui Romanæ Sedis authoritate, ut hactenus, Insulam componeret, non quievit. uam iterum, sequenti anno, Anselmus; quod hoc anno perficere non potuit; Paschalis jussione tentabit. Sed quis Cantuariensis Ecclesiæ jura, ea legatione, petebantur, difficilem provinciam subibit, ut infra.

Godvvin. in Exonien.

XVIII. Moritur Reynelmus Herefordden. Episcopus.

Moritur hoc anno Herefordensis Antistes, Raynelmus, qui anno septimo hujus sæculi, ad Sedem illam consecratus: *Mansit in Episcopatu* (loquitur Malmesburiensis) *magnâ modestiâ, tum virtutibus cæteris, tum compunctione timoris Dei, ubique, & maximè inter Missarum agenda, lacrymis irriguus. nullius mali opinione infamis: nisi quod minus quàm decebat, & citra facultatem suam, esse dapsilis videbatur. discessit post paucos annos, vitio podagræ:* Addit Godwinus: *Videlicet Octobris vigesimo octavo, anni millesimi centesimi decimi quinti. sepultus creditur ab australi parte Presbyterii. crediderim potius in loca, Roberto antecessori suo assignata tumulatum.* Ita ille. *Accepit successorem* (inquit Malmesburiensis) *Gaufredum de Drvâ* (quem alii tamen Goffridum, alii Galfridum de Clivâ vocant: ego dixerim potius in Malmesb. legendum Gauffredum de Dina) *bonus quidem ille, & continentissimus, indifferenter cibis & vestibus, quæ minori pretio taxarentur, utens: Agriculturæ studens, terras Episcopatus, quæ ante exactionibus vectigalium multum læsæ fuerant, reparavit, & provexit. Quare & farre, & cæteris quæ victum ministrant, sufficiens; paulò tenacioris animi ad pauperes fuit. Lacerandam ergo famam suam meritò præbuit: quòd nullâ misericordiâ erga egentes motus, magnam copiam victualium nulli heredi reliquit.* Consecratus est, unà cum Ernulfo Roffensi Episcopo, sub finem hujus anni: de quibus ita Edmerus. *Ipso anno VII. Calend. Ianuarii, Radulphus Archiepiscopus sacravit Ernulphum in Pontificatum Ecclesiæ Roffensis: & Gosfridum ad regimen Ecclesiæ Herefordensis. Sacrati sunt autem Cantuariæ, in Metropoli Sede, convenientibus, & cooperantibus in hoc officio, Suffraganeis ipsius Sedis, VVilhelmo, Episcopo VVintoniensi; Herberto, Norwicensi; Radulfo, Cicestrensi; & Bernardo Menevensi.*

Malmesb. de Pontif. l. 4. fo. 287.

Godvvin. in Herefordeu.

Malmesb. supra.

Dinan est Ludlovv, *Camd. in Salopien. agro.*

Gaufredus Herefordden. Episcopus.

Edmer l. 5 fo. 117.

Ernulfus consecratur Roffen. Episcopus.

XIX.

De Turgoto suprà sæpiùs dictum. Ut factus Clericus, in Norwegiam fugerit. ut Olavum Regem ibi docuerit: ut rediens in Angliam, Monachus Dunelmi, inde Prior Cœnobio præfuerit. Denique ut electus & consecratus Scotorum Episcopus: restat ejus vitæ reliquum adnotare.

V. an. 1074 16. 17.
An. 1093. 31.
An. 1108. 19. 20.
An. 1109. 12.

nam

TURGOTUS MORITUR EPISCOPUS S. ANDREÆ.

Pits. in Turgoto.

nam mortuum hoc anno omnes consentiunt. Vir enim fuit tam eruditionis, quàm sanctitatis opinione clarissimus, meritò inter illustres Angliæ Scriptores, à Pitsio succenturiatus: qui de fine ejus vitæ ita scribit. *Mortuis Rege & Regina Scotorum* (Malcolmum & Margaritam intelligit) *statim ad Monasterium suum Dunelmense reversus, non multò post tempore, sanctissimæ vitæ finem optimum imposuit. Et ibidem in Capitulo, inter VValkerum, & Guilielmum, Episcopos Dunelmenses, sepulturam accepit, anno post Christum natum millesimo centesimo decimo quinto, dum rerum in Angliâ potiretur Henricus Primus.* Eo mortuo, Sancti Andreæ Sedes in Scotiâ Præside caruit, & animarum Pastore. Unde Alexander Scotorum Rex, ex Angliâ submitti virum qui Principem in Scotiâ Ecclesiam cum dignitate ornaret, scriptis ad Radulphum literis petiit, in hunc modum.

Apud Edmer. l. 5. fo. 117.

Domino & Patri charissimo RADULFO, Venerabili Cantuariensi Archiepiscopo: ALEXANDER Dei misericordiâ, Rex Scotorum, Salutem, & devotæ fidelitatis obsequium.

XX. ALEXANDRI AD RODULFUM CANTUARIEN. SUPPLICATIO.

„ NOTIFICAMUS vobis (benignissime Pater) quòd Episcopus Ecclesiæ Sancti Andreæ Apostoli, Dominus videlicet Turgodus II. Kal. Septembris migravit à sæculo. Unde valde contristamur tanto solatio destituti. Requirimus ergo vestrum consilium & auxilium, sicut confidimus in vobis, ut secundùm Deum, talem substituere valeamus, qui nos, & gentem nostram, per Deo placitam conversationem, regere, & docere utiliter sciat. Petimus etiam, ut recordari dignemini, quid vobis jam quadam vice suggessimus, de Episcopis Ecclesiæ Sancti Andreæ; quod in Antiquis temporibus, non solebant consecrari; nisi ab ipso Romano Pontifice, vel ab Archiepiscopo Cantuariensi. hocque tenuimus, & per successiones temporum, ex authoritate ratum habuimus: quousque Dominus Lanfrancus Archiepiscopus (nescimus quo pacto) absentibus nobis, & nostris; Thomæ Eboraci Archiepiscopo, illud ad tempus relaxaverat. Quod omnino, vestra, si placet, authoritate sublati, ut ampliùs sic remaneat, non concedimus. Nunc igitur, si ad id nobis, nostræque Ecclesiæ reparandum, vestrum adjutorium sperare debemus: quod humillimis votis desideramus, & petimus; secreto nobis certitudinem dignis vestris apicibus remandare curate. Valete.

XXI. AD QUEM SPECTET SCOTORUM EPISCOPORUM CONSECRATIO.

Quid ad hasce literas Radulfus rescripserit, non invenio: nec causam ullam, cur Alexander, aut Episcopos suos ab Eboracensi noluerit consecrari: aut Lanfranci factum accuset, antiqui temporis argumento. Constat enimvero, & nos *tomo primo probavimus, omnem Britanniæ Septentrionalem tractum, Eboracensi Archiepiscopo, ab ipsâ Ecclesiarum infantiâ, paruisse: idque Romani Pontificis authoritate sancitum. Quod si semel iterumque in legem illam peccatum est: id posterius fuisse videtur. nam Lanfrancus, ut conceditur, id indulsit: Anselmus etiam, in Turgoti inauguratione ideo intercessit; quia Thomas consecrationem necdum ipse acceperat: quo casu non ad Dunelmensem, sed ad Cantuariensem, prærogativam spectare contendit. Cæterùm litem illam, vel hoc anno, vel posteriùs motam; à Cælestino Tertio, Romano Pontifice compositam, anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, dicam ibi. Ille enim primus Scoticanam Ecclesiam ab Anglorum Metropoli exemptam, à Romanâ solùm Sede pendere statuit, atque decrevit. Porrò de sufficiendo in Andreanâ Sede viro (quod literis petebatur) qui Turgoto succederet; nihil hoc anno, vel sequenti dictum, factúmve reperio. Verùm post annos quatuor, idem Alexander, alteris ad Radulphum scriptis literis, Edmerum ad se mitti, & consecrari petiit Episcopum. Illum, inquam, Cantuariensem Monachum, Anselmi Comitem; quo duce, res hactenus à Normannorum ingressu gestas, quæ Ecclesiam imprimis spectant, exposui. Hunc virum Sede dignissimum Henricus Rex, & Radulphus Alexandro concesserunt: Ille in Scotiam ibit, manebitque aliquamdiu, sed mota rursum quæstio, de consecrationis, aut subjectionis prærogativâ, Edmerum nobis restituet.

* V. an. 185. 7.

XXII. DEDICATIO ECCLESIÆ S. ALBANI.

Paris an. 1116.

Terminavit hunc annum insignis Ecclesiæ dedicatio, à Sancto Albano nuncupatæ, quam Matthæus Parisiensis in historiâ consignat ad annum millesimum centesimum decimum sextum: ubi scribit: *In contermino præteriti & subsequentis anni, Rex Henricus, cum Reginâ suâ, ad Natale Domini, die scilicet Innocentium, interfuit dedicationi Ecclesiæ Sancti Albani, quam dedicavit Archiepiscopus Rothomagensis Gaufridus: sed cum præ magnitudine Ecclesia fatigaretur, subiit onus Robertus Lincolniensis, sub Abbate ejusdem loci Richardo.* Ita ibi. Sed fusiùs solennem hanc cærimoniam explicat: in vitâ ejusdem Abbatis: ubi inter ejus encomia, illam enumerat. *Ad ejus quoque*, inquit, *titulum spectat immortalem: quod Ecclesiam Sancti Albani, quam prædecessor ejus, Paulus fabricaverat immediatus, magnificè fecit dedicari, anno gratiæ millesimo centesimo decimo quinto, ab Archiepiscopo Rothomagensi Gaufrido, Londoniensi Richardo, Dunelmensi Ranulpho, Lincolniensi Roberto, Sarum Rogero, Episcopis. Abbatibus multò pluribus. Præsente etiam Rege Henrico Primo, & bonâ Reginâ Matilde, multisq; Comitibus, Baronibus, & Magnatibus, præclarisq; personis, Archidiaconis, Decanis, Presbyteris, & Ecclesiarum Custodibus, quorum numerus est incognitus præ multitudine copiosâ. Quinto Kal. Ianua. feriâ tertiâ. Qui vel omnes, vel pars potissima tam in Palatio, in conviviis, quàm in Ecclesia, in solemniis, in Curiâ Sancti Albani prandentes, & gaudentes, dies Natalitios, usque ad Epiphaniam in laudibus Beati Anglomartyris Albani honorificè continuarunt. Quibus & cunctis imposterum adventantibus, eâ die, ad tantam solennitatem, concessa est indulgentia multorum dierum.*

Idem in Abbate Richardo Ab. XV.

Eminuit inter convivas Henrici Regis pietas: qui ut idem Author refert in historiâ. *Dedit Ecclesiæ præfatæ Bissopescote, in dotem perpetuam: & chartâ sua solenniter confirmavit.*

Idem ad an. 1116.

ANNUS CHRISTI 1116.

PASCHALIS II. PAPÆ 18.

HENRICI PRIMI REGIS 17.

I. Conventus Regni apud Sarisberiam.

SOleo annum ab Ecclesia auspicari: ejusque rebus, quæ œconomiam, Fidem, & Deum spectant, diutiùs immorari: nunc debeo utramque Remp. regni, inquam, & Sacerdotii jura miscere. nam anno millesimo centesimo decimo sexto, Rex Henricus, utriusque Reip. Proceres in unum vocat, & regno primùm, civibusque consulit: Inde Ecclesiarum negotia tractari, & quorum intererat, definiri permittit. Quod si suffragium ejus; cum partes nolunt coovenire; imploretur. ipse qui Monarchiam inter politica eminere, & sartam tectamque esse cupit; prudenter admodum pro hierarchiâ Ecclesiasticâ dicit, facitque. nam unius defeosio, patrocinium est alterius: & Regius honor nunquam magis violatur, aut vilescit, quàm cum Ecclesiæ majestas jacet. Quo sensu verissimè dixit Prudentius: *Sprevisse templa, respuisse est Principem* Hoc ætas, & insula nostra, sapienter dictum intelligit. & idem indubiè intellexit Henricus Primos, cum pro Cantuariensis Ecclesiæ Principatu constanter egit; & secundæ Sedis, quæ subesse noluit, contumaciam fregit. Dicat hoc Edmerus, & gesta in Synodo, tempusque consignet.

Prudent. in Romano Martyre.

II. *Edmer l. 5. fo. 117.* Guilielmus Henrici F. hæres decernitur.

Posthac, inquit, *decimo tertio Kalendas Aprilis factus est conventus Episcoporum, Abbatum, & Principum totius regni apud Serberiam: cogente eos illuc sanctione Regis Henrici. Siquidem Normanniam se proximè transfretaturum disposuerat. Et quid sibi eventurum esset, ignarus; Wilhelmum, quem ex ingenuâ conjuge suâ filium susceperat, heredem regni substituere sibi valebat. Igitur agnitâ Regis voluntate; mox ad nutum ejus, omnes Principes facti sunt homines ipsius Willhelmi, Fide & Sacramento confirmati. Radulphus autem Archiepiscopus Cantuariensis, & alii Episcopi; atque Abbates regni Anglorum, Fide & Sacramento professi sunt, se & regnum, & regni Coronam, si defuncto Patre suo, supervixerent; in eum, omissâ omni calumniâ, & occasione translaturos: eiq; cum Rex foret, hominia fideli mente facturos. De his ita.* Ita ille. Erat unicus è legitimâ conjuge Guilielmus filius; quem priùs Normanniæ Ducem creatum, nunc Anglici regni heredem, ac Principem cob mandat, idque Senatusconsulto decernit. An plebis arbitrium accesserit, aut postulatum fuerit, nescio. nam Edmerus, ut supra, *conventum Episcoporum, Abbatum & Principum totius regni* vocat: Wigorniensis illo paulò senior: *Conventionem Optimatum, & Baronum totius Angliæ.* Hovedenus ita: *Comites & Barones totius Angliæ apud Salesberiam decimo quarto* Calen*das Aprilis convenerunt.* Nullus eorum, aut antiquiorum quos viderim, aliquis, populum oominat, aut plebis consensum. Adhuc enim omnia è Regis, Episcoporum, & Baronum ore, suffragioque, pendebant. Unde miror recentiores aliquos, Comitiorum formam hinc asserere; aut in hoc conventu, fundamentum jactum esse Parliamentarii moris, quem Reges postea admiscerunt. oam nulla hic populi mentio, apud Antiquos. & Stous, Hollinshedus, Spedus, qui populum intrudunt; illud priorum temporum argumeoto firmare debuissent.

Quinam ad Conventum venerint.

III. Populus testari potuit, non potuit suffragari.

Sed esto; ad homagium Guilielmo, Fidemque illi præstandam, populus confluxerit; jussusque sit, in Regis, & Procerum verba jurare: non videtur tamen suffragii jus, aut refragandi potestatem, habuisse. Sæpè enim ad solemniora, aut regni, aut Sacerdotii negotia, civium multitudo, quandoque etiam rogata, adfuit, spectandi, testandique quæ agebantur, non necessitatis causâ probandi. Et licet in Episcoporum electione, populi vota aliquando accesserint, ut nuper in Radulpho, è Roffensi Sede assumpto; Regum tamen inaugurationem, præsertim à Normannorum ingressu, qui nec prece, nec pretio, sed gladio rem suam egerunt, inauditum est hactenus à cujusvis suffragio pependisse. quod illis solum regnis proprium; ubi non nati ad regnum Principes, sed è Magnatum arbitrio eliguntur. Cæterùm à plebis populive votis, coronas aut Infulas stare, & cadere; quid commodi adferat, aut incommodi, sentit hodie gemitque Insula. Certè Fidei articulos, & rerum credendarum substantiam, in tali officinâ cudere, & inferioris subsellii plebiscito sancire, est sutorem ultra crepidam agere, cælumque vulgari palmo metiri. Sanctius ergò factum hoc sæculo, ubi de regni, & Sacerdotii jure, tantùm rerum publicarum Proceribus permissa disceptatio est; & rerum quidem Ecclesiasticarum tractatio, solis Episcopis. Quod si inter eos lis aut contentio nasceretur, illam Romanus Pontifex dirimebat: Regibus gladium suum, ad decreti firmitatem exerentibus. Id clarè cernitur in hoc Salesburiensi conventu, cum Radulphum inter & Thurstanum, de Sedis prærogativâ cootenditur. quod ab Edmero sic refertur:

IV. *Edmer. l. 5. fo. 117.* Contentio inter Cantuarsen. et Eboracen.

Habita quoque est his diebus, causa de querelâ, quæ inter Archiepiscopum Cantuariorum, & electum Pontificem Eboracensem, per integrum penè annum versata fuerat. Defuncto siquidem Thoma (cujus circa finem quarti libri mentio est) electus erat ad regimen prædicti Pontificatus, quidam de Clericis Regis vocabulo Thurstanus, connivente Radulfo Archiepiscopo; & aliam quam rei exitus probavit, de eo habente opinionem. Hic itaque electus, cum ab ipso Pontifice moneretur, ut Ecclesiæ Cantuariensi faceret quod debebat: & benedictionem suam Ecclesiastico more susciperet: Respondit: Benedictionem quidem se libenter velle suscipere: sed professionem, quam exigebat, & antecessores suos fecisse sciebat, nullâ ratione facturum. Cujus verbis, quia Radulfus, nec auditum præbere æquanimiter voluit: negotium ipsum eousque indeterminatum remansit. Ipse quoque Thurstanus, Legatos suos Romam direxerat; modis, quibus apud Romanos agi oportere sciebat, à Papa cupiens absolutionem debitæ professionis obtinere: sed nihil effecerat. Rex autem Henricus, ubi advertit Thurstanum, in suâ pervicaciâ stare: & tandem pervicaciam, quasi ex tuitionis suæ fiduciâ, fulcire, ac manutenere: rupit ei ipsius fiduciæ nodos, & apertè protestatus est, illum, aut morem Antecessorum suorum, tam in professione faciendâ, quàm & in aliis dignitatis Ecclesiæ Cantuariensi, ex antiquo jure competentibus, executurum, aut Episcopatu Eboracensi, cum benedictione, funditùs cariturum.

V. Thurstanus renuntiat Episcopatui.

Ad quæ ille, Clericorum, quasi dignitatis suæ libertati, fictâ reverentiâ acclamantium, suiq; cordis consilio, impræmeditatiùs credens, renuntiavit Pontificatui: spondens Regi, & Archiepiscopo, se dum viveret, illum non reclamaturum, nec aliquam calumniam

mde moturum, quicunque substitutus fuisset. Sed cum post dies, & consueta obsequia, & pristini honores circa se defectus magno paterent; tabescebat animo, & se fecisse quod fecit, vehementer indoluit. Quapropter mutato consilio, Regem trans mare cunctem secutus est, sperans se revestituram sui Pontificatus recuperaturum: & tali modo erga eum facturum, ut eo præcipiente, benedictionem ab Archiepiscopo, sine professionis exactione, adipisceretur. Cui negotio, cum se medium, nisi reus proclamande, Rex facere nollet, sciens Archiepiscopum abbominabile habere, tanto præcipitio se perenniter fieri obnoxium, suspensa res est: & nec ipse, nec alius quis in Episcopatum Eboracensem subilitutus. Hæc Edinerus. Mansit hoc dissidium, & vacua Eboraci Sedes, per sesquiannum. Tunc missis ad Paschalem nuntiis, Eboracensis Ecclesia, viduitatem gemens, pro Thurstano intercedit. Cujus ille voto, salvâ

V. an. 1117. 7. Cantuariensis Ecclesiæ prærogativâ, annuit, ut dicetur.

VI. ANSELMUS JUNIOR DECERNITUR LEGATUS IN ANGLIAM. QUID AD HOC REX? QUID EPISCOPI?

Interim nova ex uebe legatio in Angliam decernitur, Regi parùm, civibus, & Anglorum Ecclesiæ grata. Anselmus junior, qui nuper Pallium Radulfo tulerat, iterum cum legatinæ potestatis plenitudine redit; Henricum Regem in Normanniâ repetit. commissæ sibi potestatis literas aperit; Petit, sed non impetrat, Regis in obeundo munere patrocinium. Henricus enim prudentissimè vidit: & magnum inde nasci Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium; & Episcoporum præcipuè interesse, quid facto opus, decernere. Re ad Angliæ Episcopos delatâ, fuit aliquis animorum motus, quem Edmerus, qui interfuit, exprimit in hunc modum. Ipso anno (nimirum in quo sumus millesimo centesimo decimo sexto)

Edmer. l. 5. fo. 110. circa mensem Augustum, eversim à Roma supra memoratus Anselmus, venit Normanniam, ad Regem Henricum, literas Apostolici deferens: quæ sibi vices Apostolicas, in Angliâ, administrare concedebant. Quod regno Angliæ brevi innotuit. Admirati ergo Episcopi, Abbates, & Nobiles quique Lundonia adunati sunt, super his, & quibusdam aliis, præsente Reginâ, communi consilio tractatur. Quid multa? Placuit omnibus, Archiepiscopum Cantuariensem, quem res hæc maximè respiciebat, Regem adire: & expositâ ei antiquâ regni consuetudine, simul ac libertate, si consuleret, Romam iret, & hæc nova annihilaret. Amplectitur ille consilium; & amore quàm maximo visitandi Apostolorum limina ardens, mare transiit, & Regem Rothomagi reperit. A quo, & Ecclesiâ Pontificatus illius civitatis, summo gaudio & honore susceptus, per plures dies in eâdem civitate, ab ipso Rege detentus est. Supra memoratum quoque

ANGLIAM INTRARE NON PERMITTITUR. Anselmum ibi reperimus; transfretum in Angliam, gratiâ legationis suæ exercendæ, præstolantem. Sed Rex Henricus, antiquis Angliæ consuetudinibus præjudicium inferri non sustinens; illum ab ingressu Angliæ detinebat, & ei utpote nuntio B. Petri, largiter & officiosè ministrari faciebat.

VII. RADULPHUS ROMAM PROFICISCITUR.

Radulfus igitur Archiepiscopus, cum Rege, de negotiis, pro quibus venerat, juxta rerum ordinem, diligentius agens, ad consilium ejus, Romani itineris callem ingreditur. Ubi autem in Franciam venit, gravi ulcere in facie percussus est: & intumescente toto capite, usque ad extrema penè perducitur. Quâ de causâ, in castro, (quod Feritas à freno vocatur) per integrum mensem lecto decubuit: nobis qui cum eo eramus, vix vitam illi pollicentibus. Melioratus eandem ab infirmitate, prout pati potuit; paulatim Romam eundi iter repetiit. Ibat autem cum magno & diviti Comitatu: & admirabilis cunctis habitus, magnificè suscipiebatur ab omnibus, ad quos veniebat. Lugdunum vero cum venissemus, ubi Dominus, & inclytus Pater Anselmus, olim ab Angliâ, pro justitiâ pulsus, non sicut exul, aut peregrinus: sed incola, & verè illius loci Præsul, & Dominus, ab omnibus habitus fuerat: Lugdunum, inquam, cum venissemus, & cum honore, & amore præcipuo suscepti fuissemus: mansimus ibi aliquamdiu, tum sincerâ omnium mihi conversantium dilectione illecti: tum nimiâ hiemis asperitate constricti: tum instanti Nativitatis Christi solennitate devincti. Hæc omnia Edinerus, qui cum Radulfo Cantuariensi, Christi Natalitia Lugduni celebravit. Unde itineris reliqua, ad insequentis anni exordium pertinent. quando Herbertus Norwicensis quoque Episcopus, ei itineris Comes, & pro Henrico Rege Orator, accedet.

VIII.

Juvat interim, quæ Edmerus Lugduni egerit, & pro Patre quondam suo Anselmo collegerit, argumenta sanctitatis, adnotare. Ita ergo ipse.

Edmer l. 5. fo 110. ANSELMUS E CÆLO DISSIDENTES RECONCILIAT. His diebus, pro notâ mihi locorum, & hominum familiaritate, ad Sanctum Ireneum quadã vice ascendens, diverti ad Oratorium Beatæ Mariæ Magdalenæ, duabus ancillis Dei, juxta idem Oratorium, pro Deo reclusis locuturus. Hæ Patri Anselmo pro suâ religione quondam notæ, ejus fuerant sanctissimâ institutione, in multis edoctæ. Inter has, instinctu maligni, gravissima quædam discordia, post discessum Domini Anselmi, orta est, ex invidia, ut fit, malo producta. Dum igitur inter se lites, improperia, & plurima, quæ earum proposito indecentia erant, singulis penè diebus, versarentur: secundùm quod ab eis ipsis accepi. Una noctium, adicit uni illarum, quam major ipsius dissidii culpa notabat, Pater Anselmus, dura illam invectione corripiens. & quòd ab eis malè observata doctrina sua, de remotis mundi partibus, se, ad eas usque fatigaverit, conquerens. Jussit tamen ut cœptis desisterent: & si suam, quæ Dei erat, pacem perdere nollent; sub omni celeritate, omissis ambagibus cunctis, in pacem redirent. Factum est quod suasit admirabilis Præsul; & ecce habitant in domo Domini unanimes: nec dubitant eum sibi esse præsentem, quem sunt expertæ salubriter corripientem.

IX.

Præterea una de istis (Achalcidis nomine) familiari affatu mihi sub testimonio veritatis innotuit; se post obitum memorandi Patris Anselmi, quadam vice, plus solito, ex dono gratiæ Dei, orationibus ac lacrymis deditam; subitò velut in mentis excessum super se raptam, & tribunali gloriosissimæ Reginæ Cælorum, à quibusdam reverendis personis adductam. Quam cum debitâ veneratione salutasset: & jussa ante pedes ejus concidisset; post plurima, quæ vidit & audivit admiranda patriæ cælestis præconia: quasi quadam fiduciâ constantior effecta est. Inter alia, quæ à Dominâ rerum inquisivit; nec quæ fuerint mihi dicere voluit: de Venerabili Hugone, Lugdunensi Pontifice, sciscitata est, quomodo, scilicet, aut in quâ sorte judicii Dei, jam defunctus seculo, constitutus esset. At illa: Bene, inquit, filia illi erit, per misericordiam Dei. Et de Domino meo, ait, Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, pia Domina, si tibi placet, precor insinua, quid sentiemus? Respondit: De illo certissima esto, quod in

ANSELMI MAGNA GLORIA. magna gloria Dei est. Ad hæc illa ad se reversa, quid fecerit, in quo videlicet residuum noctis expenderit, dulcedo & dignitas visionis, considerantes quosque docebit. Hæc quasi per excessum diximus, ducti amore dignissimi Patris Anselmi: quo vehementer, Domino

miserante,

miserante, imbuti, de eo semper scribere, aut loqui dulce habemus. Ita Edmerus.

X. Confirmantur supradicta.

Malmesb. de Pont. l. 1. fo. 230.

Guilielmus Malmesburiensis, Edmero ætate suppar, religiosæ vitæ professione æqualis, & eruditionis laude non inferior: cum hæc in Anselmi vita recitasset, mox addit. *Hæc dicta, quasi aniliam somniorum figmenta, nullus quæso excipiat cachinno, nullus prosequatur ludibrio. Constat enim feminas illas, & omnis rigore abstinentia, & salubri mentis compunctione, nullis unquam sanctis inferiores fuisse.* Quod opportunè dictum existimo: sunt enim, & omni sæculo fuerunt, qui humi repentes, nihil sublime sapere, nec aliquid in homine, magis homine, intelligere possunt. Verùm qui Anselmum norunt, qui ejus in tuendâ Ecclesiâ labores & constantiam, qui spirantia pietatem scripta contemplantur, nihil de Anselmi gloriâ dubitabit: nec mirabitur Deum, ejus gloriam manifestam facere, qui de diligente se dixit aliquando: *Manifestabo ei meipsum.* nunc Radulfo Archiepiscopo, & Edmero, Lugduni relictis, videamus quid Henricum Regem in Normanniam traxerit, ibique eum detinuerit.

XI. Henricum inter, et Gallorum Regem bellum glisci.

Theobaldus, Blesensis Comes; quem Adela, Guilielmi Primi Regis filia, & Henrici Primi soror, Stephano pepererat; mortuo parente, Ludovicum, Francorum Regem, cognomento Crassum, offendeos belli facem accenderat. Henricus noster, nepotis causam agere, pro eo intercedere, adesse denique, si opus foret, decreverat. Hinc utrimque iræ, minæ, denique pugna: quæ plures annos tenuere. Et licet interdum pace sequestrâ ab armis cessatum: cinere tantùm obductus, non extinctus est irarum impetus: & colligendo tantùm vires respirasse videntur, ut fortiùs insurgerent. Quod hoc anno factum, Huntindonius breviter ita perstringit.

Huntind. fo. 381.

Cum Rex ad Pascha transfretasset in Normanniam, fuit maxima discordia inter eum, & Regem Francorum. Causa autem hæc erat. Tedbaldus, Consul Blesensis, nepos Regis Henrici, contra Dominum suum, Regem Francorum arma promoverat. In cujus auxilium Rex Anglorum duces suos, militiamq; suam misit. & Regem Ludovicum non mediocriter afflixit. Ita ille.

Parisien. hic.

& eodem modo Parisiensis noster. Galli tamen, Gallisque faventes, afflictum potiùs Henricum volunt. Unde Gordonius, ad hunc annum.

Gordon. in Chronol. hoc anno.

In Galliâ, inquit, *Hugo Puteacensis, Carnutenses, Theobaldus & Stephanus, Campaniæ Comites, cum Anglo Rege consilia conjungunt. Hos magnâ cade castigat Crassus Rex.* Cladis hujus magnæ, nulla in Annalibus nostris mentio. Sed quicquid fuerit: præludium tantùm sequutæ inter Reges contentionis fuit.

XII. Ludovici Regis inconstantia.

Hic notant Authores nostri, Ludovici Francorum Regis inconstantiam: qui primùm Henrico conjunctus, & à Roberto ejus fratre aversus, (quod Normanniæ Ducatum perversè administrans, provinciam corruperit) eundem Henricum in fratrem armaverit. Inde verò, quæsitâ potiùs, quàm datâ occasione, pro Roberto, nunc exauctorato, steterit, feceritque. Sed hoc paulò posteriùs. Malmesburiensis ita loquitur de Francorum Rege.

Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 359.

*Ludovicus, filius Philippi, varium se præstitit, in neutrâ parte bene constans. Primo enim tempore, plurimus in fratrem irarum auctor Henrico, ad capiendam Normanniam fuit, corruptus videlicet Anglorum spoliis, & multo Regis obryzo. Non quod ille obtulerit: sed quod alter invitaverit, ultrò adhortans, nè clarissima olim patriæ nervos, dissimulatione suâ, succidi sineret. Postea verò simultas inter eos exorta est, pro Theobaldo, Comite Blesensi, filio Stephani, qui apud Ramulam occubuit (qui Theobaldus susceptus erat Stephano, ex Adala, filia Willielmi Magni:) Diu igitur ex parte Regis nostri, labores viarum consumpserunt nuntii: ut dignaretur Ludovicus satisfactionem Theobaldi *.* (forte deest* *suscipere.*) *Ille verò parvi faciens preces, Theobaldum ab Apostolico denotari fecit, quasi arrogantem, & Deo rebellem: qui præter austeritatem morum, quæ omnibus videbatur intolerabilis; ferebatur Dominum suum fraudare avitis possessionibus.* Ex hoc irarum fomite secutum est belli incendium: de quo anno sequenti & deinceps: ubi quis, cui cladem intulerit, videndum.

XIII.

Plures annos hæc contentio Henricum in Normanniâ detinuit. priùs tamen quàm eò pergeret, duo fecit in Angliâ, quæ Annales in ejus laudibus ponunt. Primo, tumultuantes Britannos, & Anglorum fines depopulantes, pressit. nimirum, Griffinum Regis filium, qui conterminos & castella; sub hujus anni exordium, igne ferróque vastaverat. De quo Wigorniensis.

Wigornian. hic

Justinus Rese filius suppressus.

Griffinus filius Rhesi, verno tempore in Walonia prædam egit, & castella incendit: quoniam Rex Angliæ Henricus, particulam de terrâ Patris sui ei dare noluit. Hunc, inquam, pressit, sed non oppressit: diu enim superstes, Anglorum Regibus gravis fuit, vir inter Silures Princeps. In Dimetarum etiam provinciâ, motus fuerunt. ubi Owenus, Ladugani filius, inquieto præcipitique vir ingenio: ut supra dictum:

V. an. 1114. 9.

Owenus Ladugani filius movet in Henricum.

Camd. in Cardiganshir

Occiditur.

cum Henrici gratiam amicitiamque parens muneribus & submissione recepisset, & unà Ceretícam regionem: iterum in Regem & Anglos impius, hoc anno occiditur. de quo ita Camdenus. *Caduranus cum Oeno filio in gratiam ab Anglis receptus, quæ sui erant patrimonii etiam recepit. Sed Oenus ad ingenium reversus, iterumq; res novas molitus, à Giraldo Pembrochiensi, cujus uxorem Nestam rapuerat, occiditur.* quod Wigorniensis, & Hovedenus, & alii plures, ad hunc annum referunt.

ANNUS CHRISTI 1117.

PASCHALIS II. PAPÆ 19.

HENRICI PRIMI REGIS 18.

I. Radulfus Archiepiscopus in Romano itinere progreditur.

DUos nuper Anglia emisit in urbem peregrinos, Radulfum Cantuariensem Archiepiscopum, qui pro Ecclesiâ suâ; Herbertum Norwicensem Episcopum, qui pro Henrico Rege, Paschalem orarent, Anglorum Ecclesiis faceret benè, nec sineret earundem Ecclesiarum jura convelli. Illi cum Lugduni, sub anni superioris occasum, consedissent: nunc anno millesimo centesimo decimo septimo, iter prosequuti in Italiam superatis Alpibus perveniunt. Quid ibi utrique contigerit, eorum in itinere Comes ita narrat.

Edmer l. 5. fo. 319.

Norwicensis Episcopus

Cum itaque Placentiam pervenissemus; Episcopus Norwicensis (Herbertus nomine) *qui nobiscum Romam iturus, Angliam exierat; validâ infirmitate correptus est; ita ut ingravescente languore, decem continuis diebus, sine cibo & voce, mutus jaceret. Quamobrem quatuor hebdomadas ibi exegimus:*

ÆGER DECUMBIT IN VIA.

suspensi quid de Episcopo faceret Deus. Ubi verò illum convalescere certo advertimus: ad petitionem & consilium ejus; Pater noster cœpto sese itineri reddidit: ipse debilitate nimiâ fessus ibi remansit: Archiepiscopum aut illic præstolaturus: aut convalescens (si moram faceret) redeundo præcessurus. Nos itaque Romam; ille Normanniam, prout Dominus posse dedit, post nonnullas dies usque pervenimus. Hactenus ipse.

II. HENRICUS IMPERATOR FUGAT RO. PONTIFICEM.

Apud Baron. hoc initio.

In Urbe omnia erant tumoltibus plena: Henricus Imperator, quem Paschalis & omnes orthodoxi, ob nuperum facinus, in Christi Vicarium, & injectas illi manus, anathemate percusserant, primùm pietatis specie; mox apertâ vi, Italiam ingressus, Paschalem ex urbe fugatum, Beneventum compulerat. Quod à Petro Diacono sic narratur: *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo septimo, Imperator congregato exercitu Romam advenit. Quod ubi Paschalis didicit, sese ad Cassinense Monasterium contulit: atque ab omni Congregatione rogatus, Landulphum Beneventanum Archiepiscopum; quem fuisse depositum diximus; in gradum suum restituit: sicq; Beneventum perrexit.* Erat ergo Beneventi, cum Radulphus noster Romam venit: qui porrò pergere, & Paschalem præsens venerari, suæque peregrinationis causam non valens exponere; quia classicum ubi sonabat, fecit quod erat officio, obsequioque proximum: literas, nuntiosque mittit, qui negotii summâ expositâ, consilium, auxilium, subsidiumque à primâ Sede impetrent. Sed malô Edmerum audire, rem omnem ita candidè referentem. Sic ergo ipse, consequenter ad supradicta.

III. Edmer. supra.

Quoniam igitur Dominus Papa, propter discordiam; quæ illis diebus inter ipsum, & Imperatorem erat, & Romanos; Beneventi morabatur: nec Radulfus usque ad eum, partim propter corporis sui imbecillitatem (de qua infra an. 1119. 13.) *partim propter præfatam discordiam; cujus causâ, omnibus ad Papam ire volentibus graves insidiæ ab incolis struebantur; ullatenus accedere poterat: missis nuntiis cum literis, innotuit ei, & adventum, & adventus sui causam usque Romam: quos ille benignè suscipiens, & verba eorum moderatâ æquitatis lance perpendens, juxta negotii modum scripsit Episcopis Angliæ, & Regi, sic.*

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei: Venerabilibus Fratribus Episcopis Angliæ, & charissimo filio HENRICO illustri Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

IV. PONTIFEX RESCRIBIT, SE CANTUARIEN. ECCLESIÆ PRIVILEGIA CONFIRMARE.

„ VENIENTE ad nos charissimo ac Reverendissimo Fratre nostro Radulfo Cantuariensi Archiepiscopo, vestram ad nos legationem missam per Venerabilem Fratrem Herbertum Norwicensem Episcopum novimus. Et quidem gravibus infirmitatum molestiis impediti iidem Fratres, & Coëpiscopi pervenire adnostram præsentiam minimè potuerunt. Sed nuntiorum honestis, venerabilibusque personis pervenientibus, eorum scripta suscepimus, in quibus, & ipsorum postulationes, ut vestræ legationis vota inspeximus. Id enim optabatur, id poscebatur, nè Ecclesia Cantuariensis temporibus nostris suâ dignitate privetur: nè nos eandem dignitatem minuamus, aut minui sinamus: quæ videlicet dignitate potita est, ex quo à Beato Gregorio, per Beatum Augustinum fundata est. Præter hæc literarum indicia, Legati, qui ad nos missi sunt, ut sapientes ac strenui viri, assertiones suas prudenter, instanter, & efficaciter executi sunt. Nos profectò Legatorum personas, & Legatorum assertiones, & vestrum omnium suggestiones, tanquam charissimorum Fratrum, benignè hilariterque suscepimus: quia vobis in Domino propter Dominum, placere optamus. Vestræ igitur dilectioni notum haberi volumus; quia Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, nec minuimus, nec imminuere deliberamus. Beatum namque Gregorium, Apostolicæ Sedis Pontificem, tanquam præcipuum Christi membrum, tanquam Christiani populi Pastorem, & Doctorem, tanquam salutis æternæ ministrum, in omnibus veneramur. Et rata esse cupimus, quæ ab ejus institutionibus processerunt. Illam ergo dignitatem, quam ab eo per Beatum Augustinum, Cantuariensis suscepit Ecclesia: & quam Frater noster sanctæ memoriæ Anselmus jure, ac possessione legitima tenuisse cognoscitur; nos profectò nullatenus imminuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem Ecclesiam volumus, ut authentica ejus privilegia, juxta Canonum sanctiones, nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi, Nono Calen. Aprilis. Hæc Paschalis.

V. CAUSA LEGATIONIS A BARONIO REFERTUR.

Baro. hic.

Cæterùm & Cantuariensis Ecclesiæ causa, & Henrici Regis vota atque postulata, quæ Legationis fundamenta fuerunt, paulò explicatiùs à Baronio referuntur in hunc modum. *Hujus legationis decernendæ*, inquit, *occasio ea præcessit, quod permota est ibi quæstio, occasione legatorum Apostolicæ Sedis; sua, non quæ sunt IESV CHRISTI, quærentium. & proximè ob Petrum Leonis Cardinalem legatione ibi male perfunctum: adeo ut Henricus Rex provocandum putaverit ad antiqua privilegia: quod scilicet Cantuarienses Archiepiscopi fungerentur legatione Sedis Apostolicæ, ex privilegio S. Gregorii Papæ, illi Ecclesiæ concesso: ob idq; diceret in Angliam alium non esse mittendum Legatum: sed satis esse debere, vice Pontificis Romani, esse ibi semper Legatum ipsum Cantuariensem Archiepiscopum. Ad hæc igitur conservanda sibi jura, & ad propulsandam Legatorum ingruentium rapacitatem, Henricus Rex Romam magni ponderis legationem credidit Radulpho Cantuariensi Archiepiscopo: cui additus nomine Episcoporum, & Regis Legatus, Herebertus Episcopus Norwicensis.* Ita Baronius Legationis substantiam non malè collegit. Posterius etiam frequens querimonia de Legatorum rapacitate, Romanorum aures verberavit. Verùm decernendæ legationis causa, non Petrus, sed Anselmus fuit: qui vices Apostolicas in Angliâ administrare jussus; & Henrico Regi, & Cantuariensi Ecclesiæ, hoc est utrique Reip. præjudicium facturus videbatur. & postea Cono quidam, in Gallia & Normannia Legatus, qui turbas ibi excitavit, ut infra an. 1119. n. 13. & denique Petrus ut infra an. 1121. Intercessum itaque, suggestumque Paschali, Primæ Sedis prærogativam esse, & Archiepiscopo Cantuariensi, Apostolico oraculo concessum, Apostolicæ Sedis vices, ubi opus, supplere: nec nisi Regis, regnique rogatu, mittendum alium: Quod modò Pontifex, & agnovisse, & probasse videtur:

&

& posterioribus sæculis, ut ibi apparebit sanctè servatum. Heurico præsertim apud Callistum II. orante, ut infra.

V. an. 1119. 13.

VI.

Non ergo altercandi, aut Romani Pontificis imperium declinandi, studio, decreta est legatio: sed M. Gregorii & sequentium Romanorum Pontificum authoritate; Henricus pro regni, Rodulphus pro Ecclesiæ suæ jure certarunt. Et quia sæpè sæpius de Cantuariensis Ecclesiæ gloriâ, splendore, & privilegiis, aliqui delibare contenderant: necessum erat, ad arcem illam, & splendoris fontem recurrere; unde omnis per orbem Ecclesia splendorem suum & dignitatem mutuat. Cæterùm primam Angliæ Sedem, Apostolica semper Legatione fungi, è Formosi Pontificis literis ad Episcopos Angliæ, quas tomo superiori retuli, abundè probatur: ubi inter cætera hæc leguntur: *Ab olitanis temporibus notissimum est, quis inter vos principatum tenere debeat: quave Sedes Episcopalis cæteris præpolleat, habeatq; primatum. nam ut ex scriptis Beati Gregorii, ejusq; successorum tenemus, in Dorobernia civitate, Metropolim Sedemq; primam Episcopalem constat esse regni Anglorum: cui Venerabilis Frater noster Plegmundus, nunc præesse dignoscitur. Cujus honorem dignitatis, nos nullo pacto imminui permittimus: sed et vices Apostolicas per omnia gerere mandamus. Et sicut B. Gregorius Papa, primo gentis vestræ Episcopo Augustino, omnes Anglorum Episcopos esse subjectos constituit: sic nos prænominato Fratri Dorovernia sive Canterberia Archiepiscopo, ejusq; successoribus legitimis, eandem dignitatem confirmamus.* Hæc hisque similia in Anglicanæ Ecclesiæ patrocinium Legati porrexerunt. à Paschali aliòqui juris firmitatem, & supra recitatas literas impetrantes.

V. an. 894. 7.

CANTUARIEN. EPISCOPUS RO. PONTIFICIS VICE FUNGITUR.

VII.

THURSTANUS ROMÆ CAUSAM PER ALIOS AGIT.

Ut Rodulphus pro tuendâ Cantuariensis Ecclesiæ dignitate: ita pro recuperandâ Eboracensi Thurstanus impigrè laboravit. Ille facti pœnitens; quod missionem à Rege petierat, & impetrarat, cesseratque alteri Sedem; Oratores ad Paschalem pro se mitti, Sedeque recipiendâ; non tam suo, quàm Ecclesiæ nomine procurat. Quibus etiam in mandatis datur, ut consecrari Eboracensem à Cantuariensi, sine subjectionis juramento postulent. ratus quòd si solvi à juramento non possit; Sedem saltem, quam imprudens dimiserat, impetraret. Et ita factum. Paschalis Eboracensi Ecclesiæ Episcopum præfici, illæso tamen Cantuariensis Ecclesiæ privilegio, mandat: scribitque super eo literas ad Henricum Regem: quas Edmerus recitans ita præfatur. *Clerici Eboracenses supramemoratum Thurstanum, electum videlicet suum, sua Ecclesia restitui cupientes: & ut professionem de subjectione suâ Pontifici Cantuariorum faceret, modis omnibus insistentes; quos prudentiores de suis habebant, ad Papam dirigunt, desiderium suum, ejus authoritate, & imperio, novâ lege, per eos stabiliri gestientes. Qui viam aggressi, & ad Papam usque profecti; quam veridici causæ suæ relatores apud eum extiterint, & res gesta, veraci fatior, superius stilo digesta; & textus Epistolæ, quam ipse Papa, pro eodem Thurstano direxit, scire volentibus declarabit.* Est autem hæc.

Edmer. fo. 120. fine.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio HENRICO Anglorum Regi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

VIII. PASCHALIS MONET HENRICUM UT THURSTANUM EBORACENSI ECCLESIÆ PRÆFICIAT.

„ NOs authore Deo, de probitate tuâ, non tantùm bona, sed etiam meliora confidimus. Idcirco monemus Excellentiam tuam, ut divinæ gratiæ semper memor existas: quæ tibi, & regni pacem, & justitiæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei, & Ecclesiarum ejus, in regno tuo diligenter observa, & justitiam efficaciter exequere: quia per honorem Dei tuus profectò honor augebitur. Audivimus electum Eboracensis Ecclesiæ virum sapientem & strenuum, sine judicio ab Eboracensi Ecclesia sequestratum. quod nimirum divinæ Justitiæ, & Sanctorum Patrum institutionibus adversatur. Nos quidem, neque Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensem præjudicium volumus pati: sed eam constitutionem quæ à B. Gregorio, Anglicæ gentis Apostolo, inter easdem Ecclesias constituta est, firmam censemus; illibatamque servari. Idem ergo electus, ut justitia exigit, ad suam Ecclesiam omnimodis revocetur. Si quid autem quæstionis inter easdem Ecclesias agitur; præsentibus utrisque partibus, in nostrâ præsentiâ pertractetur: ut præstante Deo, utraque Ecclesia finem suæ justitiæ consequatur. Data Beneventi Nonis Aprilis. Ita Romanus Pontifex Eboracensibus Episcopum restituit, illæsâ Cantuariensis Ecclesiæ dignitate; & controversiâ de subjectione, indecisâ. Thurstanus itaque hoc Vaticanæ Ecclesiæ oraculo munitus, in Angliam redit (nam in Normanniam trajecisse Edmerus; Romam perrexisse, Malmesburiensis significant) Eboracensem Sedem repetiit, sed consecrationem à Radulpho non impetravit: quod diuturnæ contentionis alimentum fuit, ut sequentia docebunt. Tantæ etiam animis cælestibus iræ.

IX. ANSELMUS PETRI DENARIOS COLLIGIT, ET ROMAM ABIIT.

Interim Anselmus Apostolicâ legatione exutus, cum Rotomagi moraretur, nec Angliam Henrici Regis injussu ingredi, nedum concessâ authoritate ibi agere præsumeret; precibus apud Regem egit, liceret sibi saltem Petri denarios, Romæ pendi solitos, per Insulam colligere, ne vacuus in Urbem, & inglorius rediret. Facta sine dubio denariorum collectio, illique pecunia commendata, sed an mare trajecerit ad illam colligendam, non habeo dicere; cum Edmerus hæc tantùm de eo: *Memoratus Anselmus*, inquit, *consque morabatur Rotomagi cum Rege, pecuniam, quæ Beato Petro de Anglia quotannis pendi solet, Romam reversurus cupiens secum habere. Ut autem ipse in Angliam, pro exercenda legatione sibi injuncta transiret, Rex (ut diximus) consentire nolebat: ratione quam prælibavimus, & aliis non minus rationabilibus usus.*

Edmer. fo. 121.

X. PRIORATUS APUD MERTON FUNDATUR, A GILBERTO NORMANNO.

Ad hunc annum Christi millesimum centesimum decimum septimum, & regnantis Henrici decimum octavum, illustre Cœnobium apud Regnos, in Surriensi agro surrexit, ad Merton oppidum; ubi olim Kinulphum, Occidentalium Saxonum Regem, occisum diximus *tomo altero. Ibi Gilbertus quidam, vir inter Normannos Princeps, qui à nostris Authoribus, nunc Surriæ

* V. an. 785. 3.

Vice-Comes, nunc Comes dicitur, Canonicis Regularibus, ab Hipponensi Augustino nomen sortitis, Prioratum posuit, Deiparæ Virgini sacrum. Dequo Catalogus ædium destructarum apud Spedum, & Harpesfeldum. Loco præfectus est Robertus, & Prioris titulum primus obtinuit. dequo Westmonasteriensis: *Anno gratia*, inquit, *millesimo centesimo decimo septimo, Robertus primus Prior, cum paucis Fratribus, locum Mertoniæ primò inhabitare cœpit.* Addit Stous in Annalibus, cœptum ædificari Cœnobium à Gilberto Normanno, Surriæ, Cantabrigiæ, & Huntindoniæ Comite sub annum Domini millesimum nonagesimum secundum: & demum anno millesimo centesimo decimo septimo, Robertum Canonicis Regularibus præpositum. Floruit diu locus ille, prædiorum amplitudine, ad Henrici Octavi tempora. Tunc enim de eo Polydorus Vergilius ita scripsit: *Mertoni, qui est pagus Surriæ Comitatus, distatq; à Londino circiter millia passuum septem, celebre est Cœnobium Canonicorum Regularium, quod dicunt, olim conditum à Gilberto Principe Normanno, qui cum Primo Gulielmo venit in Angliam.* Ita ille. Sed non ita diu post locus ille celebritatem amisit. Unde Camdenus dicere potuit: *Nunc Monasterii à Gisleberto Normanno constructi rudera solummodò Merton ostendit.* Fundatoris tamen memoriam omni merito Annales nostri servaverunt, & annum ejus mortis, de quo Westmonasteriensis: *Anno gratia*, inquit, *millesimo centesimo vigesimo quinto obiit Gilbertus fundator Mertoniæ.* & Nicolaus Harpesfeldus ita: *Regnante Henrico Primo defunctus est Gilbertus Princeps Normannus, qui cum Gulielmo Primo, Angliam; ut quidam tradunt, ingressus est: quique Canonicorum quos Regulares vocant Cœnobium apud Mertonum, septem circiter à Londino passuum millibus posuit.* Ita in memoriâ æternâ erit justus.

Westmo. hic. — *Stous in Henr. I.* — *Polydo. l. 16.* — *Camd. in Surrey.* — *Westmo. an. 1125.*

XI.
V an. 185. 20. & 629. 1.
MONASTERIUM APUD CIRENCESTRE.

Ad Corinum fluvium (vulgò Churne) in Dobunis, urbs vetus, & celebris, quam supra Kair Ceri appellari, nunc Cirencestria dicitur. Ibi hoc anno, aut de novo cœptum, aut restitutum ab Henrico Rege Monasterium est: ubi Canonici Regulares sub Deiparæ Virginis patrocinio, Deo Opt. Max. famulati sunt. De quo ita scribunt Wigorniensis & Hovedenus: *Anno millesimo centesimo decimo septimo, apud Cirencestre, secundum Henrici Regis præceptum novum opus est inceptum.* Alii tamen, ut Camdenus, & Spedus: olim ibi Cœnobium à Saxonum Regibus positum; nunc demum ab Henrico restitutum, Canonicis nigris donatum affirmant. Auxisse illud videtur Richardus Rex, eo nomine primus, de quo ita Camdenus: *Incolæ Richardi Primi singularem in se benignitatem prædicant, qui Cœnobium restauravit, & septem adjacentibus centuriis præfecit, ad tenendum ad feodi firmam ut causas cognoscerent, & mulctas, aliaq;, ex causis illis cognoscendis, emolumenta sibi ipsi haberent.* Henrici Secundi tempore Ecclesia illa solenniter dedicatur, & ab eodem eo tempore dotatur, ut dicam an. 1156. 13. Ita olim locus ille, Principum bonitate floruit: nunc urbs, & urbis maximum ornamentum, Abbatia illa, jacent. nam ut idem Author: *Nunc*, inquit, *vix quarta pars intra mœnia habitatur, reliqua sunt agri compascui, & ruina Cœnobii à Saxonibus, ut ferunt, extructi.*

Wigorn. & Hoveden. hic. — *Camd in Glocest.* — *Sped in Catalo.* — *Idem Camd. supra.* — *Idem supra.*

XII.
MORITUR

Moritur hoc anno Robertus de Limesey Coventrensis sive Cestrensis Episcopus, nam utrobique Sedem aliquando fixit. Illum Guilielmus Primus ad Cestrensem Sedem nominavit,[a] anno superioris sæculi octogesimo sexto: sed post septennium, anno, ut [b] Godwinus scribit, millesimo nonagesimo quinto Coventriam se, Sedemque transtulit, ibique mortuus sepeliri voluit, non [c] anno millesimo centesimo decimo sexto, ut ille: sed sequuti poniùs, ut Wigorniensis & Hovedenus disertè scribunt. Malmesburiensis non tacuit ut se Robertus Coventriæ gesserit: *Qui plures ibi moratus annos* (ita ipse) *nihil probitatis exhibuit loco. adeo tecta ruinam minantia nunquam exemit periculo: adeo sacras opes dilapidans, peculatus crimen incurrit, repetundarum reus futurus Episcopus, si esset accusator paratus: Monachos miserabili stipe cibans, nec regularis Ordinis amorem curavit accendere. nec nisi ad popularem literaturam passus est adspirare: ne vel ciborum affluentia delicatos; vel regulæ rigor, & scientiæ vigor, redderet elatos contra se. Agresti igitur victu, & triviali literaturâ contenti satis habebant, si vel quietè vivere possent. Qui etiam moriens non apud Cestram, sed apud Coventriam se cumulatum iri præcepit: sua opinione relinquens successoribus non indebitum jus calumniandi, sed quasi legitimum vindicandi. Ei successit alter Robertus, cognomento Peccam, ex Capellâ Henrici ad Capellam datus.* Hæc omnia Malmesburiensis. Sed Roberti consecratio posterior fuit, ut dicetur anno millesimo centesimo vigesimo primo n. 6.

ROBERTUS COVENTREN. EPISCOPUS.
a V an. 1086 15. — *b Godwin. in Covent.* — *c V. an. 1093 38.* — *Malmesb de Pontif. l. 4. fo. 289.*
ROBERTUS PECCAM COVENTRIEN. EPISCOPUS ELECTUS.

ANNUS CHRISTI 1118.
GELASII II. PAPÆ 1.
HENRICI PRIMI REGIS 19.

I.
PASCHALIS PAPA MORITUR.

ANNUS Christi millesimus centesimus decimus octavus, & Romanæ Ecclesiæ & Anglorum regno funestus; ibi Paschalem sacrorum Principem, hic Mathildem Reginam mortuos luxit. Primus obiit, qui primus fuit in Apostolicâ dignitate; quique nuper ex Urbe fugitivus, vix eò reversus, sub Januarii mensis medium, ad laboris præmium vocatus est. Successit in ejus locum Gelasius, eo nomine secundus, qui antea Joannes à Caietâ, & S. R. Ecclesiæ Cancellarius audiebat: fuerat professione Cassinensis Monachus, à Paschali Papâ in Diaconum Cardinalem assumptus: & demum *cum innocentissimè*, inquit Baronius, *sicut & vigilantissimè se gessisset; dignus est habitus, inter tot Cardinales, qui Romanus Pontifex crearetur.* Hunc legitimè electum, cum Annales nostri cæterique agnoscant: nescio cur Matthæus Parisiensis, ita scripserit. *Anno Domini millesimo centesimo decimo octavo, defuncto Papâ Paschali, Gelasius Antipapa anno uno successit, cui successit orthodoxè Calistus.* Sed manifestè fallitur. nam orthodoxi omnes Gelasium, verum Petri successorem, reprobato idolo quod schismaticus Imperator erexerat, coluerunt, Angliâ imprimis factionem detestante. Unde Edmerus noster, Parisiensi antiquior hæc habet: *Secundo anno, quo & Radulfus Archiepiscopus Romam iturus Angliam exierat; & Anselmus pro exercendâ legatione, Angliam, ut sperabat, intraturus, de Romá Normanniam ad Regem Angliæ venerat; sacra memoria*

GELASIUS II. PAPA.
Baronius hic. — *Mat. Paris.* — *Edmer. fo. 121.*

Paschalis Papa defungitur: & loco ejus Ioannes quidam, Caietæ natus, substituitur. Qui Ioannes in Monasterio Montis Cassini, ab infantiâ Monachus nutritus, & adultus, in ministerio Venerabilium Apostolicorum Desiderii, Vrbani, & Paschalis assiduus fuerat Cancellarii officio functus. Successor igitur summi Pontificis institutus, mutato nomine, Gelasius est nuncupatus. Rex verò Teutonicus, qui & Romanus Imperator, audito Papam huic vitæ decessisse, Romam advolat; & Bracharensem Episcopum, jam anno præterito, ab eodem Papa Beneventi excommunicatum, cedente ab Vrbe Gelasio, suum Papam instituit, & ex Burdino Gregorium nominat. Burdinus itaque Antipapa, non Gelasius vocari debet. Unde mendum in Parisiensem irrepsisse puto. nam sequenti anno benè scripsit. *Defuncto Papâ Gelasio, successit ei Calixtus, annis decem*, &c. & statim audiemus, tam Cantuariensem, quàm Eboracensem Ecclesiam, hoc est omnem Angliæ Clerum, in ouperâ lite, Gelasio, non Burdino supplicem.

BUROINUS, QUI ET GREGORIUS ANTIPAPA.

Parisien. an. 1129.

II. MATHILDIS REGINA MORITUR SANCTÈ. EIUS VITÆ COMPENDIUM.

* V. an. 1100 n. 21. &c.

Moritue interim Mathildis Regina, Henrici conjux, lectissima fœmina: in cujus laudibus Annales passim omnes, non leviter spatiantur. nam à teneris annis, virtutèm in Monasterio docta, cùm multis religiosæ vitæ operibus meritorum cumulum collegisset: non Angliam modò, sed vicinas quoque provincias sanctitatis fama implevit. *Octodecim annos Henrico Regi conjuncta cum illi filium, Guilielmum nomine, filiamque sibi cognominem pepeeisset, in templorum postea ornatu, in patrocinio pauperum, in sublevandâ omnium egestate; denique in divinis laudibus, & omni pietatis exercitio, sanctè consenuit. De illa sic scribit Malmesburiensis

Malmesb. fo. 164.

Vxor Regis (Henrici) *ex illustri, & antiquâ Regum stirpe descendit Mathildis, filia Regis Scotorum à teneris annis inter sanctimoniales apud Wiltoniam & Rumesium educata, literis quoque fœmineum pectus exercuit. Vnde ut ignobiles nuptias respueret, plusquam semel à patre oblatas, peplum sanctæ professionis index gestavit. Quapropter cum Rex susciperet eam thalamo, res in disceptationem venit: nec nisi legitimis productis testibus, qui eam jurarent, sine professione, causâ procorum, velum gessisse, Archiepiscopus adduci potuit ad consentiendum. Hæc igitur duobus partubus, altero alterius sexus contenta, in posterum, & parere, & parturire destitit. Æquanimiterq; ferebat, Rege alias intento, ipsa Curiæ valedicere, VVestmonasterio multis annis morata. Nec tamen quicquam ei Regalis magnificentiæ deerat: sed indefessa frequentia unda salutantium, & totis apportantium temporibus accipiebantur, & vomebantur superbis ædibus. Hoc Regis jubebat liberalitas: hoc ipsius gratia, & dulcis attrahebat benignitas. Sanctitudinis egregia, non usquequaque despicabilis forma, maternæ pietatis æmula, nihil sinistrum quantum ad se moribus admittens: præter Regium cubile, pudoris integra, nulla etiam suspicione læsa, cilicio sub regio cultu convoluta, nudipes diebus quadragesimæ terebat Ecclesiarum limina. Nec horrebat pedes lavare morbidorum, ulcera sanie destillantia contrectare; postremò longa manibus oscula protelare, mensam apponere.*

III. EIUS IN EXTEROS LIBERALITAS.

Erat ei in audiendo servitio Dei voluptas unita; ideoq; in Clericos benè melodos inconsideratè prodiga, blandè quoscumque alloqui, multa largiri, plura polliceri. Inde liberalitate ejus per orbem satâ, turmatim huc adventabant scholastici tum cantibus, tum versibus famosi. fœlicemq; se putabat, qui carminis novitate aures mulceret Dominæ. Nec in his solum expensas conferebat, sed etiam omni generi hominum, præsertim advenarum; qui muneribus acceptis, famam ejus longe per terras venditarent. Est enim cupiditas gloriæ ita innata mentibus hominum, ut vix aliquis bona conscientiæ, pretiosis contentus fructibus; si quid benè fecerit, non dulce habeat efferri in vulgus. Vnde aiunt, & constat Dominæ esse surreptum; ut extraneos, quos posset, præmiis deliniret, cæteros promissis aliquando efficacibus, aliquando & sæpius inanibus, suspenderet. Eò effectum est, ut prodigè donantium non effugeret vitium, multimodas colonis suis deferens calumnias, inferens injurias, auferens substantias, quo bona largitricis nacta famam, suorum parvi pensaret contumeliam. Sed hæc qui rectè judicare volet, consiliis ministrorum imputabit; qui more harpyarum, quicquid poterant corripere unguibus, vel infodiebant marsupiis, vel insumebant conviviis. Quorum fatulentis susurris auris oppleta, nævum honestissimæ menti contraxit; de reliquo factis omnibus approbanda & sancta. Inter hæc erepta est patriæ magno provincialium damno, suo nullo. nam & funus nobiliter curatum, apud VVestmonasterium, quietem accepit: & spiritus se talium incolere non frivolis signis ostendit. Obiit, regno post septemdecim annos & septem menses, libenter relicto, fatum parentum experta; qui penè omnes, virente potissimum ævo, excessere mundo. Hactenus ille compendio recitans egregia Mathildis pietatis opera.

IV. LEPROSORUM PEDES ABLUIT.

V. an. 1093 14.

Harpesfeldus sæc. 12 c. 3.

* V. an. 112[illegible] 25.

Inter quæ cum ejus in pauperes, & leprosos benignitas emineat; non est hoc loco omittendum: repetendum potius, quod eidem leprosorum pedes abluenti accidit, refertque Harpesfeldus sæculo duodecimo. ubi cum Margaretam Edgari sororem, & Mathildis parentem quam suprà laudavi commendasset, addit: *Nec degeneravit Mathildis a maternâ pietate; cujus unum illustre specimen subjiciemus. Frater ejus David, qui * postea Rex Scotiæ creatus est, cum admodum adolescens in Curiâ Regis Henrici versaretur; ad cubiculum sororis aliquando accessit. Quod hominibus ex leprâ laborantibus refertum, sororemq; Reginam illis immixtam, regiisq; vestibus depositis, linteo præcinctam, aquâ ex pelvi prope positâ desumptâ, pedes eorum abluentem, abstersosq; magna pietate suaviantem reperit. Consternatus ille è facti insolentiâ: & quasi horrore quodã, propter morbi fœditatem, & contagionem concussus: Quid agis, inquit, soror? Quomodo deinceps audebis labia ista tua, tam turpiter contaminata, & inquinata, Regis & mariti tui labiis admovere? Nunquam ille certè, si hos tuos mores resciverit, osculum sibi à te infigi patietur. Cui illa subridens. Immo, inquit; quis ignorat sempiterni Regis pedes, etiam labiis morituri & momentanei Regis præferendos?* dignum Annalibus & æternæ memoriæ consecrandum apophthegma.

Idem supe[r] è Parisien[...] relatum. n 22.

V. EIUS OPERA PIETATIS.

Hoc unico argumento satis convelluntur variæ calumniæ, quibus Reginæ sanctitatem obscurare conati sunt, qui lippientibus oculis ejus virtutem contemplati, maculas in sole invenerunt: de quibus supra Malmesburiensis. Si operibus credendum, aut inde judicium de sanctitate ferendum: quis nescit divino oraculo firmatum; bonam arborem, è fructibus colligendam: & ego plura invenio in Reginæ laudibus ponenda, quæ sanctam fœminam luculenter probant. Leprosos non tantùm domi suæ fovit, & in cubiculum admisit; sed ædes illis in Londinensi

ſuburbio extruxit: quæ *de nomine illius Mathildis hoſpitium appellantur*, inquit qui ſuprà Harpesfeldus: nunc à Sancto Ægidio, in vetere burgo, vulgo Oldburne nominantur. Erexit etiam in ipſa urbe, claudorum hoſpitium, ad portam, quæ inde Creplegate nuncupatur; & utrobique pauperibus alimenta, & veſtimenta aſſignavit. Nec minùs in ornandis Templis, & altaribus pia ac religioſa, ubi Deum penitiùs intuita, aſſiduè preces votaque offerebat. quod ut liberiùs exequeretur, miſſo curiæ ſtrepitu, prope Weſtmonaſterium, ubi Trinitati laudes canebantur, Sedem fixit; ut Chriſto arctiùs frueretur. Sed & Prioratum juxta Algate, in urbe Londinenſi Canonicis Regularibus poſuit Sanctæ Trinitati ſacrum. Nec ibi ſolùm liberalis & munifica: alibi etiam per Angliam, ampliandis & ornandis Eccleſiis, oleum, opes, operamque profudit: & porrò progreſſa, & Oceanum tranſgreſſa, Cenomanenſem Eccleſiam, aureorum candelabrorum dono illuſtravit, cum Hildebertus Epiſcopus ibi ſederet; qui in grati animi argumentum, literas pro gratiarum actione remiſit, quæ in Magnâ Patrum Bibliothecâ ita inſcribuntur.

Humilis Cœnomannorum Sacerdos I. M. Venerabili Anglorum Reginæ, gloria & honore digniſſimæ, Salutem, & orationum inſtantiam.

Benè monuit, qoi literas Magnæ Bibliothecæ inſeruit, majuſculas illas I. M. ſic reſolvendas, Ildebertus Mathildi, &c. Paſſim enim Author, & ſuum, & eorum ad quos ſcribit, vel tegit, vel uno ſolum charactere exprimit nomen. Porro literarum ſeries eſt hujuſmodi.

VI. *Hildeberti Epiſtola 26. to. 12. p. 2. fo. 325.* Ildebertus gratias agit Reginæ pro aureis candelabris.

,, Difficile eſt diſcretè ſemper ac providè beneficia collocari. Neſciunt hanc excelſæ poteſtates providentiam: quas pulchrum eſt benefacere, vel indignis. Talem ergo apud te munificentiam expertus, benedictionem tuam, gratiarum proſequor actione; ſtupefactus pariter, & gloriâ muneris, & affectu tribuentis. Munus enim tuum plurimum commendationis ex ſeipſo promeretur: utpote ambitioſum materiâ, præclarum cælaturâ: ejus tamen pretium, mittentis majeſtate cumulatur: minusque eſt, quod ars ei contulit, aut natura; quàm quod habet ex Reginâ. Quod ſi nec pondere, nec ingenio placeret artificis; non aliter tamen illud amplecterer, quàm ſuperi vel thura, vel pinguium libamina victimarum. Illi ſiquidem non hoſtiam, ſed affectum conſiderant: eorumque gratiam devotio, non impenſa, promeretur. Purus & integer animus, eos quocumque vult inclinat: nec minùs quadrante, quàm talento, cæleſtem mitigat indignationem. Sic & apud me tuum donum, tuus animus commendat, ſic magnificat, ſic illuſtrat. Ipſum benè quidem rutilat auro ſuo: ſed meliùs animo tuo: animo cui beneficium placuit; cui innata eſt, non ſuggeſta voluntas largiendi. Animo, inquam tuo, qui ex animo voluit, qui cito præſtitit; à quo improvidus accepi, non importunus extorſi. Porrò ex hoc etiam manifeſtum eſt; quàm devota Dominicis interes Sacramentis: quibus quia miniſtrare non potes fæmina, provides inſtrumenta. Imitaris quantum licet ſanctas mulieres illas; quæ priùs ad Crucem cum lacrymis, dehinc ad monumentum cum aromatibus acceſſerunt. Illæ nimirum pio ſuccenſæ deſiderio, quibus potuere ſtudiis; & Crucifixo compaſſæ ſunt, & obſequutæ tumulato. Tu quoque præſens es, cum Chriſtus immolatur, cum traditur ſepulturæ, neutrumque ſine tuo celebratur obſequio: cum ibi luminaria præparas, ubi luminis adeſſe authorem, & corde credimus, & ore confitemur. Nec refert, utrum diſſimile ſit obſequium, quod ſimili frequentatur affectu.

,, Sunt autem duo, quæ niſi fallor, Epiſcopo ſuggerere decreviſti. Tui ſcilicet memoria, debitique recordatio paſtoralis. VII. Unde velut quoddam commonitorium, candelabra mihi miſſa intelligo: quibus coram poſitis, & doctrinæ lumen gerere, & pro te reminiſcerer ſupplicare. Eorum præſentia ſuccurrit, & excitat ſpiritum meum; ſecretis exigens hortatibus, ut dum utor beneficio, proficiam exemplo. Occultè quidem, ſed acutè ſatis jubeor attendere, cujus ſim bajulus luminis, quibus divina dicant eloquia: Vos eſtis lux mundi. &, non abſcondunt lucernam, nec ponunt eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qni in domo ſunt. Amplector, tuam, filia, Chriſti exhortationem: quæ ſi defuit intentioni, ſi dediſti ſimpliciter: ſic tamen muneris accipio famulatum, nè contemnam documentum. Licet undecunque proficere ac doceri: omnia ferè myſticos offerunt intellectus: & facile eſt, è qualibet re morum figurare venuſtatem. Nihil ita creatum eſt pro ſe, nihil ita ſimplex; cui non ſit aliquid unde doceamur vel cavere noxia, vel ſalutaria providere. De tuâ verò memoriâ quid loquar quæ meum pectus altiùs irrupit, latiùs occupavit? Stabilis poſſidet, viventi convivet. Convivet ea mihi: convivet, inquam, frequentiſſima: futura frequentior, quoties ad altare Domini peccator adſtabo, ſed Sacerdos. Ibi pro te, Regina Venerabilis; ibi pro tuis, & candelabro agent obſequio, & Pontifex monumento. Vale.

VIII. Suffragia pro defunctis.

Mortuam Mathildem plures Eccleſiæ luxerunt, & quantumvis non dubiis argumentis ejus animam gloria & honore in cælis coronatam crederent: ſuffragia tamen Chriſtianorum more, à propè, & procul poſitis boni omnes poſtularunt. & illi imprimis eo debito tenebantur, qoos vivens Regina beneficiis ſibi obnoxios fecerat. Hinc à Cenomanenſi Epiſcopo petitum; ut defunctæ animam precibus Deo commendaret: & ille annuens, ita in Britanniam reſcripſit.

Hildeber[ti] Ep. 48. to. 12 p. 2. fo. 329.

,, Plerumque fit, ut ex præteritis eventum colligamus futurorum. Unde & nos veram amicitiam ſperamus ex vobis, quæ amico ſepulto non ſepelitur in vobis. Docet hoc animi veſtri erga Reginam ſanctus, & ſuperſtes affectus; cui pro eâ intervenire non ſufficit; niſi & aliorum etiam impetret interventum. Oratis quidem orari pro eâ: ſed credimus eam plus poſſe ſuis nos adjuvare, quàm egere noſtris precibus adjuvari. Fateamur enim neceſſe eſt, eam deceſſiſſe Reginam, cui nec ex opulentis deliciis, nec ex poteſtatis licentiâ, nihil

ex

,, ex lenocinio sexus, ad honestatis periculum ,, surrepsit. In eâ præter virtutem, nihil virtus ,, invenit. Quem vitæ modum, licet interventu post mortem, non egere noverimus; ve-,, stram tamen præcessimus exhortationem, ve-,, riti judicium, nisi orationum sedulitatem, ,, quam à nobis Regina promeruit, spontanei ,, potiùs, quàm rogati solveremus. Ingratum ,, coluit, nisi colatur & ipsa pro seipsâ. Præterea ,, non solamur à debito, si interventum nostrum ,, alienus ei comparet interventus. Beneficium ,, namque pro alio remunerare, quàm pro se-,, ipso; non solvit, sed obligat debitorem. Sanè ,, pro destinatis nobis scriniis, primo paginæ ,, nostræ capitulo, gratias ageremus: nisi sicut ,, in animo, sit & in scripto, primum sibi locum ,, Regina vendicaret. Serò enim Reginæ me-,, minit, quisquis ejus post aliud recordatur. Ita Hildebertus.

IX. Hunc de Reginâ sensum expressit Anglia, cum eam inter Sanctos, annuâ commemoratione coluit, ad trigesimum Aprilis. nam eo die, vel potius sequenti obiisse creditur: de quo Parisien is ad hunc annum: *Obiit eodem anno Mathildes Regina Anglorum, cujus corpus apud Westmonasterium quietem sepulturæ accepit. & anima ejus se cælum possidere evidentibus signis, & miraculis crebris ostendit.* Huntindonius etiam eidem his versibus parentat.

Martyr. Anglica. 30. Aprilis.

Parisien. hic.

Huntindo. fo. 380.

Prospera non lætam fecere, nec aspera tristem:
Aspera risus ei; prospera terror erant
Non decor effecit fragilem, nec sceptra superbam.
Sola potens humilis, sola pudica decens.
Maii prima dies nostrarum nocte dierum
Raptam, perpetuâ fecit in esse die.

X. Sanctæ Principis mortem multa mala sequuntur: de quibus ita Edmerus: *His diebus, gravi damno Anglia percussa est in morte Reginæ. Defuncta siquidem est apud Westmonasterium, Kalendis Maii, & in ipso Monasterio decenter sepulta. Quo autem judicio Dei ignoramus. Ilico posthac, plures Normannorum; quam Regi juraverant fidelitatem postposuerunt, & in Regem Franciæ, Principesq; ejus adversarios; scilicet ipsius naturalis Domini sui, non veritis justitiam, se transtulerunt. Unde quæ & quanta mala emerserint, cogitatu ne dicam, dictu scimus esse difficile* Hæc ille. Hærebat tunc in Normanniâ Henricus; ubi plures animorum motus in apertum bellum facilè sensit irrupturos. Iratum impetus, Ludovicus, cognomento Crassus, accenderat, causatus Normanniæ Ducatum, si non Roberto, Henrici Regis fratri, in vinculis detento; ejus tamen filio, Guilielmo nomine, hereditario jure deberi: indignumque esse Regiæ stirpis juvenem, eo spoliatum, inglorium vivere. Cæterùm licet Crassus author incentorque initio fuerit, Henrico Normanniam occupandi: nunc tamen ex quo Theobaldi Blesensis Comitis causam Henricus nuper contra Ludovicum defenderat; Ludovicus in Henricum mutato consilio irarum plenus insurgit. & Normanniam illi extorquere conatus, Guilielmi Roberti F. nomine, Normannorum animos ab Henrico primùm alienos; deinde suos effecit. Hinc crudele satis bellum exarsit: eò funestiùs, quo exulceratæ mentes diuturnitate temporis plus virium collegerant.

Edmer. l. 5 fo. 122.

Ludovicus Crassus Normanniam turbat.

XI. Exordium belli à Francis fuit. Ludovicus Normanniam ingressus, provinciales terruit; dissimulante Henrico primum impetum; ratus patientia melius, quàm ferro frangendum: sed ubi cives de injuria conquesti, Principis iram ad vindictam excitarunt. Tunc enimvero Henricus Rex, militem induens: se non ob inertiam quievisse: sed suorum sanguini, salutique Reip. consuluisse, insigni oratione testatus est. Dicat id Malmesburiensis, & Henrici consilium explicet. *Itaque diu producto intuuicitus, cum uterque grossum tumeret: ne alter alteri pro personâ cederet: Ludovicus Normanniam venit inflatiori anhelitu lati omnia exhauriens. Nunciabantur hæc Regi (Henrico) qui apud Rothomagum se continebat; quoad vulgus militum aures ejus infestaret; pateretur repelli Ludovicum, hominem aqualiculi pondere olim lectum foventem: sed nunc pro dissimulatione sua, minis auras oncrantem. Ille paterni memor exempli, fatuitatem Franci patientiâ extundere, quam viribus repellere malebat. Quin etiam milites benignè appellando, hac ratione mulcebat. Non debere eos mirari, si sanguinis eorum prodigus esse caveret; quos sibi fideles, non modicis experimentis, approbasset. Impium esse, ut ad regnum sibi parandum, eorum glorietur mortibus, qui vitam suam, pro ejus salute, ultroneu devoverant certaminibus: Illos regni sui nutritos pietatu alumnos: quapropter boni Principis se velle sequi exemplum; ut modestiâ suâ eorum remoreretur impetum, quos ita paratos pro se videat ad moriendum. Postremò cum videret prudentiam suam, sinistrâ interpretatione turbari; & ignaviam vocari in tantum, ut Ludovicus propè Rothomagum, quatuor milliariis, ignes faceret, prædas ageret: majori fortitudine vim animi concussit, & procinctu parato vicit egregiè præteritas dissimulationes, feroci puniens victoriâ.* Ita ibi.

Henricus tardius ad iram.

Malmesb. l. 5 fo. 281.

XII. Ludovicus In partes suas traxerat Balduinum Flandriæ, & Fulconem Audegavensium Comites: Guilielmum etiam Roberti F. accesserat Guilielmus Crispinus Ebroicensis Comes, quem Henricus nuper proscripserat. Pro Henrico erant Britanniæ Comes, & Theobaldus Blesensis, è sorore nepos: filiique Regis, nimirùm quos intra & extra matrimonii leges susceperat. Belli classicum Annales nostri, Huntindonio duce, ita canunt. *Rex Henricus, quinquagesimo secundo anno, ex quo Normanni Angliam obtinuerunt; regni verò sui anno decimo nono pugnavit gloriosè, contra Regem Francorum. Proposuerat quidem Rex Francorum aciem cui præerat Guilielmus filius Roberti fratris Henrici Regis. Ipse verò cum maximis viribus, in sequenti erat agmine. Rex verò Henricus in prima acie, Proceres suos constituerat. In secundâ, cum propriâ familiâ eques ipse residebat. In terriâ verò, filios suos, cum summis viribus, pedites collocaverat. Igitur acies prima Francorum, agmen Procerum Normanniæ statim equis depulit, & dispersit. Postea vero acies, qua Rex Henricus inerat, collidens, & ipsa dispersa est. Acies itaque Regales sibi invicem offenderunt: & acerrimè pugnatum est. Hastæ franguntur omnes, gladiis res agitur. Interim Willielmus Crispin, Regis Henrici caput, gladio bis percussit. Cumque lorica esset impenetrabilis, magnitudine tamen ictuum ipsa lorica aliquantulum capiti Regis inserta est, ut sanguis prorumperet. Rex vero percussorem suum, ita gladio repercussit; ut cum galea esset impenetrabilis, mole tamen ictus, equitem & equum prosterneret, & mox ante Regios pedes captus est. Sed acies pedestris, in qua filii Henrici Regis inerant, nondum percutiens, sed mox percussura;*

Utrimque concurritur.

Huntind. l. 7 fo 380.

Victoria penes Henricum.

lanceis inclinatis ex adverso insurrexerunt. Quod Franci videntes, horrore insperato liquefacti, terga dederunt. Henricus autem Rex victoria perstitit in campo; donec optimates hostium capti sunt, & ante pedes ejus positi. Reversus verò Rothomagum in signorum sonisibus, & Cleri concentibus, Deum, & Dominum exercituum benedixit.

XIII. Sunt qui velint, Fulconem Andegavensem, hoc tempore, Henrici Regis operâ, à Gerardo Engolismensi Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato, excommunicationis sententiâ percussum esse. Ita eidem Legato factum exprobrat Goffridus Abbas Vindocinensis l. 1. Epistola 21. ubi inter cætera: *Illud itaque quod contra Comitem Andegavensem egistis; esset satis silentio supprimendum: sed occultari minimè potuit, quod multis populis extitit divulgatum. Asserunt quidam vos, quasi Baalam alterum, Regis Anglici pecuniâ fuisse corruptum: & ideirco injustam, in prædictum Comitem excommunicationis protulisse sententiam. Et licet excommunicatio vestra vires etiam unius diei habere non potuerit; amicis tamen Romana Ecclesiæ peperit verecundiam*, &c. Qui notas adjecit in Magnâ Patrum Bibliothecâ Goffridi libris, & Epistolis, Jacobus Siemondus, vult hoc loco per Comitem Andegavensem, Fulconem intelligi: quod videtur omnino dicendum: sed quod ad illustrandam sententiam adfert, & dicit: *Huic enim bellum cum Henrico Anglorum Rege, ac Duce Normannorum fuit, anno millesimo centesimo decimo octavo, ad Alenconem Castrum, & Sagium: ubi collatis signis, Comes victor abiit.* Legendum sine dubio: *Comes victus abiit*: imò fugit. nam victoria hujus belli penes Henricum fuit; qui non in Fulconem, sed in Ludovicum Francorum Regem, cui Fulco in subsidium venerat, pugnavit. ut passim Authores, tam nostri, quàm externi testantur. Unde Gordonius, qui nusquam Gallorum victorias tacet, hoc prælium ita breviter absolvit. *Redintegratur*, inquit, *& strenuè utrimque geritur bellum, inter duos Reges, Francum & Anglum.* & Matthæus Parisiensis ita loquitur: *Acies pedestris, in quâ filii Regis erant, quæ intacta adhuc fuerat, lanceis inclinatis, ex adverso prorupit in hostes, cum impetu adeo ponderoso; quod Galligenas acies omnes coegit in fugam. At illi subitò liquefacti terga ostendentes, Regi Henrico victoriam concesserunt. Qui potenter in campo perstitit; donec optimates hostium, Rege Francorum fugiente, capti sunt, & Regi victori præsentati. Comes vero Flandrensis lethaliter vulneratus, ad sua est in lecticâ adductus.* Ita ille qui paulò post, Comitem Flandrensem Balduinum è vulnere mortuum testatur.

Goffrid. l. 1. Ep 21 to 12. p. 1. fo. 225.

FULCO A LEGATO EXCOMMUNICATUS.

SERMONDI NOTA CORRIGITUR.

Gordon. hic.

Parisien. an. 1119.

XIV. TEMPORIS RATIO. Licet passim Authores nostri hoc prælium narrent ad annum Christi millesimum centesimum decimum octavum, vel ad annum decimum nonum Regis Henrici: & quinquagesimum secundum, ex quo Guilielmus Senior in Angliâ regnavit. Gordonius tamen, tunc bellum quidem cœptum, sed belli exitum, sive victoriam, in sequentem conjicit: satis insinuans penès Gallum victoriam non fuisse. nam ita loquitur. *Inito quodam conflictu ad Normanniæ fines victoria dicitur favisse Anglo Regi, adversus Ludovicum: quam Anglorum historici verbis etiam augent.* Verùm non Angli solùm, sed Polydorus etiam Vergilius, civis Anglus est: & Nicasianum oppidum, quod Ludovicus per dolum ceperat, hoc prælio, ab Henrico receptum scribit. Refert Huntindonius, qui duodecimo hoc sæculo vixit, Poetæ versus victoriam Anglo Regi, & Normannis cum eo pugnantibus, gratulantis, in hunc modum:

Gordon. an. 1119.

Polydor. l. 11.

Henricus Regum Rex, & decus, abstulit altos
Francigenis animos Ludovicum namque Nugensi
Rex Regem campo, magnum major superavit
Proposuere fugam bellis, calcaria eclis,
Galli præcipites; famâ spoliisq́; potitos
Laurea Normannos, & laus æterna coronat.
Sic decus iste Ducum; sic corda tumentia pressit
Oraq́; Francorum mutire superba coegit.

Huntindon.

XV. Fu... AD... NI UM TR. N De Fulcone Andegavensium Comite non aliud scribitur, quàm quòd cæso Balduino, ad Henrici partes transierit, pacemq́ue matrimonii sanctitate firmaverit, de quo anno sequenti. Sed de bello satis, Ecclesiam revisamus; & Gelasium Papam, in Galliam deducamus, Cantuariensem inter & Eboracensem Episcopos arbitrum, nam lis illa supremi tribunalis est, nec nisi Apostolico ore finienda. Edmerus ita de illa: *Inter hæc præfatus Papa Gelasius, per mare, Burgundiam venit: & adventus ejus mox Galliæ toti innotuit. Excitati sunt quique potentes, cum mediocribus, ei occurrere, & certatim parabantur interesse Concilio, quod ipse disponebat, se media Quadragesima Remis celebraturum. Radulphus quoque (Cantuariensis) Archiepiscopus, audito Papæ adventu; de Rothomago, ubi eousque morabatur egressus, impiger ei occurrere statuit. Sed ubi aliquantum itineris confecit, accepit à quibusdam, ipsum Papam longius discessisse, & versus Hispanias ire proposuisse. Unde ob laborem, & prolixitatem difficilis viæ, consilio amicorum suorum, profectionem suam ab incepto rediens distulit: eandem ut putabat profectionem non multò post resumpturus. & ei Cluniacum venienti, auctore Deo, occursurus. Ratus tamen consilii fore, destinavit ad eum Legatos suos; qui & itineris illius certitudinem, & animi ejus qualitatem erga se, quidq́; de negotiis suis, apud eum confidere posset, diligentius investigarent. Quæ ubi Thurstano Eboracensi innotuerunt; relicta Angliâ, Papam, ut sperabat, suæ causæ gratia petiturus, ultrà transiit, & Rothomagum venit. Ubi à Rege, quòd se inconsultò transfretaverit, redargutus; ultra procedere inhibitus est; donec certiorem de processu Papæ sententiam edisceret. Sed evoluto non multo temporis spatio, Legati quos Archiepiscopus direxerat, reversi nuntiant, se ad Papam venisse, cumq́; multa nostris sæculis nova, & inaudita proponentem facturum, morte præventum Cluniaci esse sepultum.* Hactenus de his Edmerus. Verùm de Gelasii morte dicam anno sequenti. nam ad finem ferè Januarii superfuit.

Edmer ... 128.

... A-... IUS IN ... URSUS AD EUM.

XVI. RANULFUS DUNELMENSIS MONASTERIUM EXTRUIT. Anglicanæ Ecclesiæ pomerium hoc anno ampliatur, erecto in honorem Sanctissimæ Trinitatis Templo in Hamtoniensi Comitatu: quod Ranulfi Dunelmensis Episcopi pietate positum, à Gaufrido Herefordensi consecratum memorant Annales. Hovedenus ita: * *Hoc anno, Ecclesia quædam in Anglia apud villam quæ dicitur Mottesfeld à Gaufrido Herefordensi Episcopo dedicata est.* Alii aliter villam nominant. Spedus in Catalogo Mottisfount appellat: & Ecclesiæ primordia ad Gulielmi Rufi tempora refert, Prioratumq́ue ibi nigris Canonicis, in Augustini disciplinâ institutis, à Ranulfo Dunelmensi assignatum scribit. & verò licet Ranulphus ille, multa peccaverit, famamq́ue malefactis maculaverit: conatus tamen est benefactis maculas eluere. Unde de

* Hoveden. hic.

Sped. in Catalo.

Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 175.

hoc tempore, benè scripsit Malmesburiensis: *Si qui essent Ecclesiarum Prælati, qui viderentur ab antiquorum sanctitate degeneres; in mundialibus scilicet efficaces, in spiritualibus desides: tales, inquam, si qui essent, sumptuosis locorum cultibus conabantur errata obumbrare. Erigebat quisque templa recentia, Sanctorumque suorum argento & auro amiciebat corpora: nihil prætermittendo charitate sumptuum, quod ad gratiam posset allicere oculos intuentium. Quorum est Ranulphus; qui apud Dunelmum factus Episcopus, in ædificiis Monachorum novis, nonnullam gloriam nominis suo commentus est.* Godwinus etiam ubi Dunelmenses Episcopos numerat, de Ranulpho:

Godwin. in Catalo.

Prioratum, inquit, *de Motsford propè Wintoniam primus fundavit, & Canonicis replevit atratis.*

ANNUS CHRISTI 1119.

CALLISTI II. PAPÆ 1.

HENRICI PRIMI REGIS 20.

I. MORITUR GELASIUS PAPA.

SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus decimus nonus, quo Gelasio mortuo, sopiri non potuit schisma, quod Henrici factione, & Gregorii creatione, Romanam Ecclesiam vexavit. Ne tamen orbis, sub infami capite, quod laica manus erexerat, ultrà gemeret: Cardinales, qui in Galliâ, morienti Gelasio adeeant; Viennensem Archiepiscopum, Guidonem nomine, summum Pontificem creaverunt; virum, & ortu, ac natalibus, magnum, & longo tempore sub Paschali Papâ, Apostolica legatione functum. quid inde factum dicat Edmerus noster.

CALLISTUS II. PAPA.

Edmer. l. 5. fo. 123.

Dum hæc Ecclesiastica, in Burgundiâ disponuntur, Apostolatus Romanæ Ecclesiæ, Gregorio, Sede B. Petri præsidente, administratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concussa est, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum, Ecclesiæ Dei jure Prælatum asserentibus. Galli tamen & Rex Anglorum, cum Pontifice Cantuariorum in Calixtum se transtulerunt: & eum, spreto Gregorio, pro Apostolico susceperunt. Confirmatus in Apostolicâ Sede Callistus, ad componendam Ecclesiam Synodum ad Rhemensem urbem indicit: quò, quia Anglorum Episcopi, cum aliis invitati, est ibi paulò diutiùs immorandum. præsertim cum Thurstanus Eboracensis, in Cantuariensis Ecclesiæ præjudicium, novus Jacob, benedictionem à Romano Pontifice suffuratus sit. quod ab Edmero narratur in hunc modum.

II. Edmer. l. 5. fo. 124. CONCILIUM GENERALE RHEMIS.

Inter hæc, ipso videlicet electionis suæ anno, Calixtus Papa instituit Rhemis generale Concilium, decimo tertio Kalendas Novembris, qui fuit annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus nonus decimus. & ex quo Radulphus Archiepiscopus, Romam iturus, Angliam exierat, annus quartus. Ad hoc Concilium, factus est multiplex Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Principum diversarum provinciarum concursus, cum numerosâ Clericorum, & Plebium multitudine. Quos inter directi sunt ab Henrico Rege Anglorum, ad ipsum Concilium Episcopi & Abbates Normanniæ, & insuper Episcopi Angliæ, qui tunc temporis in Normannia cum illo degebant: Willhelmus videlicet Exoniensis, Ranulphus Dunelmensis, Bernardus Menevensis, & Urbanus Glamorganensis. Radulphus autem Pontifex Cantuariorum, partim corporis imbecillitate, partim aliis rationibus præpeditus, ab accessu ipsius Conventus prohibitus est.

EÒ VADUNT ANGLORUM EPISCOPI.

Thurstanus autem (Eboracensis) a Rege licentiam petens illuc eundi, eam obtinere nullatenus potuit; donec interpositâ fide suâ, quâ ei, sicut Domino suo astrictus erat, illi promitteret; se apud Papam nihil acturum, unde Ecclesia Cantuariensis ullum antiquæ suæ dignitatis dispendium incurreret: nec Episcopalem benedictionem ab eo, ulla ratione suadente, susciperet. Itaque tali sponsione ligatus, iter arripuit: & ad Papam, quemadmodum suo negotio expedire sciebat, impiger venit. Quid plura? Posthabitâ fidei sponsione, Romanos in causam suam, quos in quæque negotia pertrahi solent, largitatis officio transtulit, & per eos, ut à Papa Episcopus sacraretur, suâ manu cooperante, impetravit. Ita Edmerus.

ET THURSTANUS EBORACENSIS ARCHIEPISCOPUS CONSECRATUR A PAPA.

III. Non potuit hac ratione componi controversia: nam exasperati Anglorum animi, fraudulentum, ut videbatur, agendi modum damnaverunt. Sed & Henricus Rex factum horruit, Thurstano admodum succensuit, & infulam non reversus, et omni Angliâ, Normanniaque interdixit: sed malo Edmerum legere, rem gestam ita narrantem. *Nuntium suum Rex, ante hæc, ad Papam direxerat, cautum illum faciens de querelâ, quæ usque id temporis versabatur, inter Radulphum Archiepiscopum Cantuariorum, & ipsum Thurstanum. Nuntius autem horum & executor fuit Siffredus, cognomine Pelochinus, frater Archiepiscopi, habitu Monachus, ingenio gnarus, prudentiâ providus, Regi ac Papæ familiaritatis nexu copulatus. Igitur inter alia, quæ huic Rex Papæ dicenda indixit; præcipuè jussit ei dici, quatenus id observaret, ut nullius gratiâ rei intervenienete, Thurstanum aut ipse sacraret, aut ab aliquo, nisi à Pontifice Cantuariorum (uti moris esse solet) sacrari juberet, aut permitteret: alioquin se illum in nullum suæ dominationis locum amplius recepturum. Et si contra hanc sententiam, quasi Apostolatus sui authoritate, fortè ire vellet; certus existeret; quòd nec pro amissione coronæ suæ, utpote spatio septem annorum excommunicatus, propositum suum in hac causâ permutaret. Respondit. Ne putet Rex me, de negotio, quo de agit, quavis ratione secus acturum, quam ipse velit. Nec enim me unquam ad hoc mea tulit voluntas, ut Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, cui tot præclari Patres, ut penè toti mundo notissimum est, præsederunt, quoquomodo humiliem. His Apostolici verbis Regius nuntius credulus effectus, de suæ legationis effectu, securus factus est. Quapropter cum Rhemos venisset: & mane Dominici diei præcedentis, diem præstituti Concilii, cum Cantuariensis suis sociis audiret apud S. Remigium, quosdam protestantes ei, Thurstanum & suos alacres ad benedictionem Pontificatus, in Sede Episcopali præparari; Miratus est ultra modum. nec iis quæ dicebantur aliquatenus poterat fidem præbere.*

SIFFRIDUS PELOCHINUS NUNTIUS INTER REGEM ET PAPAM.

IV. CALIXTUS EBORACENSEM CONSECRAT.

At ubi rei veritas palam innotuit, Ioannes Archidiaconus Cantuariensis; quem negotii istius tenor illuc adduxerat; Papæ astitit; & in præsentiâ plurimorum Episcoporum, aliarumque excellentium personarum; ipsam benedictionem, vivâ voce, a Pontifice Cantuariorum fieri debere, calumniatus est. nec ipsum; licet officio Papæ fungeretur; jure posse Ecclesiæ Cantuariensi jus suum præripere: cum constaret eam nulli, quod justè debebat, eo usque denegasse. Ad quæ ille respondens: Nullam, inquit, injustitiam Ecclesiæ Cantuariensi facere volumus: sed salvâ justitiâ, & dignitate illius, quod proposuimus exequemur. Quod audientium quique mirum dictu judicarunt; videntes

eum abjectâ fronte, quæ dicebat, n mu injustè facto resellere. Consecratum namque in Pontificatum Eboracensem Thurstanum est, fide quam Domino suo, sub Deo pollicitus fuerat, hoc modo frandatus. Ex quo facto in admirationem concussa sunt corda multorum. Rati enim sunt cantaurem, cum illatum præsumere potuisse, si Regiam voluntatem sibi consentaneam, in ea, non advertisset. Huic consecrationi, cum ad jussum Papæ, plures è Gallià Episcopi interessent, reverendæ memoriæ Hubaldus Archiepiscopus Lugdunensis, nullo pacto, nec ipso Papa jubente, interesse voluit. perpendens non rectà calle rem procedere: & horrens tantam injuriam Ecclesiæ Cantuariensi, cui speciali amicitiâ, & fraterna familiaritate jungebatur, contra æquum infligi. Episcopi vero regni Anglorum, quos ad Concilium à Rege Henrico directos diximus, nondum illuc venerant; & eà re illis absentibus hæc ita completa sunt. Quæ ut Regi certo innotuerunt, interdans omnibus modis Thurstano, & suis interdixit. redire in Normanniam, & Angliam, & in omnem locum dominationis suæ. Ratum ex his quique audientium habuere, præter consensum Regis, quæ fuerunt facta fuisse.

V. Post Thurstani consecrationem cœpta est Synodus: cujus acta è Rogerio nostro, quem Hovedenum soleo appellare, recitat Baronius, & sunt hujusmodi. *Postera die residentibus ordine in Concilio Ecclesiasticorum graduum personis, assidente quoque Rege Francorum Ludovico, multisq; aliis principalibus viris, ex consensu cunctorum Patrum, renovantur statuta de statuendis; & rescindenda de rescindendis, quorum hæc sunt quinque Capitula.*

Hoved. hic.

Acta Concilii Rhemen.

Prohibetur venditio rerum Sacrarum.

1. Quæ Sanctorum Patrum sanctionibus de pravitate simoniacâ stabilita sunt. Nos quoque Sancti Spiritus judicio, & authoritate Sedis Apostolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit, aut emerit, vel per se, vel per quamlibet submissam personam, Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Præposituram, Præbendam, altaria vel qualibet Ecclesiastica beneficia, promociones, ordinationes, consecrationes, dedicationes Ecclesiarum, Clericalem tonsuram, sedes in choro, aut qualibet Ecclesiastica officia. Et vendens, & emens, dignitatis ac officii sui, & beneficii periculo subjaceat. Quod nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus, ab Ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur.

Item Investitura Laica vetatur.

2. Episcopatuum, Abbatiarum, aut quarumlibet Ecclesiasticarum possessionum investituram, per manum Laicam fieri prohibemus. Quicumque igitur Laicorum deinceps investire præsumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porrò qui investitus fuerit, honore quo investitus est, absque spe recuperationis omni modo careat.

Sacrilegia puniuntur.

3. Universas Ecclesiarum possessiones inconcussas in perpetuum, & inviolatas esse decernimus. Quod si quis eas abstulerit, aut invaserit, aut potestate tyrannicà detinuerit, juxta illud B. Symmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur.

Beneficia Ecclesiastica nondantur hæredibus.

*4. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de Clero Ecclesiasticas dignitates, vel beneficia cuilibet, & quasi hereditario jure derelinquat. * Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro Baptismatis, Chrismatis, Olei sacri, ac sepulturæ acceptione, nullum omnino pretium exigatur.*

*** Nec pretium pro Sacramentis.**

† 5. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, concubinarum, & uxorum contubernia penitus interdicimus. Si qui autem hujusmodi reperti fuerint; Ecclesiasticis & officiis priventur & beneficiis. Sanè qui neque sic immunditiam suam correxerint, communione careant Christiana.

† Castitas Clericorum injungitur.

Cum hæc Synodi decreta Rogerus, & ex eo Baronius, recitassent: Quid deinde cum Henrico Imperatore actum, referunt in hunc modum. *Hæc Decreta Concilii Henrico Imperatori, cum non longè abesset, ex Concilio primum per honestas personas; ad ultimum per ipsum Apostolicum mandantur: ut ante separationem Concilii notum esset; utrum Ecclesiis per regnum, & singulas quasque sibi subjectas provincias consentiat, Canonicas electiones, videlicet, ut Episcopi & Abbates eligantur ab Ecclesia; & liberas consecrationes, ut ubi, & à quibus oporteat electi consecrentur: ut per investituram pastoralis virgæ, & annuli, per ostium, id est, Christum ingrediantur, & investituram rerum Ecclesiasticarum, nihil omnino sibi laicalis exigat persona. Ad hæc ille respondit: Nihil in his se prætermissurum, quod sui juris esset, suorumq; sibi contulit antiqua consuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus authoritate generalis Concilii, tria illa prius concessit: ultimum vero scilicet investituram rerum Ecclesiasticarum concedere noluit. Quapropter reverso ad Concilium Papâ, excommunicandus decernitur. Quod cum quidam in Concilio ægre ferrent, sententiam protulit Apostolicus: ut qui in hoc scandalizarentur, exeuntes à Fratrum consortio separarentur; proposito de illis septuaginta exemplo, qui cum de carne Domini manducanda, & sanguine bibendo scandalizarentur, retrò abierunt; & jam cum illo non ambulabant. Et quoniam, inquit, Qui non colligit cum Domino, spargit: Et qui non est cum eo, adversus eum est: illam inconsutilem tunicam desuper contextam, scilicet sanctam Ecclesiam, qui nobiscum sentiendo indiscissam servare nolunt, dissentiendo à nobis, discindere contendunt. Talia sermocinante Apostolico, illico omnes in eundem consensum reducti, in Imperatorem Henricum excommunicationis sententiam jaculantur.* Hæc nec plura de gestis in Synodo, aut Rogerus, aut Baronius referunt.

VI. Quid Henricus Imp. ad Acta Concilii.

Henricus I... excommunicatur.

Opinor tamen Anglorum Episcopos, pro Ecclesiarum suarum indemnitate in Synodo dixisse. Qui licet contra Thurstani consecrationem non exceperint, quia factum, infectum esse non poterat; suarum tamen Sedium prærogativam urserunt. [a] Bernardus Menevensis aliquando stomachatus est, quod suæ Sedis Episcopi; Britanniæ quondam Primates; Cantuariensi Ecclesiæ subderentur. Nescio an litem super eo in hac Synodo moverit, qui in altera Rhemensi, coram Eugenio Papa vocalis admodum fuit, ut [b] dicetur. certè alienior Callisti animus à Rodulpho Cantuariensi eum fortè animosum fecit. Certior est [c] Urbani, qui supra Glamorganensis dicitur Episcopus, intercessio, pro Landavensi Ecclesiâ, cui præfuit, & unde multò rectiùs Landavensis scribitur. de quò Godwinus: *Quo primùm tempore Præsulatum ingressus est, tenuissimum offendit, & pudendâ pessimè paupertate. nam cum redditus per se satis essent exiles, per superiorem Episcopum, tam improvidè sunt dispensati; ut jam præter ipsum Episcopum vix duobus Canonicis alendis suffecerint, qui viginti quatuor sustentandis olim satis fuissent. Ecclesia deinde fere tota collapsa fuerat, in recentibus sub Gulielmo Primo bellis sæpius vastata. His de rebus apud Pontificem, Callistum Secundum, conquestus, cum Concilio Rhemensi anno millesimo centesimo decimo nono interesset; literas ab eo impetravit ad Regem & Archiepiscopum, nec non ad Diœcesanos suos; in quibus impensè eos hortatus est; ut Episcopum*

VII. Britanni Episcopi pro E... suis orant Concilium.

[a] Bernardus Menevensis.

[b] V. an. 1148.

[c] Urbanus Landavensis.

Godwin. in Landav.

unusquisque pro virili adjuvaret, in rebus Ecclesiæ suæ, tam turbatis, componendis. Ferunt Archiepiscopum, ut popularium munifi entiam eliceret; quartam partem pœnitentiæ infligendæ, unicuique ad structuram Ecclesiæ stipem exhibenti, indulsisse: indeq; collectam magnam pecuniæ summam. Hoc adjutus subsidio Vrbanus, veteris Ecclesiæ reliquiis demolitis, nova structuram aggressus est. Ita Landavensis altee ultimæ editionis Episcopus. De novâ per Urbanum structurâ plura anno seqoenti. nunc quid à sioita Synodo factum videamus.

VIII.
* V. infra 1130 10.
Edmer. l. 5. fo. 125.
Acta inter Callistum et Regem.

Itaque post hæc (scribit Edmerus) *Calixtus* * *Gisortium venit, & Rex Henricus, illic ei locuturus accessit. Acta igitur sunt multa inter eos, quorum gratiâ par erat tantas personas convenisse. Inter quæ, Rex à Papa impetravit, ut omnes consuetudines, quas pater suus in Angliâ habuerat, & in Normanniâ, sibi concederet: & maximè, ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret; si non ipso aliquâ præcipuâ querelâ exigente, & quæ ab Archiepiscopo Cantuariorum, cæterisq; Episcopis regni, terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet. Quibus omnibus, pro statu temporis definitis; Papa rogat Regem, Thurstano amicum fieri, eumq; Pontificatui, ad quem ipsum sacraverat, pro amore suo restitui. At ille, hoc se, dum viveret, non facturum, in sua fide spopondisse, confessus est. Ait: Ego Apostolicus sum: & si feceris quod postulo, ab hac te fidei sponsione absolvam. Tractabo de his, ait; & quæ consilii mei tenor invenerit, Paternitati tuæ notificabo. Hinc à Papa recessit. & ei per internuntios suos, de negotio ita respondit. Quod dicit se, quoniam Apostolicus est, me à fide, quam pollicitus sum, absoluturum. si contra eandem fidem Thurstanum Eboraci recepero, non videtur Regiæ honestati convenire, hujusmodi absolutioni consentire. Quis enim fidem suam cuivis pollicenti amplius crederet; cum eam, mei exemplo, tam facile absolutione annihilari posse videret. Verùm tamen quia Thurstanum tantopere in Pontificatum petit admitti, quantum mea refert, ea conditione, pro amore suo concedo; ut ipse primo Cantuariam veniat, & debitam obedientiam ac subjectionem, quam Thomas, Girardus, & alter Thomas Ecclesiæ Cantuariensi, ejusq; Primati, professi sunt, scriptâ ex more professione, profiteatur. Quod si facere supersederit, sciat, quòd nullo edicto compellente, me in Angliâ regnante, Eboraci Ecclesiæ præsidebit. Hoc siquidem me servaturum promisi, & fidem meam vadem posui, ne aliquando fiam transgressor hujus promissi.* Hæc ille.

Papa pro Thurstano intercedit.

Henricus sub conditione Thurstano reconciliatur.

IX.
Thurstanus conditionem respuit.

Thurstanus propositi sui tenax, Callisto conjunctus, obstinavit adhuc mentem; noluitque aut Regem audire, aut Cantuariensi subesse. Non ausus tamen aut Angliam ingredi, aut in Normanniâ peregrinari. Quod ubi Callistus vidit: Henrico Regi & Radulpho Cantuariensi succensuit, adeo ut literas in Angliam ad utrumque miserit, dien minatus ni Thurstano aditum ad Eboracensem Sedem facerent. de quo ita Hovedenus: *Epistolâ Calixti Papæ super Thurstino directâ, ad Regem Henricum, & Radulphum Cantuariensem Archiepiscopum. Ipsi Sacerdotale, & Episcopale interdicit officium: & tam in Matrice Cantuariensi, quàm in Principali Eboracensi Ecclesiâ, cum suis parochiis, divina omnia celebrari officia, cum sepulturâ mortuorum prohibet: præter baptisma infantium, & pœnitentiam morientium; nisi infra unum mensem, post acceptionem ipsius Epistolæ Turstinus, sine exactione professionis, in suam restituatur Ecclesiam. Quamobrem à Rege mox revocatus in Angliam, reducitur in Archiepiscopatum suum.* Edmerus in Callistum pauld intensior, quod Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium fecisse videretur. *Thurstanus literas à Callisto, more, quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat. Quibus jubebatur, ut ipse Thurstanus Episcopatu suo potiretur: aut Rex anathemate, & Radulphus suspensione Pontificalis officii, plecteretur. Ad quod retitata sunt sententia privilegiorum, quæ superiori libro indidimus. Et quàm dignè Deo hæc Apostolica disponerentur, intellectum est ab omnibus. Tamen nè præmissa intentio pœna, Regem, vel Pontificem, aliquatenus conturbaret, ex communi consilio permissus est idem Thurstanus Angliam redire, & Eboracum Regiâ viâ venire. Quod & factum est, eâ dispositione, ut nullatenus extra parochiam Eboracensem Divinum Officium celebraret, donec Ecclesiæ Cantuariensi, de injuriâ, quam ei intulerat, abjuratâ cordis sui obstinatione, satisfaceret.*

Hoved. fo. 477.
Callisti literæ commonitoriæ.

Edmer l. 6. fo. 130.

Jure quis hoc loco mirari poterit; cur Callixtus, Cantuariensis Ecclesiæ prærogativam, Rege, & Radulpho, nequicquam obnitentibus, læserit: Fidemque, quam Henrico, per nuntios, dederat, se primæ Sedis jura defensurum; Thurstani consecratione violaverit. Edmerus hanc injuriam satis exaggerat: & Lectorem feeè cogit Callisto irasci; quod præter Romanorum Pontificum morem, Cantuariensi Ecclesiæ parum benevolus, Eboracensem à subjectione feeè solverit. Admirationem auget, quòd vix in Petri Sede collocatus novus Pontifex; & Burdino adversario, per Imperatorem erecto, Pontificiæ dignitati imminente; utrumque Henricum, potentissimos tunc Europæ Monarchas, parum reveritus; unum ab Ecclesiasticâ communione removerit; alteri eandem pœnam intentarit: præsertim cum Henricus noster, pro Ecclesiarum jure, non contrà, pugnaverit. Sed reverà dicendum, subfuisse aliquid, quod Callistum, virum integerrimum, & Ecclesiasticæ libertatis vindicem impulerit; Radulpho Cantuariensi nonnihil adversari. quod quia Edmerus tacuit, & Malmesburiensis atque Rogerus Hovedenus eum sequuti, ignorasse aut dissimolasse videntur; hinc Radulphi, quàm Callisti causa potior legentibus apparet. Matthæus Parisiensis, Radulphi, Cantuariensis consecrationem ita narrat. *Rex Henricus dedit Archiepiscopatum Cantuariensem Radulpho Londinensi* (sed lege Roffensi) *Episcopo: & illum per annulum, & pastoralem baculum investivit.* Hinc fortè lacrymæ, & Callisti in Radulphum iræ. Qui enim in Rhemensi hac Synodo, tam constanter pro Investituris dixit, fecitque, quomodo potuit, aut investienti Henrico, aut Radulpho investito, esse benevolus? Noluit ergo Cantuariensium Episcoporum per ostium ingredientium jura lædere, quod sanctæ promisit: sed voluit Radulphi aliunde ascendentis, crimen punire.

X.
Cur Callistus Cantuariensi Episcopo succensuit.

Paris an. 1113.

Num Radulfus ab Henrico Rege investitus?

Tacuit hunc in Radulpho solœcismum Edmerus, in Episcopum quocum assiduus, & familiaris erat, pronior. Sed ejusdem Radulphi cunctatio, cum Callisti in Gallias adventum inaudierat, meritò suspicari facit, aliquid in causâ fuisse; cur nec ad Romanum Pontificem, officii causâ, nec ad Synodum, pro Ecclesiæ suæ tuendâ dignitate, Orator accesserit. Quam cunctationem Edmerus expressit, cum dixit: *Radulphus audito Papæ adventu, de Rothomago impiger ei*

XI.
Nihil de Investitura Edmerus: sed cunctatio Radulfi suspicari facit.

Edmer. fo. 122.

occurrere statuit: sed ubi aliquantum itineris confecit, accepit a quibusdam ipsum Papam longiùs discessisse, & versus Hispanias ire proposuisse; unde ob laborem & prolixitatem difficilis viæ, consilio amicorum suorum, profectionem suam ab incepto rediens distulit. eandem, ut putabat profectionem non multò post resumpturus, & ei Clunìacum venienti, antibote Deo occursurus. Ratus tamen consilii fore, destinavit ad eum Legatos suos, qui & itineris illius certitudinem, & animi ejus qualitatem, erga se; quidq; de negotiis suis apud eum confidere posset, diligentius investigarent. Timuit ergo priùs cum Callisto congredi; quàm ejus animi sensa, & in se affectum exploraret. & ubi didicit in Synodo, de Investiturarum jure tractandum, à congressu prorsus abstinuit. Unde Edmerus, cum Anglorum Episcopos, qui Synodo interessent, supra nominassent: *Ranulphus autem Pontifex Cantuariorum* (inquit *partim corporis imbecillitate, partim aliis rationibus præpeditus, ab accessu ipsius Conventus prohibitus est.*

Idem fo. 124.

XII. EVERTITUR SUSPICIO. V. Malmesb. infra an. 1122. n. 8.

Hæc Ranulphum videntur reum facere, qui à Laica manu Investituram acceperit. Verùm unius Matthæi Parisiensis argumento, non ausim Ranulphum, virum laude dignissimum, in judicium vocare: & quem exteri omnes, & Malmesburiensis imprimis (ut infrà) ab omni crimine immunem faciunt, unius suffragio condemnare. Addo; innocentem facit Romani Pontificis indulgentia, illi noviter consecrato pallium (quod solum Romam adeuntibus dari solitum) mittentis, ut suprà notatum. Quod Paschalis Papa, aliunde, & non per ostium ingresso, non fecisset; qui Laicam Investituram abhominatus, Henrico Regi, per Oratores supplicanti, constanter restitit, ut suprà dictum. Aliud ergo fuit, quod Callistum impulit, non tam Ranulphum, quàm Cantuariensem Sedem premere. nec aliud ab eo, quod olim à Paschali Papa, Legationis munere functurus in Angliam missus; ideo admissus non est, quia Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium censebatur. ut supra vidimus. Hoc unum pupugisse Callistum, & Eboracensi Episcopo favisse videtur: qui quod etiam se Synodo præsentasset; & Radulphus illi non adesset; Romanam Sedem, præ illo, colere, & ideo potiora mereri, à Romanâ Sede judicatum. Quicquid sit: ut legatina potestas ex Urbe descendens, Cantuariensis Ecclesiæ prærogativam minuere creditur: ita Pontificiæ, & Apostolicæ potestatis decrementum erat, non posse nuntios in universum mundum, ad omnem Ecclesiam mittere. quod Callistus hoc uno argumento, consecrati Eboracensis, Cantuariensem Ecclesiam docere voluit. nec mirum, Ecclesiam illam ægrè tulisse: paruisse tamen.

V. an. 1114. 11. &c.

V. an. 1103. 21.

V. an. 1100. 28.

XIII. DUO HENRICUS A PAPA POSTULAVIT; NIMIRUM, CONSUETUDINES ANTIQUAS ET LARIO-RES LEGATOS.

Hanc Callisti mentem Henricus vidit: ideo Gisortii cum esset, duo postulavit. unum generatim & confusè: ut *omnes consuetudines, quas Pater suus in Angliâ habuerat, & in Normanniâ; sibi concederet.* quæ postulatio, quò universalior, eò imbecillior, & exceptionibus magis obnoxia. unde turbæ hoc sæculo natæ; nec nisi Thomæ, sanctissimi Martyris morte denatæ. Aliud igitur à Callisto postulavit, & *maxime, ut neminem aliquando Legati officio in Angliâ fungi permitteret: si non ipse, aliqua præcipuâ querela exigente: & quæ aliter terminari non posset, illud optaret.* Quod ideo à Rege postulatum, quia crebræ ex Urbe Legationes, provincialium animos accenderant; qui alia, quam quæ JESU CHRISTI, & Ecclesiæ essent, quæri causabantur de quo Malmesburiensis, qui Callisti etiam Legationis meminit. *In principio regni Henrici*, inquit, *venerat Angliam ad exercendam Legationem Guido Viennensis Archiepiscopus, qui postea Apostolicus fuit. Tunc Anselmus* (nepos nimirum è sorore Anselmi Archiepiscopi qui à Paschali missus, Radulpho pallium detulit) *nec multò post, quidam Petrus: omnesq; reversi nullo effectu rei, grandi prædâ sui; Petrus maximè, quod omnes incendere caverent, qui esset filius Petri Leonis, summi Romanorum Principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat Legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi. Sed effugabantur omnes cautelâ Henrici. Nolebat enim ille in Angliam, præter consuetudinem antiquam, recipere Legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum: illiq; libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum. At non ita facilis flecti Cono Legatus in Galliâ, omnes Episcopos, & Abbates Normanniæ suspensionis nota implicuit, quod tertiò vocati ad Concilia sua non venerant: super quo habito tractatu, missus Romam Radulphus Archiepiscopus, & Herebertus Norwicensis, ut suo labore tantam Legatorum confusionem digererent. Sed cum ad castellum, quod Ferisatem vocant, venisset, fœdissimum ulcus faciem ejus invasit, & tumescit; certum futuræ paralyseos indicium. Carbunculum vocat Plinius secundus, peculiare vultus vitium; quod vel cutem ad ossa corrodat, vel medicorum prævenientium diligentiâ deformem cicatricem relinquat. Multis ergo diebus decubuit. Sed postea valetudine sedatâ, vel morte potiùs dilatâ, Romam pervenit.* Hæc Malmesburiensis.

Malmesb. de Pont. l. 1. fo. 231.

V. an. 1117. 5.

XIV. S. THOMAS CANTUARIEN. NASCITUR.

Commodùm incidit paulò superiùs, de Thoma Cantuarien. mentio. nam hoc anno millesimo centesimo decimo nono, vel certè superiori, natum, ex epochâ ejus vitæ colligimus; qui enim ætatis anno quadragesimo quarto, in Archiepiscopum consecratur, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo: & quinquaginta trium circiter annorum vir martyrio coronatur anno hujus sæculi septuagesimo; huc, nec aliò referri debent natales ejus. Porro quoniam magnorum virorum exordia, digna sunt quæ Annalibus intexantur, de Thomæ parentibus hic agendum: de quibus ita Quadrilogus de vitâ, passione, & processu ejusdem Martyris. *Non abs re duximus*, inquit, *in principio inserendum, de conjugio patris ac matris, admirandam satis res gesta meditantibus veritatem. ut exinde videlicet facilè advertatur, quantâ curâ ac pietate; à solis ortu & occasu, genere, & conditione tam diversos congregavit in unum prædestinatio mirifica Salvatoris; de quorum sane progenie, sponsam suam Ecclesiam per mundum universum triumphaliter sublimari, & decorari prætendit. Pater Thomæ Gilbertus cognomento Becket, mater Mathildis fuit. ambo generis & divitiarum splendore, suis nequaquam concivibus inferiores: quibus è regione, morum ingenuitate, & piæ conversationis innocentiâ, longè excellentius præeminebant. Institiæ siquidem actionibus insistentes; sine crimine, & querela ut traditur, conversati sunt; ut ex iis, tanquam è Zachariâ & Elisabeth, novum se læterur Anglia suscepisse Ioannem. Nec hunc immeritò, pro modo suo Ioannem dixerim: cui quanta cum Ioanne fuit convenientia, pœnitentiæ labor, & amor iudicat veritatis, pro quâ ad mortem usque decertans, nec sub gladio quidem trepidavit: quo minùs testimonium*

V. an. 1170. 1. & n. 69.

Quadrilogus cap. 2.

Ibid. c. 2.

EIUS PARENTES.

redderet

redderet veritati. Mox narrat Author mirabilem satis Gilberti cum Mathilde societatem, & matrimonii conjunctionem.

XV. Ibid. 2. PARENS JEROSOLYMAM PROFICISCITUR. *Præfatus igitur Gilbertus, ætate juvenis, Crucem Dominicam causâ pœnitentiæ votivâ accepit, Ierosolymam iturus: Quendam de familiâ suâ Richardum nomine secum assumens; ipso solo pro serviente contentus. Quò tandem prosperè pervenientibus, inter Christianos & Gentiles insidiis habitis, loca sancta orationis causâ cum aliis ingressus est. Sed cum licuit redire, omnes visitantes pariter capti sunt, & catenati, atque in carcere cujusdam Amiraldi, præclari*

CAPTUS INCARCERATUR. *Principis paganorum, detenti. Laxati tamen ad tempus; ut singulis diebus, qualemcumque sibi victum laboribus impositis quodam modo compararent. Qui Gilbertus per annum integrum, & dimidium in captivitate, Soldanorum more, serviens; cum honoratior præ cæteris & præstantior haberetur in oculis Amiraldi: præ omnibus gratiam & favorem invenit, in tantum, quod frequenter coram eo (sed tamen in vinculis) veniret ad mensam, discumbentes visitaret, invicem de terrarum notitiis, ac gentium diversarum moribus, & ritu conferrent. Multa etiam ob gratiam ipsius collata sunt suis beneficia concaptivis; procurante filiâ ejusdem Amiraldi, puellâ, curiali admodum, & decorâ, unica patris sui. Quæ utique miro affectu ipsum Gilbertum, prout parebit inferius, diligebat. Quadam die tractâ opportunitate a puellâ, cum eo loquendi liberiùs, inquisivit ab eo de quanam terrâ, & civitate extiterit oriundus. De Fide etiam & religione, & conversatione Christianorum; & quæ forent credentium spes, & sæculorum præmia futurorum. Qui cum respondisset quod Anglicus esset, & Londoniarum incola civitatis: atque de Fide Christianâ quædam Catholicè & breviter explanasset. Consequenter & ipsa ab eo sciscitata est, dicens. Num mortem libenter, pro Deo tuo, & Fide Christi, quam profiteris conservandâ, intrepidè exciperes? Libentissimè, inquit, pro Deo meo moriar. Quo audito, puella mox quasi verbi ex virtute tota mutata, profitetur se Christianam fieri ipsam ob causam, dummodo ipsam in conjugem accipere, in suâ fide spondere. Tacuit attamen ille secum deliberans; & timens nimirum fallaciam mulieris, acquiescere statim noluit precibus insistenti: sed tergiversando de die in diem prorogavit; nolens cito præstare consensum. Cumque puella affligeretur vehementer; & indies ob dilationem (ut moris est mulierum) plus anxia efficeretur; Gilbertus interim cum suis captivis de fugâ cogitavit.*

XVI. FUGIT E CARCERE. *Post annum, & dimidium nocte quadam diruptis catenis & carcere, aufugerunt: totamq; noctis curriculum quousque Christianorum fines attigissent concitè peregerunt. Mane autem facto, cum Præpositus operum, more solito (ut eos ad opera mitteret consueta) carcere fracto non reperisset; cum comitatu valido ipsos insequitur, donec Christianorum terminis obstantibus, omni spe jam frandati reverterentur. Puella verò memorata hæc audiens, ex illâ horâ de profectione suâ, & fugâ post ipsos, illicò cogitavit.*

FUGIT ETIAM MATHILDES. *Cumque super diebus ac noctibus cogitativa efficeretur, & in meditatione suâ exardesceret, cautius evadere: Nocte quadam universis somno depressis, sola, nullo sciente, secum assumpto modico quid ad Viaticum necessario; ut expeditiùs iter ageret satis difficile ad tentandum, multiplici se tradidit discrimini fugiendo, nihil curans de universis hereditario sibi jure pertinentibus, sufficientiam divitiarum sibi reputans desiderium suum complesse pro voto. O mirandam nimis hujus mulieris audaciam! quæ ob Dei amorem tam difficilia & ardua præsumere non hæsitavit! & cum esset tam ingentis substantiæ, & gloria parentum nobilitata irrecuperabiliter eâdem carere non trepidavit: nec fragilis & delicata paupertatem pœnalem subire: nec per tot terrarum spatia, & nat paganismi innumera periculorum genera dubitavit sola discurrere. dum unius hominis tam remoti & ignoti amorem quæreret: cum etiam nec de vitâ ipsius, vel inventione securitatem haberet. Imo necdum secura de conjugio, etsi quæsitum hominem reperiret. Proficiscens igitur pertransiit prosperè paganismum, & cum quibusdam peregrinis, & mercatoribus repatriantibus, qui linguam ejus noverant, versus Angliam navigabat. Cumque transcursis cunctis periculis Angliam applicuisset, atque à suis comitibus jam dissociata fuisset; nihil aliud interrogare pro itinere noverat; nisi tantum Londonia, Londonia. Quò tandem perveniens, quasi bestia erratica per plateas civitatis incedens, & obviantes quosque exploratoris more circumspiciens, derisui habebatur omnibus, & maximè pueris intendentibus in eam, & per vicos incedentibus, disparem ipsius habitum, & linguam simul admirantibus.*

XVII. DOMUS HOSPITALIS SANCTI THOMÆ. *Contigit igitur quod sic per plateas & vicos incedens, contra domum præfati Gilberti ubi manebat, in solenniori scilicet, & frequentiori civitatis foro: & ubi nunc in honore S. Thomæ hospitalis domus constructa est; casu fortuito deveniret. In qua quidem ab introeuntibus divulgatum est, quod quædam juvencula mulier, quasi idiota, pueris & aliis sequentibus & irridentibus evagaretur. Audiens autem Richardus, serviens Gilberto superiùs memoratus, quasi ad spectaculum cum cæteris & ipse accurrit. Qui cum propius accedens eam agnosceret; statim cum summâ festinatione recurrit ad Dominum suum, narrans ei secreto, hanc filiam Amiraldi fuisse, ad quam, admirationis causâ intuendam hominum copia affluebat. Quo audito supra modum admirans, nec credere valens (eo quod impossibile ut sic eveniret, omninò videretur) dictis Richardi non potuit fidem dare; donec in juramento diutiùs persistente, minùs incredulus aliquantulùm redderetur. Cogitans tandem causam adventus ipsius; arbitratus est tamen consultius et alibi providendum, quam eam secum in domo propriâ retinendo: jussit Richardum, ut ad quandam Matronam ei vicinam eam adduceret, quæ eam filiam suam in omnibus exhiberet. Quem cum videret puella, & eam agnosceret, mox quasi mortua cecidit jacens in extasi resupina. Cumque ab illâ mentis alienatione expergefacta, ad se reversa, resideret: ad dictam Matronam Richardus eam, sicut Dominus ejus imperarat, adduxit. Gilbertus verò de adventu puellæ secum pertractans, cœpit animo fluctuare per diversa, & cogitationes concipiens invicem repugnantes, incidit in mentem ejus Episcopum Londoniensem consulendum apud S. Paulum: ubi quâdam die, sex Episcopi aderant, super arduis regni negotiis vel Ecclesiæ tractaturi. Quibus coram positis, cum res gesta veritatem superius memorata per ordinem exponeret: mox Cicestrensis Episcopus præ cæteris prorumpens in propheticam vocem, indubitanter asseruit; hanc vocationem non humanam, sed potiùs divinam, & necessariò magnifici operis prolem edituram; cujus sanctitate & labore, universalis esset Ecclesia ad Christi gloriam sublimanda. Concordantibus etiam cæteris Episcopis qui aderant in hanc sententiam consuluerunt; ut idem Gilbertus puellam dummodo baptizari vellet, duceret in uxorem.* Hæc Author.

XVIII. Qui hic dicitur Cicestrensis Episcopus, Pro-

phetica

phetica voce illustris; Radulfus erat, quem in ea Sede locavimus anno primo hujus sæculi. Ubi etiam, præclarum de eo elogium è Malmesburiensi recentavimus. Quàm pius etiam in Ecclesiam suam fuerit, dixi * supra ad annum millesimum centesimum decimum quartum; denique religiosè admodum moritur anno vigesimo quinto sæculi currentis. Hic ergo, divino spiritu plenus, divinæ prædestinationis arcanum contemplatus; & Thomæ nascituri sanctitatem, & matris ad Christianam fidem transeuntis mirabilem partum vidit. Legamus sequentia. *Adducta est igitur* (ita Quadrilogus) *statuto die in crastino in Ecclesiâ B. Pauli, dictorum Episcoporum in præsentiâ. ubi & baptisterium extiterat præparatum, in quo debuerat baptizari. Cumque interrogaretur in medio posita, prout mos exigit Ecclesiæ, per sæpè dictum Richardum, communem eorundem interpretem, si vellet baptizari? Respondit: hujus rei causâ à valde remotis huc adveni, dummodo Gilbertus voluerit mihi in conjugio copulari. Baptizatur igitur puella à sex Episcopis, grandi cum solemnitate, Baptismi agentibus Sacramentum: eo quod præclari sanguinis esset fœmina, imo ex divina vocatione admodum clarior, & morum probitate non mediocriter adornata. Mox ab Episcopis Gilberto traditur in conjugium, cum celebritate conjugali. Breviter tamen de Fide Catholicâ priùs instructa. Quam tum ad propria deduceret, primâ in nocte Sanctum Thomam futurum Cantuariensem Archiepiscopum & Martyrem genuerunt.* Hæc omnia de Thomæ natalibus placuit notare, & utroque parente ejus.

V. an. 1101. 43.
RADULFI CICESTRENSIS DE S. THOMA VATICINIUM.
* V. an. 1114. 16
Quadrilo. c. 2
MATHILDIS BAPTIZATUR.
A GILBERTO IN UXOREM DUCITUR.

XIX. Quo anno Thomas nascitur, Herebertus denascitur, Norwicensis Episcopus, qui nuper Romam, Episcoporum nomine, ad Paschalem Papam Legatus, non diu superfuit. Hic ab anno superioris sæculi * octogesimo sexto Sedem ingressus, apud Tedfordum; eandem, † anno millesimo nonagesimo tertio Norwicum transtulit. Ejus prospera & adversa, virtutes & vita recensui ad eundem annum: nunc quæ morti vicinus, pietatis opera posteris reliquerit, videamus. numerat illa paucis Godwinus in Catalogo: *Sibi, inquit, & successoribus, Palatium extruxit, ab Aquilonari parte Ecclesiæ quod à Monachorum cellulis ideo dicitur secrevisse: ut hominum huc & illuc discurrentium tumultu, mentes illorum à cælestium rerum contemplatione non abstraherentur. Ecclesias deinde parochiales quinque insuper condit. Quarum unam, S. Leonardo consecravit, idq; in summo colle, Ecclesiæ Cathedrali (interjecto flumine) adversam. Alteram etiam Norwici, nescio quam. Elmhami tertiam. Quartam Linne. ac quintam denique Yarmuthæ. Quas omnes Monachorum potestati subjecit: & ut ex eo cœtu semper essent, qui sacra ibidem alternatim obirent, ordinavit. Excessit è vivis Iulii vigesimo secundo, anno millesimo centesimo decimo nono, & in Ecclesiâ suâ propè summum altare sepultus est.* Hæc omnia Godwinus. Heribertus olim Monachus, & Prior fuerat Fiscannensis Monasterii; ideo Monachorum potestati omnia sua, parochiales etiam Ecclesias consecravit; nunc vita, & Episcopali munere functus locum Everardo fecit, qui è Sarisberiensi Archidiacono, Norwicensis Episcopus consecratus anno millesimo centesimo vigesimo primo: ut ibi.

MORITUR HEREBERTUS NORWICEN. EPISCOPUS.
* V. an. 1086. 15.
† V. an 1093. 38. & 40.
Godvvin. in Norvvicen.
OPERA PIETATIS EIUS.
EVERARDUS NORWICEN. EPISCOPUS.
* V an. 1121. 7.

XX. Moritur etiam, hoc anno, Galfridus; vel ut alii Gosfridus, Herefordensis Episcopus; cujus characterem habes eo anno quo consecratum dixi, nimirum * millesimo centesimo decimo quinto. *Obiit* (inquit † Godwinus *Februarii tertio anni millesimi centesimi decimi noni; & in Septentrionali muro tumulatus jacet, paulo supra Robertum antecessorem.* de successore dicam anno sequenti.

MORITUR GALFREDUS HEREFORDEN. EPISCOPUS.
* V an. 1115. 15
† *Godvvin. in Herefor den*

XXI. Denique naturæ debitum solvens, vivendi finem fecit Richardus Albanensis Abbas: qui ad Monasterium illud consecratus anno millesimo nonagesimo septimo, nobiliter locum tenuit; multa Cœnobio præstitit, & posterorum memoriæ à Matthæo Parisiensi commendatur ob multa pietatis opera: quæ certè Annalibus digna nisi locorum, urbium, & hominum nomina asperum sonarent. Quæ tamen sequuntur omitti non debent. nam ita de Monasterio illo Matthæus, ibi Monachus. *Prosperabatur domus ista & viguit, & floruit Ordo Monasticus, emanans à claustro S. Albani, ita ut alia, quasi candela à candelâ illuminata informarentur. Utpote Kelstoue Crotlandia, & alia quamplurima.* & paulò infr. *Porrò iste Richardus Abbas fecit thecam unam, quam feretrum appellamus, aureis imaginibus redimicam. In qua recondidit duodecim Apostolorum reliquias, & Martyrum plurimorum, quas Sanctus Germanus Altisiodorensis Præsul, in sepulchro S. Albani reverenter collocavit. Fecitq; aliam thecam, ex una parte deauratam, ex aliâ verò ebore coopertam, in quâ posuit reliquias plurimorum Martyrum, & aliorum Sanctorum.* Acuerat pietatem ejus in Sanctorum reliquias valetudo ejus mirabiliter per Sancti Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi reliquias restituta, quod ab Albanensi Monacho narratur in hunc modum. *Brachium Richardi Abbatis emarcuerat, sed beneficio B. Cuthberti, cujus translationi intererat: sanitati restitutum, hoc modo. Dum sacrum corpus illibatum dicti Confessoris levaretur per caput & pedes transferendum; & ipsum in medio arcuatum ruinam minaretur. Abbas Richardus, qui propè astabat, admirans quod quasi dormientis, flexibile fuit; astiluit, & projecto baculo, illud per medium illico brachiis sublevavit. Et statim brachium, quod ante inutile erat, per tactum sancti corporis, sanum penitus reddebatur. Unde domum rediens, Capellam in honorem S. Cuthberti fabricavit. Hic cum annis uno & viginti hanc rexisset Ecclesiam decimo septimo Cal. Iunii anno gratiæ millesimo centesimo decimo nono, ab hac luce migravit.* Ita ille.

RICHARDUS ABBAS ALBANENSIS MORITUR
Paris. in Abbate XV
EIUS OPERA PIA
Idem supra.

XXII. Successit illi in Monasterii præfecturâ, & Abbatis dignitate, Gaufridus de quo sæpè dictus Author hæc habet: *Gaufridus Abbas ex illustri Cenomanensium & Normannorum progenie exortus; non solum morum honestate præditus: sed divinâ scientiâ satis extitit adornatus. Qui defuncto Abbate Richardo, cunctorum hujus Ecclesiæ Fratrum electione (assensu etiam Anglorum Regis Henrici Primi) hanc Abbatiam, licet invitus suscepit gubernandam.* Plura de eo suis locis infrà.

GAUFRIDUS ABBAS ALBANENSIS.
Idem in Abba. XVI.

ANNUS CHRISTI 1120.

CALLISTI II. PAPÆ 2.

HENRICI PRIMI REGIS 21.

I. ANNUS Christi millesimus centesimus vigesimus, principio latus Regi regnoque: inde funestus, alternantis fortuna argumentum dedit.

HENRICI FILIUS

GUILIELMUS FULCONIS ANDEG. COMITIS FILIAM PROCATUR.

dedit. Henricus Anglorum Rex, in Normannia moratus, non potuit cum dignitate, nisi rebus ibi compositis, in Angliam redire. Accisis superiore bello Gallorum viribus, vix erat aliunde periculum: voluit tamen Ducatum illum, quem milite muniverat, sanctiore adhuc commercio firmare. Eminebat inter Gallos Andegavensium Comes Fulco, Ludovico potiùs Gallorum Regi, quàm Henrico studens; vir manu fortis, potentia clarus, & inter Galliæ Proceres facilè princeps. Hunc ad partes suas trahere, & matrimonii sanctitate amicum & fidelem reddere, Henricus è re sua putavit esse. Sic enim & Ludovici pars fractior, & Normannia in fide firmior redderetur. Itaque filium suum Guilielmum, octodecim annorum juvenem; quem suprà regni heredem dixerat, & Angliæ Proceres

V. 20. 1116. 2.

agnoverant; Fulconi in generum offert, ejus filiæ matrimonii lege jungendum. Nec Fulco affinitatem cum regiâ prole abnuit. Quo societatis vinculo, sopita est contentio, quæ omnem Galliam diuturno bello vexarat. nam ita Ludovicus ad pacis fœdera flectitur; & Normanniæ Ducatus (super quo supra litigatum) Guilielmo Henrici filio, ea lege confirmatur; ut supremum in Ludovico dominium, obsequio fideq́ue fateatur. Quod hoc anno factum, vel Fulconis operâ, vel industriâ Thurstani, iratum sibi Regem omni obsequio mulcere, & delinire conantis. Polydorus, in Fulconis laudibus ponit,

Polyd Vergil. l. 11.

inter utrumque Regem pacis fœdera. *Satis constat*, inquit, *Fulconem virum optimum, post junctam cum Henrico affinitatem: cum existimaret utrumque Regem, jam fortunam belli, licet non pari eventu, expertum, pacem, ut in rem communem maximè futuram, minimè aspernaturos, ita egisse, ut inter eos concordia conglutinata fuerit, æquis conditionibus: quibus imprimis exceptum est, ut sine fraude essent, qui Francorum, aut Anglorum partes secuti fuissent. Multaq́; præterea acta sunt, quamobrem pax inviolata maneret.*

II.

Quod Thurstanus Archiepiscopus hac ratione Henricum benevolum senserit, Authores nostri satis insinuant. Hovedenus ita loquitur.

Hoved. hic.

Anno millesimo centesimo vigesimo, Rex Anglorum Henricus, & Rex Francorum Ludovicus, post multa suarum partium detrimenta, die præstituta ineunt colloquia, quo ex consensu concordia peracto: jussu Regis Henrici, filius ejus Willielmus, facto Regi Francorum homagio, Normannia sub illo suscepit Principatum. Ita redeuntibus in pacem Regibus, tota tumultuantis Normanniæ seditio comprimitur. Et qui contra Dominum suum Henricum Regem arma levaverant, curvata sub ejus dominio cervice redeunt. Et quoniam in concordiâ Regum faciendâ, Turstinus Archiepiscopus vigilantem se, & diligentem exhibuit, hac sui efficacia promotorem, ad se recipiendum, Regis animum inflexit. Ad hoc Epistolâ Apostolici ad Regem jam parantem redire in Angliam directâ; Turstinum suscipere Archiepiscopum, & ad suam præcepit Ecclesiam, omni postpositâ occasione, & excusatione, restituere. Sed ad hoc præceptum, quid potissimum respondeat, Rex distulit donec rediisset in Angliam: ubi congregato Concilio, quid facto opus esset maturius perquireret. Mansit in Normanniâ Henricus Rex bonam anni partem; nec in Angliam, nisi rebus benè compositis, sancitoq́ue cum Ludovico Rege, & Fulcone Comite pacis & matrimonii fœdere, rediit. Quid interim gestum in Angliâ:

GUILIELMUS NORMANNIÆ DUX HOMAGIUM LUDOVICO FACIT. THURSTANI INDUSTRIA, PAX NORMANNIÆ, ET SIBI COMPARATUR.

& quomodo Scotorum Rex, inde Ecclesiæ Antistitem postulaverit, videamus. Narrat id, qui postulatus est; & quem sæpè sequuti sumus in rerum gestarum narratione fidelem ducem; Edmerus Cantuariensis Ecclesiæ Monachus.

III. Edmer. l. 5. fo. 130.

Ipso anno (inquit ille) *quo Radulphus Cantuariensis Archiepiscopus de transmarinis partibus in Angliam reversus est; qui fuit annus ab Incarnatione Verbi Dei millesimus centesimus vigesimus, venerunt ad eum missi ab Alexandro Rege Scotorum, quidam honorati & strenui viri. Horum unus quidem Monachus, & Prior Ecclesiæ Dunisermelinæ, Petrus nomine; Clerici duo; unus extitit miles. Negotium autem Legationis eorum, qui nosse cupit, quam detulerunt Epistolam subscriptam legendo, vel audiendo perscrutat.*

Alexander iste, Edgari Regis frater, regno successit, consensu Regis Angliæ Henrici Primi, inquit VValsingh. in hypodigmate fo. 493.

ALEXANDER Dei gratia Rex Scotorum, RADULFO Reverendo Cantuariensi Archiepiscopo, & cum reverentiâ diligendo, Salutem.

EDMERUS POSTULATUR AD SEDEM S. ANDREÆ

„ AUDITA prosperi adventus vestri in Angliam, jam diu à me desiderati, manifesta
„ relatione: de incolumitate ac prosperitate ve-
„ stra congaudens, summoq́ue protectori gra-
„ tias inde referens: cum temporalium undique
„ occupatio curarum inter meum, ut vestra ad
„ præsens frui valeam præsentia, impediat; tam
„ literarum designatione, quàm Legatorum re-
„ latione, animi mei affectum vestræ bonitati
„ cupio manifestare. Tantæ etenim discretionis
„ personæ fretus consilio, bonum propositum
„ peroptimè ad boni operis effectum (Deo an-
„ nuente) non dubito me posse perducere. Ve-
„ stram igitur latere nolo excellentiam, Eccle-
„ siam S. Andreæ in regno meo existentem, jam
„ diu pastorali curâ destitutam, Dei, & vestræ
„ benignitatis providentia, Pastore idoneo, de-
„ siderantem me velle consolari. Quocirca ve-
„ stræ pietatis deposco clementiam, ut quandam
„ personam, à plerisque mihi laudatam, Ead-
„ merum, scilicet, Monachum; si vobis ido-
„ nea visa fuerit, ut Pontificali inthronizetur di-
„ gnitate, mihi liberam concedatis. Verens
„ enim summum Pastorem me graviter offen-
„ disse; cum gregem suum negligentiâ meâ, aliis-
„ que forsan criminibus impedientibus, Pasto-
„ ris penuriâ desolatum, & à tramite veritatis in
„ pluribus exorbitatum diu permiserim, filiali
„ etiam timore timens in hac re eum amodo
„ offendere, ad vestræ fontem discretionis re-
„ curro; ut pristinæ memor existens dilectionis,
„ inter nos habitæ, me filium vestrum, paterno
„ affectu spiritualiter jam diu à vobis adopta-
„ tum, vestri munimine consilii, in hac re tuea-
„ mini. Vale.

IV.

Miratus ex his (pergit Author) *Pater Radulfus, & ratus hoc verbum à Deo egressum maximè, quia omnino constabat eundem Fratrem, nec per se, nec per quemlibet hominem, unquam de ipso negotio, aliquo modo, apud quemquam egisse: licet ejus absentiam molestè ferret. Nam sicut in servitio Beati prædecessoris sui Anselmi, sic & in suo assiduus esse solebat: Noluit tamen Regiæ petitioni assensum non præbere; ne videretur Dei ordinationi resistere. Quoniam igitur acceperat ipsos Legatos, pro eâdem re, & pro aliis, Regem Anglorum ex parte Domini sui adituros: ipse & Conventus Fratrum Cantuariensium miserunt, per manus illorum ipsi Regi Epistolam hanc:*

HENRICO Regi Anglorum, charo Domino suo, ac summo honore Venerando, Frater RADULFUS sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ indignus Sacerdos, & totus Conventus ejusdem Ecclesiæ salutem, & orationes, & fidelia obsequia.

Radulfus petit a Rege consensum: ut Edmerum ad Sidem Episcopi patiatur assumi.

„ NOTUM facimus sublimitati vestræ, Alexandrum Regem Scotorum, eum consensu Cleri & populi regni sui, Legatos suos ad nos misisse, & consilium curæ Pastoralis ad opus Ecclesiæ Sancti Andreæ, à nostrâ Ecclesiâ expetiisse. Considerantes ergo eorum justam petitionem, & tam divini amoris reverentiam, quàm sanctæ matris Ecclesiæ utilitatem attendentes, laudandis desideriis pium præbuimus assensum. Concessimus ergo juxta petitionem personam Ecclesiæ nostræ ab eis denominaasin Domnum Edmerum, quem à pueritia disciplinis Ecclesiasticis sublimiter institutum, & sanctis moribus decenter ornatum, ad officium Sacerdotale omnino scimus idoneum. Vestram igitur venerabilem sublimitatem submisso corde deposcimus; ut vestræ Celsitudinis piâ voluntate, atque authoritate, & illorum Deo digna petitio, & super tam necessario Ecclesiæ Dei negotio, nostræ humilitatis concessio roboretur. Omnipotens Deus sublimitatem vestram, ad honorem suum, & munimen Ecclesiæ suæ, per longa tempora incolumem custodire; & post temporale regnum, dignitate perennis regni sublimare, dignetur.

Erat tunc Henricus, cum hæc scriberentur, in Normanniâ: quò Scotorum Regis Legati cum his literis profecti, Henrici responsum in hæc verba retulerunt.

HENRICUS Rex Anglorum, RADULFO Archiepiscopo Cantuariæ, Salutem.

Annuit Henricus, ut Edmerus mittatur.

VI.

„ VOLO & concedo, ut Monachum illum; unde Rex Scotiæ te requisivit; liberum ei concedas ad consuetudinem terræ suæ, in Episcopatu Sancti Andreæ. Teste Everardo de Calna, apud Rotomagum.

Ita Edmerus Monachus, Scotorum Ecclesiæ in Episcopum datur. Sed quid inde sequutum, cum consecrari debuit: & quomodo Edmerus pro Cantuariensis Ecclesiæ jure disputaverit, dicam, ubi priùs, Scotum Britannorum in Anglia Ecclesiæ præfecerim. de quo Continuatio post Florentium Wigorniensem hæc habet. *Radulfus Archiepiscopus Cantuariæ, secundo Nonas Ianuarii, feriâ secundâ Angliam revertitur, & secundo Nonas Aprilis Dominica die apud Westmonasterium consecravit in Pontificatum Bangornensis Ecclesiæ, quendam Clericum venerandum, David nomine, electum à Principe Griffino, Clero, & populo Walliæ. Cujus consecrationi interfuere, Richardus Episcopus Londoniæ, Robertus Lincolniæ, Rogerius Saresberiæ, Vrbanus Glamorgacensis.* De Hervæo, qui olim Bancorensem Sedem tenuit, * suprà dictum; ut eâ relictâ in Eliensem Episcopum transierit: à cujus è Cambria discessu, nemo successerat. Nunc David natione Scotus, in ejus locum sufficitur: quem licet Balæus Apostata, apud Godwinum, Henrici Imperatoris Comitem in Germaniâ, & laudum ejus præconem laudet: modestiùs tamen viri regulares, & in vota professione constantes, de illo scribunt. Inter eos Malmesburiensis sic. *David Scotus, Bancornensis Episcopus (Henrici iter) exposuit, magis in Regis gratiam, quam historicum deceret, acclivus. denique & inauditam violentiam, quod Apostolicum cepit, quamvis liberè custodierit, laudi ducit ab exemplo, quod Iacob Angelum violenter tenens, benedictionem ab eo extorsit. Præter hæc laborat asserere dictum Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: non adversari cupiditatibus Pontificum per Laicos investitorum: quia non sit sæculare negotium, si Clericus Laico fecerit hominium. Quæ quantum sint frivola, cujuslibet dijudicabit prudentia. Ego interim nè bonum virum verbo videar premere; statuo indulgendum; quia non historiam, sed panegyricum scripsit.* Nunc Anglum Scotis reddamus.

Continuatio post Florentium Wigor. hic.

David Bangorensis Episcopus consecratur.

** V. an. 1108. per totum.*

Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 166.

Quænam scripserit.

VII.

Radulphus Cantuariensis, Edmerum ad Alexandrum in Scotiam cum his literis misit.

Edmer. l. 5. fo. 131.

Caro Domino, & amico intimo, ALEXANDRO, Dei gratia Regi Scotorum, RADULFUS Archiepiscopus, Salutem, & orationes.

Radulfus concedit Alexandro Edmerum.

„ GRATIAS Deo innumerabiles referimus, qui ad cognoscendum atque petendum quæ debebatis, remotis nebulis, mentis vestræ oculos aperuit. Gratias nihilominùs generalitati vestræ, qui petitionibus vestris legitimis, nos vobis ex amicis amicissimos; ex familiaribus, familiarissimos, & junctissimos reddidistis. Licet enim ipsis petitionibus, quasi oculum, aut dexteram, à corpore nostro avellere quæratis: laudare tamen habeo justum desiderium vestrum, & in quantum potero, secundùm Deum illi obtemperare. Volens quidem, etsi pace Dei, & vestrâ, potest dici, invitus assentior bonæ vestræ voluntati: volens verò, quia Dei voluntati; quem in hoc facto præsentem, atque propitium conspicio; resistere non audeo; nec cor vestrum in nos amaricare. Invitus autem quod quasi solius, & patris consolatione, ac relevatione assidua, & filii sapientis consilio, & auxilio, in infirmitate nostra, ac ætate destituor. O sapientis viri consilium! (si nos eo non spoliarens, & cum spolietis) qui tantum virum, tam famosum, tam Ecclesiæ Dei us lem, vitâ & moribus, & literis divinis, & si opus fuerit sæcularibus, à pueritiâ instructum; terræ vestræ, consilio præesse, in his quæ ad Deum pertinent, satagatis. Si alius ex partibus longinquis, quod petitis, peteret; pro certo sciatis non paterer elongari à nobis cordis nostri arcanum. Sed vobis nihil est secundùm Deum, quod abnuere velimus. Mittimus ergo ad vos personam quam petitis, & omninò liberam; ut à vobis certiùs discat, si ad honorem Dei, & sanctæ Matris, Cantuariensis videlicet Ecclesiæ, spectet petitio vestra. Cautè igitur & cum consilio tractate quod agitis: quia sunt multi qui libenter sacrationem istius disturbarent: & si valerent, disturbando cassarent. Proinde nostrum esset consilium, ut quàm citiùs, ad nos remitteretur sacrandus: nè dilatione, quod timemus, interveniat; vel quod nollemus. Salutat vos Conventus Fratrum Ecclesiæ nostræ, verè fideles vestri, & omninò ad servitium vestrum parati. In commune autem rogamus, ut ita vos

habeatis

„ habeatis erga Fratres nostros, qui io regno ve„ stro sunt; ut Deus vobis inde gratias habeat, „ & nos. Valete.

VIII. EDMERUS IN SCOTIA EPISCOPUS ELIGITUR.

Radulphi postulatum, quò Edmerus Cantuariam remitteretur, ibi sacrandus, moram negotio injecit; latum de Ecclesiarum privilegiis disputandi campum aperuit: denique, quia Edmerus Cantuariensi Ecclesiæ, unde assumptus est acriter jura defendit; consecrationem omnino impedivit. Quod idem Edmerus ita narrat. *Veniens itaque Frater ipse in Scotiam, mox tertio die adventus sui, qui fuit dies festivitatis gloriosissimorum Apostolorum Petri & Pauli, suscepit eligente eum Clero, & populo terræ, & concedente Rege, Pontificatum S. Andreæ Apostoli Chenrimuntensis. Quæ res, ita disponente Deo acta est; ut nec virgâ pastorali, vel annulo, à Rege investitus fuerit: nec hominium ei fecerit. Lætus itaque dies habitus est, atque in laudem Dei alacriter expensus.* Quod Ecclesia S. Andreæ hoc loco *Chenrimuntensis* ab Edmero dicitur, ad primam illius loci fundationem respicit: de qua dixi tomo primo ad annum Christi trecentesimum nonagesimum quintum. nimirum Sanctus Regulus, reliquias S. Andreæ Apostoli, ex Achaiâ in Britanniam deferens, ibi illas religiosè posuerat, unde locus ab eo Regimont quasi Reguli mons dictus, postea in S. Andreæ oppidum transiit. Cæterùm cur *Chenrimuntensis* audiat, nescio: nisi fortè amanuensis pro Kelrimuntensi, hoc est, Cella reguli, vel Regimont, Chenrimuntensis vitio reddiderit. nam Septentrio ille & vicina illi Hibernia, Monachorum loca, & Ecclesias, per Kil, vel Cel, etiamnum efferunt: ut Columkil, & Kilkenni. Ibi Columbæ, hic Canici cellam intelligentes. Nunc Edmeri reliqua prosequamur.

Edmer. l. 5. fo. 132.

UNDE CHENRIMUNTENSIS ECCLESIA.

V. an. 395. n. 3.

IX. *Edmerus supra.* CONTENTIO DE CONSECRATIONE EDMERI.

In crastino autem Rex, cum electo, de consecratione illius secretiùs agens; & modis omnibus eum à Pontifice Eboracensi consecrari exhorrens. Ubi eo docente accepit authoritatem Ecclesiæ Cantuariensis, ex antiquo totî Britanniæ præminere: & iccirco, ipso disponente, se Cantuariæ Episcopalem benedictionem velle requirere: conturbatus animo surgens discessit ab eo. Nolebat enim Ecclesiam Cantuariensem anteferri Ecclesiæ S. Andreæ de Scotiâ. Vocans itaque Willielmum Monachum S. Edmundi; qui post Thurgodum eidem Episcopatui Præpositus, penè illum evacuaverat; præcepit, ut more solito in Episcopatu se haberet, expoliato noviter investito. Expleto autem post hæc mense integro: & his quæ superferant jam tertiis Episcopatus funditus evacuatis, pro voto Principum regni: Rex Alexander ipsum electum convenie: vixq; ab eo obtinuit; ut quod super inimicos suos exercitum ducere disponebat; Virgam pastoralem desuper altare, quasi de manu Domini susciperet: & ita in toto regno Cura animarum omnium pro posse, deinceps intenderet. Posthæc ad Ecclesiam S. Andreæ venit, & occurrente ei Reginâ, susceptus à Scholasticis, & Plebe; Pontificis loco successit.

EDMERUS INSTALLATUR.

X. THURSTANUS EBORACENSIS EDMERI CONSECRATIONEM IMPEDIT.

Inter hæc, cùmque Thurstanus Eboracensis in transmarinis partibus morabatur: & supra memorato negotio suo viriliter insudans; ad hoc etiam Regem Anglorum provocavit: quatenus & Pontifici Cantuariorum semel, & Regi Scotorum ter, scriptis mandaret: ne aut ille electum S. Andreæ consecraret: aut iste ullâ ratione sacrari permitteret. Quæ res multorum animos vulneravit, & in diversa distraxit: & electum, ne Christianitatis corrigendæ, jure Pontificali intenderet, non parùm debilitavit. Unde hi quibus cordi erat suis voluptatibus magis, quàm Dei jussionibus obtemperare, roborati sunt. Et quoniam suorum morum correctionem formidabant, jam securi irridebant. Quid plura? Rex ipse ad Regis Anglorum jussa pavescens; ex hoc hominem minoris apud se honoris habere, & sensim sua cœpit imminuere. Quod ipse advertens: seq; modicum, eo sibi adverso, secundum Deum, in regno ipsius, proficere certissimè sciens; proposuit Cantuariam ire: & inde quid sibi potissimum, in tali casu foret agendum, consilium quærere. Quod ubi Regi innotuit, dixit eum ab Ecclesiâ Cantuariensi penitùs absolutum, nec omnino aliquid in ea participium habere, seq; in vitâ suâ consensum non præbiturum; ut Episcopus Scotiæ subderetur Pontifici Cantuariorum. Quibus cum ipse referret; quod nec pro totâ Scotiâ abnegaret se esse Monachum Cantuariensem: turbato spiritu: Nihil, inquit, fecimus à Cantuariâ petentes nobis Episcopum. Ex hoc igitur cordis sui rancore devinctum, eundem virum in multis cœpit fatigare; multis injuriis clamq; & palam exagitare; eum dignitate, & rerum Episcopalium proventu dispoliare. Non igitur eum recto oculo aspicere; non verba ejus, vel etiam de Deo prolata poterat patienter audire: quæ res vulgus latere non potuit. Rumores itaque multi exorti sunt, partes diversas in diversa trahentes.

ALEXANDER EDMERO ADVERSATUR.

XI. EDMERUS VULT REDIRE CANTUARIAM.

*Quod electus advertens, & suum esse in talibus (ut prælibavimus) non utile esse perpendens; per internuntios mandavit ei hæc. Quia video te non esse, ut mihi expediret, serenum erga me: nec scio quare hoc * sic me promeruisse: cum certum habeatur, me non multum, te offenso, in Christianitatis correctione, in regno tuo profuturum: rogo ut tuo favore prosequutus, Cantuariam ire me sinas: quatenus consilium, quod mihi sit agendum, inde requiram: & benedictionem Pontificalem ad honorem Dei, & exaltationem regni Scotorum, inde suscipiam. Non sederunt hæc animo ejus; & petitioni illius nequaquam se assensum præbiturum asseveravit, contestans regnum Scotiæ Cantuariensi Ecclesiæ nihil subjectionis debere: & ipsum ab eâ penitùs immunem factum, sibi datum esse. Cui cum ille hoc se eatenus nescisse responderet; præsertim cum Epistola pro se ab Archiepiscopo illi directa, inter alia contineret, eum ad hoc Scotiam destinasse; ut disceret; utrum petitio, quam in eligendo eum suggessit, ad honorem Dei, & sanctæ Matris, Cantuariensis videlicet Ecclesiæ spectaret. non ut dignitate jam quingentis annis, ab eâ inconcussè possessâq; ipse per se nutritum filium evacuaret; indignatus nimium se quotidie nova placita in isto negotio intre nescire juravit. Ad hæc ille, vocato in consilium suum Ioanne Episcopo Glasguensi, & duobus Monachis Cantuariensibus, quos tunc temporis secum habebat, sciscitatus est: quid in tali suo negotio sibi meliùs decernerent fore agendum. Tunc illi Regem adeuntes; & statum animi ejus super viro pleniùs ediscentes: quasi non ab eo, sed simpliciter, à se consilii sui mox prodiret; intulerunt homini hæc. Si ut filius pacis in pace vivere cupis, alias eam require. Hic, dum iste regnaverit, nulla tibi & paci communio erit. Novimus hominem. Ipse in regno suo vult esse omnia solus: nec sustinebit, ut quævis potestas, sine ejus dispositione, quicquam in aliquo negotio possit. Iam exacerbatus est contra te, & nescit quare nunquam tibi plenè reconciliatur, etiamsi viderit quare. Quamobrem aut linquere te cuncta noveris oportereq; aut perpetuo inter Scotos, eorum usus sequendo, contra animæ tuæ salutem, in opprobrio, vitam ducere. Quod si discedere mavis; & annulum, quem à manu illius*

forte * sic.

RENUIT ALEXANDER.

suscepisti, & baculum quem desuper altare tulisti, illi cogeris restituere. Alioquin terram suam, nisi eam transvolare potueritis, non egredieris.

XII. *Ad hæc quanta dicta, quanta objecta sint, hinc, & inde; ad alia tendentem scribere piget. Post quæ omnia Electus ipse, considerato ordine, quo quæ penes se acta fuerunt. Videlicet, qualiter* * *Annulum de manu Regis acceperit: qualiter baculum, desuper altare tulerit, ita brevi respondit. Annulum quidem, quem de manu illius suscepi, libens reddam: tâ re; quod nihil potestatis est, quæ eo significatur in illo accepi: Laico scilicet dante, cui tale quid nihil attinet: Baculum autem, quem super altare, præsentibus duobus Episcopis, sumpsi, ponam ubi assumpsi: & enim dispositioni IESV CHRISTI commendabo. Relinquere autem totum Episcopatum, ea conditione, quia vis mihi infertur, acquiesco, ut eam tempore Alexandri Regis non reclamem; nisi Pontifex, & Conventus Cantuariorum, & Rex Anglorum aliud mihi super his consilium dederint. In his, in pace divisi sunt. & Edmerus Cantuariam veniens, ab Episcopo, & Fratribus suis latè susceptus est. Diligebatur enim ab omnibus: & qui de absentiâ illius fuerant mæstificati, in præsentia illius facti fuerant vehementer lætificati. Misit autem Rex, in accusationem ipsius, per nuntium suum, Archiepiscopo Epistolam unam continentem hæc.*

* Si annulum de manu Regis accepit, ab eo investitus dici potest quod cum supradictis non consistit.

EDMERUS RELICTO BACULO ET ANNULO REDIT CANTUARIAM.

ALEXANDER, Dei gratia, Rex Scotorum, RADULFO Archiepiscopo Cantuariensi; in ipso, qui vita est, semper vivere.

XIII. ALEXANDER MULTA IN EDMERUM CAUSATUR.

„ IMMENSÆ bonitati vestræ, petitioni meæ condescendenti; personam in Præsulatu S. Andreæ sublimandam mihi mittendo; animi mei affectus benevolens, & ut justum est, obnoxius, innumerabiles gratias reddit. Sed persona in Episcopatu posita, consuetudinibus terræ, moribusque hominum; ut res, & tempus exigebat, & ut justum, & necessarium esset, condescendere noluit. Ipsa verò tandem persona; in præsentiâ quorundam Episcoporum, & Comitum, proborum terræ meæ virorum, me requisivit; ut ei licentiam recedendi, & de fidelitate, quam mihi feceras, libertatem concederem; cum nullo modo remanere vellet, nisi eum in captiooe detinerem. Hæc audiens, ei his verbis respoodi. Quod si aliquas dictis, vel factis injurias, ei à me illatas: & quod in aliquibus, quæ ei facere debuissem, me defecisse demoustraret, pro Dei amore, & meo honore, libentissimè præsto essem emendare. Ad hæc in præsentiâ omnium astantium, dixit: quod nullas dictis, aut factis, ei injurias injeceram: nec unquam in aliqua re, quam ei facere debuissem, defeceram. Præterea egomet, & Episcopi, & Consules, aliique terræ meæ probi homines, ibi astantes; reverentiæ obedientiam in quibuscumque justum esset, magnâ animi benignitate obtulimus: & pro penuriâ honestæ exhibitionis reverentiæ, non esse necesse ei Præsulatum relinquere, cum magnâ admonitione retulimus. Ut etiam remaneret; donec Regi Angliæ, & vobis nuntiassem; ut amborum consilio frui possem, obnixè rogavimus. His auditis, mihi respondit: quod nullo modo remaneret, nisi eum in captione detinerem. Se enim, nec utilem, nec idoneum, in Præsulatus regimine sciebat: & si remaneret; detrimentum animæ suæ, & aliorum, imminere videbat. Communi tandem consilio nolui eum vi retinere; petitioni suæ, quamvis invitus, adquievi. & Episcopatum reddidit, & fœdus amicitiæ inter me, & ipsum, osculo confirmavit. Et hæc est rei veritas, quam literis vobis declarare volui: ne, si aliud ad aures vestras perveniret, crederetis. Sciat denique bonitas vestrâ; quòd vobis penitùs, ut amicus fidelis, obnoxius esse cupio: & consilio vestro, vestræ etiam dilectioni subdi desidero. Ut Domino Edmero honorem exhibeas, obnixè postulo. Vale.

XIV. Edmer. fo. 154.

Ad hanc Epistolam ita subdit Edmerus: *Utrum in istis tanto Patri Rex ipse vera, sophistica, falsave mandaverit, non effugiet notitiam ejus; qui consilia, commenta, & deceptiones singulorum, suo tempore denudabit; redditurus cuique prout gesserit. Scripsit tamen ad hæc Pater Radulfus Epistolam hanc.*

ALEXANDRO illustri Regi Scotorum, Frater RADULFUS Cantuariensis Ecclesiæ Minister: sic regnare in regno terreno; ut cum Christo regnare possit in cælo.

RESPONDET RADULFUS ALEXANDRI LITERIS.

„ GRATIAS quas possumus (Venerabilis Domine) sublimitati vestræ referimus, pro dilectionis & honoris munere, quod erga parvitatem nostram, nuntiis & literis referentibus, vos habere dinoscimus. In quo nos procul dubio, pro posse, semper devotos habebitis. Et si quid in vitâ nostrâ, Domino largiente, fructuosum inveniatur; vestrum esse securè sciatis. Gratias etiam ex bonâ voluntate vobis persolvimus, pro susceptione charissimi filii nostri, Edmeri videlicet electi Episcopi vestri; quem secundùm petitionem vestram, vobis transmissum honorificè tractastis. Quem nos etiam, ad partes nostras redeuntem, prout decuit tantam personam, officiosè suscipientes, in adventu ipsius, non mediocriter lætati sumus. Cumque secretiùs, postea inter nos sermo versaretur; audivimus eum aliqua, à sensu literarum vestrarum, quas priùs audieramus, diversa sentire: nec omnibus ante auditis, ex toto assensum præbere. Nunc itaque quoniam in scriptis vestris aliud legimus, & aliud ab ipso Fratre percepimus; consilio nobis est, ut eundem filium nostrum apud nos retineamus: quousque Domino ducente, in Angliam veniatis: nisi fortè aliquid aliud, quod nobis faciendum sit, antea mandaveritis. Cum autem (Deo donante) vobis præsentialiter loqui, & rerum causas hinc inde audire poterimus: si vita & doctrioa hujus amici nostri, vobis & patriæ vestræ utilis esse videtur; injunctâ sibi obedientiâ, ad electionis suæ locum; si eum suscipere vultis, redire poterit. Si verò in conspectu vestro aliud placitum fuerit: nos eum, ut virum io lege Domini multipliciter instructum, & omni bono operi aptum, cum magno gaudio retinebimus. Et sic spem bonam in misericordiâ Dei habentes, ejus reditum fructuosum habebimus. Vale.

XV. ECCLE-

Non sunt parerga, aut ab Ecclesiasticorum Annalium tractatione aliena; quæ de Cantua-

SIARUM JURA VENTILANTUR.

riensis, & Eboracensis, & nunc de Principis in Scotiâ Ecclesiæ jure recitavi. nam ut Eboracensis Episcopus, Cantuariensi subesse noluit: ita nunc, Alexander Scotorum Rex Ecclesiam suam, nec Eboracensi, nec Cantuariensi voluit esse subjectam. utrobique Edmerus pro Cantuariensi fortiter disputavit: Thurstano in utraque controversiâ refragante. qui multò doctiùs, pro suo in Scotorum Episcopos jure, ideoque pro Edmero consecrando, quàm contra Cantuariensem Ecclesiam, subjectionem postulantem, philosophari potuit. Nam supra, cum de Britaunicarum Ecclesiarum primâ erectione tractatum; dixi Eboracensem Episcopum in omnem Scotiæ Ecclesiam, Primatis jure functum, Fugatio & Damiano jura dictantibus. Quod vario argumento firmavi ad* annum centesimum octogesimum quintum. Ubi *Michael Glascuensis in Scotiâ Episcopus, munere consecrationis accepto, MORE MAIORVM in Thoma Archiepiscopi Eboracensis, velut totius Scotiæ Primatu verba juravit*, inquit Polydorus: & addit: *Fecit idem postea Torbaldus Divi Andreæ Episcopus, deditq́ ei obedientia promissum.* Scio quidem Septentrionem illum, dominationi sæpè refragantem; subjectionem illam solvere conatum: sed scio etiam Romanos Pontifices, Paschalem Secundum, & Callistum modò sedentem, Honorium, Innocentium, Eugenium Tertium, & Hadrianum IV. pro Eboracensi Ecclesiâ dixisse, scripsisse, fecisse. Nec solvi potuit subjectio (de jure loquor) donec Sixtus Quartus, Romanus Pontifex, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, Episcopum, qui ad Sancti Andreæ sedebat, totius Scotiæ Primatem dixit.

SCOTIÆ ECCLESIÆ OLIM EBORACENSI SUBIECTÆ.

*V. an. 185. 22.

Poly. Virgil. l. 9

V. an. 1085. 7. Edmerus interim, qui supra, in Lanfranco, Cantuariensem Ecclesiam *Totius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, necne adjacentium Insularum Matrem* vocavit; adhuc in assertione constans, vult illud lemmma defendere: Ego illud ibi ita exposui, ut mediante Eboracensi Præsule, Scotorum Ecclesiis, nec aliter, mater sit dicenda. Quod nunc (opinor) Edmerus fatebitur, cum quæstio ventilatur. nam post sequentem annum, ad Alexandrum Scotorum Regem scribet; se voluntati ejus, in eo quod petebatur, velle acquiescere. de quo infra. nunc Regem Henricum, in Normanniâ morantem, in Angliam reducamus.

V. an. 1122. 5.

XVI.

Huntindo. l. 7. fo. 381.

Anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo (loquitur Huntindonius) *omnibus domitis, & pacificatis in Galliâ, cum Gaudio Rex Henricus rediit in Angliam.* Sed extrema gaudii luctus occupavit. de quo Edmerus, *Dum talia circa Monachum Cantuariensem geruntur in Scotiâ, quiddam nostris seculis inauditum contigit in Angliâ. Willielmus enim filius Regis Henrici, cujus in superioribus mentio; Patrem suum a Normanniâ, in Angliam regressum, sequi gestiens, navem ingreditur, copiosa nobilium, militum, puerorum, ac feminarum multitudine comitatus. Qui mox portum maris evecti, miraq́; aëris serenitate freti, freto elapsi in modico, navis qua vehebantur, rupem incurrens, eversa est: & omnes qui in ea residebant; excepto rustico uno, & ipso, ut ferebatur, nec nomine digno; qui mirâ Dei gratiâ vivus evasit: marinis fluctibus sunt absorpti. Quæ res multorum mentes exterruit, atque turbavit, & de occultis justis Dei judiciis, in admirationem concussit.* Illi videntur Dei judicia perperam scrutati esse; qui infelicissimum casum, in Reginæ Mathildis

Edmer l. 5. fo. 135.

GUILIELMUS HENRICI F. SUBMERGITUR, CUM MULTIS ALIIS.

imprecationem referunt. volunt enim virginitatis voto obnoxiam, invitamque ad matrimonii leges descendentem; prolem, si quæ nasceretur, horrendis diris execratam, alii id figmentum putant, & contra sentiunt. *Quorum certè sententia* (ita Harpesfeldus) *cum veritate, & cum pietate, tam Mathildis (quæ adeo illustris & celebris erat; ut non alio ferè illis temporibus, quàm Optimæ Mathildis nomine appellaretur; quæque in pietatis testationem, signis & miraculis, post obitum emicuit) quàm Anselmi, qui nunquam alioquin illas nuptias, non modo præsentiâ suâ, sed & sacris ritibus, à se religiosè, de more Ecclesiæ, celebratis, cohonestasset: maximè mihi cohærere videtur. Neque se illâ execratione, authores qui proximius ad illa tempora accesserunt, meminere.*

Harpesf. sec. 12. c. 8.

XVII.

Periit hoc naufragio multa utriusque sexus nobilitas. Guilielmus inprimis Angliæ Princeps, & nuper creatus Normanniæ Dux: Richardus Henrici filius naturalis, alter etiam Richardus, Consul Cestriæ, qui Monachis iratus, se Monachos Cestrenses, quos Hugo parens, suprà posuerat, profligaturum voverat. perierunt ex altero sexu Mathildis, Henrici filia naturalis, Comitissa de Perche, nupta Comiti Retroco, filio Arnulfi Hesdinii Comitis: Adela, Henrici è sorore neptis, Lucia Cestrensis Comitis uxor: & alii in universum, centum & sexaginta. *Evasisset Guilielmus, si pietatem saluti non prætulisset*, inquit Polydorus; & addit: *Nam fractâ navi, è vestigio in cymbam descendit, ad terramq́; contendebat: cum ejus opem soror quæ jamjam cum morte luctabatur, fæmineo ululatu imploravit. Qui protinus charitate motus reversus est, ac cymbam navi admoveri jussit, ut sororem exciperet. Quò ubi appropinquavit, tanta fuit præcipitantium sese in eam multitudo, ut momento submersa sit.* Perculit hic casus Regium Henrici pectus, & eorum omnium, qui regi regnoque studebant: eo tamen patientius tulerunt cæteri, quod Regem viderent religiosè premere dolorem suum. Unde benè dicit Edmerus: *Eo citius sedata est in plurimorum animis hujus turbationis immanitas; quia animum Regis, quem maximè hoc infortunium respiciebat, videbant virili animo se agentem: & æquitati judiciorum Dei, cui nemo resistere potest, hæc submisso gestu, & voce attribuentem. In his namque se consolans, humili spiritu, & ore dixit; quod omnibus Christianis in cunctis eventibus suis dicendum fore intellexit: videlicet: Sit nomen Domini benedictum in secula. Amen.*

V. an. 1092. 4. Mathildes hæc filiam peperit Magdalenam nomine, quæ nupta est Garziæ IV. Navarræ Regi, Unde cæteri Navarrorum Reges.

Polyd. Vergil. l. 9.

Edmer. l. 5. fo. 135.

HENRICI PATIENTIA, ET RELIGIOSA VOX.

XVIII.

Sensit hunc ictum, Regique Henrico compassus Hildebertus Cenomanensis Episcopus, consolatorias literas ad eum dedit: & animi magnitudinem laudans, & eundem ad adversa tolleranda vario firmans argumento. Legitur Epistola illa in Magnâ Patrum Bibliothecâ, inter Hildeberti Epistolas numero quinquagesimâ sextâ; sed sine titulo: Ejus loco est hæc epigraphe. *Consolatoria est ad Regem (nisi fallor) Anglorum, de filio, quem naufragio amiserat. Multa verò eleganter, de viro sapiente, & rerum humanarum contemptu philosophatur.* Ego illam, quia longiuscula est, non apponam: delibabo tantum alia quæ rem, & Regem spectant. Sic ergo exorditur.

Cum benè multis imperes, nullis meliùs imperas quàm tibi; majore siquidem laude, potestas exemplum promit, quàm gladium. Illud enim doctrinæ levis est, & iniquitatem flagello reprimit incruento.

Hildeber. Epistola 56. to. 12. p. 1. fo. 333.

Hic autem sæpius odio educitur, quàm judicio; furore, quàm lege. Nosti profectò Regis esse sibi primum, deinde populo dominari. Nosti Principem, donec de seipso triumphet, obscurè de hostibus triumphare. Hinc est, quod in adversis, animo crevisti, quod aliquid magnum de illo vultus hilaris, & serenum eloquitur. Vultus, interpres animi est, & quàm liber, ac suus sit homo interior, constantia melius quàm vox denuntiat. De fortunâ (si quid tamen fortuna est) celeberrimè triumphari: ea nec in alium tam hostiliter, tam frustrà conata est. De tot missilibus quæ victoriam illi accelerabant, acutissimum elegit, & quo neminem recordor antea vulneratum. Quod ne tanquam laxiùs emissum, sine vulnere vulneraret, totis viribus collectis illud intorsit: non minùs lacerto confisa, quàm telo. Cæterùm nihil eo conatu, nihil acumine profecit: Cutem tamen signavit, nequaquam ad interiora perveniens. O bene munitum pectus, quo se minorem fortuna erubescit! ô animum custodem sui, & ignarum, vel sapientem extorqueri sibi, vel Regem. Neuter tibi ablatus est, neuter imminutus. alter libertatem mentis; alter statum regni servat incolumem. Dubium est, quis integriùs apud te expleat officium. Quippe nulla verba rumpuntur suspiriis, nulla vultum tenebræ operiunt. In ore, sua est serenitas, & animi solemnitatem eisdem indicat moderatus. Denique non pendent regni negotia, nec subsidium frustra præstolantur oppressi. Curia, legi: regnum Curiæ: nec ei aliquid est, cum rapinis, nisi ultio captivarum. Magnum hoc Regis, magnum sapientis indicium. Sapientis enim est, nec in prosperis effluere; nec in adversis, mœrore sepeliri, &c. post aliqua de viro sapiente hæc habet.

XIX. *Sapiens adversus eam quam dictis fortunam, nunquam imparatus, nunquam inermis invenitur. Secum habet, quo præcaveat insidias; quo jacula frustretur inimici: extra se nullum pugnæ quærit apparatum: In omni casu seipso tutus est: pectus ejus pharetra fertilis, & armamentarium copiosum semper sagittis exuberat, semper abundat munimentis: hauriri non potest, cum tela promere non desistat. quibus ille munitus, universa fortunæ missilia contemnit, obsequente pariter, & persequente superior. Dum ea blanditur, ingratus est; dum intonat, aspernatur. Nullis rerum movetur eventibus, exultans universis: quippe nihil unde non triumphet, animi triumphator. Si fortassis autem quæris, quibus armis tam viriliter sapiens dimicet? quæ pugnandi forma, biformis hoste sit potentior. Quod si nescis, deceptum me confiteor, qui ea nec ignota tibi, nec tibi deesse crediderim. Infelix, cuicumque contigit, præfata carere armaturâ: infelicissimus cui etiam ignorare. Apud hujusmodi Democritus materiam risus invenit, Demosthenes lacrymarum. Absit autem, ut alea rerum, talem te efficiat: & sobolis amissionem sequatur amissio sapientis. Gravius naufragium passus es in solo, quam in salo, filii tui; si fortuna tempestas sapienti sapientiam extorsit. Quod factum non dubito, si te prætereunt, quibus instrumentis tuetur sapiens, non domum, sed seipsum: non supellectilem, sed animi libertatem. Quorum scilicet instrumentorum, si tibi elapsa est notitia: redi ad te, & quos Reipublicæ debes oculos, scriptis præsentibus admovere ne morens. Quæ cum nec sententiarum majestate scintillent; nec ordine commendent, aut arte: fortasse tamen ex eis exprime aliquid, quo vel à longe speculeris illam sapientis armaturam.* Prosequitur pluribus Henricum armare, ad filii & heredis mortē, patienter, & prudenter ferendā: quod & supra diximus ab eo factum.

XX. RICHARDUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS.

Mortuum superiore anno Galfridum Herefordensem Episcopum, excepit hoc anno successitque in ejus locum Richardus: qui à Malmesburiensi Clericus de sigillo appellatur: nec aliud memoriâ dignum de illo reperitur, nisi quod paucis tantùm annis Herefordiæ sederit. sexcennium assignat Godwinus, & mortuum ponit anno millesimo centesimo vigesimo septimo. Nemo tamen legitur post eum Herefordensis Ecclesiæ administrationem suscepisse, ante trigesimum primum annum currentis sæculi.

XXI. HERLUINUS GLASTON. ABBAS MORITUR. * V. an. 1101. n. 36. *Antiq. Glaston. in Herluino.*

Moritur etiam hoc anno Glastoniensis Abbas, Herluinus, cum novendecim annos præfecturam tenuisset. Ejus exordium retuli * supra ad annum primum hujus sæculi. Cætera quæ gessit in dignitate constitutus, ita in Monasterii illius Antiquitatibus recitantur. *Ecclesiam novam inchoavit, circa quam consummandam quadringentas octoginta libras expendit. Imaginem & Crucem septuaginta marcis comparavit. Pro terris per conquestum à Monasterio ablatis: cum mille marcas Regi contulisset, repulsam passus est: nec obtinere potuit. Datis tamen insuper centum marcis argenti, & duabus auri, quorundam maneriorum suorum mutilationem resarcivit. Sex enim Hidas in Pokelesburche retrahens, ad quadraginta libras augmentavit, quod vix sedecim ante valuerat. Redemit etiam quandam in VVilton sexaginta marcis, quam Gaufridus de Magna Villa tenebat. Terram de Cranemere, annuente Rege Henrico, recuperavit. Melles & Lyme, de manibus cujusdam Hardingi, filii Eadnoti, admodum potentis, & causidici, extorsit. Ab Vlrico fratre Dunelmensis Episcopi manerium de Blakeford recepit. In Compton, unam Hidam, & in Sowy aliam, priùs perditam, recuperavit. Apud VValas, terram decem librarum adquisivit. Crucem opere mirabili, & incomparabili fecit, pallia novem, capas novem, tapetum unum: dorsalia quinque, albas tres, altare quod centum marcis auri æstimatum est, dedit: ac Monachorum officinas ampliavit. Pridie quàm excederet, Missam celebrans, cordis contritione, ac lacrymarum effusione, semetipsum victimam Deo fecit. Mox in Capitulo cunctorum excessuum, in Monachos factorum, indulgentiam petiit, & impetravit: quia accessisse se ad metam vitæ illis (dixit.) Sub ipsius diei crepusculo de concilio medicorum pillulas sumpsit: sed eis ante mediam noctem in tormentum transeuntibus, à Monachis occurrentibus sacra Vnctione delibutus, cum præfuisset annis novendecim, diem clausit extremum. Sepultus est juxta Thurstinum Abbatem, ad S. Andream. Successit Sigefridus Pelochinus Monachus Sagiensis, frater Radulfi tunc Cantuariensis Archiepiscopi, anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo, similiter ab Henrico Rege, per consensum Conventus, constitutus.* Hæc omnia Antiquitates referunt.

SIFFRIDUS ABBAS GLASTONIENSIS.

XXII. URBANI LANDAVENSIS INDUSTRIA.

Godwin. in Landaven. in Vrbano.

Nec minor laus Urbani Landavensis Episcopi, in Ecclesiæ suæ pomerio ampliando. nam qui nuper, in Rhemensi Concilio, de Ecclesiæ paupertate conquestus; piorum mentes, ad augendum Dei cultum, excitaverat; nunc collectâ pecuniæ non parvâ summâ, manum operi pientet admovit, ædisque vetustæ reliquias demolitus, novam elegantiùs, aucto etiam territorio, extruxit. *In Archivis nostris* (loquitur Landavensis alter, moderna tantùm dialecto, dictus Episcopus Godwinus) *reperi annotatum: priorem illam Ecclesiam habuisse longitudinem pedum viginti octo, latitudinem vero quindecim. & altitudinem, haud plusquam viginti. Cum nostra, ab Vrbano posita,*

hodieq; visenda (præterquam quod ex quadrato lapide ferè tota constructa est, & ab Occidente duabus turribus in magnam excelsitatem consurgentibus ornata est: in Occidente verò Capella B. MARIÆ splendidissima) longa fit pedes trecentos, lata octoginta. & in altitudine colligat, à pavimento ad tectum usque, ferè triginta. Opus herclè, in tantâ præcipuè Sedis paupertate, magnificum, & cum gratitudine à posteris celebrandum. Hanc structuram Aprilis decimo quarto, anni millesimi centesimi vigesimi inchoatam, cum perfecisset: ædes etiam sibi, & Canonicis suis extruxit. Quibus rebus ex animi sententiâ confectis, ad possessiones Sedis suæ, ab aliis occupatas, recuperandas animum adjecit. Hæc ille. Quid, quomodo, &

V. an. 1128. 1. 2. & an. 1133. 1. 2. quando recuperavit, dicam infra post annos sex. & iterum post an. quinque desungitur.

ANNUS CHRISTI 1121.

CALLISTI II. PAPÆ 3.

HENRICI PRIMI REGIS 22.

I. ANNO Domini millesimo centesimo vigesimo primo, recepit Roma libertatem suam, pressoque schismatico Papa, per Callisti adventum respiravit: & Urbs illa, Petri Sedes, Christianæ religionis domicilium, cunctis accedere volentibus patuit. Restitutæ pacis commoda Angli senserunt, cum laude Callisti, pacis Principe. de quo Malmesboriensis: *Processit ulterius in augendo bono laudabilis Papa magnificentia, ut illam effrenem, & ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Nulla ipsius tempore viantibus circa Romam insidia: nulla urbem ingressis injuria. Oblationes apud S. Petrum (quas pro petulantiâ, proq; libidine, potentes diripiebant, anteriores Apostolicos, qui vel mutire auderent, indignis afficientes contumeliis) Callistus revocavit ad medium: scilicet ad Apostolicæ Sedis Rectoris publicum usum. Nec quicquam in ejus pectore pecuniarum, vel habendarum ambitus, vel habitarum amor operari, bono abhorrens, potuit. Adeo ut Anglos peregrinos magis ad Sanctum dictum* (Sanctum Jacobum Compostellanum intelligit Baronius, hunc Malmesburiensis locum, & verba recitans) *quàm Romam pergere admoneret; pro viæ longitudine, ad illum locum bis euntibus, idem benedictionis refundendum commodum, quod habent, qui semel Romam irent.* Hæc ille. Simile privilegium Menevensi apud Britannos Ecclesiæ, ubi Davidis sancti corpus colitur, concessum supra ostendi: quod uno distycho Britanni non malè exprimebant, in hunc modum:

> *Meneviam si bis, & Romam si semel ibis:*
> *Merces æqua tibi, redditur hic & ibi.*

Calli-sti Pontificis laus.

Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 169.

Angli peregrinantur ad S. Jacobum Compostellanum.

V. an. 560. 9.

II. In Angliâ Henricus Rex, è morte filii factus doctior, & vagis amoribus servire nolens conservandæ sibi, posterisque coronæ studuit. Unde quamvis naturali, spuriaque prole abundaret, prudenter tamen advertit, vitulamina talia non dare radices altas; & peccatum illud obesse potiùs quàm prodesse regno. Quare & leniendum de amisso herede dolorem, consultissimum visum est, sanctiori modo, è novis nuptiis, prolem suscipere: & piæ Mathildis loco substituere aliam. Itum est tandem in filiam Godefridi Ducis, *Adelicam nomine, ex veteri Lotharingiæ Ducum prosapiâ, puellam moribus & forma ornatam*, inquit Polydorus. Florilegus *Ætheliciam* vocat *filiam Ducis Lovaniæ.* Gemiticensis *Adelizam filiam Godefridi Ducis Lovaniæ*: & ita communiter Annales nostri. Edmerus paulò aliter, qui librum sextum Novorum exorditur, ab Henrici Regis è Normanniâ reditu, in hunc modum. *Quâ jocunditate, & exultatione regnum Angliæ, in reditu Regis, exhilaratum fuerit; qui temporis illius recordatur, & me tacente advertere poterit. Spes etenim magna magni boni multorum mentibus est inde profecta; quæ sibi promitteret levamen, & auxilium à magnis malis: quorum tædio nimium antehac videbantur infecta. Verùm dum fama intonuit, Willielmum jam olim regni heredem designatum, de medio esse sublatum: non parva bona spei portio periit: consideratis injustitiis, quæ in omni genere hominum, illis diebus emergebant. Attamen Rex, legalis conjugii nexu olim solutus, nè quid ulteriùs inhonestum committeret, consilio Radulfi Cantuariorum Pontificis, & Principum regni; quos omnes in Epiphaniâ Domini, sub uno Londoniæ congregavit, decrevit sibi in uxorem Athelaidem, filiam Godfridi. Ducis Lotharingiæ, puellam virginem, bonis moribus, & decore modesti vultus decenter insignitam.* (*Fuit ergo Godefridi Barbati Lovaniensis, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ filia*, inquit Camdenus.) *Ad hujus igitur copulæ perfectionem directi sunt nuntii, qui cum his, quos Dux memoratus Angliam pro hoc ipso destinaverat, festinanter irent, & futuram regni Dominam, ut decebat, summo cum honore, adducerent. Venienti ergo illi, occursus Episcoporum, & Procerum regni Dofris (ubi appulit) grandis factus est, & inde ad Curiam Regis usque perducta.*

Rex aliam ducit uxorem.

Polyd. Vergil l. 9.
VVestmon. hic.
Gemit de Ducib. Norman lib. 7. c. 29.
Edmer l. 5. fo. 120.

III. Priusquam nova nupta matrimonii lege Henrico jungeretur: vetus illa controversia, Cantuariensem inter & Eboracensem Ecclesiam, Curiam implevit, & multorum motuum causa fuisset, nisi Henrici Regis pietas Romani Pontificis authoritati cessisset. Rem gestam accuratè narrat qui supra Edmerus, & inquit: *Cum hæc ita administrarentur, conventu Principum, qui pro occursu Reginæ factus fuerat, nondum soluto, magnus sermo habitus est, de dissidio, quod eousque versabatur, inter Radulfum Cantuariensem Archiepiscopum, & Thurstanum Eboracensem. Siquidem ipse Thurstanus (prout supra descripsimus) à Calixto Episcopus ordinatus, literas ab ipso Calixto, more quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat. Quibus jubebatur, ut ipse Thurstanus, Episcopatu suo potiretur. aut Rex anathemate, & Radulfus suspensione Pontificalis officii plecteretur. Ad quod recitata sunt sententiæ privilegiorum: & quàm dignè hæc Apostolica disponerentur, intellectum est ab omnibus. Tamen ne præmissa intentio pœna, Regem vel Pontificem aliquatenus conturbaret; ex communi consilio, permissus est idem Thurstanus Angliam redire, & Eboracum Regiâ via venire. Quod & factum est, ea dispositione, ut nullatenus extra parochiam Eboracensem divinum Officium celebraret; donec Ecclesia Cantuariensi, de injuria, quam ei intulerat, abjuratâ cordis sui obstinatione, satisfaceret.* Ita ille: & vereor nunquam satisfecit, ratus injuriam non esse, quod Pontificio oraculo, & jure intercedente, factum. Unde Malmesburiensis de illo: *Receptus est Thurstanus in Sede, quamvis Radulfus & successor ejus Willielmus multa conarentur, multa effunderent: ita ille omnes eorum allegationes instantiâ suâ dissolvit, & irritas fecit.*

Thurstanus ad Sedem redit.

Edmer supra.

Malmesb. de Pont. l. 3. fo. 271.

IV. Iterum de Cantuariensis Ecclesiæ prærogativâ disputandum, vel cum de matrimonii assistentiâ; vel cum de coronando Rege agetur. quod factum hoc tempore; Edmero teste ita scribente. *Hac inter de Reginæ maritatione, necne in regnum promotione, actum est inter regni sublimiores: & in VVindlesorâ ipsum negotium administrari dispositum est. Ubi cum Episcopus Serberiensis (nunc Sarisburiensis dicitur) quia castrum ipsum, in Diœcesi suâ consistit, officium ipsius copulæ interrere administrare; contradictum, & comprobatum ab aliis est; magis ad Archiepiscopum Cantuariensem id pertinere: eâ ratione, quòd Rex & Regina, speciales ac domestici parochiani sunt ipsius; nec Diœcesim cujusvis Episcopi eis posse præcipere, quod sui juris dignoscitur esse, cum tota terra lege Primatus, Cantuariæ parochia sua sit, & omnes Episcopi totius Insulæ, parochias quas habent, non nisi ab ipso, & per ipsum habeant. Sedata igitur in his controversia est. Itaque quoniam Radulfus Archiepiscopus, corporis debilitate gravatus, ministerium ipsum opportune exequi nequibat: injunxit illud Episcopo VVintoniensi: ne si Episcopus Serberiensis illud administraret, insuper venturis temporibus aliquis tale quid ex sua parochia authoritate, quam ex Cantuariensis Episcopi obedientiâ, sibi vindicaret.* Hæc omnia Cantuariensis Monachus, Ecclesiæ suæ jura defensans. quod etiam in sequentibus præstat, nullum juris apicem prætermittens, quoties de primæ Sedis privilegio quæstio est. Pergit enim.

Edmer. l. 6. fo. 130.

REX ET REGINA AD PAROCHIAM SPECTANT CANTUARIENSIS ECCLESIÆ.

V. *In crastino autem expletionis officii hujus, dum in Reginam ipsa puella benedici debuisset: & jam dicto introitu Missæ, Pater Radulfus ipsum Officium celebraturus, sacris altaribus astitisset: advertit Regem in solio suo sedere coronatum: & admiratus est, sciens regni coronam se illi non imposuisse: nec illam ab alio positam, se præsente, jure fieri debuisse. Divertit igitur infulatus, & sui Patriarchatus stolâ redimitus, ab altari: & ad Regem accedens, eo sibi suppliciter assurgente, sciscitatus est, quisnam capiti ejus coronam imposuisset. Ad quod ille, demisso vultu, se non magnam curam inde accepisse, & idcirco memoria id elapsum, modestâ voce, respondit. Quicumque, ait, illam posuit, non id utique jure fecit: nec quamdiu capiti tuo, hoc modo insederit, propositi negotii executor* non existam. Cui Rex: si non jure, ut asseris, imposita est, fac quod justè faciendum fore cognoscis: me contradictorem in nullo habebis. Pontifex igitur elevatis manibus, sustulit coronam de capite ejus, ipso dissolvente ansulam, qua sub mento innodata erat, ne capite insidens vacillaret. Quod ii qui circumstabant, intuentes; omnes elatâ voce Pontificem parcere, & Regio capiti coronam remittere petiverunt. Adquievit ille: & mox juxta Regem coronatum stans, Gloria in excelsis Deo, ad incœpta Officium Missæ inchoavit: Choroque sequentia canente, Altari repræsentatur. Regina itaque in regnum consecrata est: & dies festivus & hilaris, omni populo, qui confluxerat, habitus est.*

Edmer. l. 6. fo. 137.

*abundat opinor.

REGINA CONSECRATUR.

VI. Rege & Reginâ coronatis; de vacantibus Episcoporum Sedibus actum. Dudum Norwicensis Ecclesia, per Herberti mortem vidua, in luctu erat. Coventrensis etiam diutiùs luxerat, à morte nimirum Roberti de Limesey; qui Sedem è Cestria Coventriam transtulerat. & huic Ecclesiæ primò provisum: cum Robertus Peccam, Roberto alteri successit. de cujus consecratione ita Edmerus. *Post hac Archiepiscopus, cum Rege, Abendoniam veniens, sacravit ibi Robertum; qui ipsi Domino Regi, in curâ panum & potus, strenuè ministrare solebat, ad Episcopatum Cestrensis, sive Coventriensis Ecclesiæ, acceptâ prius ab eo professione, quâ se, ex antiquo more devovit fore subjectum, & obedientem sanctæ matri Cantuariensi Ecclesiæ, & Pontificibus ejus. Sacratus est autem tertio Idus Martii assistentibus & cooperantibus huic Sacramento, VVillelmo VVentano Episcopo, VVillelmo Exoniensi, Urbano, & Bernardo Episcopis VValensibus.* Malmesburiensis hunc Robertum, Henrico Regi à Sacello, non à pane aut potu Ministrum scribit, & ita de illo: *Successit alter Robertus, cognomento Peccam, ex Capellâ Henrici ad Episcopatum datus. vixit paucis annis, & Coventria sepultus est. Prædecessoris sui, quoad vixit, sedulo æmulatus vestigia.*

Edmer. supra

ROBERTUS PECCAM COVENTRIEN. EPISCOPUS.

Malmesb. de Pont. l. 4. fo. 289.

VII. Mortuum Herebertum Norwicensem Episcopum excepit hoc anno Everardus: qui ex Archidiacono Sarisburiensis Ecclesiæ assumptus, Junii duodecimo consecratur. & diu superstes, nimirum ad annum usque millesimum centesimum quinquagesimum, nihil posteris, præter nomen, & Sedis annos, memoria dignum reliquit.

EVERARDUS NORWICEN. EPISCOPUS.

VIII. Rebus Ecclesiæ benè compositis; & presso schismate quod Italiam infecerat; Callistus Pontifex, inspecturus quid in sacrâ Republicâ distortum noxiumque esset; Legatos in Occidentem & Orientem mittit: eâ sine dubio mente, ut sparsa per orbem membra suo capiti ritè unirentur. Si hoc decernendæ legationis consilium Legati purè sequerentur, aut olim sequuti fuissent; Romana Ecclesia illustrior, & omni major invidia foret. Ego sanè quid Romanæ Sedis majestatem magis in Anglia læserit, non reperio: quàm Legationis non benè administrata potestas. Baronius suprà Petrum Leonis Cardinalem accusat; vultque ideo Henricum Regem, Oratores in Urbem misisse, anno millesimo centesimo decimo septimo: Sed verius est, Petrum Leonis, non ante hunc annum millesimum centesimum vigesimum primum, Legationem in Angliam adornasse. Nam Edmerus, in rerum, & temporum circumstantiis, accuratus author, & ad omnia præsens: cum Reginæ, & Roberti consecrationem absolvit, quid interim acciderit, narrat in hunc modum. *Dum hæc, isto ordine, in Angliâ disponuntur; famæ certitudo illuc usque perlata est, Papam Calixtum, viribus undecunque collectis, Mauricium cognomento Burdinum; quem vocatum Gregorium, in Sede Apostolicâ Imperator, cum suis fautoribus Papam constituerat, cepisse; eumque suis omnibus spoliatum, Monasterio, ut Monachus esset, contumeliosè intrusisse. Quo facto, ipse Apostolici culminis securitate potitus; liberâ authoritate, quâ Romanum Pontificem uti æquum esse probatur, quaquaversum per Legatos suos utebatur.*

CALLISTUS PER ORBEM LEGATOS MITTIT.

V. an. 1117. 5.

Edmer. l. 6. fo. 137.

IX. *De quorum numero, quidam Petrus nomine, Romanus genere, Monachus Cluniacensis professione, venit in Galliam, missus ab ipso Pontifice, functurus, ut ferebatur Legatione Galliæ, ac totius Britanniæ, Hiberniæ quoque & Orcadarum Insularum. Supercreverat autem fama istius famam omnium, ante eum in has partes à Romanâ Sede destinatorum. Et Abbates, & nonnulli alii, viri videlicet honorati, ejus adventum Angliæ præconaturi ab eo præmittebantur. Erat enim filius Petri, præclarissimi ac potentissimi Principis Romanorum: cujus fides, & actio, magni consilii & fortitudinis esse solebat, ut qui in Sede Apostolica Canonicè consistenti, Patres orbis habebantur. Attonitâ igitur totâ terrâ, in expectatione quasi tanti*

PETRUS LEONIS NUNTIUS APOSTOLICUS.

BERNARDUS MENEVENSIS AD EUM MITTITUR.

adventus : direxit Rex Henricus, Bernardum Episcopum S. David de Walis (nos suprà Menevensem diximus) *& Ioannem filium patrui sui Clericum, trans mare; ubi eousque idem Petrus morabatur; Regis Anglorum, de introitu suo in Angliam, voluntatem jussumq; opperiens; quatenus illum ad se perducerent. Quibus etiam ipse Rex, prudenti usus consilio, injunxit; quatenus iter ejus ita disponerent: ut post ingressum Angliæ; nec Ecclesias, nec Monasteria qualiber, ad se tendens, hospitandi gratiâ ingrederetur: nec aliunde quam de suo, victus necessaria ei ministrarentur. Perductus igitur ad Regem, dignè ab eo susceptus est. Et expositâ sui adventus causâ, Rex obtensâ expeditione, in qua tunc erat (nam super Walenses eâ tempestate exercitum duxerat) dixit, se tanto negotio, operam tunc quidem dare non posse: cum legationis illius stabilem authoritatem, non nisi per conniventiam Episcoporum, Abbatum, & Procerum, ac totius regni conventum, roborari posse constaret. Super hæc sibi patrias consuetudines, ab Apostolicâ Sede concessas, nequaquam se æquanimiter amissurum fore testabatur (in quibus hæc, & de maximis una esset, quæ regnum Angliæ liberum ab omni Legati ditione constitueret) donec ipse vitâ præsenti superesset. His horumq; similibus eqal facundiâ editis, præfatus Petrus assensum præbere utile judicavit, & annuit.*

X. *nullo modo.*

PETRUS LEONIS CUM HONORE REMITTITUR.

*Quapropter larga Regis munificentia magnificè honoratus, *omni modo se illi quicquam antiquæ dignitatis derogaturum: imo ut dignitatis ipsius gloria undecunque augmentaretur, spopondit plenâ fide elaboraturum. Pax itaque firma inter eos firmata est: & qui Legati officio fungi, in totâ Britanniâ venerat, immunis ab omni officio tali, cum ingenti pompâ, via qua venerat, extra Angliam à Rege missus est. Dosris itaque transfretaturus, Cantuariæ hortatu Regis & Archiepiscopi, magnificè à Fratribus susceptus est; & inter eos triduo, cum jocunditate conversatus. In quo temporis spatio, querimonia apud eum deposita est, pro gravi injuriâ, quâ Papa Calixtus Ecclesiam Cantuariensem, in causâ Thurstani Eboracensis humiliare non veritus est: & suis literis eandem humiliationem, omissâ omni justitiæ consideratione, roborare. Quæ ipse, lenis vultu, & mitis mente suscipiens; privilegia ab Antiquis Patribus olim à Romana Sede *possessa ostendi sibi postulavit: & si rata esse probaventur; quæ noviter instituta erant, se promisit elaboraturum, ut in nihili redigerentur.*

forte **progressa.*

BULLÆ ET PRIVILEGIA CANTUARIEN. ECCLESIÆ INCENSA.

Prudentum igitur ratione virorum probatum est, Bullatas antiquitùs chartas incendio, quod totam Ecclesiam, necdum transitu quinquaginta annis, omnino consumpsit, esse consumptas: paucis illarum in antiquis schedulis, seu veteribus libris quoquomodo raptim transcriptis, atque retentis. Quarum veritas, & Romani stilo eloquii, & auctoritate jam per quadraginta, & eo ampliùs annos ab ipsâ Ecclesiâ inconcussè possessa declaratur. Quibus ille perspectis atque perpensis; testatus etiam ipse est, Ecclesiam Cantuariensem grave nimis & immoderatum judicium esse perpessam: & quatenus hoc velocius corrigeretur, se modis omnibus opem adhibiturum pollicitus est. Post hæc Angliam egreditur, prospero cursu procellosum mare evectus. Ita Edmerus.

XI. HENRICUS BRITANNOS PREMIT.

Dictum suprà de Wallorum motu; quem Henricus Petro Leonis & legationi ejus opposuit. Cum ergo ille, cum honore dimittitur, Rex ad novam premendam factionem accingitur: & facilè domuit, quos levis animi impetus ad prædam accenderat. Polydorus ita rem gestam narrat.

Polyd Verg. l. 9

Dum his Rex Henricus intentus erat; per literas cognoscit; Wallos, quos rapinas facere maximè juvabat; finitimorum agros prædari, vicos & villas incendere, ac pecora passim rapere. Quæ res ita eum movit; ut coactis statim copiis, in Walliam, eo animo sit profectus; ut in prædones crudelissimè sæviret. Verum ubi fama de Regis adventu, per Walliam pervasit: tantum abfuit, ut Walli ad manum venire voluerint: ut etiam Legatos miserint obviam, qui veniam criminis orantes, pacem suppliciter peterent. Rex illorum precibus motus; acceptis obsidibus, veniam haud gravatè dedit. Quoniam in hujusmodi bello, cum prædatoribus gerendo, minorem emolumenti spem, quàm dispendii metum, inesse cernebat. Veruntamen ne finitimi populi, Wallorum incursionibus rursus vexarentur; negotium retinendi illos in officio mandavit Warino, Comiti Salopiæ. Is optimus Princeps, summaq; pietate præditus; præter cætera memoratu digna facinora, duo posuit Benedictinorum Cœnobia, alterum in suburbiis Salopiæ, alterum ad pagum Wenlocum nuncupatum: & hoc Divæ Milburgæ: illud verò Divis Apostolis Petro & Paulo dedicavit. Ita Polydorus.

MONASTERIUM SALOPIÆ PRINCIPIBUS APOSTOLORUM SACRUM.

V an. 1081 § 9.

MONASTERIUM WENLOCI SANCTÆ MILBURGÆ SACRUM.

Nos * suprà duorum horum Monasteriorum fundatorem diximus Rogerum, Comitem de Monte-Gomerico, qui etiam Salopiæ Comes scribitur, cognomento (opinor) Warinus. nam dictorum locorum fundatorem, Warinum Salopiæ Comitem, vocat etiam Joannes in historiâ aureâ ad annum millesimum octogesimum primum.

ANNUS CHRISTI 1122.

CALLISTI II. PAPÆ 4.

HENRICI PRIMI REGIS 23.

I. HENRICUS IMP. INVESTITURÆ IUS RESIGNAT.

SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus vigesimus secundus, Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ admodum opportunus, Henrico Imperatore pacem, obsequiumque Apostolicæ Sedi præstante; & investituræ jus diu controversum in Callisti manus resignante. Collegerat Pontifex in Lateranensi Basilicâ generale Concilium: ubi Germanorum Legati, pro Imperatore excommunicato pientissimè orantes, data est acceptaque, hinc peccatorum & illinc Investituræ remissio. Tunc prodiit solennis illa Henrici sanctio.

Apud Baron. hoc. Malmesb. de Reg. l. 5

HENRICI IMPERATORIS SANCTIO.

Ego Henricus Dei gratiâ, Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & remedio animæ meæ; dimitto Deo, & Sanctis ejus Apostolis, Petro & Paulo, & sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ omnem Investituram per annulum & baculum: & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ, usque ad hodiernam diem; sive tempore Patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quæ habeo eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo. Quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum: & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum, consilio Principum, & justitiâ; quæ habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem Callisto, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo. Ita Corona Infulæ subjecta illustrior fuit: & uterque Henricus, gener &

socer; Imperator, inquam, & Anglorum Rex, supremi in Occidente Principes, uno ore, unâ manu, unâ fide, Romanum Pontificem, Romanamque Sedem, omnium Ecclesiarum matrem religiosè coluit.

II. MATHILDIS IMPERATRICIS IN ECCLESIAM PIETAS. *Malmesb. sup. fo. 170. V. an. 1118. n. &c.*

Acuerat (opinor) Henrici pectus, & uxor Augusta Mathildis: & socer Henricus, Mathildis pater, qui dudum Investituras, & nuper Callisto in re controversâ cesserat. Malmesburiensis, cum Henrici Imperatoris professionem recitasset, ita de Mathilde: *Huic Henrico Imperatori (ut ante fatus sum) filia Regis Angliæ nupta, exhibebat Patrem fortitudine, matrem religione; Contendebat in ea pietas industria: nec quod magis probares, discerneret facile.* Matris nomine, seniorem Mathildem intelligit, quam suprà mortuam, cum sanctis composui; & jam è fructibus arbor cognoscitur, cum sanctæ filia, ad pacem Ecclesiæ obstetricem egit. Nunc Angliam invisamus, & Edmerum Electum Scotiæ Episcopum, ad sponsæ quam dimiserat amplexus anhelantem: quod nemo melius, nemo castiùs, nemo quàm ipse candidius narrabit. Ita ergo ille.

III. *Edmer. l. 6. fo. 138.*

His ita variantibus, suprà designatus Episcopus Scotiæ, Cantuariæ continuè degebat; sicut olim priusquam in Pontificatum electus esset, facere solebat: Conventum Monachorum non facilè deserens: sed more aliorum, sese in omnibus habens. Transit in istis, annus integer & semis: Venientes itaque Cantuariam diversi Episcopi, Abbates, & quique Nobiles, qui hominem ex cohabitatione Patris Anselmi quondam notum habebant, de negotio illius percunctabantur. Et ordinem rei edicta; eum Ecclesiam, quam Canonicè electus regendam susceperat; nulla ratione juxta scita Canonum indemnatum dimittere posse, concordi sententiâ asseruerunt, licet consecratus non fuerit: electionem videlicet, quodammodo consecrationem præstare contestantes. Usus igitur illorum, & quorundam aliorum consilio: necne Beati Patris sui Anselmi, cujus beata conversatio, eum in multis olim informaverat, exemplo provocatus: qui olim ab Anglia, æquè ut ipse è Scotiâ, pro simili causa, pari ordine pulsus fuerat: sicut longè superius habita est mentio, Regi Scotorum Epistolam quam ecce subscribimus scriptam direxit.

ALEXANDRO Illustri Regi Scotorum, EDMERUS quondam electus Episcopus Scotiæ, Salutem & servitium.

IV. EDMERUS AD ALEXANDRUM SCOTORUM REGEM SCRIBIT.

,, PRo benignâ voluntate, quam se erga me, vestra Excellentia olim habuisse monstrare dignata est; gratias quas possum vobis exsolvo. Et quidem benignitatis vestræ, non meritorum meorum fuisse non nescio: quod prætermissis innumeris, quos & vitæ probitas, & sapientiæ, atque prudentiæ illustrabat authoritas, me in Episcopatum elegistis; & regno vestro, in iis quæ Dei sunt, præesse voluistis. Reddat vobis omnipotens Deus, pro tam bonâ voluntate illud præmium, quod bona voluntas meretur apud eum. Et hoc utique orat quotidie, & desiderat anima mea. Quod autem res alium, quàm propositi communis tenor exstiterit, eventum sortita est; Dei dispositioni, quam penetrare vel subterfugere nemo potest; ascribendum fore non dubito. Quid tamen ex discessu meo à Pontificatu dicerim, si facultas mihi daretur secretiùs vobis loquendi, sanctæ fidei vestræ notificarem. Licet enim corpore à vobis discesserim; noveritis tamen pro certo, quòd fidem, quam vobis debeo (Deo juvante) non violabo. Unde vestrum, & Dei honorem, in quibuscumque potero, si non spreveritis, fideliter quæram ipso teste, qui conscientiæ meæ solus, & verus inspector est. Nec hæc dico, quod multum desiderem in regno vestro Episcopari: sed tamen mallem dignitatem terræ vestræ augeri, quam minorari. Præterea noverit Beatitudo vestra, quod omnes qui audiunt, qualiter electus, susceptus, & Pontificatu saisitus, & loco Pontificis substitutus fui; unâ sententiâ asserunt; nec me justè potuisse Episcopatum dimittere: nec alium me vivente, juxta legem Domini, substitui posse. Nec enim vir uxorem suam, aut uxor virum ut alii nubat, dimittere legaliter potest. Sed fortasse dicitis: Tu dimisisti. Dimisi quidem, sed (quod pace vestrâ dicatur) illatâ vi, cui contraire nequivi. Cum enim perpes discordia, & interminabiles inimicitiæ mihi, ex vestra parte, per eos quos vobis familiares esse sciebam, intenderentur; nisi Episcopatui funditùs cederem: & his, vester habitus circa me, & dissaisitio, quâ me bis, rebus ad Pontificatum pertinentibus, sine lege, & judicio spoliastis, attestarentur; necessariò dimisi, quod ablatum retinere non potui. Sed de his Epistolari brevitate disquiri commodè non valet.

,, Quamobrem omissis istis breviter suggero; V.
quia si in pace vestrâ permittitis, & opem (ut vestram Regalem sublimitatem decet) ferre volueritis, ut ad vos honorificè redeam, ad explendum apud vos servitium Dei, & vestrum, secundùm voluntatem Dei, conabor iter aggredi, & in omnibus voluntati vestræ parere; nisi (quod absit) videatur voluntati Dei resistere. Quod si amplecti minimè vultis, ultra non possum. Deo causam Ecclesiæ suæ committo. Ipse videat, ipse dispenset; ipse, quod quisque meretur, in hoc suo negotio, cuique reddat. Ego libero, ut æstimo, animam meam. Ego, uti debeo, coram eo exposui causam meam, paratus in omnibus sequi voluntatem suam. Ne tamen putetis me in aliquo velle quicquam derogare libertati, vel dignitati Regni Scotorum; securum vos esse volo: quia quod à me petiistis & ego tunc quidem acquiescere nolui (æstimans aliud, quam, secundùm quod postmodum didici, æstimare debebam.) De Rege scilicet Anglorum, de Pontifice Cantuariorum, & de benedictione Sacerdotali; si hucusque persistitis in sententiâ vestrâ, me amplius contradictorem non habebitis: nec illa me à servitio Dei, & amore vestro (quin quod volueritis, faciam) ullo modo divellent: tantummodo alia, quæ Pontificis Sancti Andreæ juri competunt, mihi liceat, cum vestrâ bonâ voluntate administrare. Hæc olim vobis insinuassem: sed quia rumor quaque discurrebat; vos in Angliam, postpositâ omni ambiguitate, tunc, vel tunc, aut certè tunc, venturum, scribere distuli: quod magis optabam secreto vobis affatu declarare. Sive igitur ista suscipiatis, sive altiori consilio postponatis; ego, quod mea refert, purâ & simplici conscientiâ feci; ipso cuncta inspiciente,

„ & examinante, qui novit quid cuique redditurus æquo moderamine sit. Quoniam ergo „ in manu ejus sunt etiam corda omnium Regum; intimo corde rogo, ut ipse cor vestrum, „ & actus vestros, ad se, suâ gratiâ, dirigat: quatenus & Ecclesia sua, quæ in regno vestro peregrinatur; vestra ope, in sanctâ conversatione, de die in diem, proficiat: & animæ vestræ, „ post hanc vitam beatitudinis æternæ merces „ exinde proveniat. Amen. Quid de istis Excellentiæ vestræ placeat, benignè, quæso, mihi „ fideli vestro, literis suis notificare dignetur. „ Vale.

VI.

Ita Edmerus: & annus remissionis est; quia Henricus Imperator, Investituras; Callixtus Papa, excommunicationis vinculum: & Cantuariensis Ecclesia, Episcoporum Scotiæ consecrationem remittit, atque renunciat. Hoc Edmerum ad scribendum movit: ubi clarè satis significat, se nolle ultra de Cantuariensis Ecclesiæ prærogativâ contentiosum funem trahere. poterat enimvero, hoc sesquianni spatio, ab antiquioribus Episcopis doceri, Scotiæ Episcopos ab Eboracensi Archiepiscopo solitos consecrari, ut supra ostendimus. & titulum illum Lanfranco, & Anselmo datum, *totius Britanniæ, Hiberniæ, & Insularum omnium Primas* cum sale exponendum. Viderat Edmerus Lanfrancum olim in Hiberniæ
V. an. 1085. n. 2.
Ecclesias jurisdictionem exercentem, ut suprà, & nuper Radulphum, Hiberniæ Episcopum consecrantem: de quo Florentii Wigorniensis Continuator ad annum millesimum centesimum vigesimum primum.
Continuatio Wigor. an. 1121.
Clericus quidam natione Hiberniensis (nomine Gregorius) à Rege Hiberniæ, Clero & populo in Episcopatum Dubliniæ civitatis electus, Angliam venit pro antiquo more ordinandus ab Archiepiscopo Cantuariensi, Anglorum Primate. Quem ex præcepto ejusdem Archipræsulis, Rogerus Saresberiæ Episcopus, apud castellum suum, quod vocatur Divisio, octavo Calendas Octobris Sabbato, ad Diaconatus, & ad Presbyteratus promovit gradum. Ordinatus est autem Episcopus sexto Nonas Octobris Dominicâ, apud Lambbitam a Radulfo Cantuariorum Pontifice, ejusq; consecrationi interfuere Episcopi, Richardus Londoniæ, Rogerus Salisberiæ, Robertus Lincolniæ, Everardus Norwicensis, & David Bangornensis.
Gregorius Hiberniæ Episcopus a Radulfo consecratur.
Hoc, inquam, Edmerus viderat: & inde fortè collegit, pari jure Episcopos Scotiæ, ad Britanniæ Primatem pertinere. meminisse tamen poterat, Anselmum supra, in Turgoti consecratione, jus illud
V. an. 1108. 20.
Eboracensi non negasse. tractu temporis itaque & amicorum suggestione, factus doctior, præfatam Epistolam Alexandro dedit: quam etiam suis literis comitari voluit Cantuariensis Radulfus. de quo idem Edmerus: *Misit etiam ipsis diebus, Radulfus Archiepiscopus & Fratres Ecclesiæ Cantuariensis Epistolam ipsi Regi, hac inter alia continentem.*
Edmer. l. 6. fo. 140.

Alexandro Illustri Regi Scotorum, Radulfus Cantuariensis Ecclesiæ Minister, & Fratrum Conventus, Domino Christo in ea deserviens: Per illum in terrâ regnare, cui famulatur omnis militia cælestis.

VII. Hortatoria ad Alexandrum Regem.

„ Novit prudentia vestra (charissime Domi- „ ne) quanto tempore Sedes Episcopalis, „ quæ in patriâ vestrâ, præcipua habetur, suo „ caruerit Pastore. Quæ procul dubio quanto „ fuerit suo destituta vigore, tanto deteriùs subditorum ruina inde proveniet. Unde hortamur strenuitatem vestram, quam divina propitiatio, inter alios Reges, ita absque notabili „ reprehensione hucusque honoravit; ut ab „ omnibus laudabilis habeatur: quatenus tanto „ Religionis detrimento finem dantes; Pastorem, quem vos Canonicè elegistis, & nos legaliter ad vos misimus; ad Sedem suam ex bonâ voluntate vestrâ revocetis. Et cum nec in „ vobis, nec in ipso culpa pateat: quare hoc dignè fieri non debeat; ex Patrum auctoritate „ non intelligimus, qualiter isto vivente, alium „ memorata Ecclesia vestra possit sortiri Episcopum: quia sponsa Dei (suo superstite) * ne „ fiat adultera, nisi legalem omnem contemnit „ maritum. Quapropter quomodocumque hactenus, hoc dilatum fuerit; virum, sicut speramus, vobis utilem, & in lege Dei, à pueritiâ „ nobiliter instructum, in primum dilectionis „ vestræ gradum, & in officium sibi injunctum, „ pro vestrâ gloriâ revocate. Deus pacis & dilectionis, à quo omne bonum consilium procedit, sit semper vobiscum. Quid vobis videatur, de iis, quæ vobis mandamus, nobis „ precamur, rescribi facite. Valeat dilectio vestra, cum Dominâ Reginâ, uxore vestrâ, & „ cùm omnibus qui ea, quæ justa sunt, volunt, „ & vos diligunt. Gloriose Domine, & honorande sanctæ Matris filii. Amen.
* locus corruptus.

VIII. Radulfus Cantuarien. Episcopus moritur.

Quid inde ab Alexandro Rege factum, aut quid rescriptum non reperio. Similius vero est, & factum, & rescriptum nihil. nam uterque, Radulfus, inquam, Archiepiscopus, & Edmerus electus, à datis literis non diu fuerunt superstites. De Radulfo constat hoc anno mortuum: nam ista subdit Edmerus, cum ejus ad Alexandrum literas recitasset. *Eodem anno*, inquit, *qui fuit annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vigesimus secundus: & ex quo ab Episcopatu Roffensi, in Patriarchatum Cantuariensem translatus est annus nonus; defunctus est Cantuariæ in Metropoli Sede, Radulfus Archiepiscopus, decimo tertio Calendas Novembris, præsentibus filiis suis, glorioso scilicet agmine Monachorum ejusdem loci, & tertio die abhinc in medio aulæ majoris Ecclesiæ decenter sepultus.*
Edmerus supra fo. 41.
Hæc, nec plura habet Edmerus. nam sextum Novorum Librum ita absolvit, & opinor vitam. adeo parcus in Radulfi laudibus fuit. Sed defectum illum Malmesburiensis supplet, qui cum è paralysi mortuum dixisset, hoc illi epitaphium subjicit:
Eius elogium.
Hunc habuit finem Radulfus, Religione impar nulli, peritiâ literarum magnificè pollens, affabilitate certè facilè omnium primus. Qui fortunarum amplitudine nihil plus acquiesierit, nisi ut plus benefacere posset, quibus vellet. Quamquam ad æstimationem vulgi, tantum ejus decedebat gloriæ, quantum accedebat fortunæ. Cæterùm nullius delicti suspicione, vel levi notabilis; nisi quod ad risus, & jocos inclinatior erat, quam vel dignitatis, vel gradus interesse videretur. Sed quæcumque faciebat, bono utique animo vir ille faciebat. De quo quicquam sinistrum suspicari, contra religionem est mei.
Malmesb. de Pont. l. 1. fo. 232.
Hoc Malmesburiensis argumento Radulfum ego suprà à crimine absolvi, quod Matthæus Parisiensis, de acceptâ à Rege Investiturâ, impegerat.
V. an. 1119. 12.

IX. De mor-

Ad Edmeri extrema quod attinet; vel Authores ferè tacent, vel errare convincuntur. Balæus

TE EDMERI.

in Centuriis multa mentitur, & virum gravissimum, Scriptoremque sui temporis illustrem, indignè tractat. E Cantuariensi Ecclesiâ assumptum dicit in Abbatem Glastoniensem: quod cum supra dictis constare oon potest:

Balæus Cent. 2. script. 60.

Claruit, inquit, *præstigiator & sophista, anno Christi millesimo centesimo vigesimo primo: quo Præsulatum D. Andreæ in Scotiâ reliquit.* Pitsius etiam Balæum incautè sequutus: cum Monachum in Cœnobio Cantuariensi induisset:

Pitsius in Edmero

Postea, inquit, *propter eximias virtutes, & doctrinam singularem, factus est Abbas Sancti Albani.*

NON FUIT ABBAS ALBANENSIS.

Sed certum est falli Authores hosce, dum unâ manu scribunt assiduum fuisse Anselmi Comitem, & alterâ Albanensem Abbatem. Qui enim nuper Radulfo constanter inhæsit, & se Cantuariensem Monachum tam disertè testatus est, *ut pro totâ Scotiâ non abnegaret se talem*: quid illi cum Albanensis Monasterii præfectura?

V. an. 1120 10.

V. an. 1119. 33.

Adde supra Glastoniæ Abbates ex Albanensi Monacho recensui, Richardum decimum quintum: qui ab annn millesimo nonagesimo septimo, Monasterio præfuit, ad annum usque millesimum centesimum decimum nonum: cui tunc successorem dedimus Gaufridum: dicemusque infra ea dignitate functum, ad annum usque millesimum centesimum quadragesimum sextum. Cæterùm cum Edmeri posthac nulla sit mentio, nec quod ab Alexandro vocatus, ad Sedem redierit; aut Episcopalem consecrationem acceperit; cogor opinari, hoc anno mortuum.

Harpesf. sæc. 12. c. 20.

Corrigendus interim Nicolaus Harpesfeldus qui mortuum putat circa annum Christi millesimum centesimum vigesimum primum: cum Edmerus supra scripserit Radulfi mortem in sequentem annum incidisse, quo ipse sine dubio superstes. Corrigi etiam potest idem Author ubi dicit:

Idem supra.

Ascitus fuit Eadmerus à Cantuariâ in Abbatem Petroburgensem, & deinde, in D. Andreæ apud Scotos Episcopum. Hæc σφάλματα, *errores*, inde sunt orta, quod Emeri Liber Novorum, in tenebris jacuerit; & nuper tantum magno historicæ veritatis compendio, in lucem prodierit; Joannis Seldeni operâ, antiquitatis studiosi.

X.

MORITUR JOANNES BATHONIEN. EPISCOPUS.

Mortuus est etiam hoc anno, Joannes Bathoniensis primus Episcopus: qui primo Wellensem Sedem, Gisonis successor intravit, anno millesimo octogesimo octavo: ubi cum annos sex sedisset, reparatâ priùs Bathoniensi Ecclesia & Monasterio; ibidem Sedem sibi posterisque fixit, & demum hoc anno metam vitæ. de eo ita Malmesburiensis:

Malmesb. de Pont. l. 2. fo. 254.

Erat medicus probatissimus, non scientiâ, sed usu, ut fama nescio an vera, dispersit. Literatorum contubernio gaudens, ut eorum societate aliquid sibi laudis adsciscerct. Salsioris tamen in obloquentes dicacitatis; quàm gradus ejus interesse deberet. Valetudinis bona, dapsilis cum in se, tum in alios obiit grandævus; qui nec etiam moriens emolliri potuit, ut plenâ manu Monachorum terras redderet: successoribus suis non imitandum relinquens exemplum. Sepultus est in Ecclesiâ Sancti Petri; quam à fundamentis erexerat, magno & elaborato parietum ambitu. Cessit enim Andreas, Simoni fratri, frater major minori. Hoc addit Author, quia Wellensis Ecclesia Sancto Andreæ sacra, Episcoporum hactenus sepulchrum fuerat. Quis Radulfo Cantuariensi, quis Joanni Bathoniensi in animarum curâ successerit dicam anno sequenti. Hoc anno Monasterium Canonicis S. Augustini extruxit Walkerus Espec in Eboracensi provincia ad Kirkham oppidum. ut habet Catalogus Ædium destructarum.

ANNUS CHRISTI 1123.

CALLISTI II. PAPÆ 5.

HENRICI PRIMI REGIS 24.

I.

GUILIELMUS CANTUARIENSIS EPISCOPUS.

CHRISTI annus millesimus centesimus vigesimus tertius, novos Ecclesiis Angliæ Præsules dedit: Rodulphum Cantuariensem Archiepiscopum superiori anno mortuum excepit Guilielmus cognomento Corbel: qui è Clerico sæculari, in Priorem Sanctæ Osithæ, denique in Cantuariensem Archiepiscopum assumitur; non sub initium anni millesimi centesimi vigesimi secundi, ut vult Godwinus: sed anno illum sequenti, ut Hintindonius, Florilegos, Continuator Florentii Wigorniensis, & alii contestantur, quod Guilielmus Monachus fuerit;

Godwinus in Guilielmo.

FUIT REGULARIS.

licet aliquando id controversum, quia è S. Benedicti Scholâ fortè non prodiit; fuisse tamen regularibus disciplinis institutum, satis probat, ad primam Sedem assumptio, & Monasterium, cui Prior loco præfuit.

RICHARDUS LONDINEN. PAULINUM TEMPLUM ÆDIFICAT. PRIORATUS S. OSITHÆ.

Enimvero cum anno vigesimo hujus sæculi, Richardus Londinensis Episcopus, Ecclesiis ædificandis totus intentus, cum Basilicam Paulinam quam maximo sumptu & apparatu inceperat, absolvi posse desperaret: minorem aggredi voluit; suo, ut sperabat, tempore finiendam. Locum ergo, ubi Sancta Ositha (de qua tomo secundo ad annum sexcentesimum septuagesimum tertium, à n. 9. egimus) colebatur; ad novi Templi, & Cœnobii structuram comparavit, Canonicis Regularibus implevit. & Priorem illis dedit Guilielmum, nunc in Cantuariensem Sedem electum. Cujus electioni, quia Monachi videntur initio restitisse, dicat Malmesburiensis, exordia ejus, & finem litis.

II.

Malmesb. de Pont. l. 2. fo. 257.

EIUS EXORDIA.

Richardus Londinensis Episcopus: cum omnes redditus, ad Episcopatum pertinentes, ædificationi Basilicæ transcripsisset, aliunde se suosq; sustentans propemodum, nihil effecisse visus est, totumq; censum ad hoc benè prodigus exhauriebat, & parùm in effectum prodibat. Quare impetus boni, quem initio Episcopatus habuit, cadentibus annis desperatione lassescens, paulatim elanguit. Locus est in Diœcesi Londoniensi apud Orientales Saxones, * *Cic gentili vocabulo dictus, ubi est Beata Osgitha* (Ositham intelligit) *in miraculis famosa Virginis requies. Hunc vir ille terris aliquantis, & Regularibus implevit Canonicis. Erant ibi, & sunt Clerici literaturâ insignes, eorumq; exemplo, talis habitus hominum læta, ut ita dicam, totam patriam vestivit seges. Meditabaturq; ipse depositis olim involucris mundi, eò transire; præsertim longè paralysis tabe admonitus: si non ægrum illecebris animum, potestatis consuetudo retraheret. Hujus loci fuit primus Prior Willelmus de Corbuil: qui defuncto Radulpho Cantuariæ Archiepiscopo, in illum honorem evectus est. Quem quamvis Monachi trepidassent suscipere, quòd esset Clericus: tamen nihil pœnitendum fecit. Erat enim religionis multa, affabilitatis nonnulla: cæterùm nec iners; nec imprudens.*

* *Chic.*

E quâ clausulâ Harpesfeldus benè collegit, *nullis prius Monastica disciplina initiatum fuisse; susceptam*

Harpesf. sæc. 12. c. 15.

tamen ille constanter & religiosè observavit. Malè ergo Parkerus, & ex eo Godwinus dicunt, Guilielmum primo Clericum fuisse, deinde Monachum Benedictum, postremò è Priore consecratum Episcopum.

III. PALLIUM A CALLISTO GUILIELMUS IMPETRAT ROMÆ. *Harpesfel. supra.*

Electus ad primam Sedem Guilielmus; de more, Romam profectus, Pallium inde à Callisto Ro. Pontifice impetravit. quod ad huoc annum referunt Parisiensis, & Continuator Florentii Wigorniensis. qui Thurstanum Eboracensem itineris Comitem, & cum eo reducem, facit. Harpesfeldus ergo corrigi debet ubi dicit. *Guilielmus Romam profectus est, pallii adipiscendi ergo: ubi ab Honorio honorificè susceptus, & cum amplâ legatione non modo in Angliam, sed in Scotiam, à Pontifice mandatâ, dimissus est.* Fefellit illum altera Guilielmi in urbem profectio, sub annum Domini millesimum centesimum vigesimum quintum; cum reverà Honorius ibi sederet; ab eoque, ut dicemus, Legati dignitatem obtinuit. Nunc autem à Callisto Pallium, non aliud obtinuit.

THURSTANUS ROMÆ QUID AGERET. *Antiquit. in Guilielmo.*

Quid Thurstanus Romæ cum Pontifice egerit, in probatis Anthoribus non reperio, inaccurati ita narrant: *Ibi tum Thurstinus* (Parkerus in Antiquitatibus) *Eboracensis Archiepiscopus, nactus ut putabat, tempus idoneum; instabat iterum Calixto Papæ, nè sua Sedes Cantuariensi subdatur. Sed quia Callixtus, Regis, Procerumq; & Præsulum animos ad Cantuariensis Sedis dignitatem minuendam prorsus alienos & aversos, commovere in se noluit: veritusq;, nè quod antea senserat; si præter eorum mentem, & expectationem quicquam statueret: ad dedecus & ignominiam Papalis authoritatis penitùs rescinderetur, eam litem a se penitus amovit, & abdicavit.* Factiosi hominis, & seipsum prodentis hæc narratio est. Quasi vero oullus componendæ controversiæ modus; nihil pro Sede suâ suggerere poterat Cātuariensis Præsul: nihil Callistum movere ad litem dirimendam, nisi timor & metus minuendæ dignitatis. *Veritus*, inquit, *ne quod antea senserat:* & quid qnæso illud? Nonne Callistus, invito, & reclamante Rege, Thurstanum consecravit? nonne contra Præsulum, & Procerum vota, eum in Eboracensem Sedem misit? Nonne Henrico Regi, & Radulpho Cantuariensi, sub censurarum interminatione præcepit, Thurstanum admittere? Quid ergo Callistus verebatur: aut quid antea senserat, nisi Regem, & regnum sibi religiosè obtemperans? Quærit ubique Parkerus factionis socios: sed fingit, oon facit.

IV. *Paris hoc anno.*

Guilielmus ex urbe reversus, à Guilielmo altero Wintoniensi Episcopo, Episcopus assistentibus aliis de more consecratur. Spectabat id munus ad Richardum Londinensem: sed vel ille jam vitâ cesserat, ut habet Parisiensis: vel paralysi detentus, ut supra Malmesburiensis, officium implere non poterat. Auctus ita pallio, & majore Sacerdotio Primas, ad Sedes vacantes Antistites consecravit: Godefridum ad Bathoniensem; & Alexandrum ad Lincolniensem Ecclesiam.

GODEFRIDUS BATHONIEN. EPISCOPUS. *Godwin in Bathonien.*

Godefridus, natione Belga, Reginæ beneficio, Sedem obtinuit, Londini inauguratus Augusti vigesimo sexto: *Olim Reginæ à sacris fuerat, & Angliæ quandoque sub Henrico Primo Cancellarius,* inquit Godwinus. Quod si verum, successisse debuit in eo munere Arnulfo illi, quem Annales passim hoc anno infeliciter mortuum scribunt. Hovedenus ita: *Anno millesimo centesimo vigesimo tertio Henricus Rex fuit ad natale apud Dunstable: & inde perrexit ad Berkamsted; ubi quidam Regis Cancellarius, Ranulphus nomine viginti annis infirmitate decoctus, semper tamen in tutiâ glorians in malitiâ, promptus ad omnia scelera, innocentes opprimens, terras multorum sibi diripiens: cum Regem ad hospitandum duceret secum; in ipso vertice montis, unde castellum ejus prospiciebatur, elatus mente corruit ex equo: & Monachus super eum equitavit. unde sic contritus est, ut post paucos dies vitâ careret.* *Hoved. hic.* Addit Parisiensis, quod Huntindonius, & Hovedenus omittunt: *Monachus quidam de Sancto Albano, cujus possessiones malè occupaverat, improvidè equitavit super eum, ita quod miser ille, post dies paucos, vitam flagitiosam terminavit.* *Paris hic.*

V. MORITUR ROBERTUS LINCOLNIEN. EPISCOPUS.

Ad Lincolnieosem Sedem quod attinet; Robertus ibi sederat ab anno superioris sæculi nonagesimo * tertio, & hoc anno vacuam Sedem reliquit, de cujus exitu hæc habet Harpesfeldus: *Ad triginta annos Episcopali dignitate functum, ad Regium latus apud Wodestochium obequitantem apoplexia corripuit. linguaq; usu, & mox Rege præsente, vita etiam, ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum tertium spoliavit. fuit vir magnæ benignitatis, comitatis & affabilitatis; omnium commodis, nullius incommodo studebat, singulare pauperum & orphanorum præsidium & subsidium.* Addit Godwinus: *Ecclesiam ob antecessore constructam* (Lincolniensem intelligit) *non solum dedicavit: sed ornamentis affatim instruxit: & Prebendariis uno & viginti, à Remigio institutis, totidem alios adjecit: quos prædiis dotavit à se pretio comparatis. Viscera ejus Ensamiæ sepulta sunt in Cœnobio, quod ipse olim condiderat secundùm nonnullos: Alii dicunt refecisse tantum. Monachos vero Stowenses, eo migrare coactos ab illo satis constat.* Denique Huotindonius qui cum eo familiariter vixit, hoc de illo recitat epitaphium.

*V. an. 1093. 30. *Harpesf. sæc. 11. c. 22.* *Godwin. in Lincol.*

Pontificum Robertus honor; quem fama superstes
Perpetuare dabit; non obiturus obit.
Hic humilis, dives, res mira, potens, pius ultor
Compatiens, mitis cum pateretur, erat.
Noluit esse suis Dominus, studuit pater esse.
Semper in adversis murus, & arma suis.
In decima lans fallacis gaudia mundi
Liquit: & evigilans vera perenne videt.

VI. ALEXANDER LINCOLNIEN. EPISCOPUS.

Robertom hunc in Sede sequutus est Alexander, Rogeri Sarisburiensis Episcopi, è fratre nepos: vir literarum amans., qui Henricum Huntindonium ob virtutem & multiplicem eruditionem; & quia cum eo Romam postea profectus, omnium consiliorum suorum particeps fuerat; è Lincolniensi Canonico, Huntindoniensis Ecclesiæ Archidiaconum fecit: authorque illi fuit historiæ scribendæ, quam sæpè citavimus. Quam etiam ob causam octo historiarum libros illi Author consecravit, ita illum in præfatione compellans inter cætera. *Hæc ergo considerans, hujus regni gesta, & nostræ gentis origines, jussu tuo (Præsul Alexander.) qui flos, & cacumen regni, & gentis esse videris, decurrenda suscepi. Tuo quidem consilio, Beda Venerabilis Ecclesiasticam, quà potui sequutus historiam. nonnulla etiam ex aliis excerpens Authoribus: inde Chronica in antiquis reservata librariis compilans, usque ad nostrum auditum, & visum præterita repræsentavi,* &c. Cathedralem Ecclesiam Lincolniæ nuper constructam, & vix absolutam, ignis arripuit anno altero Sedis: quam mox Alexander egregiè refecit, & contra simile

infortunium munivit. Numerum etiam Præbendarum auxit, prædiaque adjecit Ecclesiæ. Alia plura ejus benefacta numerantur: quorum aliqua inferiùs suo loco dicentur. nunc Regia prosequamur. Henricus enim tam regno suo invigilat, quàm Antistites Ecclesiis.

VII.

Huntindon. l. 7. fo. 382.

Quod Henricus Rex hoc anno in Normanniam trajecerit, notant Annales omnes; sed quid illum eò traxerit, tegunt silentio. *Circa Pentecostem* (inquit Huntindonius) *Rex mare transiit, & recessit ab eo Comes de Mellento discordiâ propalatâ. Rex autem castellum ejus quod vocatur Pontaldemer obsedit & cepit.* Idem habet Hovedenus, qui Castellum vocat Pontandemer. Parisiensis Pontaudemer. noster demum Spedus Pontem Andomari. Opinor discordiæ & motuum origo, Roberti (Henrici Regis fratris) captivitas fuit. & mors Gulielmi nuper submersi, filii Regis. nam Procerum studia, in Roberti filium, Gulielmum alterum, versa, illum Normanniæ Ducem, & quidni regni heredem efferre contenderunt. Auxit factionem Fulco Andegavensium Comes, qui è negatâ dote filiæ; ab Henrico Rege alienior, filiam alterâ Gulielmo superstiti dedit in uxorem. Tunc Fulconi additus Robertus Comes Mellenti descivit à Rege; Rex nihil cunctatus in Normanniam trajicit in Mellenti Comitis munitiora loca involat, capit, & in belli apparatum ea loca munit, quæ numerat Parisiensis: *Tempore eodem* (inquit) *Rex circa turrim Rothomagensem, murum latum & altum, cum propugnaculis construxit: turrim Castri Cadomensis firmavit: Castra etiam de Arches, de Gisortio, de Falesiâ, de Argentono, de Danfronte, de Oximo, de Ambretas, de VVaveri, de Vira, & turrim Venonis inexpugnabiliter munivit.* Hæc motuum, & belli (de quo anno sequenti) exordia fuerunt.

TURBÆ IN NORMANNIA, ET EARUM CAUSÆ.

Paris hic.

VIII. TEMPLUM DEIPARÆ WARWICI.

Apud Cornavios, in urbe Norwicensi, nobile Templum erigitur Deiparæ sacrum: de quo Camdenus: *Rogerus de Bellomonte, secundus è Normannico sanguine, VVarwici Comes, pulcherrimum Beatæ MARIÆ Templum in ipso oppidi sinu construxit, quod postea Beauchamps, sive de Bello Campo, qui successerunt, suis sepulchris condecorarunt.* Templi conditionem refert Stops ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum tertium. quo tempore, inquit, novem Ecclesiæ parochiales in dictâ urbe fuerunt. S. Sepulchri, Sanctæ Helenæ, omnium Sanctorum, Sancti Michaëlis, S. Joannis, S. Petri, S. Laurentii, S. Jacobi, S. Nicolai. Hæc olim. nunc seges est, ubi Troja fuit.

ANNUS CHRISTI 1124.

CALLISTI II. PAPÆ 6.

HENRICI PRIMI REGIS 25.

I. HENRICUS DOMAT REBELLES IN NORMANNIA.

CHRISTI annus centesimus vigesimus quartus, supra millesimum, victoriam Henrico Regi de Normannis attulit. Ibi Comes Mellenti, factionis in Regem Princeps, plures in belli societatem pellexerat: Hugonem de Monteforti, & Hugonem filium Gervasii: Amalricum Comitem Ebroicensem, & Guilielmum Lovellum. Hi aliique plures, pro Normanniæ principatu, in Henricum Regem surrexerunt. Sed ille fortior noluit cedere. pugnam ita paucis absolvit Gemiticensis. *Catervis more pugnantium, necnon equitibus sagittariis. quorum inibi exercitus Regius maximam multitudinem habebat, in dextrâ parte hostium præmissis: clamor ut initio bellorum solet fieri, utrinque attollitur. Sed antequam militum cunei jungerentur: pars Comitis instantia sagittariorum, qui eam in dextris, ubi carebant protectione clypeorum, absque intervallo sagittabant, penè defecerat. Inito itaque certamine postquam captus est Comes VValeranus, capti sunt etiam omnes illi famosi, & divites milites, qui ejus signa sequebantur. licet aliqui postquam in manus hostium venerunt, consentientibus quibusdam suorum necessariorum, in exercitu regio quos habebant, fuga elaberentur. De quorum numero fuit Amalricus Comes Ebroicensis, & VVilhelmus Lovellus de Iureio. Gestum est autem hoc bellum à Ducibus Henrici Regis Anglorum, contra VValeranum Comitem Mellensi, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo quarto, septimo Kal. Aprilis, haud procul à villâ quam vocant Burgum Turoldi.* Hæc ille.

Gemiticens. l. 7. c. 17.

II. HENRICI COMMODUM VICTORIA.

Hunted fo. 382.

Victoriæ decus, Regii Castri Præfecto debetur: commodum inde sequutum, in omnem Henrici principatum redundat. De Præfecto ita scribit Huntindonius: *VVillielmus de Tanc arvile, Camerarius Regis, aciebus statutis confligens, cepit Comitem de Mellento, & Hugonem de Munford sororium ejus, & Hugonem filium Gervasii & tradidit eos Regi. Rex autem posuit eos in carcerem.* Rothomagi in vinculis detentos esse affirmat Continuator Florentii Wigorniensis. Quid inde acciderit ita refert Gemiticensis. *Comite VValerano in vinculis, cum sociis posito, Rex Henricus turrem VVatevillæ funditus fecit everti: oppido prætereà Belmunis vi potiùs, quàm voluntaria redditione sibi subjugato: eum, qui idem post captionem Comitis diu tenuerat; orbitate oculorum mulctavit. Vnde perterriti, qui Castrum Bellimontis servabant, nè similia paterentur; illud Regi reddiderunt. Taliter igitur omni illâ perturbatione sopitâ. Rex tam terram Comitis, quàm cæterorum, qui cum eo capti fuerant, in suo dominio habuit. Sed tamen, post aliquot annos, Comiti VValeranno datâ veniâ, & à vinculis liberato: redditus sua terra habere permisit: munitiones tantum ipsius, in suâ manu retinens. Quidam vero concaptivorum, quamdiu idem Rex humanis rebus interfuit, in vinculis suis permanserunt. Ex quo autem Comes Mellentis in supradicto conflictu captus est: tam in Ducatu Normanniæ, quàm in regno Angliæ, per totum decennium, quo Rex Henricus supervixit; summa pax viguit: licet nepos ejus VVillelmus, parvo tempore, quo Comitatum Flandriarum tenuit; eam perturbare pro suo posse satageret. Sed cum sapiens Rex misericordiâ, & divitiis ferè omnibus sui temporis Principibus excelleret: altero horum, scilicet misericordia; Ecclesiis & Monasteriis, & pauperibus hominibus sua terra condescendebat: altero verò, id est, opulentiâ thesaurorum infinitâ, centurias militum, in diversis locis, hostibus propinquis opponebat: qui eos à rapina Ecclesiarum, vel pauperum, acie ferri repellerent. Vnde factum est, ut rarò etiam illa terra Augusti Henrici, quæ in confinio exterarum provinciarum erat, aliquâ hostili læsione læderetur; nedum illa quæ ab eis longè aberat; quia, ut dictum est multitudo militum, quos excellentissimus Princeps suis stipendiis sufficienter alebat, & donativis muneratos honerabat, illis obsistebant.*

Gemiticen. l. 7. c. 22.

PAX IN NORMANNIA, ET QUIES A TUMULTU.

HENRICUS MISERICORDIA, ET DIVITIIS OMNES PRINCIPES SUPERAT.

III.

Hæc pacis, & belli præcedentis, commoda

fuerunt.

fuerunt. Sed quoniam turbatâ Rep. necessum erat nasci scandala; quæ nisi quantociùs authoritatis falce resecueris, nocebunt plurimùm: ideo prosequitur Author, laudatque Henrici facinus: quod licet Annales nostri in sequentem annum referant: ego tamen præcedentibus adjungam.

Gemeticen. supra c. 23.

Referam quiddam (inquit ille qui suprà) *quod accidit, dum prædicta discordia adhuc perseveraret, inter Regem & Comitem Mellenti: in quo apparebit, & severitas justitiæ ipsius in impios: & contemptus pecuniæ in comparatione rectitudinis. Cum igitur in Normanniâ rebus bellicis intendens ageret: accidit, ut nescio quâ perversitate depravati omnes ferè trapezitæ Anglici regni, monetam stanneam, in qua vix tertia pars esset argentea; cum eadem moneta tota ex argento fieri soleret; fabricarent. Cum verò de eâdem falsâ monetâ in Normanniam delatâ, Regis milites forte stipendium accepissent: nec de ea utpote non legitimâ, aliquid emere valerent: de falsitate ejus conquesti sunt, apud Regem. Iratus ergo Rex, & propter militum suorum injuriam; magis autem ob justitiam temeratam; sententiam dictavit mandans, & præcipiens illis, quos in suo loco, in Angliâ demiserat; ut omnes nummularios, qui hujus impietatis juste argui valerent; abscissione dextrarum manuum, necnon & genitalium membrorum, mulctarentur.* O virum defensorem justitiæ, & iniquitatis acerrimum punitorem! O, si vellet redemptionem accipere pro tot hominum impiorum membris; quanta millia talentorum posset inde lucrari! Sed ut diximus sprevit pecuniam, amore justitiæ. Hæc Author in laudem Henrici Regis.

EIUS JUSTITIA IN DELINQUENTES.

IV. S. CARODOCUS MORITUR.

Mutilationis pœnam, hoc tempore, in Britanniâ, usitatam fuisse, in vitâ Sancti Carodoci, qui hoc anno moritur, apertè colligitur. nam conversionis exordia narrans Capgravius, ita Carodoci vitam exorditur. *Amicus Dei Carodocus, de Cambriâ oriundus, & de provinciâ Breghenoc, parentibus non infimis propagatus, originalem lineam duxit: & literarum studiis deditus, dum virgam timuit, & verba doctorum, non parùm in doctrinâ profecit. demum relictis literarum disciplinis, curiam Resi Soutwalliæ Principis adiens, ejus se famulatui subjicere curavit. Princeps autem ipsum magno diligens affectu, duorum leporariorum, quos* [illegible] *gebat, ei custodiam assignavit. Erat enim affabilis, liberalis, & morigeratus. In lyrâ quoque & musicis instrumentis plurimum doctus erat. Cumque aliquamdiu in obsequiis illius Principis, devotus, & sedulus extitisset: Domino disponente contigit, ut dictos leporarios, casu fortuito, amitteret: quatenus electus ejus ad utiliora, & quæ sunt appetibilia, tali celicâ vanitate, transiret. Unde Princeps, & Dominus ejus, valde offensus; membrorum mutilationem, & mortem ei minabatur. Cui Caradocus respondit: Si longa & laboriosa servitia mea adeo parvipenduntur, sicut ex verbis istis evidenter apparet: illi de cætero Principi labores meos, & obsequia impendam; qui mercedem uberem pro labore modico donare novit: qui canes hominibus non anteponit: nec morte, sed vita æternâ, suos remunerat servitores.* Hactenus è Capgravio; quem ultra non exscribo, quia recensendis miraculis nimiùm (vereor) incumbit. parcior Harpesfeldus; qui nudè vitæ reliquum, & sanctioris vitæ institutum narrat.

Capgra. in Caradoco.

CARADOCI EXORDIA.

V. Harpesf. fac. 12. c. 46.

Vovit, inquit, *se deinceps, & cælibem, & monasticam vitam ducturum. Coinâ itaque apud Landavensem Episcopum depositâ; versatus est aliquamdiu in Ecclesiâ S. Thelaui. Sed quia videbat ibi nimiam hominum frequentiam, vitaq; suæ instituto parum congruentem, divertit ad desertam quandam Divi Rinedi* (sed lege Kinedi) *Ecclesiam. Sacerdotio deinde, ab Episcopo Menevensi, honestatus, ad Insulam quandam Ari dictam secessit. Quæ cum à piratis valde infestaretur, versatur in Cœnobio S. Ismaelis, quod Isam vocatur in provinciâ Rossensi:* (rectiùs Rosensi) *Obiit ad annum Domini millesimum centesimum vigesimum quartum in Ecclesiâ Menevensi, multis in vita, & post obitum, clarus miraculis.* Ita ille. Plura refert Giraldus Cambrensis in Itinerario, quæ Caradoco mortuo mirabiliter acciderunt, imprimis de Tankardo: qui in Caradoci corpus nimiùm præsumpsit, & ait: *Processu temporis, cum diem Caradocus jam clausisset extremum, & vitæ labentis cursum fine felici consummasset: corpus suum, quod libero voluntatis stilo, Menevensi Ecclesiæ delegaverat: Tankardus violentiâ præsumptione detinuit. Sed statim ægritudine gravi correptus; mandatum ocius revocavit. Cum itaque semel, & iterum ⁊ hoc ei contigisset: tertio tam morbo laxato quam mandato; cum corpus versus Meneviam, per Sabulum de Niwegal, deferretur, & exuberantem in pluviam, nube resolutâ, totoq; Comitatu pluviâ perfuso facta vectura duces, à latebris exeuntes, pallam sericam, qua feretrum opertum fuerat, ab omni imbrium madore indemnem repererunt, & immunem. Et sic Meneviam corpus allatum, crebrâ miraculorum, tam præsentium, quàm sequentium quoque coruscatione, in Ecclesiam S. Andreæ, Sanctiq; David, ala sinistrâ, juxta altare Sancti Protomartyris Stephani debita est celebritate tumulatum.*

FIT MONACHUS.

Girald in Itinera. Camb. l. 1. c. 12.

MIRACULIS CLARET.

VI.

Nec præterire debet mirum illud, quod Guilielmo Malmesburiensi, dum Caradocus Sanctus in tumulo componitur, contigit: quia Anglo-Saxonis & tanti viri testimonium, pro Britanno Sancto, & fide dignum, & Annalibus. Refert illud Harpesfeldus in hunc modum. *Tentavit aliquando Gulielmus Malmesburiensis digitum à demortuo Sancti Carodoci corpore auferre, ut loco reliquiarum haberet: & mox vidit omnes digitos repentè in volam retortos. Quo ex re timore concussus ab eo proposito destitit.*

Harpesf. fac. 12. c. 46. fine.

VII.

Vacant hoc anno Episcoporum Sedes duo: Wigorniæ in Cornaviis, & Roffæ in Camio. Theulphum (quem Parisiensis, & Harpesfeldus Theophilum suprà, & Edmerus Theobaldum vocarunt) ad Wigorniensem Sedem consecravimus, anno decimo quinto currentis sæculi: eodemque anno Ernulfum Roffensibus dedimus: uterque hoc anno Sedem reliquit, & locum alteri. Scio Godwinum Theulphi mortem in superiorem annum rejicere, ut etiam Continuator Wigorniensis. Sed illos conjungunt Parisiensis & Florilegus: & ita ad hunc annum loquuntur. * *Eodem anno defuncti sunt Theophilus* (ita Parisiensis) *Wigorniensis: & Ernulfus Roffensis, Episcopi.* De Theulpho vix aliud legitur, quàm quod è Bajocensi Canonico, & Sacellano Regis Henrici, ad Sedem assumptus, eodem Rege regnante, diem clauserit. Malmesburiensis sepultum scribit in navi Ecclesiæ Wigorniensis, ante crucifixum: ubi prædecessor ejus, Sampson nomine, prius requieverat. De Ernulfo hæc habet idem Malmesburiensis: *Grave quidem memoratu, quanta probitatis, & prudentiæ, in omnibus officiis fuerit: Cantiæ dejectam priorem partem Ecclesiæ, quam Lanfrancus ædificaverat, adeo splendidè erexit; ut nihil tale possit in Angliâ videri, in vitrearum fenestrarum*

V. an. 1115. 8. & 18.

THEOLPHUS WIGORNIEN. ET ERNULFUS ROFFENSIS MORIUNTUR EPISCOPI.

* Paris & Floril. hic.

Malmesb. de Episco. l. 1. fine.

luce,

luce, in marmorei pavimenti nitore, in diversicoloribus picturis, quæ mirantes oculos trahunt ad fastigia lacunaris. In Burgo Monachorum numerus auctus, religio bonis monitis consita, adium veterum ruderibus deturbatis nova fundamenta jacta, culmina erecta. Eaq; omnia cum vorax ignis absumpsisset, mediantibus reficere bonos Pontificalis impactus. Ibi quamvis omnia jam facta viderentur (prævenerat enim vivacitas Gundulfi omnium successorum diligentiam) tamen semper aliquid comminisci, ubi virtus enitescere posset: firmare antiqua, moliri recentia. vixit in Episcopatu, aliquot dies super novennium. Decessitq; quatuor & octoginta annos natus, multa probitatis suæ monumenta relinquens. Hactenus Author. Successores hic duobus dabimus anno sequenti.

VIII. Baron. hic. MORITUR CALLISTUS PAPA.

Annum hunc clausit Callisti mors, vel potiùs finis hujus anni, finis ejus vitæ fuit. *Cujus memoria summa cum benedictione* (loquitur Baronius) *in Ecclesiâ Catholicâ perseverat. utpote sanctissimi Pontificis, cui Deus dederit brevis licet temporis Pontificatu, adeo gloriosa peragere, & prædecessoribus inconcessa perficere: Ecclesiamq; Imperatorum tyrannide servitutis jugo depressam, vindicare in perpetuam libertatem.* Successit in ejus locum è Lamberto Cardinali Ostiensi Honorius Papa, eo nomine secundus. de quo plura anno sequenti.

HONORIUS II. PAPA.

ANNUS CHRISTI 1125.

HONORII II. PAPÆ 1.

HENRICI PRIMI REGIS 26.

I.

AD exordium anni millesimi centesimi vigesimi quinti, tres eliguntur Ecclesiarum Antistites: cum duas tantum superiùs vacantes Sedes dixerim. Moritur igitur, incertum quo anno, Radulfus Cicestrensis Episcopus, quem * suprà non semel laudavimus: nunc quia successorem assignare debeo, de ejus morte dicendum nec aliud ab eo quod habet Malmesburiensis. *Obiit*, inquit, *Christianissimè, omnibus suis in usum pauperum distractis: qui & panniculos suos usque ad stramen, moriens ante se jusserit erogari. Vir æternam boni memoriam meritò adeptus: qui Sedem suam ex humili, & miserabili, ad summum gloria culmen provexit. Clerum quantum victualia Episcopatus sustinere possunt congregavit. Ornamenta omnis generis adjecit quorum omnium pudendam ante paucitatem taxare piget. Ter omni anno Diœcesim suam, causâ prædicandi circuibat: nihil Episcopali potestate, à provincialibus suis exigens: sed quæ offerebantur gratabundus accipiens. Delinquentibus increpando non parcens. & si minus increpatio valeret, ingenuo ludo culpam eludens.* Hæc ille. Jam ergo tribus vacuis Sedibus, tres demus Antistites. Huntindonius, cum Theulphum Wigorniensem, & Ernulfum Roffensem sepelisset, mox addit.

MORITUR RADULFUS CICESTREN. EPISCOPUS. * V. an 1105. 25. An. 1114 16. Malmesb. de Pontif. l. 2 fo. 258. EIUS ELOGIUM.

II. Huntindon fo 382. SIMON WIGORNIEN. EPISCOPUS, SIFFRIDUS CICESTREN. EPISCOPUS, JOANNES ROFFENSIS EPISCOPUS.

Anno sequenti toto, Rex fuit in Normanniâ: & ibi dedit Episcopatum Wigorniæ, Simoni Clerico Reginæ. Sifride quoque Abbati Glastoniensi dedit Episcopatum Cicestriæ. Porro Willielmus Archiepiscopus dedit Episcopatum Rovecestriæ, Ioanni Archidiacono suo. Ita ille compendio. Eundemque annum consignant Parisiensis & Florilegus. De Simone Wigorniensi ita scribit Malmesburiensis: a *Wigorniæ Præsulatus datus est Simoni Capellano Reginæ Adelidæ, quæ post uxoris prioris mortem Henrico nupserat. Simon igitur affabilitate, & morum dulcedine, munificentiaq; quoad res Episcopatus angusta pati possent, insignis habetur.* Siffridum cognomento Pelochinum, inter Glastonienses Abbates b suprà recensui. De illo & successore hæc habent illius loci Antiquitates. c *Siffridus post sex annos Prælationis suæ in Glastonia factus est Episcopus Cicestrensis. cui successit Henricus, frater Theobaldi Comitis Blesensis nepos Henrici Regis, Monachus Cluniacensis, anno Domini millesimo centesimo vigesimo sexto. vir quem abundans literaturæ peritia illustravit, morumq; honestas apprimè decoravit. Hujus industria, tanta Glastoniensi Ecclesia præstitit emolumenta; quod ejus ibidem memoria meritò vigebit in sæcula.* Plura de Henrico inferius, & cum post triennium in Episcopum Wintoniensem consecratur.

a Malmesb. de Pontif. l. 4 fo. 282. b V. an. 1101. 21. c Antiquit. Glaston. fo. 61. V. an. 1115. 22 & an. 11.9 6

III. JOANNES CREMENSIS IN ANGLIA LEGATUS.

Honorius Romanus Pontifex, cui omnium Ecclesiarum solicitudo commissa nuper fuerat; Anglicanam Ecclesiam hoc anno missâ legatione visitavit. Missus in id Joannes Cremensis Cardinalis, Synodum Londini colligit, ad aliis consulendum doctior, quam famæ suæ. nisi velis, quod velle debent aliquando eruditi, in Authoribus etiam accuratis, inaccuratum aliquod interdum inveniri: nimirum, quodè vulgi rumore primò natum, facilè transit in constantem famam. Baronius arbitratur id Authoribus nostris in hac quam subjicio narratione accidisse: & ego viro tanto refragari non possum; præsertim cum supra viderim, quâ industriâ Henricus Rex, & Episcopi omnes, Apostolicas legationes declinare conati sint: externam dominationem admodum pertæsi; & suis privilegiis, ab Apostolicâ Sede manantibus nixi. Principio referam quid Huntindonius, qui primus fabulam (si fabula) cudit. Inde quid Baronius de rei gestæ summâ, & nostrorum Authorum narratione sentiat. Ita ergo Huntindonius ad hunc annum.

IV. Huntindon l. 7. fo. 382. HUNTINDONII NARRATIO DE JOANNE LEGATO. CONCILIUM LONDINEN.

Ad Pascha Ioannes Cremensis, Cardinalis Romanus, descendit in Angliam perendinansq; per Episcopatus, & Abbatias, non sine magnis muneribus; ad nativitatem Sanctæ MARIÆ celebravit Concilium solenne apud Londoniam. Sed quia Moyses, Dei Secretarius, in Historiâ sanctâ parentum etiam suorum, & virtutes scripsit & vitia: scilicet facinus Lot, scelus Ruben, proditionem Simeon, & Levi, inhumanitatem fratrum Ioseph. nos quoque veram historia legem, de bonis, & malis sequi dignum est. Quod si alicui Romano, vel Prælato displicuerit: taceat tamen, ne Ioannem sequi velle videatur. Cum igitur in Concilio severissime de uxoribus Sacerdotum tractasset, dicens. Summum scelus esse à latere meretricis, ad corpus Christi conficiendum surgere. Cum eadem die corpus Christi confecisset: cum meretrice post vesperam interceptus est. Res apertissima negari non potuit, celari non decuit. Summus homo ubique habitus in summum dedecus versus est. Repedavit igitur in sua, Dei judicio confusus, & inglorius. Hæc ille, in eo paulò audacior; quòd Romanis & Prælatis silentium imponat, & notam, si loquantur, incontinentiæ. Baronius tamen, Romanus, & Prælatus; nil minas & imperium veritus, intercedit: Huntindonium quis fuerit, & quid de Clericorum continentia scripserit (quod ego quoque suprà rejeci) explicat: atque ita loquitur.

V an. 1102. 5.

V.

Hoc etiam anno decernitur ab Honorio Papa legatio

Baronius hic. *in Angliam: quæ credita est Ioanni Cremensi Presbytero Cardinali tituli S. Chrysogoni. à quo pariter mense Septembris celebratum esse Concilium Scriptores rerum Anglicanarum affirmant: & aliqui eorum, magno cum dedecore, res ab eo gestas enarrant. nam præter simoniæ notam, quâ ejus æstimationem inurunt: addunt illud ignominiosum: quod cum in eodem Concilio sancivisset Canonem adversus Clericos concubinarios; in eosdemq́; declamasset, quod magno scelere, post celebratum sacrosanctum Missæ Sacrificium, auderent se jungere concubinæ, seu de latere ejusdem surgere ad Sacrificium celebrandum. Ipse tamen cum eâdem die Corpus Domini confecisset, post vesperam fuisset cum meretrice deprehensus. Scripta hæc reperiuntur primitùs ab Henrico Huntindoniense rerum Anglicanarum Scriptore. Rogerius ipso recentior, eadem totidem verbis recitat, in Annalibus; sed anno sequenti: atque novissimè Matthæus Westmonasteriensis, de his item agens, anno præsenti, addit inanem excusationem ejus: quod scilicet ita in ea turpitudine deprehensus, dixisset; quod non fuerit ipse Sacerdos, sed Sacerdotum correctar. Porrò ex tali excusatione convinci mendacium nemo non videt. Etenim quomodo non Sacerdos fuit, quem Sacerdotem esse, necessitas ipsa cogebat: utpote Presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni? vel quomodo non Sacerdos, quem dicunt manè incruentum sacrificium celebrasse? Certè quidem non numero historicorum, veritatem historiæ consuevimus æstimare: sed quantâ fide polleat primus auctor cujuslibet assertionis. nam reliquos primum sequi authorem, & ejus vestigiis inhærere; frequentiori usu in more positum reperimus. Cum igitur accuratè auctorem expendimus quanta fides esset, qui isthæc primus asseruit. Invenimus eum plus æquo, immo iniquè, favere sacrorum ministrorum conjugio, ipsum Archidiaconum. Etenim dum ipse agit superius de S. Anselmo: qui in Concilio à se celebrato vetuit conjugia Clericorum; mendacissimè asseruit ante illud tempus in Angliâ id non fuisse prohibitum: & plures fuisse qui hujusmodi conjugio favissent. Quod quàm falsum sit, nullus ignorat. Hæc dicta sint, ut explorata habeatur auctoris fides.* Ita Baronius.

QUID DE HUNTINDONII NARRATIONE BARONIUS?

VI. Quàm benè Authoris fidem exploraverit eminentissimus Scriptor: vel ex eo colligi potest, & luculenter ostendi, quod paulò superius de Synodo tractans; in qua Anselmus castitatis legem pro Clericis non tulit primo, sed olim latam voluit observari; adnotavi. Repete quæso Lector illa ad Baronii firmandam censuram, cum Huntindonium mendacii arguit. nam reverà, in clarissimâ luce, vel caligaverunt oculi ejus, & supinus admodum fuit; vel laboravit eâ scabie, quæ posterioribus sæculis suo pure plures infecit, & hujus farinæ homines, quia libenter in sole maculas quærunt, ad honestandam turpitudinem suam; vulgi rumores libenter sorbent; medicinam, qua curandi essent, respuentes. Insuper, Huntindonius, uxoris voce abutitur, cum dicit in Synodo de uxoribus Sacerdotum tractatum esse: quasi Sacerdotes promiscuè etiam post sacros Ordines uxores duxerint; aut fœminæ quibus assueverant, ita dici possint. cum horum nihil è Synodo colligatur. uxorum quidem mentio statim in Synodo legetur: sed intelligi debent, ante sacrorum Ordinum susceptionem ductæ. & earum contubernium prohibetur. nec in illas feverissimè declamatum est ut fingit Author, sed in fœminas superinductas, & uno verbo meretrices. ut patet ex ipsomet Huntindonio, cum

V. an. 1102. §. PROBATUR BARONII CENSURA.

vult Cardinalem dixisse: *summum scelus esse à latere meretricis ad Christi Corpus conficiendum surgere* Scio Saxonicum wyfe, & Italicum moglie, tam sexum, quàm statum significans, indifferenter accipi: tamen malâ fide ageret, qui Wyfe concubinam significans, latinè uxorem appellaret. quod superiori tomo à factiosis sæpè factum ostendi. & eadem fide agit Huntindonius; cum uxores, & meretrices miscet. Sed pergat Baronius Legati famam tueri, & maculam diluere.

Præterea, inquit, *si tanto fuisset Legatus reverà crimine infamatus: quomodo adversarii ejus, ipsi scilicet schismatici, fautores Petri Leonis, cum suis scriptis declamasse reperiantur, in eos Cardinales, qui Innocentium elegerunt; inter quorum primos idem Ioannes Cremensis habetur annumeratus, tam enorme delictum tacuerunt? & ut isti narrarunt, totidem verbis exprobare cessarunt? vel quomodo S. Bernardus, & alii magni viri, ejus temporis Scriptores, Innocentiiq́; Papæ fautores, adeo constanter dicere potuerunt, sicut numerosiorem, ita & sanctiorem Cardinalium partem, eundem Innocentium elegisse: si tanto scandalo ex eis unus Ioannes Cremensis orbem Christianum concussisset? Sed & quod hujus temporis rerum Anglicanarum Scriptor Willelmus Malmesburiensis, haud assuetus parcere Ecclesiæ Romanæ Ministris, ejusdem facinoris nullam penitus mentionem fecisse reperiatur: nec ibidem diligens Auctor qui adjecit appendicem ad Florentium* (ego illum sæpiùs suprà Continuatorem Wigorniensis appellavi) *& adeo exactè præ cæteris, de singulis rebus gestis in ea Synodo meminit, perinde ac si eidem interfuisset, hujus evulgati (ut volunt) tantopere criminis, aliquid penitus scripserit. Certè quidem de eo dubitandi; verúmne sit, vel sparsa calumnia, ut fieri assolet; saltem locum reliquit. Quod quilibet amantissimus veritatis, non pute negabit. Nos verò nec ejusmodi sumus; ut proditione veritatis, delinquentem quemlibet Ecclesiæ Romanæ Ministrum prodere nolimus: cum nec hoc ipsa sibi vendicet Rom. Ecclesia; ut membra sua, & è latere suo Legatos missos, omni carere turpitudine asserat. Non enim (quod probrè ducit Apostolus) æmulatur Deum, ut fortior illo sit. Si enim ipse Deus; qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem urentem: tamen in Angelis suis reperit pravitatem: quid præsumet ipsa, dum Angelos suos mittit Legatos in mare? Secundùm illud Propheticum. Ite Angeli veloces, ad gentem convulsam, & dilaceratam: Cum sciat ipsa non supernos Angelos mittere, sed homines: de quibus est prænuntiatum divinum oraculum: quod universa vanitas sit omnibus homo vivens.*

VII. Baron. hic.

1. Cor. 10.

Iob 4.

VIII. Hæc modestissimè Baronius. Quibus si addideris, quam molestè tulerit omnis penè Insula, tot ex Urbe legationes: ut sæpiùs Henricus Rex, ut Cantuarienses Præsules, & Clerus omnis, se murum opposuerint, regno Ecclesiæque suæ præjudicium causantes: cur miramur, rumorem etiam vanissimum, in vulgus sparsum, adeo crevisse; ut Clericus unus, Sacerdotum conjugio per fas & nefas favens; illum collegerit, viresque suo calculo dederit? aut cur miramur Florilegum (is est Matthæus Westmonasteriensis) aliosque historiarum flores legentes, noxias interdum herbas & zizania colligere? Pergo igitur ad Synodum, & Authorem illum, qui non carptim de illâ, ut Huntindonius, & asseclæ; sed fusissimè disserit, quem Baronius suprà Appendicem ad

ANGLIA TULIT MOLESTE TOT LEGATIONES ROMA.

Baron. hic.

Florentium nominavit: cumque exscribit ita præfatus. *Iam vero, quæ in eodem Concilio, quod in Anglia per eundem Legatum, hoc anno, est celebratum fuerunt definita, hic describamus; & quidem ex auctore, qui cum adeo exactè præ cæteris, res ibidem actitatas recenseat; majorem sibi præ cæteris vendicat fidem: qui à tempore incipiens, sic exorditur orationem.*

IX. Acta Synodi Londinen.

Celebratur Synodus Londonia, in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, apud Westmonasterium, mense Septembris, nono die ejusdem mensis: id est, quinto Idus Septembris. Ubi post multarum discussionem causarum, promulgata sunt hæc Capitula, & ab omnibus confirmata, numero decem & septem. Præfuit autem huic Synodo Ioannes de Crema, Sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ de titulo S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, & Domini Papæ Honorii in Angliâ Legatus: cum VVillelmo Cantuariensi, & Turstano Eboracensi Archiepiscopis, & cum Episcopis diversarum provinciarum, numero viginti, & Abbatibus circiter quadraginta, & cum innumerâ Cleri, & populi multitudine. Sunt autem hæc Capitula.

Simonia prohibetur.

1. *Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes; quemquam in Ecclesiâ per pecuniam ordinari auctoritate Apostolicâ prohibemus.*

2. *Interdicimus etiam, ut pro Chrismate, pro Oleo, pro Baptismate, pro Pœnitentiâ, pro visitatione infirmorum, seu Unctione: pro communione Corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur.*

Pro Sacris nihil violenter exigendum.

3. *Statuimus præterea, & Apostolicâ auctoritate decernimus: ut in consecrationibus Episcoporum, vel Abbatum benedictionibus, seu in dedicationibus Ecclesiarum, non cappa, non tapeta, non manutergia, non bacilia, & nihil omninò per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitùs exigatur.*

Ecclesia non debet accipi à manu Laici.

4. *Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus, vel Clericus, Ecclesiam, sive decimam, seu qualibet beneficia Ecclesiastica, de dono Laici, sine proprii Episcopi auctoritate & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit; irrita erit donatio hujusmodi, & ipse Canonicæ ultioni subjacebit.*

Nec ad heredes descendere.

5. *Sancimus præterea, nè quis Ecclesiam, sive Præbendam, paternâ vendicet hereditate: aut successorem sibi, in alio Ecclesiastico constituat beneficio. Quod si præsumptum fuerit; nullas vires habere permittimus; dicentes cum Psalmistâ: Deus meus pone illos, ut rotam, qui dixerunt: Hereditate possideamus Sanctuarium Dei.*

Clerici debent tempestivè ordinari.

6. *Adjicientes quoque statuimus: ut Clerici, qui Ecclesias, seu beneficia habent Ecclesiarum: & ordinari, quo liberius vivant, subterfugiunt, cum ab Episcopis invitati fuerint: si ad ordines promoveri contempserint, Ecclesiis simul & beneficiis earum priventur.*

In Diaconum non nisi Subdiaconus, &c.

7. *Nullus in Diaconum, nisi Subdiaconus; nullus in Priorem, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus promoveatur.*

X. Ad titulum Cleri ordinandi.

8. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur. Qui verò absolutè fuerit ordinatus, sumptâ careat dignitate.*

9. *Nullus Abbas, nullus omnino Clericus, vel Laicus; quemquam in Ecclesia ordinatum, absque proprii Episcopi judicio, præsumat ejicere. Qui autem secus facere præsumpserit, excommunicationi subjacebit.*

Et à proprio Episcopo.

10. *Nullus Episcoporum alterius præsumat parochianum ordinare, aut judicare. Unusquisque enim suo Domino stat, aut cadit. nec tenetur aliquis sententiâ, non à suo judice prolatâ.*

Excommunicati non suscipiendi.

11. *Nemo excommunicatum alterius præsumat in communionem suscipere. Quod si scienter fecerit, & ipse communione careat Christianâ.*

12. *Præcipimus etiam, ne uni personæ Archidiaconatus, vel diversi Ordinis tribuantur honores.*

Clericis fœminarum consortia prohibentur.

13. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Canonicis; uxorum, concubinarum, & omnium omnino fœminarum contubernia, auctoritate Apostolicâ inhibemus. præter matrem, sororem, amitam; sive illas mulieres, quæ omni careant suspicione. Qui hujus Decreti violator extiterit; confessus, vel convictus, ruinam proprii ordinis patiatur.*

Usura Clericis vetatur.

14. *Usuram, & turpe lucrum Clericis omnibus prohibemus. Qui verò super crimine tali confessus, fuerit convictus, à proprio gradu dejiciatur.*

Sortilegi excommunicantur.

15. *Sortilegos, ariolos, & auguria quæque sectantes, eisq; consentientes, excommunicari præcipimus, perpetuaq; notamus infamiâ.*

Matrimonia cum consanguineis inhibentur.

16. *Inter consanguineos, seu affinitate conjunctos usque ad generationem.... matrimonia contrahi prohibemus. Si qui taliter conjuncti fuerint, separentur.*

17. *Interdicimus etiam, ut viri proprias uxores, de consanguinitate impetentes: & testes quod adducunt, non suscipiantur: sed prisca Patrum servetur auctoritas. Placet vobis? placet. Placet vobis? placet. Placet vobis? placet.* Hactenus Londinensis Synodi Decreta.

XI. Legatus Romam revertitur.

Pergit Author de Legato dicere, quod Synodo finita in Normanniam (ubi Henricus Rex agebat) trajecerit. inde Romam reversus: nullâ de incontinentiæ crimine factâ mentione. Unde non malè Baronius auguratur: non ita famosum crimen fuisse, ut Huntindonius Lectori persuadere videtur. Addo, cum sub hoc tempus, Cantuariensis Archiepiscopus; cujus prærogativa, per novam Cardinalis legationem, eclipsari & premi censetur; Romam ad Honorium iverit, pro suâ Sede oraturus; vocale illud crimen, si vocale fuisset: cur non objecit cum retinendæ dignitatis nobile fuisset argumentum? Scio quidem Archiepiscopum, doctè pro legatinâ potestate disputantem, Honorium Papam in suam sententiam traxisse. Sed scio id, omni aliâ ratione, non intentato illo crimine, factum. nunquam enim id tacuissent Authores, qui profectionem illam, & negotii exitum descripsere.

Gulielmus Cantuariensis Romam vadit, et Legatus Apostolicus renuntiatur.

Communem itaque Anglicanæ Ecclesiæ causam acturus Gulielmus Cantuariensis, adscitis in itineris societatem, aliis Episcopis, hoc anno Romam proficiscitur. de quo Huntindonius: * *Hoc etiam anno perrexerunt Romam VVillelmus, Cantuariensis Archiepiscopus,* † *& Thurstanus Eboracensis Archiepiscopus, & Alexander Lincolniensis Episcopus.* Cur duo Archiepiscopi Romam contenderint, est obvium opinari. nam uterque diuturnæ controversiæ modum finemque quærebat. Præesse Gulielmus voluit: subesse noluit Turstanus. Ille M. Gregorii, & sequentium Pontificum authoritate fultus: iste Callisti nuper defuncti oraculo. Sed vicit Gulielmus, indignum ratus, se sedente, primæ Sedis dignitatem minui. Unde appendix ad Florentium, hæc habet ad hunc annum. *VVillelmus Archiepiscopus considerans Ecclesiam regni Anglorum, in Cantuariensis Ecclesiæ humiliatione, gravi scandalo consternatam: transiit ipse mare, Romam iturus; rebus quæ non æquè processissent (nè pari exorbitatione amplius procederent)*

* Huntindon. l. 7.

† Thurstanus et Alexander Episcopi eum comitantur.

Cantuarensis ad VVigornien. hoc

opem pro posse laturus. Venit ergo Romam, & ab Honorio, summo Pontifice, qui Callisto successerat, honorificè susceptus est. Cui idem Apostolicus vices suas in Angliæ, & Scotia commisit, & Apostolicæ Sedis Legatum constituit. Ita ibi. Cæterùm quod Thurstanus Romæ cum Cantuariensi contenderit, de Primatu; Parisiensis ad hunc annum satis insinuat, cum ait: *Hoc anno disceptarunt VVillelmus Cantuariensis, & Thurstanus Eboracensis Archipræsules de Primatu, quis eorum esse dignior videretur.*

Paris hic.

XII. *Godwin in Lincoln.* Quid Romæ Alexander?

Quid Lincolniensis Aleaander Romæ egerit, non invenio: sed sæpè ab eo, eò itum Godwinus affirmat. *Romam bis profectus est* (inquit ille) *anno nimirum millesimo centesimo quadragesimo secundo, & quadragesimo quarto ubi ita se gessit, ut magnam inierit gratiam, tam apud Regem, quàm apud Pontificem: ac prima quidem profectione, Legatus Pontificius constitutus est, quo Synodum convocaret. Id quod fecit: & Canones nonnullos edidit, ad illorum temporum vitia corrigenda inprimis utiles. Tertium deinde iter ad Pontificem suscepit in Galliâ agentem*, &c. Sed fallitur Godwinus manifestè. Prima Alexandri profectio, in hunc annum millesimum centesimum vigesimum quintum incidit: quando non ipse sed Guilielmus Cantuariensis, Legati Apostolici dignitatem obtinuit. Et anno millesimo centesimo quadragesimo secundo nec Alexander Lincolniensis, ut ille putat; nec Guilielmus Wintoniensis, ut habet Matthæus Paris, Legatus Apostolicus constitui potuit. quia eo tunc munere fungitur Henricus Blesensis; quem nuper Glastoniæ Abbatem dixi; Wintoniensis post factus Episcopus, ut dicetur.

XIII. Radingense Monasterium fundatur. *Malmesb de Pont. l. 2. fo. 255.*

Ad hunc annum spectat Radingensis Cœnobii nova fundatio, quam Henricus Rex, matris, & uxoris pietate motus, magnis redditibus auxit, & suo Diplomate confirmavit. de quo loco ita Malmesburiensis. *Radingis fuit quondam Cœnobium sanctimonialium: sed jam multis annis abolitum. Illud Rex Henricus, pro indictâ sibi pœnitentiâ restaurare intendens; duo olim diruta Monasteria Lesminstre, & Celsi, adjunxit: constituitq; illud inter duo flumina, Kenetum, & Tamensem. in honorem Matris Dei, & Ioannis Evangelistæ: loco, ubi ad populosiores urbes Angliæ, omnium penè itinerantium posset esse diversorium; posuitq; ibi Monachos Cluniacenses, præclarum sanctitatis exemplum, hospitalitatis indefessæ iudicium.* Quod ait, indictam Henrico Regi pœnitentiam: eò trahi debet, quod in nuperâ & in omni Synodo cautum, ne Laici intrarent in Sanctuarium Dei, & loca religiosè fundata possiderent. Jusserunt ergo Episcopi, ut hujuscemodi loca, ad Ecclesiam postliminii jure redirent, & Henricus eorum imperio obedivit: Abbatem constituit Hugonem, Priorem de S. Pancratio. Scripsitque hoc anno Chartam, posterorum memoriæ commendandam, in hæc verba.

Apud Reynerum in Apostolatu tract. 2. sect. 6. fo. 153.

Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normannorum, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibusque suis, & omnibus Christianis, tam præsentibus, quàm futuris. Salutem perpetuam.

XIV. Charta Regia fundationis.

„ Sciatis, quia tres Abbatiæ, in regno An-
„ gliæ, peccatis suis exigentibus, olim destru-
„ ctæ sint: Radingia scilicet, Chelseta, & Leômin-
„ stria. quas manus Laica diu possedit: earumque
„ terras, & possessiones alienando distraxit. Ego
„ autem consilio Pontificum, & aliorum fide-
„ lium, pro salute animæ meæ, & Willielmi Re-
„ gis, Patris mei, & Willielmi Regis fratris mei,
„ & Willielmi filii mei: & Mathildis Reginæ,
„ matris meæ, & Mathildis Reginæ uxoris meæ,
„ & omnium antecessorum, & successorum meo-
„ rum, ædificavi novum apud Radingas Mona-
„ sterium, in honore, & nomine Dei Genitri-
„ cis, semper virginis Mariæ, & B. Joannis
„ Evangelistæ: & donavi eidem Monasterio
„ ipsam Radingiam, Chelseiam quoque, & Leo-
„ minstriam, cum appendiciis suis, cum silvis, &
„ agris, & pasturis: cum pratis, & aquis: cum
„ molendinis & piscariis: cum Ecclesiis quoque
„ & Capellis, & cæmiteriis, & oblationibus, &
„ decimis, cum monetâ, & uno monetario apud
„ Radingiam. Dedi etiam præfato Monasterio
„ Tacheam, & Ecclesiam de Weregrave. Ita ut
„ quomodò ea in manu meâ fuere: sic libera
„ sint, & absoluta, & plena, in manu Abbatis
„ & Monachorum Radingiæ. Nulla autem per-
„ sona, parva vel magna, per debitum, seu per
„ consuetudinem, aut per violentiam, aliquid
„ ab hominibus, & terris, & possessione Radin-
„ giæ Monasterii exigat: non equitationem, si-
„ ve expeditionem, non pontium vel castrorum
„ ædificationem, non vehicula, non summagia,
„ non vectigalia, non navigia, non opera, non
„ tributa, non xenia. Sed sint Monachi Rading. &
„ familiæ eorũ, & res ipsorum absoluti ab omni
„ geldo, & teloneo, & alia qualibet consuetudine,
„ in terris, & aquis, in transitibus pontium, &
„ maris portuum per totam Angliam. Sintque
„ Abbatis, & Monachorum ejus, de hominibus
„ suis, & de totâ possessione suâ, & de alienis in
„ eâ forisfacientibus, vel ibi cum forisfacto in-
„ terceptis: Hundredâ & placita omnia, cum
„ Soccâ, & Saccâ, & Thol, & Theam, & Infan-
„ genthef, & Hutfangenthef, & Hamsochnas
„ infra Burgum, & extra Burgum: in viis, &
„ semitis, & in omnibus locis, cum omnibus
„ causis, quæ sunt, vel esse possunt. Habeant-
„ que Abbas & Monachi Rading. in tota pos-
„ sessione sua, omnem justitiam de Assaltu, &
„ furtis, & murdris, de sanguinis effusione,
„ & pacis infractione, quantum ad Regiam per-
„ tinet potestatem, & de omnibus forisfactis.
„ Quod si Abbas, & Monachi, de his justi-
„ tiam facere neglexerint: Rex fieri compellat:
„ ita ut in nullo libertatem Ecclesiæ Rading mi-
„ nuat. veniantque ad Hundreda de Rading, &
„ de Leominstriâ homines circumjacentium ma-
„ neriorum, secundùm consuetudinem tempo-
„ rum præcedentium: qui si quando vocati fue-
„ rint ad justitiam, venire contempserint: Rex
„ inde forisfactum accipiat, & venire, & satisfa-
„ cere compellat.
„ Statuimus autem, tam Ecclesiasticæ, quàm XV.
„ Regiæ prospectu potestatis: ut decedente Ab-
„ bate Redingensi, omnis possessio Monasterii,
„ ubicumque fuerit, remaneat integra & libera
„ cum omni jure & consuetudine suâ, in manu
„ & dispositione Prioris, & Monachorum Capi-
„ tuli Radingensis. Hoc autem ideo statuimus,
„ statutumque perpetuò servandum statuimus;
„ quia Abbas Rading non habet proprios redi-
„ tus, sed communes cum Fratribus. Qui au-
„ tem Deo annuente Canonicâ electione Abbas

„ substitutus fuerit; non cum suis sæcularibus consanguineis, seu quibuslibet aliis, eleemosynas Monasterii malè utendo disperdat: sed pauperibus & peregrinis, & hospitibus suscipiendis curam gerat. Terras censuales, non ad feudum donet: nec faciat milites, nisi in sacrâ veste Christi. In quâ parvulos suscipere modestè caveat: maturos autem seu discretos, tam Clericos, quàm Laicos suscipiat. Nemo de possessione Rading Monasterii aliquid teneat feudaliter absolutum: sed ad censum annuum, & servitium Abbati, & Monachis debitum. In Abbatis, & Monachorum domo Rading, & possessione, nullus per hereditatem officium teneat: sed in arbitrio Abbatis & Monachorum, de transmutandis Præpositis, seu quibuslibet alius officiariis, causâ consistat. Hanc Monasterio Rading, & omnibus ad ipsum pertinentibus in perpetuum dono, & confirmo liberam immunitatem & immunem libertatem: quam Regibus post me in Angliâ regnaturis, causa Dei commendo servandam, ut eis conservet Deus æternam. Si quis autem hoc nostræ donationis decretum infringere, seu minuere, vel transmutare scienter præsumpserit, summus judex omnium conterat eum, & eradicet eum cum suâ posteritate: ut permaneat sine aliquâ hereditate, in clade, & fame. Quisquis vero Radingense Monasterium, cum præfatâ libertate, & possessione, servaverit; altissimus qui dominatur in regno hominum, bonis omnibus stabiliat eum, & servet eum.

Signum ejusdem fundationis.

XVI. *Ego Henricus, Dei gratiâ, Rex Anglorum, & Dux Normannorum, dono & subscribo.*

Signum Adeleidis Reginæ.

Signum Episcoporum.

Signum Ioannis Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati.

Signum VVilielmi Archiepiscopi Cantuariæ.

Signum Thurstani, Archiepiscopi Eboracensis.

Signum Galfridi Archiepiscopi Rotomagensis.

Signum VVillielmi Episcopi VVintoniensis.

Signum VVilielmi Episcopi Exoniæ.

Signum Bernardi, Episcopi Sancti David.

Signum Giefredi, Episcopi Cestrensis.

Signum Simonis, Episcopi VVigorniensis.

Signum Ioannis, Episcopi Luxoviensis.

Signum Odonis, Episcopi Ebroicensis.

Signum Turgisi, Episcopi Abrincatensis.

Signum Anselmi, Abbatis S. Edmundi.

Signum VVarneri, Abbatis S. Martini de Bello.

Signum Bosonis, Abbatis Beccensis.

Signum Gilleberti, Abbatis Sagiensis.

Signum Richardi, Abbatis S. Michaelis de Monte.

Signa Comitum & Baronum.

Signum Roberti, Comitis Glocestriæ.

Signum VVillielmi, Comitis Surreyæ.

Signum Rogeri, Comitis VVarwicensis.

Signum Stephani, Comitis Albemarlæ.

Signum VVillielmi, Camerarii de Tancarvillâ.

Signum Brienii, filii Comitis de VVareng.

Signum Humfredi de Buban.

Signum Roberti de Haiâ.

Signum VVilielmi, filii Odonis.

Signum Hugonis Bigotti.

Acta anno Verbi incarnati millesimo centesimo vigesimo quinto. Papa Romano, Honorio Secundo, Romanorum Imperatore Henrico Quarto. Hactenus Diploma Regium.

Sincerum esse, & constantis fidei, luculenter signa declarant. Datum sub hujus anni initium in Normanniâ; & Regis ibi toto hoc anno præsentiâ, & tot Normannorum Præsulum, & Comitum nomina testari videntur. Dixi sub anni initium quia Henrico Imperatore vivente scriptum; qui mense Maio moritur: & Joannes Cardinalis Cremensis ad Pascha è Normanniâ venit in Angliam, nec inde nisi sub Octobrem regredi potuit: subscripserat ergo priùs, cum Imperator in vivis esset. Adeleidem Reginam in Normanniâ sub id tempus fuisse, & planxisse ibi sterilitatem uteri sui, testis est Epistola septuagesima Hildeberti jam Turonensis Episcopi, quæ in Magnâ Patrum Bibliothecâ sic inscribitur. XVII. DE TEMPORE SCRIPTI DIPLOMATIS.

Epistolæ 70. Argumentum.

Reginæ Anglorum scribit: sterilitatem non in opprobrium contigisse: sed ad salutis subsidium. Ut adoptaret utique sibi pauperes, salutis, (& fortsitan prolis) apud Deum intercessores. *Tom 12. Bibl. p. 2. fo. 341.*

HILDEBERTUS humilis Turonum Archiepiscopus. * A. Excellentissimæ & Reverendissimæ Anglorum Reginæ, Salutem, & orationum instantiam. * ADELEIDEM intelligit.

„ TRANSFRETARE tibi (ô Regina Illustris) ut fertur incumbit. & regno coronæ tuæ, tuo reditu jocunditatem restituere, & exultationem. Noluimus te insalutatam de Normanniâ egredi; cujus salutem inter suos successus, Christi pauperes enumerant. Audivimus enim te, de illis curam gerere, & eos frequenti benedictione consolari. Optimum hoc, & timoratæ mentis consilium acturi sumus omnes coram omnium Redemptore & judice. Illuc necesse est nos præveniant, si volumus ut nobis subveniant advocati. Advocati autem illi sunt, de quibus in Evangelio Dominus dicit: Facite vobis amicos, de mammonâ iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Amici hujusmodi, amici certi, & in die calamitatis & miseriæ, nescii suum nescire cultorem. Hi profecti pauperes intelliguntur. Pauperes ante supremum tribunal, in propulsandis delationibus obtinent Principatum. Unde fit ut benè speret, de Judice Christo; quicunque sub Christo pauperum meretur interventum, pro quo istorum voces convalescunt, sententiam non timet capitalem. Hos itaque tibi compares, hos facias advocatos. Illis egentibus, egere Christum crede. Qui te non viderunt, in benedictionibus tuis, tuum videant affectum. XVIII. CON[...]LA[...] ILO[...] [...]A[...] REGINAM ANGLORUM. *Luc 16 9*

„ Si non est desuper, ut Anglorum Regi parias: in his absque damno pudicitiæ Regi parias Angelorum. fortassis ideo Dominus clausit uterum tuum; ut progeniem adoptares immortalem. Quod si ita est: Attende sterilitatem carnis, animæ quæstum esse, non dispendium: gloriam, non confusionem beneficium non flagellum. Felicius enim est, fœcundam esse spiritu, quàm carne: cælo parere, quàm sepulcro. Fieri enim potest, ut quam suspiras XIX.

sobolem;

„ sobolem; subsidiis egenorum adipisci mereatis. Quippe naturam quoque merita mutant: & apud nonnullas invenies abstersum eleemosynarum virtute sterilitatis opprobrium. Abraham, quia homines consueverat, Angelos hospitari promeruit. Eundem prærogativâ fidei, & obedientiæ, Scriptura Domino placuisse commemorat. His, ô Regina, noveris evacuatam Saræ sterilitatem, datumque ei filium: in quo plùs egit meritum patris, quàm debitum thori: sanctimonia, quàm natura. Quem videlicet filium, cum Dominus Abrahæ prædestinasset; ad eum tamen suscipiendum, non nisi præcedentibus meritis, Patriarcha pervenit. Quod enim prædestinatur electis, precibus, & meritis obtinetur. Unde etiam legitur, Isaac datum, Rebeccæ precibus conceptum; ut generis multiplicatio, quæ prædestinata in eo fuerat; precibus impleta monstraretur. De quo sic Gregorius, in Dialogo ait: Ipsa perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Domino disposita; ut ad hoc electi, ex labore orationum, perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod Dominus ante sæcula disposuit eis donare. Idem: constat quod prædestinatio precibus impletur: quando is, in quo Dominus multiplicare semen Abrahæ primo prædestinaverat; oratione obtinuit, ut filium habere posset.

XX. Reginæ sterilitas.

Ita Hildebertus Adeleidem Reginam solatus est. Enimverò cum jam plures annos nupta, nullam Henrico prolem peperisset: & Henricus masculâ careret, quæ coronæ succederet; non leve futurum erat Anglicanæ Reip. & Henricianæ familiæ decrementum: quod ut Regem torquebat, & in varias distrahebat curas (ut dicam anno sequenti) ita Reginam quoque anxiam habebat. Interim uterque propitiando Numini fundando Monasteria, erigendis Ecclesiis, studiosiùs incubuit. Quo in genere pietatis Henricus, tam domi, quàm foris adeo enituit; ut de eo ita scripserit Gulielmus Gemiticensis: *Fuit inclytus Rex Henricus liberalissimus, non solùm potentibus hujus mundi; verùm etiam, quod majus est, & utilius, hominibus religiosis. Testantur hoc Episcopi, Abbates. Monachi pauperes, sanctimonialium greges, non solum Franciæ, & Aquitaniæ: verùm etiam Burgundiæ & Italiæ; qui ab ipso annuatim plurimum emolumenti accipiebant. Ædificavit autem in Angliâ à fundamentis Abbatiam Sanctæ Mariæ Radingis, super fluvium Tamisiæ, & ornamentis & possessionibus locupletans; Monachos, & Ordinem Cluniaci ibi esse fecit. Ædificavit & aliam Ecclesiam, apud Circestram, in honorem Sancti Ioannis: & Canonicos Regulares ibi statuens, illis sufficienter necessaria procuravit.* (differt hæc Ecclesia ab illâ quam Deiparam sacram dixi anno quo cœpta est ædificari, nimirum millesimo centesimo decimo septimo. 11.) *Nihilominus etiam in Normanniâ, apud Rotomagum, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Prato, à matre suâ dudum inceptam, penè consummavit, claustro & officinis Monachis congruentibus, & ambitu murorum ipsum locum decorans, nonnulla prædia, tam in Normanniâ, quàm in Angliâ, ad opus ibidem Deo servientium, cum ornamentis pretiosis contradidit; majora tamen si aliquantum vita comes foret, secundùm suam promissionem largiturus. Et quia idem locus ad Ecclesiam Beccensem pertinebat; nepote patrimonium Domini Herluini, primi Abbatis, & fundatoris Beccensis Monasterii; Monachos Beccenses illic Deo servituros instituit. Illum enim Ecclesiæ Abbates, & Monachos mirè semper coluit, plurimùm veneratus est. Maximè tamen Dominum Abbatem Bosonem: quod nos in nostrâ memoriâ experti sumus: cum idem Rex daret annuatim eidem Venerabili viro non minimam summam pecuniæ, ad subsidium victualium suæ congregationis, & susceptionem hospitum: quos ille plùs amplitudine caritatis, quàm rerum suarum, mirificè ut dicam ultra vires suas procuratos honorabat. Et quamvis munificentia Regis eadem largiretur, non solùm propter Abbatem, verùm etiam propter bonam existimationem Monachorum, quorum orationibus se commendare, aut per se, aut per aliquem nuntium frequentiùs satagebat. Illud tamen indicio est, quod illum plùs antecessoribus suis, in hac duntaxat parte veneratus sit: quod aliquando centenas libras argenteorum: sæpissimè centum marcas ejusdem metalli, tempore regiminis prædicti Abbatis, Ecclesiæ Becci devotè contulit: cum antea vix ad quartam partem prætaxatæ summæ, in dando, eidem aliquid Ecclesiæ pervenerit.* Hæc & plura Gemiticensis.

Gemiticen. de Ducib. Norman. l. 7. c. 32.

Henrici Regis munificentia, et domi, et foris. V. an. 1117. 11.

XXI. Quod suprà dictum est: Episcopos Henrici munificentiæ testes esse. Hildebertus Cenomanensis antea, nunc Turonensis Episcopus in argumentum adduci potest: qui in Epistolâ ad Honorium Romanum Pontificem eleemosynæ meminit, quam Henricus, quotannis Monasterio de Fonte Everardi, persolvendam, donaverat: quam etiam, quo æterna esset, petit Episcopus Apostolica authoritate confirmari. Epistola autem est hujusmodi.

Hildeberti Epistola 69.

Honorio Reverendissimo Patri suo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici: Hildebertus humilis Turonum Minister debitæ perseverantiam obedientiæ.

Henrici eleemosyna petitur confirmari.

„ Et relatione plurimorum didicimus: & re sumus experti: quòd apud vestram (Sanctissime Papa) vigilantiam, justæ petitiones debitum inveniant affectum. Unde & nos, tam devotè, quàm fiducialiter, id expetimus à vobis; quod & summum Pontificem erogare deceat; & Ecclesiæ prosit erogatum. Serenissimus siquidem Anglorum Rex Henricus, Monasterio de Fonte Everardi, quandam in Anglia providit eleemosynam, pro remissione peccatorum suorum, eidem loco, singulis annis, in perpetuum exolvendam. Quam profectò eleemosynam, auctoritate Sedis Apostolicæ confirmari, vestroque muniri sigillo, precibus multiplicatis imploramus. Hanc ad vos (Beatissime Pater) interventionem pro Virginibus Christi suscepimus: quarum sicut exterior est apud homines conversatio: sic apud Deum, prout credimus, mentis puritas innotescit. Ea propter noluimus ancillis Christi nostrum deesse interventum. Quod si non mereatur exaudiri à Patre filius: mereatur tamen à Domino, aliquam de piâ voluntate mercedem, fidelis servus. In sinu tamen nostro spes bona reposita est: pro eis à Patre filium exauditum iri: quæ ad promerendam servorum Dei gratiam, ipsæ sibi solæ sufficiunt.

XXII. Robert-

Cum audis vocari Monasterium de Fonte Everardi, cui Henricus Rex benefecit. Scito

TUS ABRUSCELLIS FUNDATO MONAST. FONTIS EBRALDI.

communiùs id vocari Monalterium Fontis Ebraldi. illud nimirum, quod Robertus Abruſcellis, vir ſanctitate notus, nuper fundarat; ita viris, fœminiſque commune; ut ſacris Virginibus viri parerent. Intraverat hunc locum Mathildis vidua, Andegavenſis Comitis filia, quam Guilielmus Henrici filius, uxorem duxerat: & mox, infelici naufragio, viduam fecerat, anno hujus ſæculi vigeſimo, ut dictum ibi. (V. an. 1120. 17.) nunc opinor Abbatiſſæ munere, dicta Mathildis fungitur, cum Henricus Rex perpetuam Monaſterio eleëmoſynam aſſignavit; & Hildebertus Apoſtolicâ auctoritate munivit. Certè inter illuſtriſſimas Monaſterii illius Antiſtites, prima nominatur à Baronio, ita ſcribente. (Baron. an. 1117.) *Quamdiu ſtetit penes Virgines eligendi poteſtas; & poſtquam auctoritate Pontificis, conſtitui Abbatiſſæ cœperunt, optimas ſemper eaſq; memorabiles Abbatiſſas ſortita ſunt, vitæ integritate, & ſanctitate, quàm genere illuſtriores: tametſi pleræque Regum, & Principum, aut nobiliſſimorum certè equitum filiæ fuerint. Inter quas eluxerunt Mathildis Comitis Andegavenſium filia, Guilielmi vidua Henrici Primi Anglorum Regis filii. Mathildis altera, filia Theodorici Comitis Flandriæ, vidua item Ducis Burgundiæ*, &c. Plures numerat, ortu magnas, virtute majores, denique Monaſterio præfectas: Felix ſæculum, & felix nobilitas quæ novit Chriſti crucem, coronis potiorem eſſe. Hoc ipſum docta eſt Adela, Henrici Regis ſoror, quæ olim Stephano Bleſenſi Comiti nupta; cum filios illi peperiſſet, Theobaldum cognomento Magnum; Stephanum, qui Henrico mortuo regnabit in Angliâ; & Henricum, qui anno ſequenti Glaſtoniæ Abbas, inde poſt triennium Wintonienſis erit Epiſcopus: mundi blandientis amores exoſa Chriſtum teneriùs amplecti ſtatuit: vel Palæſtinæ loca ſacra inviſendo: ut olim Helena Sancta: vel in Monaſterio, cum Mariâ ad Chriſti pedes quieſcendo: quod tandem, ceu perfectioris vitæ compendium, elegit. De illâ ſic refert Gemiticenſis. (Gemiticen. l. 7. c. 39.) *Mortuo Stephano, Comite Bleſenſi, marito Adela filiæ Willielmi Regis Anglorum: ipſa aliquamdiu nobiliter rexit Comitatum: quia filii ſui adhuc minus habiles ad procurandum regimen erant. Quibus adultis; ipſa ſanctimonialis habitum, & converſationem, tempore Domini Petri Cluniacenſis Abbatis, Marciniaci aſſumens, laudabiliter ibidem in Dei ſervitio, uſque ad finem perſeveravit. Deceſſit vero, ſecundo anno poſt mortem Henrici fratris ſui Regis Anglorum.*

XXIII. Ad hanc, ſanctimonialem factam, Epiſtolam ſcripſit Hildebertus, Cenomanenſis Epiſcopus; laudans, quod quietam in Monaſterio vitam, peregrino itineri prætuliſſet. Epiſtola ſic inſcribitur.

Hildeberti Epiſtola 63.

HILDEBERTUS Cenomannorum Epiſcopus, A. ancillæ, & filiæ Chriſti, ſuæ quondam dilectæ, nunc autem dilectiſſimæ: Bonum exitum, de bono promereri principio.

LAUDAT ADELAM QUOD CHRISTO FRUATUR.

„ EGREDIENTI tibi de medio nationis pravæ,
„ atque perverſæ, congratulatur, & applau-
„ dit tibi ſpiritus meus, laudans Dominum, &
„ glorificans; cujus miſerationis eſt, quod Ægy-
„ ptiacam averſata ſervitutem, ad terram pro-
„ miſſionis iter aſſumpſiſti. Confido autem in
„ Domino meo JESU CHRISTO, quod ipſe pro-
„ ſperum faciet deſiderium tuum: quod perficiet
„ greſſus tuos in ſemitis ſuis, ut non moveantur
„ veſtigia tua. Et quidem ego credidi, aliâ viâ
„ filiam Abrahæ de Ægypto egreſſuram: ſed filia
„ Abrahæ compendioſiorem viam elegit. Cre-
„ didi enim te deſiderio deſiderare ſepulchrum
„ Salvatoris inviſere; & noſtræ redemptionis
„ officinas, obſequio venerari Chriſtiano. Scie-
„ bam quod in eo rectè offerres: ſed ne rectè
„ etiam divideres, dubitabam. Tu autem, &
„ rectè obtuliſti; quia pro Chriſto omnia reli-
„ quiſti: rectè etiam diviſiſti; quia Chriſtum ſe-
„ pultum, quàm Chriſti ſepulchrum ſequi ma-
„ luiſti. Porrò ſalutaris hæc, & plena conſilii
„ diviſio. Ut enim efficiamur diſcipuli Chriſti,
„ bajulare monemur ejus crucem, non quærere
„ ſepulturam. Quam ſcilicet crucem, ut tu, &
„ portare poſſis, & ſequi; patientiam amplecte-
„ re; amplectere humilitatem: quæ inter cæteras
„ virtutes inveniuntur humanæ redemptionis ob-
„ tinuiſſe principatũ. Si diligenter attendis, tota
„ Chriſti vita, nihil aliud in terris; quàm exẽplis,
„ & doctrina earum fuit. In eis igitur, dum per
„ ſerpentes deſerti hujus, & innumeros hoſtes,
„ ad promiſſam tendis Jeruſalem, mentis oculos
„ habe; ut illud Salomonis in te compleatur.
„ Oculi ſapientis in capite ejus: ſtultus autem in
„ tenebris ambulat.

Ita Hildebertus: qui licet Adelam unâ tantum literâ A. exprimat: Is tamen qui Epiſtolæ argumentum præpoſuit, in magnâ Patrum Bibliothecâ, ita nomen explicat. *Adela Comitiſſa jam converſa gratulatur*, &c.

XXIV. HENRICUS IMP. MORITUR.

Moritur hoc anno Henricus Imperator, *decimo Calendas Iunii, nullâ relictâ prole maſculâ, quæ ſuccederet in Germaniæ regnum. Sicq; juſto Dei judicio, defecit Occidentale Imperium à Germanis: cum eo ad impugnandam Eccleſiam ſunt abuſi: & tranſlatum eſt ad Saxones, Romanæ propugnatores Eccleſiæ.* (Baronius hic.) Ita Baronius. Vacat ergo Romanum Imperium: & Lotharius Saxoniæ Dux in Germaniæ regnum aſſumitur. Unde erroris arguuntur, aſſerentes Henricum, per decennium adhuc ſuperſtitem fuiſſe, peccata vitæ præteritæ in Angliâ plangentem. de quo ſic ſcribit in Hypodigmate Neuſtriæ, Thomas Walſingamus. (Walſingham. Hypodig. Neuſt. ad hunc annum.) *Anno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo quinto, Henricus Quartus obiit Alemanniæ Imperator. De quo quidam dicunt, quod poſtquam incarceravit Patrem ſuum carnalem, & Patrem ſpiritualem Papam, tum Cardinalibus; tandem ad cor rediens, ultroneus exul factus eſt, dimiſſâ clam uxore ſuâ Mathilde Anglicâ, heremiticam vitam duxit, apud Ceſtriam per decennium.* Paulò aliter refert Rogerus Hovedenus. (Hoved. in Henrico I. ad an. 1126.) *A quibuſdam aſſeritur* (inquit) *quod Henricus Imperator, pœnitentiâ ductus, eo quòd ipſe Patrem ſuum interfecerat: quadam nocte, cum ad lectum Imperatricis, Mathildis ſcilicet, filiæ Henrici Regis Anglorum, more ſolito accederet; extinctis lucernis, & Miniſtris abeuntibus; ipſe ſolus nudus pedes, & in laneis receſſit, relictis imperialibus, & uxore, & imperio: & nuſquam comparuit, nec compertum eſt, ubi eſſet cognitus.* Sed verius eſt Henricum è morbo Ultrajecti mortuum, (& Spiræ ſepultum) ut plures affirmant. nec unquam imperium aut uxorem, niſi invitum, dimiſiſſe.

XXV. ALEXANDER SCOTORUM.

Moritur etiam hoc anno, Scotorum Rex Alexander, cum ſeptendecim regni annos complesſet; Monaſteriorum conditione, & aliis pietatis operibus, laudem in Annalibus meritus.

Succeſſit

REX MORITUR. DAVID FRATER SUCCEDIT.

* V. an. 1118. 4.

† V. an. 1067. 7. 1072. 24. 1074. 19. & an. 1075. 13.

Successit in regnum David, Germanus frater, quem * suprà, cum sorore, Sanctâ Mathilde Reginâ, nominavimus. Vixerat ille inter Anglos diu; & sororis beneficio, uxorem duxerat Judithain, Guilielmi Primi Regis, è sorore neptem, & Walteofi Comitis (de quo † sæpe superiùs) relictam. Unde David, Huntindoniæ & Northumbriæ Comes, ab Henrico priùs creatur, quàm Alexandro fratri in regnum succederet. titulumque illum ad Scotiæ Reges promisit, non tamen diuturnum: quia Walteofi filia, natu major, Simoni Silvanectensi nupta, ad illum aliquando, & heredes, Huntindoniæ dignitas, titulusque descendit. Nunc tamen Simone mortuo, & herede ei cognomine, honor in Davidem translatus est. Unde benè Gordonius dixit ad hunc annum. *Alexander Scotia Rex, post varia pietatis opera, exemplaq; justitia edita, obiit sine liberis. Regnum tenuit David Germanus: cui cum uxore obvenerant Huntindonia & Northumbria.* David etiam non minùs quàm Alexander frater, à pietate commendatur: De illo sic Hovedenus: *Obiit Rex Scotorum Alexander: cui successit frater ejus David, vir magna sanctitatis, & munificentia.* Potuit enimvero sororis exemplo, quod suprà retulimus, ad omnem virtutem, & perfectioris culmen erudiri.

Gordonius hic.

Westmonast. hic.

V. an. 1118. 4.

ANNUS CHRISTI 1126.

HONORII II. PAPÆ 2.

HENRICI PRIMI REGIS 27.

I. MATHILDIS IMPERATRIX IN NORMANNIAM VOCATUR.

ERAT etiamnum in Normanniâ Henricus Rex, anno Domini millesimo centesimo vigesimo sexto: cum intellecto Henricum Imperatorem, generum suum, è vivis sublatum esse; cœpit novis cogitationum æstibus agitari. Reginæ sterilis, Guilielmi heredis immatura mors, masculinæ prolis orbitas, declinans in senectam ætas, coronæ regnique successio, suspensum in diversa trahebant. nec obvium erat tot malis mederi. Consultius tandem visum est, è Mathilde filiâ, per mariti mortem viduâ, prolem, nepotemque sperare; aut illi saltem Anglicani regni jura, Normanniæque principatum firmare. Jubet ergo filiam, Alemaniâ relictâ, ad parentem redire: cui illa, invita licet; hoc anno paruit. Prædiorum amplitudo, bonorum affluentia, civium, addo & Principum virorum amor, & observantia, ad ibi remanendum magnæ erant illecebræ: sed major in parentem pietas. Mathildis itaque vidua, ad Henricum, in Normanniam venit; cum ille sex & viginti regni annos complesset. Sic enim Malmesburiensis regni annos numerat: & Henrici consilium, mentemque de filiâ nuptui tradendâ, & inde propagandâ sobole.

II. *Malmesb. Hist. Novel. l. 1. principio.*

Anno Henrici Regis Anglorum (inquit ille) *vigesimo sexto. qui fuit Incarnationis Dominica millesimus centesimus vigesimus sextus, Henricus Imperator Alemannorum; cui prafati Regis filia Mathildis nupserat; in ipso atatis, & victoriarum flore obiit. Morabatur eo tempore Rex noster Normannia, ad pacificandos, si qui in eis partibus fierent, motus. Qui ubi primùm obitum generi accepit; non multò post, honoratis viris à se missis, filiam revocavit. Invita, ut aiunt, Imperatrix rediit: quod dotalibus regionibus consueta esset: & multas ibidem possessiones haberet. Constat certè aliquos Lotharingorum, & Longobardorum principes, succedentibus annis, plusquam semel Angliam venisse: ut eam sibi Dominam requirerent, sed fructu laborum caruisse: cogitante Rege, ut filia connubio inter se, & Andegavensem Comitem, pacem componeret. Mirum enim in modum vir ille, omnium Regum, quos nostra, & etiam patrum nostrorum tenet memoria, maximus; suspectam tamen semper habuit Andegavensium potentiam. Hinc est, quod sponsalitia, qua Willielmus nepos suus, Comes postea Flandria, cum filiâ Comitis Andegavensis Fulconis, postea Regis Ierosolymorum contracturus esse dicebatur, dissolvit, & cassavit. Hinc est, quod aliam ejusdem filiam, filio suo Willielmo impubi vixdum adolescenti conjunxit. Hinc est quod hanc filiam suam; de qua incepimus loqui; post Imperatorium thronum, ejusdem Fulconis filio nuptum collocavit: sicut sermo procedens dicere perget.* Hæc omnia Malmesburiensis consilii summam delibans; cur filiam Henricus è Germaniâ revocarit. nimirum, ut illa Andegavensium Comiti filio, nuptui tradita, pacis, æternæque amicitiæ sequestra esset.

UT SEQUESTRA PACIS ANDEGAVENSI COMITI NUBAT.

III.

Gliscebat enimvero inter eos; Henricum, inquam Regem, & Fulconem Comitem; discordiæ facula: quam Guilielmi Regis filii nupera mors accenderat: super dote, matrimonii lege, Fulconis filiæ debitâ, & non solutâ quam importunè forsan Fulco exigebat. Hoc videtur innuere Gemiticensis cum ait: *Procedenti tempore, Mathildis Pater* (Henricus) *cupiens carere inimicitiis & importunitate Fulconis, Comitis videlicet Andegavorum, Turonorum, & Cinomannorum. namque inter eos quibusdam ex causis longa simultas duraverat; licet invitam dedit eandem Imperatricem in uxorem Gaufredo Marcello, filio prædicti Fulconis, qui ei in Comitatum successit, cum idem Fulco Rex Ierosolymorum efficeretur.* de quo sequenti anno. nam priùs firmari debet Mathildi, & ejus liberis, Angliæ regnum, & Normanniæ principatus. Interim videamus alia quæ Henricum movere poterant, ad fœdus nuptiasque cum Andegavensium Comite sanciendas: quæ prædictus Author narrat in hunc modum. *Nec alicui, nec ipsi Imperatrici Augusta omnino indignum videatur: quod post thorum Imperatoris, conjugium sortita est Comitis Andegavorum. Licet enim multò minoris dignitatis sit, Comes Andegavensis, quàm Imperator Romanus: tamen si quis consulat gesta Regum Francia, inveniet de quam generosa stirpe descendant Comites Andegavensium. Ibidem enim reperiet, quod Reges Francorum, qui nostris temporibus idem regnum administrant, de prædictorum Comitum propagine deriventur.* Quod ubi pluribus ostendit, mox infert: *Non igitur usquequaque indignum: si filia Regis Anglorum matrimonio copulata est viro cognatione propinquo Regibus Francorum.*

Gemiticen. de Ducibus Norman. l. 7. c. 25.

Idem supra c. 26.

IV. QUID MATHILDIS SECUM E GERMANIA TULERIT.

Hoved. hic.

Mathildis itaque, Imperatore mortuo, ob futuras nuptias, ad Patrem in Normanniâ morantem venit. Quid secum è Germaniâ, in viæ vitæque solatium, tulerit, ita referunt Annales nostri. *Imperatrix, sumptis secum manu Beati Iacobi Apostoli incorruptâ, & coronâ Imperiali; ad Regem Henricum, patrem suum rediit. Rex verò Anglorum Henricus, præ gaudio manus Beati Iacobi Apostoli, fundavit nobilem Abbatiam de Redings: & eam bonis multis ditavit. & in eam manum Beati Iacobi*

MANUS INCORRUPTA S. JACOBI APOSTOLI, MONASTERIO RADINGIÆ DATA.
V. an. 1167

Apostoli posuit. Coronam autem Imperialem, in thesauro suo recondidit. De Abbatiâ fundatâ superiori anno dictum. Cæterùm cum dedicanda esset paulò post Ecclesia, nomen à Sancto Jacobo Apostolo consequuta est; cujus manu beaverat illam Henricus Rex. Qui hoc anno, unà cum Mathilde filiâ in Angliam trajiciens, sacrum thesaurum in Radingensi Monasterio religiosè deposuit: ubi etiam, ut alter Constantinus, inter Apostolorum reliquias sepeliri voluit, ut infrà suo loco dicemus. An Mathildis filia ibi etiam à morte requieverit (quod aliqui apud Camdenum affirmant) disquiram suo loco: nam diu adhuc inter varias alternantis fortunæ vices, superstes erit.

V.

Malmesb. Histori. Novella l. 2. fo. 175.

CONVENTUS PROCERUM LONDINI.

MATHILDI FILIÆ REGNUM FIRMATUR.

Henricus, ut in Angliam rediit; quod dudum de regni successione animo statuerat; voluit opere adimplere indictoque utriusque Reip. Procerum conventu (nam populi suffragium insolens erat) coronam, vel in filiam, vel è filiâ nepotes descendere, Senatusconsulto sancivit. Quod à Malmesburiensi in hunc modum exponitur. *Anno vigesimo septimo regni sui, Rex Henricus Angliam venit mense Septembri, adducens secum filiam suam. Primo verò natali convocato apud Londoniam magno Cleri & Optimatum numero uxori suæ, filiæ Ducis Lovaniensis, quam post obitum Mathildis duxerat, Comitatum Salopesberiæ dedit. Quam videlicet feminam dolens non concipere; dum & perpetuò sterilem fore timeret; de successore regni merito anxius cogitabat. De quâ re antea multum diuq; deliberato Concilio, tunc in eodem Concilio, omnes totius Angliæ Optimates, Episcopos etiam & Abbates Sacramento adegit & obstrinxit: ut si ipse sine herede masculo decederet, Mathildem filiam quondam Imperatricem incunctanter, & sine ulla retractatione, Dominam reciperent. Præfatus quanto damno patriæ fortuna, VVillielmum filium suum sibi surripuisset: cui jure regnum competeret. Nunc superesse filiam; cui soli legitima debeatur successio ab avo, avunculo, & Patre Regibus, & à materno genere multis retrò sæcula. Siquidem ab Egberto VVestsaxonum Rege, qui primum cæteros Insulæ Reges, vel expulit, vel subegit, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo, sub quatuordecim Regibus, usque ad ejusdem Incarnationis annum millesimum quadragesimum tertium, quo Rex Edwardus, qui apud VVestmonasterium jacet, in regnum sublimatus est. Nec unquam ejusdem Regalis sanguinis linea defecit, nec in successione regni claudicavit. Porrò Edwardus illius progeniei ultimus, idemq; & præclarissimus, pronepotem suam Margaritam ex fratre Edmundo Ironside, Malcolmo Regi Scotorum nuptiis copulavit: quorum filia Mathildis, hujus Imperatricis mater extitit.* Hæc omnia Malmesburiensis.

VI.
ITERUM EBORACENSIS CUM CANTUARIENSI CONTENDIT IN REGE CORONANDO.
Contin. VVigornien. hic.

Cæterùm omisit quod sub Conventus initium accidit: quando Eboracensis Episcopus, cum Cantuariensi, de prærogativa contendit; audaci quidem sed irrito conatu. Quod alii Authores priùs referunt, quam Proceres Londinum convenirent. nimirum cùm Rex natalitia festa Windleshoræ celebrasset. Ita ergo Continuator Wigorniensis, ad hunc annum: *Rex Anglorum Henricus Angliam reversus, in Nativitate Domini, Curiam suam in Castro, quod VVindlesora vocatur, divitis apparatu celebravit: & illuc totius regni nobilitatem, sua sanctione adunavit. Ubi cum Eboracensis Archiepiscopus, in æqualitate Archiepiscopi Cantuariensis, Regem vellet coronare, exemplo antecessorum suorum; judicio omnium repulsus est: & ad eum coronam regni nihil pertinere, una omnium sententia concorditer promulgavit. Lator insuper Crucis, quam in Regis Capella, coram se, fecit deferri, extra Capellam, cum Cruce ejectus est. Iudicio enim Episcoporum, & quorumque prudentiam, Ecclesiasticas leges scientium, probatum est, ac roboratum; nulli Metropolitæ, extra Diœcesim suam, crucem licere ferre ante se. Finitis diebus festivioribus, Rex, ac tota quam conflaxerat dignitas regni Lundoniam vadit.* Ubi nimirum Henricus Rex pro filiâ peroravit, ut suprà dixit Malmesburiensis.

VII.
MATHILDI IURAMENTUM A PROCERIBUS PRÆSTATUR.

Malmesb. Histo. Novel. l. 2. fo.

Regis oratio secundis omnium auribus excepta: & æquissimo postulato ferventiùs quàm constantiùs obsequuti sunt Proceres; qui aulicorum morbo laborantes, verba multò faciliùs, quàm facta profundunt. Breviter Sacramento se omnes obstringunt, Mathildi; si parenti supervixerit; liberisque ejus, fideles fore. Ita primùm Episcopi, & Abbates; & demum regni Proceres dixerunt. Quod si sanctè, ab omnibus servatum foret; tempestas quæ postea sequuta est, duravitque plures annos, nulla fuisset. *Iuraverunt ergo cuncti* (ita Malmesburiensis) *quicumque in eodem Concilio, alicujus videbantur esse momenti. primo VVillielmus Cantuariæ Archiepiscopus, mox cæteri Episcopi, nec minus Abbates. Laicorum primus juravit David, Rex Scotiæ, ejusdem Imperatricis avunculus. Tunc Stephanus Moritonii Comes, & Bononiæ, nepos Henrici Regis ex sorore Adala* (Adelam supra vocavi) *mox Robertus filius Regis, quem ante regnum susceperat, & Comitem Glocestriæ fecerat. Notabile fuit* (ut fertur) *certamen inter Robertum & Stephanum; dum æmula laude virtutum, inter se contenderent; quis eorum prior juraret: illo privilegium filii, isto dignitatem nepotis spectante. Ita obstrictis omnibus fide & Sacramento: tunc quidem à quoque in sua discessum est.* Alii tamen addunt, quid Cantuariensi Episcopo, qui primus juravit, à Rege concessum: *Ipse etiam Rex* (Appendix ad Wigorniensem) *consilio Baronum suorum, concessit Cantuariensi Ecclesiæ, & Guilielmo Archiepiscopo, & omnibus successoribus ejus, custodiam & constabulationem Castelli Rofi, semper in posterum possidendam: & in eodem Castello munitionem vel turrim (quam voluerint) sibi faciant, & in perpetuum habeant, & custodiant. & milites qui custodiæ ejusdem Castelli deputati fuerint; intrent & exeant per vices suas, sicut intrare & exire debuerint. Et de eodem Castello ei securitatem faciant.*

Cont. VVigornien. hic.

VIII.
NORMANNI PRINCIPES PARITER IURANT.
Paris hic.
STEPHANUS PRIMÒ IURAVIT, ET PRIMUS PRINCEPSQUE IN PERIURIO FUIT.

Non solùm Angliæ Proceres, sed Normanniæ quoque Optimates in Regis verba, mentemque juraverunt. nam addit Parisiensis. *Continuo jussu Regis omnes Angliæ & Normanniæ Optimates, tam regni Angliæ, quàm Ducatus Normanniæ, juraverunt ei* (Mathildi) *fidelitatem: & primum omnium Comes Blesensis Stephanus, ex Adala sorore Regis Henrici, & Blesensi Comite generatus.* Sed qui primus Normannorum juravit; primus maximusque in perjurio fuit: cùm coronam Mathildi à morte parentis hoc juramento debitam; ipse suo capiti imposuit; nisi majores in perjurio dixeris, qui Laicorum cupiditatibus ambitionique, suo exemplo mederi debuissent. Singulare est illud, memoria, atque Annalibus dignum: quod David Rex Scotiæ, Mathildi fidelitatem voverit, & juramento firmarit. cùm enim posterioribus annis quæstio de jure regni Angliæ, in Scotiæ regnum, coram Romano Pontifice ab Anglis ventilatur:

Edoardus Rex; eo nomine post conquæstum Primus; jus suum vario probans argumento, inter alia scibit: *Willielmus Rufus Edgarum Regem Scotiæ constituit, & eidem regnum illud donavit. Cui successit Alexander, frater Edgari, consensu Regis Angliæ Henrici primi, fratris dicti Regis Willielmi Rufi. Item Mathildi Imperatrici, filiæ & heredi Regis prædicti Henrici, David Rex Scotiæ fecit homagium & fidelitatem.* nimirum hoc anno, cùm plures idem juraverunt.

Apud Walsingamum in Edoard. I. fol. 12.

IX. ROGERUS SARISBURIEN. PRO MATHILDE FORTITER AGIT: SED INCÔSTANS EST.

Inter sacros Antistites, qui pro Mathildis jure steterunt, dixerunt, feceruntque fortiter, eminuit Rogeri Sarisburiensis industria: qui ab Henrico Rege ad omnes honoris gradus evectus, toti regno, absente Principe, præfuit. Unde totus ad Henrici ingenium factus formatusque, aliquos ad fidei Sacramentum cunctantes, authoritate qua pollebat, arteque dicendi, facilè ad se & Mathildem traxit. Cæterùm vir iste, quamdiu Henricus, in vitâ regnoque, tamdiu ipse, in fide, nec ultra, constans fuit: quippe, *qui se unicuique tempori pro volubilitate fortunæ accommodare nosset*: inquit Malmesburiensis. Hinc Rogerum premendi occasionem nacti sunt qui posteriùs sceipserunt: & Godwinus in Catalogo, cùm ingentia Henrici beneficia, plena in eum manu congesta enumerasset, addit: *Ob hæc tanta beneficia, Domino debitam gratitudinem non exhibuit. Gulielmo siquidem Henrici Regis unico filio, naufragio pereunto; quando, cui ditiones suas moriens relinqueret, is aliam prolem non haberet, quàm Mathildem Imperatricem: consultum ipsi visum, cunctos regni Proceres & Optimates, ad Sacramentum filiæ præstandum adigere. Rogerus autem hic noster: cùm non solùm ipse in Mathildis verba jurasset: sed pro munere quod exequebatur, alios permultos, non nimium properantes, juramentum suscipere coëgisset. Is tamen, nec pietatis in Deum; nec gratitudinis erga patronum; nec officii erga legitimam Principem, memor: primus omnium Henrico Rege mortuo, de Stephano ad Regnum evehendo cœpit rationes inire: qui, illo suasere eum primò aggressus, eodem consultore, ex animi sententiâ eandem confecit. adeoque, non est veritus incurrere perjurium; ut aliis insigne pejerandi præstruxerit exemplum.* Verùm de hoc perjurio plura inferiùs, cùm fortunæ rota per Henrici mortem volvitur: tunc ceu ventilabro, paleæ; sic rerum mutatâ vicissitudine, aulæ vitio apparebunt.

Malmesb. hist. Novel. fol. 175 fine.

Godwin in Sarisburien.

ANNUS CHRISTI 1127.

HONORII II. PAPÆ 3.

HENRICI I. REGIS 28.

I. CONCILIUM GENERALE SUB GUILIELMO ARCHIEP. LONDINI CELEBRATUM.

SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus vigesimus septimus: quo utrique Anglorum Reip. consultum. Sacram sanctiorem facere Prælati Ecclesiarum, indictâ Synodo, studuerunt: alteram Henricus per filiæ nuptias componere, sceptrúmque, quod jam sex annos & viginti tractaverat, ad nepotes promittere laboravit. Ordiamur à primâ, de quâ hæc habet, è nostris Annalibus Baronius. *Hoc anno* (millesimo centesimo vigesimo septimo) *cùm Willielmus Archiepiscopus Cantuariensis, Romæ ab Honorio Papa, accepisset legationem in Angliâ, reversus in patriam celebravit Wintoniæ generale Concilium totius Angliæ, frequenti concursu Clericorum & aliorum. Cœptum est tertio Idus Maii, perventúmque ad decimum septimum Kalendas Iunii. Inter multa quæ ibidem sunt saluberter instituta: quæ singula recensentur in Appendice ad Florentium, eadémque, consentientia iis, quæ in alio Londoniensi Concilio sunt recitata, sub Joanne Cremensi, Apostolicæ Sedis Legato, contra Clericos concubinarios, ad extirpandum penitus ejusmodi scelus in pluribus, altis radicibus fixum.* Hæc ille. In eo lapsus, quod Concilium hoc Wintoniæ celebratum affirmet. nam licèt Authores nostri, de anno fortè coacti Concilii differant: his, hoc anno, illis post sequentem annum Synodum (opinor) aliam asserentibus: de loco tamen utrobique omnes conveniunt, Londini & ad Westmonasterium conventum fuisse. Sed & Author, quem Baronius citat, sequiturque, id planè significat. Sic enim ille, Concilii Acta, & Episcoporum, qui convenerant, nomina recitat, ad hunc annum.

Baron. hic.

v. an. 1129

II. *Appendix in Wigorn.*

Gulielmus Dorobernensis Archiepiscopus congregavit generale Concilium omnium Episcoporum, & Abbatum, & quarumcumque religiosarum personarum totius Angliæ, apud Monasterium S. Petri in Occidentali parte Lundoniæ situm. Cui Concilio præsedit ipse, sicut Archiepiscopus Cantuariæ, & Apostolicæ Sedis Legatus: considentibus secum, Gulielmo Wintoniensi Episcopo, Rogero Saresbiriensi, Gulielmo Excestrensi, Alexandro Lincolniensi, Herveo Eliensi, Everardo Norwicensi, Sigefrido Cicestrensi, Richardo Herefordensi, Godfrido Bathoniensi, Ioanne Rofensi, Bernardo de S. David, Urbano Glamorgatensi, sive Landavensi, David Bangornensi. Richardus Londoniensis, & Robertus Coventrensis, jam obierant: nec aliquis in Sedem illorum eousque successerat. Turstanus autem Eboracensis Archiepiscopus, directis nuntiis ac literis, rationabili causâ ostendit se conventui ipsi interesse non potuisse. Randulfus verò Dunholmensis Episcopus, adtendens infirmitate correptus est: nec iter cœptum perficere potuit: sicut Prior Ecclesiæ, & Clerici (quos illuc direxerat) sub testimonio veritatis, attestati sunt. Wigorniensis autem Episcopus Simon, ad parentes suos trans mare ierat, & nondum reversus erat. Confluxerant quoque illuc magnæ multitudines Clericorum, Laicorum, tam divitum, quàm mediocrium, & factus est Conventus grandis, & inæstimabilis. Sedit autem tribus diebus: id est tertio Idus Maii, & die sequenti, tertióque post hoc, qui fuit decimo septimo Calendas Iunii. Acta sunt ibi de negotiis sæcularibus nonnulla: quædam quidem determinata; quædam dilata: quædam verò propter nimium æstuantis turbæ tumultum, ab audientia judicantium profligata. Quæ autem communi Episcoporum consensu in ipso Concilio decreta sunt & statuta, sicut illic publicè recitata sunt, & suscepta, in hoc opere placuit annotare. Sunt igitur hæc.

III. ACTA CONCILII. Ne vendantur Ecclesiastici honores. Non ordinentur pro pecunia. Non sit

Ecclesias & Ecclesiastica beneficia, seu quoslibet Ecclesiasticos honores vendi vel emi, authoritate Beati Petri Apostolorum Principis, & nostra, omnino prohibemus. Qui verò hoc præceptum violasse convictus fuerit: Clericus quidem (etiamsi Canonicus Regularis sit, vel Monachus) ab ordine deponatur: Laicus verò exlex, & excommunicatus habeatur, & ejusdem Ecclesiæ, vel beneficii potestate privetur.

Ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesiâ Dei, vel promoveri, authoritate Sedis Apostolicæ, modis omnibus interdicimus.

Exactiones certas pecuniarum, pro recipiendis

certa exactio pecuniæ pro Clericis, &c.

Monachis, Canonicis, & sanctimonialibus, condemnamus.

Qui potest esse Decanus, &c.

Nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconatum, nisi Diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores, infra prædictos Ordines, jam designatus est, moneatur ab Episcopo ad Ordines accedere. Quod si juxta monitionem Episcopi, ordinari refugerit; eâdem, ad quam designatus fuerat, careat dignitate.

Contubernia mulierum prohibita Clericis.

Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus Canonicis contubernia mulierum illicitarum, penitùs interdicimus. Quod si concubinis (quod absit) vel conjugibus adhæserint: Ecclesiastico priventur Ordine, honore simul & beneficio. Presbyteros verò parochiales (si qui tales fuerint) extra Chorum ejicimus, & infames esse decernimus. Archidiaconis verò & Ministris (quibus hoc incumbit) auctoritate Dei, & nostrâ præcipimus, ut omni studio & solicitudine procurent, ab Ecclesiâ Dei hanc perniciem omnino eradicare. Quod si qui in hoc negligentes, vel (quod absit) consentientes inventi fuerint: primò & secundò ab Episcopis digne corrigantur: tertiò verò Canonicè severius corripiantur. Concubinæ verò Presbyterorum, vel Canonicorum, nisi legitimè nupserint, extra parochiam expellantur. Quod si postea culpabiles inventæ fuerint, in cujuscumque territorio sint, à Ministris Ecclesiæ capiantur: & sub excommunicatione præcipimus, ne ab aliqua potestate minore vel majore detineantur: sed liberè eisdem Ministris tradantur: & Ecclesiasticæ disciplinæ, vel servituti (Episcopali judicio) mancipentur.

IV. Duplex Archidiaconatus inhibetur.

Vt nullus Archidiaconus, in diversis Episcopatibus, diversos Archidiaconatus teneat, sub anathemate prohibemus. Imo ei cui priùs assignatus erat, tantùm adhæreat.

Firmam non habeat Presbyter Monachus.

Episcopi, Presbyteros, Abbates, Monachos, Priores subjectos, firmam tenere inhibeant.

a Decima detur.

a Decimas, sicut Dei summi Dominicas, ex integro reddi præcipimus.

b Hæc & alia danda & accipienda authoritate Episcopi.

b Vt nulla persona Ecclesias, vel Decimas, seu qualibet alia Ecclesiastica beneficia det, vel accipiat, sine consensu & auctoritate Episcopali, Canonicâ authoritate vetamus.

c Abbatissa vestiatur agninis.

c Nulla Abbatissa, vel sanctimonialis, carioribus utatur indumentis, quàm agninis vel cattinis.

Rex igitur cum inter hæc Lundoniæ moraretur, audita Concilii gesta, consensum præbuit auctoritate Regiâ, & potestate concessit, & confirmavit statuta Concilii à Guilielmo Cantuariensi Archiepiscopo & S. Romanæ Ecclesiæ Legato, apud Westmonasterium celebrati. Hactenus Appendix ad Florentium.

V. Carolus Flandriæ Comes occiditur: et Guilielmus Roberti F. succedit. *Passion. hic.*

Meminit hujus Synodi Rogerus Hovedenus, & unà refert Henricum Regem eodem tempore, & in eâdem urbe Londinensi Procerum quoque conventum indixisse, ob triste nuntium, quod de morte Caroli Flandriæ Comitis accepisset: & ita loquitur: *In Quadragesimâ, & in Paschâ, Henricus Rex fuit apud Wudstoke, ubi nuntiatum est ei, quod Carolus Comes Flandrensis, amicus ejus charissimus, nefandâ proditione occisus esset à Proceribus suis in Templo apud Brige. Et quod Rex Francorum dedisset Flandriam Willelmo filio Roberti Curthose, nepoti & hosti ejus. Et quod jam valde roboratus multis cruciatibus omnes proditores Caroli multaverit. Super his igitur Rex anxiatus, Concilium tenuit ad Rogationes apud Lundonias, & VVillielmus Archiepiscopus similiter in eâdem villâ apud VVestmonasterium.* De Guilielmi Synodo jam dictum. restat de Procerum conventu, quorsum ille, & quid inibi actum. Vidit Henricus periclitari omnia, si in Caroli amici locum is succederet, qui viridi ætate, & animo natalibus pari, paternum jus & prosequi posset, & vellet. Robertus ejus parens in vinculis erat, & Guilielmus filius à patriâ extorris, non potuit hactenus, aut noluit saltem, sine viribus, irasci. Nunc Flandriæ Comitatu auctus, & Ludovici Francorum Regis patrocinio fretus; non Normanniæ tantummodo principatum, sine dubio natalibus debitum; sed Angliæ quoque regnum, Roberto Patri, primogeniti jure obnoxium, spe cœpit desiderare. *Super his itaque* (loquitur Matthæus Paris) *Rex Henricus nimis anxius erat: eò quòd esset juvenis ille* (Guilielmum intelligit) *strenuus satis & animosus: & comminaretur, se Regi Henrico, tam Angliam, quàm Normanniam ablaturum: quæ sibi, ut dicebat, jure hereditario debebantur.*

VI. De jure Guilielmi ad Flandriæ Comitatum.

Erant & alia quæ merito Henricum urgebant, sibi regnoque prospicere. Guilielmi jus ad Flandriæ Comitatum; cùm Carolo sine liberis mortuo nemo esset sanguine illo propinquior: Ita saltem Galliæ Reges, Ludovicus inquam & Regina censuerunt. Reginæ etiam intererat, Guilielmum (cujus sororem duxerat) tueri. Adde Flandrorum studia, in vicinum cognatumque, quàm in remotiorem, potentioremque Principem, proniora; & parentis filiique miseriis quas orbis deplorabat, libentiùs occursura. De Guilielmi jure, ad Flandriæ Comitatum, ita Gemiticensis: *VVillelmus, filius Roberti Ducis, Comes fuit Flandrensis: quod quomodo acciderit paucis aperiamus. Cùm ille jam juvenis multa probitatis in Franciâ exularet, patre suo in vinculis Henrici Regis posito, accidit ut Carolum Comitem Flandrensium quidam traditores, in Ecclesiâ, dum sacris mysteriis interesset, occiderent. Quo audito, Regina Francorum, uxor Ludovici Regis, dedit prædicto VVilhelmo sororem suam uxorem; efficiens per maritum suum, ut idem Comes Flandrensium constitueretur. Decesserat enim Carolus absque filio. Nec tamen idem VVilhelmus longè aberat à cognatione Comitum Flandriæ. Nam Mathildis, Regina Anglorum, avia ipsius, fuit filia Balduini cum barbâ, Comitis Flandrensium, &c.*

Gemiticen. l. 8. c. 14.

VII. Mathildis in Normanniam ad novas nuptias mittitur.

Hæc in Procerum consessu ventilata, extorserunt (opinor) consilium illud quo Henricus Rex, malis omnibus mederi cupiens, Mathildem filiam, hoc anno, in Normanniam misit, conciliaturam sibi nuptiarum spe vicinos Principes, & quoniam inter eos eminebat, rebusque ejus opportunior erat, Andegavensium Comes (ut suprà notavi *) in eum potissimum, filiæ conjungendum Henrici industria vigilavit. Ita Rogerus, cùm Concilium ad Rogationes nominasset, mox infert: *Circa Pentecosten misit Rex filiam suam in Normanniam desponsandam Gaufrido filio Comitis Andegavensis: & postea sequutus est eam ipse Rex, in Augusto.* Ita ille ad annum millesimum centesimum vigesimum octavum. Sed fortè duorum annorum gesta, in unum miscet: & tractatum de nuptiis, cum nuptiarum Sacramento. Rectiùs itaque sic tempora distingui debent. Anno millesimo centesimo vigesimo septimo, cùm Caroli mors, & Guilielmi successio, Henrico Regi innotuit sub Rogationum tempus: Ad ejusdem anni Pentecosten convenerunt Proceres, de regni statu sententiam dicturi: conclusumque, ad firmandos Normannorum animos, Mathildem Imperatricem in Normanniam præmittendam,

* v. an. 1126. n. 2.

Hoveden. an. 1128.

alliciendosque Principes, vel in fœderis, vel matrimonii societatem. & denique sequenti anno, cum Fulco, in filium Comitatum resignasset, Jerosolymam profectus, tum demum in nuptias itum. Hoc itaque anno *Fulco Comes Andegavensis* (ita scribit Matthæus Parisiensis) *Ierosolymam sine animo revertendi profecturus, dedit Comitatum suum Gaufrido filio, cognomento Plantagenet, adolescenti elegantissimo: & peregrè profectus, Ierosolymam cum prosperitate pervenit. De cujus adventu Rex Hierusalem valdè lætus, dedit ei filiam suam primogenitam, cum spe regni, post mortem suam. Quod cum à Rege Anglorum Henrico compertum fuisset, transfretavit in Normanniam: & filiam suam Imperatricem, præfato Gaufrido, Andegavensium Comiti, matrimonio copulavit.* nimirum anno sequenti, ut habet supra Hovedenus.

Paris hic.

VIII. Moritur hoc anno [*] Richardus Londinensis Episcopus, quem ad Sedem illam ab Anselmo consecratum dixi, anno hujus sæculi octavo: & de virtutibus ejus plura. vir fuit utrique Reip. utilissimus. Inter cætera religionis opera, Monasterium condiderat Canonicis Regularibus. in quo, *abdicato Episcopatu*, loquitur Godwinus, *Canonicus vivere decreverat: seu potius dixerim mori. nam paralysi correptus lethali, præ foribus adesse mortem senserat. Illud tamen suum propositum dum exequi differt, de die in diem; morte tandem intercipitur decimo sexto Ianuarii anno millesimo centesimo vigesimo septimo.* Quis illi successerit, dicam anno sequenti. Moritur etiam eodem anno, Richardus alter Herefordensis Episcopus; nec habet successorem ante annum millesimum centesimum trigesimum primum. Denique eandem carnis viam ingressus est [a] Robertus Peccam, Coventrensis Episcopus. qui consecratus [b] anno vigesimo primo hujus sæculi, [c] *decessit vigesimo secundo Augusti, anno millesimo centesimo vigesimo septimo, & Coventriæ jacet sepultus*, inquit Godwinus. Successorem habebit, post annum sequentem.

V. an. 1108. 8. & 16.

Godwin. in Catal.

MORITUR RICHARDUS LONDINEN. EPISCOPUS. ET RICHARDUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS. ET [a] ROBERTUS PECCAM COVENTREN. EPISCOPUS.

[b] V. an. 1121. 6.

[c] Godwin. in Catal.

IX. Ad hunc annum spectat fundatio celebris Monasterii in Brigantibus, & Lancastrensi agro, quod à situ Fournesse, id est, anterius promontorium dicitur. Ibi Cistercientibus Monachis ædes, & in Dei ac Deiparæ cultum Ecclesiam extruxit Stephanus Bononiensis Comes, qui à morte Henrici, per fas vel nefas regnabit in Angliâ. fuit inde locus ille multorum Cœnobiorum parens, Monachosque dedit vicinis Insulis, & majoris etiam Sacerdotii Infulas. De quo sic scribit Camdenus: *In ipso promontorio, nihil visendum est, præter parietinas Monasterii de Fournesse dicti, quod Stephanus Comes Boloniæ* (qui postea Rex Angliæ) *anno salutis millesimo centesimo vigesimo septimo extruxit, in loco olim Bekensgil dicto, vel potius transtulit à Tulket in Andernes. E cujus Monachis, & non aliunde, ut ipsi retulerunt, Manniæ Insulæ quæ objacet, Episcopi, veteri instituto, eligi solebant: utpote cum fuerit quasi mater plurimorum Monasteriorum.* in Manniâ, & Hiberniâ Arnaldus etiam de Bosco fundat hoc anno Monasterium ad Bittelsden provinciæ Buckingamiensis, Cisterciensibus Monachis, ut habet sæpè dictus Catalogus, & Camdenus.

ANNUS CHRISTI 1128.

HONORII II. PAPÆ 4.

HENRICI PRIMI REGIS 29.

ORDIOR Christi annum millesimum centesimum vigesimum octavum à rebus in Anglorum Ecclesiâ gestis: Pergam inde ad ea quæ Henricus Rex in Galliâ Normanniaque nobiliter egit. Ad primum quod attinet Urbanus Landavensis Episcopus, cum superiori anno in Londinensi Synodo, dicam impegisset Menevensi & Herefordensi Episcopis; nec finem sortitus esset voto parem. Honorium Romanum Pontificem hoc anno appellavit. De quo hæc habet Appendix ad Florentium. *Vrbanus Glamorgatensis seu Landavensis Episcopus quia de quarundam causarum querelis, quas anno præterito in Generali Concilio super Bernardum Episcopum de S. David promoverat, non justè agi circa se perfenserat, emensa festivitate Purificationis S. MARIÆ, mare transiit, Romam ivit, Apostolico Papæ, causam a tinere, certâ attestatione suorum intimavit. Cujus idem Apostolicus votis, ac dictis favit. Et Regi Henrico, & Gulielmo Archiepiscopo, & omnibus Angliæ Episcopis, literas direxit; omnibus Apostolica mandans auctoritate, ut justæ exactioni illius nemo obstaret in aliquo.* & paulò inferiùs. *Urbanus Landavensis Episcopus, prospero reditu Angliam revertitur: Regio jussu præcepta Apostolica complentur. Sicq; nunc ille quæsitis, ex Dei gratia potitur.* Hactenus ibi litem memorans, sed super quo litigatum tacens. Certè Urbani industria in Ecclesiæ Landavensis cultu quam suprà probavi, facit opinari, pro prædiis disputatum esse, quæ Menevensis Episcopus usurpaverat in Landavensis Ecclesiæ præjudicium. Id suadet temporum infelicitas, quæ à Normannorum ingressu, varia, ac inconstanti rerum vicissitudine, Cambriam presserat, & Ecclesiarum jura terminosque distraxerat.

I. URBANUS LANDAVENSIS ROMÆ CAUSAM SUAM AGIT.

Append ad Florent. hoc anno.

V. an. 1119. 7. & an. 1120. 22.

Qui nuper in Landavensi Ecclesiâ, sedit, novissimæ editionis Episcopus, Franciscus Godwinus in Catalogo, cum Urbani labores in extruendâ ornandaque Ecclesia retulisset, & ædibus sibi & Canonicis opportunis; addit. *Quibus rebus ex animi sententiâ confectis. ad possessiones Sedis suæ, ab aliis occupatas, recuperandas, animum adjecit. Et non pauca sanè, à Bernardo Episcopo Menevensi, & Richardo Herefordensi, injustè usurpata repetiit. Quos etiam haud bono jure Landavensi ereptas suis Diœcesibus has regiones adjunxisse querebatur. Gowyr, Cedwelly, Cantref, Bychan, Ystrad-yw, & Erging. Re coram Papa, sex testium fide dignorum juramento comprobatâ: sententia pro Landavensi lata est; ac literæ ad Regem, Archiepiscopum, atque illarum Regionum populares, à Papa perscriptæ sunt, hoc ipsum testantes. Sed Vrbani immaturus obitus in causa erat, ut mandatis Pontificiis obtemperatum non fuerit.* Hoc debet intelligi de ultimâ Urbani in Urbem profectione, post annos quinque. nam quod anno præsenti ab Honorio præscriptum, jussu Regis, ut suprà habet Appendix obtemperatum est. Sed tot loca superiùs enumerata, perdita recuperare, suæque Ecclesiæ asserere; non unius anni, aut unius in Urbem profectionis labor, sed multi temporis, erat. Adde non uno impetu, aut actione, terminari lis poterat: &

II. PRÆDIA LANDAVENSI ECCLESIÆ RESTITUUNTUR.

Godwin. in Catal.

Urbanus is erat, qui pro Ecclesiæ suæ jure, ad extremum apices urgeret. (quo demum eventu, V. an. 1133. 1. differam cum ille moritur) non ita Thurstanus Eboracensis Episcopus: qui, quanquam in Cantuariensem Sedem, pro honore suæ Sedis, fortiter disputaverat; tamen in Scotorum Ecclesiam, de jure, quod præsumere potuisset, remisit hoc anno plurimum.

III. ROBERTUS EBORACEN. CANONICUS, EPISCOPUS S. ANDREÆ CONSECRATUR.

Vacabat adhuc Ecclesia illa, ad quam olim Edmerus postulatus, electus, institutus erat: Alexander tamen priusquam naturæ debitum solverat, Robertum quendam Canonicum Eboracensem, suppleturum Edmeri locum elegerat. Illum necdum majori Sacerdotio auctum, David hoc anno ab Eboracensi Thurstano consecrandum postulavit. & ille annuit: de fide & subjectione ad Ecclesiam suam, nulla factâ mentione, nimiâ, vel juris incuriâ, vel Scotis indulgentiâ. Rem hanc ita refert Appendix ad Florentium. *Continuatio VVigorn.* *Thurstanus Eboracensis Archiepiscopus, Robertum; quem Alexander Rex Scotiæ Ecclesiæ Sancti Andreæ intruserat, petente David fratre, et successore Alexandri, in Episcopum Eboraci consecravit. In quo officio Randulfum Dunholmensem Episcopum, & quendam Radulfum, ad Orcadas Insulas jam olim Episcopum ordinatum, sibi adjutores asciverat.* V. an. 1085. 9. *Qui Radulfus quoniam, nec Principis terræ, nec Cleri, nec populi electione, vel assensu fuerat ordinatus; ab omnibus refutatus, & in loco Pontificis à nemine susceptus erat. Hic quia nullius Episcopus urbis erat; modo Eboracensi, modo Dunholmensi adhærens, ab eis sustentabatur: & Vicarius utriusque in Episcopalibus ministeriis habebatur. Ab his itaque Robertus consecratus: nullam (ut dicitur) professionem, de quâvis subjectione, vel obedientia Ecclesiæ Eboracensi, aut ejus Pontifici facere permissus à Scotis est. licet Eboracensis Canonicus fuerit.* Ita ibi.

IV. GILBERTUS LONDINENSIS EPISCOPUS.

Fortior Cantuariensis Archiepiscopus Guilielmus; qui hoc eodem anno, in Richardi Londinensis Episcopi locum, Gilbertum consecravit: de quo sic legitur in eâdem Appendice. *Continuatio suprà.* *Quidam Ecclesiæ Lugdunensis Canonicus, vir probus & grandævus, electus est ad Pontificatum Ecclesiæ Lundoniensis. Defunctus siquidem Richardus fuerat, ejusdem civitatis Antistes. Et iste Gilebertus nomine, cognomine vero Universalis, loco illius à Rege Henrico, & Guilielmo Archiepiscopo, annuente Clero, & populo, substitutus erat. Sacratus autem est Cantuariæ, ab ipso Archiepiscopo, in matre Ecclesia, undecimo Cal. Februarii: cooperantibus & ministrantibus sibi in hoc officio, Sigefrido Episcopo Cicestrensi, & Ioanne Roffensi, sub præsentiâ Abbatum, & aliorum Magnatum, ac honestiorum, pro hoc ipso, Cantuariæ convenientium: susceptâ prius ab eo professione, ex more Antecessorum suorum, quâ se illi, & omnibus successoribus ejus, Canonicam subjectionem, & obedientiam, per omnia exhibiturum fore promisit.* Hactenus ibi. De Gilberto plura inferius, anno 1133. Nunc ex Insula in continentem pergentes, videamus Regia.

V. HENRICUS IN FRANCORUM REGEM ARMA MOVET.

Ibi Henricus pro Angliâ Normanniaque sollicitus; cum Andegavensem Comitem ad se nuptiarum fœdere, & affinitate traxisset: in novum Flandriæ Comitem, nepotem; & imprimis, in Ludovicum Francorum Regem scribit exercitum. ascitoque in belli societatem Theodorico; solo terrore nominis, de hostibus triumphavit. Principium præliandi à Galliâ cœptum. Ita Parisiensis. *Parisien. hic.* *Anno Domini millesimo centesimo vigesimo octavo, Rex Anglorum Henricus, hostiliter perrexit in Franciam. eò quòd Rex Francorum Ludovicus tuebatur Comitem Flandrensem, nepotem Regis, hostem: perendinansque apud *Hespardum octo diebus, tam securè, ac si in regno proprio fuisset, Regem Francorum Comiti Flandrensium auxilia negare coegit. Ubi cum à quodam Clerico, de gente Francorum perito, originem & procursum Regis Ludovici quæreret, Respondit: Regum potentissime, inquiens, sicut pleraque gentes Europæ, ita Franci à Troianis originem duxerunt, & cum ab ovo omnem Regum Franciæ genealogiam texendo replicasset; ad ultimum subjunxit Philippus Rex Francorum genuit Ludowicum: qui regnat in præsenti: qui si probitatis antecessorum suorum vestigia teneret; tam securè in regno ejus non quiesceres. Tunc Rex subtidens in Normanniam remeavit.*

** Sparnum habet Hoved. fo. 475. & Huntindonius hic.*

Henrici securitatem auxerat, militum manus, quam è Germaniâ Theodoricus in ejus suppetias duxerat. Ille juris aliquid in Flandriæ Comitatum habuisse videtur, ideoque Guilielmo rivalem Henricus evocaverat: futurum enimvero utrique opportunum, & magnum victoriæ compendium. Tunc Guilielmi in Theodoricum virtus emicuit, & regium in juvene animum prodidit, promisitque eum laude ad posteros. *Advenit à partibus Alemanniæ* (ita narrat Huntindonius) *quidam Dux Theodoricus, Flandriam calumnians quosdam Proceres Flandriæ secum habens; hoc suasu Regis Henrici. Willelmus autem, Comes Flandrensis, aciebus ordinatis obviam venit illi. Pugnatum est acriter. Willelmus Consul numerum suorum cum pauci essent, supplebat probitate inexterminabili. Cruentatus igitur omnia arma sua sanguine hostili, findebat ense fulmineo cuneos hostium; nec pondus potuerunt terribile juvenilis brachii perferre hostes perterriti, & fugæ dediti.* Guilielmus victoriâ hac potitus, non diu potitus est: licet inde nomen suum famamque perennaverit. nam pergens adeptâ victoriâ uti: & Castrum quod pro Henrico stabat, obsidione cingere; jamque deditio parabatur, accepto non magni (magni tamen) momenti vulnere periit. Sic enim Author qui suprà: *Victoriosissimus itaque Consul, dum Castrum hostile obsideret, & in crastino reddi deberet, jam penè annihilatis hostibus, Deo volente, parvo vulnere sauciatus in manu deperiit.* Addit Gemiticensis tempus mortis, & locum sepulturæ. *Decessit*, inquit, *sexto Calendas Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo octavo. Sepultus est autem in Ecclesiâ S. Bertini Confessoris: & successit ei Territus de Ausen, cognatus præcedentium Comitum. Huic Henricus Rex Anglorum copulavit sororem Gaufridi Martelli Comitis Andegavorum.*

GUILIELMUS FLANDRIÆ COMES OCCIDITUR. *Gemeticen.* S. AUDOMARI SEPULTUS.

VII. Commodum Henrico cessit Nepotis mors, amicam Flandriam nactus, quæ nunquam Anglis inimica postmodum fuit. Unde Normannia ab hostili impetu tutior: & Angliæ regnum, per munimenta illa, omni procul periculo. Nec Nepoti mors, quantumvis immatura, ad nominis æternitatem nocuit: notiorem potiùs posteris fecit: & qui vivus, dicebatur, Guilielmus, cognomento Miser: à morte inter Heroes numeratur. nam ita de illo Huntindonius: *Huntind. supra.* *Nobilissimus autem juvenum, ætate brevi, famam promeruit sempiternam: de quo Walo versificator sic ait:*

Mars obit in terris, deflent par sidera sidus.
Numina par Numen, parque decora decus.

Res nova! temporibus moriuntur Numina nostris.
Amodo credibile est, Numina posse mori.
Unicus ille ruit: cujus non certa sagittam
Cujus nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quoties res ipsa monebat
Et si non fulmen; fulminis instar erat.
Flandria se jactat tumulo; Normannia cunis.
Hic fuit occasus sideris: ortus ibi.

VIII. MATHILDIS IN NORMANNIA ÆGRA DECUMBIT.

De Gulielmo satis: Mathildem, olim Imperatricem, nunc novè nuptam, reviso: quia in Normanniâ graviter ægrotasse, & opinor, sub hæc * tempora dicitur: cæterùm Augusta mens, & virtus in infirmitate perficitur. & Regia Fides, in Regio pectore apparebit. Gemiticensis ita narrat, & laudat fœminam. *Sæpe nominata Mathildis Imperatrix, dum quadam vice apud Rothomagum infirmaretur, sufficiens argumentum suæ prudentiæ & Religionis, tam præsentibus, quàm futuris ostendit. Gazas enim non solum Imperatorias, quas secum de Italiâ incomparabiles attulerat. Verum etiam quas Regalis, imo paterna munificentia, de inexhaustis Anglorum thesauris sibi contulerat; tam devota manu Ecclesiis diversarum provinciarum, & utriusque sexus religiosis pauperibus, viduis, orphanis distribuit: ut nec a culcitrâ sericâ, super quam in ipsa infirmitate decumbebat, abstineret: quin ipsa distracta, pretium ejus leprosis erogari juberet. Veruntamen promptiorem se Beccensi Ecclesiæ, quàm multis Cœnobiis Neustriæ, ne dicam omnibus, in hac erogatione exhibuit. dans ei tam diversa donaria; materia, artificioq; pretiosissima, quæ Byzantium percara haberet; & quæ ad sæculi terminum honora permanere valeant; semper ipsius Imperatricis Augustæ studium, & amorem erga illam Ecclesiam repræsentantia. vicissimq; cordibus, inibi habitantium, memoriam insignis Dominæ arctiùs imprimentia: singula descriptionibus aut nominibus designare spatiosum foret. Voluptuosum est spectare, hospitibus maximè, & qui sæpe nobilium Ecclesiarum thesauros viderunt. Transiret illac hospes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eàdem. Credimus autem, & credere fas est, æquissimum judicem omnium, non solum in futuro; verùm etiam in præsenti sæculo, illi centuplum redditurum: quod servis suis, manu sicut larga, ita devotâ gratanter impendit. Ad remunerationem verò instantis temporis pertinere non dubium est; quod miserante Deo, sopitâ adversa valetudine, sanitatem recepit: & Monachos suos, Monachos Beccenses; qui præ omnibus, & super omnes, pro ipsius sospitate jugi labore supplicandi, decertando fere defecerant; aura prospera valetudinis ejus afflatus omninò redintegravit.*

Referendum hoc potius ad an. 1 3 ... c 27

EIUS MUNIFICENTIA.

CONVALESCIT.

IX. *Idem supra c. 28.* PETIT IN BECCENSI MONASTERIO SEPELIRI.

Nec illud silentio supprimendum (pergit idem Author) *Imo, ut ita dicatur, uncialibus literis exaratum, sæculo venturo transmittendum: quod antequam convalesceret, postulaverat Patrem suum, ut permitteret eam in Cœnobio Beccensi humari. Quod Rex primò abnuerat, dicens non esse dignum, ut filia sua, Imperatrix Augusta; quæ semel & iterum, in urbe Romulea, quæ caput est mundi, per manus summi Pontificis, imperiali diademate processerat insignita; in aliquo Monasterio, licet percelebri, & religione, & fama, sepeliretur. Sed ad civitatem Rothomagensium, quæ Metropolis est Normannorum saltem delata, in Ecclesiâ principali, in quâ & Majores ejus, Rollonem loquor, & Willelmum Longam-spatam, filium ipsius, qui Neustriam armis subegerunt, positi sunt, & ipsa poneretur. Quâ deliberatione Regis perceptâ: illi per nuntium remandavit, animam suam nunquam fore latam, nisi compos voluntatis suæ, in hac duntaxat parte, efficeretur. O fœmina mactè virtutis, & consilii sanioris, parvipendens pompam secularem in corporis depositione. Noverat enim esse salubrius animarum defunctorum, ibi corpora sua tumulari: ubi frequentiùs & devotius supplicationes pro ipsis Deo offeruntur. Victus itaque pater ipsius Augustæ, pietate & prudentia filiæ, qui cæteros, & virtute, & pietate vincere solitus erat, cessit: & voluntatem & petitionem ipsius de se sepeliendâ Becci, fieri concessit. Sed volente Deo, sanitati integerrimæ restituta convaluit.* Hæc omnia Gemiticensis.

X. S. ALBANI OSSA ELEVANTUR.

Albanenses Monachi hoc anno, in Protomartyris sui cultu multi fuerunt: sacra ossa quæ dudum ibi quieverant, nobiliùs ponendo Gaufridus Abbas præcipuam in eo opere laudem meruit; & Ankerellus Monachus probavit industriam suam, in nobilissimæ thecæ fabricâ, quam dudum Albano consecrare cœperat. nunc ea absoluta, placuit Sancti Martyris ossa elevare, ibique deponere. Vidè quam solenniter quod ita in vitis Abbatum legitur, cum hac epigraphe.

Hæc Acta vigesimo nono anno Regni HENRICI IV. Non. Augusti.

Paris in Gaufrido Ab fo. 6...

SOLENNITAS ... TRANSLATIONIS

„ PORRÒ quia translationis solennitas, non „ poterat die translationis ejus competenter „ celebrari, propter S. Petri ad Vincula: in qua „ die reverà translatio facta fuit (quia sic propter quidpiam exigebat tunc necessitas) ejusdem festivitatem in crastino illius solennitatis, „ quæ de S. Petro est, solennitatem translationis Beati Albani; ex provisione, & unanimi „ consensu, fieri constituit Abbas Gaufridus. „ Præsentibus itaque Alexandro Lincolniensi „ Episcopo, & Abbatibus Waltero * Eveshamensi quondam Priore S. Albani; & Roberto „ Horniensi, & Elia Sanctæ Trinitatis Ecclesiæ „ Rothomagensis, & Andrea Novigensis Ecclesiæ Abbatibus, cum toto Conventu Monasterii S. Albani, necnon & aliorum Religiosorum „ Clericorum assistente frequentiâ, patefacta est „ Beati Martyris antiquissima tumba. Verum „ quia quoddam Collegium de Daciâ, & Eliense „ in Angliâ mendaciter asserebant, se corpus „ Sancti Albani ex integro, seu partem corporis habere: proinde coram omnibus, qui adesse poterant, præ turbâ, dinumerata sunt „ omnia ossa Martyris, & sigillatim ostensa. Et „ caput eminentius in propatulo, manibus Venerabilis Fratris Radulphi, tunc illius Monasterii Archidiaconi elatum, inventum est habere in occipite schedulam filo serico dependentem, & aureis literis vetustissimis scriptam: „ SANCTUS videlicet ALBANUS. Imposuerat quidem Venerabilis Rex Offanus circulum aureum, circa cranium, insculptum literis his: HOC EST CAPUT SANCTI „ ALBANI PROTOMARTYRIS. „ Amen.

* Egneshamensi

XI. OSSA ALBANI NUMERANTUR ET UN... DEESS... CONSTITIT.

Sequuntur plura in hoc Authore, fidem hujus temporis, Martyrum cultum, & pietatem testantia: quæ prætereo. Unum tacere non possum, quia Albanum in eo Cœnobio quievisse, & integrum ibi corpus, non alibi depositum esse, magnum est argumentum: & licet narratio longiuscula sit, rerum tamen varietas tædium diluet. Ita ergo narrat Parisiensis. *Cum diligenter numerata*

Paris in Gaufrido Ab. fo. 61.

fuissent omnia ossa Martyris, prout ab eis, qui interfuerunt accepi, defuit sinistra scapulæ os, reliqui corporis integritati. Sed qua ratione defuerit, vel ad quem locum deportata fuerit, nullius qui tunc aderat, occurrit memoriæ per desidiam tunc in Ecclesia S. Albani degentium; quia non commendabatur Scripturæ. Dehinc autem elapsis, paucorum annorum curriculo, destinati à Nanmucensi Clero, & celebre Ecclesiâ, venerunt ad Ecclesiam B. Martyris Albani, tempore ipsius Abbatis Gaufridi duo viri literati, moribus, & ætate maturi, more suæ Regionis, Canonici Sæculares: Rogantes instantius Conventum loci, necnon Abbatem: quatenus mererentur ab eis servitium: quo uti possent competenter & aptè, à proprie in passione Sancti Albani. Ecclesia sua instantia annectentes, esse penes se, unam de scapulis Beati Martyris. Porrò Fratres, qui translationi nuper factæ interfuerunt; & unam de scapulis defuisse compererunt, diligentius qualiter ad eos pervenisset, inquisierunt. Tunc unus eorum, quia Anglicè non novit, Latinè sic orsus est.

XII. QUOD OS, ET QUOMODO IN NAUMUCENSES DELATUM.

Dux, qui in Ducatu nostro, primus ad Fidem Christi conversus est; in novitate conversionis suæ, à paganis vicinis acriùs infestabatur: & ipse quasi validus Christi Tyro, corpore, & animo alacer ac magnanimus, partes suas viriliter contra omnes adversantes defendebat. Tandem undique læsi insurrexerunt in eum adversarii: & sic denique invalescente parte adversâ, exhaustis thesauris, & coadjutoribus desperantibus, desperavit. Cœpit enim deficere. Et ecce quidam Rex Angliæ, nobilis, victoriosus & famosus, limina Apostolorum in orationibus visitaturus; actus tempestate adversâ. Austro Occidentali debacchante, in Ducatu ejus applicuit. Quod cum Dux per exploratores, qui ad eum advenerant, cognovisset, ait: Interrogate quisnam est ille, & quod nomen illi? At illi redeuntes à præambulis suis, & procuratoribus, didicerunt; quòd Rex Angliæ fuisset, cultor fidei Christianæ, & bellator invictus, Cnuto nomine. Cujus titulus Christianis omnibus merito fuit, & nomen cognitum, & amicabile, & hostibus Christi, ut fulgur formidabile. Quod cum Dux suis nuntiantibus cognovisset, occurrit lætabundus, & festinus in amplexu & pacis osculo, gratias Deo palam referens, quod tantum hospitem suscipere promeruisset. Et petiit reverenter & humiliter, quod securus, sicut ad propria, ad ulteriora terræ se transferret: donec de laboribus maris, cum suis commilitonibus, respiraret: & tunc ad naves suas recreatus feliciter remearet. Acceptis igitur Rex obsidibus ab eo, quos in sua navi reliquit, adquievit.

V. an. 1027. quo Canutus Romam proficiscitur.

ATTIGIT IN TEMPESTATUM PULSUS TERRAS NAUMUCENSES CANUTUS.

XIII. DUX EUM EXCIPIT.

Dux autem lætus effectus, & exponens se suaque, duxit Regem in civitatem suam, jubens ut omnes cives occurrerent, susciperent eum cum omni gaudio & honore. Paravit itaque ei Dux convivia magna: & fessos balneis, & infirmos medicinis recreavit; ita ut Rex de liberalitate ejus vehementer admiraretur. Una igitur dierum, interrogavit Rex inter loquendum de statu Ducatus sui. At Dux: Domine mi Rex, prosperè agerem in omnibus, utpote tyro Christi & Neophytus; nisi Saraceni; pro eo quod reliqui ritus eorum, me impugnarent: quos sæpè in ore gladii excipiendo; & varios casus Martis experiendo, vix à finibus meis hactenus propulsavi. Sed nunc aliis confœderati multiplicantur, & contra me roborantur; ita quod mihi vehementer pertimesco. Sed si Regia Majestati vestræ complacet me juvare; ipsos audacter omnes ad prælium provocarem. At Rex misertus ait. Meos super hoc consulam commilitones: & libenter ad hoc eos animabo, quia nos periclitantes benignè suscepisti. Accepto igitur à suis consilio, & favore, eo quod incredulos forent expugnaturi; cum indigenis fortissimum & copiosissimum Rex, & Dux exercitum congregantes, Saracenos omnes Duci nocivos irrestaurabiliter dejecit: & fines Ducatus triumphaliter amplïaverunt. Quo negotio feliciter consummato; Rex ad iter quod ad tempus suspendit, accingitur: aggressus iter suæ peregrinationis, quam inceperat. Erat enim transalpinatus, & Romam pro peccatorum suorum remedio petiturus: multum enim sanguinem, etiam Christianorum, effuderat, in conquæstu Angliæ. At Dux junctis manibus, usque ad naves suas eum prosequitur, lacrymabiliter ejulando, dicens: O Domine mi Rex, si unquam faciem tuam videbo: precor quod pro me facta peregrinatione redeatis. At Rex: vita comite, desiderio tuo satisfaciam. & Rex ascendens naves in quibus arma & victualia, & alia necessaria habebat; reddito filio Ducis Patri suo, quem habuerat pro obside, vento prospero aspirante recessit.

CANUTUS CUM SUIS DUCEM IUVAT AD VINCENDOS SARACENOS.

Rediens autem à Roma, & per Ducem divertens; cum summo gaudio receptus est. Et aliquandiu commoratus, Duce deprecante. Deinde Rex recedens ait: Desere hanc bellicosam terram, & veni mecum, & ditabo te ampliore & ditiore. Cui Dux: Absit Domine mi, ut deseram avitam terram, & hereditatem. Sed habeo quendam filium pulchra indolis adolescentem, Adducite eum vobis in Cuisa vestrâ, quæ est quasi schola civilitatis, educandum: & si placet, militare cingulo de strennâ manu accingendum, & ditandum. Quod Rex annuit. & sic fecit. & sic valedicto recedens prosperè pervenit in regnum suum Angliæ. Adolescens autem in brevi infirmatus, rogavit Regem, ut requiesceret, commorans aliquo loco. At Rex misit illum ad Sanctum Albanum: ut ibi in tutela Abbatis commorans, respiraret. Quod Abbas acceptans eum, ad Regis petitionem, & delicatè educavit, & instruxit civiliter præcepit. Et post paucos annos venerunt de memorato Ducatu, solennes nuntii nuntiantes Regi, quod mortuus esset Dux sibi amicissimus. Postulabant etiam Dominum suum naturalem, dictum juvenem, heredem Ducis, quem tota terra præstolabatur. Et Rex ipsum jam factum militem, ditatum multis donativis, in recessu suo sic paterno affectu affatur. Fili commorare mecum, & faciam te in gentem magnam, & amplæ possessiones dilatari; & dominari plusquam in patria tua. Cui Iuvenis dulcedine natalis patriæ tactus, ait: Absit Domine: Sed peto unum, quod non sit vobis grave. At Rex: Pete, non patiere repulsam. & ille: Misistis me ad nobile Cœnobium Sancti Albani educandum: ubi in multis commorans, melioratus sum. Commendo, & diligo Martyrem, Abbatem, & Conventum, & mores & Ordinem. Peto igitur ut amplietur honor Martyris, impetretis aliqua de ipsius Reliquiis: & in partibus meis, nacta temporis opportunitate, in honore Christi, & ipsius, Cathedralem fundabo Ecclesiam, & ipsam dotabo, & ditabo. Rex igitur ab Abbate, & Conventu, os humerale Martyris impetravit. Iuvenis autem illud in partes suas asportans, promissa effectui mancipavit, fabricavitque promissam Ecclesiam: ubi honorificè memoratum os reposuit. Ad quam Ecclesiam, etiam facinorosi confugientes, vel ad ejus atrium, pacem obtinent securam. Et sic narrationem suam terminantes, fidem, ut crederemus, meruerunt, proinde magis; quia de Capitulo suo, scilicet Cathedralis Ecclesiæ, urbis Naumucia, secum de confidentiâ, & credentiâ literas asportarunt. Sic de osse humerali,

R[illegible] [illegible] A[illegible]

FI[illegible] D[illegible] CU[illegible] NUT[illegible] ANGLIA TRAD[illegible] TUR [illegible] BA[illegible] ALBANI UT EX[illegible] PIAT

MORTUO PARENTE REDIT IN PATRIAM, FERENS SECUM OS HUMERALE SANCTI ALBANI.

quod deeſt, Abbas Ganfridus certificatus : ipſi quoque facto ſuo negotio receſſerunt.

XV. SANCTORUM CULTUS, AD DEI CULTUM GRADUS.

Hæc placuit adnotare, pro cultu Proto-martyris noſtri: quo videant poſteri, majores ſuos Sanctorum gloriæ ſtudioſiſſimos fuiſſe, & nihil antiquius habuiſſe, religione in Deum, pietate in Sanctos: quæ reverà individuæ ſemper comites fuerunt, per inferiorem gradum, ad ſuperiorem aſcendentes: Et revera dici poteſt, nunquam magis humanum genus diabolum triumphaſſe, quàm cùm Chriſti unionem nobis, invidit, & homines in homines armavit: Sanctos honore cultúque ſpoliando. De hæreticis loquor & & atheis, & qui non colunt Numen aliud, quàm nutum & voluntatem ſuam Nec mirum Sanctos illis vileſcere, qui procul omni ſanctitate ſunt. Et quemadmodum Majores noſtri, gradu facto à Sanctorum cultu, ad Dei cultum ſurrexerunt: eum ubique & nomen ejus venerando: ita nepotes iſti gradu facto à Sanctorum exterminio & contemptu, à Dei cultu deficiunt, JESU nomen, quod eſt ſuper omne nomen, & Chriſti Dei ſacratiſſima feſta profanando. Sed redeo ad lætiora, & Sancti Martyris tranſlationem ubi religio in Deum, pietaſque in pauperes abundè eminuit: nam pergit Pariſienſis hæc adjicere: *Prædictus Alexander Epiſcopus Lincolnienſis, omnibus qui ad illam, vel inventionis, vel tranſlationis feſtivitatem infra octavas venerint, quadraginta dies relaxationis conceſſit. Et ut lubentiùs, & devotiùs, illuc occurrerent; conſilio & aſſenſu Abbatis, trecentos pauperes, in ipſa feſtivitate, ſtatuit idem Epiſcopus, ut reficerentur in curiâ Sancti Albani. Et unuſquiſque Sacerdotum quatuor Miſſas pro pœnitentibus cantaret: cæteri verò pſalmos: ſcilicet pro unaquaque Miſſâ quinquaginta pſalmos.*

Pariſien. in Ganfrido Abbate. fol. 62.

XVI. RANULFUS DUNALMAN. MORITUR. *Godwin. in Dunelmen.*

Moriuntur hoc anno duo celebres Eccleſiarum Antiſtites Ranulfus Dunelmenſis, & Guilielmus Wintonienſis Epiſcopi. De Ranulfo multa ſuperiùs. Inter ejus pietatis opera hoc poſtremum numeratur à Godwino: quod *apud ædem Chriſti in Comitatu Hantonienſi, Collegium* (cujus quandoque fuerat Decanus) *redditibus ditavit, ædificiis non paucis auxit & amplificavit. Annos cùm ſediſſet plus minus viginti novem, Septembris quinto, deceſſit, anno milleſimo centeſimo vigeſimo octavo.* Ita ille.

XVII. GUILIELMUS WINTONIENSIS MORITUR. *Idem in Wintonien.*

Eandem mortis viam ingreſſus Guilielmus Wintonienſis, reliquit poſt ſe hæc religioſæ mentis argumenta, quæ Godwinus ita recenſet: *Ciſtercienſibus Monachis Cœnobium condidit apud Waverley, & Monialibus aliud Tantonia: quorum hoc quando everſum eſt redditus habuit annuos ad centum ſeptuaginta quatuor libras, &c. illud verò quadringentas triginta octo, &c. Ædes deinde ampliſſimas conſtruxit prope pontem Londinenſem, in ſuburbio Suthwercano, in quas Epiſcopi Wintonienſes, quoties Londinum venirent, ſe reciperent. Et ad fundationem S. Mariæ juxta eandem domum, ea tempeſtate Canonicis Regularibus extructi, magnam contulit pecuniam. Sedit annos unum & viginti, & Ianuarii vigeſimo quinto anni milleſimi centeſimi vigeſimi octavi decedens, Wintoniæ humatus eſt in Eccleſiâ ſuâ.* Hactenus ille. De utroque Monaſterio tam Ciſtercienſibus Monachis, quàm Monialibus poſito, è Guilielmi Giffardi munificentia, mentio eſt in Catalogo Ædium deſtructarum apud Spedum, ubi in agro Somerſetano Moniales, in Surrcienſi verò Ciſtercienſes, tempore Henrici Primi, dicuntur quieviſſe.

XVIII.

Hoc etiam anno Guilielmus Exonienſis Epiſcopus, cùm viginti annos ſediſſet, relicta Sede, Monaſterium quod Plimtonæ, ut diximus, extruxerat, ingreditur, & Canonicus ibi inter Canonicos factus, animam Deo reddidit, Sedemque Rogero, cognomento Chiceſter, Sariſburienſi Decano: qui *familia ortus nobili, quæ in Comitatu Devonienſi adhuc floret* (inquit Godwinus) *ob pietatem à Scriptoribus multum celebratur.* Si quæras ab Authore quorſum ob pietatem celebretur reſpondet: *Non aliud ab iis laudatum video: niſi quod in Eccleſiæ ſtructura, & ornatu multum pecuniæ impenderit, & ob peregrinationes, religionis ergo Romam ſuſceptas.* Hæc revera olim cenſebantur pietatis opera: nunc novo plebiſcito, pietas illa, peregrina eſt: & Templa deſtruere, in Romam pugnare ſumma religio.

ANNUS CHRISTI 1129.

HONORII II. PAPÆ 5.

HENRICI I. REGIS 30.

I. CONVENTUS EPISCOPORUM DE EXECUTIONE DECRETORUM CONCILII PRÆCADENTIS. PRESBYTERORUM FOCARIÆ REGI AD PŒNAM PERMITTUNTUR.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo nono, rurſum Eccleſiarum Prælati de Chriſtiano grege ſoliciti, in unum coeunt; diſpiciuntque num ritè à Patribus olim ſancita, & nuper etiam decreta, fidelium moribus, vitâque exprimantur: & ubi compertum eſt, è Clero nonneminem in latam ratámque caſtitatis legem peccaſſe: de remedio pœnâque infligendâ, dictæ ſunt ſententiæ. Major pars, neſcio an doctior; peccantem Clerum ſæculari brachio, puniendum dixit, & edixit. In Regis opinor gratiam, qui Concilio adfuit. de quo Pariſienſis ita ſcribit: *Anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo nono, Rex Anglorum Henricus tenuit Concilium magnum apud Londonias, in Kalendis Auguſti, de Sacerdotum focariis prohibendis. Affuerunt Concilio illi Willielmus Cantuarienſis, & Turſtonus Eboracenſis Archiepiſcopi, cum ſuis Suffraganeis. Quos omnes, ſimplicitate Cantuarienſis Archiepiſcopi, Rex Henricus decepit. Conceſſerunt namque Regi juſtitiam, de focariis Sacerdotum: quæ res poſtea cum ſummo dedecore terminabatur. Accepit enim Rex pecuniam infinitam de Presbyteris, pro ſuis focariis redimendis. Tunc ſed tardè pœnituit Epiſcopos, de conceſſâ licentiâ; cùm pateret in oculis omnium deceptio Prælatorum, & depreſſio ſubjectorum.* Ita ille.

II.

Eandem de Epiſcoporum indulgentiâ querimoniam repetunt Huntindonius & Hovedenus, qui etiam Suffraganeos nominant, Alexandrum Lincolnienſem, Gillebertum Lundonienſem, Rogerum Saleſbirienſem, Joannem Roffenſem, Sifridum Suthſexenſem (Ciceſtrenſem intelligunt) Godefridum Bathonienſem, Simonem Wigornienſem, Everardum Norwicenſem Bernardum Sancti Davidis, Herveum primum Elienſem Epiſcopum. *Wintonienſis* (inquiunt) *& Dunelmenſis, Ceſtrenſis, & Herefordenſis Epiſcopi obierant.* Hunc in Epiſcopis ſolœciſmum, Harpeſfeldus Henrici Regis precibus attribuit. *Iam Epiſcopi*, inquit, *in quoſdam libidinis reos graviter animadvertere cogitabant. Henricus eâ re intellectâ, Epiſcopos rogavit, ut hujuſmodi mulctæ poteſtatem in*

Huntindon. fol. 384. & Hoveden. fol. 479.

Hoveden. ſupra.

ſuum illi arbitrium conferrent. Epiſcopi arbitrati, magnam authoritatem ſuæ ſententiæ, magnum reis terrorem acceſſurum, ſi Regia authoritas adjungeretur; facile in Regis ſententiam & voluntatem, quæ tam honeſta & ſpecioſa videbatur, conceſſerunt. Sed mox, licet ſerò tam inconſultæ eos facilitatis valde pœnituit, & puduit. Rex enim Epiſcoporum ſimplicitate abuſus, poſt irrogatam ingentis ſibi pecuniæ reis mulctam, ad veritam eis poſtea, venerem impunè redire paſſus eſt.

III. FOCARIÆ QUÆ DICANTUR, E MENTE DECRETI.

Sed quænam hæ focariæ, Sacerdotibus prohibitæ, quæ tragœdiam hanc excitarunt? Huntindonius *uxores* vocavit, duxitque Hovedenum in verbum ſuum. Sed repetat animo Lector, quæ ſupra non ſemel in Huntindonio notavi, notavitque etiam Baronius: nimirum, illum Sacerdotum matrimoniis, impenſiùs quàm Archidiaconum decebat, faviſſe. Alii itaque rectiùs è mente decreti per παλλακὴν exponunt, & latinè concubinam vocant. Ita Pariſienſem intellexit, qui ſeminbarbararum vocum ex cocollectarum gloſſarium compoſuit: & habetur in fine ejus operum: ubi *focarias* per concubinas explicat. Sed & Scriptura ſacra, ubi ſemel *focaria* legitur, non poteſt uxor intelligi eo loco ubi *jus Regis* exponitur *faciet filias veſtras unguentarias, & focarias.* (1. Reg. c. 8. v. 13.) nam ibi pœna non præmium proponitur. In eas ergo, non in uxores, quæ Sacerdotum aliquando fuerunt, latæ potiſſimum pœnæ, & Epiſcoporum voces intonuerunt. ex illis, & propter illas, ingentem pecuniæ ſummam Henricus collegit, docuitque Epiſcopos non prodere, aut prodigere poteſtatem ſuam: quæ nunquam benè laico datur. Focariæ itaque non uxores, ſed potiùs quæ uxorum loco ſuppoſititiæ erant: Earum, inquam, contubernia, omni viro, & Clero imprimis, in ſacris conſtituto, prohibentur, omnique Chriſtiano ævo prohibita ſunt. Cæterùm ex Huntindonio perperam colligit Franciſcus Godwinus (nimirum conjugatus Epiſcopus) hos Sacerdotes conjugatos fuiſſe: nam melior doctiorque ætas, propriore voce, concubinarios dixit: *In ea Synodo graviores adhuc pœnæ ſanciuntur in Clericos conjugatos, ſed quæ per Guilielmum, humilis & puſilli animi virum irrogari non poterant. Hoc tamen inde effectum eſt: ut dum Regis implorat auxilium, illiq; curam defert executionis hujuſmodi Canonum; Rex conjugia hujuſmodi Sacerdotibus pecuniam afferentibus permittens, quæſtum fecerit longè maximum.* Ex hac verborum catachreſi, novus Angliæ Clerus concubinas uxoresque in unum miſcens, Clerum ſæculi illius cum injuriâ dehoneſtat, ut inde conjugiis ſuis auctorandis ſubſidium accerſat: quo tamen ſubſidio ipſorum, ſeu Presbyterorum, ſeu Epiſcoporum conjugia nullatenus egent, cum & ipſi laici ſint, & ipſa proinde conjugia legitima.

Godwin. in Guilielmo Cantuarien.

IV. CONCEPTIO DEIPARÆ SUB PRÆCEPTO OBSERVANDA.

Ad Synodum redeo: ubi omnium Epiſcoporum ſententia decernitur, Deiparæ Virginis Conceptionem, ſolenni feſto per univerſum Angliæ regnum celebrandam eſſe. Ita referunt ad hunc annum Annales Joannis Stoi, ubi additur, Epiſcoporum legem à Romano Pontifice confirmatam eſſe. quod omnino dicendum. nam robur inde Eccleſiaſticis legibus, quo diuturnæ ſint, omni ſæculo datur. Hinc lata hoc anno Lex, omnium fidelium conſcientias ligaſſe, ad Urbani Octavi tempora, conſtat. Tunc autem Pontificis confirmatione ceſſante, Lex illa obmutuit. Cæterùm adverto, Conceptionis feſtum, non hoc anno noviter in Anglicanam Eccleſiam inductum. nam ante viginti annos ab Anſelmo Cantuarienſi, inceptum, inſtitutum, præceptumque eſſe ſuprà dixi. Verùm, ut cætera omnia; vel languere cœpit feſti obſervatio: vel claudicare multorum in Deiparam devotio. Unde benè notat Harpesfeldus, non tam latam, hoc anno, quàm ratam confirmatamque Legem: dicit enim de Guilielmo Cantuarienſi ſcribens: *Sub hoc Pontifice, feſta celebritas Beatæ Virginis* MARIÆ *in Londinenſi Synodo confirmata eſt.* Et fortè ſub hoc tempus hujuſmodi ſolemnitas latius propagata, Lugdunenſem Eccleſiam erexit; ut Anſelmi converſationis memor & pietatis ejus in Deiparam; feſtum illud ab eo primùm in Occidente dictatum, colendum ſuſceperit. quod Bernardus ſanctus ſub hoc quoque tempus, ægrè tulit, ſine Romanæ Sedis aſſenſu factum. nam ita ad Canonicos Lugdunenſes ſcripſit: *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè, paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* Anglicanam Eccleſiam non intelligit, ſanctus: alioquin Anſelmus Cantuarienſis, inter paucos imperitos numerandus erit. Sed pauci non erant, cum omnes ibi Epiſcopi, & univerſum Angliæ regnum, quà præcipiendo, quà obediendo, Deiparæ Conceptioni religioſè faverint. Adde, nec præcipitanter, nec inconſultè: ſed cum maturo conſilio, conſultaque Romanâ Sede factum, quod factum eſt. Unde non refragantem, ſed potiùs ſuffragatorem habemus Bernardum ſanctum; qui lne cum Lugdunenſibus morâ, pientiſſimè concludit: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini, totum hoc, ſicut & cætera quæ hujuſmodi ſunt univerſa, reſervo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

V. an. 1109. n. 2. &c.

Harpesfeld. ſecul. 12. in Guilelm. Cantuar.

Bernard. epiſt. 174.

Idem ſupra fine.

V. OSNEIENSIS PRIORATUS FUNDATUR.

Crevit hoc pacto provincialium devotio in Virginem Matrem: & hoc ipſo anno milleſimo centeſimo vigeſimo nono, trigeſimo regnantis Henrici, Oſneienſis Prioratus, juxta Oxonium, fundatio in Annalibus conſignatur. Quem Robertus de Oiley, Nigelli filius Edithæ conjugis ſuaſu erexit; & Beatæ MARIÆ ſacrum eſſe voluit: ut Spedus in Catalogo, & Joannes Stous in Annalibus teſtantur. Camdenus etiam, ubi Oxonienſem agrum perluſtrat: *Robertus*, inquit, *Regis Henrici Primi à cubiculis, Ouſeney Cœnobium ampliſſimum (ut ex parietinis videre eſt) in Mediamnis ſub Caſtro fundavit. Regéſque Angliæ hîc ſuas Sedes habuerunt. In quibus in lucem editus ille vere θυμολέων, Richardus primus Rex Angliæ, vulgo Leonnius.* Locus ille datus eſt Canonicis nigris, Deo ibi, & Deiparæ religioſè famulantibus. Nunc reſtant parietinæ, lapides & ſaxa; quæ ſurgent in judicio contra generationem iſtam, & condemnabunt eam. Sed viduis Eccleſiis Antiſtites aſſignemus.

Camden. in Oxford.

VI. HENRICUS BLESENSIS WINTONIEN. EPISCOPUS.

Obierat, ſuperiore anno, Guilielmus Wintonienſis, & hoc anno Sedem illam intrat Henricus, cognomento Bleſenſis, ex Abbàte Glaſtonienſi, ad infulas aſſumptus. fuit ille Henrico Regi, ex Adela ſorore, nepos, Bleſenſis Comitis filius, & Stephani mox regnaturi frater. Glaſtonienſes Monachos multâ prudentiâ, & pari pietate, per aliquot annos moderatus, hanc in

illius

Antiq. Glaston. sub finem.

EIUS ELOGIUM.

illius Monasterii tabulis laudem meruit. *Gregem sibi commissum strenuè regens, capacibus disciplinis, mandata Domini verbis proposuit: simplicioribus verò factis suis ostendere satagebat. Sic autem omnium moribus sese conformabat, ut singulis tam charus esset, ac reverendus. Possessiones Monasterii dilapidatas, & distractas inveniens, eas viriliter revocare, suoq; diligenti labore, in majus studebat augmentare. Maneria de Melles, Ufseculum, Camlarton, Domerham, ac villam de Siston, Asbcbeeste, tum Pedewel duas Hidas, & dimidiam; item tres Hidas, & dimidiam, in manerio de Muribinche, quæ perdita prius erant, recuperavit, & Monasterio restituit. Insulam de Andredesey acquisivit, & Sacristia annexuit. Pensionem quinquaginta solidorum de Ecclesiâ de Pokelschirch ad sustentationem unius cerei jugiter ardentis ante imaginem S. MARIÆ virginis, in vetustâ Ecclesiâ, Sacristia assignavit. Evolutis tribus annis, post susceptam administrationem Monasterii Glastoniensis, in Episcopum Wintoniensem est promotus: curam tamen Glastoniensis Ecclesia, quam affectu sincero diligebat; tam Regis assensu, quam summi Pontificis dispensatione, omnibus diebus suis administravit.* Ita Gulielmus Malmesburiensis, in Antiquitatibus Glastoniensibus, quas sub hoc tempus composuit, inscripsitque Henrico Blesensi, jam facto Wintoniensi Episcopo: adjecta ad illum Epistola, quæ quia hactenus inedita, lectuque digna est: ecce illam.

Idem supra in Prologo.

Domino in Christi visceribus multum amplectendo, & honorando HENRICO Wintoniensi Episcopo: Vestræ dignitatis filius: quicquid optari potest beatius.

VII. MALMESBURIENSIS DEDICAT HENRICO BLESENSI ANTIQUITATES GLASTON.

„ SI quicquam est, quod in hac vitâ hominem
„ teneat, & inter adversa, & turbines mun-
„ di, æquo animo manere persuadeat: id esse
„ imprimis reor, meditationem sacrarum Scri-
„ pturarum. & quidem scripta gentilium hacte-
„ nus sui utilitatem prætendunt; ut verborum
„ splendore legentis, & palpent ingenium, &
„ juvent eloquium. At verò librorum cœlitùs
„ inspiratorum, longè fructus præponderat:
„ quia & hic jucundæ dulcedinis pastum animo
„ infundunt; & aliàs æternæ beatitudinis emo-
„ lumentum adquirunt. Multa porro, & ut
„ mea fert opinio, innumera sunt in Scripturis
„ sanctis, quibus divina dignatio mentes morta-
„ lium, ad bonæ vitæ cultum informat, tum
„ præcepta, tum exempla. Illis qualiter viven-
„ dum sit instruimur: istis innuitur, quàm sint,
„ Deo juvante, facilia factu, quæ jubentur. Na-
„ tura sane hunc quibusdam ingeneravit ani-
„ mum: ut quamvis utraque sciant necessaria:
„ magis tamen exemplorum, quam adhortatio-
„ num eos prolectet auditus. Et alienigenarum
„ quidem gestis, pro sanctitatis assurgunt reve-
„ rentiâ: sed alacriori capiuntur dulcedine, si
„ alicujus Sancti, qui cum patriota fuerit, vita
„ producatur in medium, in qua sicut in specu-
„ lo conspicetur vivum religionis simulacrum.
„ Accedit enim jucundæ relationi propinquitas,
„ nè aliquis desperet, à se per Dei gratiam fieri
„ posse: quod audit ab alio, de proximo factum
„ fuisse. Unde sicut æstimo, non contemnendæ
„ stylum dedi operæ: qui B. Dunstani, prius
„ Glastoniæ Abbatis, deinde Archiepiscopi
„ Cantuariensis vitam, labore meo, æternæ
„ mandavi memoriæ: duosque libros de hoc,
„ volentibus Glastoniæ Fratribus, filiis vestris,
„ & sociis meis, dudum integra rerum veritate
„ absolvi. Verumtamen nè quid sedulitati meæ
„ desit officio: ejusdem Ecclesiæ vestræ rudi-
„ mentum, & processum, in hujus libri auspicio
„ repetens ab origine pandam.
„ Nec hoc multum à proposito alienum pu- VIII.
„ tari debet: cum honor Ecclesiæ in Dunsta-
„ num: & laus Dunstani ad Ecclesiam redundet.
„ Nam & illa Dunstanum materno gremio con-
„ fovit in virum: & ipse matri plurimum splen-
„ doris adjecit. Quapropter in spem nonnihil
„ animus meus accrescit, hoc scriptum fortasse
„ Sanctum procurasse: ut alumni occasione di-
„ geratur dignitas nutriculæ. Sed & vitam
„ B. Patricii, miracula B. Benigni, passionem
„ Martyris Indracti, quæ simili curâ procude-
„ ram; jam pridem in eorum permisi versari
„ manibus: ut si quid citra rationem dictum
„ esset, corrigeretur pro tempore. Illi verò
„ propensiori consilio, diu scripta trutinantes,
„ omni me liberaverunt culparum nævo: nihil
„ contuitu religionis, aut dantes offensæ, aut
„ deferentes gratiæ. Hoc ergo qualecumque
„ opusculum, vestræ devoveo examinandum
„ prudentiæ, Domine Venerabilis, & meritò
„ amabilis Pater, facti mei ratio est in promptu,
„ ut noscat Excellentia vestra, qui & quanti viri
„ fundaverunt, & protexerunt Ecclesiam, quæ
„ vestræ potissimum, sub Deo & Sanctis ejus,
„ modo tutelæ innititur. Sciatis & vos Prisco-
„ rum Heroum imitatum, & penè dico super-
„ gressum facta, priusquam audissetis vocabula.
„ nam ut cum obtrectatore, si quis forte fuerit,
„ audaciùs conferam pedem: In quo prisci pos-
„ sessores vobis non possunt præferri? in am-
„ pliandis patrimoniis? At vos, & dudum eli-
„ minata reducitis, & habita, industria solerti
„ cumulatis. In extruendis ædificiis? At quan-
„ tum in ea re omnibus prædecessoribus emi-
„ neatis; meliùs monstrabit mirantis digitus,
„ quàm laudantis titulus. In pace incolarum
„ tuendâ? Sed vos nominis vestri umbone,
„ omnes prædones dejicitis; vultus splendore,
„ nebulas mœstitiæ propulsatis; sermonis pru-
„ dentiâ, calumnias litigantium enodatis in reli-
„ gione Monachorum; quæ tum semper, tum
„ ita, Deo propitio vestris temporibus floret;
„ ut infelix livor aliquid sinistrum de ipsa eru-
„ bescat confingere. Accedit publicus amor
„ ipsorum pectori vestro, quod nullo eos ex-
„ terretis roncho, sed venientes jocundè admit-
„ titis, affabiliter tractatis, abeuntibus paternè
„ valefacitis. Nec enim profectò de vobis di-
„ citur, quod de quibusdam potentibus à Poeta
„ usurpatum, non immeritò cantatur:

Latè sibi submovet omne
Vulgus, & in vacuo regnat basiliscus arenis.

„ Est igitur infra meritum vestrum omnis elo-
„ quentia. Laudes vestræ ita excellunt, ut nihil
„ supra. Quæ cum ita sint: accipite, quæso,
„ devotionis meæ munus, sedulitatis pignus: &
„ agite, ne fructu laboris excidam. Adestote
„ igitur, si animo placet, & attendite, dum per
„ successionum seriem Antiquitatem Ecclesiæ
„ tentabo, suspicionibus eruere, quantum ex
„ strue monumentorum vestrorum potui corra-
„ dere. Hactenus ille.

IX. *Appendix ad VVigorni*

IX. Henricus itaque, tam natalibus, quàm religione, pietate, industriaque commeodatus; Wintonienfi Ecclesiæ ab Henrico præficitur: de cujus electione, & consecratione, Wigorniensis Appendix hæc habet: *Henricus Glastoniensis Abbas, nepos Regis Henrici, ad Episcopatum Wintoniensis Ecclesia, mense Octobri electus: VVintonia à Guilielmo Cantuariensi Archipræsule, decimo quinto Calendas Decembris, die Dominico consecratur Episcopus.* De illo plura dicenda sunt inferiùs, quia diu superstes, ea gessit quæ amplam Annalibus materiam subministrant. Interim vacantes alias Ecclesias invisamus.

X. Galfridus Rufus Dunelmen. Episcopus.

X. Dunelmensis per mortem Ranulfi cognomento Flambard, vidua erat, à quinto die Septembris anni superioris, & ad sextum Augusti hujus anni Galfridus, cognomento Rufus, Angliæ Cancellarius ad illam Sedem assumitur. Godwinus in Catalogo id factum dicit anno superiore. sed manifestus Librarii error est. Qui enim dixit benè, Ranulfum decessisse quinto Septembris: quomodo potuit successor ad Ecclesiam illam consecrari, sexto Augusti ejusdem anni? Potiùs ergo Galfridi ingressus ad hujus anni Augustum ponendus est. Licet Huntindonius & Parisiensis ingressum differant ad plures annos, nimirum ad annum trigesimum tertium, vel sæculi hujus, vel Henrici regnantis. Unde Harpesfeldus, de Dunelmensibus Episcopis tractans, dicit de Ranulfi successore, controversum esse, & de tempore Sedis non omnes convenire.

XI. Robertus Herefordén. Episcopus.

Malmesb. de Pontif. l. 4. fo. 287.

XI. Hoc idem de ingressu, egressuque aliorum Episcoporum dicendum. nam Robertum, hoc anno, Herefordensem Sedem ascendisse Parisiensis affirmat. Godwinus, non nisi post annos duos. nec è Malmesburiensi decidi potest controversia. qui eum de prædecessore pauca dixisset, mox infert. *Tum demum bono (si Deo placet) omine, electus est, factusq; Præsul, Robertus Prior Canonicorum de Lantons, qui hodieq; superest. cujus facta posteri judicabunt. Nunc planè illi benignum fama stravit iter, ipsum esse religiosissimum, in victu, & vestitu abstemium. Apostolica certè curia ita notus, ut ei post Legatum, & Archiepiscopum, omnes dispositiones suas in Angliâ injungat.* Episcopus hic ad discrimen nominis, Robertus de Betun, communiter appellatur. Godwinus de illo ita loquitur: Consecratus est Oxoniæ (ubi educatum ferunt) Junii decimo nono, anno millesimo centesimo trigesimo primo, per Guilielmum Archiepiscopum Cantuariensem. Eundem annum insinuat Harpesfeldus sæculo duodecimo cap. 33. Itaque plura de illo dicam ad annum illum. nam sanctitatis fama admodum claruit: vitamque ejus scripsit, qui eidem in Prioratus officium successit, Guilielmus nomine, & Henrico Blesensi Wintoniensi Episcopo dedicavit. Quem in proœmio alloquens: *Quod scribo*, inquit, *poterat alter elegantiùs, veraciùs nemo. Quippe cum mihi, & præfato viro fuerit locus nativitatis conterminus; procursus ætatis ferè continuus: secura satis familiaris amicitia. ab anno denique maturitatis accedentibus societas individua.* Plura de illo an. 1131.

Apud Harpesfeldum sæc. 12. c. 33.

XII. Rogerus de Clinton Episcopus Coventren.

XII. Certior ad hunc annum consignatur inauguratio Rogeri de Clinton; qui nepos Galfridi, Baronis Clintoni, hoc tempore potentissimi, Cestrensis, sive Coventrensis factus est Episcopus. De eo Appendix ad Wigorniensem hæc habet. *Rogerus nepos Gosfridi de Clintuna, Buckingamensis Archidiaconus ad Præsulatum Cestrensem electus est duodecimo Calendas Ianuarii Sabbato. Presbyter ordinatus, & die sequenti à Guilielmo Doroberuensi Archipræsule consecratur Episcopus Cantuariæ.* Ita ibi ad hunc annum.

Appendix ad VVigorniens.

ANNUS CHRISTI 1130.

INNOCENTII II. PAPÆ 1.

HENRICI PRIMI REGIS 31.

I. Annum aggredior calamitate plenum, cum mysticum Christi Corpus, Capite laborans, in diversa partium studia, membra distraxit. Is est Christi annus millesimus centesimus trigesimus: quando Honorius Romanus Pontifex, Petri Sedem successori relinquens, duo illam occuparunt. Unum Ecclesiastica suffragia, & è Clero optimi, magno delectu statuerunt: alium Laica manus. potentia, armis, largitione, intrusit. nec erat obvium prima facie discernere, uter legitimus Petri successor, & Princeps esset: adeo Romanum cælum nubes obduxerat. &, quod necessariò sequebatur, remotiores provinciæ principio caligabant. Futuram hanc lucis eclipsim, oculatiores Romæ præviderant. Unde, eodem quo moritur die Honorius, qui fuit Februarii quartus decimus; qui è Clero prudentiâ, & sanctitate maximè eminebant, Gregorium Monachum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem, ab Honorio creatum, qui Innocentius, eo nomine, Secundus dici voluit, elegerunt. Alii contra, ponentes carnem brachium suum; Petrum Leonis, viri inter Romanos potentissimi, filium, & ipsum Cluniacensem Monachum, (quem * suprà Legatum in Angliam diximus) altare, contra altare, erexerunt. Ita divisa Christianorum acies, quem Principem sequi, & sub cujus vexillo militare, aliquamdiu dubitavit. Innocentium vitæ sanctitas, prudentiaque: Alium, qui Anacletus dicebatur, generis claritudo, & potentium asseclæ commendabant. Hoc fuco vulgus capitur, & numero factionem auget: sic innocentia sæpè premitur, & cedere cogitur: ut Innocentius noster Petro Leonis: qui Urbis potentiâ fretus, Romanâ Sede digniorem, ultra montes fugere, ibique Deum, & Principes, in causæ suæ patrocinium implorare, compulit. Nec defuit Deus, piorum Principum mentes lucis suæ radio excitando; quo genuinum Petri Apostolorum Principis heredem, à spurio discernerent. Unde paulo post toti orbi serenitas, nostrorum Regum operâ industriaque illuxit.

Moritur Honorius Rom. Pontifex.

Innocentius eligitur Honorii successor.

*V. an. 1122. 9.

Schisma Petri Leonis sive Anacleti.

Innocentius in Gallias recedit.

II. Angli, Galli, Germani, Reges sequuti, & Principes suos, Innocentium Canonicè electum, & primâ Sede dignissimum adorarunt: Anacleto nequicquam per Legatos, & literas, illos ad se trahere conante. Hic pulchrè certant provinciæ, quænam verò capiti adhæserit prima, aliasque exemplo duxerit. Innocentium in Gallias primùm descendisse, ibique pro Ecclesiarum Principe habitum constat. Unde Ludovico ibi regnanti, qui eum cum honore suscepit, laus debetur. Sed major Henrico Regi, si verum est, quod Henricus Huntindonius, qui tunc vivebat, affirmat. *Eodem anno*, inquit, *decessit Honorius Papa.*

II. Anglia legitimum Papam colit.

Huntind. l. 7. fo. 38.

Sequenti

Sequenti anno recepit Rex apud Carnotum Papam Innocentium, Anacleto ſubjici recuſans. Hos enim utroſque Romani bipartiti elegerant. Expulſus verò ab Urbe Innocentius, vi Anacleti; qui Petrus de Leves prius vocabatur; auxilio Regis Henrici receptus eſt per totas Gallias. Ita ille. Quod vel inde probabiliter dici poteſt: quia Henrici Regis potentia, qui pluribus in Galliâ provinciis, quà jure, quà marte, quà affinitate potitus, plurimum ibi poterat: & eum potiùs Ludovicus; quàm ille Ludovicum ſequebatur. Sed quicquid ſit, omnis Anglia, Normannia, Galliaque ferè tota; & Lotharius in Germania Rex, pro Innocentio ſtabant. Cæterùm licet unus in Galliâ Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, pro Anacleto diſputaret; remotiores tamen, & Anglorum Epiſcopi, immunes erant à ſchiſmate. Unde Bernardus Sanctus Angliam intellexit, cum ad Ildebertum Turonenſem Epiſcopum ſcribens, ait: *A finibus terra occurritur, cum panibus, fugienti Innocentio: etſi furor Semei, Gerardi Engoliſmenſis, nondum ex toto quieſcat maledicere David. Velit, nolit peccator, qui videt, & iraſcitur; magnificatur in conſpectu Regum, portans coronam gloria. Nunquid non omnes Principes cognoverunt, quia ipſe eſt verè Dei electus? Francorum, Anglorum, Hiſpanorum, & poſtremò Romanorum Rex Innocentium in Papam ſuſcipiunt, & recognoſcunt ſingularem Epiſcopum animarum ſuarum.* Hos etiam Reges Bernardus alia Epiſtola recenſet numeratque in hunc modum. *Alemannia, Francia, Anglia, Scotia, Hiſpaniarum & Hieroſolymorum Reges, cum univerſo Clero, & populo favent, & adhærent Domino Innocentio, tanquam filii patri, tanquam capiti membra: ſolliciti ſervare unitatem fidei, in vinculo pacis.*

Bernard. Epiſtola 124.

Idem Epiſtola 125.

III. Verùm fatendum eſt in hoc pietatis genere, Henricum noſtrum præceſſit Ludovicus Gallorum Rex, qui loci opportunitate propior, & Apoſtolicâ legatione invitatus, communicato cum ſuis, & fortè cum Henrico Rege, qui hoc anno in Normanniam deſcendit Concilio, prior in obſequio, Innocentium excepit. Henricus hoc quoque anno, cum ſuo ſuorumque ſuffragio, miſſiſque nuntiis Principem ſalutavit: ſequenti, ſupplici corporis cultu præſentem veneratus eſt. Ita omnis Inſula ſchiſmaticum averſata, Eccleſiæ capiti fideliter conſtanterque adhæſit. Scio Guilhelmum Abbatem, vitæ S. Bernardi ſcriptorem, dicere Henricum in ſuſcipiendo Innocentio tardiorem fuiſſe, ab Angliæ Epiſcopis diſſuaſum, à Bernardo Sancto convictum, tandem ceſſiſſe. ſic enim loquitur. *Aureliani occurrentibus Epiſcopis, à Rege piiſſimo Ludovico, alacriter & honorificè ſuſceptus eſt. Inde à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: ubi etiam glorioſus Anglorum Rex Henricus, ei cum maximo Epiſcoporum & Procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem Venerabilis Abbas ad eum præmiſſus adduxit quem vix perſuaſit Innocentium recipere, ab Epiſcopis Angliæ penitùs diſſuaſum. Cum enim omnimodis recalcitraret & detrectaret: Quid times, ait? Times peccatum incurrere, ſi obedias Innocentio? Cogita, inquit, de aliis peccatis tuis, quomodo reſpondeas Deo: Iſtud mihi relinque: in me ſit hoc peccatum. Ad quod verbum perſuaſus Rex ille, tam potens, extra terram ſuam, Domino Papa occurrit uſque Carnotum.* Hæc ille. Verùm quod de Angliæ Epiſcopis dicitur, ab Authoribus & Annalibus noſtris planè rejicitur, & audiendus eſt potius Guilielmus alter, fideliſſimus hujus temporis ſcriptor, Malmeſburienſis; qui ita loquitur. *Innocentius verò excluſus Româ, tranſcenſis Alpibus Galliam contendit. Ibi ab omni citramontanâ Eccleſiâ incunctanter ſuſceptus eſt. Quin etiam & Rex Henricus, qui non leviter à ſententiâ, quam ſemel propoſuiſſet, dejici noſſet; illi apud Carnotum ultro manus dedit; & apud Rotomagum, non modò ſuis: ſed Optimatum, & etiam Judæorum muneribus, eum dignatus eſt.*

HENRICUS REX INNOCENTIUM PAPAM LEGATIONE COLIT.

Guiliel. in vita Bernard. l. 2. c. 1.

Malmesb Hiſto. Novell. fo. 177.

IV. Prudentiam Henrici Regis, & conſtantem affectum in Romanum Innocentium aperiunt verba illa: *Non leviter à ſententia, quam ſemel propoſuiſſet, dejici novit* Henricus. Unde per nuntios ab Anacleto miſſos, ſollicitatum eſſe, ut relicto Innocentio, ad ſe tranſiret, facilè colligitur. nam ſchiſmaticus ille nullum non movit lapidem, quà precibus, quà legationibus, quà literis; ornando ſpartam; quam nactus, Sedemque quam injuriâ intraverat. *Sic qui iteratis literis ſolicitarat Lothairum Romanorum Regem* (ſunt verba Baronii) *ad ſchiſma ſi poſſet adducere: haud prætermiſit alios Principes Boreales, non literis tantùm, ſed etiam legationibus pellicere.* Inde cum Ottonem, Epiſcopum Tudertinum, ab eo in Gallias legatum dixiſſet, plurimis ad diverſos Principes, inſtructum literis; quas ſine titulo refert Caſſinenſis Codex: recitatis iis quæ ad Ludovicum Francorum Regem; aliosque in Gallia Epiſcopos & Principes viros datæ fuiſſe videntur: addit Baronius: *Audi alias ejuſdem argumenti literas, eidem Legato datas:* & duodecima eſt in Caſſinenſi Codice; quæ quia, ſine dubio Regi inſcribenda; ad Regem alium, quàm ad Henricum, referri nequaquam poteſt. eſt autem hujuſmodi.

HENRICUS AB ANACLETO PER LITERAS SOLICITATUR.

Baron. hic.

V. ,, NOBILES memoriæ Anteceſſores tui: ſicut
,, viri ſapientes & providi, ſanctam Roma-
,, nam Eccleſiam honorare, & pro collata à Do-
,, mino poteſtate, propenſiùs exaltare curarunt.
,, Et ſicut nos ipſi vidimus, & teſtamur, præde-
,, ceſſoribus noſtris, nobili devotione ſervierunt.
,, Inde eſt, quòd Sedes Apoſtolica, inter eeli-
,, quos Galliarum Principes, ampliori eſt eos
,, gratiâ amplexata. Et ideo dilectionem tuam
,, paternis alloquiis viſitantes, prudentiam tuam,
,, literarum præſentium ſerie attentiùs adhorta-
,, mur: ut nobilium prædeceſſorum nobilis ſuc-
,, ceſſor, Romanæ Eccleſiæ, individua ſemper
,, charitate cohæreas, nec ab ejus unquam uni-
,, tate declines. Cui profectò, ſi indefeſſa fue-
,, ris devotione prudenter innixus; tutâ poteris,
,, præſtante Deo ſtabilitate regnare. Nos qui-
,, dem de nobilitate, & fidei tuæ conſtantiâ, plu-
,, rimum præſumentes; perſonam tuam dignis
,, titulis honorare; & honorem tuum paternæ
,, dilectionis affectu, omnimodis decrevimus
,, ampliare. De promotione verò noſtrâ, ſeu
,, de his quæ apud nos acta ſunt, Venerabilis
,, Frater noſter præſentium lator Otto, Tuder-
,, tinus Epiſcopus, Legatus noſter; quem ad
,, partes veſtras, pro variis negotiis delegamus,
,, dilectionem tuam faciet certiorem. Ipſum
,, igitur egregiæ probitati tuæ attentiùs com-
,, mendantes rogamus, ut pro amore Beati Petri,
,, & noſtri, ſolitâ ei liberalitate concurrere, &
,, tuis eum debeas ſolatiis confovere: quatenus
,, & injunctum ſibi mandatum, cooperante Deo,
,, per induſtriæ tuæ ſolitum efficaciter exequi

Apud Baron. hic.

LITERÆ ANACLETI AD REGEM HENRICUM.

„ valeat · & tuam nos in eo valeamos diligen„ tiam experiri. Datum Romæ apud S. Petrum. „ Kalendis Maii.

V. PROBANTUR LITERÆ AD HENRICUM SCRIPTÆ.

Patet è datâ literarum, non ad alium, ab Henrico, Regem scriptas esse; quia præcedunt aliæ in Codice Cassinensi, Kalendis Maii Ludovico Francorum Regi, per Ottonem Legatum, missæ. Alia etiam argumenta sunt, quæ Anglorum Regi favent: prædecessorum mentio, qui Romanam Ecclesiam impensè coluerunt, quorum pietatem ego supra, altero, tertioque tomo recensui. Iterum cum regni sit mentio, ad Regem scribi debuerunt. Denique Rex ille, inter Galliarum Principes numeratur; quia Normanniæ Ducatum, Cenomanniæ Comitatum, & affinitate plures alias in Galliâ provincias, sub imperio habuit. Hunc ergo Principem Anacletus; cum Legatum in Gallias misit; multo studio demereri conatus est. Sed conatus tantum; quia Henricus, *non leviter à sententia, quam semel proposuisset, dejici novit.* Qui itaque taliter affectus erat, & *ultrò manus dedit* Innocentio, qua ratione dici potest, aut omnimodis recalcitrasse, aut in Fide, & obedientia præstanda nutasse? præsertim cum dicat Matthæus Parisiensis ad hunc annum ita. *Innocentius ad Cisalpinos transivit, expulsus a Romanis. Qui veniens in Galliam, apud Carnotum à Rege Anglorum Henrico, honorificè receptus est. & post Pascha iterum recepit Papam eundem apud Rothomagum: & auxilio ejus per totam Galliam admissus est, & Papa ab omnibus acclamatus. Et sic Rege Anglorum procurante, Ludovicum fratrem Philippi Francorum Regis defuncti, Remis coronavit in Regem.* Hæc ille. & eadem prorsus habet Matthæus alter Westmonasteriensis.

Parisian. hic.

VI.

Sed & Galli quoque Scriptores, oculati rerum hoc tempore gestarum testes; licet in Galliæ Regem proniores, cum exemplo præcessisse affirment; quia nimirum in ejus provincias primum descenderat Innocentius Papa: nihil tamen in Henrico tardum, nullum non prompti animi argumentum prodiderunt. Ita enim Sugerius S. Dionysii Abbas, in Ludovico Rege: *Ut autem,* inquit, *ad S. Benedictum, super Ligerim, descendit Innocentium, Dominus Rex, cum Reginâ, cum filiis ei occurrens, & nobilem diademate sæpius coronatum verticem, tanquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit: Catholicum affectum, & devoti servitii effectum ei & Ecclesiæ promittit. Cujus exemplo, & Rex Angliæ Henricus, ei Carnotum occurrens, devotissimè pedibus ejus prostratus, votivam sui suorumq; & terræ suæ, susceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem.* Ita ille, qui, teste Baronio, omnia spectavit. Meminit Regiæ hujus in Henrico submissionis S. Bernardus Epistolâ centesimâ trigesimâ octavâ. quæ ita inscribitur.

Apud Baronium.

Bernard. Epistola 138.

HENRICO illustrissimo Anglorum Regi, BERNARDUS Abbas dictus de Claravalle, honorem, sospitatem, & pacem.

BERNARDI SANCTI LITERÆ AD HENRICUM REGEM.

„ VELLE vos instruere, de his præsertim quæ „ spectant ad honestatem; aut insipientis est, „ aut vos penitus ignorantis. Ea propter rem „ simpliciter intimare sufficit, & hoc paucis. „ quoniam facilè omnia tenenti, multa superfluè „ ingeruntur. In ingressu urbis sumus; salus est in „ januis: justitia nobiscum est; sed Romanis mi„ litibus cibus iste non sapit. Itaque justitiâ pla„ camus Deum, militiâ terremus hostes: solia ne„ cessariis, necessaria non habemus. Quid opus „ sit facto, ut opus vestrum compleatur, quod „ de Domini Papæ Innocentii honorificâ & ma„ gnificâ illâ susceptione fecistis, vos melius „ nostis.

VII. PRUDENTIA ANGLORUM IN SUSCEPTIONE INNOCENTII.

Hæc votiva Henrici, suorumque, & terræ suæ susceptio, ac filialis obedientiæ plenitudo; satis significant Angliæ Episcopos, in eadem mente sententiaque fuisse. Quod si, in Procerum conventu (ut moris Henrico erat) ventilata principio quæstio est, de Innocentii prærogativâ: & prospera adversaque inter disceptandum expedita: id laudi dandum, prudentiæque regni: idemque à Gallorum Rege factitatum, teste Sugerio ita scribente: *Innocentius, nuntiis suis ad Regem Ludovicum destinatis, personæ Ecclesiæ opitulari efflagitat. Quo Rex, ut erat piissimus Ecclesiæ defensor, citò compunctus; Concilium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Religiosorum Virorum Stampis convocat: & eorum consilio, tam de persona, quàm de electione investigans (fit enim sæpe, ut Romanorum tumultuantium quibuscumque molestiis, Ecclesiæ electio minùs ordinatè fieri valeat) & assensum electionis, consilio Virorum præbet, & deinceps manutenere promittit.* Ita ille, & prudenter sine dubio factum; non prius electioni assensum præbere; quàm de electionis ordine, & Suffragantium qualitate constet. Hoc ipsum ab Anglorum Rege, & Episcopis factum. Et dato, quod paulò tardiùs quàm Galli accesserint: id locorum intervallo, serioque scrutinio; non refragandi studio, dandum: & laudi plurimum, quod Episcoporum nemo exceperit, aut refractarius fuerit. Nec enim Bernardus Sanctus Anglorum Episcopis pepercisset; qui Galliæ Præsules, Innocentio vel adversos, vel parum faventes exagitat: non maturum rei seriumque examen condemnans, sed commendans potiùs. Ita enim Wildebertum Turonensem Archiepiscopum, qui Innocentio nondum accesserat, alloquitur. *Non improbo tarditatem, quæ gravitatem redolet, levitatis abolet notam. Nam & MARIA non statim respondit Angelo salutanti, priùs cogitans qualis esset illa salutatio. & Timotheo præcipitur, nemini citò manum imponere.*

Sugerius apud Baron. hic.

Bernard. Ep. 124.

VIII. BERNARDI INDUSTRIA IN ADMITTENDO INNOCENTIUM.

Et quia in Bernardo sumus, & gravissimo Ecclesiæ schismate; nolo ita Anglorum Regem & Episcopos commendare, ut in laudis participium Bernardus non veniat: fatendum enim, viri sanctitatem atque eloquentiam, Episcoporum animos illustrasse, rebusque dubiis, vel citò non apparentibus, umbras nubesque abstersisse, ac denique Henricum Regem, omnia susceptionis momenta ponderantem, in partes Innocentii inclinasse. Sic enim ad immortalem Bernardi laudem quotannis canit Romana Ecclesia: *Innocentium Secundum, Pontificem maximum, in confutando schismate Petri Leonis; tum apud Imperatorem, & Henricum Angliæ Regem; tum in Concilio Pisis coacto, egregiè adjuvit.* Addo & Gallos imprimis egregiè adjuvit: cunctantesque Ludovicū Regē, & Episcopos, ad Innocentium suo suffragio traxit. nam Bernardus alter Bonæ vallis Abbas, de Bernardo Sancto & coacto Stampis Concilio, hæc habet: *Ubi ad locum ventum est, celebrato priùs jejunio, & precibus Deo fusis; cum de eodem verbo tractaturi, Rex & Episcopi, cum Principibus consedissent: unum omnium consilium fuit, una sententia,*

Brev. Rom. 20 Augusti lect. 6.

Bernar. in vita S. Bernar. l. 2. c. 1.

ut negotium Dei, Dei famulo (Bernardo) *imponeretur, & ex ore ejus tota causa penderet. Quod ille, timens licet, & tremens; monitis tamen virorum fidelium acquiescens, suscepit: & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi: aperuit os suum, & Spiritus Sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum Pontificem Innocentium nominavit, & ratum esse, omnes pariter acclamarunt.* Hactenus ille. & in eundem sensum Gordonius: Fluctuante Galliâ de hoc schismate, tandem habito Stampis concilio authore præsertim S. Bernardo, Innocentius recipitur. Si trepidatum in Galliâ, ubi Innocentius, si trepidatum à Sancto; nihil mirum Anglorum Ecclesiam adjutorio eguisse. De Innocentio hæc sufficiant. ounc bujus anni anteriora, & fortè Annalibus nostris propriora, legamus.

IX.
Cantuariensis Ecclesiæ nova consecratio.
VVestmonast. hoc.
V. an. 1089. 4.

Priusquam Henricus in Normaoniam trajiceret, Cantuariensem Ecclesiam, unà cum Reginâ pio cultu visitaverat, ea occasione, quam passim Historici nostri ad hunc annum referunt. Matthæus Westmonasteriensis ita breviter. *Anno gratia millesimo centesimo trigesimo, dedicatur Ecclesia Christi Cantuariensis.* non prima hæc, aut altera, sed novissima dedicatio fuit. Quam enim Ecclesiam Lanfrancus olim refecerat, atque ornarat, ignis hoc anno adeo deformarat, atque corruperat, ut novo opus ædificio, oovo ornatu, oovâ denique inauguratione; ad cujus solennia Reges, & Episcopi concurrerum. de Regibus ita Godwinus: *Anno millesimo centesimo trigesimo, Ecclesia Christi* (Cathedralis inquam) *Cantuaria, fortuito incendio conflagravit. Hanc pro multo maxima parte construxerat Lanfrancus: & brevi postea corruentem, excitari suâ industriâ curavit Eardulfus Monachorum Prior ibidem. Nunc vero igne, uti diximus, deformatam refecit, & ornamentis debitis exornavit Gulielmus (Cantuariensis Archiepiscopus) ac deinde consecravit, Rege, Regina, Davide Scotorum Rege, ac utriusque regni Proceribus, magno numero præsentibus.* non nominat Episcopos, qui in re sacrâ præ aliis erant numerandi. Supplevit defectum Continuatio ad Florentium, ubi hæc leguntur. *Ecclesia Christi Cantuariæ, quarto Nonas Maii, die Dominicâ, à Domino Gulielmo, ejusdem civitatis Archiepiscopo dedicata est, cum magno honore. Cujus consecrationi interfuere Præsules hi, Ioannes Roffensis, Gilebertus Londoniensis, Henricus Wintoniensis, Alexander Lincolniensis, Rogerus Saresbiriensis, Simon Wigorniensis, Rogerus Coventrensis, Godefridus Bathoniensis, Everardus Norwicensis, Sigefridus Cicestrensis, Bernardus de Sancto David, Audoenus Ebroisensis, Ioannes Sagiensis. Quarto post hoc die, id est Nonis Maii, præsente Rege Henrico, civitas Roffensis magno incendio conflagravit. Die tamen sequenti, qua tunc fuit Dominica Ascensionis, nova Ecclesia Sancto Andreæ consecratur à Gulielmo Archipræsule, Suffragantibus sibi in hoc ministerio quibusdam de præfatis Antistitibus.*

Godvvin. in Cantuar. Episcopis.
Appendix ad VVigornien.

X.
V. an. 1125. 13.
Hugo Radingen. Abbas fit Rothomagen.

Dixi suprà, cum Radingense Monasterium fundatur, Hogonem qui Prior de S. Pancratio fuerat, loco illi ab Henrico Rege, cum Abbatis dignitate præpositum. Quo in munere, tam strenuè religioseque se gessit; ut hoc anoo, Rothomagensem in Normannia Archiepiscopatum meruerit. Qua Sede potitus, Innocentium Papam ibidem excepit, cum ille Henricum Regem conventurus eò accessit. Notavit hoc Gulielmus Gemiticensis, ubi de Normanniæ Ducibus, & Henrici Regis in Romanam Ecclesiam pietate, hæc habet. *Circa hæc tempora, decedente Ganfrido Archiepiscopo Rothomagensi, Hugo primus Abbas Radingensis successit. Parvo exinde tempore exacto, Innocentius Papa Rothomagum veniens, causa Henrici Regis; ingentibus obsequiis, ut virum Apostolicum decebat, ab eodem Rege susceptus & prosequutus est. Sic etiam Calistum Papam longè antea se adeuntem pro causis Ecclesiasticis, apud Castrum suum Giforz nomine, in margine sui Ducatus situm, Regaliter procuratum muneribus onustum Regis remiserat.*

Archiepiscopus.
Gemiticen. l. 7. c. 30.
V. sup. 1119. 8.

XI.
Monasterium Neath in Glamorgania fundatur.

Monasterium hoc anno in Silurum regione, & Glamorganiæ agro surrexit, ad oppidum, quod Antonino Nidum, nobis hodie Neath dicitur. Cujus fundationis origo & ortus in Richardum Grandvil ab Authoribus refertur. Cum enim Robertus Fitzhamon, quem * supra noo semel nominavi; Glamorganiam belli saltem jure occupasset: commilitonibus illam perpetuò possidendam distribuit: tunc ager ille, ubi Nidum jacet, Richardo obvenit, qui structo ibidem Monasterio, & Deiparæ consecrato, Cisterciensibus Monachis, quorum initia suprà retulimus, illud commendavit. Meminit ejus loci Camdenus cum Silurum provincias lustrans, de Nido hæc habet: *Quindecim milliaribus à Bovio Nidum oppidum, latino etiam nomine, Antoninus posuit, Hoc in sortitione Richardo Granvillo obtigit: qui Cœnobio sub ipso oppido fundato, & Deo Monachisq; portione suâ consecratâ: ad suum ipsius in Angliâ patrimonium quod amplissimum habuit, reversus est.* Quod ad tempus attinet, annumque fundationis, expressit illud, qui S. Bernardi Epistolas notis illustravit Joannes Picardus, Canonicus Regularis. Cum enim Epistola centesima vigesima sexta, Abbas Sanctus numerasset eos qui Inoocentio adhæserant, & inter eos Saviniacenses Monachos; Picardus eorum ootione intelligit *complura Monasteria eidem Saviniaco subdita & ex eo propagata: Nempe* (inquit) *Fulnesium in Eboracensi, Diœcesi* (lego Furnesium, de qoo suprà) *anno millesimo centesimo vigesimo primo V. Idus Iulii:* (inchoatum tunc fortè, sed perfectum est anno millesimo centesimo vigesimo septimo, ut dictum ibi.) *Et in VValliâ sub Episcopatu Landavensi, Nethium, anno millesimo centesimo trigesimo octavo Calen. Novembris.* Utrobique igitur, tam Furnesii, quàm Nethii, Monachi erant; qui hoc anno, cum Henrico, Episcopis, & omni Insula Innocentium coluerunt è mente Sancti Bernardi.

*V. an. 1106. 22. &c.
V. an. 1098. 18.
Camd. in Glamorg.
Picardus in notis ad Episto. 126.
V. an. 1127. 9.

ANNUS CHRISTI 1131.

INNOCENTII II. PAPÆ 2.

HENRICI PRIMI REGIS 32.

I.
Parisiensis corrigitur.

AD annum Domini millesimum centesimum trigesimum primum, ita scribit Matthæus Parisiensis: *Obiit Innocentius Papa, successit Innocentius Secundus. Dedicatur ab eodem Ecclesia Cluniacensis:* Sed fallitur in obitu Innocentii: nullus eoim eo oomine Papa hoc anno moritur, & nemo morieoti Papæ succedit. Primum Innocentium, ante anoos septingentos dudum sepelivit: & alter superiori anno electus, & consecratus,

V. an. 417. 2.

in Gallias descendit, Rhemis Synodum habuit, Anacletum schismaticum à fidelium communione secrevit, & demum hoc anno, *antequam è Gallia recederet* (ita Baronius) *non invisisse tantum nobile Monasterium Cluniacense: sed & insuper ejus Ecclesiam dedicasse Petrus ejus Monasterii Abbas affirmat.* Omisissem hunc in Matthæo, solœcismum, nisi Matthæus alter Flores suos illo fuco ornasset; vel obscurasset potiùs.

Baron. hic.

II. ROBERTI HEREFORDEN. EPISCOPI CONSECRATIO.

Cæterùm illustravit hunc annum Roberti Bethuoensis consecratio in Herefordensem Sedem: de cujus vitæ sanctitate multa scribuntur digna Annalibus. Pauca suprà dixi ad annum millesimum centesimum vigesimum nonum, quo tempore, creatum Herefordensem Antistitem notat Parisiensis: sed melior calculus hoc anno consecratum affirmat. Unde Continuatio ad Florentium, cum Cantuariensis Ecclesiæ consecrationem retulisset; mox addit: *Sequenti anno, mense Junio, Angliam rediit Robertus, Prior Reverendus Lantoniensis Ecclesiæ, ad Herefordensem Præsulatum electus, à Guilielmo Dorobernia Archiepiscopo, tertio Calendas Iulii Episcopus consecratur Oxenfordiæ.* Quàm dignè Sedem illam, & consecrationis Sacramentum acceperit, ejus ab ineunte ætate, per omnes virtutum gradus profectus, declaravit: nam misso sanctitatis tyrocinio, quod juvenis explevit, & refert Harpesfeldus; ita religiosæ ejus vitæ institutum, unde ad infulam assumptus est, narrat idem Author in hunc modum.

III. Harpesf. sæc. 12. c 33. fo. 377.

EIUS VITA CUM CANONICIS PRÆESSET.

In Canonicum adoptatus, non solum regulas, & præscripta illius Monasterii: sed & omnia alia, quæ ad Christianæ perfectæq; vitæ exemplum pertinebant, ita ad unguem observabat; ut illustri omnibus exemplo præiret. Nec ita multò post Ervisio domus præfecto, ad Anachoreticam vitam, quam intermiserat, redeunte, in ejus locum substitutus est. In quo munere nihil prætermisit, quod ad optimi Pastoris officium spectaret. Et ita Mariæ partes egit, ut minimè neglexerit etiam Marthæ jam sibi munus delegatum: eoq; strenuè, nec sine singulari quodam divini Numinis præsidio, admirabili quadam in se, suisq; disciplinâ, perfungeretur. Nam cum audiendis fratrum confessionibus, quibus de more Ecclesiæ, crimina sua expiabant, frequens vacaret: non solum salubri consilio; sed & precibus apud Deum suis, multos juvit: & à multis gravibusq; adversarii impugnationibus, de quibus excutiendis, frangendisq; penitus animos despondrant, admirabiliter liberavit. Quid? quod multis multorum criminum, quæ occultè admiserant, quæq; auricularis illa expiatione præ verecundiâ supprimebant, divinitus de eis doctus, memoriam suggerebat, confessionem, & pœnitentiam, eo modo, ab eis extorquens. Sed en tibi jam novum Iob, magisq; admirabilem, quàm fuit ille, pro filiis suis solicitudinem. In more enim sæpè positum erat huic beato viro; ad noctem, cum reliqui jam Fratres somno premerentur; accuratiùs, quid vel ipse, vel aliquis ex grege, graviùs admisissent, ad calculos revocare: centies deinde ac eò ampliùs, flexis genibus, preces lacrymis mixtas ad Deum effundere: tum deinde, cilicio detracto, quo carnem domabat, sævis eam verberibus totam lacerare.

IV. V. an. 1127. 8.

ELIGITUR HEREFORDENSIS EPISCOPUS.

Henricus ad hæc tempora Angliæ regnum moderabatur, Herefordensisq; Ecclesia, ad quinque annos, Pastore destituta erat. Suggeritur Regi de Roberto. communicat ille rem Archiepiscopo: miroq; ille favore assensus est. Quæ cum Robertus intelligeret; mirum est, quantum animo consternatus sit. quantum perturbatus; quam omnes rationes secum meditatus sit: ne hoc sibi onus imponeretur. Vixq; tandem, accedente etiam Innocentii Papæ mandato, assensit. Sed vide ex altera parte miram hominis demissionem. Discessurus à Fratribus, demissè veniam, genibus etiam advolutus, à singulis, illorum, quæ in ipsos peccarat, postulat. Nec id solum: sed se vestibus spolians, nudamq; carnem ostendens, flagelloq; porrecto, se singulis cædendum præbuit: & verbera quamvis ab invitis, & mandato præfecti sui obedientibus, passus est. Susceptum tandem Episcopatum, ita administravit, ut nihil in eo quod ad sanctissimi illius muneris administrationem spectat, desideraretur. In omnem occasionem anxiè, solicitèq; intentus, quà posset, vel verbo, vel exemplo, vel re, gregi suo prodesse.

EIUS HUMILITAS.

Magna quidem prudentia, ita actiones suas moderatus; ut nec nimiâ severitate in odium: nec nimiâ demissione in contemptum aliquem incurreret. In initiandis sacro muneri Clericis, accuratè & exquisitè prospiciebat: ne quisquam per sordes, aut alias indignus, ad eam functionem irreperet. Rogatus, ut aut Basilicas, aut cœmiteria dedicaret, aut alia Ecclesiastica munera obiret: aut aliquò ad controversias, litesq; consopiendas (quarum ad eum arbitrium deferebatur) proficisceretur: nullâ unquam aeris, temporisve injuria, ad statum diem defuit. Confectisq; negotiis, sacrisq; sæpè concionibus ad populum habitis, domum jejunus rediit. Neque nisi necessitas ipsa extorquebat, aliorum cum expensis alicubi deversatus est.

V. EIUS DEVOTIO IN DEUM.

Miro semper mentis ardore Deum precando usus est: neque cum in Missâ sacrosanctam Eucharistiam sumeret, à singultibus & lacrymis temperare sibi potuit. In privatis sæpè precibus, quasi in mentis quandam extasin raptus est. Cum fœminâ, nisi præsentibus arbitris, nè de his quidem, quæ arcana erant, & ad conscientiæ expiationem pertinebant, loqui voluit. Familiam habebat optimè, & sanctissimè constitutam: mensam verò, quæ neque ob sordes, neque ob luxum esset insignis. Cibos sacrarum Scripturarum lectio condiebat; quas aut ipse imperitioribus explanabat, aut de eis cum doctis disseruit. Carnes ipse rarò gustabat, sed pisces, eosq; viliores. Lac, caseus, butyrum, legumina, arborum fructus, & olera, deliciæ illius erant. Antequam verò ipse pranderet, magnam pauperum multitudinem pascere solitus est. Qui si cardiùs supervenissent; cibaria coram se, dum pranderet, illis præberi jubebat. Tam denique in pauperes fovendos propensus fuit; ut insignis ille Ioannes Eleemosynarius, in eo renatus videretur. Quibus non solum quæ ad vitæ usum necessaria essent suppeditabat: sed & pedes eorum lavit. Imo & leprosorum domus, nudis pedibus & capite adire, eorumq; pedes magna animi demissione lavare, lacrymis rigare, capillis extergere, suaviterq; exosculari consuevit.

EIUS IN PAUPERES MISERICORDIA.

Neque tamen tanto viro adversarii defuere. Cum primis Rodulfus Herefordensis, ipsius potissimùm beneficio & opera Decanus; cujus & aliorum injuriis exagitatus, Romam sui defendendi causa proficisci coactus est, ad Innocentium Papam, qui Decanum, post causæ cognitionem, ea dignitate spoliavit. Hæc omnia Harpesfeldus; & plura, quæ suis locis opportuniùs ponentur.

RODULFUS DECANUS ILLI ADVERSATUR.

VI. MATHILDIS ALIENIOR A MARITO IN ANGLIAM VENIT.

Henricus adhuc in Normanniâ hærebat; quem cum multa alia, quæ Remp. spectabant; tum Mathildis filia, ob quædam cum marito Comite controversa, detinebant: quæ cum difficultate admodum componi possent: utrique visum; Regi, inquam, filiæque; in Angliam trajicere. Malmesburiensis completos Henrici Regis annos

numerans

Malmesb. Hiſto. Novell. fo. 177. numerans, ita ſcribit: *Anno trigeſimo primo regni ſui, Rex Henricus redit in Angliam. Imperatrix quoque eodem anno natali ſolo adventum ſuum exhibuit.* Divertiſſe illam à marito, & alieniore animo fuiſſe, Annales inſinuant: nec cauſam exponunt. ſed in novè nuptis; ubi impar conditio diſſimilitudinem parit; vix unquam deſunt irarum argumenta. Regem etiam è filiæ querelis, Comiti infenſum, aliqui tradiderunt. Quicquid ſit; Mathildis maluit, ſub parentis tutelâ, in natali ſolo; quàm foris, ſub mariti poteſtate eſſe. Sed alienus animi impetus in uxore, diuturnus non fuit. amantium iræ, amoris potiùs redintegratio fuit: & amotis doctâ manu ſuſpicionum umbris, major inter eos quàm initio ſerenitas fuit. oec paſſa eſt Anglia eos ſolo ſaloque dividi, quos Deus Sacramento conjunxerat. Sic enim evaneſceret Henrici conſilium, de ſubſtituendo ſibi poſt mortem herede; ſi nullam è filia prolem ſuſciperet. Et quoniam hoc, è re omnium, & totius regni erat; voluit Rex, Procerum ſuffragia, & quid facto opus, exquirere: qui reddendam Andegavenſium Comiti uxorem ſuam, ob Normanniæ pacem, regnique incolumitatem, prudentiſſimè cenſuerunt.

VII. Prius tamen quàm ſuper eo Senatus cogeretur, juvat Hentici Regis pietatem legere; cum trajecturus è Normanniâ, Oceani difficultatem, & oaufragii periculum evaſit. quod ita à Polydoro refertur. *Henricus Rex in Angliam rediens, ſubitò obortâ adversâ tempeſtate ferè ſubmerſus eſt. Qui id commiſſorum à ſe peccatorum causâ accidiſſe ratus, multa vota fecit. Atque deinde ad Cœnobium Divi Edmundi profectus, ibi p'è oravit. Inde reverſus multò melius in omnes animatus tributa minuit, ac juſtitiam, etiam erga infimos, diligentius ſervavit.* Ita Polydorus libro undecimo. Henrici religionem piumque in Regem ac Martyrem Edmundum ſuprà videre eſt in Diplomate, quod ad annum milleſimum centeſimum ſeptimum recenſui. Ergo inter ejus vota, hoc unum erat, Edmundi cineres, ſupplici cultu, ſub appulſum venerari. & prudentum conſilio, jus ſuum cuique dare. Hæc cauſa concionis Procerum, & indicti conventus.

VIII. *Huntindon. fo 304.* CONVENTUS NORTHAMPTONIÆ. MATHILDIS AD VIRUM REMITTITUR. ILLI FILIISQUE CONFIRMATUR SUCCESSIO.

Quid factum in conventu, ita paucis narrat Huntindonius. *In æſtate redit in Angliam Henricus Rex, ſecum filiam ſuam adducens. Fuit igitur in Nativitate S. MARIÆ magnum placitum, apud Northamptune. In quo, congregatis omnibus Principibus Angliæ, deliberatum eſt, quod filia ſua redderetur viro ſuo; ſcilicet Conſuli Andegavenſi eam requirenti. Miſſa autem poſt hæc filia Regis viro ſuo, recepta eſt faſtu tanto viragine digno.* Quod Regi regnoque commodum fuit. nam anno ſequenti, & conjunctione illa, naſcetur filius; qui poſt multorum annorum hiemem; tandem avi, matriſque jure, regnabit diceturque ab avo Henricus Secundus. In eum finem, iterum in hoc Northamptonenſi conventu, vota Procerum pro filiâ, & futurâ prole ejus impetravit, tam ab iis qui olim illa dederant; quo firmiora magiſque rata eſſent: quàm ab iis qui vel abſentes non dederant: vel nuper Procerum, Epiſcoporum, & Abbatum numero acceſſerant. quibus ſolis (ut ſuprà dictum) ſuffragandi jus erat. Intellexit hoc Malmeſburienſis, cum ait: *Malmesb. Hiſto. Novel fo. 177.* Henricus, *habito non parvo Procerum conventu, apud Northantonam, priſcam Fidem apud eos qui dederant, novavit: ab iis qui non dederant, accepit.* Quis non crederet ſacroſanctum fore, & conſtantiſſimi juris, quod tantis magnorum virorum ſuffragiis graviſſimè ſancitum eſt. Sed fides, & juramentum, infirma ſunt vincula, niſi conſcientiæ bonitate, & ſanctitate ſigillentur. Mathildis à morte parentis; non obſtante ſuffragiorum ſolemnitate repetitâ; diu cum adversâ fortunâ luctabitur, & vix erit parvi temporis Reginæ ſimulacrum. lucrabitur tamen poſt varias tempeſtates filio coronam. ut ſequentia docebunt.

Moritur hoc anno Hervæus, quem nequiores Britanni è Bangorenſi Sede in Angliam expulerunt; ubi novam Sedem, in Elienſi Inſulâ, Regis & Epiſcoporum munificentiâ nactus; Sedem ibi Romani Pontificis indulgentiâ primus poſuit: ibique ab anno milleſimo centeſimo nono, ad hunc annum milleſimum centeſimum trigeſimum primum ſedit: quando trigeſimo die menſis Auguſti, illam cum vita reliquit. IX. HERVÆUS ELIEN. MORITUR.

ANNUS CHRISTI 1132.

INNOCENTII II. PAPÆ 3.

HENRICI PRIMI REGIS 33.

ANNUS Chriſti milleſimus centeſimus trigeſimus ſecundus, variâ rerum viciſſitudine, nunc triſti, nunc lætâ facie, nobilis. A triſtibus ordior, & Principe Anglorum urbe. *Anno gratiæ* (loquitur Weſtmonaſterienſis) *milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, tertio Idus Aprilis, Londoniarum civitas pænè tota combuſta eſt.* Ita paucis verbis magnam calamitatem explicat. Addunt alii Paulinum Templum: *Cujus tanta fuit decorï magnificentia* (ſunt verba Malmeſburienſis) *ut merito inter præclara numeretur ædificia: tanta cryptæ laxitas, tanta ſuperioru adu capacitas, ut cuilibet populi multitudini videatur poſſe ſufficere.* Hoc, inquam, templum, flammarum furias non evaſit. Prioratum etiam Regularium Canonicorum, quem in eadem urbe Sanctiſſimæ Trinitati Mathildis Henrici uxor conſecrarat (de quo ſuprà dictum) ignis abſumpſit. Acceſſit infortunio calamitas alia, non urbem unam, ſed Angliam penè omnem depaſta: quando Deus viſitando populum ſuum, animalibus peſtem immiſit: de qua, qui ſupra Malmeſburienſis. *Infeſta lues domeſticorum animalium, totam pervagata eſt Angliam. Plena porcorum haræ ſubito vacuabantur. integra boum præſepia repente deſtituebantur. duravit ſequentibus annis eadem peſtis: ut nulla omnino totius regni villa hujus miſeriæ immunis, alterius incommoda videre poſſ:t.* Sed triſtia hæc: videamus lætiora. nam cum hominibus aliquid decedit: communiter aliquid accedit Deo.

I. LONDINENSIS URBIS INCENDIUM. *Weſtmon. hoc.*

Malmesb. l. de Pontif. in Mauritio Londinenſi.

V. an. 1118. 5.

Malmesb. Hiſto. Nov. l. 2. fo. 177.

II. RIEVALLEN. MONASTERII PRIMORDIA.

Nimirum nova Colonia è Sancti Bernardi familiâ, quæ in Eboracenſi agro Sedem figens, in regni decus, & multorum ſalutem fuit. Gualterus Eſpecus illam eduxit, Thurſtanus Epiſcopus religiosè excepit, Bernardus rigavit, Deus autem incrementum dedit. Datur novis hoſpitibus, qui cælum magis, quàm terram ambiebant, in Eboracenſi provinciâ vallis, inamœna ſatis ac ſterilis, quam Rhie fluvius adlambit: unde Anglis Rhidal, Latinis Rievallis appellata:

nomen famamque, addo & glebam pinguiorem, à Monachorum ingressu sortita. nam ita Camdenus de loco illo. *Camden. in Yorkeshire.* *Ad solem Occidentem Rhidal substernitur; vallis lata, amæna fœcunda, viginti tribus parochialibus Ecclesiis ornata, quam Rhie fluvius interfecat; locus, ut inquit Neobrigensis, vastæ solitudinis & horroris, priusquam Gualterus Espec, Clunicensibus Monachis concesserat, & Cœnobium fundarat.* Hos Monachos alii Cistercienses, Neobrigensis propriissimè Clarevallenses vocat, de quibus ita loquitur. *Neobrig. l. 1. c. 24.* *A nobili viro VValterio Espec invitati, & à felicis memoriæ Abbate Bernardo directi Monachi Clarevallenses, in Eboracensem provinciam venerunt, & in loco qui nunc dicitur Rievallis; tunc autem erat locus horroris, & vastæ solitudinis; mansionem acceperunt, præfato viro tradente, & Venerabili Trustino, Episcopalem, cum affectu paterno, favorem præbente.* Primus ergo Monasterii fundator, Gualterus audit, cui alii Dalinam addunt, ejus conjugem. Ita Catalogus ædium destructarum, ubi fundationis annus ponitur, Christi millesimus centesimus trigesimus secundus.

FUNDATORES GUALTERUS ET DALINA UXOR.

III. TEMPUS FUNDATIONIS.

Nec multum differt ab hoc calculo Joannes Picardus, in notas ad Epistolas Sancti Bernardi, obi de tempore fundationis Rievallensis Cœnobii consignat annum Domini millesimum centesimum trigesimum primum: nam quod ad probationem affert, melius, opinor, pro trigesimo secundo concludit. *Picard. in notis ad 1. Epistolam S. Bernardi.* Sic ergo ille de Rievalli. *Id Cœnobii ædificavit in Diœcesi Eboracensi, Angliæ provinciâ, VValterius Espek, nobilis Anglus, anno millesimo centesimo trigesimo primo, ut Nicolaus ibidem Cœnobita, in epigrammate de translatione S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi.*

Octoginta scias annos, octoque fuisse,
(Si rectè recolis tempus) Rievallis ab ortu.
Hæc quarto Nonas Martii primordia sumpsit.
Prima parens nostra, præcessit quatuor annis.

Nos translationem S. Thomæ referimus ad annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum, ut Westmonasteriensis, post Parisiensem mutavit. ad quē, ab hoc anno descendendo, octo & octoginta annos computamus. Priorem tamen annum Clarevallenses in Nomenclaturâ suorum Cœnobiorum, & Sigeberti continuator, consignans: includendo nimirum fundationis annum, quem calculus noster excludit. Nec illud omittendum, quod uno eodemque die & anno, duo è Sancti Bernardi institutione, Monasteria surrexerunt. de quo Sigeberti Chronicon ita loquitur. *Sigeber ad an. 1131.* *Clarevallis duo Cœnobia, una die, producit, scilicet Longipontum & Rievallem, & post paucos menses Vacellas.* adeo Bernardi sanctitas eminebat. Vide Ailredum ejusdem loci Abbatem secundum, de bello apud Standardum, fo. 338. ubi multa de hac fundatione.

IV. GULIELMUS PRIMUS ABBAS RIEVALLEN.

Quot, & quinam in Anglicanam messem venerint, esset inquisitione dignum. Sed unus tantum nominatur, cæteris præpositus, Gulielmus nomine. Ille nimirum de quo mentio est, in argumento primæ Epistolæ, quam Bernardus dictavit inscripsitque ad Robertum nepotem suum, excepitque illam dictus Guilielmus. de quo hæc ibi habemur. *Argum Epistolæ 1. S Bernardi.* *Bernardo dictante, Venerabilis VVillelmus, Rievallis postea Monasterii primus Abbas, in membranâ, scribens, eandem excipiebat Epistolam. Erant autem pariter sub Deo sedentes, ad dictandum. quippe secretiùs, septa Monasterii egressi fuerant subitò autem inopinatus imber erupit. Et is qui scribebat (sicut ipso referente didicimus) chartam reponere voluit. Ad quem Pater sanctus; Opus, inquit, Dei est, scribere nè timeas. Scripsit ergo Epistolam, in medio imbre, sine imbre. Cum enim undique plueret, chartam expositam virtus operatis charitatis: & quæ dictabat Epistolam, schedulam quoque pariter conservabat.* Fuit Guilielmus hic natione Anglus, in Bernardi disciplinâ diu institutus, vitæ sanctitate eximius, & domi forisque magni nominis. Quamdiu Monachis apud Rievallem præfuerit, non invenio: nec annum mortis. hic ergo dicenda, quæ ei suppares, à morte, dixerunt. Hos inter Gillebertus, qui Cantica doctè, pieque commentatus est: ad illa verba: *Messui myrrham meam, cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo:* ubi Guilielmi nostri mortem intellexit, magno devotionis impetu, stylum in eum ita convertit.

V. *Gilbert. in Cantica sermo 41.*

GUILIELMI LAUDES.

*Quantus favus, quàm ingens, quàm uber ad cæleste his diebus est translatus convivium (Dominum Rievallensem dico Abbatem: cujus nobis dum locum istum tractamus, nuntiatus est transitus,) Videtur mihi in illo, dum sublatus est, hortus noster esse nudatus: & grandem Agricola Deo resignasse fasciculum mirrhæ. Nullus talis in alveariibus nostris relictus est favus. Verumque in illo cernere erat, & * mellis favum & mirrhæ fasciculum, cum aromatibus bonis. Quis illo, vel vitâ purior, vel doctrinâ prudentior? Quis magis illo, vel ægrotus in carne, vel alacer in spiritu? Sermo ejus quasi cereus, melleam effundebat scientiam, carne languidus, magis tamen intus in spiritu cælestium amore languebat. Myrrhatâ carne, mente aromaticâ, crematione continuâ, indefessi amoris odoriferum incensum offerebat. Corpore deficcato & arido, anima ejus sicut adipe & pinguedine replebatur. Ideo labiis exultationis laudavit Dominum semper os ejus, favus distillans ipsius. nam totus conversus in labia, modesto vultu, & totius corporis habitu tranquillo, serenos animi prodebat affectus. Sensu perspicuus erat, sermone non præceps. Modestè rogabat, reddebat modestius. molestos sustinens, molestus nulli. Acutè intelligens, morosè referens, æquanimiter ferens. Meminii frequenter illum, cum inceptum de assidentibus aliquis interrupisset sermonem importunè, verba suspendisse; donec alter totum effudisset spiritum suum: & cum importuni sermonis impetuosus defluxisset gurges; eàdem quà sustinuerat tranquillitate, suspensum verbum resumpsit: opportunè loquens, & opportunè silens. Velox ad audiendum, ad loquendum tardus, & tardus ad iram. Quomodo ad iram dicendus est tardus, ad quam magis inventus est (ut sic dicam) nullus? Benè favus; quia sinceris undique compositus, & consitus cellis, in omni actu, sermone, & gestu, interna putabatur dulcedinis mella sudare. Fœlix in quo IESVS integrum favum, quem comedat, invenit, crassum non exsiccatum.* & paulò infrà.

* *melius.*

VI. *Noster autem hic favus, de quo loquimur, integer erat, & in æterno liquore exuberans. Plenus erat cellularum, hac illacque, distillabat dulcedinem, sermonis divini assiduus operator, favos componebat. Boni favi, quibus adhuc integris multorum quotidie indulcantur fauces. Molestam non sectabatur subtilitatem, quæ plus contentionis, quàm instructionis ministrat materiam. Circa moralem operosus scientiam, cultissimis illam verborum cellis committebat. Prudens erat eloquii mystici quod inter perfectos dispensabat.*

Lacteâ

Lacteâ in salutem, & consolationem parvulorum exuberabat doctrinâ: cui tamen lætificantis & inebriantis sermonis vinum sæpè latenter immiscuit. Ita est: Lac ipsius vini obtinebat virtutem. Simplex ejus institutio, & sermo lacteus, animam auditorum quendam inebriantem alienata mentis excessum furtim arripere consuevit. Unde qui potabatur; jure dicere poterat: quia bibit vinum cum lacte. Imo in lacte noverat ista temperatè miscere, & in altero utrumque largiri. Facili ad ædificandum utebatur materiâ: sed vehementiam inebriantis gratiæ sentires in verbis. Facilis inerat ei intellectus, sed affectio vehemens. Dolendum quidem, quod tanti viri subtracta est nobis copia: sed nihilominus gloriandum, quod talem de hortulis nostris fasciculum myrrhæ, ad cælestem illum hortum præmisimus. Illic ornamentum est, qui nobis hic fuerat adjumentum. Et si vacuata videntur alvearia nostra, & hortus nudatus: multos tamen reliquit manipulos, de quibus potens est Deus, per virtutum incrementa creare fasciculos. Hæc ille de Anglicanæ Ecclesiæ hortis, alvearibus, & messe virorum perfectorum.

VII. Non nominat *prius* Guilielmum nostrum, primum Rievallensis Cœnobii Abbatem: sed facili argumento, è Gilleberti ætate, colligitur, de alio sermonem esse non posse. Unde Joannes Picardus in notis ad Bernardi Epistolas, hæc habet. *Quod autem Guilhelmus dignissimus fuerit, qui invisi Monachatus fundamenta jaceret in Angliâ, satis superq; suadet S. Bernardi delectus: quaque scribit Gilbertus Hollandus* (lege Gilbertus de Hoilandiâ, nam Anglus est, ex illâ Lincolniensis agri parte, quæ Hoilandia audit) *sermone quadragesimo primo in Cantica. nam reor esse hunc ipsum Guilielmum, quem laudat magnificè, licèt tacito nomine.* Addam tamen, corollarii vice, carmen Nicolai Rievallensis, quod extat Manuscriptum in nostrâ Bibliothecâ (intelligit Canonicorum Regularium S. Victoris apud Parisios) cum aliis opusculis & Epistolis.

In notis ad 2. Epistolam S. Bernardi.

O nimium dilecte Deo, primus Patriarcha
Noster, & insignis Pastor, conviva Beati
Patris; adesto tuis tibi supplico cælicus hæres.
Vivis in æternum, gestans diadema supernum.
Tu nec obis, nec abis: nunquam non es procul: imo
Semper es hic, & eris non hospes, & incola, cujus
Nos penes est dulcedo, recens fatra gleba, sepulchri
Gratia: defuncti cineres veneramur abundè.
Vir sacer & sapiens, & ab omni parte beatus.
Mundus ab hoc mundo sublatus fine secundo:
Lætior ante Deum degustans nunc & in ævum,
Dulcis atoma meli, quod inebriat atria cæli.
Tu Rievallis honor, dux inclyte, flos sine spinâ.
Te duce ditior est, & tanto flore beata
Anglia te genuit, vallis clarissima mores
Sacros instituit: tua nos doctrina beavit,
Alme Pater salve, loca nostra tuere, quibus tu
Es prior architectus es, & fundator, & author.

VIII. Ornatissimum hunc virum, quem Anglia Claramvallem misit; Bernardus inde in Angliam remisit, qui vallem aliam coleret & excoleret: qui mores, inquam, mentesque hominum, ad perfectiora duceret; prædamque animarum è diaboli faucibus, ad Christi castra transferret. In eum sensum, Guilielmum Monachosque, quos cum illo ad prædandum misit, Henrico Regi per literas commendavit, quæ inter Bernardi Epistolas, ita inscriptæ leguntur.

HENRICO illustri Anglorum Regi. BERNARDUS Abbas de Claravalle; cælorum Regi de terreno regno servire fideliter, & humiliter obedire.

Bernardi Epistola 92.

LITERÆ S. BERNARDI AD REGEM HENRICUM.

„ IN terrâ vestrâ tenetur præda Domini mei, „ atque vestri: & illa præda, pro qua maluit „ mori, quàm carere illâ. Ego eam sequi dis„ posui: & mittere de nostrâ militiâ, qui in ma„ nu validâ, si vobis non displicet, requirant, „ recuperent, & reducant. Et nunc hujus rei „ gratiâ, præmisi hos, quos præsentes cernitis, „ exploratores, qui esse rei indagent sagaciter, „ renuntientque fideliter. Assistite eis tanquam „ nuntiis Domini vestri: & in ipsis feudum ve„ strum deservite. Ipse verò ad honorem suum, „ ad salutem vestram; ad patriæ sospitatem, & „ pacem, lætum vos & inclytum perducat in bo„ num, & placidum finem.

IX. Hactenus de Rievallensis Monasterii primordiis: sequitur fundatio alterius in Vecti Insulâ, ubi hoc ipso anno, (ut habet Catalogus ædium destructarum) & Henrici regnantis trigesimo tertio, Balduinus de Ripariis, Devoniæ Comes, & Richardus ejus filius, Cisterciensibus Monachis Cœnobium aliud erexerunt, ad oppidum Quarre, Sanctæ Mariæ Magdalenæ sacrum. Enimvero cum Guilielmus Primus Angliam belli jure devicisset: eodem jure Guilielmus, filius Osberni Vectem Insulam acquisivit; permissuque Regis primus dictus est Vectæ Dominus, & Comes Herefordiæ. Sed eo in bello Flandrico interempto, & Rogero filio proscripto, Henrici primi munificentiâ, Devoniæ Comites, qui de Ridvers, vel de Ripariis dicti, in dominium Insulæ successerunt: &, quod sæculo illi solenne, Deo de prædâ, rebusque partis, anathema consecrantes, sacras ædes posuerunt: vel Monachis è Cistercio, ut suprà Catalogus, vel virginibus velatis, ut habet Camdenus, in descriptione Vectis Insulæ. Quicquid dixeris: Ecclesiæ Anglicanæ hortus, qui nuper bellorum tempestate sorduit, nunc iterum florere incipit: & collectis undique, quà domi, quà foris, lectissimæ speciei flosculis, omnipotenti Deo placere in odorem suavitatis. Unde benè, in Sigeberti Chronico, ubi Rievallensis Monasterii fundatio ponitur, in hunc modum legitur. *Erat circa hæc tempora, pulchra ac decora facies Ecclesiæ, diversarum Ordinum ac professionum circumdata varietate. Dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses Monachi: tum & diversi habitus, & professionis sanctimoniales, & mulieres Deo devota, in continentiâ, atque paupertate, sub obedientia jugo regulariter viventes, fervore religionis invicem provocarent, & nova certatim diversis in locis Monasteria fundarent. Sed & Præsules Ecclesiarum, ac Principes sæculi, promptissimè annuebant, vel etiam sponte offerebant terras, prata, nemora, & cætera, quæ Monasteriis ædificandis necessaria erant.* Ita ille; qui in dictorum firmitatem, Rievallem adfert. & omnia de Anglicanæ Ecclesiæ decorâ facie debent intelligi.

MONASTERIUM AD QUARRE, IN INSULA VECTE.

DEVONIÆ COMITES LOCUM FUNDARUNT.

Camdenus in Insulis. & Hamshire.

Chron. Sigeb. an. 1131.

ANGLICANÆ ECCLESIÆ LÆTA FACIES.

X. Nunc, eheu! egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus (juvat cum Jeremia lacrymari) ex quo facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus loquutus est super

Thren. 1.

NUNC ANGLIÆ

FACIES, QUAM OLIM TRISTIOR.

eam, propter multitudinem iniquitatum ejus. Viæ Sion lugent, omnes portæ ejus destructæ: Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squallidæ: ex quo Monachi, & Moniales esse desierunt. Verè nunc squallent omnia; obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum: Filii Sion, olim inclyti, & amicti auro primo, qui cæli gaudia gustantes vescebantur voluptuosè, & nutriebantur in croceis; Lutheri & Calvini, proh dolor! amplexati sunt stercora. Justus es Domine, & rectum judicium tuum: qui horti nostri amore captus, plurimorum Regum, Reginarum, Episcoporum, sanctitate delectatus, Apostolicorum virorum manipulis cælum repleveras, Confessorum violas, & Virginum lilia, sanctitatem redolentia, plena manu collegeras; infrequentes tantum Martyrum laureas, frequentiores in horto esse voluisti. Et ita factum: sicut enim nupera ætas, ex uvis spinas; sic docta tua manus, è spinis uvas, & purpuras Martyrum expressisti; quo adstet Ecclesia nostra Reginæ instar circumdata varietate, in die quando alloquenda est.

XI. NOVA EPISCOPI SEDES. *Paris hic.*

Monasticæ perfectionis incremento, Ecclesiæ pomerium dilatatum est, & sacræ Hierarchiæ augmentum dedit. quod ita expressit Matthæus Parisiensis. *Anno Domini millesimo centesimo trigesimò secundò, Rex Henricus novum fecit Episcopatum apud Carleolum, in limbo Angliæ, & Galwalliæ: & posuit ibi primum Episcopum, nomine Athelulfum Sancti Oswaldi Priorem. cui peccata erat solitus confiteri. Hic autem creatus Antistes, in Ecclesiâ Sedis suæ Canonicos posuit Regulares, etiam multis honoribus ampliavit.* Ita ibi. Sed unde tam subitò, in Insulæ angulo, in urbe hactenus vix nominatâ, Sedes Episcopi? Si novæ Sedis primordia quærimus; relegenda sunt, quæ suprà sparsim de urbe illa diximus. Dani sub annum Domini nongentesimum Northumbriam depopulantes, ut loca ibi plurima, sic Carleolo irati, illud vastaverunt. Post annos circiter ducentos, Guilielmus Secundus illud pristino splendori restituit, castroque adversus Scotorum incursus munivit. ut dictum est anno superioris sæculi nongentesimo secundo. *Quo tempore urbi sic restaurata* (ita Godwinus) *præfecisse videtur Rex antedictus VValterum quendam Ecclesiastici Ordinis hominem, locupletem admodum; qui Patrem ejus in Angliam fuerat comitatus: etiam divitiis affluens, Ecclesiam in Beatæ Virginis honorem cœpit condere. habens quidem in animo opes suas universas in Cœnobii nescio cujus fundatione erogare. Sed morte illo sublato, antequam ad umbelicum rem potuerit perducere, Adelwaldus (nonnullis Athelwulfus) primus S. Oswaldi in Nosthil Prior, & Henrici tunc regnantis Confessor, author illi fuit, ut opes à VValtero relictas, in Collegii structurâ impenderet: idq; non Præbendariis, sed Canonicis Regularibus compleret; qui in Ecclesiâ à VValtero constructâ, sacra facerent perpetuò. Quod ille consilium sequutus, præter latifundia à VValtero comparata, sex Ecclesiis collegium recens conditum donavit. nimirum de novo Castro Newburne, VVarkvvare, Robery VVinchingham, & Corbridge. Atque Adelvvaldum antedictum, Priorem eidem præficiendum mandavit.*

APUD CARLEOLUM. ATHELULFUS PRIMUS EPISCOPUS.

V. an. 1092. 8.

Godvvin. in Catalo. Carleo.

FUIT PRIOR S. OSWALDI.

XII. CARLEOLUM OLIM S. CUTHBERTO DATUM.

Verùm antiquior adhuc hujus urbis memoria est, Deo sanctæque religioni donatæ. nam Cuthberto Lindisfarnensi Episcopo; qui sanctitatis prodigium suo sæculo erat; * *Etiamnum viventi* (sunt verba donationis) *civitatem quæ tum Luguballia vocata est, & in circuitu ejus quindecim milliaria donavit Egfridus, Northumbriæ Rex*: non anno sexcentesimo decimo nono, ut habet Camdenus: quia nec Egfridus tunc Rex, nec Cuthbertus Episcopus; non etiam anno sexcentesimo septuagesimo nono, ut habet Godwinus. Licet enim tunc Egfridus regnaret; Cuthbertus tamen, eo anno non induerat infulam. Donavit ergo Cuthberto Sancto: cum primùm illam induit: nimirum anno sexcentesimo octogesimo quinto, ut dictum ibi. Tunc ille * *congregationem Monialium, & Abbatissam ordinavit, & scholas ibi instituit*; ut legitur in ejus vitâ. *Postquam verò Episcopi* (sic narrat Godwinus) *Danos metuentes, ad latebras quærendas compulsi, incerti Sedibus vagarentur: & regio hæc universa, sic depopulata, & immaniter à crudelissimis barbaris vastata esset; ut quasi in solitudinem redacta, hominem multorum milliarium spatio non ostenderet: nisi unum aut alterum fortassis Hibernum, hinc inde oberrantem: Richmundiæ Archidiaconus jurisdictionem Ecclesiasticam totius Cumbriæ, VVestmorlandiæ, & Alvedaliæ; à Lindisfarnensibus Episcopis (qui jam Dunelmi consederant) per multorum annorum curriculum neglectam; usurpare paulatim cœperunt, sibiq; asserere.*

*Apud Godvvinum suprà.

V. an. 685. 4.

*Apud Capgrav. in Cuthberto.

Godvvin. in Episc. Carleo.

XIII. THURSTANUS EPISCOPUS NOVÆ SEDIS SUASOR.

Accidit tandem post novi istius Collegii structuram, Thurstanum Eboracensem Archiepiscopum hanc regionem visitare: qui Ecclesiâ perspectâ magnificentiâ, & secum animo perpendens, Sedes illa quam opportuna esset futura Cathedræ Episcopali. nec non satis habens exploratum in Ecclesiasticam jurisdictionem locorum præfatorum Archidiacono Richmundano, quam nihil esset juris. Cupiens porro fortassis numerum augere Suffraganeorum suorum: consultum putavit, Episcopum ibi loci collocare: & Collegium novum, in novum Episcopatum mutare. Rex ea de re admonitus, fundationi suæ multum favens, annuit libenter: & Papa facultatem tribuente, Canonicis data est potestas, quem vellent in Episcopum eligendi; pro Diœcesi, illi his regionibus assignatis, Cumbria, VVestmorlandia, atque Alvedalia. Hactenus ille, de novæ Sedis primâ origine. Quæ quia; ut ferè cæteræ, per Angliam, sparsæ Sedes; à Regularium ædibus primordia derivant: Monasteria dici poterunt, Cathedralium Ecclesiarum fundamenta. Et quia sublato fundamento, tolli necessum est quicquid super extruitur: cur miramur, destructis Religiosorum domiciliis, qui Fidem & Ecclesiam plantaverunt; terrisque & latifundiis auxerunt: fidem omnem sublatam, Ecclesias profanari, latifundia omnia aliò converti? Quod nupera Comitiorum authoritate factum. Porrò cum Alvedaliam quæro, novæ Diœcesis partem, vel fateri debeo me necdum illam invenisse: vel alio nomine Tividaliam dici. nam lego Dunelmenses Monachos aliquando conquestos esse, de rapinâ in holocausto. *Cum Ranulphus* (inquiunt) *Dunelmensis Episcopus exularet: & Ecclesia defensorem non haberet: Episcopi quidam, Carleil, & Tividale ad suas Diœceses applicaverunt.*

ALVEDALIA QUÆNAM?

Apud Camdenum in Cumberland.

XIV. QUANDO ELECTUS ATHELULFUS, QUANDO CONSECRATUS?

Canonici penes quos eligendi Præsulis potestas erat; cum Innocentius Papa, & Henricus Rex fundationi annuissent; Priorem suum hoc anno elegerunt. quem sequenti anno Thurstanus ad majus Sacerdotium consecravit. Nec enim unius anni spatio, proponi, discuti, & utriusque Reip. brachium implorari, porrigique poterat.

Placet

Godwin. in Carleolen.

Placet ergo quod Godwinus ait: *Adelwaldus, à nonnullis Adelwulfus etiam appellatus, Collegii antedicti Prior, Canonicorum suorum unanimi consensu, in primum istius Ecclesiæ (Carleolensis) Episcopum electus est, & Eboraci consecratus, anno millesimo centesimo trigesimo tertio. quamdiu præfuerit, aut quando decesserit, minimè habeo compertum.* Ita ille, & satis hæc dicta sint, de novâ ad Septentrionem Sede, novoque Præsule; quem Camdenus Arthulfum vocat: Harpesfeldus Athelulphum: ut uterque Matthæus.

XV. Nascitur Henricus II.

Laudanda tamen hic Henrici pietas, qui duas suo tempore, Episcoporum Sedes erigi fundarique permisit. Quod Deo gratum fuisse, hic præsens annus luculenter ostendit. Cum enim Rex ampliando Ecclesiæ pomerio, ponendisque Monasteriis, manum, operam, opemque porrigeret; Deus illum in Nepotibus illustrem fecit: & quod diu in votis habuerat, è filiâ heredem dedit. Unde Parisiensis cum novæ Sedis erectionem recensuisset, mox addit. *Eodem anno natus est Gaufrido, cognomento Plantagenet, Comitis Andegavensi, ex filiâ Regis Henrici, filius: & vocatus est Henricus. Quod cum Rex cognovisset, convocatis regni Principibus, filiam suam, & heredes ex ea nascituros sibi constituit successores.* Gratias beneficio referre statim conatus est Henricus Rex, pergendo pius esse, in patrocinio tuitioneque Ecclesiarum. Ita vacantes Ecclesias Pastoribus auxit. Dunelmensi, à Ranulfi morte viduæ, Gaufridum Cancellarium hoc anno præfecisse, Huntindonius & Hovedenus affirmant: nos tamen suprà, illum Ranulfo mortuo, ex aliorum calculo suffecimus. Sed Hervæo, superiori anno mortuo, nullum adhuc substitui. affirmant ergo prædicti Authores, Henricum, hoc anno, Nigello præfecturam illam demandasse. Licet alii in sequentem annum differant. *Post Hervai mortem* (inquit Godwinus) *vacavit Episcopatus per biennium. Deinde Maii vigesimo octavo anni millesimi centesimi trigesimi tertii, Nigellus, Rogeri Sarisburiensis Episcopi nepos, in hac Sede dicitur collocatus. In civitatem suam Eliensem, magno cum gaudio exceptus est. Obviam itum ei ab omni Clero, cum processione: & in omnibus vicis, quà erat transiturus, domus visebantur aulæis & tapetibus cooperta. Propterea quòd illius opera, & Concilio Principes uterentur plurimùm. Munia pastoralia, pro officio, ipse nequivit obire. Ob eamq; causam, Episcopatus omnem administrationem commisit alteri: videlicet Ranulpho cuidam, Monacho quandoque Glastoniensi (sed qui cucullum abjecerat) avaro & nequam. Nigellus verò pro eximiâ fidelitate erga patronum Henricum primum, & posteros ejus, magnopere, suoq; merito laudatur.* Constantiam Præsulis intelligit, in tuendo Mathildis jure, & jurejurando suo. In quod alii Præsules peccaverunt, ut infra.

Paris hic.

V. an. 1129. 10.

Godwin. in Elien.

Nigellus Eliensis Episcopus.

XVI. Henricus in Normanniam non reversurus transit.

Cæterùm quod Nigellum Eliensem, ad hunc annum referam, illud præter dicta, in causa est; quia priùs dispensatas ab Henrico Episcoporum Sedes puto, quàm mare trajecerit; Angliam revisurus non revisurus. Quod hoc anno factum, cum trigesimum secundum regni annum complesset, & tertium inchoaret. Scio Matthæum utrumque, & alios incautè illos sequentes, postremam Henrici expeditionem in Normanniam, in sequentem annum rejicere: Malmesburiensi tamen accedo; qui Regis moram in Normanniâ, per annos, & menses, cæteris articulatiùs, numerat. Cum igitur, eo Authore, Henricus Angliæ valefaciens, in transmarinis partibus, per triennium & supra, commorari contigerit: & demum sub Decembris initium mori, ejus iter ad hunc annum necessariò consignatur. Sic ergo prænominatus Author. *Anno trigesimo secundo regni, pridie transacto. Henricus Nonis Augusti (quo die, quondam apud Westmonasterium coronæ culmen acceperat) Normanniam navigavit. Ultimus ille fatalisq; regni transitus fuit. Mira tunc prorsus providentia Deitatis rebus allusit humanis; ut eo die navem ascenderet; nunquam vivus reversurus, quo dudum coronatus fuerat, tam diu & tam feliciter regnaturus. Erant tunc (ut dixi) Nonæ Augusti, & feria quarta, prosecuta sunt elementa, dolore suo, extremum tanti Principis transitum. Nam & sol ipsa die, horâ sextâ, teterâ fuligine (ut poetæ solent dicere) nitidum caput obtexit, mentes hominum ecblipsi suâ concutiens: & feriâ sextâ proximâ, primo mane, tantus terræ motus fuit, ut penitùs subsidere videretur, horrifico sono sub terra ante audito. Vidi ego & in ecblipsi stellas circa solem; & in terræ motu parietem domus, in quâ sedebam, bifario impetu elevatum, tertiò resedisse. Fuit ergo Rex in Normanniâ, triennio continuo: & tantò plùs, quantum est inter Nonas Augusti.* Quo die (ut dictum est) mare transivit, & Calendas Decembris, qua nocte discessit. Hæc ille, de Regis transitu, necessariò in hunc annum referendo: quia passim omnes Henrico parentant ad initium Decembris, & ad annum Christi millesimum centesimum trigesimum quintum.

V. an. 1100. 10.

Malmesb. Histo. Novel. fo. 177.

Prodigia sub eius discessum.

XVII.

Contin. Wigornien. hic ad an 1133

Wigornien. urbs incenditur.

Annales passim tam eclipsis, quàm terræ motus, aliorumque sub id tempus prodigiorum meminerunt: quem cum Continuator Wigorniensis nominasset, mox subdit: *Rex autem Henricus mare transiens, reliquit Angliam, non ulteriùs vita comite rediturus, vel visurus Angliam. Mense Novembri civitas Wigornia (ut crebrò solet) incendio conflagravit.* Tot hæc tantaque prodigia, terrorem plurimis, nescientibus quid portenderent, incusserunt. postea tamen creditum, Principum virorum obitus, qui revera sequutus est, argumenta fuisse. Quod de Wigorniensi dicitur, vereor Ecclesiæ illud potissimum nocuisse. nam Simonis Episcopi, addo & consequentium eum in ea Sede, parva admodum, & incerta est mentio. Moritur hoc anno Siffridus Cicestrensis Episcopus, ut è Westmonasteriensi colligit Godwinus in Catalogo: Succedit Hilarius, incertum quo anno.

ANNUS CHRISTI 1133.

INNOCENTII II. PAPÆ 4.

HENRICI PRIMI REGIS 34.

I. Gilbertus Londinen. et Urbanus Landaven. in Ro. itinere moriuntur.

Anno Domini millesimo centesimo trigesimo tertio, Gilbertus Londinensis, & Urbanus Landavensis Episcopi, pro Ecclesiarum suarum immunitate soliciti, Romam pergere, & Innocentium ibi sedentem venerari, decreverunt. Quid aliud Gilbertum moverit non invenio. De Urbano constat è * suprà dictis contentiosum diu funem, cum Menevensi traxisse. Iverit ergo ut diuturnæ controversiæ finem imponeret:

* V. an. 1130. 22

imponeret: & tandem hoc anno, & vitæ, & liti finem imposuit. Uterque enim rebus planè infectis, in itinere obiisse describuntur. De hoc tempore ita loquitur Malmesburiensis. *Tunc contentio inter Bernardum Episcopum Menevensem, & Urbanum Landavensem, de jure parochiarum; quas idem Urbanus illicitè usurpaverat, æterno fine sopita est. Tot enim ad Curiam Romanam appellationibus, tot itinerum expensis, tot causidicorum conflictibus, multis annis ventilata, tandem aliquando, morte Urbani apud Romam soluta, vel potiùs decisa est. nam & Apostolicus, æquitate rei perpensâ, religioni & justitiæ Menevensis Episcopi, quâ decebat, sententiâ satisfecit.* Quæ si vera; veritatem in Godwino, nuperæ editionis Laodavensi Episcopo, desiderare quis poterit: qui in Urbanum (cujus Sedem non sidem assequutus est) pronior, prædia enumerat, injustè (ut dicit) à Menevensi usurpata: quæ tamen, Menevensis Ecclesiæ justitiam, Roma, & antiquior testis appellat, unde novum contentionis funem ordiri videtur: scribit enim: *Re coram Papâ sex testium fide dignorum juramento comprobatâ: sententia pro Landavensi lata est: ac literæ ad Regem, Archiepiscopum, atque illarum regionum populares à Papa perscriptæ sunt, hoc ipsum testantes. Sed Urbani obitus immaturus in causâ erat, ut mandatis Pontificiis obtemperatum non fuerit. Romam siquidem, ut hanc litem persequeretur, itinere suscepto, in viâ defunctus est, anno millesimo centesimo trigesimo tertio.* Hæc ille, Malmesburiensi prorsus opposita.

Malmesb. Histo. Novell. fo. 177.

Godovin. in Landaven.

II. DE GILBERTO LONDINENSI PLATINA.

Ad Gilbertum Londinensem quod attinet; cujus etiam obitus hoc anno consignatur; *Vir tanta doctrina fuit* (inquit Platina) *ut ob varietatem disciplinarum Universalis appellaretur.* Hic è Lugdunensi, vel potius Altisiodorensi Canonico, consecratus Londinensis Episcopus anno millesimo centesimo vigesimo octavo, videtur adolescentiæ vitia, moresque alienos in sanctius vitæ genus, novâ Sacramenti unctione, & manuum impositione, mutasse. unde laudem, præter cætera ingenii talenta meruit. Hanc vitæ ejus mutationem Sanctus Clarevallensis Abbas, scriptâ ad ipsum Epistolâ laudavit in hunc modum.

Bernard. Epistola 24.

Ad Magistrum GILBERTUM Universalem Episcopum Londoniensem.

III. BERNARDUS LAUDAT GILBERTI CONVERSIONEM.

„ LONGE satis exiit sermo quem fecisti; &
„ magnum dedit suavitatis odorem ad quos-
„ cumque potuit pervenire. Extincta est ava-
„ ritia; cui non suave redoleat? Charitas re-
„ gnat: cui dulce non sapiat? Quando hoc co-
„ gnoscunt omnes, quia verè sapiens sis, qui sa-
„ pientiæ hostem maximum contrivisti. hoc cer-
„ tè, & tuo Sacerdotio dignum, & nomine. Ta-
„ li profectò decebat specialem tuam philoso-
„ phiam clarescere testimonio: hoc præclara
„ illa tua studia fine compleri. Vera illa & in-
„ dubitata sapientia est, quæ turpia lucra con-
„ temnit. & indignum sibi judicat, eodem, cum
„ idolorum servitute, contubernio frui. Non
„ magnum fuit Magistrum Gilbertum Episco-
„ pum fieri: sed Episcopum Londoniensem pau-
„ perem vivere, id planè magnificum. Nec enim
„ tanto nomini quicquam augere gloriæ potuit
„ sublimitas dignitatis: auxit autem plurimùm
„ humilitas paupertatis. Paupertatem æquo ani-
„ mo ferre, virtus patientiæ est: sponte appe-
„ tere, sapientiæ laus est. Laudatur denique,
„ & admirabilis prædicatur, qui post aurum non
„ abiit, qui verò & abjecit, plùs nihil merebitur?
„ Nisi quod vigil ratio mirandum minimè du-
„ cit; si sapiens sapienter agit: & ille sapiens, qui
„ in cunctis hujus mundi sapientiæ literis, &
„ studiis ludens, omnem quoque studuit, & po-
„ tuit divinam quodammodo revocare, & re-
„ novare Scripturam. Quid enim? dispersisti,
„ dedisti pauperibus, sed pecuniam. Quid verò
„ pecunia est, ad illam, quam pro eâ commutasti
„ justitiam? Justitia, inquit, ejus manet in sæ-
„ culum sæculi: num ita & pecunia? Quæstuo-
„ sum sanè, honestumque commercium, illam
„ quæ præterit, pro illâ dare, quæ permanet.
„ Sic semper tibi negotiari detur, bone, & omni
„ laude prosequende Magister. Superest, ut
„ laudabile principium condignum consequatur
„ finem; & cauda hostiæ capiti conjugatur. Be-
„ nedictionem tuam libenter accepimus: præ-
„ sertim quod tanta tuæ hujus perfectionis fue-
„ rit cumulata jucunditate. Latorem Epistolæ,
„ & si pro seipso satis commendabilem; tamen
„ etiam pro me vestræ magnificentiæ esse cupio
„ commendatum. Est siquidem mihi pro suâ
„ honestate, & religiositate charissimus.

GILBERTUS VETEREM ET NOVAM SCRIPTURAM, GLOSSA ILLUSTRAVIT.

IV. GILBERTI OPERA PIETATIS.

Ita scripsit Bernardus, cum Gilbertus cœpit eleemosynarum largitione clarescere, & Clarevallensibus eo genere pietatis facere benè. Aliæ etiam Ecclesiæ, locaque pia, munificentiæ ejus monumenta posteris, & immortalem viri memoriam reliquerunt. Sic Altisiodorensis Sancti Stephani Ecclesia; ubi procul dubio Canonicus fuit, nomen ejus Martyrologio suo inscripsit, pridie Idus Augusti. Unde Nicolaus Faber Parisiensis ad oram Trithemii, quem edidit de Scriptoribus Ecclesiasticis, hæc de Gilberto exaravit. *In veteri Martyrologio Ecclesiæ Sancti Stephani Altisiodorensis hæc habentur. Pridie Idus Augusti obiit venerabilis memoriæ Magister Gillebertus, veteris & novi Testamenti glossator eximius (qui Universalis merito appellatus est) hujus Ecclesiæ Canonicus. Postmodum ergo Londoniensis factus Episcopus, præter cætera quæ Ecclesiæ nostræ ex Angliâ transmiserat ornamenta, eidem octoginta & duas libras contulit. Fratres verò inde possessiones ementes, anniversarium ejus singulis annis devotè celebrari instituerunt.* Ita ibi. & sic impletur, quod suprà dixit Bernardus: Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Apud Picardum in notas Epistola 24 S. Bernardi.

V. STEPHANUS HARDINGUS MORITUR, ET VITÆ RELIQUUM.

V. an. 1098. 18. 19. 20.

Mortalis hic annus est. Huc enim Stephani Hardingi mortem refert Pitsius: & quia suprà vitæ exordium, & pro Cisterciensi fundando Ordine labores exposui, omitti non debent reliqua, quæ ante mortem, præclara de eo narrantur. Tertius fuit Cisterciensis familiæ Abbas, & Alberici successor. de quo in Chronico Sigeberti hæc leguntur. *Albericus Abbas Cistercii, supernæ vocationis bravium, ad quod ibidem per novem annos, non in vacuum cucurrit, decimò comprehendit. Cui successit Dominus Stephanus, homo natione Anglicus, religionis, paupertatis, disciplinæque regularis ardentissimus amator, fidelissimus æmulator. In hujus diebus verum esse potuit, quod scriptum est: Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. Porrò à principio, cum novos in ramos, novella cœpisset pullulare plantatio, Venerabilis Pater Stephanus sagacitate pervigili, mira providerat discretionis scriptum, tanquam putationis ferramentum,*

Chronicon Sigeber. an. 1107.

ad-

ad præscindendos videlicet schismatum surculos, quicumque succrescentes mutua pacis præfocare poterant exorituturum fructum. Vnde & scriptum illud : CHARTAM CHARITATIS, competenter voluit nominari : quod ea tantum quæ sunt charitatis, tota ejus series redoleat. Ita ut penè nihil aliud sui prosequi videantur, quàm nemini quicquam debeatis, quàm ut invicem diligatis. Quæ quidem Charta sicut ab eodem Patre digesta, & à viginti Abbatibus confirmata, sigilli quoque Apostolici authoritate munita est, & largiùs continet ea quæ diximus. Hæc ibi, de Stephano.

VI. Statutorum Cistercensium author Stephanus. Chronicon suprà.

Hinc conjectura docimur opinari, statuta illa quæ ad Urbanum Secundum aliqui referunt, alii ad Callistum Secundum, alii denique ad Eugenium Tertium, è Charta charitatis, quam Stephanus edidit, potissimùm prodiisse. Quod è statutorum summâ, quæ in prædicto Chronico legitur, colligere est, ubi hæc habentur. *Abbas Cistercii, & Fratres ejus, non immemores sponsionis suæ, Regulam Beati Benedicti in loco isto, ordinare & unanimiter statuerunt tenere : rejicientes à se quicquid Regulæ refragatur. floccos videlicet, & pelliceas, estamina, caputia quoque & femoralia, pectinia, & coopertoria, stramina lectorum, ac diversa ciborum in Refectorio fercula : sagimen etiam, & cætera omnia, quæ puritati Regulæ adversantur. Sicq; rectitudinem Regulæ, supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis, quàm in cæteris observationibus, Regulæ vestigiis sunt adæquati, seu conformati. Exuti ergo veterem hominem, novum se induisse gaudebant. Et quia nec in Regulâ, nec in vitâ S. Benedicti, eundem Doctorem legebant possedisse Ecclesias, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos : nec etiam feminas Monasterium ejus intrasse, nec mortuos ibidem, exceptâ sorore suâ sepelisse : ideo hæc omnia abdicaverunt, dicentes. Vbi B. Pater Benedictus docet, ut Monachus à sæcularibus actibus se faciat alienum : ibi liquidò testatur hæc non debere versari in actibus, vel cordibus Monachorum, qui nominis sui etymologiam hæc fugiendo sectari debent. Decimas quoque aiebant à Sanctis Patribus, qui organa erant S. Spiritus; quorumque statuta transgredi, sacrilegium est; in quatuor partitiones cõmuniter distribui. Vnam scilicet Episcopo : alteram Presbytero; tertiam hospitibus, ad illam Ecclesiam venientibus : seu viduis, & orphanis, sive pauperibus aliunde victum non habentibus : quartam in restaurationem Ecclesiæ. Et quia in hoc computo, personam Monachi, qui terras suas possidet, unde & per se, & per pecora sua laborando vivat, non reperiebant : Idcirco hæc velut aliorum jus injustè sibi usurpare detrectabant.*

Quæ respuunt Cistercien.

VII. Quæ, et quos admittunt?

Tunc definierunt, se conversos Laicos barbatos, licentiâ Episcopi sui, suscepturos : eosq; in vitâ & morte, excepto Monachatu, ut semetipsos tractaturos : & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenariè, die nocteq; præcepta Regulæ posse servare. Suscepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & silvas, aquasq; ad faciendos molendinos, ad proprios tamen usus, & ad piscationem, & equos, pecoraq; diversa, necessitati hominum utilia ad exercendas agriculturas. Decreverunt ut prædicti conversi domos illas regerent, non Monachi : quia habitatio Monachorum, secundùm Regulam, debet esse in claustro ipsorum. Quia etiam Beatum Benedictum, non in civitatibus, nec in castellis, aut in villis : sed in locis à frequentia populi semotis Cœnobia construxisse Sancti Viri illi sciebant. Idem se æmulari promittebant. Et sicut ille per duodenos Monachos Monasteria constructa, adjuncto Patre disponebat : sic se facturos confirmabant. Hactenus Cisterciensium Monachorum statuta, è Chartâ Charitatis, excepta ab Authore Chronici. Quæ ideo refero, quia ab Anglo dictata, Anglorum genio arrisisse videntur admodum. Hinc supra Rivallense Monasterium, quod Walterus extruxit, Stephani discipulus, in *loco horroris vastæq; solitudinis* : hinc statim arctioris vitæ studio, & Benedictino instituto penitùs inhærendi, quod ab Stephano in Galliis factum, imitabuntur Angli : & sanctam Regulam, vitio temporis, paulò laxiorem; relicto Monasterio, cui nomen dederant, ad secretiora loca, in duodenario numero migrabunt. Sed prius Stephani reliqua prosequamur.

VIII.

Ab anno septimo hujus sæculi, Cisterciense Cœnobium moderatus, ea dedit charitatis, mansuetudinis, & aliarum virtutum argumenta, quæ plures ad Monasticæ vitæ amorem, & eos inter Bernardum Sanctum, sociosque ejus attraxêre; adeoque sanctitatis opinione floruit, ut in Gallicano Martyrologio locum meruerit ad decimum septimum Aprilis : ubi hæc leguntur. *Eodem die apud Cistercium, festum Sancti Stephani Abbatis, qui efflorentem Cistercii Ordinem copioso benefactorum imbre irrigavit, & Sanctum Bernardum, præcipuum totius Ordinis decus suscipiens, cum triginta sociis, habitu Monastico induit. Sicq; ut alter Elias, demisso novo huic Elisæo, pallio cum spiritu, ad cælestia placido excessu translatus est habitacula.* Ita ibi. Addit Malmesberiensis in eo * *scientia literarum cum religione quadravit.* Unde non malè inter Angliæ illustres Scriptores, à Pitsio ponitur, qui & ejus opera recenset. Omittit tamen, quam ad Ludovicum, Francorum Regem, Epistolam, in causâ Parisiensis Episcopi dedit, quæ inter Bernardi Epistolas legitur numero quadragesima quinta, à Baronio recitatur anno millesimo centesimo vigesimo septimo, atque ita inscribitur.

Gallica. Martyro. 17. Aprilis.

Stephanus habitum Monasticum dedit S. Bernardo.

* Malmesb. l. 4. de Regib. fo. 127.

Eximio Regi Francorum Ludovico, Stephanus Abbas Cisterciensis, totusque Conventus Abbatum & Fratrum Cisterciensium. Salutem, sospitatem, & pacem in Christo Jesu.

Inter Bernardi Epistolas Epistola 47.

IX. Stephani admonitoria ad Regem Francorum.

„ Rex cæli & terræ, regnum vobis in terrâ
„ donavit, donaturus & in cælo, si id quod
„ accepistis, justè & sapienter administrare stu-
„ dueritis. Hoc est quod vobis optamus, & pro
„ vobis oramus, ut & hic fideliter, & illic fe-
„ liciter regnetis. Cæterùm vos quonam con-
„ silio eisdem nostris pro vobis orationibus;
„ quas, si recolitis, olim tam humiliter requisi-
„ stis, modo tam acriter repugnatis? Quâ enim
„ jam fiduciâ, manus pro vobis levare præsumi-
„ mus ad sponsum Ecclesiæ : quam ita, & sine
„ causâ, ut putamus, ausu inconsulto, contrista-
„ tis? Gravem siquidem adversum vos, apud
„ eundem sponsum, & Dominum suum queri-
„ moniam deponit : dum quem acceperat de-
„ fensorem, sustinet oppugnatorem. Attendi-
„ tis jam cui ex hoc infensum vos redditis. Non
„ utique Episcopo Parisiensi, sed Domino pa-
„ radisi, & quidem terribili, & ei qui aufert spi-
„ ritum Principum. Ipse quippe est, qui ad

„ Episcopos dicit: Qui vos spernit, me spernit. „ Hæc ita vobis, & pro vobis, audacter quidem, sed amanter, intimare curavimus: monentes & rogantes per illam invicem amicitiam „ nostram, & fraternitatem: cui vos satis dignanter sociastis: sed nunc ipsam graviter „ læsistis; quatenus à tanto malo citiùs desistatis. Alioquin si non meremur exaudiri, sed „ contemnimur: & nos Fratres, & amici vestri, „ & qui quotidie oramus pro vobis, & filiis vestris, & regno; ex hoc jam noveritis parvitatem nostram, in quibus valuerit, non posse „ deesse Ecclesiæ Dei, & Ministro ejus, Venerabili videlicet Patri, & amico nostro, Episcopo Parisiensi, qui nostram adversus vos humilitatem interpellans, nostras pro se ad Dominum Papam, jure fraternitatis, literas requisivit. Verum nos justum ducentes, his priùs literis, vestram Excellentiam convenire: præsertim quia idem Episcopus per manum „ omnium religiosorum, se ad justitiam offert: „ si tamen priùs (quod quidem eadem ipsa justitia exigere videtur) res ei suæ injustè ablatæ restituantur. Ejus interim petitioni differendo supersedimus. Et si quidem Deo inspirante, placuerit vobis, nostris precibus aurem inclinare, nostro consilio, studioque, „ pacem cum Episcopo, imo cum Deo reformare: parati sumus hujus rei gratia fatigari „ usque ad vos, quocumque vobis placuerit. „ Sin autem: nos amicum audire, & Dei Sacerdoti obedire, necesse est. Valete.

X. QUANDO MORITUR? Extant & aliæ literæ, quas idem Stephanus, cum Hugone Pontiniacensi, & Bernardo Clarevallensi, Romano Pontifici, in eâdem causâ porrexit; quia Ludovicus in injuriâ perrexit. Ego ad Stephani mortem pergo, & tempus inquirens, non aliud reperio; quàm scriptum à Pitsio, hunc in modum: *Tandem senex, & cæcus abdicavit se Abbatis officio, & non multo post tempore, sanctissimè obdormivit in Domino, anno salutiferæ nativitatis plùs minùs millesimo centesimo trigesimo tertio, regnante in Angliâ Henrico Primo.* Sed mori non debet in Annalibus istis, nisi priùs elogium ejus è Malmesberiensi recenseo. *Haud dubiè*, inquit, *nutu divino Stephanus, absens sciam in Abbatem eligitur, dux olim facti totius, speciale & insigne nostrorum dierum decus. Cujus quanti sit meritum testantur Abbatiæ sedecim, jam per eum factæ, & septem cœptæ. Ita ipse resona Dei tuba, circumpositos cum verbo, tum exemplo, in cælum dirigit, nihil infra præceptum faciens; sermone comis, facie jocundus, animo semper in Domino lætus. Hinc palam præclari vultus gaudium: hinc clam illud desuper veniens irriguum: quia incolatum istum fastidiens, patriam continuo amore desideret. per hæc favorabilis cunctis habetur: quia Deus amorem viri quem diligit, in animos hominum dignanter refundit. Quocirca beatum se computat terræ illius indigena, quisquis per illius manum, pecunias suas transmiserit ad Deum. Plura quidem ille accipit. sed parum in suos suorumq; usus expensis; cætera in egenos, Monasteriorumq; ædificationem confestim dispertit. Est enim Stephani marsupium, omnium egentium commune ærarium.*

Pitsius in Stephano Hardingo.

Malmesb. l. 4. de Reg. fo. 128.

EIUS ELOGIUM.

XI. ABSTINENTIÆ ILLIUS. *Abstinentiæ illius est indicium, quod nihil ibi, sicut in cæteris Cœnobiis, videas fulgurare auro, renitere gemmâ, micare argento. Nam ut gentilis ait: In sancto quid facit aurum? Nos in sacratis vasis parum putamus actum, nisi crassi crustam metalli obumbret honor lapidum, vel topaziorum flamma, vel amethistorum viola, vel smaragdorum lux herbida: Nisi tunicæ Sacerdotales auro ludant: nisi multicoloribus parietes picturis reniteant, & solem ad lacunar sollicitent. At vero illi, ea quæ prima mortales falsò æstimant, in secundis habentes; omne studium in ornandis moribus ponunt: magisq; amant splendidas mentes, quàm auratas vestes: scientes quod benefactorum retributio optima est, munda frui conscientia. Quinetiam laudabilis Abbatis clementia; cum vel vult, vel velle se simulat, aliquid de jugo regulæ inflectere; illi contra nituntur. non multum vitæ suæ superesse dicentes: nec tam diu se victuros, quàm vixere: sperare se duraturos in proposito, & successuris futuros exemplo: qui si flexi fuerint, peccabunt. Et profectò fiet, pro humanâ debilitate; cujus perpetua lex est; ut nihil maximis laboribus partum, possit diu consistere. Sed ut omnia quæ de illis dicta sunt, aut dici possunt, in summam conferam. Sunt hodie Monachi Cistellenses* (Cistercienses intelligit) *omnium Monachorum exercitium, studiosorum speculum, desidiosorum œstrum.* Hæc omnia de Stephano, & institutis ab eo Monachis Malmesburiensis. Quæ ideo retuli, quia in sequentibus confirmanda sunt, eorum exemplo, qui sacrum illud institutum in Angliâ (& plurimi fuerunt) sequuti sunt.

XII. FONTANEN. MONASTERII PRIMORDIA. Quod igitur suprà dictum de perfectis à Stephano vivente sedecim Abbatiis, septemque imperfectis: indubiè de Monasterio intelligi debet, quod fundatum in Eboracensi agro ad hunc annum refertur: & eo modo natum, quo Cistercium est: nimirum, laxior in Monasteriis disciplina, terruerat aliquos; nè præter Regulæ mentem, in vacuum currerent, aut cucurrissent. Adde nova Cisterciensis familiæ lux, piorum mentes perstrinxerat, & ad ambulandum in eâ virtutum odore pellexerat: eo studiosiùs, quòd ex Anglicano cælo lux illa primùm fulsisset. Sic Eboracensium Monachorum aliqui, quos Spiritus Sanctus ad perfectiora excitavit, Orientem nuper lucem sequuti; Monasterium, non Monachi mentem, mutaverunt; novum sibi Cœnobium, & strictiorem disciplinam eligentes. De quo hæc habet Neoburgensis, ubi Thrustanum Archiepiscopum, quem cum paucis aliis Trustinum vocat, à pietate commendat; nam illi imprimis Fontanensis Monasterii primordia debentur. Sic ergo Author: *Thrustini Archiepiscopi Eboracensis, inter cætera bona quæ operatus est, pio studio, & religiosa industria, potissimum attribuenda est fundatio atque provectio celeberrimi Monasterii Fontanensis: cujus memorandi operis talis fuisse occasio perhibetur.*

Neoburgen. l. 1. c. 24.

XIII. EIUS ORIGO, AB EGRESSU EBORACENSIUM MONACHORUM. *Quidam Eboracenses Monachi, numero duodecim, vel tredecim, ferventes spiritu, & scrupulosam habentes conscientiam; dum acutiùs inspicerent, quod juxta Traditiones, vel Cluniacenses, vel alias consimiles, religiosam quidem vitam ducerent: sed Beati Benedicti Regulam, quam profitebantur, minùs ad literam observarent: aliquid melius fortiusq; acturi (nam Cisterciensis Ordinis, qui nuper esse cœperat, fama jam celebris erat) suum Monasterium reliquerunt. Quorum studium zelumq;, Venerabilis Trustinus amplexus, egressos paternè excepit, materna pietatis sinu fovit, & in suis penetralibus, pro tempore occultatos; donec eis, prout animo conceperat, provideret; tandem in loco pascua collocavit. Et vocatur locus*

ille Fontes; ubi ex tunc, & deinceps tanquam de fontibus Salvatoris tam multi hauserunt aquas salientes in vitam æternam. Sanè paulò ante, à nobili viro Walterio Espec invitati, & à felicis memoria Abbate Bernardo directi Monachi Clarevallenses, in Eboracensem provinciam venerant: & in loco, qui nunc dicitur Rievallis; tunc autem erat locus horroris & vastæ solitudinis, mansionem acceperant, præfato viro tradente, & Venerabili Trustino Episcopalem cum affectu paterno favorem præbente. Horum exemplo Monachi illi Eboracenses incitati, atque ad arripienda fortiora animati; memorati Abbatis (cujus memoria in benedictione est) magisterio se tradiderunt. Et distincti locis non animis, hi & illi, arctam viam quæ ducit ad vitam paribus votis, & studiis infatigabiliter currere cœperunt. Hæc ille.

XIV. Conqueritur Eboracensis Abbas.

Ægrè tulit Eboracensis Monasterii Abbas familiæ suæ decrementum: & eorum recessum, qui maximum erant religiosi Ordinis ornamentum. amicè itaque cum Clarevallensi Abbate expostulat, queritur Cœnobii sui orbitatem, timet domus ruinam, si columnæ desint, quibus fulciatur: denique consilium auxiliumque implorat, quid facto opus, cum filii à parentibus abstrahuntur. Bernardus respondit Epistolâ nonagesimâ quartâ, quæ inter ejus Epistolas legitur sic inscripta.

Ad Abbatem cujusdam Monasterii Eboracensis, unde exierat Prior, cum aliquantis Fratribus.

Bernardi Epistola 94. Bernardi responsum.

„ Consilium expetitis à me literis transmarinis, quod utinam ab alio potiùs quæsissetis. Coarctor siquidem è duobus. Si enim non respondeo; taciturnitas contemptum quodammodo sonare videbitur. Respondere autem sine periculo me posse non video: cum quicquid respondero; necesse sit, aut scandalum cuiquam generare, aut reddere securum quemquam, plùs quàm oportet: aut certè in quo non oportet. Quòd à vobis recesserunt Fratres vestri; nec nostro, nec nostrorum factum est, me sciente, consilio aut hortatu. Credimus autem ex Deo fuisse: quod nec tantis potuit dissolvi conatibus. Credimus hoc idem, & ipsos sentire Fratres, qui nostrum tantopere de seipsis consilium flagitant. Credo remordente eos conscientiâ, quòd retrò abierint. Alioquin beati sunt (secundùm Apostolum) si se non judicant, in eo quod probant. Cæterùm quid faciam, ut interrogatus, nec silendo, nec respondendo, molestus sim cuiquam? Ita fortassis expediat, si misero eos, qui me interrogant, ad doctiorem; cujus reverentior, sanctiorque authoritas sit.

XV. „ Sanctus Papa Gregorius in libro Pastorali: Quisquis bonum majus subire, inquit, proposuit: bonum minus, quod potuit, sibi illicitum fecit. Ad quod probandum, subjicit testimonium de Evangelio, dicens: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno cælorum; & infert: Qui igitur fortiori studio intenderat, retrò respicere convincitur, si relictis bonis amplioribus, ad minima retorquetur. Item ipse in Homiliâ tertiâ, super Ezechielem. Sunt nonnulli, qui bona quidem, quæ noverunt, operantur: atque hæc operantes, meliora deliberant: sed retractantes meliora quæ deliberaverant immutant. Et quidem bona agunt, quæ cœperant: sed à melioribus, quæ deliberaverant, succumbunt. Hi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere: sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. En speculum. In hoc non vultum nativitatis, sed factum reversionis suæ considerent. Hic se discutiant: hic se dijudicent; cogitationibus suis accusantibus, sive defendentibus: & quidem apud spiritualem, qui omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur. Quidnam verò majus aut minus, superius an inferius; arctius sive remissius sit, quod videlicet reliquerunt, an ad quod redierunt: ego quidem haud temerè definierim: Ipsi viderint. Et hoc illis Gregorius. Tibi verò Pater Reverende, tam tutâ certitudine, quàm nudâ veritate ego dixerim: Omnino non expedire, spiritum velle extinguere. Noli, inquit, prohibere eum qui potest benefacere: sed si vales, & ipse benefac. Gloriari autem magis oportet, in profectibus filiorum: quoniam filius sapiens, gloria est Patris. De cætero nemo mihi molestus sit, quod justitiam Dei non abscondi in corde meo: nisi quod minùs fortasse, ob vitandum scandalum, quàm debui, dixi. *Proverb. 3.*

XVI. Supplevit Bernardus; si quid minùs erat, quod ob vitandum scandalum occultarat; cum Thurstanum Episcopum eximiè laudat, quòd Monachorum, qui exierant, patrocinium susceperit, & alimenta præbuerit. Cui scribit in hunc modum.

Ad Archiepiscopum Eboracensem.

Bernardi Epistola 95. Trustanum laudat Bernardus quod Monachis faverit.

„ Splendor operis, & opinionis odor, benè (ut comperi) in gloriâ vestrâ convenerunt. Opinionem opus probat, nec falsam fuisse, nec vacuam: cum quod ante sparserat ubique volans fama, ubique res ipsa faciat manifestum: quomodo nunc maximè claruit zelus justitiæ; eminuit & invaluit Sacerdotalis vigor, in defensione videlicet pauperum, & pauperum quibus non erat adjutor. Olim quidem opera misericordiæ, & eleëmosynas vestras enarrabat omnis Ecclesia Sanctorum. Sed hoc vobis commune cum pluribus: quippe quod à cunctis substantiam hujus mundi habentibus exigitur. Verùm hoc opus Episcopale, hoc paternæ pietatis tam eximium specimen, hic verè divinus fervor, quo pro tuendis suis pauperibus, ille procul dubio zelum vestrum accendit & accinxit, qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem urentem: Hoc totum, inquam, speciale accessit vestræ dignitatis decus, insigne officii ornamentum coronæ. Aliud est reficere ventrem esurientis; & aliud sanctam zelare paupertatem. Ibi enim servitur naturæ, hic gratiæ. Visitabis, inquit, speciem tuam, & non peccabis. Ergo qui alienam carnem fovet, facit nè peccet. Qui autem alienam sanctitatem honorat, fructificat sibi. Ideo ait: Desudet eleëmosyna in manu tuâ, donec invenias justum, cui des. Quo fructu? Quoniam qui recipit justum in nomine justi; mercedem justi accipiet. Solvamus proinde naturæ debitum, *Iob 5.* *Matth. 10.*

ne

„ ne peccemus: simus gratiæ coadjutores, ut &
„ participes fieri mereamur. Sanè utrumque in
„ vobis ita admiramur, ut utrumque datum vo-
„ bis desuper fateamur: quatenus divinis laudi-
„ bus æternaliter misceatur, quicquid ex vobis
„ temporaliter necessitatibus nostris impenditur,
„ meritò reverende, & omni amoris synceritate
„ colende, atque amplectende Pater.

XVII. FONTANENSIS MONASTERII INCREMENTA. *Harpesf. sæc. 12. c. 43.*

Incepit hoc modo Fontanense Monasterium: & Richardus Prior in Abbatem eligitur: omnesque *ad incultam & horridam solitudinem* (loquitur Harpesfeldus) *quæ à Rippomensi oppido, tribus ferè milliaribus secernitur, secesserunt, Templum ac domicilium ibi constituentes, totius paupertatis acerrimi sectatores. Et quia locus ille fontibus affluebat, Cœnobium inde nomen suum, felici prorsus omine, traxit. Vera enim ibi, & viva totius pietatis, & cælestis desiderii aqua abundè manabant, quæ in vitam æternam saliebant. Novaq; post hæc tempora tam Cisterciensium, quàm aliorum Monachorum Cœnobia; tamq; numerosa, non modò in Eboracensi Diœcesi & provinciâ, sed & passim prodierunt. Ut omnem illam ruinam, & jacturam, quam Dacorum antea rabies, in hac præsertim regione nobilissimis Monasteriis invexerat, magno cum fenore, singularique pietatis accessione, resarcierunt.* Ita ille. In eandem planè sententiam, & statim à Fontanensis Cœnobii fundatione, scripsit Neoburgensis: *Benedixit Fontanensibus Monachis Dominus benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum vulvæque: ut non solum in omnipotentis Dei servitiis copiosam multitudinem aggregarent: sed etiam largioribus eleemosynis in pauperes dispergendis sufficerent. Quod autem Domino Christo, tanquam api argumentosæ servirent; ex fructibus eorum cognoscitur, numerosis scilicet sanctorum collegiis, quæ ex se tanquam quædam rationalium apum examina emiserunt; & non solum per Anglicanas provincias, verum etiam in barbaras nationes sparserunt.*

Neoburgen. l. 1. c. 14.

XVIII.

Tam illustria fuerunt virtutum multarum argumenta, quæ primi Fontanensis familiæ Monachi ediderunt, ut Bernardum ,. Clarevallensem Abbatem, admiratorem & laudatorem meruerint. testis Epistola quam ita inscripsit.

Ad RICHARDUM Fontanensem Abbatem, & Socios ejus.

Episto. Bernardi 96.

CONGRATULATUR BERNARDUS FONTANENSIBUS MONACHIS.

„ QUANTA audivimus & cognovimus, ea &
„ Fratres nostri, uterque Gaufridus, an-
„ nuntiaverunt nobis: quemadmodum noviter
„ recaluistis igne Dei; convaluistis de infirmita-
„ te, refloruistis in novitate sanctâ. Digitus
„ Dei est iste, subtiliter operans, suaviter reno-
„ vans, salubriter mutans: non quidem de malis,
„ bonos; sed de bonis faciens meliores. Quis
„ dabit mihi ut transeam, & videam visionem
„ hanc magnam? Nec enim minùs mira, mi-
„ nùsve jucunda ista promotio est, quam illa
„ mutatio: nisi quod multo facilius reperias
„ multos sæculares converti ad bonum, quam
„ unumquempiam de religiosis transire ad me-
„ lius. Rarissima avis in terra est, qui de gradu
„ quem fortè in religione semel attigerit, vel
„ parum ascendat. Vestrum proinde dilectissi-
„ mi, tam insigne, quàm salubre factum, non
„ solum nos qui servi vestræ sanctitatis esse per-
„ cupimus: sed & universam meritò lætificat
„ civitatem Dei: quippe quò rarius, eò & ca-
„ riùs. Erat autem & necessarium ad caute-
„ lam proximam defectui mediocritatem trans-
„ cendere, & declinare teporem, qui de eo vo-
„ mitum provocat: sed & sic oportebat pro-
„ pter conscientiam. Professis siquidem sanctam
„ regulam; an citra ejus puritatem sistere gra-
„ dum, tutum sit; ipsi sensistis. Dolens doleo,
„ quod urgente diei malitiâ, & nuntio festinan-
„ te, plenum affectum, exili cogor designare
„ stylo, & brevi chartulâ latam comprehendere
„ charitatem. Si quid deest Frater G. viva vo-
„ ce supplebit.

XIX. SANCTI ROBERTI ABBATIS PRIMORDIA. ** Marty. Rom. 7. Iunii*

Reynerus in Apost. tract. 2 fo. 158.

Viri cœperant Fontanenses Monachi religiosæ conversatione clarescere: cum idem vitæ institutum, qui Deo intimiùs adhærere cupiebant, amplecti conarentur. *Ita Robertus ille, qui in omnibus Martyrologiis Sanctus nominatur: cum Whitby Monasterium ingressus (fuerat id olim S. Hildæ Monasterium, de quo sæpè in superioribus dictum: postmodum *incursantibus barbaris destructum, Gulielmus Percii, Hugonis Comitis Cestriæ filius, circa tempora Henrici Primi restituit: & insignibus dotatum prædiis, Serloni fratri suo Monachisque Benedictinis inhabitandum dedit*, inquit Reynerus.) Hoc, inquam, Monasterium ingressus, cum alibi magis calentes pietatis radios inaudisset; solem illum excipere, cum Abbatis sui benedictione statuit. Quod ita in vitâ ejus, apud Surium, exprimitur, cum sanctæ vitæ exordio. *Robertus optimâ indole puer, ex Eboracensi provinciâ oriundus, literis & pietate ab infantiâ imbutus; propter morum probitatem, adultâ jam ætate, animarum cura in Ecclesia quadam præfectus est. Sed cum periculosum admodum illud regimen sibi esse prudenter intelligeret; eo protinùs abdicato; Monasticæ disciplinæ in VVhitbensi Cœnobio se tradidit. Per id tempus Richardus (Prior) Monasterii S. Mariæ Eboracensis, locum quendam a Thurstino Archiepiscopo accepit, ut in eo, Cisterciensium mores (qui præcipuâ quadam sanctitatis opinione florebant) vitamque, æmularetur. Præstitit hoc egregiè: prorsus, ut nocte dieque in laboribus versaretur: & in summâ vitæ asperitate, propter conscientiæ puritatem, incredibili sanè gaudio exultaret. Iis vitæ spiritualis deliciis captus Robertus, eandem in sodalitatem, summâ Abbatis sui voluntate concessit. In quâ annis ad modum quinque exactis, tantam sanctitatis apud omnes opinionem consequutus est; ut nobilis quidam in Northumbria regione, amplissimâ possessione, eum invitaverit, ut novum Monasterium ibi extrueret, suisque precibus mala cuncta profligaret.* Ita ibi. Addunt alii datum ei novum Monasterium anno Domini millesimo centesimo trigesimo septimo. Unde colligo (nec enim aliunde temporis rationem venari possum) cœptum Fontanense Monasterium, anno saltem millesimo centesimo trigesimo tertio; ut à Roberti ingressu, ad egressum, anni fermè quinque numerentur.

Lippolous 7. Iunii.

Capgrau. in Roberto Abbate.

XX. MATHILDI NASCITUR SECUNDO GENITUS.

Hoc anno millesimo centesimo trigesimo tertio, cum Henricus adhuc in Normanniâ hæreret, Mathildi nascitur secundo genitus, Galfridus nomine. quod Regi, qui diu nepotes optaverat, adeo arrisit, ut Angliæ, regnique sui oblitus videretur. quod Matthæus Westmonasteriensis ita expressit. *Mathildis Imperatrix peperit alterum filium, quem vocavit Galfridum. Unde Henricus Rex, in Normanniam transiens, moratus est ibi præ gaudio Nepotum.* Fortè, ob natum hunc filium,

Bernardus Sanctus Mathildi scripsit Epistolam, quæ trecentesimâ quadragesimâ quartâ inter ejus Epistolas numeratur, cum hoc titulo.

Epistola Bern. 344.

Illustrissimæ Dominæ, & dilectissimæ in Christo filiæ (quod non ex præsumptione loquor, sed ex affectu) MATHILDI Dei gratia Anglorum Reginæ, BERNARDUS.

AD MATHILDEM SCRIBIT IN CAUSA ABBATIS.

„SI de vestra sublimitate præsumo, non est mirum. Jam enim non ego solus sentio, sed omnes penè noverunt, quomodo nos acceptetis, & quanto nos diligatis affectu. Propter quod rogatus sum à quodam amico vestro, Venerabili Abbate de Capella, ut pro decima quadam vos rogemus: Unde si benè meministis, Boloniæ vos rogavi. vos quoque more vestro benignè audistis me. Sed quia nondum factum est, quod rogamus, tempus est ut jam petitio illa mancipetur effectui. De cætero benè servate mihi filium, quem nunc peperistis: quia & ego quoque (si Regi non displicet) in eo mihi vendico portionem. Vale. Dixi, fortè, Galfridum Mathildis filium intelligi: quia video multiplici dubio locum esse posse. cum Mathildis hæc, Anglorum Regina scribatur, quæ vivente Patre ita nunquam audiit. Unde suspicari quis poterit, ad Mathildem Henrici, non filiam, sed uxorem, quæ dudum obiit referendum. Nisi quod Bernardus tunc junior, necdum in nomen famámve surrexerat. & Boloniæ mentio, non illi; sed Mathildi Imperatrici, quæ dudùm ex Angliâ in Normanniam trajecerat, opportunior est. Hæc etiam tres filios illis in partibus peperit. Henricum anno superiore: Galfridum nunc, Nannetensem Comitem, & Guilielmum dictum Pictaviensem Comitem. *Heredes legitimos Anglici Principatus, non solùm ex parte Henrici Regis, verum etiam ex parte Sanctæ Mathildis Reginæ aviæ eorum.* (inquit Gemiticensis l. 7. c. 25.) Verùm longè probabilius Mathildem hanc ad quam Bernardus Epistolam dictat, Stephani Regis conjugem esse, quæ Mathildis quoque dicebatur: & quod de Rege dicitur, de Stephano debet intelligi, ut infra dicam ad an. 1140. 3. In horum unum filii mentio cadere, opinor, debet. Cæterùm hoc anno ortus, occasum ferè Mathildi dederat.

Paris an. 1134.

nam *jacuit eo tempore* (loquitur Parisiensis) *Imperatrix filia Regis graviter infirmata, propter difficultatem partus filii sui, quem nuper genuerat: sed Matrona prudens thesauros suos, viduis, orphanis, Ecclesiis ac Monasteriis largâ manu distribuens, periculum mortis evasit.* Tunc ergò multa pietatis, & Regiæ munificentiæ argumenta dedit, petiitque ab Henrico in Beccensi Monasterio sepeliri, ut

V. an. 1128. 2. 9.

pluribus Gemiticensis refert, quæ suprà dedi. Tunc etiam, opinor, Monasterium fundavit ad Bordesley in Comitatu Buckingamensi, deditque Cistereiensibus Monachis. Vide Catalogum.

ANNUS CHRISTI 1134.

INNOCENTII II. PAPÆ 5.

HENRICI PRIMI REGIS 35.

I. CANTUARIEN. ET LINCOLNIEN. EPISCOPI DISSENTIUNT.

SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus trigesimus quartus: quo Guilielmus Cantuariensis, & Alexander Lincolniensis Episcopi, rebus suis, nescio an Ecclesiæ consulentes; in partes trahuntur adeo; ut omne in Angliâ judicium subterfugerint. Unde mare transeuntes Henrici Regis arbitrio (judicium appellare non audeo) se causamque permittunt. *Transfretavit* (inquit Huntindonius) *Archiepiscopus Willelmus, & Alexander Lincolniensis Episcopus, ad Regem, pro discordiâ quæ inter eos erat, pro quibusdam consuetudinibus parochiarum suarum.* Nec plura addit. Noluit opinor Guilielmus ejus stare sententiæ, quem Henricus in Angliâ suo loco substituerat. Is erat Rogerius Salisberiensis Episcopus, Alexandri patruus, de quo Malmesburiensis. *Totius regni moderamen Rogerii delegavit justitia; sive ipse adesset Angliæ, sive moraretur Normanniæ. Denique Rex plerumque triennio, nonnunquam quadriennio, & eo amplius, in Normanniâ moratus*, omnia Rogerio committebat. Ad hunc Guilielmus, pro causæ suæ patrocinio, nólens descendere, in Normanniam profectus est. Quid inde factum nemo prodidit, fortè quia Ecclesiasticos sæculare brachium implorare, peregrinum erat, & silentio potius tegenda sententia.

Malmesb. de Regib. l. 5. fo. 161.

II. MORITUR ROBERTUS NORMANNIÆ DUX.

Hoc anno moritur Robertus, cognomento Miser; quia è magnis natalibus, & magnæ bellicæ quondam virtutis gloriâ, in diuturnas ærumnosæ vitæ miserias, & triginta ferè annorum vincula descendit. fuit Guilielmi Primi filius natu maximus; Henrici Regis frater, natu major, & jure ad regnum, si in Patrem pugnans non excidisset. Hæc prima miseriarum causa. Altera, quæ nonnemini gravior est, quòd Jerosolymitani regni tunc onus declinarat; cum secundissimo Marte, devictis nobiliter hostibus, illud meruisset. Quicquid sit, miseriarum finem, cum vitæ fine accepisset sine dubio, si tot annorum ut aliqui volunt, cæcitatem, tot carceris molestias patientiùs tulisset. Gemiticensis ejus mortem ita paucis absolvit. *Robertus, Dux Normannorum, mortuus est in Angliâ, apud Bristoldum, Castellum Roberti Comitis Glocestriæ nepotis sui, cui Henricus Rex eum custodiendum tradiderat. Decessit autem quarto Idus Februarii, sepultusque est in Ecclesiâ Sancti Petri Glocestriæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo quarto.* Sed carceris mortisque locum, Polydorus rectiùs designat. *In carcerem*, inquit, *datus est apud oppidum Walliæ, quod Cardiffum dicunt, ubi loci vigesimo sexto post anno, partim senio, partim animi mærore confectus, mortem obiit, vir certe præstantissimus, & cum quovis bello Duce comparandus si aut paulò cautior, aut in sententiâ constantior fuisset. Robertus sortitus est hunc miserabilem vitæ exitum, quo eum dignum dicunt propter impietatem, quâ Patrem persecutus est.* Hæc ille, & de loco mortis Authores omnes consentiunt, non inter Dobonos, sed Silures, & in Glamorganiæ Comitatu, mortuum. Unde Camdenus: *Quomodo verò Robertus Curthose* (ita à breviore veste dicebatur) *Gulielmi Conquestoris*

Gemiticens. l. 7. c. 10.

Polyd. Verg. l. 11.

Camden. in Glamorgan.

filius, natu maximus, vir bellicâ virtute stolidè ferox, spe Anglici imperii à minoribus fratribus excussus, oculisq; orbatus, in Castro ad Cardif consenuerit, ex nostris, si placet, historicis quaras, simulq; discas ex clarissima familia nasci, nec tranquillum, nec tutum esse. Verùm de oculorum orbitate dicam inferius. (V. an. 1135. 10.)

III. ARGUITUR ROBERTUS QUOD HIEROSOLYMITANUM REGNUM RESPUERIT. *Paris hic.*

An adeo culpandus ille, quod Palæstinæ regnum respuerit; quemadmodum nonnulli censuerunt, non affirmo. Matthæus tamen Parisiensis, miseri Principis calamitatem, eò potissimùm refert; ubi mortis ejus circumstantias, duriùs fortè quàm oporteret, in hunc modum explicat. *Eodem anno (millesimo centesimo trigesimo quarto) cum Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui neminem perire desiderat, jam Duci Roberto satis amplum spatium pœnitentiæ, & humiliationis concessérat, videlicet, jam ferè triginta annorum in orbitate transactorum, & carcere: abusus est illo Dei beneficio: intumuit enim superbiâ nimis, & detractionibus, maledictionibus, & querimoniis: cum potius divinis jugiter obsequiis, & precibus assiduis insudasse teneretur, utpote deo afflictus, & jam senex. Quem frequenter cum lacrymis dicere potiùs decuisset: Meritò hac patior, imo graviora promerui, qui procaciter jugum Domini, quod est suave, & onus ejus, quod est leve, de collo meo in terrâ sanctâ excussi; & oblatum cælitus honorem refutavi. Sed nihil horum in ore arrogantis personuit. Contigit igitur, unâ dierum festivorum cum Rex novam robam de scarleto sumens (assuetus de eodem panno, quoties & ille sumpserat, fratri suo reverenter transmittere.) capam conaretur induere: quod invenit introitum capucii; qui galerum vulgariter gallicè appellatur, nimis arctum: unde contigit quod unam sutura puncturam tantum confringens, eam deposuit, & ait: Hac capa deferatur danda fratri meo Duci, qui argutius me caput habet. Quæ cum ipsi delata fuisset induenda; invenit illam jam dictam puncturam, quæ per incuriam incisoris, quia minima erat, relinquebatur non refecta. Ait Dux: Vnde hæc, quam sentio fractura? Et nuntius, quæ contigerant seriatim Duci referebat.* (QUOMODO CÆCUS UNAM SUTURÆ PUNCTURAM ABESSE SENTIRE POTUIT?) *Et Dux quasi alto vulnere saucius, ingemuit dicens: Heu, Heu, nunc nimis vivo: quid adhuc infelicem vitam protraho? Ecce frater meus, imo proditor meus, & supplantator, minor natu, & ignavus clericulus, ac injuriosus regni mei possessor, qui me incarceravit, & incarceratum excæcavit, qui tot armorum titulis clarum, jam adeo me spernit, & vilem habet; ut mihi tanquam prabendario suo, pro eleemosynâ, suos veteres transmittat, & dissutos panniculos. Flens igitur & ejulans devovit manducare. Nec unquam postea voluit manducare, vel bibere; in semetipso desæviens, & deficiens. Quod cum Rex audisset, non multum condolens jussit corpus ejus in Ecclesiâ conventuali Gloverniæ reverenter sepeliri.* Hactenus ille.

IV. ABBATIA GLOCESTREN.

Conventualis Ecclesia, ubi Robertus sepelitur, Abbatia fuit Benedictini instituti: quæ, ut cætera ferè sacratiora loca, vicissitudines passa; per incrementa & decrementa, juxta Oceani nostri fluxum & refluxum, describitur. Camdenus in Dobunis, cum Glocestrensem urbem lustrat. *Monasterium amplissimum*, inquit, *ibi Ethelredi Merciorum Regis permissu Osricus Rex Northumbrorum virginibus posuit: quibus Kineburga, Eadburga, & Eva Merciorum Regina successivè præfuerunt.* (*Camden. in Glosters.*) Addit Reynerus in Apostolatu, fundatum ab *Osrico Northumbria Rege sub annum Domini septingentesimum.* quem etiam annorum calculum habet Catalogus ædium destructarum, sed Antichronismus est: & Osricus ante annum septingentesimum decimum octavum non scribi debet Northumbriæ Rex: & tunc, si Malmesburiensem audimus: *Hoc tantum memorabile habuit, quòd Domini sui, licet merito* (ut putatur) *occisi, sanguinem luens, fœdo exitu auras polluerit.* (*Malmesb. de Regib. lib. 1. c. 3 fo. 21.*) Quomodo ergo amplissimum virginibus Monasterium posuit? Vacillat etiam, quod de tribus Merciorum Reginis dicitur. (KINEBURGA, EADBURGA, ET EVA ABBATISSÆ.) Kinesburga Northumbriæ Regina, Pendæ Merciorum Regis filia, nunquam in Merciis Regina fuit: sed fastidientem nuptias, Abbatissam ad Dormuncaster appellavi, ad annum Domini sexcentesimum nonagesimum sextum. (V. an. 696. 25.) Kineburga altera, Kinegilsi Occidentalium Saxonum Regis filia, Oswaldo nupsit Northumbriæ Regi, anno Domini sexcentesimo trigesimo sexto, (V. an. 636. 13.) nunquam legitur Monasterium ingressa, nedum amplissimo præfuisse. Denique Kineburga Inæ Regis, & Cuthburgæ soror, Winburniæ Monasterium quod Cuthburga fundaverat, ingredi, ibique præesse, non Merciorum regno, potuit. nec aliam reperio, quæ Kineburga, vel Quenburga vocetur. Eadburgam inter Merciorum Reginas nemo, quod sciam, scribit. fuerunt quidem eo nomine illustrissimæ fœminæ, & Regii etiam sanguinis, quas suprà pluribus in locis recensui. Earum una Abbatissa sæpiùs à nostro Bonifacio in Epistolis appellatur: sed Monasterio præfuisse in Cantio, sola conjectura, & Regii sanguinis propinquitate collegi supra. (V. an. 719 8. 9. 716 3. 724 10 725 21. 719 3 668. 8 675 16 780 3. 796. 2. 800. 2.) Ad Evam, quod attinet, nihil habeo dicere.

V.

Potuit illa, potuerunt & aliæ, illustrium fœminarum nomina sumentes; ut passim hoc sæculo fiebat; Monasterio præfuisse in urbe Glocestrensi, ubi postea Ecclesiam, & Monasterium, Aldredum Wigorniensem tunc, mox Eboracensem Episcopum, extruxisse, dixi ad annum Christi millesimum quinquagesimum octavum. (V. an. 1058. 4.) Id Monachis datum anno millesimo sexagesimo Reynerus affirmat: alii posteriùs à Guilielmo Primo Monachos primùm eò introductos scribunt. Cæterùm Benedictinos fuisse non potest dubitari, quos Monachorum & Monasteriorum hostis Henricus Octavus, prætensâ comitiorum authoritate sustulit, & in Episcopi Sedem Monasterii bona convertit; quæ nupera, de malo in pejus, degenerans ætas, & Sedem, & bona diripuit. *In hac, inquam, Ecclesiâ & Chori medio,* inquit Camdenus, *sepultus jacet Robertus; qui natus Gulielmo Primo, necdum Rege, Anglia regno privatus, & duobus filiis (quorum unus in Novâ Forestâ; alter Flandriæ Comes, immaturam uterq; morte, Patris infelicitatem auxere) denique ab Henrico fratre oculis privatus, & viginti sex annorum spatio, carceri mancipatus, indignissima sustinuit ad mortem usque.* (*Camden. in Glostor. Angl.* ROBERTI SEPULTURA.) Ita ipse infortunium Principis deplorans potiùs, quàm exprobans. Cui propè accedit Malmesburiensis, Roberti vitam ab ovo retexens, & prospera ejus adversaque ita componens; ut Henrico Regi faventior, nullam de cæcitate (quod satis mireris) mentionem injiciat. Cæterùm lectu digna sunt, quæ refert in hunc modum.

VI. (*Malmesb. de Reg. l. 5. fo. 153.*)

Robertus filius VVilhelmi Anglorum Regis Primi, natus in Normanniâ, spectata jam virtutis habebatur adolescens, quando Pater Angliam venit; fortitudinis probata, quamquam exilis corporis, & pinguis

DE ROBERTO, QUÆ NARRAT MALMESBURIENSIS.

æqualiculi. Inter bellicas Patris alas excrevit primævo tirocinio; parenti in omnibus morem gerens. Verumtamen juventa viridem indutus calorem, Normanniam se, a Patre adhuc vivente, fatuorum sodalium instinctu, impetrare posse speravit. Quod cum ille negasset, terrisona vocis toncho juvenem abigens; iratus abscessit Robertus, multisque assultibus patriam infestavit. Primò quidem excutiente genitore cachinnos, & subinde dicente: Per resurrectionem Dei, probus erit Robelinus, curtâ ocreâ, hoc enim erat ejus cognomen; quod esset exiguus: cæterùm nihil habens quod succenseret; quia nec illepida forma, nec infaceti eloquii, nec virtutis imbecilla, nec enervis erat consilii. Posteriùs verò Rex adeo efferâ succensus est irâ, ut eum & benedictione ultimâ, & hæreditate fraudaret Anglicâ: Comitatu tantum Normanniæ, ægre licet & improbè retento. Post novem annos Ierosolymitana via laboribus periculum sua fortitudinis fecit: & in multis quidem mirabilis apparuit; ut nunquam à Christiano, vel pagano potuerit, ex equite, pedes fieri. Tum verò maxime in bello Antiocheno,

PUGNA ROBERTI IN PALÆSTINA.

cujus ipse victoriam pulchrâ experientiâ nobilitavit. Nam cum Turci sub eo terrefacti, fugæ se dedissent; nostrique, palantes vehementer impeterent. Corbonach Dux, genuinæ virtutis memor; retento equo suos inclinavit; famulos ignavos, & annosarum victoriarum oblitos, vocans: ut victores quondam Orientis, paterentur se ab advenâ, & pene inermi populo, finibus excludi. Quo clamore multi resumentes animum, Francos conversi urgere, & propterea cedere cœpere, Corbonach suos animante, & hostes feriente: ut imperatoris & militis officium, probè exequeretur.

VII. *Tum verò Normannus Comes, & Philippus Clericus, filius Rogerii Comitis de Monte Gomerico, & Warinus de Taneo, Castello Cenomannico, mutuâ vivacitate se invicem hortati, qui simulatâ ante fugâ, cedebant, convertunt cornipedes: & quisque suum comparem incessens, dejiciunt. Ibi Corbonach, quamvis Comitem cognosceret, solo tamen corpore mensus, simul & fugere inglorium arbitratus; audaciam congressus, morte propinquâ luit, vitali statim spiritu privatus. Cujus nece visâ, Turci qui jam gloriabundi ululabant, spe recentis exinaniti, fugam iterarunt: In eo tumultu, Warinus cecidit: Robertus cum Philippo palmam retulit. Philippus hac malitiâ *præcluus, sed Ierosolymis, ut fertur, bono fine functus; præter exercitium equestre, literis clarus.*

*præclusus.

ROBERTUS REGNUM JEROSOLYMITANUM RESPUIT.

*Ita Robertus Ierosolymam veniens, indelebili maculâ nobilitatem suam respersit; quod regnum, consensu omnium, sibi, utpote Regis filio, delatum recusaret: non reverentia, ut fertur, contuitu; sed laborum inextricabilium metu. Veruntamen patriam reverso; in qua licenter se delicatis voluptatibus inservitu rum putaverat; affuit pro hac culpâ (ut credo) Deus, misericorditer ubique saviens: & omnes ejus dulcedines, amarissimis offensionibus offuscans. Uxorem filiam Willhelmi de Conversana, quam rediens in Apuliam duxerat: cujus elegantissima speciei prodigium vix ullius disertitudinis explicabit conatus; post paucos annos morbo amisit; deceptam, ut dicunt, obstetricis consilio, quæ pro affluentis lactis copiâ, puerpera mammas strictâ præceperat alligari fasciâ. Sed successit tantorum malorum grande solatium, filius è conjuge susceptus, qui Gulielmus dictus, vaticinio nominis aviti, spem egregiæ indolis aleret in posterum. Pecuniam infinitam, quam socer ejus, dotis nomine annumeraverat; ut ejus commercio Normanniam exueret vadimonio, * minorum & nebulonum finibus ita ingessit; ut pauculis diebus, nec nummus superesset.*

forte * mimorum.

Præcipitavit quoque ejus insaniam inconsultus adventus in Angliam, ut regnum Henrico fratri eriperet: sed desertorum, qui eum invitaverant, destitutus auxilio; germani paci facilè acquievit: utriusque partis Ducum arbitrio, trium millium marcarum annuum donum ab Angliâ verbotenus habiturus. Nam promiserat ista Rex, non daturus, sed fratris facilitatem non nesciens blandam credulitatem luserat, dum interim calor bellicus defervesceret. Porrò ille, quasi cum fortunâ certaret, utrum plus illa daret; an ipse dispergeret: sola voluntate Reginæ tacitè postulantis compertâ, tantam massam argenti benignus in perpetuum ignovit; acclives fœmineı fastus preces, pro magno exosculatus. Erat enim ejus in baptismo filiola. Offensarum ergo immemor erat, culparum quatenus non debet, remissor; omnibus pro voto respondens adeuntibus, ne tristes dimitteret, etiam quæ dare non posset, compromittens.

VIII. ROBERTI MORUM FACILITAS EI NOCUIT.

Quæ morum dulcedine, quæ laudari, & subjectorum amorem mercari debuerat; adeo in contemptum sui Normannos excivit, ut nullius eum momenti æstimarent. Tunc enim potentium quisque sibi adversarii tunc manubiis prædarum, per totam regionem agi; tunc vulgus expoliari. Quas incommoditates Comiti provinciales deferentes, nullum referebant auxilium: dum ille primo commotus, mox vel munusculo, vel temporis intercessu irâ languescente lenibatur. Idcirco extremis malis admoniti, opem Regis Henrici censuere implorandam, ut laboranti patriæ succurreret. Ille Cæsareana sententia insistens: Si violandum est jus, gratia civium violandum est, aliis rebus pietatem colas: non semel in Normanniam vites trajecit, ut laboranti justitiæ manum daret. Tantumque postremo valuit, ut totam terram præter Rothomagum, & Falesium, & Cadomum, subjugaret. Jamque Robertus ad hoc venerat, ut in vicis illis pene se altero vagaretur; precarium victum à Burgensibus nundinaturus. Quare offensi Cadomenses non diu in fide mansere. Sed Rege per nuntios admonito, portis serratis, & repagulis objectis urbem clausere. Quo Robertus cognito effugere gestiens, vix permissus est. armigero tamen cum cubiculi pannis retento. Inde raptim Rothomagum veniens, Dominum suum Regem Francorum, & cognatum Comitem Flandrensem, de suffragio convenit. Sed nullo impetrato, ad bellum publicum venit ultimam fortunam experturus. Qua illum infelice pede persequente, captus, & ad diem mortis in liberâ tentus custodiâ laudabili fratris pietate: quod nihil præter solitudinem passus sit mali: si solitudo dici potest, ubi & custodum diligentia, & jocorum præterea, & obsoniorum non deerat frequentia. Tenebatur ergo sociorum omnium vita superstes, nec unquam usque ad obitum relaxatus. Patria lingua facundus, ut sit jocundior nullus: in aliis consiliosus, ut nihil excellentius: militiæ peritus ut si quis unquam: pro mollitie tamen animi nunquam regenda Resp. idoneus judicatus. Hæc omnia Malmesberiensis, de cœcitate nihil affirmans: sed infirmans potius quæ alii tradiderunt, de quibus statim.

LIBERA CUSTODIA, ET FRATRIS LAUDATE PIETAS INNUUNT CÆCUM NON FUISSE.

IX. Ad hunc annum Catalogus ædium destructarum refert Cœnobium extructum Canonicis Regularibus, à Nigello, Eliensi Episcopo, in Cantabrigiensi urbe, quod in studia postea conversum; inde Collegium surrexit, à S. Joanne nomen sortitum. Scio Godwinum Cœnobii structuram, non ad Primi, sed Henrici Secundi tempora referre. Sed quia Catalogus suprà primum nominat, & annum præsentem, Nigellum

MONASTERIUM CANTABRIGIÆ CANONICORUM REGULARIUM.

etiam fundatorem, nolui illud præterire, aut posterius recensere.

ANNUS CHRISTI 1135.

INNOCENTII II. PAPÆ 6.

HENRICI PRIMI REGIS 36.

I. HENRICUS REX MORITUR, ET MORTIS CAUSÆ.

ANNO Christi millesimo centesimo trigesimo quinto, Henricus Rex, regnandi, & vivendi finem habuit, cum quinque supra triginta annos, & menses ferè quatuor imperasset, vixissetque sexaginta quinque. mortis causa non una fuit. proxima Murenarum comestio, & talis alimenti impatiens stomachus: remotior, æger animus, & vel in generum, vel in filiam, aversus. hinc ordior, quia æger animus corpus inficit, & malè affectum vitiat magis. Authores nostri generum culpant, & in eum mortis accelerationem conjiciunt. Ita Huntindonius, ubi inquit: *Anno trigesimo quinto Rex Henricus continue moratus est in Normanniâ: & sæpè non rediturus, in Angliam, redire proponebat: sed detinebat eum filia ejus variis discordiis, quæ oriebantur pluribus causis inter Regem, & Consulem Andegavensem, artibus scilicet filiæ suæ. Quibus stimulationibus Rex in iram, & animi rancorem excitatus est; quæ à nonnullis causa naturalis refrigidationis, & postea mortis ejus causa fuisse, dicta sunt.* Ita ferè Authores nostri. Externi Mathildem filiam accusant, quòd subirata, à Patre, & Normanniâ recesserit, cum votorum compos esse, & ab eo impetrare concupita non posset. Ita Gemiticensis: *Mathildis filia Henrici, quondam Imperatrix, quam dudum constituerat heredem sui regni, in Andegavensi pago, cum conjuge suo Gaufrido Duce ipsius Comitatus, & filiis morabatur. Recesserat enim à Normanniâ, paulo ante mortem sui Patris, erga ipsum aliquantulum commota: quia idem Rex reconciliari nolebat impunè Willelmo Talvatio: quamvis ipsa inde ei plurimum supplicaret. Quod non ad contemptum dilectæ filiæ faciebat: sed ne minùs timeretur ab ipso Willelmo, vel cæteris Principibus suis; si properè & leviter injuriam illi remitteret.* Ita ille, addens in sequentibus Guilielmum hunc, Roberti de Belesmo filium fuisse quem Rex captivum in vinculis habuit, ut suprà: & cujus, ob perduellionis crimen, terras occupaverat. Has forte filio reddi, Mathildis oraverat, & voto frustrata recesserat.

Huntind. fo. 389.

Gemiticen. l. 7. c. 34.

MATHILDIS ANDEGAVI.

V. an. 1113. 1.

II. Quicquid sit, parentum amores, cum ætate, crescántne an decrescant, problema esto. Ego puto, motus naturam imitari; & in fine velociores esse, & majore impetu, deorsum potius quam sursum ferri. Henricum ægritudine animi laborasse paulo ante mortem, omnes affirmant, & iræ stimulos subfuisse verosimile est. An gener, an filia, illos ministraverat, hæreo. pergo igitur ad certiora, & proximam mortis causam, in qua omnes conveniunt. Narret illam Parisiensis: *Anno Domini*, inquit ille, *millesimo centesimo trigesimo quinto, Rex moratur in Normannia, cum die quâdam à venatu rediisset, apud Sanctum Dionysium, in silvâ Leonum, carnes comedit Murenarum, quæ ei semper nocebant, & eas semper supra modum amabat. Et cum Medici eas comedere prohiberent, non acquievit Rex consilio salutari. Hæc igitur comestio, pessimi humoris illatrix, & consimilium vehemens excitatrix, senile corpus letaliter refrigidans, subitam & summam perturbationem effecit. Contra quam natura renitens febrim excitavit acutam, ad impetum materiei gravissima dissolvendum. Cum autem resistere vi nullâ potuisset, decessit Rex magnus, cum regnasset triginta quinque annis, ac tribus mensibus, primâ die Decembris. Illius autem obitum ventus vehemens præsignavit, qui in vigiliâ Apostolorum Simonis & Iudæ, turres & ædificia disjecit, & arbores usquequaque subvertit, ita ut mundus solvi putaretur. Luna etiam eclypsin passa est eodem anno, quarto Calendas Augusti.*

Paris hic.

III. QUAM PIE OBIERIT.

Juvat, & Ecclesiasticos Annales decet, inquirere, quàm piè, Christianeque Henricus obierit: addo etiam, quam fidem professus: quia de Fide Regia Annales inscribuntur. & quia Britannos supra, Saxones, & Anglos Monarchas, in unâ credendarum rerum substantiâ hactenus composui. Libenter illis Normannos adjungo; eos præsertim qui nomen famamque egregiè factis collegerunt. Dico igitur, Christiano, & Catholico more, ad mortem se composuit. Nam ritè pœnitens, contritus, confessus, peccata Sacerdoti exposuit; ab eoque absolutionis beneficio sæpiùs accepto, Christi Corpore & Sanguine pastus, Unctionis extremæ Sacramento munitus est, Christo crucique supplex, denique ut alter Constantinus, inter Apostolorum reliquias voluit sepeliri. Testantur hæc omnia, qui cum Henrico vixerunt: testatur horum pleraque, apud quem Henricus peccata deposuit, quique per triduum moribundo adfuit Hugo Rothomagensis Archiepiscopus. de quo ita scribit Malmesburiensis, cum de Rege moriente loquitur in hunc modum. *Regnavit Henricus annis triginta quinque, & à Nonis Augusti, usque ad Calendas Decembris, id est, mensibus quatuor, diebus quatuor minus. Apud Leonas, exercitio venationis intentus, valetudine adversâ correptus decubuit. Quâ in deterius crescente, evocavit ad se Hugonem, quem primo ex priore de Lewn, Abbatem apud Radingas: mox Rothomagi Archiepiscopum fecerat; meritò sibi & heredibus suis, pro tantis beneficiis obnoxium. Optimates rumor ægritudinis celeriter contraxit. Affuit & Robertus, filius ejus, Comes Glocestriæ, qui pro integritate Fidei & virtutis eminentiâ, victuram in omne sæculum memoriam sui nominatim promeruit. A quibus de successore interrogatus, filiæ omnem terram suam citra, & ultra mare, legitima & perenni successione adjudicavit: marito ejus subiratus, quod eum & minis, & injuriis aliquantis irritaverat. Septimo incommodi die transacto, nocte jam intempestâ naturæ concessit. Quàm Christianè obierit hæc subsequens Epistola supradicti Rothomagensis Archiepiscopi docebit.*

Malmesb. Hist. Nov. l. 1. fo. 177.

Domino & Patri suo INNOCENTIO Papæ servus Hugo Rothomagensis Sacerdos obedientiæ debitum.

IV. HUGONIS LITERÆ DE MORTE HENRICI REGIS.

„ DE Domino meo Rege, non sine dolore
„ memorando, piæ Paternitati vestræ noti-
„ ficandum duximus: quia subitâ præventus
„ ægritudine, nos missis quàm citissimè Legatis
„ suis, ægritudinis suæ solatiis voluit interesse.
„ Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum
„ mœroribus confecimus triduum. prout ei

dicebamus,

CONFESSIO PECCATORUM. ABSOLUTIO PECCATORUM. a CRUCIS CULTUS. b EUCHARISTIÆ PERCEPTIO. EXTREMA UNCTIO.

„ dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur „ peccata, & manu propriâ pectus suum percu- „ tiebat, & malam voluntatem dimittebat. Con- „ silio Dei & nostro & Episcoporum, emenda- „ tionem vitæ suæ observaturum sese promitte- „ bat. Sub ista promissione, pro nostro officio „ tertio eum, & per triduum absolvimus. a Cru- „ cem Domini adoravit: b Corpus & Sanguinem „ Domini devotè suscepit. Eleëmosynam suam „ disposuit ita dicendo: Solvantur debita mea, „ reddantur liberationes, & solidatæ, quæ de- „ beo. Reliqua indigentibus distribuantur. Uti- „ nam sic fecissent, qui thesauros ejus tenebant, „ & tenent. Tandem illi authoritatem de „ Unctione infirmorum, quam Ecclesia à B. Ja- „ cobo Apostolo suscepit, studiosè proposui- „ mus: & ipsius piâ petitione, Oleo sancto eum „ inunximus. Sic in pace quievit. Pacem det „ ei Deus, quia pacem dilexit. *Hæc præfatus Rothomagensis Archiepiscopus de fide Regis Henrici morientis, verè contestatus est*, inquit Malmesburiensis noster. & pergit. *Funus regaliter curatum, Proceribus vicissim portantibus, Rothomagum usque delatum est. Illic in quodam recessu Ecclesiæ majoris exenteratum est, ne diuturnitate corruptum nares assidentium, vel astantium, exacerbaret. Reliquiæ interaneorum in Cœnobio S. Mariæ de pratis, juxta urbem, humatas quod ipse, ut audio, à matre sua inchoatum, non paucis compendiis honoraverat. Corpus Cadomi servatum, quousque serenas auras paulo clementior hiems invheret, qua tum aspera inhorrebat.*

FUNUS REGIS. UBI VISCERA, UBI CORPUS DEPOSITUM.

V. HUMANI CORPORIS MISERIA. *Paris hic.*

Non omittendum, quod in pollincturâ corporis accidit, quia humanæ miseriæ argumentum est, in quo legere quisque potest conditionem suam: nec illos eximios esse, qui lautè tractantur. dicat hoc de Henrico mortuo Parisiensis. *Corpus Regis diu apud Rothomagum jacebat insepultum: ubi viscera ejus, cerebrum & oculi sunt humata. Reliquum verò corpus cultellis incisum. & multo sale conspersum, causa fœtoris, qui magnus erat, & circumstantes inficiebat, reconditum est in coriis taurinis. Unde & Medicus ille, qui magno pretio conductus, & caput ejus securi diffiderat, ut cerebrum extraheret, nimio jam fœtore corruptum, quamvis linteaminibus multis involutum esset caput ejus, causa tamen fœteris extinctus est, pretio sibi facto malè gavisus. Hic autem ultimus fuit ex multis, quos Rex Henricus occidit. Inde quoque corpus Regium deportatum est apud Cadomum, ubi Pater ejus requiescit. Cum autem esset in Ecclesiâ positum, ante Patris tumbam; cepit continuo humor niger, & horribilis, coria tauri penetrare, qui in vasis sub feretro à Ministris susceptus, magnum intuentibus inculcavit horrorem. Tandem cadaver Regis in Angliam allatum in diebus Natalitiis, apud Radingum, in Ecclesiâ quam ipse fundaverat, regaliter est sepultum, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, & Magnatibus Regni.*

VI. Duobus ergo in locis Henrici corporis reliquiæ reconduntur. Rothomagi cor, cerebrum, viscera, in Ecclesia Deiparæ, quam erexerat: & exuviæ cæteræ apud Radingum: ut utrobique anima in refrigerio esset. Rothomagi certè ad æternam ejus memoriam, Arnulphus Lexoviensis Episcopus hoc indidit Epitaphium, ubi cor, cerebrumque depositum.

Arnulph. Lexovien. to 12 Bibl p. 2. fo. 40.

Henricus, cujus celebrat vox publica nomen,
Hoc pro parte jacent, membra sepulta loco.
Quem neque viventem capiebat terra, nec unus
Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus, sua jura quibusq; resignat
Partibus: illustrans sic tria regna tribus.
Spiritui cælum; cordi cerebroq; dicata est
Neustria; Quod dederat Anglia, corpus habet.
Hinc Patres, animumq; trahens: sed forte apud illos
Editus: hic gladium, sceptra gerebat ibi.
Quem decedentem cum nox extrema Novembris
Solvisset: secuit prima Decembris eum.

VII. HENRICUS, UT OLIM M. CONSTANTINUS, SEPELITUS INTER MARTYRUM RELIQUIAS. *Euseb. in vita l. 4. c 59.* *Idem supra c. 60.*

Restat, Henricum ostendere in Magni Constantini fide mortuum, & Constantini more, inter Sanctorum Apostolorum reliquias, sepultum. De Constantino dixerat Eusebius: *Dedicavit Imperator Basilicam, ut Servatoris nostri Apostolorum memoria apud omnes gentes æternitatem compararet. attamen in ipsâ coædificatione etiam aliud quiddam spectabat, quod primus temporibus obscurum, ad extremum ab omnibus manifestè deprehensum est* * *Nimirum in opportunam ventura mortis diem locum sibi providâ dispensatione designavit · incredibili Fidei propensione providens, cum jam corpus suum, communem cum Apostolis appellationem, post mortem participaret, fore ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Quare tappas ibi duodecim, quasi sacras quasdam columnas ad Apostolici collegii honorem memoriamq; attollens, medium inter ipsos conditorium suum locabat, quod utrumque seni claudebant Apostoli: sano certè, ut dixi, consilio præcogitans, quod mortui corporis tabernaculum, ibi dignè decenterq; quiesceret; atque hæc ille longo ante tempore, cogitatione cum depinxisset; Ecclesiam Apostolis dedicavit; quamplurimum utilitatis illorum memoriam, animæ suæ conciliaturam existimans.* Aperui tomo primo, cum moritur Constantinus, δώδεκα θήκας, *duodecim capsulas*, de quibus Eusebius: & inveni ibi reconditas Apostolorum reliquias, cum quibus sepeliri voluit Constantinus: & inde *incredibilem ejus fidei propensionem* erui, *pro Sanctis cultum, pro mortuis suffragia*; uno verbo Britannorum orthodoxam, Catholicam, & Romanam Fidem.

V an. 337. 4. 5. 6. &c

VIII. HENRICI CORPUS IN RADINGEN. COENOBIO CONDITUM CUM INCORRUPTA MANU S. JACOBI. *V. an. 1126. 4.*

Eandem Henricus, *incredibili* etiam *fidei propensione* demonstravit, cum diu ante mortem Radingensem Basilicam memoriæ Apostoli Sancti Jacobi consecravit, eoque intulit ante mortem incorruptam ejusdem Sancti manum, & denique à morte voluit conditorium suum ibidem locari, sana mente consilioque, ut defunctus precationum, quæ ibi essent ad Apostoli gloriam offerendæ, particeps effici mereretur. quod plurimum utilitatis animæ suæ allaturum existimavit. Quod incorruptam B. Jacobi manum, è Germaniâ Imperatrix tulerit, eamque parens Radingensi Ecclesiæ consecrarit, * suprà dictum. Id factum anno millesimo centesimo trigesimo tertio disertè affirmant Parisiensis & Westmonasteriensis. Quod eo in loco, ex ultimæ voluntatis tabulis sepultus sit, vel inde colligitur quòd Authores omnes, externi, domestici, antiqui & recentiores Henricum Radingæ mortuum, eoque ab Henrico sacrum thesaurum prius missum, consentiant. Malmesburiensis ita loquitur. *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo quinto Regis Henrici corpus levibus flabris spirantibus, statim post Natale Domini, impositum navi in Angliam devectum est: & apud Radingense Cœnobium*

Malmesb. Histo. Nov. l. 1. fo. 178.

quod foris prædiorum magnitudine, intùs Religiosorum Monachorum Ordine decoraverat; præsente regni successore humatum est. vel ut habet Westmonasteriensis: in *Venerabili sepulturâ, quam vivus præordinaverat.* Ubi sine dubio Beati Apostoli patrocinio, & Religiosorum Monachorum suffragiis, plurimum utilitatis ejus animæ allatum. Unde ob fidei integritatem, ac præclarè gesta, inter primos sui sæculi Heroas merito suo connumeratus est. de quo sic canit Huntindonius:

Huntindo. l. 7. fine.

Rex Henricus obit: decus olim, nunc dolor orbis.
Numina flent Numen deperiisse suum.
Mercurius minor eloquio, vi mentis Apollo.
Iupiter imperio, Marsq; vigere gemunt.
Ianus cautela minor, Alcides probitate;
Conflictu Pallas, arte Minerva gemunt.
Anglia quæ cunis, quæ sceptro Numinis hujus,
Ardua splenduerat; jam tenebrosa ruit.
Hæc cum Rege suo, Normannia cum Duce marcet.
Nutrit hæc puerum, perdidit illa virum.

IX. Henrici virtutes et vitia. Huntend. libro 8 princip.

Mortuo Regi alii etiam egregiè parentarunt, vel virtutes ejus, vel benefacta recensendo: nec defuerunt qui Principis vitia posteris suggesserint. De utroque hominum genere hæc habet Huntindonius. *Defuncto Rege Henrico Magno, libera (ut in mortuo solent) judicia populi depromebantur. Alii enim eum tribus vehementer irradiasse splendoribus asserebant.* SAPIENTIA *summâ, nam & consilio profundissimus, & providentiâ conspicuus, & eloquentiâ clarus habebatur.* VICTORIA *etiam; quia exceptis illis, quæ egregiè gesserat, Regem Francorum belli lege superavit.* DIVITIIS *quoque quibus omnes antecessores suos longe lateq; præcesserat. Alii autem diverso studio, tribus illum vitiis inficiebant.* CUPIDITATE *nimiâ, quâ (ut omnes parentes sui) pauperes, opulentos, tributis, & exactionibus inhians delatoriis hamis intercipiebat.* CRUDELITATE *etiam, quâ Consulem de Moretoil, cognatum suum, in captione positum exoculavit. Nec sciri factum tam horrendum potuit, usquequo mors secreta Regis aperuit. Nec minus & alia proponebant exempla quæ tacemus.* LUXURIA *quoque, quia mulierum ditioni, more Salomonis, continuè subjacebat. Talia vulgus liberum diversificabat. Successu verò temporis atrocissimi, quod postea per Normannorum rabiosas proditiones exarsit: quicquid Henricus fecerat, vel tyrannicè, vel regiè, comparatione deteriorum, visum est peroptimum.* Hæc Huntindonius. nec Regi parcens, nec tegens silentio, quæ vulgo de Rege jactabantur.

X. Vide supra an. 1107. 19. De excæcatione Roberti, quid probabilius.

Nolo hîc dicam Scriptoribus nostris impingere, qui Henricum ferè fratricidii accusarunt, quod Robertum oculorum luce privari mandaverit. Ita saltem Matthæus Parisiensis, & Matthæus alter à floribus dictus, & à Monasterio quod incoluit Westmonasteriensis. Unde recentiores, Camdenus, ceteroquin accuratus, Spedus, Stous, aliique asserunt, Robertum Regis jussu, oculis orbatum, & oculos illi erutos esse. Nec advertunt aliud esse oculorum luce privari, & aliud oculos erui. Quorum fortè neutrum, aut à Rege mandatum, aut omnino Roberto factum. Cur enim antiquiores, qui res suo tempore gestas posteritati tradiderunt, dissimularent tam immane facinus: Imò cur Guilielmus Malmesburiensis, fidelissimus Author, contrarium diceret: nimirum in *libera tantum custodia, laudabili fratris pietate, & nihil, præter solitudinem, passurus mali:* ut suprà visum.

V. 1134. 8.

Iterum, cum Huntindonius, Henrici vitia enumerans, & facta crudelia, quæ passim ab ejus morte, & intrepidè, ferebantur; unius tantum exoculati meminerit, Consulis Moritonii, quod *horrendum facinus* appellat: cur, aut ipse, aut liberum vulgus, horrendum magis facinus, silentio texit? Itaque suspicari quis non immerito poterit, falli recentiores, qui aut oculis orbatum Robertum; aut fulgenti obstaculo oculorum luce privatum, affirmarunt. Cum id de Guilielmo, Moritonii Comite, qui simul cum Roberto pugnans, simul captus, & carceri mancipatus est, ut suprà notatum; dicendum potius esset. V. an. 1106. 22. Enimvero, qui *fulgenti obstaculo, oculorum luce privatum*, per oculorum orbitatem, & privationem exposuit; quod satis diversum, & inhumanius est: falli etiam potuit, fratrem pro consanguineo (Guilielmus erat Roberti filius, Henrici Regis patrui) captivum pro concaptivo, nominando. quæ σφάλματα in historiis frequenter occurrunt. & vocalis tantùm est error. Si objicis: Utrumque Matthæum, antiquos esse, quos recentiores nostri sine pœnitentiâ sequi poterant. Ego quidem non repugno: repono tamen, Malmesburiensem, Huntindonium, & Hovedenum, qui Roberti sæpè meminerunt: utroque Matthæo antiquiores esse, & posse me inculpabiliter illis assentiri. Et si Authorum numero pugnandum est; addo Thomam Walsingamum, qui in hypodigmate Neustriæ, Roberti vinculorum, & mortis meminit; nulla majoris pœnæ mentione. Addo Guilielmum Gemeticensem, qui sæpiùs de Roberto, gestis, carcere, & morte, ejus loquens, hæc tantum habet: Robertum Rex *in liberâ custodiâ, usque ad terminum vitæ ejus tenuit.* Polydorus quidem ait quosdam esse qui affirment *luminibus privatum* fuisse: sed illis non videtur accedere. Denique si Henricus Rex eodem semper quo induebat panno, Robertum induit: & ille unam futuræ puncturam deesse perrepit: satis oculatum ad mortem usque fuisse verosimile est.

Gemeticen. l. 7. c. 19. Vergil. l. 11. historiæ.

XI. Monasterium de Ulmo Cultrayne in Cumbria. Camden in Cumbria.

Ad hunc annum millesimum centesimum trigesimum quintum in Catalogo ædium destructarum ponitur fundatio Abbatiæ de Ulmo, in provinciâ Cumbriâ, quam David Scotorum Monachorum usibus assignavit, indubiè Henrico regnante, cum quo quietissimè vixit. nam eo mortuo soluta pax est & bellum, ut infrà, cœpit. meminit hujus Monasterii Camdenus. *Cœnobium,* inquit, *de Ulmo: vulgo Holme Cultraine posuit David Rex Scotorum. & ejus Cœnobiarcha propugnaculum vicinum, in gazophilacium, & librorum, diplomatumq; receptaculum, contra repentinas Scotorum incursiones excitarunt.* Differt hæc Abbatia ab eâ quam Canutus Rex fundavit in agro Norfolciensi anno millesimo vigesimo sexto, ut ibi dictum. V. an. 1016. 2. 3. &c.

XII.

Henrico è vivis sublato, de Angliæ regno, & Normanniæ Principatu, nihil obstante defuncti Regis industria, contenditur. Mathildi filiæ, & vivens, & moriens pater, Britanniam, Normanniamque, omni divini, humanique juris adminiculo obstrinxerat: accesserant utriusque Reip. Proceres, & religiosa verborum formula, Mathildi, & filiis fidem firmaverant. Cur ergo de Insulæ imperio disputatur? Humanæ naturæ hoc vitium est, ut qui ambitionis œstro pungitur, vel juris apices pro arbitrio vertere: vel

Mathildes abfuit cum Henricus mortuus est. Stephanus festinat in Angliam usus omni diligentia.

certè jus omne pessundare. Mathildes aberat, cum Henricus moritur: in Andegavensi agro, cum conjuge morabatur: ubi de juris sui, & conscientiæ bonitate secura, coronam sibi meliùs lessuram putabat: si illam non importunâ peteret, sed ad illam Procerum votis & suffragio vocaretur. Non ita Stephanus Boloniæ Comes: sed quod juri deerat, diligentiâ, industriâque supplendum ratus, è Bononiensi litore, in Angliam advolat: & quà prece, quà pretio, Episcoporum & Procerum suffragia, emendicat. & illi, vel masculini sexus reverentiâ, vel rumore mutatæ ab Henrico voluntatis ultimæ, vel denique novi juris fictione, Stephano coronam porrigunt. Dicat hoc, qui potuit esse oculatus testis Malmesburiensis. *Interea*, inquit, *Stephanus Comes Moritonis & Boloniæ, nepos Henrici Regis, qui post Regem Scotiæ, primus Laicorum fidem suam Imperatrici obstrinxerat, in Angliam per Witsand maturavit adventum. Imperatrix certis ex causis, simul & frater ejus Robertus Comes Glocestriæ, cum omnibus penè Proceribus, redire in Angliam distulerunt. Quædam tamen Castella in Normannia, inter quæ præcipuum Danfrontum, partibus heredis se applicuerunt. Constat sanè illo die, quo Stephanus appulsus est Angliam, summo mane, contra naturam hiemis, in regionibus nostris terricrepum sonum tonitrui, cum horrendo fulgure fuisse, ut paulò minùs mundus solvi existimaretur.* Ita ille.

Malmesb. Hist. Nov. l. 1 fo. 170.

XIII. Omnes inclinant in Stephanum.

Est mirum dictu, quàm facilè externum Principem Anglia admiserit; nec solùm inconstans vulgus, qui comitate, blanditiisque seducitur, sed è Clero, & Proceribus principes viri; qui Henrico pluribus beneficiis obnoxii, solenni Sacramento in Mathildem, filiumque ceu legitimum heredem juraverant. Sed illud longè mirabilius; quòd qui primi in juramento, & Authores aliis impulsoresque fuerunt; nunc versâ rerum aleâ, levissimis de causis, vel potiùs causarum umbris, ad Stephanum transeuntes. Quo in genere, Rogerus Sarisburiensis Episcopus peccasse dicitur, penes quem, ut diximus, rerum gerendarum summa, absente Principe, & authoritas erat, de quo Godwinus: *Rogerus hic noster, cum non solùm ipse in Mathildis verba jurasset: sed pro munere quo exequebatur, alios permultos, non nimiùm properantes, juramentum suscipere coegisse. Is tamen, nec pietatis in Deum, nec gratitudinis erga patronum, nec officii erga legitimam Principem memor; primum omnium, Henrico Rege mortuo, de Stephano in Regem evehendo, cœpit rationes inire. qui illo suasore rem primùm aggressus, eodem consultore, ex animi sententiâ tandem confecit. Adeoq; non est veritus incurrere perjurium; ne aliis insigne pejerandi præstruxerit exemplum.*

Godwin. in Sar. ib.

Rogerus Sarisburiensis Episcopus contra juramentum suum stat pro Stephano.

Sed priùs quàm Stephano coronam imponimus, videamus quo jure, aut illam sibi arrogarit, aut eam illi Episcopi porrexerint. Fuit ille quidem Guilielmi senioris ex Adelâ filiâ, & Henrico Regi è sorore nepos. Unde jure fuisset potior, nisi alii ex eodem sanguine fuissent tempore priores. Nec enim ille Adelæ primogenitus; addo nec secundo, sed tertio tantum genitus erat. nam de Adelæ filiis, Henrici nepotibus Neoburgensis.

XIV. Neoburgen. l. 1 c. 4. Gemeticen. l. 7. c. 34.

Stephanus major Comes Blesensis, majoris Guilielmi filiam memorabilem fœminam, uxorem duxerat: & ex ea quatuor susceperat filios. Quo nimirum in partibus Orientis defuncto, mater mirabilis, primogenito, (quem Guilielmum vocat Gemiticensis) *quod remissioris ingenii, & tanquam degener videretur, prudenter amoto, Theobaldum filium in quo sibi benè complacebat, ad plenitudinem hereditatis provexit. Stephanum adhuc impuberem Regi avunculo nutriendum, promovendumq; direxit. Quartum Henricum; ne soli sæculo genuisse liberos videretur, apud Cluniacum consecravit. Processu temporis, Rex Henricus unicam Comitis Bononiensis filiam (nempe Mathildem) ad quam tota spectabat hereditas, nepoti Stephano copulavit, in Anglia plurima eidem collargiens. Fratrem autem ejus Henrico, Cluniacensi Monacho dedit Abbatiam Glastoniensem, ac postmodum Episcopatum adjecit Wintoniensem.* Hic est ille Stephani frater, vir cæteroquin laudatissimus, quo manum operamque porrigente, ad thronum Stephanus ascendit. de quo ita Malmesberiensis. *Stephanus à Londoniensibus, & Wintoniensibus in Regem exceptus, etiam Rogerium Saresberiensem Episcopum, & Willielmum de ponte arcus, custodes thesaurorum Regalium ad se transduxit. Ne tamen veritas celetur posteris, omnes ejus conatus irriti fuissent, nisi Henricus frater ejus Wintoniensis Episcopus, placidum ei accommodasset assensum: spe scilicet captus amplissimâ quod Stephanus avi sui Guilielmi, in regni moderamine, mores servaret, præcipueq; in Ecclesiastici vigoris disciplinâ. Quapropter districto Sacramento, quod à Stephano Willielmus Cantuariæ Archiepiscopus exegit, de libertate reddendâ Ecclesiæ, & conservandâ, Episcopus Wintoniensis se mediatorem, & vadem apposuit.*

Jus Stephani, et unde venit ad regnum Angliæ.

Malmesb. Hist. Nov. l. 1. fo. 170.

Henricus frater Wintoniensis promovit Stephanum, et quare.

XV.

Hac pietatis imagine Henricus frater, aliique Ecclesiarum Præsules capti juris apices urgere porrò noluerunt; rati, si Ecclesiæ consultum omnia tuta fore. Quasi verò Ecclesiæ consulatur alieni juris læsione. Unde statim apparebit, nunquam magis Ecclesiarum jura violata, Deo perjurium perjurio vindicante. Enimvero Stephanus sequenti anno, conceptis verbis illæsam fore Ecclesiam jurejurando affirmabit. & eo modo promissa liberabit, quo Præsules datam Mathildi fidem. Fuit & alia pietatis species, quæ Stephani admissionem dealbare videbatur; his nobiliorem sexum; illis Henrici morientis suffragia prætendentibus; de quibus hæc habet Matthæus Parisiensis. *Omnes*, inquit, *tam Præsules quàm Comites, & Barones, qui filiæ Regis & suis heredibus juraverant fidelitatem consensum Stephano præbuerunt, dicentes: fore nimis turpe, si tot nobiles fœminæ subderentur. Hugo præterea Bigot, Henrici Regis Senescalcus, præstito juramento, probavit coram Archiepiscopo Cantuariensi, quod dum Rex ageret in extremis, Imperatricem exheredavit. & Stephanum igitur constituit successorem. Igitur in die Sancti Stephani, omnium favore, Stephanus sæpè dictus, per ministerium Willielmi Cantuariensis Archiepiscopi, apud Westmonasterium diadema suscepit, & Rex ab omnibus acclamatus, regale festum splendidè celebravit.* Hæc ille ad præsentem annum. Unde tamen alii sequentem exordiuntur, nempè à Christo nascente. sic Hovedenus: *Anno gratiæ*, inquit, *millesimo centesimo trigesimo sexto, die S. Stephani, diadematus Rex Stephanus curiam suam tenuit apud Lundonias. In cujus coronatione (ut dicitur) pax Domini ad Missam, nec dicta fuit, nec data populo, cum hoc Sacramentum factum est.* Eventus ferè ostendit, id verum esse. pace per plures annos exulante. ut sequentia docebunt.

Paris hic.

Hugo Bigot Senescalcus Henrici, jurat illum ante mortem, exheredítasse Imperatricem.

Hoved. fo. 481.

In Stephani coronatione pax non est data in Missa.

Moritur

XVI. GODEFRIDUS BATHONIENSIS MORITUR.

Moritur hoc anno Godefridus Bathonienſis Epiſcopus, *Reginæ olim à Sacris, & Angliæ quandoque, ſub Henrico Primo, fuit Cancellarius*, inquit Godwinus, & pergit: *cum ſediſſet annos duodecim debitum naturæ perſolvit decimo ſexto Auguſti milleſimo centeſimo trigeſimo quinto, & Bathoniæ jacet humatus.* Quis illi ſucceſſerit, dicam anno ſequenti.

ANNALES ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

SIVE

FIDES REGIA ANGLORUM.

TOMI QUARTI Pars posterior.

ANNUS CHRISTI 1136.

INNOCENTII II. PAPÆ 7.

STEPHANI REGIS PRIMUS.

I. HENRICUS SEPELITUR RADINGÆ IN ECCLESIA PRINCIPALI DEIPARÆ. *Continuatio a d Floren. a.d. 1135.*

ANNO Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, Corpus Henrici nuper Regis in Angliam delatum, regio funere honestatum, in Radingensi cœnobio*, religiosè deponitur solenni ritu, quem refert Author continuationis ad Florentium: [Sacrosanctâ emensâ festivitate, Regis Henrici nuper defuncti corpori de Normannia in Angliam delato, non modicâ stipatus nobilium catervâ Rex obviat, & ob amorem avunculi, regias scapulas feretro supponens, cum Baronibus suis Nonis Januarii, corpus Radingum deportari fecit. In Missarum celebrationibus, & oblationibus diversis ac pretiosis, in eleemosynis pauperum numerosæ multitudini expensis, exequiis ritè celebratis, membrisque feretro expositis tumulo ex more composito, in Beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis MARIÆ principali Ecclesia: quam ipse Rex Henricus pro remedio animæ suæ, terris, silvis, pascuis, pratis, ac variis ornamentis ditarat, ante altare, magnâ honorificentiâ, regia reconditur gleba.]

MATHILDIS ET ROBERTUS FRATER DE NORMANNIA MUNIENDA, ET OBTINENDA ANGLIA MEDITANTUR.

Dum hæc in Angliâ geruntur: Mathildis, legitima regni heres, & Robertus frater ejus, in Normanniâ, variis cogitationum æstibus in diversa feruntur: nunc pro regno, & coronâ certandum: nunc ad Normanniæ Ducatum, & quæ propiora sunt, firmandum; uno uno impetu feruntur. Decretum tandem; ea priùs munire, quæ ad manum erant, quàm porrò ad incertiora, & remotiora pergendum. Hoc Gaufrido conjugi, Andegavensium Comiti, consultius videbatur: & verò vir ille, angusti pectoris animique ægrè ad majora trahebatur: quod Stephano, ad porro in inceptis pergendum, calcar fuit. Unde conciliatis Anglorum procerum animis sagaci mente; periculis omnibus obviandum, & infirmiora Insulæ contra vicinorum iras munienda censuit.

II. STEPHANUS NITITUR LUCRARI REGEM SCOTIÆ, ET ROBERTUM COMITEM GLOCESTRIÆ. *Malmesb. hist. Nov. l.1. fol 178.*

Duo imprimis formidabat; Scotorum impetus à Septentrione: nam ibi David Mathildi fidem dederat, se illam, non alium, pro Principe agniturum. Iterum Robertus Glocestriæ Comes, Henrici filius naturalis, vir prudentiæ singularis, qui in Normanniâ cum Mathilde sorore, præsumptam tyrannidem non æquo animo laturus credebatur. Utrumque Stephanus ad se trahere, omni curâ industriâque satagebat: & illi, tempori cedendum, quia viribus impares, ejus voto accedunt: recessuri quoties melior fortuna latiorem frontem explicaret. De utroque ita Malmesburiensis. [Rex Stephanus in Northumbriam paullò ante quadragesimam contendit: ut David Regem Scotiæ, qui diversa sentire dicebatur, conveniret. Nec difficile ab eo quod voluit impetravit: quia & ille morum lenitate, & propriori jam senectute infractus, libens in otium vel veræ, vel simulatæ pacis concessit. Eodem anno post Pascha, Robertus Comes Glocestriæ venit in Angliam: cujus prudentiam maximè Stephanus verebatur. Is dum esset in Germaniâ, multa cogitatione fatigarat animum; quidnam sibi super hoc negotio statuendum putaret. Si *enim Regi Stephano subderetur, contra Sacramentum quod sorori fecerat, videbat fore, si refragaretur, nihil sorori vel nepotibus profuturum; sibi certè immaniter nociturum intelligebat. Habebat enim Rex immensam vim thesaurorum, quos multis annis avunculus aggesserat. æstimabantur denarii & ii exquisitissimi ferè ad centum millia libras. Erant & vasa tam aurea, quàm argentea magni ponderis, & inæstimabilis pretii, & antiquorum

MILITES EX FLANDRIA, CONFLUXERUNT AD STEPHANUM.

Regum, & Henrici potissimum magnanimitate congesta. Hanc copiam gazarum habenti auxiliatores deesse non poterant. Præsertim cum ipse esset in dando diffusus, & (quod minimè Principem decet) prodigus. Currebatur ad illum, ab omnium generum militibus, & à levis armaturæ hominibus, maximéque ex Flandria, & Britanniâ. Erat genus hominum rapacissimum, & violentissimum, qui nihil pensi haberent vel cœmiteria frangere, vel Ecclesias expilare: religiosi quin etiam ordinis viros, non solùm equis proturbare, sed & in captionem abducere. Nec solùm advenæ, sed etiam indigenæ milites; qui pacem Henrici Regis oderant, quod sub eo tenui victu vitam transigebant. Hi omnes gratanter Principi assenserant: quem levi negotio ad sua commoda inflectere possent: provincialium dispendio suas fortunas urgentes.

III. ROBERTUS GLOCESTRIÆ IURAT HOMAGIUM.

Erat præterea Stephanus, cum esset Comes, facilitate morum, & communione jocandi, considendi consuescendi etiam cum infimis, amorem tantum demeritus, quantum vix aliquis mente concipere queat. Etiam omnes proceres Angliæ in ejus assensum pronis mentibus transierant. Erat quidem anxius prudentissimus Comes, ut illos delicti argueret, & ad saniorem sententiam præsenti colloquio revocaret. Nam viribus obviare, nulla propter præfatas causas dabatur facultas: cui nimirum, nec in Angliam venire liberum erat: nisi quasi defectionis eorum particeps, mentis suæ arcanum ad tempus dissimularet. Itaque homagium Regi fecit, sub conditione quadam, scilicet quamdiu ille dignitatem suam integrè custodiret, & sibi pacta servaret. Spectato enim jamdudum Regis ingenio instabilitatem Fidei ejus prævidebat.] Hæc omnia Malmesburiensis, extenuans pro viribus Roberti defectionem, cui hanc Historiam Novellam inscribit. Verùm ille non omnino desipuit: & sacri Præsules, qui Regiæ coronationi manum inter primos porrexerunt; cautè sibi, Ecclesiæ, & Reipublicæ prospexere: cum hoc anno, in pleno senatu à Rege, juramentum exigunt, se sanctè servaturum quæ priùs promiserat, quàm corona donaretur. Huntindonius illa paucis explicat, ubi cum Henrici funus Radingam deduxisset, finitâ solenni cæremoniâ: [Inde (inquit) perrexit Rex Stephanus apud Oxineforde, ubi recordatus est, & confirmavit pacta, quæ Deo & populo, & sanctæ Ecclesiæ concesserat in die coronationis suæ. Quæ sunt hæc: Primò vovit, quod defunctis Episcopis, nunquam retineret Ecclesias in manu sua, sed statim electioni Canonicæ consentiens, Episcopis eas investiret. Secundo vovit, quod nullius clerici, vel laici silvas in manu sua retineret: sicut Rex Henricus fecerat, qui singulis annis implacitaverat eos si vel venationem cepissent in silvis propriis, vel si eas ad necessitates suas extirparent, vel diminuerent. Quod placiti nefandi genus, adeo fuit execrabile, ut si alicujus lucum, quem habere pecuniam æstimarent, à longè conspicerent, statim vastatum perhiberent, sive esset, sive non, ut eum immerito redimerent. Tertiò vovit, quod Danegeldum (id est) duos solidos ad Hidam, quos antecessores sui accipere solebant singulis annis, in æternum condonaret. Hæc principaliter Deo vovit, & alia, sed nihil horum tenuit.] Ita ille.

Huntind. l. 8. f. 387.

QUÆ IURAVIT STEPHANUS.

IV. Quod ad Oxoniensem conventum attinet, qui post Roberti Comitis adventum fuit ibi Rex, nec priùs ab Episcopis omnibus & proceribus admittitur, cum priùs Romanam sedem in difficili negotio, communi suffragio appellassent: & Pontifex Innocentius, ex Angliâ doctus Stephanum à populo, proceribus, & Episcopis in Regem electum, communibus votis accessisset. Tunc demum itum in datam acceptamque fidem. [Post Roberti adventum (inquit Florilegus) Episcopi juraverunt fidelitatem Regi, & Rex juravit libertates Ecclesiasticas, & bonas leges se inviolabiliter observaturum: & inde Chartam suam confecit: & Comes Robertus similiter homagium sibi fecit, sub conditione: scilicet, si dignitatem suam sibi integrè conservaret.] Quod ad Chartam attinet, Malmesburiensis illam recitat, ita præfatus: [Eodem anno non multo post adventum Comitis juraverunt Episcopi fidelitatem Regi; quamdiu ille libertatem Ecclesiæ, & vigorem disciplinæ conservaret: ipse quoque juravit juxta tenorem scripti quod sic habetur:]

STEPHANUS NON ACCEPTATUR REX NISI CONSULTO PAPA. *Westm. hist.*

V. QUÆ STEPHANUS IURAVERIT, IN BONUM ECCLESIÆ.

*EGo Stephanus Dei gratia assensu cleri & populi, in Regem Angliæ electus, & a Domino Willielmo Archiepiscopo Cantuariæ, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Legato consecratus, & ab Innocentio sanctæ Sedis Romanæ Pontifice postmodum confirmatus; respectu & amore Dei, sanctam Ecclesiam liberam esse concedo, & debitam reverentiam illi confirmo. Nihil me in Ecclesia, vel in rebus Ecclesiasticis, simoniacè acturum, vel permissurum esse promitto; Ecclesiasticarum personarum, & omnium Clericorum, & rerum eorum justitiam, & potestatem, & distributionem bonorum Ecclesiasticorum in manu Episcoporum esse perhibeo & confirmo. Dignitates Ecclesiarum privilegiis earum confirmatas, & consuetudines earum antiquo tenore habitas, quas die illa habuerunt, quâ Willielmus Rex, avus meus fuit vivus, & mortuus, sine omnium calumniantium reclamatione, eis liberas & absolutas esse concedo: si quid verò de habitis aut possessis ante mortem Regis, quibus modo careat Ecclesia deinceps repetierit, indulgentiæ, & dispensationi meæ, vel discutiendum, vel restituendum reservo. Quæcumque verò post mortem Regis, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione vel comparatione, vel qualibet transmutatione fidelium collata sunt, confirmo pacem me, & justitiam in omnibus facturum, & pro posse me conservaturum promitto. Forestas, quas Guilielmus Rex avus meus, & VVillielmus secundus avunculus meus instituerunt, & tenuerunt, mihi reservo. Cæteras omnes, quas Henricus Rex superaddidit, Ecclesiis & regno quietas reddo, & concedo. Si quis autem Episcopus vel Abbas, vel alia Ecclesiastica persona, ante mortem suam, rationabiliter sua distribuerit, vel distribuenda statuerit, firmum manere concedo. Si verò morte præoccupatus fuerit, pro salute animæ ejus, Ecclesiæ concilio, *eadem fiat distributio. Dum verò Sedes propriis fuerint Pastoribus vacuæ, & ipsæ, & omnes earum possessiones, in manu & custodia Clericorum, vel proborum hominum ejusdem Ecclesiæ committantur: donec Pastor Canonicè substituatur. Omnes exactiones, & meschenningas, & injustitias; sive per Vice-Comites, vel per alios quoslibet malè inductas funditus extirpo. bonas leges, antiquas & justas consuetudines in murdris, & placitis, & aliis causis observabo, & observari præcipio, & constituo. Apud Oxenford anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo trigesimo sexto, regni mei primo.*

Cum

VI. Stephanus nihil eorum, quæ juraverat, observat. *Malmesb. hist. Nov. 1 fol. 175.*

Cum ita Malmesburiensis Chartam recitasset, mox addit: [Nomina testium qui multi fuerunt, apponere fastidio: quia penè omnia ita perperam mutavit, quasi ad hoc tantum jurasset, ut prævaricatorem Sacramenti se regno toti ostenderet. Liceat enim mihi pace mansuetissimi hominis verum non occulere. Qui si legitimè regnum fuisset ingressus, & in eo administrando credulas aures malevolorum susurris non exhibuisset, parum ei profectò ad regiæ personæ decorem defuisset. Itaque sub eo aliquarum Ecclesiarum thesauri direpti, possessiones earum laicis datæ; Ecclesiæ clericorum alienis venditæ, Episcopi capti, vel res suas abalienare coacti: Abbatiæ, vel amicorum gratiâ, vel relaxatione debitorum indignis concessæ. Sed hæc non tam illi, quàm consiliariis ejus ascribenda puto; qui persuadebant ei, nunquam eum debere carere denariis, dum monasteria essent referta thesauris.] Ita religiosus author, Principem, quo regnante scripsit, & mortuus est, noluit offendere. Cæterum Baronius cum Stephani Chartam è Malmesburiensi retulisset, ita illam commentatur: [Quod autem (inquit) in hoc à se præstito juramento testetur regnum Anglorum ipsi esse confirmatum ab Innocentio Papa; id scias eâ de causâ dictum: quod idem regnum esset feudatarium Romani Pontificis: adeo ut quilibet novus Rex acciperet confirmationem ab eodem Romano Pontifice. Testatur id etiam Henricus secundus suis literis, de quibus suo loco dicemus.] Intelligit author antequam Regum hujus Insulæ pietatem, qui ob Petri Apostolorum Principis, & primæ Sedis reverentiam, regnum, & coronam Romano Pontifici submiserunt, & tanquam primogeniti Ecclesiæ filii, benedictionem inde & confirmationem, cum corona induuntur, postularunt. Quo omni tempore gloriosissimè illam gestaverunt.

Baron. an. 11. Cur Reges Angliæ noluerunt confirmari a Papa.

VII. Rex Scotiæ invadit Angliam pro Matilde.

Primus, qui in Stephanum surrexit, memor fidei, & homagii Mathildi olim dati, fuit Scotorum Rex David. Ille hoc anno Northumbriam ingressus, Carleolum & Novum-castellum, urbes Scotorum primis incursibus obnoxias occupavit. Sed Stephanus militem inducens, Davidem, non solùm ne porrò pergeret iter: sed ab eo possessa vel recepit ipse, vel Davidi ad firmandum fœdus concessit. [Stephanus Rex (loquitur Huntindonius) primo anno regni sui, cum venisset in fine Natalis Domini ad Oxeneford, audivit nuncium dicentem sibi: Rex Scotorum simulans se pacificè venire ad te, gratiâ hospitandi, veniens in Carloil, & Novum-castellum, dolosè cepit utraque. Cui Rex Stephanus: Quæ dolosè cepit, victoriosè recipiam. Promovit igitur Rex impiger exercitum tantum erga David Scotorum Regem, quantum nullus in Angliâ fuisse memorare potuit. Occurrens ergo ei Rex David; circa Dunelmiam concordatus est, ei reddens Novum-castellum: Carloil verò retinuit, concessione Regis Stephani. Rex tamen David, homo Regis Stephani non est effectus; quia Sacramentum primus omnium Scotorum juraverat filiæ Regis; scilicet nepti suæ, de Angliâ ei manu tenendâ post mortem Henrici Regis. Filius autem David Regis Henricus, homo Regis Stephani effectus est. Deditque ei Rex Stephanus Burgum, quod vocatur Huntendonia in augmentum.] Verùm de dono hoc suprà* dictum, quâ ratione Comitatus ille, matrimonii jure, & Principis indulgentiâ in Davidem descenderit: qui nunc à Stephano confirmatur filio, & filius eo titulo fidem spondet.

Huntindon. l. 8. f. 357.

Capit subdole Carloil.

Henricus filius David, fit homo Regis Stephani.

* v. 20. 1113 n. 2.

VIII.

Scotorum incursus videtur Anglis animos addidisse, ad se suáque defendenda, præsertim ubi de Stephani morte rumor increbuit: tunc enim proceres vel castella munire, vel urbes contra inimicum impetum milite implere ceperunt. Quod ut Stephano fuit in rudimentum militiæ, ita cessit tandem in ornamentum gloriæ; cum cives interim & Respublica vapularent. [Ad rogationes (inquit Hovedenus) laborante de letargia Rege, divulgatum est eum esse mortuum. Quod audiens Hugo Bigod, in Castellum de Nordwich subintravit: nec reddere voluit, nisi ipsi Regi advenienti: valde tamen invitus. Jam ergo cœpit rabies prædicta Normannorum perjurio, & proditione pullulare. Cœpit igitur Rex Batentun: cujus Dominus, Robertus quidam proditor erat, qui à Rege defecerat. Inde obsedit urbem Excestre, quam tenebat Baldewinus de Redwes contra eum, ibique diu morando, & machinas multas construendo, multum thesauri sui absumpsit. Serò autem redditum est ei castellum: & vindictam non exercuit in proditores suos, pessimo usus consilio. Si enim tunc eam exercuisset: postea contra eum tot castella retenta non fuissent. Inde igitur Rex perrexit in Insulam Vecte, & abstulit eam Baldewino de Redwes: & exulavit eum ab Anglia.] Motus ergo in Danmoniis fuerunt, & Devoniensi agro: ubi Batentum, nunc Bampton urbs, [quæ sub Gulielmo Conquestori (ita Camdenus) obtigit Waltero de Doway sive Duacensi, cum amplissimis alibi latifundiis:] & Exonia provinciæ caput, variis bellorum casibus obnoxia, quam modo Stephanus sui juris fecit. ut & Vectam Insulam quam Dominis de Ripariis, sive Redwes datam suprà diximus. Hæc prospera Stephanum erexerunt; adeo, ut qui precariò priùs regnavit, & ingentibus promissis in civium animos irrepserat: nunc in postremis habens promissa, in civium bona tyrannidem exorsus, suo genio regnare incipit. Unde Huntindonius: [Elatus igitur Rex hisce prosperè gestis, venit venatum apud Bramptoniam, quæ abest milliario ab Huntendoniâ, & ibi placitavit de forestis procerum suorum: id est, de silvis, & venationibus. Et fregit votum, & pactum Deo & populo.] Hinc orta, sequentibus annis, bellorum tempestas, Stephanum inter, & regni proceres, quæ perjuriis inchoata, & novo nunc perjurio animata, utramque Remp. miserè vexavit. Nam Procerum fides, è Stephani fide dependens, ut à fundamento ædificium; hac corruente, & evanidâ; illa non potuit diu subsistere. Sic de Roberti Comitis mente dixit Parisiensis: [Robertus fecit Stephano homagium, sub conditione, scilicet, si dignitatem suam sibi servaret illibatam: secundùm illud antiquum proverbium: *Quamdiu habebis me pro Senatore, & ego te pro Imperatore.*]

Hoveden. fol. 482.

Stephanus capit varia loca.

Turbæ exactæ, in Anglia, quod Rex frangeret fidem. *Huntind. l. 8. f. 387.*

Paris hic. Robertus facit homagiū Stephano, et qua conditione.

IX. Turbæ in Normannia. *Paris suprà.*

Nec immunis à tumultibus Normannia fuit: ubi Mathildis Augusta dum prole & latefundiis auget provinciam, illam ferè perdidit. quod ita à Parisiensi narratur. [Eodem tempore, Gaufredus Comes Andegavensis, & uxor ejus Mathildis, sine difficultate aliqua castella Normanniæ obtinuerunt cum firmitatibus cunctis Willielmi Talouz, quas Rex habuerat in manu sua;

proſcripto Willielmo. Inde menſe Auguſto, cum apud Rothomagum perveniſſent, peperit Mathildis ibi Comiti Gaufrido filium ſuum tertium, quem vocavit Willielmum. Proceres verò Normanniæ ſuper hoc indignantes, miſerunt pro Theobaldo, Comite Bleſenſe fratre Regis Stephani ſeniore, ut veniret ad eos Normanniam recepturus. Qui veniens Lexovias io jejunio decimi menſis, audivit ibi Stephanum fratrem ſuum, jam io Regem Angliæ coronatum. Unde Comes Gloverniæ Robertus reddidit ei Theobaldo Faleſiam · aſportatâ priùs pecuniâ non modicâ de theſauro Regis Henrici.]

Guilielmus III. filius Mathildis naſcitur.

X. Fatalis hic annus multis Principibus fuit, ut externi etiam Authores notaverunt. Unde Guilielmus Gemiticeoſis: [Noo multo (inquit) poſt mortem Henrici, tempore tranſacto, id eſt, ipſo anno, vel ſequenti, mortui ſunt plures ex Principibus Anglici regni, judicio Dei. Videlicet Willelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, Epiſcopus Roveceſtriæ, Epiſcopus Exonienſis, Richardus filius Giſleberti.] plures Author nominat, quos noo exſcribo: Eccleſiæ Præſulibus, ratione ſoliti, magis intentus. Eos inter de Guilielmo primæ Sedis Epiſcopo, primo loco dicendum. Is ob multa commendatus, quæ ſupra ſuis locis recenſui: in uno reus paſſim ab Authoribus notatur. quod Guilielmus aket, qui & Neoburgenſis id non diſſimulat: ſed inde acceleratam eſſe mortem non obſcurè inſinuat. [Guilielmus (inquit) Cantuarieoſis Archiepiſcopus, qui primus juraverat, Stephanum unxit in Regem; aſſiſtente & cooperante Rogerio Saleſberienſi Epiſcopo, qui ſecundus juraverat. Et Archiepiſcopus quidem ejuſdem, ut creditur, perjurii merito, ipſo prævaricationis ſuæ anno defecit.] poſtea tamen idem Author factum extenuat, bonæ mentis argumento, cùm ait: [Fortè tamen arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo, dum ſuo perjurio tanquam diſpenſatorio, Eccleſiæ regnique profectibus meliùs providerent; eò quòd in defuncti Principis moribus, & actibus, plura ipſis merito diſplicuiſſent; quæ Princeps, mero ab eis creatus beneficio, eorum, ut credebant, libenter emendaret conſilio.] Ita ille. Alii Guilielmum facti pœnitentem, itáque mortuum deſcribunt. [Henrico Regi (inquit Godwinus) qui eum ad tantos honores extulit, ingratum ſe præbuit. Nam contra juramenti fas, non ſolùm, ut Mathildis filia ejus regni ſucceſſione excluderetur, conſenſit: ſed ipſe etiam Stephanum Bleſenſem Comitem (*corrige Bononienſem, & Moritonii Comitem*) capiti impoſitâ coronâ inauguravit: ita verò, ut præ metu, & perfidiæ conſcientiâ trementi, hoſtia in Miſſæ celebratione, manibus exciderit. Neque verò multum poſt ſuperfuit: ſed ægritudine mœſtitiáque (ut par eſt credere) contabeſcens, anno nondum circumacto extinctus eſt, Chriſti videlicet nati milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto, cùm annos ſediſſet fermè quatuordecim.]

Gemiticen. l. 7. c. 40. — *Annus fatalis morte multorum Nobilium.* — *Neuburg. l. 1. c. 4.* — *Guilielmus Cantuarien. moritur, qui coronaverat Stephanum, contra juramentum ſuum.* — *Godwin. in Cantua.*

XI. Joannes Roffenſis Epiſcopus naturæ debitum hoc anno ſolvit, ut Gemiticenſis ſupra. nam licet Godwinus ſcribat ſequenti anno mortuum, tamen Roffenſis Eccleſiæ Manoſcriptæ tabulæ quas citat & ſequitur Joaones Picardus in notis ad Sancti Bernardi Epiſtolas, Joannem mortuum ponunt, anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto. Cæterùm an Epiſtola Bernardi numero ducenteſima quinta, inſcripta *ad Epiſcopum Roffenſem*, ad Joannem hunc ſpectet, aut ſucceſſorem ejus, benè dubitat Picardus, quamvis ſine dubio titulum, & benè correxerit, in Epiſcopum Roffenſem. Godwinus paulò conſtantiùs, affirmat dictam Epiſtolam ad Aſcelinum ſcriptam, de quo anno ſequenti. De Exonienſi Epiſcopo ad hunc mortuo, nihil io Authoribus noſtris reperio. Et quoniam diſertè dicitur ad anoos ſediſſe ſupra viginti, diu adhuc ſuperſtes erit.

Moritur Joannes Roffenſis Epiſcopus.

XII. Benè numerat Gemiticenſis inter mortuos, Richardum filium Giſleberti, qui io maximâ hominum carnificinâ, quam turbæ hujus intulerunt, periit: & cum honore in Annalibus nominatur. Antiqui Britanni, qui Wallenſes audiunt, in omnem occaſionem exuendæ ſervitutis, quam Angli primum, nunc Normanni urgebant, intenti: ſub novo Rege emergere, & durum jugum exuere conati, Anglorum fines hoſtiliter iovadunt, & immaniter deſæviunt. quod Continuatio ad Florentium ita narrat, ad hunc annum. Defuncto Rege Henrico fit ſtatim grave prælium apud Guher, inter Normannos & Walenſes: ubi quingenti & ſedecim ex his, & ex illis corruerunt. Corpora verò eorum à lupis horribiliter per agros diſcerpta, & devorata ſunt. Facta eſt exinde magna nimis Walenſium irruptio, Eccleſiarum, villarum, ſegetum, animalium graviſſima per eoſdem Walenſes longè latéque deſtructio, caſtellorum ſeu aliarum munitionum exuſtio, hominum innumerabilium, divitum, & pauperum, occiſio, diſperſio, & io exteras terras venditio. Inter quos nobilis, atque amabilis Richardus Giſleberti filius, eorundem Walleoſium præventus inſidiis decimo ſeptimo Calendas Maii perimitur: corpuſque ejus Glaornam delatum, in Capitulo fratrum honorificè ſepelitur.] Ita ibi de prælio ad Guher, quem agrum hodie Gower appellamus inter Silures, & in Glamorganiæ Comitatu. ubi olim Sanctus Kioedus ſanctè vixit, mortuuſque eſt, ut dixi ad anoum Chriſti quingenteſimum vigeſimum nonum. meminit Camdenus horum tumultuum, pugnatum dicit ad Loghor fluvium, quem Antoninus Leucarum vocat: & Belli ducem nominat. [Ubi, inquit, ſub mortem Henrici primi Howel ap Meredic, ex improviſo, cum ſuis montanis Anglos ſuperfuſus melioris notæ plures oppreſſit.]

Continuatio ad Floren. hic — *Wallenſes vaſtant Angliam, Normanni cum illis pugnant, occiſis utrimque 516.* — *Richardus Giſleberti filius occiditur.* — *v. an. 529. n. 3.* — *Camden. in Glamorg.*

XIII. Nec ita ab injuriis ceſſatum. nam ut ſupra Silures, ſic eodem anno Dimetæ, ſive occidentales Britanni, & ſtragem Normannis intuliſſe, & ab eis non mioorem accepiſſe narrantur. quam ita proſequitur Continuatio ad Florentium. [Subſecutum eſt hoc anno bellum aliud graviſſimum apud Cardigan, menſe Octobri hebdomadâ ſecundâ: in quo tanta hominum ſtrages facta eſt, ut exceptis viris in captivitatem abductis, de mulieribus captivatis decies centum decimæ remánerent, maritis earum, cum parvulis innumeris, partim aquâ demerſis, partim flammâ conſumptis, partim gladio trucidatis. Eratque ibi magnam videre miſeriam, cum fracto ponte ſuper fluvium Teuwi (nunc Tivium latinè dicimus) fieret huc illucque diſcurſantibus pons humanorum corporum, ſive equorum ibidem merſorum horrenda congeries.] Ita Author ibi: Et quia paulò inferiùs inter viros eximiæ religionis & magnæ prudentiæ hoc eodem anno mortuos, præter Guilielmum Cantuarienſem

Continuatio ſuprà. — *Magna ſtrages hominũ in Wallia.*

ſem, & Guidonem Abbatem de Perſora, nominat etiam Abbatem de Wincelcumba Godefridum & Benedictum Theokeſbirienſem Abbatem.

XIV. ADELA MORITUR MATER STEPHANI SANCTIMONIA *Gemet. cap. 7. 6. 9.*

Sexus etiam alter in libitinam venit, & tributum morti etiam Regiæ fœminæ ſolverunt. nam Adela Guilielmi primi filia, & Stephani nunc regnantis mater, quæ dudum monaſterium ingreſſa, ſanctè inter moniales vixerat, hoc anno moritur: ſic enim Gemiucenſem intelligo: [Mortuo Stephano (inquit ille) Comite Bleſenſi, marito Adelæ, filiæ Willelmi Regis Anglorum, ipſa aliquamdiu nobiliter rexit Comitatum; quia filii ſui adhuc minus habiles ad procurandum regimen erant. Quibus adultis, ipſa ſanctimonialis habitum, & converſationem, tempore Domini Petri Cluniacenſis Abbatis, Marciniaci aſſumens laudabiliter ibidem in Dei ſervitio, uſque ad finem perſeveravit. Deceſſit verò ſecundo anno poſt mortem Henrici fratris ſui, Regis Anglorum.] Quoniam verò multum ſcire juvat, quo modo ſe ad mortem compoſuerint, qui ad hunc annum mortui ſcribuntur (nam ideò hiſtoria omnis potiſſimum texitur, ut quid faciendum, quid fugiendum poſteris innoteſcat) apponam coronidis loco, quid egerit Ludovicus Gallorum Rex, cùm ſe hoc anno ad mortem paravit: & aliud non erit, ab eo quod ſuperiori anno in Henrico Anglorum Rege legimus. Sed quoniam Regum exempla, præ aliis, illuſtria ſunt, ideò in mentes hominum penitiùs deſcendunt. Sugerius ad Sanct. Dionyſii Abbas, qui Ludovici geſta deſcripſit, vir a Bernardo Sancto, & Petro Cluniacenſi dignis elogiis commendatus, hæc refert inter cætera.

XV. LUDOVICI FRANCORUM REGIS PIA MORS. *Sugerius apud Baron. hic.*

[Ludovicus ut erat in conſilio providus, ſibi ipſi conſulens, & miſeratus animæ ſuæ, Deo placens, frequenti Confeſſionis, & orationis ſibi devotione providebat; hoc unum toto animi affectu peroptans, apud Sanctos Martyres, protectores ſuos, ſociòſque ejus, quomodocumque deferri (ægrotabat diarrheticâ) & ante ſacratiſſima eorum corpora, regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus inſignibus, & Imperialibus ornamentis, humilem Beati Benedicti habitum commutando, monaſticum ordinem profiteri.] & paulò inferiùs: [Quærit, inquit, rejecto omni pudore, devotiſſimè confiteri, & ſecutiſſimo Dominici corporis & ſanguinis viatico exitum ſuum muniri. Cum ipſum præparare feſtinant Rex ipſe inopinatè ſe levans, & præparans; cunctis admirantibus obviam corpori Domini noſtri JESU CHRISTI exit, devotiſſimè aſſiſtit. Ubi videntibus cunctis, tam clericis, quàm laicis, Regem exuens regnum deponit, peccando regnum adminiſtraſſe confitetur. Filium ſuum Ludovicum annulo inveſtit.

INVESTIT ANNULO FILIUM LUDOVICUM.

Eccleſiam Dei, pauperes & orphanos tueri, jus ſuum cuique cuſtodire: neminem in curiâ ſuâ capere fide obligat. Ubi etiam aurum & argentum, & vaſa concupiſcibilia, & pallia & palliatas culcitras, & omne mobile quod poſſidebat, & quo ei ſerviebatur, Eccleſiis & pauperibus, & egenis, pro amore Dei diſtribuens. nec chlamydibus, nec Regiis indumentis, uſque ad Camiſiam pepercit. Capellam autem ſuam pretioſam, textum pretioſiſſimum auro & gemmis ornatum: thuribulum aureum quadraginta unciarum, candelabra centum & ſexaginta auri unciarum, calicem auro & pretioſiſſimis gemmis clariſſimum, pretioſiſſimum hyacinthum Athanæ Regis Ruthenorum filiæ, quem de ſuâ, in manu noſtrâ reddens, ut coronæ ſpineæ Domini infigeretur præcepit, ſanctis Martyribus per nos deſtinavit. & ſi quocumque modo ſubſequi poſſet, devotiſſimè ſpopondit, &c.

DISTRIBUIT SUA PAUPERIBUS ET ECCLESIIS.

Cumque ſe deferri ad Eccleſiam ſanctorum Martyrum faceret; ut quod votum ſæpius ſpoponderat humillimè perſolveret, ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde, & animo, & voluntate complevit. Præcipiens ergo tapetum terræ, & cineres tapeto in modum Crucis deponi: ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ Crucis ſe muniens trigeſimo regni adminiſtrationis, ætatis verò ferè ſexageſimo anno Kal. Auguſti ſpiritum emiſit.]

DEPOSITUS SUPER TAPETUM STRATUM CINERE, ET SIGNANS SE CRUCE MORITUR.

XVI. Cum hæc lego, Conſtantinum, primámque Fidem, quam Chriſtianiſſimi Principes amplexi ſunt: quamque Nerones & Diocletiani perſecuti ſunt, clariſſimè intueor. cum video Chriſtianè morientes, Martyrum conſortium & patrocinium, quærere, eorum Eccleſias & corpora regio cultu, & ampliſſimis muneribus honorare: Calices aureos & argenteos ob ſacro-ſancti Sacrificii reverentiam offerre, cum audio Reges ad Sacerdotum pedes projectos, peccata poenitenda confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum, Chriſti Corpus & Sanguinem religioſiſſimè venerari. Denique cum conſtet authoritate ſæculorum omnium, à Chriſto nato, Fideles ubique non in Angliâ modo, & in Galliâ; ſed in Europâ, Africâ, Aſiaque omni ita piiſſimè factitaſſe: meritò miratur quis poterit factionem illam, quæ cum injuria & ſæculorum omnium, hæc omnia averſatur, Nerones & Diocletianos imitata.

XVII. ROBERTUS BATHONIENSIS EPS.

Vacantem ſuperiori anno Bathonienſem Eccleſiam, Robertus hoc anno adminiſtrandam ſuſcepit. Fuit ille Lewenſis monachus Epicœnæ origenis. nam in Normanniâ natus parentibus Flandris, in Angliâ per monaſticen renaſcitur. de eo plura, cum moritur, anno 1165. n. 14. Godefridus Mandevilla, Eſſexienſis Comes, hoc anno, monaſterium fundat in ſuo comitatu: & S. Jacobo ſacrum, nigris monachis poſſidendum tradidit.

ANNUS CHRISTI 1137.

INNOCENTII II. PAPÆ 8.

STEPHANI REGIS. 2.

I. INCENDIUM MAGNUM EBORACI. *Godwin. in Ebora.*

SEQUENS Chriſti annus milleſimus centeſimus trigeſimus ſeptimus, urbium & Eccleſiarum incendio infamia eſt. Eboracenſis Eccleſia hoc paſſa infortunium, Turſtani Epiſcopi patientiam exercuit. De illo ita ſcribit Godwinus: [Triennio antequam obiret, inſigni clade percuſſa eſt, tam civitas, quam Eccleſia Eboracenſis. Fortuito igne præter Cathedralem, triginta aliæ Eccleſiæ abſumptæ ſunt unà cum cœnobio Sanctæ Mariæ in ſuburbiis, Hoſpitale à Thurſtano conſtructum, & urbis denique ædificia penè univerſa.] Meminit hujus incendii Camdenus in Brigantibus, & damno addit irreparabile damnum, religioſarum ædium, & inſtructiſſimæ bibliothecæ ruinam. [Regnante Stephano,

Camden. in Yorke.

(inquit) Eboracum damnum fecit longè maximum ex fortuito incendio, quo hausta fuerunt Cathedralis Ecclesia, Mariæ monasterium, aliæque religiosæ ædes: & etiam (uti creditur) instructissima illa bibliotheca, quam Alcuinus * Egelredum Archiepiscopum præceptorem suum instituisse prodidit. Mariæ verò monasterium cito pristinam dignitatem nova structura recuperavit. Ecclesia autem Cathedralis seriùs, nec ante Edwardi primi tempora.] Sequitur Bathoniensis Ecclesia, quam ignis etiam hoc anno absumpsit, sed novi Præsulis industriâ resurrexit. Is est Robertus, quem superiori anno Ecclesiæ præfecimus. [Vixdum plenè consederat (inquit de illo Godwinus) quando Ecclesia sua Bathoniensis per Joannem nuper constructa, iterum conflagravit. Hanc pristino splendori iste restituit, ornamentis porrò additis non paucis.]

* Egbertus

Omnium liberalium artium armarium ut ita dicam, & sacrarum nobilissimâ bibliothecâ Eboraci Egbertus constituit *Malmesb.*

Godwin. in Bathon.

II. Restituit etiam Deus religiosarum ædium ruinam, novarum constructione: & Eboracensem agrum illustrem hoc anno reddidit, cùm Robertum è Fontanensi monasterio eductum; ubi sanctitatis tyrocinium, ut supra * posuerat; altiori loco constituit, & multorum monachorum Patrem. De illo sic legitur in vita ejus apud Surium: [In vitæ spiritalis deliciis captus Robertus, in Fontanensem sodalitatem summa Abbatis sui voluntate concessit. In qua annis admodum quinque exactis, tantam sanctitatis apud omnes opinionem consecutus est: ut nobilis quidam in Northumbriæ regione, amplissima possessione eum invitaverit, ut novum monasterium ibi extrueret, suisque precibus mala cuncta profligaret. Paruit ille, & Abbas loci illius constitutus, tanta cura ac sollicitudine pro commissi sibi gregis salute invigilabat: ut cælitus quandoque vocem audiret, preces suas à Deo exauditas esse.] Idem ferè de eo legitur apud Capgravium, ubi disertiùs etiam temporis mentio, & sociorum ejus. [Elapsis (ita ibi) quinque annis, anno scilicet Domini millesimo centesimo trigesimo septimo, collata à quodam nobili possessione magna, in plaga Northumbriæ Venerabilis Robertus in Abbatem electus, assumptis secum undecim fratribus, novum monasterium construxit.] Ubinam loci monasterium hoc surrexerit, quia apud neminem hactenus reperi, conjectura tantum colligo, ad Knaresborow fuisse: nam ibi mortuum, ibi etiam à morte mirabiliter claruisse dicam inferiùs. Cæterùm quia passim Abbas, sine addito loci cognomine, appellatur: & quia nulla ad Knaresborow monasterii insignioris mentio: eremiticam ibi vitam cum sociis, potiùs quàm cœnobiticam duxisse arbitramur. Unde Parisiensis ad annum Domini millesimum ducentesimum trigesimum octavum: [Eodem (inquit) anno claruit fama sancti Roberti Eremitæ apud Knareburg: cujus tumba oleum medicinale fertur abundanter emisisse.]

* v. an. 1133. n. 19.

apud Lippel. 7. Junii.

apud Capg. in Roberto Abbate.

S. ROBERTUS ABBAS CLARET: IN KNARESBOROW MORITUR.

Paris anno 1238.

III. Probat etiam vitam eremiticam, quod in vita ejus è Surio Lippelous ubi suprà prosequitur, cum imperium ejus in dæmones narrat in hunc modum: [Porrò quam grata ea sollicitudo, quam pro omnium salute gerebat, Deo fuerit, non erit abs re exemplo declarare. Cum quandóque per Novum-castrum, iter haberet, incidit in copiosam juvenum turbam. Inter quos unus procaci vultu, huc atque illuc discurrebat, & quasi ad rem arduam extimulabatur. Animadvertens vir sanctus id esse dæmonis ludibrium, jussit illum relicto officio se sequi. Confestim ille demisso vultu Abbatis vestigia, tanquam ad caudas equorum alligatus, per lutum platearum, cunctis ad eam rem valdè attonitis sequutus est. Ubi autem extra urbem, ad semitarum diverticula ventum est, statim vir Dei. Quisnam, inquit, tu es? & tibi cum illis, quid rei erat? Ad quem ille. Quis ego sim non te latet: & conatus meos probè nosti. Nuptiæ, magna cum pompa, in vico illo celebrantur: & ego eam in curam intentus eram; ut sponsus ab æmulis suis in convivio cæderetur. Sicque ira & ebrietate occæcati, mutuis se vulneribus conficerent. Denique ut intra urbem seditione concitatâ, multorum animæ, trucidatis corporibus, in nostras manus pervenirent. Jamque mihi persuaseram de partâ victoriâ gaudium ingens me Principi meo allaturum. At nunc per te, dissipato concilio, vacuus & inanis abscedo. His auditis, vir Dei malitiam ejus execrans, præcepit ei in nomine Domini, ut ad deserta se loca conferret, neque deinceps hominibus illuderet. Ad eam jussionem nequam spiritus evanuit, ingenti horrore relicto: prorsus ut equi vix ullis habenis coerceri possent.]

Lippel 7. Junii

S. ROBERTUS DÆMONEM MEDITANTEM CÆDES MULTORUM IN NUPTIIS SE SEQUI IUBET, ET MANDAT IN DESERTUM.

IV. Habuit hic Sanctus in eadem secum eremo socium non minùs innocentiâ vitæ & sanctitate conspicuum, Godricum: cujus primordia recensui ad annum Domini millesimum centesimum decimum. Hic Robertum conscientiæ suæ arbitrum elegit, solitus cum eo de divinis rebus, animæque remedio frequenter agere. Quod ita Capgravius exprimit. [Sanctum Godricum, utpote Confessionis & conscientiæ illius medicus, sæpiùs invisere & alloqui consuevit. De morbis vitiorum, & virtutum remediis, de secretis cælestibus, & Angelicis visitationibus, de Sanctorum patrociniis, diem cum noctibus continuabant.] Beuè de Angelorum solatiis colloquia miscebant: quia sanctè, puréque Deum colentes, & procul à mundi solatiis, cum Angelis sine dubio conversari, cælique interdum frui deliciis merentur. Certè Roberti animam à corpore solutam, trium Angelorum adminiculo in cælum delatam, Godricus infra * testabitur: & vel inde colligitur Robertum & Godricum Angelis familiares fuisse.

GODRICUS HABET S. ROBERTUM CONSCIENTIÆ ARBITRÛ.

Capgrav. in Roberto.

* v. an. 1159.

V. Hoc quoque anno cœnobium aliud inter Silurum montes emersit, divinarum rerum contemplationi opportunum: quod quia in valle ad Hodenum flumen situm, Nanthodeni: & quia Ecclesiæ consecratum Lanthodeni indiscriminatim dicitur. Nant vallem, vel rivum aquæ decurrentis, Lan Ecclesiæ situm, innuente. Fundavit illud miles, Herefordiæ Comes, anno millesimo centesimo trigesimo septimo, inquit Spedus in Catalogo, & Landavensi diœcesi. Walterus etiam, vel potius Hugo Lacæus, qui latifundia dedit, fundasse quoque dici potest Ecclesiam ibi sancto Joanni Baptistæ sacram, & omnem cœnobii situm. Giraldus Cambrensis in hunc modum: [Stat in valle Ewias profundissima, quantum est jactus sagittæ arcu transmissæ, montibus ætheriis orbiculariter undique conclusa, Ecclesia sancti Joannis Baptistæ, plumbeis laminis operta, lapideóque tabulatu, pro loci natura non indecenter extructa. In loco videlicet, ubi paupercula priùs sancti Davidis Archiepiscopi capella steterat, musco silvestri solùm, & hederæ nexibus adornata.

Girald Itin. l. 1 c. 3.

MONASTERIUM IN VALLE EWIAS. LOCI NATURA ET SALUBRITAS.

Veræ

Veræ religioni locus idoneus, & disciplinæ Canonicæ pro cunctis Insulæ Britannicæ cœnobiis competentissimus, à duobus Eremitis in honorem Eremitæ primò fundatus; ab omni populari strepitu in solitudine quadam longè remotus, super flumen Hodney per vallis una labentis situs. Unde ab Hodeni Lanhodeni dictus. Pluviæ quas montana creant hic creberrimæ, venti pervalidi, nebulæ sub bruma ferè continuæ. Et tamen aëris quantò obtusioris, tantò benignioris & clementioris salubri temperantia: morbi rarissimi, ad eo quidem ut fratres apud filiam diutino labore consumpti, & desperabiliter afflicti, tanquam ad salubre remedium, & unicum sospitatis asylum, ad matris ubera translati, optatæ sanitati restituantur.]

Religiosi hic diu vixerunt.

VI. *Quod monasterium dicitur filia hujus.*

Intelligit Author *filia* nomine, monasterium aliud, quod hinc ortum ducta colonia Glocestriam migravit, fundavitque illud Hugo qui suprà. utrobique Regulares Canonici sancti Augustini regulam professi laudaverunt Deum in tympano & choro: & quantumvis Glocestriæ nobilius habiti, & prædiis auctiores, parentem tamen in religiosâ observantiâ non exæquarunt. Nam montana illa solitudo, & nulla rerum abundantia, mentem à terrenis abstrahentes, intimiùs Deo conjunxere. [Verè locus erat (inquit Giraldus suprà) contemplationi idoneus, locus felix & amœnus; locus à primævà institutione sibi sufficiens, & fœcundus, nisi ob Anglicam luxus opulentiam, & lautæ mensæ gloriam, ambitiosa quadam intemperantia; vitio quoque ingratitudinis invalescente; in servitutem, quæ libera fuerat, Prælatorum pariter & patronorum negligentia jam redacta, non minus invidè, quam invisè matrem filia facta privigna supplantasset.] Quod ait de *primævà institutione*: significat paulò ante, eremitas hoc loco substitisse, sancta paupertate contentos & divites: nunc autem nova fundatione, & prædiorum adjectione graviorem. Qui primi locum incoluerunt, ab omni avaritiæ suspicione procul sufficiebant sibi, de quibus Author ita loquitur: [Miles autem cui nomen Guilielmus, qui primus loci inventor fuit, & cultor, necnon & Presbyter Ervistus, qui se socium ei statim adjunxerat, quoniam juxta Hieronymi sententiam forsitan audierant (sicut in vitis Patrum legitur) Christi Ecclesiam postquam crevit possessionibus, decrevisse virtutibus, de vitiis pariter & divitiis incrementa sumendo, devotis ad Dominum orationibus, in publicâ audientiâ sæpiùs efflagitare solebant: ut nunquam ad magnas possessionum opulentias locus iste perveniret: Quoties imprimis seu Domini & patroni sui Hugonis de Lacy, primi & primævi, seu aliorum fidelium largitione, tam terris, quàm beneficiis Ecclesiasticis cœpit locus hic locupletari, valdè dolentes.]

Girald. sup.

Guilielmus miles primus author monasterii. *Girald sup.*

VII. *Rogerus Sarisburiensis Eps. visitans hoc monasterium laudat.* *Idem suprà.*

Hoc ergò tempore cœnobium antea fundatum & cultum, Normannorum largitione cœpit florere, cum priùs sanctitate floruisset: nimirum cum Rogerus Sarisberiensis Episcopus, religioso virtutum odore attractus, eò penetrasset. de quo Author. [Tempore Anglorum Regis Henrici primi, matre florente, tam rerum affluentiâ, quàm religione famosissimâ (Quæ tamen duo comitantia raro reperies) filia quippe matris æmula nondum genita: Rogerum Salisburiensem Episcopum, principalem regni tunc sub Rege Rectorem, huc fama tantæ religionis attraxit. Virtus enimverò est virtutem diligere vel in altero, & magnum innatæ bonitatis indicium, ipsa quæ necdum vitaveris vitia animi judicio devovere. Hic cum aliquamdiu loci naturam, eremiticam solitudinem fratrum ibidem Canonicè viventium, Deoque servientium sine querela, sanctam sine murmure conversationem, in singulis admiratus considerasset: reversus ad Regem, relatisque quæ ibi repererat relatione digna: cùm maximi diei partem in loci præscripti titulos expendisset; tandem in hoc verbo, laudis præconia consummavit. Quid, inquit, plura? Totus tam Regis, quàm regni thesaurus, soli claustro erigendo non sufficeret. Cum itaque tam Regis, quàm curiæ totius animos in hujus verbi stuporem diutiùs suspendisset: tandem de montium claustris, quibus undique vallatur, ænigma sermonis exposuit.] Sed satis de Lanthoniensi cœnobio, de quo Camdenus: [Non procul à Munow fluvio Lanthony sedit vetus cœnobiolum, inter Hatterel montes; quos quòd instar Cathedræ consurgunt, Munith Cadet dicunt.] Descendamus in planiora. & qui monachis ædes dedimus, Ecclesiæ prælicinamus Præsulem.

Camden. in Monmouth.

VIII. *Ascelinus Roffensis Eps.*

Mortuum superiore anno Joannem Roffensem Episcopum excepit hoc anno in eadem Sede Ascelinus, ab aliquibus, sed perperam, Anselmus dictus. quo etiam anno ut scribit Godwinus: [tam Ecclesia, quàm civitas universa Roffensis incendio fortuito conflagravit:] Episcopi hujus, si non nomen, memoriam saltem commendavit nobis S. Bernardi Abbatis Epistola ducentesima quinta, quæ inscribitur *ad Episcopum Roffensem*. nam Ascelinum intelligi suprà dixi, affirmatque Godwinus, nec admodum adversatur Joannes Picardus in notis, ubi ait: [Ni epistolarum series, quam & temporis comitatur ratio reluctaretur: dicerem hunc Episcopum esse Joannem, quem anno millesimo centesimo trigesimo sexto, mortali vitæ renunciasse, testes habeo Manuscriptas tabulas ejusdem Ecclesiæ. At certè si hic jam defecerit, Ascelinum qui modo insequebatur nomine, in Manuscriptis tabulis, reponimus.] Epistolæ argumentum, è literarum serie colligitur, quæ est hujusmodi:

Godwin in Ioanne Roff.

Picardus in Notis ad Epistol. 205.

IX. *Epistol. Bernardi 205*

DUrè scribitis non merenti. Quid peccavi? Si monui magistrum Robertum Pullam aliquantum temporis facere Parisiis, ob sanam doctrinam, quæ apud illum esse dignoscitur, id putavi necessarium; & adhuc puto. Si rogavi sublimitatem vestram ut permitteretis: etiam nunc id ipsum rogarem; nisi eam de priore prece indignatam sensissem. Si dixi hominem fultum gratia amicorum, quorum in curiâ non minima authoritas, id dixi, quod vobis formidavi: & adhuc formido. nam quod post appellationem factam extendistis manum (ut accepimus) ad vos appellantis; nec laudavi, nec laudo. Veruntamen voluntati vestra in aliquo contradicere, nec consului ei, nec consulo. De cætero vestri sumus: coronam vestram suscipere, & colere semper digna & debita veneratione parati. Hujus testimonio conscientiæ audemus, adhuc ad vos (prece duntaxat, atque consilio) ut magister Robertus cum integritate gratia vestra, per aliquantum tempus possit Parisiis demorari. Retribuat vobis Dominus in vitam æternam; quòd viscera nostra refovistis: filios nostros loquor, quos misimus in Hiberniam.

Ita Bernardus, qui monachos suos non in Angliam modo, ut supra: sed in Hiberniam quoque dispensavit. Unde Godefridus in vita ejus libro tertio capite sexto scripsit: superesse *adhuc Bernardi monimenta apud occiduos Hibernorum Soles.* Præterea anno millesimo centesimo octogesimo octavo, decimo sexto Augusti, in diœcesi Tuamensi exortum est cœnobium Tuellium, ut testatur series ipsa monasteriorum apud Claramvallem. Hinc etiam in quinta distinctione, cap. 2. veterum rituum è Cisterciensibus servatorum, præcipitur. Abbates de Hiberniâ, tribus annis remaneant. & quarto anno veniant ad Capitulum. Et Abbas Mellifontis ita ordinet, ut aliqui eorum, singulis annis veniant ad Capitulum. Hæc dicta sunto, in Ascelini Roffensis laudem, qui missos à Bernardo monachos benignè habuit, excepitque hospitio.

MONASTERIA CISTERCIENSIŨ IN HIBERNIA.

X. STEPHANUS TRANSFRETAT IN NORMANNIAM, COMPONIT OMNIA PECUNIA. *Paris his.*

Ad alteram Remp. quod attinet, quievisse videtur Insula ab omni tumultu. Unde vacavit Stephano Regi, Normanniam, Insulæ appendicem invisere, coronæque suæ, pro viribus, adnectere. Quid ibi factum, ut Andegavensis Comes & Mathildis Augusta cedere coacti sunt, ita narrat Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo trigesimo septimo, Rex Anglorum Stephanus transfretavit in Normanniam; fugiente à facie ejus Comite Andegavensi, ubi Martiis actibus indulgens, omnia quæ incepit, feliciter consummavit, hostium cuneos depulit, hostilia castella subruit, & egregiè resplenduit inter summos. Concordiam cum Rege Francorum composuit. Et filius ejus Eustachius, homagium ei de Normanniâ fecit. Hoc videns Consul Andegavensis Gaufridus; cujus uxori idem Rex Sacramentum fecerat, Angliam ab eo requirebat. Sed tum cum vidisset se vires Regias non posse superare ad præsens, cœpit inducias; acceptis ab ipso Rege, pro bono pacis quinque millibus marcarum singulis annis. Thenbaldo etiam fratri suo Comiti Blesensi conquerenti quod injustè Angliam invaserat, cum esset ætate minor, duo millia marcarum pepigit annuatim. Et sic fratres pacificati ab invicem recesserunt.] Hac arte, & marcatum annuâ pensione Stephanus sibi Normanniæ proceres, & principatum illum conciliat. Unum felicitati deerat: Robertus Glocestriæ Comes, & Mathildis frater fides erat, & potentia prudentiáque formidandus. Hunc ergo, vel blanditiis ad se allicere, vel dolo perdere, & tum demum, nec prius, felicitatis culmen tenere se putabat. Quid super eo egerit dicat Malmesbursis:

XI. *Malmesb. histor Nov. l. 1. f 180.*

STEPHANUS INTERCIPERE CONATUS ROBERTUM GLOCESTRIÆ FALLITUR: FINGIT AMICITIAM CUM EO.

[Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo septimo, Rex primo tempore Quadragesimæ transiit mare. Comes etiam (*Robertum intelligit*) pertentatis illorum & cognitis animis, quos datæ Fidei tenaciores esse noverat: dispositóque quid deinceps agendum decerneret, ipse die Paschæ mare ingressus, plenáque felicitate in terram evectus est. Nec multò post malignitatem adversæ fortunæ paulò minùs expertus est. Rex enim cum, incentore quodam Wilielmo de Ipre, insidiis intercipere conatus est. Comes autem per quendam insidiarum conscium præmonitus, paratos sibi evitavit dolos. & curiâ, quò sæpè invitabatur, aliquantis diebus abstinuit. Rex consternatus animo: quod insidiis parum profecisset, astutia agendum ratus, serenitate vultus, & gratuitâ confessione magnitudinem culpæ attenuare studuit. Juravit tamen verbis pro placito Comitis conceptis, se nunquam ulteriùs tanto sceleri affuturum. Et ut magis in gratiam reciperetur, manu Archiepiscopi Hugonis Rothomagensis in manum Roberti missa Sacramentum solidavit. Et hæc quidem egit ille, sed nunquam plenam ei exhibuit amicitiam, cujus semper suspectam habebat potentiam. Itaque coram Comite, pulchrè jocundeque Comitem illum appellans, retrò maledicis verbis mordebat, & quibus poterat possessionibus vellicabat. Robertus quoque arte artem eludens, occultabat fronte animum, pacificéque Regem in regnum redire dimittens: ipse commodis suis in Normannia manens intendit.] Hactenus ille.

XII. STEPHANUS REGRESSUS IN ANGLIAM INVENIT RES TURBATAS. *Huntind. l. 8. f 387.*

Reversus in Angliam Stephanus, majores ibi fluctus invenit, quàm quos recens à tergo reliquerat. Bedfordia reversum nolens agnoscere, multa defectionis argumenta dedit, sub finem hujus anni, cum tertium regni annum inchoasset Stephanus, nimirum ad Christi nascentis solennia. Unde etiam passim Authores novum annum auspicantur. Sic Huntindonius cum dixisset: [Stephanus cunctis prosperè gestis, in ipso vestibulo Natalis Domini redit Rex in Angliam clarus:] mox subdit: [Hi ergo duo anni Regi prosperrimi fuerunt: tertius verò de quo dicemus, mediocris & intercisus; duo verò ultimi exitiales, & prærupti.] Senserat enimverò solertissimus Rex Anglorum animos in absentiâ alieniores reddi, ideoque è Normanniâ in Angliam festinavit. Interim Robertus in Normanniâ manens: [quasi positus in speculâ (inquit Malmesburiensis) rerum providebat exitum: & ne de juramento quod sorori fecerat, erga Deum & homines, perfidiæ notaretur sedulò cogitabat.]

ANNUS CHRISTI 1138.

INNOCENTII II. PAPÆ 9.

STEPHANI REGIS. 3.

I. SCHISMA MORTUO ANACLETO FINITUR.

CHRISTI annus millesimus centesimus trigesimus octavus, Romanæ Ecclesiæ feliciter illuxit, cum in ipsis anni primordiis, mortuo Anacleto pessimum schisma finem, & omnis Ecclesia pacem habuit. Tunc etiam potuit Romanus Pontifex, potestatem explicando, Angliam per legatos invisere, Concilium ibi cogere, & vacanti Cantuariensi Ecclesiæ Pastorem præficere: quod quia sub finem tantummodo anni factum: dicam quæ factum præcesserunt: quæque reversum Stephanum Regem turbæ exceperunt, in agro Bedfordiensi, de quibus suprà. quas Huntindonius ita explicat:

II. *Huntind. l. 8.* STEPHANUS OBSIDET BEDFORDENSE CASTRUM.

[Stephanus Rex impiger, tertio anno, in ipso ingressu Angliæ provolavit ad Bedfordiam, & in vigilia Natalis Domini, & in toto Natali obsedit illam: quod etiam multis Deo displicuisse visum est; quia solennitatem solennitatum parvi vel nihili pendebat.] Et benè visum: licet enim Stephanus factum excusaret, diceretque nullas rebellibus inducias dandas; Deus tamen Angliam eodem tempore castigavit, misso à Septentrione

malo,

malo, quod regnum afflixit. de quo Parisiensis: [Anno millesimo centesimo trigesimo octavo, in ipsis diebus Natalitiis, Stephanus Bedfordense castrum obsedit, dicens: Nulla hora pacem esse hostibus concedendam. Sed antequam redderetur castrum. Rex David Scotorum, in Northumbriam exercitum ducens, tam ipse, quàm sui, rem nimis execrabilem peregerunt. In ultionem enim Imperatricis, cuidem Rex fidelitatem juraverat, mulieres gravidas findebant, & fœtus anticipatos ab uteris extrahebant: parvulos super lancearum acumina projiciebant; Presbyteros super altaria trucidabant. Crucifixorum capita præcidebant, & fracta cæsorum corpora reponebant, capita occisorum mutuabant, super crucifixos collocabant. Quæcumque igitur Scoti contingebant, plena horroris & inhumanitatis erant. Aderat clamor mulierum, ejulatus senum, desperatio vivorum.] Ita ibi. Quæ si unius tantummodo Parisiensis testimonio starent, incredibilia viderentur, præsertim hoc sæculo, & Davide Rege, cujus Fides religioque illustris est. Sed Authores alii, & qui hoc tempore vivebat Huntindonius, eadem de Scotis narrat.

Paris hic. — SCOTI CRUDELITATEM EXERCENT.

III. Quid interim Stephanus malorum causa? Ipse, qui causa, remedium fuit. nam levi manu motum composuit. Bedfordiam recepit, eaque domita, [exercitum grandem (ita Parisiensis) promovit in Scotiam. Sed antequam illuc perveniret, Rex Scotorum se in sua recepit, & inexpugnabilia loca petivit. Sed Rex Anglorum Australes Scotiæ partes igne cremavit: Ipso quidem David non audente cum eo congredi.] ut addit Huntindonius. Sed initia hæc dolorum, non finis fuit: nam Angli etiam se in Regem armant, castra muniunt, urbes occupant, & Normannorum jugum exuere, omni nisu laborant. Quos ut Stephanus premere incipit: iterum è Septentrione, Anglorum fines Scotus invadit. Hæc strictim aliqui: nos paulò fusiùs explicemus. [Post Pascha (inquit Huntindonius) exarsit rabies proditorum nefanda. Quidam namque proditorum, &c.] Quos Author proditores vocat, alii qui posterius scripserunt, Proceres appellant: dicat ergò post eum, sed paulò modestius Matthæus Parisiensis: [Exarserat namque tanta rabies Procerum contra eum, ut ferè ab omnibus quateretur. Wilhelmus enim Talebot, Herefordense castrum tenuit contra Regem, Robertus Consul Gloverniæ, Ledes, & Bristollum (hic erat filius nothus Regis Henrici.) Willielmus Luvel tenuit castrum de Cari: Paganellus, Ludelow, Wiluel de Moiun castellum de Dunestor, Robertus de Lincolnia, castra de Warham, Eustachius filius Joannis castellum de Meltona, Willielmus filius Alani Salopesberi. Quod Rex per vim cepit, & captorum in eo nonnullos suspendit Quod audiens Walkelinus, qui castrum Dovorense tenebat, illud Reginæ reddidit obsidenti.] Ita ille.

Idem supra. — *Huntind. l. 8. f. 388.* — ANGLI NITUNTUR EXCUTERE NORMANNORUM JUGUM. — *Idem sup.* — *Paris hic.* — VARII PROCERES TENENT DIVERSA CASTRA CONTRA REGEM.

IV. [Ita Stephano multis tumultibus in Angliâ impedito (scribit alter) & nunc super unos, nunc super alios irruente, ut meritò illi, quod de Ismaele dictum est, coaptari posset: Quia manus omnium contra illum: & illius contra omnes. Robertus toto anno illo fecundum in Normanniâ egit otium. Rex promptè contra sibi resistentes, crebrò, ut ferebatur, dicere solebat: Cùm me in Regem elegerint, cur me destituunt? Per nascentiam Dei nunquam Rex dejectus appellabor. Ita intestinis dissidiis Anglia quatiebatur anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo octavo. Multi siquidem, vel quos nobilitas generis, vel magnitudo animi, vel potiùs viridioris ætatis audacia, ad illicita præcipitabat: à Rege, hi prædia, hi castella, postremò quæcumque semel collibuisset, petere non verebantur. Quæ cùm ille dare differret, excusata mutilatione regni, vel quod eadem alii calumniarentur, aut etiam possiderent. Illi continuò irâ commoti, castella contra eum obfirmabant, prædas ingentes ex ejus terris agebant. Nec verò ille aliquorum defectione frangebatur animo: sed modò hic, modò illic subitus aderat: semperque suo magis, quàm resistentium damno, rem conficiebat. Multis enim & magnis laboribus suis in cassum effusis; datis vel honoribus, vel castellis, simulatam ad tempus pacem ab eis promerebatur. Denique multos etiam Comites, qui ante non fuerant, instituit, applicitis possessionibus & redditibus, quæ proprio jure Regi competebant. Erant illi avidiores ad petendum: & is profusior ad dandum: quia fama per Angliam volitabat, quòd Comes Glocestriæ Robertus, qui erat in Normanniâ, in proximo partes sororis foret adjuturus, Rege tantummodò ante diffidiato. Nec veritas rerum famæ levitatem destituit. Celeriter enim post Pentecosten, missis à Normanniâ suis Regi, more majorum, amicitiam & fidem interdixit, homagio etiam abdicato. rationem præferens, quàm id justè faceret: quia & Rex illicitè ad regnum aspiraverat, & omnem fidem sibi juratam neglexerat, ne dicam mentitus fuerat. Ipsemet quin etiam contra Legem egisset, qui post Sacramentum, quod sorori dederat, alteri cuilibet, ea vivente, se manus dare non erubuisset.

Malmesb. hist. Nov. l. 1.

V. Animabant enimvero mentem ejus multorum religiosorum responsa, quos super negotio consuluerat: nullo modo eum posse sine ignominiâ vitam præsentem transigere, vel mereri beatitudinem futuræ, si paternæ necessitudinis sacramentum irritum haberet. Adde quod etiam Apostolici decreti præ se tenorem ferebat, præcipientis, ut Sacramento, quod præsente Patre fecerat, obedicos esset. Cujus decreti paginam posteriori libello, indicare curabo. Hæc vir ille, qui plena satietate literarum scientiam combiberat, magno fructui sibi fore in posterum sciebat. Cæterùm Rex ægrè ferens Comitis magnanimitatem, omnibus eum possessionibus in Angliâ privavit, quantum in ipso fuit, & quædam etiam castella complanavit. Solum Bristo remansit, ut non solum hostes expelleret; sed etiam crebris incursionibus Regem fatigaret.] Hæc omnia Malmesburiensis: ea potissimum describens, quæ Robertum Comitem, cui librum inscribit, à perfidiæ suspicione absolutum posteris commendarent. Quibus enarratis ad sequentis anni gesta transit; missis quæ alibi per Angliam gerebantur: quæ tamen, memoria lectúque digna, alii referunt.

QUID PRÆTENDEBAT ROBERTUS GLOCESTRIÆ CONTRA STEPHANUM REG. — PRIVATUR POSSESSIONIBUS IN ANGLIA.

VI. [Occupato igitur Rege, circa partes Australes Angliæ (ita hujus etiam ævi & temporis Huntindonius) David Scottorum Rex innomerabilem exercitum promovit in Angliam. Contra quem proceres borealis Angliæ, admonitione, & jussu Turstani Archiepiscopi Eboracensis restiterunt viriliter, fixo Standard, id est, Regio insigni apud

Huntind. l. 8. — *De bello Standardii conscriptis edidit Richardus Prior Hagustald. & Ailredus Rieval. Abb.*

Alverton. Cum autem morbi causâ non posset Archiepiscopus interesse pugnæ, misit loco sui Radulfum Episcopum Orcadum: qui stans in acie media, loco eminenti hujusmodi usus est in-concione:

VII. *Proceres Angliæ, clarissimi Normannigenæ (meminisse enim vestri vos nominis & generis præliaturos decet) perpendite qui, & contra quos, & ubi, bellum geratis. Vobis enim nemo impunè restitit. Audax Francia vos experta delituit. Ferax Anglia vobis capta succubuit. Dives Apulia vos sortita refloruit. Hierosolyma famosa, & insignis Antiochia, se vobis utraque supposuit. Nunc Scotia vobis ritè subjecta repellere conatur, inermem præferens temeritatem, rixæ quàm pugnæ aptior. In quibus quidem nulla vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia. Nullus igitur verendi locus, sed potiùs verecundia: quod hi quos semper in patriâ suâ perivimus, & vicimus, in patriam nostram, ritu transverso, ebrii, dementesque convolarunt. Quod tamen vobis ego Præsul, & Archipræsulis nostri loco situs, Divina providentia factum denuntio, ut hi, qui in hac patriâ, Templa Dei violarunt, Altaria cruentarunt, Presbyteros occiderunt: nec pueris, nec prægnantibus pepercerunt; in eadem condignas sui facinoris pœnas luant. Quod justissimum suæ dispositionis arbitrium, per manus nostras hodie perficiet Deus. Attollite igitur animos viri elegantes, & adversus hostem nequissimum, freti virtute patriâ, immo Dei præsentiâ exurgite.*

Alloquitur militem Episcopus Radulfus aggressurum Scotos.

VIII. *Neque vos temeritas eorum moveat, cum illos tot virtutis nostræ insignia non deterreant. Illi nesciunt se armare in bello: Vos in pace, armis exercemini, ut in bello, casus belli dubios non sentiatis. Tegitur vobis galeâ caput, loricâ pectus, ocreis crura, totumque corpus clypeo. Ubi feriat, hostis non reperit, quem ferro circumseptum conspicit. Procedentes igitur adversus inermes ac nudos, quid dubitamus? An numerum? Sed non tam numerus multorum, quàm virtus paucorum bellum conficit. Multitudo enim disciplinæ insolens, ipsa sibi est impedimento, in prosperis ad victoriam, in adversis ad fugam. Præterea majores vestri multos pauci sæpè vicerunt. Quid ergo confert vobis gloria parentalis, exercitatio solennis, disciplina militaris, nisi multos pauciores vincatis. Sed jam finem dicendi suadet hostis inordinate proruens, & quod animo meo valdè placet, dispersè confluens. Vos igitur Archipræsulis vestri loco, qui hodie commissa in Domini domum, in Domini Sacerdotes, in Domini gregem pusillum vindicaturi estis, si quis vestrum præliaus occubuerit, absolvimus ab omni pœna peccati in nomine Patris, cujus creaturas fœdè & horribiliter destruxerunt: & Filii, cujus altaria macularunt: & Spiritus Sancti, à quo sublimatos insanè occiderunt.* Respondit omnis populus Anglorum, & resonuerunt montes & colles *Amen, Amen.* Exclamavitque simul exercitus Scottorum insigne patrium, *Albani, Albani.* Extinctus autem clamor est ictuum immanitate, & horrendo fragore. Sequitur principium pugnæ:

IX. Dum acies Loenensium, qui gloriam primi ictus à Rege Scottorum invito præripuerant, amentatis missilibus, & lanceis longissimis super aciem equitum nostrorum loricatam percutiunt, quasi muro ferreo offendentes, impenetrabiles invenerunt. Viri verò sagittarii, equitibus immixti obnubilantes eos, nimirum inermes penetrabant. Tota namque gens Normannorum, & Anglorum in una acie circum Standard conglobata persistebant immobiles. Percusso igitur sagitta summo Duce Loenensium corruit ipse, & tota gens eorum in fugam versa est. Offensus namque Deus excelsus erat in eos, & omnis virtus eorum, tanquam aranearum contextio demolita est. Quod videns acies maxima Scottorum, quæ ex alia parte acerrimè pugnabat, animo deliquit, & fugæ indulsit. Regalis autem acies, quam ex pluribus gentibus Rex David constituerat, simul hoc vidit, ceperunt primùm singillatim, postea coacervatim aufugere. Rege jam penè solo persistente. Quod amici Regis videntes, coegerunt eum sonipede arrepto terga dare. Filius autem Regis strenuissimus non attendens ad hæc, quæ à suis fieri videbat; sed soli gloriæ & virtuti inhians, fugientibus reliquis fortissimè assiluit aciem hostium, & miro impetu percussit. Sola namque acies ejus equis residebant, ex Anglis videlicet & Normannis composita, qui Patris in familiâ conversabantur. Equitantes autem nulla ratione diu persistere potuerunt contra milites loricatos pede persistentes, & immobiliter coacervatos; sed lanceis contractis, & equis vulneratis aufugere quidem, gloriosè tamen re gesta compulsi sunt. Undecim millia Scottorum in eo campo fama refert occisa, extra eos, qui in segetibus & silvis inventi & perempti sunt. Nostri verò minimo sanguine feliciter triumpharunt. Hujus pugnæ Dux fuit Willielmus Consul de Albemarle, & Willielmus Piperellus de Notingham, & Walterius Espec, & Ibertus de Laci. cujus frater ibi solus ex omnibus equitibus occisus est. Cujus eventus belli, cum Regi Stephano nuntiatus esset: ipse, & omnes qui aderant, summas Deo gratias exolverunt. Hoc bellum mense Augusti factum est.]

Prælium inter Anglos et Scotos.

Undecim millia Scotorũ occisa.

X. Sunt in hac Huntindonii narratione dubia, quæ priùs expediri debent, quàm reliqua prosequamur. Quis ille Orcadum Episcopus militem induens, & animans ad pugnam? quis ex adversâ parte Loenensium populus? Quis pro Anglis pugnans Willielmus Piperellus? Quis Ibertus de Laci? nam Walterus Espec, è religiosa ædium extructione supra cognovimus. Denique quo tempore pugnatum, Hovedenus & Parisiensis Huntindonium ferme ad verbum exscripserunt. Qui quamvis aliquando dubia impediunt magis, quàm expediunt, utriusque tamen collatione, seu percusso silice, lucis radioli cientur, è quibus leni flatu major lux pro dubiorum solutione affulget. Ad primum quod attinet de Orcadum Episcopo, quem Huntindonius *Radulfum* apellat, Parisiensis *Rodulphum* vocat *Dunelmensem Episcopum*: & dubium facilè solveretur, oscitanter omnia legenti: quia si non Rodulfi, saltem Ranulfi Dunelmensis Episcopi, frequens hoc tempore mentio, Lectori facilè imponeret: ut Polydoro, Spedo, Hollinshedo videtur impositum, qui Rodulfum hoc tempore nominant Dunelmensem Episcopum. Harpesfeldus hoc dubium movit, sed non amovit. Dicit enim à Ranulfi morte, Gaufridum successisse, quod supra * probavi. [At Ranulfo successit (inquit) ut quibusdam videtur Guilielmus de Sanctâ Barbarâ: qui quadriennio, aut quinquennio postea mortem obiit. In successore verò Guilielmi video historias nostras paulò impeditiores. Alii enim Rodulphum quendam constituunt; qui præclaram ad milites contra Scotos, immaniter in Angliam, post paucos

Quis Orcadum Episcopus.

* v. an. 1129. n. 10.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 44.

annos

RADULPUS ORCADUM EPISCOPUS.

annos imperii Stephani grassantes, animandos, concionem habuit. Alii eam non Dunelmensi, sed Orcadum Episcopo tribuunt.] Ita ille satis indefinitè: nec Authores distinguens. Ego puto ab antiquioribus standum: nec Huntindonium corrigendum, qui cum Stephano Rege vixit, scripsitque: nec Rogerum Hovedenum, qui cæteris accuratiùs illum exscripsit; cum uterque Parisiensem ætate annisque præcesserit, & Radulfum oratorem, dixit Orcadum Episcopum, quod retinendum videtur. nam supra, ad annum Christi millesimum octogesimum quintum, vidimus Radulfum, Orcadum Episcopum, ab Eboracensi Episcopo, unà cum Wigorniensi & Cestrensi consecrari: & cur non adhuc superesset: cùm idem, ut opinor, anno hujus sæculi vigesimo octavo, Thurstano astiterit, cum ad ædem, & Sedem Sancti Andreæ, Robertus consecratur, ut dictum ibi. Adde Ailredum Rievallcosem Abbatem cæteris antiquiorem, in opusculo, quod de *bello Standardi* inscripsit: ubi *Radulfus* legitur *Orcadensis Episcopus*. Richardus etiam Prior Hagustaldensis, de eodem bello scribens: *Radulfum* vocat *cognomento Novellum Orcadensium Episcopum*.

v. 20. 1085. n. 9.

v. 20. 1128. n. 3.

Ailredus de bello Standardi.

XI. QUI LOENENSIUM POPULUS.

Paris hic.

Dum alterius dubii solutionem quæro? quis nimirum Loenensis populus, qui infeliciter satis in Anglos pugnavit: iterum Parisiensis nodum magis implicat. nam ubi Huntindonius habet: [Dum acies Loenensium, qui gloriam primi ictus à Rege Scotorum invito prærípuerant amentatis missilibus, &c.] ab eo sic redditur: [Turma Locventium, qui gloriam primi ictus à Rege vix impetraverant; augmentatis missilibus, &c.] Sed perperam sine dubio, & Loeventium turma obscurior. Meliùs itaque Hovedenus Lodonensium aciem vocat, quæ primi ictus gloriam amentatis missilibus ambivit. Et Ailredus supra Laodonenses appellat. Quo nomine puto intelligi populum, qui Laudoniam incolebat. nam ita vocavi provinciam, ad Northumbriæ regnum olim spectantem, quam Edgarus Rex Scotorum Regi concessit, cum urbe ibi principe Edenburgo. Cæterùm quos Author Willielmum Piperellum de Nothingam, & Ibertum de Laci nominat: rectiùs opinor in Parisiensi legitur, pro Iberto, Gilebertus: & hujus frater Walterus de Laci cecidit. Alium ego libentiùs Guiliélmum Peverellum de Nothingam, appellarem; eo enim nomine & cognomine Guilielmi primi nothum, historiæ passim indigitant: & Camdenus ita de illo. [Guilielmus cognomento conquestor, Guilielmum Peverel filium suum Nothum Domini de Nothingam titulo præfecit, cui ejusdem cognominis successit filius, & etiam Nepos, quem Henricus secundus hereditate exuit &c.] Hic ergò in Scotos avitâ felicitate pugnavit. an parens, an filius, an nepos incertum. nam omnes, Guilielmi nomen præferebant, ut dicam iterum hoc anno paulò inferiùs. De tempore quo pugnatum: malè annos supputant, Spedus & alii, qui in sequentem annum ista retulerunt. nam Synodum hoc anno habitam hæc omnia præcesserunt, ut passim Authores, antiqui & recentiores, qui latinè scripsere.

[illegible] n. 801. 3. [illegible] 827. 7. & 960. 14.

QUIS GUILIELMUS PEPERELLUS

Camden. in Nottingh.

XII. SYNODUS LONDINENSIS.

De Londinensi Synodo ita breviter ad hunc annum scribit Baronius: [Hoc eodem anno Innocentius Papa, altero oculorum respiciens extremas orbis partes, ad componendas res Ecclesiæ Anglicanæ, misit à latere Legatum, Albericum Cardinalem Episcopum Ostiensem, qui celebravit Londoniense Concilium: & ibi annuente Stephano Rege, Theobaldum, Beccensem Abbatem creavit Archiepiscopum Cantuariensem.] Ita ille. Biennio jam toto Sedes illa vacaverat: & per tumultus bellicos non vacavit, Guilielmo mortuo substituere alium. Romani Pontificis erat, Ecclesiis omnibus ita prospicere, Christique ovili, ut Christiano gregi Fidei aquæ, & doctrinæ pascua non deessent. Ita Stephanum Regem monuit, & Anglorum Præsules, nè porrò prima sedes Pastore careret. Hæc causa conventus. ubi Theobaldo Cantuariensis Ecclesiæ cura committitur. [Fuit illo literarum scientiâ non ita magnâ præditus (sic loquitur Godwinus) sed eâ prudentiâ, affabilitate morumque comitate, ut ab omnium ordinum hominibus vehementer diligeretur: quanquam in ea tempora inciderit, quibus turbulentiora, jam inde à Danicis deprædationibus Anglia nostra non vidit.] Albericus illum durante Synodo Episcopum consecravit, cum paulò ante Henricus Wintoniensis Episcopus, Richardus de Beaumes Diaconum ordinasset. Notavit id Parisiensis ita scribens ad hunc annum: [Eodem anno Albericus Ostiensis Episcopus, & Ecclesiæ Romanæ Legatus, in Angliam veniens in Adventu Domini, Londoniis Concilium celebravit in Ecclesia S. Pauli, ubi ipso jubente Legato, Henricus Wintoniensis Episcopus Richardum de Beaumes Diaconum ordinavit. & ipsa die, dum ordines celebrarentur Theobaldus Abbas Beccensis in Archiepiscopum Cantuariensem ab Episcopis electus est, Priore Ecclesiæ Cantuariensis Hieremia præsente. Qui ab Episcopo consecratus, cum Legato Romam profectus est: ubi à Papa Innocentio pallium suscepit.]

Baron. hic

Godwin in Theobaldo

Paris hic.

THEOBALDUS ABBAS BECCENSIS IN CANTUARIENSEM ELECTUS.

XIII.

Hieremiæ præsentia ideo notatur, quia Theobaldo primùm conjunctus, ab eo postmodum immane divertit: & cum illum Theobaldus pro meritis castigaret, ad Romanam sedem appellans, Henrici Wintoniensis patrocinio absolutus, Theobaldo negotium tamdiu facessivit, quamdiu prioratus munere & dignitate fungeretur: sed Bernardo sancto Abbate, pro Theobaldo apud Innocentium intercedente, Jeremius amotus ab officio, à lite tandem quievit: ut infra suo loco dicetur. Nec otiosa est mentio Richardi ordinationis in Synodo. Quia Londinensi sedi, quæ jam vidua erat, parabatur. Nec enim in eligendo Antistite suffragatores convenerant: his Anselmum, Buriensem Abbatem, sancti Anselmi nepotem eligentibus: aliis crimina in Anselmum jactantibus. Sed juvat Godwinum audire pro illis, & cum illis, litigantem: [Anselmus Buriensis Abbas (inquit) Divi Anselmi nepos, mortuo Gilberto, Episcopus Londinensis à Capitulo renuntiatur: & electio de illo facta, à Romanâ Curiâ confirmatur. Verumtamen exortis derepentè accusatoribus, à criminibus nescio quibus objectis, adeo se non purgavit: ut neque ad Episcopatum consecrationem potuerit impetrare, neque Abbatiam retinere. Electores ejus memorantur Guilielmus Divi Pauli Decanus, Radulfus Lingford, & Richardus Beaumes, ille (credo) qui postea Episcopus creatus est. His Rex infensus; quod alium non designarint, quem illis obtrudere nitebatur: uxores eorum (inquit Radulphus de

Godwin in Londinen.

ANSELMUS BURIENSIS ABBAS ET D. ANSELMI NEPOS, NON OBTINET EPISCOPATUM LONDIN.

An Clerici habuerint uxores ad tempora Anselmi.

Diceto) fecit capi, ad turrim, atque illic captivas teneri, duci, donec de admisso crimine plenè respondissent.] In hac lite, utcumque Anselmus causa ceciderit, & electores, uxores amiserint: Godwinus tamen, uxoratus Episcopus, sine dubio causam, & uxoremque jure obtinet: nam ita pergit pro uxoribus advocare: [Ad Anselmi usque Archiepiscopi tempora Clericorum plerosque uxores habuisse dubitandum non est. At postquam ipse tanto impetu in Sacerdotum conjugia debacchatus est, matrimonia illi aut occulta, ut non impunè habuerunt.] Pudet me hic cum Godwino litigare. Dico solum, Clericorum aliquos, etiam hodie in Romanâ Ecclesiâ uxores habere, dubitandum non est: sed Sacerdotes, aut Clerum in sacris constitutum, uxores in Latinâ Ecclesiâ habuisse, figmentum est: Episcopos autem, aut in Latinâ, aut in Græcâ Ecclesiâ, pro uxoribus litigasse, portentum. Hæc dicta sunt ratione vacantis Londinensis sedis: quæ nec in hac Synodo impleri potuit, Anselmo tantummodo reprobato. Ut post sequentem annum, non Richardus, sed Robertus ad illam assumptus sit dicam ibi.*

* v. an. 1141 n. 10 11.

XIV. Dixi*, nobilissimæ Virginis Winefredæ vitam recensendo; ut illa Witheriaci, in agro Denbigensi inter Ordovices sepulta, diu jacuerat, & virginitatis & miraculorum gloria illustris, nimirum ab anno mortis, quem nati Christi putamus fuisse sexagesimum, supra sexcentesimum, usque ad præsentem annum millesimum centesimum trigesimum octavum, quando Robertus Salopiensis monasterii Abbas, [vir pari affectu ad integritatem vitæ (loquitur Pitsius) & bonarum literarum studia raptus, in utroque genere clarus evasit: & factus Abbas ex Cambriâ transtulit in suum Salopiense cœnobium Reliquias sanctæ Wenefridæ Virginis & Martyris. & ut uno opere, in eam suæ pietatis affectum, & in re literariâ suum declararet progressum: de vitâ & rebus ejus gestis, denique de ejus martyrio perelegans opus composuit: & Abbati Wigorniensi Guarino dedicavit.] Extat hæc vita à Roberto digesta apud Capgravium: in cujus fine hæc habentur. [Post multorum annorum curricula, anno scilicet Gratiæ millesimo centesimo trigesimo octavo ossa sanctæ Wenefridæ Virginis, apud Salopiam ad monasterium monachorum cum magno honore translata sunt.] A quo tempore, virtutum odore, & fidelium devotione, adeo eminuit; ut post plures annos, Henricus Cantuariensis Episcopus, festum ejus duplici officio per universam Angliam, Synodali decreto celebrandum præceperit. Nimirum sub annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum, habetur Decretum in Provinciali Gulielmi Lindewode, quod incipit *Ineffabilis*: & ita concluditur: *Ad hæc dicti Provincialis Concilii authoritate decrevimus, & etiam statuimus per præsentes, quod festum S. Wenefridæ Virginis de cætero per totam provinciam nostram suis temporibus, id est, tertio die Novembris, cum regimine chori, & novem lectionibus perpetuis futuris temporibus celebretur.*

* v. an. 640 n. 34.

Pitsius in Rob. Salop.

Ossa S. Winefridæ deferuntur in Salopiam.

Capgrav. in Winefrida.

Lindewode f. 72 Provincia.

XV. Moritur hoc anno, sed vivere in Annalibus meretur, Gulielmus de Warenna; illius Gulielmi filius, qui primus Surreiæ Comes, Lewensem Ecclesiam fundavit: ut supra*. Iste parentis premens vestigia pietatis: quasi parum esset Comitatus hereditatem adire; nisi etiam religionis opera, à patre inchoata perficeret, novâque adjungeret. Unde non solum integrè, quæ parens monasterio legaverat, eidem loco contulit: sed plura insuper, & relictam sibi hereditatem eodem transtulit, domúmque suam in Norfolciensi agro, Castle acra dictam addidit. Sic enim in libro prioratus de Lewes, & scriptura quadragesima nona apud Reynerum legitur. [Willelmus de Warenna, secundus Comes Surregiæ, filius fundatoris de Lewes, & dictæ fundationis executor, atque operis consummator, nec non Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Castel-acre fundator, obiit quinto Idus Maii, anno gratiæ millesimo centesimo trigesimo octavo, Comitatus sui anno quinquagesimo non completo. & jacet in Capitulo, ad pedes patris sui. Iste dotavit Prioratum Lewensem de omnibus bonis suis mobilibus, & immobilibus: nec non Prioratum de Castel-acre sufficienter instauravit, ac dotavit, ac Prioratui de Lewes subjecit. Duravit prædictus Comes, tempore Gulielmi Regis secundi, per tredecim annos, & tempore Regis Henrici, per triginta sex annos, & tempore Regis Stephani, per tres annos.]

* v. an. 1078 n. 1

Gulielmus de Warenna fundator de Lewes moritur.

Reyner append. p. 2. scrip. 49.

XVI. Quoniam verò in locorum piorum fundatoribus versor: volo Gulielmo huic alium adjungere, Gulielmum Peverellum, qui Prioratum de Lenton, propè Nottinghamiam Cluniacensibus monachis fundavit. An idem hic sit cum illo, qui supra in Scotos pugnavit, nescio: sed filius Gulielmi primi Regis constanter audit, licet præter matrimonii legem natus, & ipse non diffitetur in diplomate, quod pro Lentonensi donatione dictavit in hæc verba: *Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, Clericis, & Laicis, Francis, & Anglis, qui modo sunt, & qui venturi sunt, quòd ego Willielmus Peverellus, pro divini cultus amore, & communi remedio animarum dominorum meorum, Willielmi Regis, & uxoris ejus Mathildæ Reginæ, & filii eorum Gulielmi Regis, & omnium parentum suorum & meorum: nec non & pro salute Domini mei Henrici Regis, & uxoris ejus Mathildæ Reginæ, & filii eorum; pro statu quoque regni sui: nec non & pro salute animæ meæ, & uxoris meæ Adelinæ, & filii mei Willielmi, & omnium liberorum meorum, piâ devotione, & devotâ largitione offero Deo, & Ecclesiæ Cluniacensi, & Pontio Abbati ejusq; successoribus in perpetuum substituendis, monasterium, quod in honorem S. Trinitatis in Lenton constitui, jure perpetuo sub Prioratu, ac dispositione ipsius Cluniacæ institutionis justè liberò instituendum, & possidendum, cum universis, quæ in hac chartâ subscribuntur. Ita tamen ut ipsum monasterium erga Cluniacum sit liberum, & quietum pro unâ marcâ argenti, de recognitione per annum. Beneficia igitur & possessiones, quas ego ipsi monasterio S. Trinitatis, & monachis Cluniacensibus ibidem Deo servientibus dono, & præsenti chartâ confirmo, ista sunt: nominatim villam Lentonæ cum omnibus suis pertinentiis, exceptis quatuor molendinis &c.* Meminit hujus donationis Richardus Rex eo nomine secundus, & inter patentes ejus literas legitur ad annum sextum regni ejus. In catalogo etiam ædium destructarum Gulielmus Peverellus Gulielmi primi nothus, cum Adelinâ uxore fundasse dicitur Lentonæ prioratum. De tempore fundationis non est mentio: sed quia donatio facta ponitur Pontio Abbati: & is dignitatem illam iniit anno hujus sæculi nono: & exiit anno 22.

Gulielmus Peverellus fundat monasterium de Lenton.

apud Reyner. sup. scrip. 51.

Interea

Interea dictatam Chartam necessum est dicere. Denique Walterus Espec monasterium Cisterciensibus posuit, ad oppidum Wardon Bedfordiensis agri, anno millesimo centesimo trigesimo octavo, inquit Spedus in Catalogo.

ANNUS CHRISTI 1139.

INNOCENTII II. PAPÆ 10.

STEPHANI REGIS. 4.

I. RUMOR ADVENTUS COMITIS ROBERTI CUM SORORE IN ANGLIAM.

TURBARUM Oceanum ingredior, & Ecclesiæ vastitatem, cum Christi annum millesimum centesimum trigesimum nonum explicandum propono. Hactenus enim, cum feliciter satis & honestè coronam regni Stephanus gestasset, & reverenter Ecclesiam ac infulas tractasset: nunc regno timens, quod malâ fide adiverat, personam mutat, & tyrannum induens omnem erga Episcopos reverentiam exuit: brevi propterea puniendus. Dicat hæc omnia Malmesburiensis, nam præ cæteris audiri meretur, qui omnia spectavit.

Malmesb. hist. Nov. l. 2.

[Anno (inquit ille) Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo nono, venenum malitiæ diu in animo Stephani Regis nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Angliâ rumores, jam jamque venturum è Normanniâ Comitem Robertum cum sorore. Qua spe, cum multò à Rege, non solùm animo, sed facto deficerent: ipse injurias suas multorum dispendiis farciebat. Plures etiam pro solâ suspicione diversarum contra se partium in curiâ suâ contra decus Regium captos, & ad redditionem castellorum, & ad quascumque voluit conditiones adduxit. Erant tunc duo in Angliâ Episcopi potentissimi, Rogerius Salesberiensis, & nepos ejus ex fratre, Alexander ad tutamen (ut dicebat) & dignitatem Episcopii, castellum de Newerche construxerat.

ALEXANDER LINCOLNIEÑ. ÆDIFICAT CASTELLUM DE NEWERCHE.

Rogerius, qui ædificiorum constructione, magnanimum se videri vellet, plura apud Sciresburnam, & apud Divisas, multùm terrarum ædificiis amplexus, turritas moles erexerat, apud Malmesberiam in ipso cœmiterio ab Ecclesia principali vix jactu lapidis castellum inchoaverat. Castellum Salesberiæ, quod Regii juris proprium esset ab Henrico Rege impetratum, muro cinctum, custodiæ suæ attraxerat.

ROGERIUS SALESB. ÆDIFICAT APUD DIVISAS.

II. NOBILES INCITANT STEPHANUM IN EPISCOPOS.

His moti quidam potentes laici, qui se à Clericis, & opum congerie, & municipiorum magnitudine superatum iri dolerent; cæcum intra pectus vulnus alebant invidiæ. Itaque conceptas querimonias Regi effundunt: Episcopos oblitos ordinis in castellis ædificandis insanire: Nulli dubium esse debere; quin hæc ad perniciem Regis fierent omnia, dum illi statim ut venisset Imperatrix, cum traditione castellorum, Dominæ occurrerent, paternorum scilicet beneficiorum memoria inducti. Præveniendos ergo citiùs, & ad deditionem munitionum arctandos; alioquin Regem seram pœnitentiam acturum: cum in potestate hostium videret, quæ si saperet, sibi apponere potuisset. Hæc Optimates sæpiùs. Ille quamvis eis nimio esset favore obnoxius, aliquamdiu auribus suis blandientes dissimulavit audire, molliens dilationis amaritudinem, vel religionis in Episcopos gratiâ, vel (quod magis opinor) suæ detractionis invidiâ. Denique illorum quæ Proceres suaserant, effectum non distulit, cum primum volenti se occasio ingessit: ea fuit hujusmodi. Apud Oxeneford circa octavo Kalendas Julii facto conventu Magnatum, prædicti quoque Pontifices advenerunt. Invitus valdè Salesberiensis hanc expeditionem incepit. Audivi eum dicentem verba in hanc sententiam: *Per Dominam meam Sanctam Mariam, nescio quo pacto reluctatur mens mea huic itineri. Hoc scio, quòd ejus utilitatis ero in curiâ, cujus est equinus pullus in pugnâ*: Ita præsagiebat animus mala futura. Tunc quasi fortuna famulari videretur voluntati Regis, concitatus est tumultus inter homines Episcoporum, & Alani Comitis Britanniæ, pro vindicandis hospitiis, eventu miserabili: ut homines Episcopi Saresberiensis mensæ assidentes, semesis epulis, ad pugnam prosilirent. Primò maledictis, mox gladiis res acta. Satellites Alani fugati, Nepos ejus paulò minùs occisus. Victoria non incruenta Episcopalibus cessit: multis sauciatis, uno etiam milite occiso. Rex occasionem aucupatus, per antiquos incentores, conveniri jussit Episcopos, ut curiæ suæ satisfacerent de hoc, quod homines eorum pacem ipsius exturbassent: modus satisfactionis foret; ut claves castellorum suorum, quasi fidei vades traderent: Illos ad satisfaciendum paratos, sed de deditione castellorum cunctantes, ne abirent, arctiùs asservari præcepit.

CÆDES INTER FAMULOS SALESBERIENSIS EPISC. ET COMITIS ALANI.

III. ROGERIUS EP. COMPEDITUS, DUCTUS EST AD DIVISAS.

Itaque Rogerium Episcopum absque vinculis, Cancellarium, qui Nepos, vel plusquam nepos ejusdem Episcopi esse ferebatur, compeditum duxit ad Divisas, scilicet castellum multis, & vix numerabilibus sumptibus, non (ut Præsul ipse dictabat) ad ornamentum: sed (ut se rei veritas habet) ad Ecclesiæ detrimentum ædificatum. In ipsa obsessione, castella Salesberiæ, Scireburniæ, Malmesberiæ, Regi data. Ipsæ Divisæ post triduum redditæ, cum sibi ultroneum jejunium Episcopus indixisset, ut hac angustia sua animositatem Episcopi Eliensis, qui eas occupaverat, flecteret. Nec Episcopus Lincolniensis obstinatiùs egit, redditione castelli, liberationem mercatus. Hoc Regis factum in diversas sententias solvit ora multorum. Quidam dicebant, jurè castellis alienatos Episcopos videri: qui præter scita Canonum ædificassent. Illos evangelistas pacis esse debere, non architectos domorum, quæ Autoribus refugium maleficii. Hæc amplioribus rationibus, & sermonibus agebat Hugo Archiepiscopus Rothomagi, quantum illâ facundiâ poterat maximus Regis propugnator. Alii contra: quorum partibus assistebat Henricus Wintoniensis Episcopus, Sedis Apostolicæ in Angliâ Legatus, frater Regis Stephani: quem nec fraterna necessitudo, nec periculi metus à vero exorbitare cogebat. Sic porrò dicebat. Si Episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur: non esse Regis, sed Canonum judicium. Sine publico & Ecclesiastico concilio illos nulla possessione privari debuisse. Regem id non ex rectitudinis zelo, sed commodi sui compendio fecisse, qui castella non Ecclesiis, ex quarum sumptibus, & in quarum terris constructa erant, reddiderit: sed laicis, eisdémque parum religiosis contradiderit. Ista vir ille, cum privatim, tum etiam publicè coram Rege affirmans, ejusdemque

DIVERSÆ SENTENTIÆ DE EPISCOPORUM FACTIS.

aures deliberatione, & reſtitutione Pontificum appellans, omnem conſumpſit operam, in nullo auditus. Quapropter vigorem Canonum experiendum ratus: concilio, quod quarto Calendas Septembris celebraturus erat Wintoniæ, fratrem incunctanter adeſſe præcepit.

IV. Synodus Wintoniensis.

Dicto die, omnes ferè Epiſcopi Angliæ, cum Theobaldo Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui Willielmo ſucceſſerat, venerunt Wintoniam. Archiepiſcopus Eboracenſis Thurſtanus pro valetudine, qua gravabatur (vix enim animi viribus corpus regebat) cæteri verò pro guerrâ, literis abſentiam ſuam excuſarunt. Lectum eſt primò, in Concilio, decretum Innocentii Papæ, quo jam à Kalendis Martii (ſi benè memini) partes ſollicitudinis ſuæ idem Apoſtolicus Domino Epiſcopo Wintonienſi jura legationis in Anglia injunxerat. Exceptum id ſummo favore: quod diuturnitate temporis temperantiam ſuam oſtendens Epiſcopus, non ſe præruptâ Legatum promulgaſſet jactantiâ. Proceſſit deinceps in Concilio ſermo ejuſdem latialiter ad literatos habitus, de indignatione captionis Epiſcoporum, quorum Saresberienſis, in camerâ Curiæ, Lincolnienſis in diverſorio ſuo intercepti eſſent. Elienſis exemplum ſimile veritus, veloci profugio ad Diviſas ſe calamitati exemiſſet. Scelus miſerabile, Regem ab incentoribus ita fuiſſe ſeductum, ut hominibus ſuis præſertim Epiſcopis, in Curiæ ſuæ pace manus injici juſſiſſet. Adjecta eſſet regio dedecori cæleſtis injuriâ, ut ſub obtentu culpæ Pontificum Eccleſiæ poſſeſſionibus ſuis ſpoliarentur. Sibi Regis exceſſum contra legem Dei, tanto dolori eſſe, ut mallet, ſe multo diſpendio, & corporis & rerum ſuarum affici; quàm Epiſcopalem celſitudinem tanta indignitate dejici. Quin etiam Regem de emendatione peccati multoties admonitum: poſtremo tunc Concilii vocationem non abnuiſſe: Proinde Archiepiſcopus & cæteri conſulerent in medium, quid opus eſſet facto. Se ad executionem Concilii, nec pro Regis amicitia, qui ſibi frater erat: nec pro damno poſſeſſionum, nec etiam pro capitis periculo, defuturum.

V. Rex Comites in Conciliũ mittit.

Cum hæc ille ſenſim per amplificationem exponit, Rex cauſæ ſuæ non diffiſus, Comites in Concilium miſit: quærens cur vocatus eſſet. Reſponſum eſt à Legato ex compendio: non debere illum, qui ſe Chriſti fidei ſubjectum meminiſſet, indignari, ſi à miniſtris Chriſti ad ſatisfactionem vocatus eſſet, tanti reatus conſcius, quantum noſtra ſæcula nunquam vidiſſent. Gentilium quippe ſæculorum opus eſſet Epiſcopos incarcerare, & poſſeſſionibus ſuis exuere. Dicerent ergo fratri, quod ſi Concilio ſuo placidum commodare dignaretur aſſenſum, tale ibi Deo authore largiretur: cui nec Eccleſia Romana, nec Curia Regis Franciæ, nec Comes Theobaldus frater amborum (ſapiens profectò vir, & religioſus) ex ratione contraire poſſet: ſed quod favorabiliter complecti deberent. Conſultè verò in præſentiarum Rex ageret: ſi vel rationem facti ſui redderet, vel Canonicum judicium ſubiret. Ex debito etiam oportere, ut Eccleſiæ faveret, cujus ſinu exceptus, non manu militum in regnum promotus fuiſſet. Sic cum dicto Comites egreſſi: nec multo proviſo reſponſo reverſi ſunt. Comitabatur eos quidam Albericus de Ver, homo cauſarum varietatibus exercitatus. Is reſponſum Regis retulit: & quantum potuit cauſam Antiſtitis Rogerii (Epiſcopus enim Alexander abierat) gravavit: modeſtè tamen ſine ullâ verborum contumeliâ: quamvis quidam Comitum ſtantes juxta crebrò loquelam interrumperent, probra in Epiſcopum jacientes.

VI. Albricus Regis Advocatus pro Rege contra Episcopos.

Hæc ergo fuit ſumma dictorum Albrici. Multis injuriis Rogerium Epiſcopum affeciſſe Regem Stephanum: rariſſimè ad Curiam Regis veniſſe: quin homines ſui de ejus potentiâ præſumentes ſeditiones moviſſent. Qui cum ſæpè aliàs, tum nuper apud Oxeneford feciſſent impetum in homines, & in ipſum nepotem Comitis Alani, in homines etiam Heruei de Leions, qui eſſet tantæ nobilitatis, tanti ſupercilii, ut nunquam Regi Henrico petenti, animum induſſerit in Angliam venire. Injuriam Regi Stephano redundare, pro cujus amore venerit, quòd ei tanta vis illata ſit. Epiſcopum Lincolnienſem, ex veteri odio in Alanum ſeditionis per homines ſuos authorem fuiſſe. Epiſcopum Saleſberienſem inimicis Regis clam favere, diſſimulatâ interim pro tempore verſutiâ. Id Regem ex multis indubitanter comperiſſe: eoque potiſſimùm, quòd Rogerium de Mortemer, cum militibus Regiis, quos ductitabat in ſummo de Briſtowenſibus metu, nec una nocte idem Epiſcopus Malmesberiæ manere dimiſiſſet. Omnibus eſſe in ore; quod ſtatim ut Imperatrix veniſſet: ille ſe ad eam cum nepotibus, & caſtellis conferret. Rogerius itaque captus ſic, non ut Epiſcopus; ſed ut Regis ſerviens, qui & procurationes ejus adminiſtraret, & ſolidatas acciperet. Caſtella non per violentiam Rex eripuerit: ſed Epiſcopi ambo gratanter reddiderint: ut calumniam de tumultu, quem in Curiâ concitaverant, evaderent. Aliquantulum pecuniarum Rex in caſtellis invenerit: quæ ipſius legitimè eſſent: quia eas tempore Henrici Regis avunculi, & anteceſſoris ſui, ex fiſci Regii redditibus Epiſcopus Rogerius collegiſſet. Eis tamen, ſicut & caſtellis idem Præſul pro timore commiſſorum in Regem libens ceſſerit. Inde non deeſſe teſtes Regi. Ipſum proinde velle ut pacto inter ſe & Epiſcopo rata permanerent.

VII.

Reclamatum eſt ab Epiſcopo Rogerio contra ſermones Albrici, quod numquam Regis Stephani miniſter fuiſſet, nec ipſius ſolidatas accepiſſet. Minæ quin etiam ab animoſo viro, & qui malis erubeſceret, frangi prolatæ: ſi juſtitiam de rebus ſibi ablatis, in illo Concilio non inveniret: eam in audientia majoris Curiæ quærendam. Leniter Legatus ut cætera: Omnia quæ dicuntur contra Epiſcopos priùs in Concilio Eccleſiaſtico accuſari, & an vera eſſent, decuiſſet inquiri: quàm in indemnes, contra Canonum decreta ſententiam proferri. Rex itaque faciat, quod in forenſibus judiciis legitimum eſt fieri, ut reveſtiat Epiſcopos de rebus ſuis: alioquin jure gentium, diſſaiſati non placitabunt. Dictis in hunc modum utrobique multis: cauſa, petitu Regis, in poſterum diem dilata: nec minus in craſtinum, ad adventum Archiepiſcopi Rotomagenſis poſtridie prolongata. Is ubi venit; omnium ſuſpenſis animis, quidnam afferret: dixit ſe concedere, ut caſtella Epiſcopi haberent; ſi ſe jure habere debere per Canones probare poſſent. Quod quia non poſſent, extremæ improbitatis eſſe contra Canones niti velle. Et eſto, inquit, juſtum ſit,

Archiepiscopus Rotomageñ. infirmat causam Episcop.

ut habeant,

ut habeant: certè, quia suspectum est tempus, secundùm morem, aliarum gentium, optimates omnes claves munitionum suarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controversia Episcoporum infirmabatur. Aut enim secundùm Canonum scita injustum est ut habeant castella: aut si hoc pro indulgentia principali toleratur, ut tradant claves necessitati temporis debent cedere.

VIII. Rex inhibet Episcop. egressũ ex Anglia.

His addidit prædictus causidicus Albricus: significatum esse Regi, quod minarentur inter se Pontifices, pararentque aliquos ex suis, contra eum Romam mittere. Et hoc (ait) mandat vobis Rex, nè quisquam vestrum præsumat facere: quia si quis contra voluntatem suam, & regni dignitatem ab Angliâ, quoquam iret, difficilis fortassis ei reditus esset. Ipse quin etiam, quia se gravari videt, ultrò vos ad Romam appellat. Hæc postquam Rex partim quasi laudando, partim minando mandasset, intellectum est quò tenderet. Quapropter ita discessum est; ut nec ipse censuram Canonum pati vellet: nec Episcopi eam consultum exercere ducerent, duplici ex causâ, seu quia Principem excommunicare, sine Apostolici conscientiâ temerarium esset: seu quoniam audirent, quidam etiam viderent, gladios circa se nudari. Non enim jam ludicra erant verba: sed de vitâ, & sanguine penè certabatur. Non omiserunt tamen Legatus & Archiepiscopus, quin tenorem officii sui prosequerentur. Suppliciter enim pedibus in cubiculo affusi oraverunt, ne misereretur Ecclesiæ, misereretur animæ, & famæ suæ, ne pateretur fieri dissidium inter regnum & sacerdotium. Ille dignanter assurgens: quamvis à se facti eorum amoliretur invidiam; malorum tamen præventus consiliis, nullam bonorum promissionum exhibuit efficaciam. Kalendis Septembris solutum est Concilium.

IX. R[illegible] [illegible] [illegible]-[illegible]riæ ingredi[illegible] [illegible] Angliam cum Imperatrice.

Pridie verò Calendarum Octobrium, Comes Robertus tandem nexus morarum eluctatus, cum sorore Imperatrice invectus est Angliæ, fretus pietate Dei, & fide legitimi Sacramenti. Cæterùm multo minore armorum apparatu, quàm quis alius tam periculosum bellum aggredi tentaret: non enim plùs quàm centum & quadraginta milites secum abduxit. Testimonio veridicorum relatorum sermo meus nititur, dicerem nisi adulatio videretur non imparem fuisse Julio Cæsari duntaxat animo, quem Titus Livius commemorat, quinque solùm cohortes habuisse, quando civile bellum inchoavit, cum quibus, inquiens, orbem terrarum adorsus est. Quamvis iniqua comparatione Julius & Robertus conferantur. Julius enim veræ fidei extorris, in fortunâ suâ, ut dicebat, & Legionum virtute, spem reclinabat. Robertus Christiana pietate insignis, in Sancti Spiritus, & Dominæ Sanctæ Mariæ patrocinio totus pendulus erat. Ille in totâ Galliâ, & partim in Germaniâ, & Britanniâ fautores habens, omnem etiam Romanam plebem, excepto Senatu, muneribus sibi devinxerat. Iste præter paucissimos, qui fidei quondam juratæ non immemores erant in Anglia Optimates vel adversantes, vel nihil adjuvantes expertus est. Appulit ergò Arundel, ibique novercæ suæ, quam amissa matre Imperatricis Henricus Rex quondàm lecto copulaverat, tutâ ut putabat custodiâ, sororem interim delegavit. Ipse per confertam barbariem vixdum duodecim militibus comitatus Bristowe contendit: occurrente sibi medio itinere Briano filio Comitis de Walingeford: Nec multò post cognovit sororem ex Arundel profectam. Noverca enim fœminea levitate fidem toties etiam missis in Normanniam nuntiis promissam fefellerat.]

X.

Intelligit meus author Malmesburiensis, Novercæ nomine, Adeliciam Henrici Regis relictam, cui Arundeliæ castrum in dotem cesserat. Hoc castrum (nam juvat paululùm ab historia divertere) ab ingressu Normannorum Rogero datum de monte Gomerico, inde in Robertum de Belesmo filium ejus descendens; cum ille castrum contra Regem Henricum eleganter munivisset, ut supra *. ab eodem Rege victus, & carceri mancipatus, agrorum omnium jacturâ perduellionis crimen luit, ut dictum prius *. Adelicia jure dotis hoc castro potita Gulielmo nupserat de Albineio: qui paulò post à Mathilde ob fidem operámque præstitam Arundeliæ Comes creatur: Ad Authorem redeo, & Mathildem è castro profectam. [Dedit ergò Rex Imperatrici, Wintoniensis Episcopi, Henrici, & Comitis Mellentensis Waleranni conductum; quem cuilibet quamvis infestissimo inimico negare laudabilium militum mos non est. Et Walerannus quidem, ultra Calnam tendere supersedit: Episcopo in conductu perseverante. Contractis ergò Comes celeriter copiis, ad Metas à Rege datas advenit, sororémque Bristowe ad tutiora perduxit. Recepit illam postea in Glocestriam Milo, qui castellum ejusdem urbis sub Comite habebat, tempore Regis Henrici; dato ei homagio & fidelitatis Sacramento. nam eadem civitas caput est sui Comitatus. Tota itaque Regio circa Glocestriam usque profundas Gualas, partim vi, partim benevolentiâ pedetentim residuis illius anni mensibus se Dominæ Imperatrici applicuit. Aliquanti Castellanorum intra munitiones suas se continentes, exitum rerum speculabantur. Civitas Hereford sine difficultate recepta, pauci milites in castello animis obstinatis se includentes, à foris obsessi. Appropinquares si fortè laborantibus opem aliquam comminisci posset: sed frustratus voto inglorius discessit. Equitavit etiam juxta Bristowe, superiúsque contendens, villásque, quæ in circuitu Dunestore erant, combussit: nihil omnino (in quantum valebat) reliquum faciens, quod posset inimicis suis esui, vel alicui usui esse.]

* v. an. 1102. n. 15.

* v. an. 1106. n. 19. 20. 21.

Malmesb. histor. Nov. l. 2.

Robertus contractis copiis venit Bristowe et Glocestriam, capit Herefordiam.

XI. Moritur Rogerus Sarisburiensis Episcop.

Neuburg. l. 1 c. 6.

Hæc omnia in quartum Regis annum Authores referunt, ad cujus calcem moritur Rogerus Sarisburiensis Episcopus, vir qui è paupere censu quem in Normanniâ habuit, ad immensas opes in Angliâ surrexit. [Et cùm esset ferè illiteratus (ita Neoburgensis) innatâ tamen astutiâ ita callebat, ut Domino suo, in brevi, carus existeret, & secretiora ejus negotia procuraret. Postquam autem idem Dominus ejus, regnum sortitus est (Henricum intelligit) eum tanquam ante regnum, & in regno benè de se meritum, ad Salesberiensem proveait Episcopatum. Quin etiam illi, tanquam in multis probato, fideli & industrio, publicas administrationes commisit: ut esset non tantùm in Ecclesiâ magnus: sed etiam in regno, à Rege Secundus. Deinde amplas exercendæ avaritiæ occasiones nactus, ex utroque officio, Ecclesiastico scilicet & Sæculari, ingentes coacervavit

divitias:

Rogerus construxit Divisas et Schireburnam.

divitias: non dispergendas, dandasque pauperibus: sed vanissimis usibus applicandas. Duo enim nobilia sumptuosissimo opere castella, scilicet Divisas, & Sciteburnam construxit, vanissimè satagens, ne reciperent comparationem in regno. Et quoniam hujusmodi extructio Episcopalem honestatem minùs decere videbatur: ad tollendam illius extructionis invidiam, & quasi expiandam maculam, totidem monasteria construens collegiis religiosis implevit.] Hic excipit Godwinus, & ait: [Quænam verò ea monasteria fuerint, à nemine opinor traditum] Ego puto illa intelligi, de quibus Malmesburiensis, dum Rogeri facta commemorat. [Diruit (inquit) ædificat, mutat quadrata rotundis. Et Abbatias in Episcopatum: res Episcopatus in Abbatiam alterare conatus est. Malmesberiense, & Abbedesberiense, antiquissima cœnobia (quantum in ipso fuit) Episcopatui delegavit. Scireburnensem Prioratum, qui proprius est Episcopi Salesberiensis, in Abbatiam mutavit. Abbatia de Hortuna proinde destructa & adjecta.] Ita ille: nec alia de Rogerii fundationibus leguntur.

Godwin. in Sarisbur.

Malmesb. fol. 184. fin.

XII. Quonam Abbedesberiense monasterium. v. an. 1026. n. 6.

Libenter in monasteriorum ædificiis versor, & quæro quænam illa? Abbedesberiense, ut jacet, needum in Annalibus nominatur, sed quia antiquissimum appellatur, dicendum est Abbatisberiam intelligi, quam Canuti tempore Orkingus & Tola uxor, Sancto Petro sacram in agro Dorsetensi fundaverunt, anno millesimo vigesimo sexto, ut ibì dictum. Hortunam, ante Henrici octavi tempora destructam, & per Rogerum Schireburnensi adjectam, non est operæ pretium quærere, quia vestigia non apparent. Nec ausim certò affirmare ibi fuisse, ubi modò Halifax incolitur, Eboracensis agri oppidum. Sed quia Camdenus vult, non multis ante sæculis illud nomen assumptum, urbique impositum, quæ priùs Horton audiebat: vel secundùm aliquos Sacellum in nemore. potuit fortasse sacellum illud a Regularibus cultum, in monasterium transivisse. Sed quia remotior locus ille à Wiltunensi Provincià, & Sarisberiensi Sede: nec simile verò est, Episcopum illum in Eboracensem diœcesim exercere potuisse juris hujusmodi dictionem. Juvat tamen, quia Hortunæ facta est mentio, & migrationis in Halifax, novæ appellationis causam inquirere; præsertim quia vulgus illam à pietate derivat: & Camdenus in hunc modum narrat. [Clericus quidam virginem impotenter deperibat: cujus pudicitiam cum nullis lenociniis expugnare potuisset; amore in amentiam verso, caput Virginis sceleratus abscidit: quod postea taxo appensum, vulgus sacrosanctum habuit, & invisit: arborisque ramusculos quisque sibi decerpsit. Sed arbore jam denudatâ, honoris & religionis opinionem conservavit antiqua devotio. nam populo persuasum, venulas quæ tanquam comæ, vel stamina inter corticem & truncum taxi extenduntur, ipsissimos esse Virginis capillos. Unde peregrinatio à vicinis huc instituta, & ita frequentata fuit, ut Horton viculus in amplum oppidum accreverit, noménque novum Halifax, id est, sacri capilli, acceperit. Fax enim transtrentanis Anglis capillum significat.] Sed satis de Hortuna in Brigantibus. Cæterùm probabilior conjectura est, Hortonam à Malmesburiensi intellectum oppidum in agro Devoniensi, ubi monasterium olim posuit Gytha Godwini Comitis uxor, de quo vide annum 1042. n. 5.

Unde Hortuna dicta est Halifax.

Camden. in Yorke.

XIII.

Ad Rogerium redeo è mœrore animi, quartana febre laborantem. vir sane ædificationis multæ & magnificæ. nam teste Malmesberiense: [Ipse, singulari gloriâ (quantum nostra ætas meminisse potuit) in domibus ædificandis, splendida per omnes possessiones suas construxit habitacula. In quibus solum tuendis, successorum ejus frustra laborabit opera: sedem suis mirificis ornamentis & ædificiis, citra ullam expensarum parcimoniam extulit in immensum.] Intelligit inter cætera Divisas castrum in agro Wiltunensi. de quo Camdenus: [Castrum sanè quondam magnificum, situ, & opere munitissimum, nunc autem temporis injuriâ deformatum. Hoc ut reliquis Angliæ castris laudem præriperet, profusissimo sumptu construxit Rogerius Sarisburiensis Episcopus, quem è sacrificulo ad secundam à Rege dignitatem provexerat fortuna. Sed fortuna (ut inquit ille) neminem eò provexit: ut non tantum illi minetur, quantum permiserit. Stephanus enim Rex illi infensior, hoc castrum, & Schireburnense, unà cum divitiis quas habuit amplissimas (*Godwinus refert*: [pecuniæ numeratæ quadraginta millia marcarum, præter auri, argenti cœlati, & gemmarum immensam copiam) extorsit: miserumque senem, ita fame & calamitatibus in carcere fregit; ut inter mortis metum, & vitæ tormenta: & vivere noluerit, & mori nescierit.] Non solùm in Divisæ castro magnanimum se, sed in aliis quoque structuris ostendit: nam præter Sarisberiæ sedem, quam illustrissimè ornavit. idem in Malmesberia est videre (inquit Guilhelmus ibi bibliothecarius) [Fecit enim ibi ædificia spatio diffusa, numero pecuniarum sumptuosa, specie formosissima. Ita justè composito ordine lapidum; ut junctura perstringat intuitum: & totam maceriam unum mentiatur esse saxum. Ecclesiam Saresberiensem, & novam fecit, & ornamentis excoluit, ut nulli in Anglia cedat, sed multas præcedat: ipseque non falsò possit dicere: *Domine dilexi decorem domus tuæ.*

Malmesb. in histor. Nov.

Camden. in Wiltshire.

Godwin. in Sarisb.

Malmesb. de Reg. l. 5.

XIV.

Corrigo igitur Neoburgensem cum suprà dixi: *ingentes coacervavit divitias, vanissimis usibus applicandas*: cum in *Ecclesiarum & monasteriorum æque, ac castellorum splendore, magnificentiæ suæ argumenta dederit.* Et quamvis Reip. administrationi, & temporalium rerum procurationi incubuerit: [Tamen refugit Episcopus (inquit de illo Malmesburiensis) tantis se curis involvere, nisi tres Archiepiscopi Cantuarienses, Anselmus, Radulfus, Willielmus, & postremò Papa injunxissent ei munus obedientiæ. Inter hæc ipse Ecclesiastica officia non negligere: sed quotidie omnia manè honestè persolvere: ut expeditiùs, & tutiùs cæteris posset accedere.] Ita author de Rogerio libro quinto de Regib. & tempore Henrici primi: [Sub quo res ejus magnis successibus floruerunt (inquit alibi idem Author) sed enim sub Stephano retrò relapsæ sunt. nisi quod initio regni ejus nepotibus suis uni Cancellariam, alteri thesaurariam, sibi burgum Malmesberiæ impetravit: subinde Rege familiaribus suis ingeminante: Per nascentiam Dei, medietatem Angliæ darem ei, si peteret: donec tempus pertranseat. Ante deficiet ipse petendo, quàm ego io dando.] Itaque hoc anno [tempus pertransierat, cum

Rogerii laudes.

Idem suprà.

Idem hist. nov. l. 2.

Idem sup.

rebus

rebus omnibus spoliatus, tertio Idus Decembris Salisberiæ febrem quartanam, qua jam dudum grassabatur, beneficio mortis evasit.

XV. CONCILIUM ROMÆ.

Baron. hic

Omiseram, civilium bellorum calamitate distractus, quod primo loco erat ponendum: nimirum Angliæ Episcopos ab Inocentio Papa ad generale Concilium invitatos, Romam ivisse, Synodo adfuisse, & Synodi decreta, ut moris erat, Angliæ dictasse. De Concilio hæc habet ex Ottone Frisingensi Episcopo, Baronius: [Eodem anno (hunc signat) proxima media Quadragesima Synodus maxima circiter mille Episcoporum Romæ, præsidente summo Pontifice Innocentio, celebratur. Ibique post multa salutifera Decreta promulgata, Schismatici qui parti Petri Leonis faverant, damnantur. In Chronico Beneventano hæc de ejusdem Concilii certa die. Hoc anno præfatus Apostolicus Innocentius, octavo die intrante mensis Aprilis Romæ Synodum celebravit, ad cujus sacri conventus præsentiam, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates innumeri convenerunt] Ita ibi.

QUI ANGLICI PRÆLATI CONVENERUNT.

Ad hanc Synodum, inter alios Christiani orbis Præsules; Anglicanæ Ecclesiæ Præsides, ab Innocentio vocati, venerunt, de quibus ita legitur in Continuatione Wigorniensis, ad hunc eundem annum: [Theobaldus Dorobernensis Archiepiscopus, Simon Wigorniensis, Rogerus Coventrensis, Robertus Exoniensis, Rainaldus Abbas Eveshamensis, à Papa jussi tendunt ad limina Petri. Quò venientes, ab Apostolica sede suscipiuntur cum honore: suscepti Concilio interfuerunt Romano, multis retroactis sæculis incomparando. Ibi causis suis pro libito peroratis, ad propria cum gaudio reversi sunt, secum deferentes decreta, longè latéque per Angliam jam conscripta.] Ita ibi.

XVI. DECRETA CONCILII.

Ad decreta quod attinet, triginta numero fuerunt, quæ recitat Baronius. ea non exscribo, quia similia omnino fuerunt iis, quæ ab Anselmo olim, & deinceps in Synodis Angliæ, dictata, clerum & populum, ad pietatem, morum honestatem, fideique puritatem formaverunt: ubi legere est mirabilem Ecclesiarum omnium, in fide & pietate consensum; & harmoniam ubique consonantem, quæ lætificat sine dubio civitatem Dei. Ubique Simonia proscribitur, & sacrorum venditio; Ecclesiarum bona, Ecclesiis tantùm appropriantur: castitas clero præcipitur, & habitûs modestia. Regulares ad suæ professionis institutum coguntur: præcipitur Decimarum solutio. Cæterùm quòd huic generali Concilio peculiare, proprium, & priùs, opinor, inauditum est, cautio, qua clericorum securitati consulitur ita. *Placuit, ut si quis suadente diabolo, in sacrilegii reatum incurrerit, sive in clericum vel monachum manus injecerit violenter: Anathemati subjaceat. Et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente articulo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam ut in eos, qui ad Ecclesiam, vel cæmiterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod si fecerit, excommunicetur.* Hoc de clericum percutiente decretum, exinde semper sacrosanctum fuit, & sacrilegii reservatio etiamnum durat: ubi antiqua fides, & religio in pretio est. Anglia imprimis reverenter illud servavit, quamdiu clerus cum Româ fuit. nunc degener clerus, qui Ecclesias occupat; ut nova creatione surrexit, ita à veteri fide, & pietate deflectens, muniri hoc decreto non meretur.

ANNUS CHRISTI 1140.

INNOCENTII II. PAPÆ 11.

STEPHANI REGIS. 5.

I. MAGNA INSOLENTIA MILITUM IN ECCLESIAS.

Malmesb. hist. Nov. l. 2. f. 111:

ANNUS Christi millesimus centesimus quadragesimus, ab ortu ejus ad occasum usque, tristissima rerum facie provinciales terruit. Nec animus est, nec verò otium omnia persequi, quæ passim Annales deplorant, hoc tempore accidisse. Dicat ergo pro me Malmesburiensis: [Totus annus hic asperitate guerræ inhorruit. Castella erant crebra per totam Angliam, quæque suas partes defendentia, immo, ut veriùs dicam depopulantia. Milites castellorum abducebant ab agris, & pecora, & pecudes; nec Ecclesiis, nec cæmiteriis parcentes. Domibus miserorum ruricolarum usque ad stratum expilatis, ipsos vinctos incarcerabant. Nec nisi omnibus quæcumque habebant, & quæcumque quocumque modo acquirere poterant, in redemptionem consumptis dimittebant. Plures in ipsis tormentis, quibus ad se redimendum constringebantur, dulces efflabant animas, quod solum poterant, Deo suas miserias applorantes. Et quidem ex voluntate Comitis (Robertum intelligit Imperatricis fratrem) Legatus cum Episcopis, omnes effractores cœmiteriorum, & violatores Ecclesiarum: & qui sacri vel religiosi ordinis hominibus, vel eorum famulis manus injecissent, multoties excommunicavit. Sed nihil propemodum hac profecit industria. Erat ergo videre calamitatem, Angliam præclarissimam quondam pacis nutriculam, speciale domicilium quietis, ad hoc miseriæ devolutam esse: ut nec etiam Episcopi, nec monachi de villa in villam tutò possent progredi. Sub Henrico Rege multi * alienigenæ, qui genialis humi turbellis exagitabantur; Angliam adnavigabant: & sub ejus alis quietum otium agebant. Sub Stephano plures ex Flandriâ, & Britanniâ, rapto vivere assueti, spe magnarum prædarum Angliam involabant. Comes interea modestè agere se, nihil magis cavere, quàm ne parvo detrimento suorum vinceret. Magnates Anglorum, quos ad religionem jusjurandi servandam flectere non posset; satis habebat in officio continere: ut qui nihil adjuvare vellent, minùs nocerent. volens secundùm Comicum; quod posset, dum non posset, quod vellet. Ubicumque tamen fieri commodè posse videbat, & militis & Ducis probè officium exequebatur. Denique munitiones quæ potissimum partibus susceptis nocebant, strenuè debellabat. Fratrem etiam suum * Rainaldum, in tanta difficultate temporis, Comitem Cornubiæ creavit. Id factum consensu Stephani Regis affirmat Spedus, & addit Raynaldum hunc Henrici Regis filium, è filiâ genitum Roberti Corbet, quem ideo Rex nominavit Dominum de Alcester in agro Warwicensi: De loco illo sic Camdenus: [hic erat Burgus-francus, quam Rex Henricus primus, Roberto Corbet, cujus filiam deperibat, concessit.] Sed satis de

* v. an. 1109 n. 21.

ROBERTUS COMES MODERATE SE GERIT.

* *Reginaldum.*

Camd. in Warwicsh

Comite Roberto. Pergat author Stephani Regis industriam explicare.

II. REGIS STEPHANI INDUSTRIA.

[Nec verò (inquit) minor erat Regi animus ad adeunda quæ sibi competebant munia, qui nullam occasionem prætermittebat, quò minùs sæpè, & adversarios propulsaret, & sua defenderet. Sed frustrabatur successibus, vergebantque in pejus omnia, pro justitiæ penuriâ. Jamque caritas annonæ paulatim crescebat, & pro falsitate monetæ difficultas tanta erat: ut interdum ex decem, & eo ampliùs solidis, vix duodecim denarii, reciperentur. Ferebatur ipse Rex pondus denariorum, quod fuerat tempore Henrici Regis, alleviari jussisse: quia exhausto prædecessoris sui immenso illo thesauro, tot militum expensis nequiret sufficere. Erant ergo Angliæ cuncta venalia: & jam non clam, sed palam Ecclesiæ & Abbatiæ venum distrahebantur. Eo anno in Quadragesima, decimo tertio Kalendas Aprilis, hora nona, feria

ECLIPSIS MAGNA.

quarta fuit Eclipsis per totam Angliam, ut accepi. Apud nos certè, & apud omnes vicinos nostros, ita notabiliter solis deliquium fuit: ut homines mensis adsidentes (quod tunc ferè ubique accidit) primùm antiquum chaos timerent: mox re cognitâ progredientes, stellas circa Solem cernerent. Cogitatum, & dictum à multis, non falsò, Regem non perennaturum in regno.] Id pro vaticinio habitum sequentia docebunt: & brevi Rex qui pacis conditiones noluit admittere, & regnum, & libertatem ipse amittet. Interim

III. *Malmesb. in hist. Nov. l. 2. f. 186.*

[Hoc eodem anno in Pentecostê (pergit author) resedit Rex Londoniæ in turri, Episcopo tantummodo Sagiensi præsente. Cæteri vel fastidierunt, vel timuerunt venire.] Nec mirum illud, quia eodem tempore Eliensem Episcopum militari manu è sede fugaverat, castellum vi captum milite impleverat: de quo Authores passim conqueruntur. Quæ videns Henricus Apostolicæ Sedis Legatus, qui quò meliùs pro pace mediaret, in neutram factionis inclinans, pro pace ut Legatum decebat, intercedit. quod ita ab authore qui supra narratur. [Aliquanto post, me-

HENRICUS APOST. LEGATUS AGIT PRO PACE SED FRUSTRA.

diante Legato, colloquium indictum est inter Imperatricem, & Regem: si fortè Deo inspirante, pax reformari posset. Conventum juxta Bathoniam, misso ea parte Imperatricis Roberto fratre, & cæteris suis. Ex parte Regis, Legato & Archiepiscopo, simul & Regina. Sed inaniter, inquam triverunt & verba, & tempora: infectáque pace discessum. Nec fuit ambarum partium æquum dissidium: dum Imperatrix ad bonum pronior, Ecclesiasticum non se vereri judicium mandasset, & Rex illud quàm maximè caveret, consiliis illorum malè credulus, qui nihil minùs quàm pacem vellent: dum et dominari ad utilitates suas vellent.] Quæ in hac narratione Regina nominatur, Mathildis est, Eustachii Comitis Boloniæ filia; cujus parens altera, Maria dicebatur, Malcolmi Scotorum Regis, & sanctæ Margaretæ filia, quam Stephanus priùs ductam coronari fecit Angliæ Reginam, anno millesimo centesimo trigesimo sexto. Ad hanc igitur, multò probabiliùs Bernardus Sanctus scripsit Epistolam, quæ trecentesima quadragesima quarta numeratur: quam supra * posui opinatus ad Mathildem alteram, Reginæ materteram pertinere. Sed Regis ibi mentio non obscurè Stephanum signat. Cæterùm filius tunc natus, in quo Bernardus *portionem vendicat*: vel Balduinus fuit ejus primogenitus, qui citò moritur; vel Eustachius, quem parens Boloniæ Comitem dixit.

** v. an. 1033. n. 20.*

IV. *Idem suprà* **LEGATUS IN GALLIAM NAVIGAT, UT DE PACE AGAT.**

Cùm pax nulla intercessione inter Principes firmari posset in Angliâ, illi, quorum imprimis intererat pacis sequestros esse, aliunde remedium quæsiverunt. Quod sic Author prosequitur: [Postremo Septembris, Legatus, qui nosset officii sui potissimùm interesse, ut pax conveniret, pro eâ restituendâ laborem itineris transmarini aggressus, in Galliam navigare maturavit. Ibi à Rege Franciæ, & Comite Theobaldo, multisque religiosi ordinis personis, magno & solicito tractatu de pace Angliæ habito, reversus est in fine penè Novembris, salubria patriæ mandata referens, si esset, qui verbis facta apponeret. Imperatrix & Comes, confestim assensêre. Rex verò de die in diem producere: postremò in summâ frustrari. Tum demum Legatus se intra se continuit, rerum exitum ut cæteri speculaturus. Quid enim attinet contra torrentem brachia tendere: & cum laboribus non nisi odium quærere, extremæ sit (ut quidam ait) dementiæ.] Hæc nec plura de hujus anni gestis habet Malmesburiensis: & inde transit ad annum 1142. ut habent impressa exemplaria, quæ sine dubio corrigi debent, & reponi annus millesimus centesimus quadragesimus primus: cur enim illum integrè præteriret? Adde quæcumque ibi narrat, ex fide authorum omnium, non in quadragesimum secundum, sed primum cadunt. Quem ego priusquam ingredior, dicam hujus anni reliqua.

V.

In hac hyeme temporum, Thurstanus Eboracensis Episcopus, cùm sex & viginti annos Ecclesiam rexisset, & brevi se dicti factique rationem redditurum sciret, collegit ipse sese, vitæ momenta omnia priùs secum subducturus, quàm ad tribunal citaretur. Quare ad initium hujus anni novum hominem habitumque positâ infulâ induit: quod sic narrat Wigorniensis continuator. [Ebo-

Continua. Wigorn. **THURSTANUS EBORACENSIS EPISCOPUS FIT MONACHUS ET MORITUR.**

racensis Archiepiscopus bonæ memoriæ Turstanus, in ordine vigesimus sextus sanctarum eleëmosynarum sedulus executor, plurimorum monasteriorum, Hagulstadensis scilicet, & sanctimonialium in diœcesi suâ, & Fontium, aliorumque circiter octo strenuus fundator sive renovator, vir provectæ ætatis, & plenus dierum, deposito veteri homine induit novum: dum postpositis cunctis rebus sæcularibus, apud Pontem fractum, duodecimo Calendas Februarii monachicum sumpsit habitum: & Nonis Februarii in bona senectute, vita decessit, ibidemque humatus requiescit, anno Episcopatus sui vigesimo septimo. Corpus verò ejus post annos & menses quinque sepulturæ suæ, integrum & odoriferum repertum est.

VI. DAVIDE BANCHORENS. EPS. SUCCEDIT MAURITIUS.

Davidi Banchorensi Episcopo mortuo, successit hoc anno Mauritius, vel, ut alii eum vocant, Meuricus: & Urbano Landavensi, quem mortuum posui ad annum millesimum centesimum trigesimum tertium, Utredus: uterque hoc anno à Theobaldo Cantuariensi Episcopo, consecratur; præsentibus Episcopis Herefordensi, & Exoniensi. Mauritius anno præterito, canonicè à clero populóque electus, Regi Stephano, cùm Wigorniæ esset præsentatur: quid inde factum narrat, qui Wigorniensem sequutus est: [Quidam Clericus (inquit ille) vir eximiæ religionis Mauricius

Contin. Wigorn. an. 1139.

nomine, electus à clero, & à populo Bangornensi Ecclesiæ; comitantibus illum Præsulibus Roberto Herefordensi, & Sigefrido Cicestrensi, in castello Regi præsentatur: attestantibus illum Canonicè electum, Præsulatu fore dignum. Quod & Rex concessit. Persuasus (Mauritius) à Pontificibus, ut Regi fidelitatem faceret, respondit hoc se nullatenus posse facere. Vir, inquit, magnæ religionis apud nos est, quem pro spirituali Patre teneo, & prædecessoris mei David Archidiaconus extitit, qui hoc juramentum mihi facere inhibuit. Ad hæc illi: Quod nos egimus, causa rationis exigit, ut agas. At ille: Si vos magnæ authoritatis viri hoc egistis: nulla mora sit mihi id idem faciendi. Jurat & ille fidelitatem Regi.]

Mauritius post aliquam difficultatem, jurat fidelitatem Regi.

VII. Licet strictim supra urbium & Ecclesiarum incendia retulerim, tamen Nottinghamiæ urbis conflagratio, paulò latiùs explicanda. de quo author modo nominatus: [Ante Nativitatem sanctæ Mariæ, Robertus filius Henrici Regis, instinctu Ra[d]ulphi Paganelli, assumptis secum equitibus Comitis de Warwica, cum suis, quos de Glocestriâ adduxerat, & aliis quamplurimis gregariis militibus, invasit repente urbem Snotingham: & vacuam reperiens bellico apparatu, devastare cepit: civibus undique fugientibus ad Ecclesias. Captus est unus civium, qui locupletior esse dicebatur: & arctiùs constrictus, ductus est ad domum suam, & pecuniam suam prodere coactus. At ille in subterraneum suum prædones, nimia sæviente cupiditate induxit, ubi omnis suppellex sua videbatur esse. Illis itaque circa direptionem rerum intentis, & ostia & seras frangentibus: ille callidè elapsus, cameras & deinde aulam egressus; ostia omnia post se clausit, & seris firmavit: & imposito igne domos suas, & omnem supellectilem suam, cum ipsis prædonibus incendio tradidit. Ferunt autem ampliùs quàm triginta, qui subterraneum intraverant, illo incendio combustos. Et dicunt quidam quod de illo incendio tota urbs concremata sit. Nam milites omnes, omnisque exercitus, immunes se ab ipso incendio, juramento asserunt: Combusta est itaque tota urbs: & qui extra Ecclesias capi poterant, captivi ducti sunt: quidam etiam usque ad Glaornam. Reliquum verò vulgus, viri scilicet cum mulieribus & parvulis, qui Ecclesias intraverant, cum egredi non auderent, ne ab hostibus caperentur, sæviente ubique incendio, combustis Ecclesiis, penè omnes perieruot: Crudele spectaculum, & ipsis hostibus nimium miserabile, cum viderent templa Dei, igne consumi, quibus etiam paganissimi pepercissent. Itaque destructa est Snottingaham, urbs nobilissima: cum ex quo Normanni Angliam sibi subjugaverant, usque ad hoc tempus, in summa pace, & quiete populosa multitudine, & opulentia rerum omnium referta fuisset.]

Cont. Wigor. hic.

Civitas Notinghamensis igne absumpta. Unde extitatus ignis.

VIII. Inter hos belli turbines sanctior Anglia, Deo arctiùs conjungi cœpit, & religiosa vitæ mutatione, divinum Numen, ad propitiandum Insulæ, flectere. Ita plures sacræ ædes circa hæc tempora structæ memorantur: & multi illas ingressi: quia afflictio dedit intellectum. Principem inter eas locum teneat monasterium in Ebracensi Comitatu, quod Rogerius Moubraius posuit & dotavit, Bellelanda vulgò appellatum. Cujus primam originem Guilielmus Neoburgensis, qui non procul inde senatum jactat, refert in hunc modum:

Multæ sacræ ædes erectæ et multi ingressi.

[Quidam Saviniacenses monachi Bellelandam condiderunt. Qui cum essent numero pauci, & pauperes, locumque aptum quærebant, ubi Deo propitio cum fructu aliquo habitarent: nobili viro Rogerio de Moubrai, qui & Neoburgensem fundavit Ecclesiam, donante, locum priùs angustum acceperunt: deinde ad locum alium: de illo ad tertium: & de tertio ad quartum, sub eodem patrocinio, diversis ex causis migrantes, ibidem fixis radicibus tandem resederunt. Benedixitque eis Dominus, & de rebus angustis, ad magnam jam amplitudinem pervenerunt, sub Patre Rogerio, mirandæ sinceritatis viro; qui adhuc superstes est, in senecta uberi, administrationis suæ, annis circiter quinquaginta & septem expleris. Fuit autem monasterii hujus initium, post Venerabilis Turstini decessum, duobus monasteriis, scilicet Rievallis & Fontium, in bono jam statu agentibus. Et quoniam ante annos jam plurimos, Saviniacenses, per cujusdam Abbatis religiosam instantiam in ritus Clare-vallenses transierunt, hæc tria monasteria (Rievallense, Fontanense, & Bellalanda) per unitatem disciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent: & tanquam tria nostræ provinciæ lumina, sacræ religionis prærogativa refulgent.] Hæc omnia Neoburgensis.

Neoburg. l. 1. c. 15.

Saviniacenses monachi a Rogerio comite de Moubray fundati.

Tria monasteria Clarevallensium.

IX. Visebatur etiam aliquando ædes sacra Deiparæ Virginis propè Stretford-Langthorne, ubi fluvius Ley divortiis factis tripartitus fertur, & amœnissimè viridantia prata circumluit. [In quibus monasterioli reliquias vidimus (inquit Camdenus) quod Guilielmus de Monte-fixo, sive Montficher, magni inter Normannos nominis, Baro, anno millesimo centesimo quadragesimo construxit.] Meminit hujus loci Catalogus ædium destructarum, ubi Albi Monachi ædes illas inhabitasse scribuntur, quos è S. Bernardi disciplina emersisse opinamur. nam hoc tempore eò currebatur, vel certè ad Cistercienses monachos: quibus etiam, hoc anno, extructum est monasterium in agro Devoniensi, ad Ford oppidum; à Richardo de Brioniâ, [quem in primâ Normannici imperii infantiâ Guilielmus primus, è nepte suâ natum, hereditarium Devoniæ Vice-Comitem, Baronemque de Oke-hampton instituit,] inquit Camdenus. Sunt tamen qui putent, non ipsum, sed Adelizam è Balduino filio ejus neptem, vel primum ædem illam fundasse, vel ab avo cœptam perfecisse, anno ut habet Catalogus millesimo centesimo quadragesimo.

Ædes sacra Deiparæ prope

Camden. in Essex.

Camden in Devon.

X. Nec minus in colligendis Virginibus, tuendoque illius sexus pudore laboratum: quod in religiosorum virorum laude imprimis ponendum. Ita factum à Gaufredo, quem anno millesimo centesimo decimo nono Albanensem Abbatem diximus: de quo Matthæus ejus loci monachus, in vitâ Gaufridi. [Ejus (inquit) tempore, anno Dominicæ Incarnationis circiter millesimo centesimo quadragesimo, duæ sanctæ mulieres, facta quadam pauperrima mansione; ex ramis arborum, & palis corticatis, & virgis concraticulatis, juxta silvam quæ Eiwoda dicitur, non longè à rivo, qui ibidem dilatatur, vitam ducere cœperunt, vigiliis & orationibus sub admirabili abstinentiâ, & irreprehensibili castitate, novellam religionem suam feliciter continuerant in pane & aquâ, corpora sua macerantes. Quarum con-

v. an. 1119. n. 22.

Paris in vita ab Gaufridi. f. 9

Duæ Virgines faciunt sibi mansionem e ramis arborum.

versatio commendabilis, & per plures annos præcognita incommutabilis; cùm Abbati Gaufrido innotuisset, construxit ibidem cellam, divino oraculo persuasus, mansiunculas ibidem mulieribus construi jussit opportunas. Ubi easdem prædictas mulieres, additis aliis, more sanctimonialium velatas, & sub ordine Sancti Benedicti victuras constituit. Inspirante igitur Dei gratia, felix suscepit incrementum in spiritualibus, & temporalibus cellula memorata: & patrocinante Beatâ Dei genitrice Mariâ (à qua intitulatur) odore bonæ famæ vicinas partes illustravit. Contulit igitur prædictus Abbas, memorati fundator domicilii, quasdam possessiones & redditus: quibus vitam valerent honestam (etsi exilem) sustentare. Domus igitur memorata, à fonte, qui vicinus est illi loco, in quo offas facere consueverant mulieres primitivæ, nomen sortitur appellationis, & Sopwella nuncupatur. Abbas insuper famæ & saluti sanctimonialium præcavens ibidem futurarum, easdem sub clave & serâ, ac sigillo Abbatis, qui pro tempore erit, decrevit ibidem includendas. Nec aliquam ibi nisi virginem, in earum collegium, sub castigato & limitato numero suscipiendam. Assignavitque eis cæmiterium, & fecit dedicari. In quo nullus nisi de eisdem sanctimonialibus sepelietur. Sicut charta super his confecta testificatur, quam præsenti paginæ duximus inscribendam.

MONASTERIUM SOPWELLA FUNDATUR A GAUFRIDO ABBATE PRO VIRG.

XI. *Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Ecclesiæ, ipsa die qua benedictum est cæmiterium Virginum de Sopwella, videlicet septimo Idus Octobris, perpetuâ conventione statutum, & definitum esse, quod in illo cæmiterio nullus habebit sepulturam, neque vir, neque fœmina, nec clericus, neque laicus, neque serviens, nec forinsecus, præter virgines tantùm quæ inclusæ fuerint. Virgines autem illius loci, nullam penitus possunt intus, vel debent per se suscipere, nisi Abbas & conventus præceperit: Et numerus inclusarum tredecim debet esse, & non amplius. Teste Alexandro Episcopo, & clericis ejus. Gaufrido Abbate, & monachis Hamone, & Alquino, & Michaële Cantore, & Radulpho Goberts, & Roberto Decano, & Petro Decano, & multis aliis.*] Hæc omnia refert Parisiensis. Porrò similia castitatis sanctuaria, hoc tristi tempore, erecta esse, ut uterque sexus procul à turbis, & factionibus, & injuriâ esset, nullo modo dubitandum. De quibus ita scribit Neoburgensis. [Quid autem sentiendum est (inquit) de his & aliis locis religiosis, qui in diebus Stephani Regis copiosiùs extruit, & florere cœperunt; nisi quòd castra Dei sunt hæc, in quibus contra spiritualia nequitiæ, Regis Christi excubant milites, & exercentur tyrones. Eo quippe tempore, cùm Regiæ potentiæ omnis jam vigor deperisset: potentes regni, prout quisque poterat; vel ut suos tutarentur, vel ut alienos fines pervaderent, munitiones construebant. Malis ergò sic pullulantibus, atque abundantibus per mollitiem Regis Stephani: vel potiùs per malitiam discordias semper nutrientis diaboli: superabundavit, & gloriosè eminuit sapiens & salubris provisio Regis magni: qui nimirum tunc temporis solito propensius ad debellandum Regem superbiæ: quales Regem pacificum decent munitiones sibi noscitur extruxisse. Denique multò plura sub brevitate temporis, quo Stephanus regnavit: vel potius nomen Regis obtinuit: quàm centum retro annis servorum & ancillarum Dei monasteria, initium in Angliâ sumpsisse noscuntur.] Hæc ille. Sic cùm irascitur Deus, misericordiæ recordatur. Porrò Stephanum impensè Cluniacensibus monachis favisse, testatur Petrus Venerabilis, cùm ad Rogerium Siciliæ Regem scribens, inter cætera hæc habet: *Illa me ad te amandum primitùs impulerunt. Illa, ut inter magnos Reges, Romanos, dico Francos, Anglos, Hispanos; maximos Cluniacensis Ecclesiæ amicos & benefactores, vos quoque admitterem, coegerunt*, lib. 4. Epist. 54

Neoburg. l. 1. c. 15.

LOCI RELIGIOSI SUNT CASTRA DEI

XII. Cœpta hoc anno gravis disceptatio super Eboracensi Sede, quam sub anni initium Thrustanus vacuam dimiserat, excitavit sequentibus annis contentionis flammam; quæ non modò Septentrionem nostrum, unde orta; sed Insulam totam: addo Galliam, Italiámque corripuit: eò admirabiliùs, quòd à Sanctis in Sanctos pugnatum, & iterum Angelus Angelo *restitit viginti & uno diebus* traxitque alios in partem suam. Adeo locorum personarúmque differentia atque distantia difficultates in Ecclesia, litesque suscitat. Hoc bellum plusquam civile Baronius sic exorditur. [Hoc anno (millesimo centesimo quadragesimo) pugnandum fuit Innocentio Papæ adversus Willielmum bis intrusum, à Rege primùm, deinde à Legato in Angliâ, in Archiepiscopum Eboracensem, cujus Ecclesiæ fuerat thesaurarius, contra quem legitimè electus fuit Henricus Murdac.] Hæc Rogerius in Annalibus. Sed cum pace eminentissimi scriptoris: Rogerius ibi non determinat litem, aut Henricum dicit legitimè electum. Sed ita tantùm: [Eodem anno obiit Turstinus Archiepiscopus Eboracensis; quo defuncto, statim fit schisma in Ecclesiâ Eboracensi de electione Pontificis. Quidam enim Canonicorum elegerunt Willielmum Eboracensis Ecclesiæ thesaurarium: quem Henricus Wintoniensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ Legatus consecravit. Cæteri verò Canonicorum elegerunt sibi Archiepiscopum, Henricum Murdac, qui prævaluit: & Archiepiscopatum tenuit, quamdiu vixit. Et Willielmus Archiepiscopus remansit cum Henrico Wintoniensi Episcopo, qui eum consecraverat, usque ad obitum Henrici Murdac.] Ita ille omnem litem absolvit, quæ plures annos Romanam Sedem, & utramque factionem fatigavit. Nam licet uterque electus, ea Sede dignus reverà censeri potuerit: fatendum tamen est, dignissimum causâ & Sede cecidisse, viro sancto in sanctum, malè ab adversâ parte, depictum, pugnante. Quod quia hoc loco ostendendum: dicam primo loco de contentionis cardine, quis, inquam, Henricus Murdac; quis Guilielmus fuerit: inde qui contentionis cardinem moverunt.

CONTENTIO DE EBORACENSI SEDE.

Daniel. 10. v. 13.

Baron. hic

Hoved. hic.

CONTROVERSIA INTER GUILIELMUM ET HENRICŪ MURDAC. PRO EPISCOP. EBORACENSI.

XIII. Henricus Murdac à primis tenerisque annis, ea morum mentisque elegantia præditus fuit, ut oculati homines ad magna natum, non levibus conjecturis existimarent: nam præter lectionis studium, & doctrinæ dotes, eos pietatis devotæque mentis igniculos prodidit, ut Deo & cælestibus disciplinis parari facilè videretur: & ipse à viris sanctis; in eum finem orationum suffragia mendicabat. Quorum conscius Clare-vallensis Abbas sanctus Bernardus ad eum ita scripsit: & ad religiosam vitam incitavit.

HENRICUS MURDAC QUALIS?

Ad Ma-

Ad Magistrum Henricum Murdac.

Epist. 106. S. Bernardus invitat eum ad statum Religiosum.

Quid mirum si inter prospera fluctuas, & adversa: qui necdum statu sit supra petram pedes tuos? at si jures, & statuas custodire judicia justitiæ Domini: quid horum te poterit separare à charitate Christi? O si scires, & quid dicam? oculus Dei non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te. Sed tu frater, qui, ut audivi, Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? nam si intelligis, sentis utique sensum prophetica lectionis esse Christum. Quem videlicet si apprehendere cupis, citiùs illum sequendo, quam legendo consequi potes. Quid quæris verbum in verbo, quod jam caro factum præsto est oculis? Iam enim de latibulo Prophetarum egressus est, ad oculos piscatorum: jam de monte umbroso & condenso, tanquam sponsus de thalamo suo prosilivit in campum Evangelii. Iam qui habet aures audiendi, audiat illum clamantem in templo: Qui sitit, veniat ad me, & bibat: & venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tu ergo times deficere, ubi se Veritas te reficere promittit? certè si te tantum delectat tenebrosa aqua de nubibus aeris; quantò jucundiùs hauries de serenissimis fontibus Salvatoris? ô si semel paululum quid de adipe frumenti, unde satiatur Hierusalem, degustares: quàm libenter suas crustas rodendas litteratoribus Iudæis relinqueres. O si te unquam in scholâ pietatis sub magistro Jesu merear habere sodalem! O si mihi liceat purificatum prius tui pectoris vasculum supponere unctioni, quæ docet de omnibus! O quàm libens tibi pariter calidos panes, quos utique adhuc fumigantes & quasi modo de furno (ut aiunt) recens tractos, de cælesti largitate crebro Christus suis pauperibus frangit! Utinam si quam mihi guttam quandoque de pluvia voluntaria, quam segregavit hereditati suæ, stillare dignetur de dulcedine sua pauperi Deus. mox eam tibi possem refundere; & rursus à te vicissim recipere, quod senseris: Experto crede: aliquid amplius invenies in silvis, quàm in libris. Ligna, & lapides docebunt te, quod a magistris audire non possis. An non putas posse te sugere mel de petra, & oleum de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundant frumento? multis occurrentibus mihi dicendis tibi, vix me teneo. Sed quia non lectionem, sed orationem petis. Adaperiat cor tuum in lege sua, & in præceptis suis. Vale.

XIV. Henricus fit Religiosus.

Henricus hac esca captus, & sapiens reverà quàm suavis est Dominus; relictis omnibus, sequutus est amici consilium salutaria proponentis, Bernardi disciplinæ se adjunxit: Fontanense monasterium ingreditur: & post solidæ virtutis jacta fundamenta, Abbas eligitur. vir sine dubio, & dignus infulâ: & omnium opinione magnus. Sed ille major, qui primò, adeóque potior ad Eboracensem Sedem eligitur, & hoc anno ab Henrico Wintoniensi consecratur. Major, inquam, non solùm natalium splendore, quem vera virtus non æstimat; sed virtutum fama & opinione sanctitatis: nam de illo hæc leguntur, in vitis, sanctorum. nam eò sequentia sæcula ipsum retulerunt. [Beatus Willelmus, præclaris natalium titulis insignitus, ex Patre Herberto, strenuissimo Comite, & matre Emma, sorore Regis Anglorum Stephani originem traxit. Verum ne sola parentum generositas vitæ ejus seriem titulis decoraret, evolutis annorum circulis, cum ætas

Cap. ... in Wilelm.

Guilielmus qualis.

tenera discretionis regimine solidari cœpit; omni morum honestate pollebat. Crescentibus tandem virtutum & sanctitatis ejus meritis Eboracensis Thesaurarius effectus, opes suas inter manus egenorum transire coegit, nullum thesaurum pretiosiorem æstimans, quam penuriam patientibus subvenire. Defuncto tandem Thurstino Archiepiscopo Eboracensi, vir summæ mansuetudinis, pietatis, & charitatis eligitur. Sed livor edax, & amor dominandi, quendam ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum, in regionem dissimilitudinis adeo attraxit; ut inter eligentes dissidium excitans, à saniori parte electum impediret. Licet enim in electione ejus laudum præconia Clerus acclamans, & plebs applaudens, illum justitiæ & morum amatorem præcipuum testarentur. Negotium tamen suspenditur, ad Apostolicæ Sedis examen provocatum.]

XV. Sæpiùs provocatum de hac lite Eboracensi ad Rom. Pontif.

Sæpiùs reverà ad Apostolicam Sedem, in hac quæstione, provocatum: nec plenè decisa, aut Innocentii, aut Cælestini, qui sequutus est, aut Lucii, aut denique Eugenii tempore, donec Deus ipse, definitivam dictasse sententiam videtur. Et quidem quod Innocentii tempora spectat; Guilielmum, legitima electione postulatum, & avunculo Rege annuente consecratum asserunt Authores nostri, & addunt eum Romam misisse qui suo nomine pallium peterent. [Quod cum negatum (inquit Godwinus.) tum ipsi quoque imperatum, ut Romam accederet, de criminibus nescio quibus reus peragendus quorum hoc videtur præcipuum, quod minùs legitimè electus, præsulatum sibi non debitum ausus fuisset suscipere & usurpare.] Culpandus certè, qui hoc crimen finxit, & per orbem sparsit, sanctámque Sedem, & viros sanctos seduxit; ut pessimè de Guilielmo sentirent, & scriberent. Inter hos præ cæteris fuit Bernardus sanctus, & eum aliquando sequutus Cæsar Baronius: qui virum inculpatæ vitæ, & morum optimorum; Canonicè electum; à Rege, & Legato Sedis Apostolicæ admissum, & consecratum, nigris coloribus adeo deformarunt: ut viros cæteroquin oculatos, & Romanam quoque Sedem fefellerint, quemadmodum infra Baronius ipse testabitur, & coactus canet Palinodiam. Quicquid ergo aut ipse, aut qui eum duxit sanctus Bernardus in Guilielmum, aut electionem ejus, dixerunt; aut Romanis Pontificibus Innocentio, Cœlestino, Eugenio, suggesserunt; id omne falsissimo delatori tribuendum: aliquid tamen religioso affectui, quo Bernardus Henricum Murdac, quem in suam disciplinam pellexerat, quemque dignis Episcopo moribus ornatum cognoverat (necessariò fatendum) debet indulgeri. Cæterùm de Guilielmi electione ita scribit Harpesfeldus, Cantuariensis Ecclesiæ olim Archidiaconus, & Canonicæ electionis scientiam, & conscientiam habens.

S. Bern. contra Guilielmum.

XVI. Harpesfeld sæc. 12. c. 4. Osbertus impedit electionem Guilielmi.

[Mortuo (inquit) Thurstino, potiora & frequentiora Canonicorum Eboracensium suffragia in electionem Guilielmi Ecclesiæ ejusdem à thesauris concurrerunt. Sed Osberto Archidiacono ejusdem Ecclesiæ homine turbulento & factioso intercedente, multisque frustrationibus, commentitiisque apud Romanum Pontificem criminationibus, cum aliis factiosis eludente, causæque cognitione Innocentio secundo, Cælestino secundo, & Lucio secundo, totos quinque &

ampliùs annos hujusmodi cavillationibus extracta: Eugenius succedens, non quòd imdoneus esset Guilielmus: sed tamen magis in Henricum Murdachium, à quo Osbertus stabat, suæ, id est, Cisterciensis, apud Fontes in Angliâ disciplinæ, & sub Bernardo condiscipulum, certè dignum alioqui tali munere hominem propensior pro Henrico pronuntiavit.] Ita Harpesfeldus. Unde apparet, indecisam mansisse litem, aut certè non omninò definitam, sive executioni mandatam, donec Eugenius, Bernardi quondam discipulus, & Henrici condiscipulus, Romanam Sedem ascendit: nimirum ad annum hujus sæculi quadragesimum quintum. Quo omni tempore Guilielmum pro Eboracensi Episcopo habitum, è Bernardi literis colligo; qui ad Cælestinum Papam scribens, Guillelmum *intrusum* vocat, & *servum nequam*, conqueriturque Innocentii sententiam non esse executioni mandatam: adeo rumores pessimi, Sanctos quandoque fallunt: Iterum ad Eugenium; *Contra idolum illud Eboracense* (Guilielmum Sanctus intelligit) *iteratò stilus dirigitur, ea scilicet necessitate, quod sæpenumero hoc telo impetitum, à nobis, necdum confossum est.* Epistolas integrè dabo suis locis. è quarum sequiore impetu Lector colliget, maculas aliquando in Sole reperiri, & in Angelis pravitatem. Interim corrige Godwinum, qui Henrici Murdac ingressum consignare videtur post annum sequentem, Innocentio adhuc superstite. nos illud rectiùs posteriùs ponemus, quamvis à factiosis fortè priùs electus, habitúsque sit Episcopus.

S. Bernard. Epist. 134.

De Guilielmo.

ANNUS CHRISTI 1141.

INNOCENTII II. PAPÆ 11.

STEPHANI REGIS 6.

I. Sequitur Christi annus millesimus centesimus quadragesimus primus, captivitate Regis Stephani imprimis notatus. quod ita breviter ab eo narratur, qui Wigorniensem prosequutus est, ejusdem, opinor, cum eo ævi. [Stephanus Rex Anglorum, post diuturnos labores, & obsidiones castellorum, quibus pro pace regni quinque annis, & sex hebdomadibus desudavit, tandem in obsidione Lincolniensis castelli, die Purificationis sanctæ Mariæ, Dominica die Sexagesimæ, à Glocestrensi Comite Roberto, avunculi sui filio, & à Cestrensi Comite Ranulpho, justo Dei judicio, circumventus & captus, primo ad Glocestrensem, Dominica Quinquagesimæ, deinde ad Bristowensem urbem adductus, & custodiæ mancipatus est.] Vocat hic author justum Dei judicium: quia Stephanus pacis. & amicitiæ fœdera primus rupit, & Robertum hostiliter aggressus est. quod Malmesburiensis præter morem suum latiùs exponit in hunc modum: [Rex Stephanus ante Natale à Lindecolinâ provinciâ pacificè abcesserat. Comitemque Cestrensem, & ejus fratrem honoribus auxerat. Ibi Comes, filiam Comitis Glocestrensis jamdudum à tempore Regis Henrici duxerat. Cives interim Lindecolinæ civitatis, qui vellent apud Regem grandem locare amicitiam, eum Londoniæ manentem, per nuntios certiorem faciunt, ambos fratres, in castello ejusdem urbis, securos resedisse. Eos nihil minùs, quàm Regis adventum opinantes, levi negotio posse circumveniri. Se daturos operam, ut quàm occultissimè Rex castello potiatur. Ille, qui nullam occasionem ampliandæ potestatis omittere vellet, lætus eò contendit. Ita fratres circumventi, & obsessi sunt, in ipsis Natalis Dominici feriis. Iniquum id visum multis, quia suspicione nulla rancoris ab eis ante festum abscesserat: nec modò, more majorum, amicitiam suam iis interdixerat, quod diffidiare dicunt. Porrò Comes Cestrensis, quamvis ancipiti periculo involutus, probè tamen castelli angustias evasit. non definio quâ versutiâ, sive consensu aliquorum obsidentium: sive quia virtus deprehensa solet multis modis quærere, & plerumque invenire consilium.

Continuat. Wigorn. hic.

Malmesb. hist. Nov. l. 2.

Lincolnienses invitant Stephanum.

II. Itaque non contentus suâ solùm liberatione, de salute fratris, & uxoris, quos in castello reliquerat, solicitus animum partes versabat in omnes. Sanior sententia visa flagitare à socero auxilium, quamvis animum ejus jamdudum nonnullis ex causis offendisset, maximè, quia in neutro latere fidus videretur esse. Misit ergò perpetuam per nuntios pactus fidelitatem Imperatrici: si respectu pietatis magis quàm ullius sui meriti periclitantes, qui in captionis faucibus tenebantur, eximeret injuriæ. Non habuit Comes Glocestriæ difficiles aures, indignitatem rei non ferens, simul etiam pertæsus moræ, quia præclarissima patria, causâ duorum hominum, intestinis rapinis, & cædibus vexabatur: maluit, si Deus permisisset, rem in extremos deducere casus. Sperabat etiam divinum in incepto favorem: quia Rex generum suum, nullis ejus culpis injuriaverat, filiam obsidebat, Ecclesiam Beatæ Dei genitricis de Lindecolino incastellaverat. Hæc quanti apud mentem Principis esse debebant? Nonne præstaret mori, & gloriosè occumbere, quàm tam insignem contumeliam pati? Ulciscendi ergo causâ Deum & sororem, simulque necessitudines suas liberandi, dedit se discrimini. Comitati sunt eum impigrè suæ fautores partis, quorum erat major exheredatorum numerus, quos in martem accendebat rerum amissarum dolor, & conscia virtus. Quamvis toto itinere, quod protenditur à Glocestria in Lindocolinum, ipse callidè intentionem dissimularet, quibusdam ambagibus, totum exercitum præter paucissimos suspendens.

Comes Glocestriæ laborat liberare obsessos.

III. Ventum ad supremum, ipsa die Purificationis Beatissimæ Mariæ, ad flumen quod inter duos exercitus præterfluebat, Trenta nomine; quod & ortu suo, & pluviarum profluvio tam magnum fuerat, ut nullatenus vado transitum præberet. Tum demum & genero, qui cum manu validâ occurrerat, & cæteris quos ductaverat, detegens animum: hoc sibi propositum jamdudum esse adjecit, quòd nullâ unquam necessitate terga verteret: vel moriendum esse, vel capiendum, si non vicisset. Cunctis igitur bona spe ipsum implentibus, mirabile auditu! illico belli discrimen initurus, prædicti rapacitatem fluminis cum omnibus suis nando trangressus est. Tantus erat Comiti ardor finem malis imponere, ut mallet ultima experiri, quàm regni calamitatem ulteriùs protendi. Nam & Rex, cum Comitibus quamplurimis, & non inerti militum copiâ bello se animosè, intermissâ

obſidione obtulerat. Tentavere primò Regii proludium pugnæ facere, quod Juſtam vocant; quia tali arte erant periti. At ubi viderunt, quod Conſulares, ut ita dictum ſit; non lanceis eminus, ſed gladiis cominus rem gererent: & infeſtis viribus, & vexillis, aciem Regalem perrumperent; fuga ſibi omnes ad unum Comites conſuluere. Pauci Barones prædicandæ Fidei & fortitudinis, qui Regem, nec in hac neceſſitate deſerendum ducerent, capti ſunt. Rex ipſe, quamvis ad ſe defenſandum, non ei, defuiſſet animus; tandem à militibus Comitis Gloceſtriæ circumquaque aggreſſus, ictu lapidis cujuſdam terræ procubuit. A quo autem id factum fuerit, ignoratur: ita omnibus circa ſe, vel captis, vel fugatis, cedendum pro tempore, & teneri ſuſtinuit. Prædicandus itaque Comes Gloceſtriæ præcepit Regem vivum & illæſum aſſervari: non paſſus etiam ullo exprobrationis convitio illum proſcindi. Et quem iratus modo impugnabat regno faſtigiatum, placidus ecce protegit triumphatum. Ut compoſitis iræ & lætitiæ motibus, & conſanguinitati impenderet humanitatem, & ut captivo diademat is reſpiceret dignitatem. Vulgus ergo civium Lindocolinum multa parte obtruncatum eſt, juſta ira illorum qui viciſſent, nullo dolore illorum qui victi eſſent; quod ipſi principium & fomes mali fuiſſent.

CAPITUR STEPHANUS.

IV. INNODATUS ANNULIS FERREIS.

Rea juxta morem illius generis hominum, quos captivos nominant, Imperatrici à fratre præſentatus Gloceſtriæ; poſt etiam ad Briſtow ductus & ibi honorificè, præter progrediendi facultatem ſervatus eſt primò. Succedente verò tempore, propter inſolentiam quorundam, palam, & probosè dictitantium, non expedire Comiti; ut Regem, ſecus ac ipſi vellent, ſervaret, ſimul, & quia ferebatur pluſquam ſemel, vel eluſis, vel delinitis cuſtodibus, extra ſtatutam cuſtodiam noctu præſertim inventus, annulis ferreis innodatus eſt. eſt. Interim & Imperatrix, & Comes, apud Legatum fratrem ejus nuntiis egerunt, ut ipſam, tanquam Henrici Regis filiam, & cui omnis Anglia, & Normannia jurata eſſet, incunctanter in Eccleſiam, & regnum reciperet. Quarto decimo Kalendas Martii, eo anno, prima Dominica Quadrageſimæ fuit. Ita mediantibus utrobique nuntiis ad hoc res expedita, ut ad colloquium in patenti planitie camporum, citra Wintoniam conveniretur. Ventum ergo Dominica tertia Quadrageſimæ, pluvioſo & nebuloſo die, quaſi malam cauſæ viciſſitudinem fata portenderent. Juravit, & affidiavit Imperatrix Epiſcopo, quod omnia negotia majora in Angliâ, & præcipuè donationes Epiſcopatuum, & Abbatiarum ejus nutum ſpectarent; ſi eam ipſe, cum ſancta Eccleſiâ in Dominam reciperet, & perpetuam ei fidelitatem teneret. Idem juraverunt cum eâ, & affidiaverunt pro eâ, Robertus frater ejus, Comes Gloceſtriæ, & Brianus filius Comitis, Marchio de Walingford, & Milo de Gloceſtria, poſtea Comes de Hereford, & non nulli alii. Nec dubitavit Epiſcopus Imperatricem in Dominam Angliæ recipere, & ei cum quibuſdam ſuis affidiare, quod quamdiu ipſa pactum non infringeret, ipſe quoque fidem ei cuſtodiret. Craſtino quod fuit quinto nonas Martii, honorificâ factâ proceſſione, recepta eſt in Eccleſiâ Epiſcopatus Wintoniæ, Epiſcopo, eodémque Legato eam ducente in dextro latere; Bernardo verò de S. David Epiſcopo, in ſiniſtro. affuerunt præterea Epiſcopi Alexander Lincolnienſis, Robertus Herefordiæ, Nigellus de Heli, Robertus de Bathoniâ. Abbates etiam Ingulfus de Abendoniâ, Edwardus de Radingis, Petrus de Malmeſberiâ, Gilbertus de Gloceſtriâ, Rogerius de Theochesberiâ, & nonnulli alii.] Hæc omnia Malmesberienſis: quæ licet ad annum Domini quadrageſimum ſecundum, hujus ſæculi ab eo conſignentur. Alii tamen, opinor, rectiùs, in hunc annum conſentiunt.

IMPERATRIX RECIPITUR IN DOMINAM.

V. OCCURRŨT MATHILDI PRÆSULES.

Addit Continuatio Wigornienſis traditam Mathildi non ſolùm Wintonienſem civitatem, ſed Anglici etiam coronam. Ita enim ibi ad hunc annum milleſimum centeſimum quadrageſimum primum. [Cùm appropinquaret ad civitatem Wintoniæ, occurrunt illi cum gloriâ & pompâ magnificâ, Præſules penè totius Angliæ, Barones multi, principes plurimi, milites innumeri, Abbates cum ſuis diverſi: ex eâdem urbe duo conventus monachorum, tertius ſanctimonialium cum proceſſionalibus melodiis, & laudibus: clerus urbis cum civibus, & populis multis. Traditur itaque ejus imperio urbs nobiliſſima Wintoniæ, datur ejus dominio corona regni Angliæ. Ab ipſo Legato maledicuntur, qui maledicunt ei; benedicuntur, qui benedicunt ei: excommunicantur contradicentes, abſolvuntur ejus juſſioni parentes. A Wintoniâ egreſſa cum ſuis officialibus Domina adit Wiltoniam: ubi ad ſalutandum eam Cantuarienſis affuit Archipræſul Theobaldus: affluxit & tam copioſa populorum frequentia; ut præ multitudine introeuntium vix ſufficeret aditus portarum.] Ad Theobaldum quod attinet, venit ille quidem, ut Author affirmat, ſed cunctanter tantum in Imperatricis verba juravit. nam ita Malmeſburienſis, conſequenter ad ſuperiora. [Paucis poſt diebus, Theobaldus Cantuariæ Archiepiſcopus venit ad Imperatricem apud Wintoniam (ſed corrige ex aliis Authoribus Wiltoniam) invitatus à Legato. diſtulit ſanè fidelitatem Dominæ facere, inconſulto Rege: aliàs divertere, famæ & perſonæ ſuæ indignum arbitratus. Itaque & ipſe, & plerique Præſules cum aliquantis laicis permiſſi ad Regem ire, & colloqui: dignanterque impetratâ veniâ, ut in neceſſitatem temporis tranſirent, in ſententiam Legati ceſſere.] Ita ille. Mathildis è Wiltoniâ Oxonium profecta, reſurgentem à mortuis Chriſtum ibi religioſè coluit; Epiſcopis Wintoniam ad Synodum vocatis. de qua Author qui interfuit Malmeſburienſis.

Malmesb. histor. Nov. l. 2. f. 185.

VI. *Idem sup.* **CONCILIUM CANTUARIÆ.**

[Feriâ ſecundâ (inquit) poſt octavas Paſchæ, Concilium Archiepiſcopi Cantuariæ Theobaldi, & omnium Epiſcoporum Angliæ, multorúmque Abbatum, Legato præſidente Wimoniæ, ingenti apparatu inceptum. Si qui defuerunt, Legatis & literis, cauſas, cur non veniſſent, dederunt. Cujus Concilii actioni, quia interfui, integram veritatem poſteris non negabo. Egregiè quippe memini. Ipſa die poſt recitata ſcripta excuſatoria, quibus abſentiam ſuam quidam tutati ſunt; ſevocavit in partem Legatus Epiſcopos, habuitque cum eis arcanum conſilii ſui. Mox Abbates, poſtremò Archidiaconi. Ex conſilio nihil proceſſit in publicum. Volutabatur tamen per omnium mentes, & ora, quid foret agendum. Feria tertia hoc ferè ſenſu Legati cucurrit oratio.

VII. EPISCOPUS WINTONIEN. LEGATUS APOST. PERORAT PRO MATHILDE.

Dignatione Papæ se vices ejus in Angliâ tenere. Ideóque per ejus authoritatem, clerum Angliæ ad hoc Concilium congregatum, ut de pace patriæ, quæ grandi periculo naufragabatur, consuleretur in medium. Tempore Regis Henrici avunculi sui, singulare domicilium pacis in Angliâ fuisse; ita ut per vivacitatem, animositatem, industriam ejusdem præcellentissimi viri; non solùm indigenæ cujuscumque potentiæ, vel dignitatis essent, nihil turbare auderent: sed etiam ejus exemplo, finitimi quicumque Reges, & Principes, in otium & ipsi concederent, & subjectos vel invitarent, vel impellerent. Qui videlicet Rex nonnullis ante obitum annis, filiæ suæ quondam Imperatrici (quæ sola sibi proles ex desponsata quondam conjuge supererat) omne regnum Angliæ; simul & Ducatum Normanniæ jurari ab omnibus Episcopis, simulque Baronibus fecerit, si successore masculo ex illa, quam ex Lotharingia duxerat uxore careret. Et invidit, inquit, atrox fortuna præcellentissimo avunculo meo, ut sine masculo hærede in Normanniâ decederet. Itaque quia longum videbatur Dominam expectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat (in Normanniâ quippe residebat) provisum est paci patriæ, & regnare permissus frater meus. Enimverò quamvis ego vadem me apposuerim inter Deum & eum, quòd sanctam Ecclesiam honoraret, & exaltaret, & bonas leges manu teneret, malas verò abrogaret. Piget tamen meminisse, pudet narrare, qualem se in regno exhibuerit. Quî in præsumptores nulla justitia exercitata: quomodo pax omnis ipso statim anno abolita: Episcopi capti, & ad redditionem possessionum suarum coacti. Abbatiæ venditæ, Ecclesiæ thesauris depilatæ: consilia pravorum audita: bonorum vel suspensa, vel omninò contempta. Scitis quoties eum tum per me, tum per Episcopos convenerim, concilio præsertim anno præterito ad hoc indicto, & nisi odium, nihil acquisierim. Nec illud quemquam, qui rectè pensare velit latet, debere me fratrem meum mortalem diligere: sed causam Patris immortalis, multò pluris facere. Itaque quia Deus judicium suum de fratre meo exercuit: ut eum me nesciente, in potestatem potentium incidere permitteret: ne regnum vacillet, si regnante careat: omnes vos pro jure Legationis meæ huc convenire invitavi. Ventilata est hesterno die causa secreto, coram majori parte Cleri Angliæ: ad cujus jus potissimum spectat Principem eligere, simulque ordinare. Invocata itaque primò, ut par est, in auxilium Divinitate: Filiam pacifici Regis, gloriosi Regis, divitis Regis, boni Regis, & nostro tempore incomparabilis, in Angliæ, Normanniæque Dominam eligimus, & ei Fidem, & manutenementum promittimus.

VIII.

Cumque omnes præsentes vel modestè acclamantes, vel silentes non contradixissent, subjecit. Londinenses (qui sunt quasi Optimates pro magnitudine civitatis in Angliâ) nuntiis nostris convenimus: & conductum, ut tutò veniant, misimus: eósque confido non ultra hunc diem moraturos; bonâ veniâ usque cras sustineamus.] Hactenus illius diei actio: nunc lubet paullulùm respirando temporis rationem inquirere: & quia non libenter à Malmesburiensis calculo dissentio, advertendum puto, mendum in ejus impressa exemplaria irrepsisse: cum hujus anni gesta recensens sic exorditur: *Anno Dominica Incarnationis 1142. inextricabilem labyrinthum rerum & negotiorum, qua acciderunt in Angliâ aggredior evolvere.* nam legendum omnino: *Anno Dominica Incarnationis* 1141. &c.

TEMPORIS RATIO EXCUTITUR.

Et correctio inde stabilitur: quòd cum exactè (hoc secundo libro historiæ Novellæ) per annorum seriem gesta describat: & multa singulis occurrerint, scitu & Annalibus digna, cùm annum millesimum centesimum quadragesimum absolvisset: nullâ sequentis anni mentione factâ, narrat hæc omnia, quæ supra posuimus: quæque Huntindonius ad annum sextum Stephani Regis: & Rogerus Hovedenus paulò explicatiùs ita referre incipit. *Anno gratia millesimo centesimo quadragesimo primo, qui erat annus sextus regni Regis Stephani. Idem Rex obsedit infra Natale civitatem Lincolnia, &c.* Cum itaque annum, de more, à Natalitiis ordiatur, Stephani Regis captivitatem in eundem incidisse necessum est affirmare. Adde cum ex ore Legati dicat Malmesberiensis: *Anno præterito Concilium Episcoporum indictum esse, & illud referatur ad annum millesimum centesimum trigesimum nonum: quomodo potuit triennium intercedere?* Corrigi ergò debent extrema sequentes: Matthæus Parisiensis, qui Stephanum captivum refert ad annum hujus sæculi quadragesimum; & Conciliorum compilatorem Coriolanum, qui refert ad annum quadragesimum secundum, sic medio tutissimus ibis: & ego tutiùs ad sequentia: monito etiam Lectore, quòd quæ leguntur in Malmesberiense facta anno millesimo centesimo quadragesimo tertio, multò meliùs in quadragesimum secundum transferenda. Quod omnino dicendum est, si verum dixit Joannes Pitsius. *Malmesberiensis senex, Malmesberia diem suum obiit, & ibidem sepulturam sortitus est anno Christi nati millesimo centesimo quadragesimo secundo, sub inquieto in Anglia Stephani regno*, nunc ad historiam.

Hoved. hic.

Pitsius in Malmesb.

IX. LONDINENSES INTERCEDUNT PRO STEPHANO. *Malmesb. hist Novel. l. 2. fol. 189.*

[Feria quarta (narrat qui supra Malmesberiensis) venerunt Londinenses, & in Concilium introducti, causam suam eatenus egerunt, ut dicerent, missos se à communione, quam vocant, Londoniarum, non certamina, sed preces afferre: ut Dominus suus Rex à captione liberaretur. Hoc omnes Barones, qui in eorum communionem jamdudum recepti fuerant, summoperè flagitare à Domino Legato, & Archiepiscopo, simulque omni clero, qui præsens erat. Responsum est eis à Legato ubertim, & splendidè: & quò minùs fieret, quod rogabant, eadem oratio quæ priùs habita. Adjectum etiam: non decere, ut Londonienses, qui præcipui habebantur in Angliâ, sicut proceres: illorum partes foverent; qui Dominum suum in bello reliquerant: quorum consilio idem sanctam Ecclesiam exhonoraverat. Qui postremò non ob aliud ipsis Londoniensibus favere videbantur, nisi ut eos pecuniis emungerent. Interea surrexit quidam, cujus nomen, si benè memini, Christianus, Reginæ (ut audivi) clericus: porrexitque chartam Legato: Quâ ille sub silentio lectâ, voce, quantum potuit exaltata dixit; non esse legitimam, nec quæ deberet in tanto præsertim sublimium, & religiosarum personarum conventu recitari. Præter cætera enim quæ reprehensibilia, & notabilia erant scripta testem appositum, qui præterito anno, in eodem quo tunc sedebant, capitulo venerabiles Episcopos

maximâ

maximâ verborum affecerit contumeliâ. Ita illo tricante Clericus legationi suæ non defuit: sed præclara fiducia literas legit in audientiâ: quarum hæc erat summa: rogabat Regina obnixè omnem Clerum congregatum, & nuncupatim Episcopum Wintoniæ, fratrem Domini sui; ut eundem Dominum regno restituerent; quem iniqui viri, qui etiam homines sui essent, in vincula conjecissent. Huic suggestioni retulit Legatus verba in eandem sententiam qua & Londinensibus. Illi communicato consilio dixerunt se decretum Concilii convicaneis suis relaturos, & favorem suum, quantum possent, præstituros.

X. Feria quinta solutum est Concilium, excommunicatis ante multis, qui regiarum erant partium: nominatim Willielmo Martello, qui quondam pincerna Regis Henrici; tunc dapifer Stephani. Iste immaniter exulceraverat Legati animum, multis rebus ejus interceptis, & subreptis. Itaque multæ fuit molis Londinensium animos permulcere posse: ut cum hæc statim post Pascha, ut dixi, fuerint actitata; vix paucis ante Nativitatem Beati Joannis diebus, Imperatricem reciperent. Hæc omnia de Wintoniensi Synodo refert Malmesberiensis. Nunc Mathildem invisamus, & Oxonii commorantem, Londinum cum honore, brevi duraturo, deducamus. [Imperatrix habito tractu cum Londoniensibus (ita loquitur Continuator Wigorniensis) comitantibus secum Præsulibus multis, & Principibus, secura properavit ad Urbem: & apud Westmonasterium, cum processionali susc[i]pitur honorificentiâ: ibique aliquantis diebus de regni statu dispositura resedit. Et primo quidem quod decuit, Sanctæ Dei Ecclesiæ juxta bonorum consilium, consulere procuravit. Dedit itaque Londonensis Ecclesiæ Præsulatum, cuidam Radingensi Monacho viro Venerabili, Roberto nomine, præsente & jubente Abbate suo Edwardo.

Continuat. Wigorn.

MATHILDA EXCIPITUR LONDINI

XI. Dudum vacaverat, à morte Gilberti cognomento Universalis, Londinensis sedes, quam Anselmus ad eam electus ascendere non potuit, quia inventus est minus habens. Nunc tandem [capto per Mathildem Augustam (ita Godwinus) Stephano Rege: illius mandato, quæ se tunc appellabat Anglorum Dominam, Robertus de Sigillo monachus Radingensis, aut ut nonnulli tradunt, Archidiaconus Londinensis, electus Canonicè, & in Episcopum sacratus est.] Vir fuit integritatis magnæ, & à sancto Bernardo in Epistola ad Innocentium Papam, à virtute commendatus cum persecutionem patitur, de quo anno sequenti. Nunc quæ electionem ejus Londini consecuta sunt, dicat author, qui illa incepit: [Hoc peracto negotio interpellavit Dominam Anglorum Reginam (Mathildis quoque dicebatur, ut suprà) pro Domino suo Rege capto, & custodiæ ac vinculis mancipato. Interpellata quoque est pro eadem causa, & à Majoribus & Primoribus Angliæ, obsidibus multis, castellis & divitiis magnis suæ ditioni tradendis, si Rex absolutus, non regno, sed suæ tantùm redderetur libertati. Se enim ei suasuros spoponderunt, quatenus regno dimisso, Deo soli, sive monachus sive peregrinus deinde deserviret. At illa non exaudivit illos. Interpellata est, & ab Episcopo Wintoniensi, ut consulatus qui fuerat sui fratris, nepoti suo daretur, scilicet filio ejusdem Regis: sed nec hunc exaudivit

an. 1138. n. 14.

Godwin. in Londin.

ROBERTUS DE SIGILLO LONDIN. EPS.

Contin. Wigorn.

IMPERATRIX CÛ NIHIL CEDERE VELLET PETITIONI LONDINENSIUM, COGITAT FUGERE.

Domina. Interpellata est & à civibus, ut leges eis Regis Edwardi observare liceret, quia optimæ erant: non Patris sui Henrici; quia graves erant. Verùm illa, non bono usa consilio, præ nimia austeritate non acquievit eis. Unde & motus magnus factus est in urbe. Et facta conjuratione adversus eam, quam cum honore susceperunt, cum dedecore apprehendere statuerunt. At illa à quodam civium præmunita, ignominiosam cum suis fugam arripuit, omni suâ suorumque supellectili post tergum relictâ. Quo viso Præsul Wintoniæ, qui & Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad liberationem fratris sui mentem apposuit. Atque ad hoc peragendum, Lundoniensium sibi animos virtutemque applicuit.]

XII. Hæc Legati ad Londinenses conversio, Imperatricis eversio fuit; quæ nulli cedens, & omnium preces & postulata aversis auribus animoque hauriens, omnium in se odia inimicitiamque concitavit. Cæterùm, quod Imperatricis causæ maximè nocuit, & Principem, dignitate non plenè potitam minimè decuit; fuit Henrici Legati repulsa, quam ita Malmesburiensis explicat: [Nec multis post diebus surrexit simultas inter Legatum & Imperatricem: quem casum verè possum dicere, fomitem omnium malorum rursum in Angliâ fuisse. Quod qualiter acciderit expediam. Habebat Rex Stephanus filium Eustachium nomine, ex filiâ Eustachii Comitis Boloniensis susceptum. Rex enim Henricus, Pater Imperatricis (ut altiùs repetam, ne veritas gestorum lateat posteros) sororem uxoris suæ, matris istius Dominæ, Mariam nomine, nuptam dedit prædicto Comiti, quod esset is, & amplis majoribus ortus, simulque prudentiâ, & fortitudine juxta insignis. Ex Mariâ Eustachius nihil liberorum tulit, præter filiam Mathildem nomine, hanc Patre defuncto nubilem idem magnificentissimus Rex Stephano nepoti, legitimo matrimonio copulavit: & pariter Bononiensem Comitatum industriè acquisivit. Nam antea Moritoliensem in Normanniâ ex suo dederat. Hos Comitatus nepoti suo, quem nominavi, Eustachio, Legatus jure dandos destinaverat, dum Pater in captione teneretur, Imperatrice prorsus abnuente: incertum an aliis etiam promittente. Quâ ille offensus injuriâ, multis diebus, ab ejus abstinuit Curiâ: & quamvis sæpè revocaretur, negare perseveravit. Interea familiare apud Guldford, cum Reginâ, uxore fratris, colloquium habuit, & ejus lacrymis, & satisfactione infractus ad liberationem germani animum intendit. Omnes etiam illius partis, quos in Concilio excommunicaverat, inconsultis Episcopis absolvit. Ferebantur etiam per Angliam ejus querelæ in Imperatricem: quod eum capere voluerit: Quod quicquid ei juraverat, pro nihilo haberet. Omnes Barones Angliæ fidem suam circa eam implesse; sed ipsam temerasse; quæ acquisitis uti modestè nesciret.]

LEGATUS OFFENSUS A MATHILDE, ILLAM DESERIT.

Malmesb. histor. Nov. l. 2. f. 189.

XIII. Hic author de Imperatricis fugâ, pauca miscet narrationi suæ: alter illam paullò luculentiùs refert in hunc modum: [Porrò fugiens Domina per Oxonefordiam venit ad Gloverniam, ubi cum Milone Exconstabulario, consilio inito statim cum eodem ad Oxenefordensem revertitur urbem: ibi præstolatura, seu recuperatura suum dispersum militarem numerum. Et quia ejusdem Milonis præcipuè fruebatur consilio, & fovebatur auxilio: utpote quæ eatenus, nec unius diei victum, nec

MATHILDES VENIT GLOVERNIAM.

Continuat. Wigorn. hic.

Miloni dat Comitatum Herefordensem.

mensæ ipsius apparatum aliunde, quàm ex ipsius munificentiâ, sive providentiâ acceperat (sicut ex ipsius Milonis voce audivimus) ut eum arctiùs suo devinciret ministerio; Comitatum ei Herefordensem tunc ibi posita, pro magnæ remunerationis contulit præmio. Inde jam militum virtute remunerata, & numero, appropinquante festivitate sancti Petri, quæ dicitur ad Vincula, ignorante fratre suo Comite Bristowensi, Wintoniensem venit ad urbem: sed eam à se alienatam inveniens; in castello suscepit hospitium. Cujus inopinatum adventum, civitatis ejusdem Episcopus Henricus miratus: indéque vehementer turbatus, per aliam egrediens portam sese tunc & deinceps conspectibus ejus absentavit. Hinc jam discordiis in alterutrum prorumpentibus, civitas opulenta, & multis retrò ante sæculis gloriosa, & omnibus terris nota atque famosa, repentina obsidione, partibus secum ad invicem compugnantibus, circundatur: rebus & hominibus exinanitur, militibus gregariis & conductitiis, in hoc spirantibus, & furibundè hinc inde convolantibus. Nec hoc solum Pontificis iræ potuit sufficere: quin etiam ob terrorem sive horrorem illis incutiendum, immisso igne, urbem totam comburere, furore cogente, decrevit. Quod & fecit. Siquidem secundo die mensis Augusti, ignis civitati immissus, monasterium sanctimonialium cum suis ædificiis, Ecclesias plus quadraginta, cum majori sive meliore parte civitatis: postremo cœnobium Monachorum Deo, & sancto Grimbaldo famulantium cum suis ædibus redegit in cineres.

Civitas Wintoniensis obsidetur, et crematur.

XIV. Crux magna incendio crescente cæpit sudare.

Erat in hac Ecclesiâ S. Grimbaldi Crux magna, Crux sancta, jussu Regis Canuti dudum fabricata, & ab eodem auro & argento, gemmis, & lapidibus pretiosis decentissimè adornata. Hæc jam sibi approximante incendio (quod mirum dictu est) quasi imminens sibi præsentiens periculum intuentibus qui aderant fratribus cœpit sudare, nigrescere, imò comburentium nigredinem exprimere. Sed & in ipso concremationis ejus momento, fragor horrisonus tonitrui magni tribus vicibus intonuit quasi de cœlo. Hoc itaque incendio combusta civitate interiùs, & ab hostibus obsessa exteriùs, dixisse fertur Episcopus Comiti Northamptonensi, En Comes, ego jussi: tu ista tradere stude. Quibus dictis pavuerunt corda dicentis. Septem igitur septimanis in obsidione transactis: tandem Episcopus tam diutinæ obsidionis pertæsus: advesperascente die, quæ Exaltationis S. Crucis festivitatem præcedebat: jussit per urbem pacem prædicari, portas civitatis aperiri. Jamque Domina Imperatrix conscenderat equum comitante, séque conducente fratre suo Reginaldo: relictis ob excubias plus ducentis militibus, cum Comite Bristowense, eisdem præsidente. Cum ecce subitò Præsul, ad arma suos consurgere, & in hostes ilicò violenter jussit insurgere; quotquot poterant viriliter comprehendere. Comprehenduntur itaque multi, perimuntur hinc inde plurimi. Inter quos quidam miles vocabulo Guthelmus de Curcel cum militibus sex neci datus, & apud S. Grimbaldum est tumulatus. Hæc audiens Domina vehementer exterrita atque turbata, ad castellum quo tendebat de Ludkereshal tristis ac dolens advenit. Sed ibi locum tutum quiescendi non invenit propter metum Episcopi. Unde hortantibus suis, equo iterum usu masculino supposita, atque ad Divisas perducta: cum nec ibi securè se tutari posse, ob insequentes formidaret: jam penè exanimis, feretro invecta, & funibus quasi cadaver circumligata, equis deferentibus, sat ignominiosè, ad civitatem deportatur Glaornensem.

Episcop. strategemate usus, Imperatricem ad fugam cogit.

XV. Robertus Comes captus.

Porrò frater suus Comes Bristowensis Robertus, per aliam viam egressus, ab insequentibus oppressus est: atque in loco qui Stolibrige dicitur à Flammensibus, cum Comite Warennensi captus, & Reginæ in urbe residenti præsentatus, Guilielmo de Ipra, ejus jussu commendatur; & in civitate Rofensi custodiæ mancipatur. Comes verò Herefordensis Milo, ab hostibus circumseptus, abjecit sua arma, cum supellectili universâ, de solâ vitâ lætus ad Glaornam cum dedecore fugiendo pervenit lassus, solus, & penè nudus: Joannem etiam fautorem eorum ad monasterium Warewellense fugientem milites Episcopi persequentes, cum exinde nullo modo expellere valuissent, in ipsa die festivitatis Exultationis sanctæ Crucis, immisso igne, ipsam Ecclesiam sanctæ Crucis cum sanctimonialium rebus, & domibus cremaverunt: indumentis earum & libris, cum ornamentis inclementer ablatis; sanguine quoque plurimo coram sancto altari horribiliter effuso. Prædictum tamen Joannem, nec capere, nec expellere potuerunt. Hoc monasterium, regnante glorioso Anglorum Rege Eadgaro, Alfrida uxor ejus (compuncta privigni sui nece) ædificavit in honorem Sanctæ Crucis.] Hæc ille: Sed fallitur in monasterii constructione: nam tomo superiore ostendi, constructum quidem ab Alfrida monasterium, cùm privignum impiè occidi jussisset: non glorioso Edgaro Rege regnante: quia post Edgarum, Edoardus filius, quem occidit, quatuor annos regnaverat: Sed Ethelredo Rege regnante sub annum Domini nongentesimum septuagesimum nonum, ut ibi dictum *. & posteriùs, à filio Alfridæ, dotatum, & Sanctæ Cruci consecratum, anno millesimo secundo. nunc pergat Author historiæ suæ, & vitæ (opinor) finem imponere: nam porrò non pertexit.

Milo fugit.

In Exultatione S. Crucis Ecclesia S. Crucis comarsta.

* v. an. 979. n. 8.

v. an. 1002. n. 3. &c.

XVI. *Cont. Wigorn.* Quæ pretiosa a S. Cruce sublata posuit Henricus Ep. in suis thesauris.

• [His ita gestis, Præsul Henricus, irâ quantulacumque sedatâ, sed cupiditate admodum dilatatâ: suggerente Priore novi monasterii nuperrimè conflagrati, tulit ex combusta Cruce quingentas argenti libras, auri quoque marcas triginta: diademata tria, cum totidem scabellis ex auro Arabico purissimo, & lapidibus pretiosissimis undique operta, opere pulcherrimo & mirifico facta: eáque in suis recondidit thesauris.] Meminit combustæ Crucis Malmesburiensis, & addit aurum argentúmque militi in prædam Episcopi largitione cessisse. Sic enim ille: [Ex turre Pontificis (inquit) jaculatum incendium in domos Burgensium, qui proniores felicitati Imperatricis, quàm Episcopi: comprehendit & combussit totam Abbatiam sanctimonialium intra urbem, simulque cœnobium monachorum, quod dicitur ad Hidam, extra. Erat ibi imago Crucifixi Domini, magna mole argenti, & auri, simulque gemmarum dono Cnutonis quondam Regis, operosâ devotione fabrefacta. Hæc igne tunc comprehensa, & solo prostrata; post etiam jubente Legato, excrustata est. * Inventæ plusquam quingentæ argenti marcæ, & auri triginta, donativo

Malmesb. hist. Nov. l. 2. f. 190.

militum

militum profecere. Combusta est etiam Abbatia sanctimonialium de Warewellâ; à quodam Willielmo de Ipra, homine nefando: qui nec Deo, nec hominibus reverentiam observaret: quod in ea quidam Imperatricis fautores se communiti essent.]

XVII. *Continua. Wigorn.*

ROBERTO COMES TENUIT CONDITIONES PACIS.

[Servabatur interea Rex (ita author Continuationis) & Comes sub custodiâ. Verùm Regina nimium satagente pro Rege: & vice-Comitissâ valdè desudante pro Comite; multis internuntiis & amicis fidelibus hinc inde discurrentibus, amborum deliberationis talis ordinatur conditio: ut Rex suo restitutus regno, & Comes sub eo, totius Angliæ sublimatus dominio, fierent ambo regni, & patriæ justi moderatores, & pacis recuperatores: sicut totius dissensionis & turbationis extiterant incentores atque auctores. At Comite id agere renuente absque consensu Imperatricis sororis suæ: conventa de hoc, illa omnino contradixit: omnem pacem & concordiam erga Regem penitùs abnegavit. Unde factum est, ut ab invicem impacificati discederent: per totum annum deinceps, omne regnum cum patriâ rapinis pauperum, cædibus hominum, violationibus Ecclesiarum.] Hoc lemma Author non absolvit, nec Wigorniensem ultra produxit, fortè rapinas pauperum, cædes hominum, violationes Ecclesiarum ferre non valens, petivit animæ suæ, ut moreretur. Malmesburiensis superfuit paulò diutiùs. nam hunc annum absolvit, & sequentem aggressus, vitæ metam attigisse putatur. Utroque decedente, jejunior imposterum rerum gestarum narratio, & paulò erit inconstantior. Pergat igitur, quamdiu superest Malmesberiensis, reliqua dicere, quæ captivos Principes brevi absolvent: sed nullam civibus pacem afferent.

XVIII. *Malmesb. hist. Novor. fol. 190*

REX IN PURIFICATIONE ET COMES IN EXALTATIONE S. CRUCIS EANDEM SORTEM CAPTIVITATIS NACTI.

[Nonnulli (inquit) miraculi exemplum, & multorum materia sermonum fuit in Angliâ: Quòd Rex Dominica, in Dominæ nostræ Purificatione: ita Comes, Dominica in vivificæ Crucis exaltatione, unam eandémque sortem experti sunt. Illud verò percelebre magnificúmque fuit quod pro isto eventu, nemo Comitem Glocestriæ vel infractum mente, vel etiam tristem vultu vidit. Ita conscientiam altæ nobilitatis spirabat, ne se fortunæ ludibrio subjiceret. Quamvis enim primò blanditiis invitatus, post etiam minis lacesseretur, nunquam tamen inflexus est, ut de liberatione sua præter conscientiam sororis tractaretur. Ad ultimum eo modo res ventilata; ut æquis conditionibus, & Rex, & ipse absolveretur: nullo pacto alio interveniente; nisi ut quisque partes suas, pro posse, sicut priùs, tueretur. Hæc ab Exaltatione Sanctæ Crucis, usque ad festum omnium Sanctorum plurimo verborum agmine sæpè versata; tunc demum debito fine conclusa. Ea enim die, Rex eluctatus captionem, in eadem apud Bristow, Reginam suam, & filium, cum duobus Magnatibus, reliquit vades liberandi Comitis, continuò cum festinato itinere Wintoniam venisset: Ibi enim asservabatur Comes, reductus à Roucester, quò priùs abductus fuerat. Tertio die mox, ut Rex Wintoniam venit, Comes abscessit: dimisso ibi, quousque Regina absolveretur, in eodem die obsidatu, filio suo Willielmo. Celeriter igitur peremensa via Bristow veniens, Reginam absolvit.

UTERQUE LIBERATUS CAPTIVITATE, ET QUA CONDITIONE.

Cujus reditu Willielmus filius Comitis ab obsidatu liberatur. Satis autem constat, toto tempore captionis, & sequentibus mensibus, usque ad Natale, multis & magnis pollicitationibus sollicitatum, ut à sorore desisceret; pluris semper pietatem germanitatis, quàm quaslibet promissiones fecisse. Nam & relictis rebus & castellis suis, quibus commodè frui posset, circa germanam sedulò apud Oxeneford, mansitabat.

Sequitur in eodem authore Synodus, quam Apostolicæ Sedis Legatus, apud Westmonasterium Londini tenuit: qui & palinodiam canere, & pro Rege contra Imperatricem orare videtur. XIX.

Idem suprà f. 191.

[Interea Legatus (ita narrat Malmesberiensis) immodici animi Pontifex; qui quod semel proposuisset, non ineffectum relinquere vellet: Concilium pro jure Legationis suæ apud Westmonasterium in die Octavarum S. Andreæ coegit. Ejus Concilii actionem non ita exacta fide pronuntio, ut superioris, quia non interfui. Auditum est lectas in eo literas Domini Apostolici, quibus modestè Legatum argueret, quòd liberare fratrem suum dissimulasset. Delicti tamen superioris commonefacere, & magnopere cohortari; ut quocumque modo, vel Ecclesiastico, vel seculari posset, ad germani liberationem accingeretur. Regem ipsum in Concilium introisse, & apud sanctum conventum querimoniam deposuisse: quod homines sui, & eum cœperint, & *afflictionem contumeliarum paulò minùs extinxerint, qui justitiam eis nunquam negasset. Ipsum Legatum, magnis eloquentiæ viribus, factorum suorum invidiam tentasse alleviare. Quod scilicet Imperatricem, non voluntate, sed necessitate recepisset: quippe cum recenti fratris sui clade (omnibus Comitibus vel fugatis, vel eventum rei suspensâ mente præstolantibus) ipsa cum suis muros Wintoniæ circumsonasset. Ipsam quæcumque pepigerat ad Ecclesiarum jus pertinentia, obstinatè fregisse. Quin etiam certis authoribus ad se delatum, eam, & suos, non solùm dignitati suæ; sed & vitæ, insidias struxisse. Cæterùm Deum pro suâ clementiâ, secùs quàm ipsa sperasset, vertisse negotia: ut ipse perniciem vitaret, & fratrem suum vinculis eximeret. Itaque jubere se de parte Dei, & Apostolici, ut Regem voluntate populi, & assensu Sedis Apostolicæ inunctum, quantum possent viribus enixè juvarent: turbatores verò pacis, qui Comitissæ Andegavensi faverent ad excommunicationem vocandos, præter eam quæ Andegavorum Domina esset.

**afflictione*

LEGATUS OBSTINATUS CONTRA IMPERATRICEM FACTORUM SUORUM INVIDIAM ALLEVIAT.

Hæc verba ejus, non dico quòd omnes Clerici gratis animis exceperint: certè nullus expugnavit: omnes vel metu, vel reverentiâ frenarunt ora. Unus fuit Laicus Imperatricis nuntius; qui palam Legato interdixit, ne per fidem quam ei pactus fuerat, quicquam in eo Concilio statueret, quod ejus honori adversum foret. Fidem ab eo hanc factam Imperatrici, nè fratrem suum ullo auxilio juvaret: nisi fortè viginti ei milites, nec plures mitteret. Quod in Angliam ipsa venisset, frequentibus Epistolis ejus factum: quod Regem cepisset, quod in captione tenuisset: ipso potissimùm connivente actum. Dixit nuntius hæc, & alia pleraque magna verborum austeritate; nihil omnino Legato blanditus. Nec verò ullo verborum pondere, ille moveri potuit, ut iram proderet, semel incepti, ut priùs dixi, non segnis executor. Fuit ergo XX.

hic annus (cujus tragœdias compendio digessi) fatalis, & penè perniciosus Angliæ: in quo, cum aliquo modo sibi ad libertatem respirandam putasset: rursum in ærumnam recidit. & nisi Dei misericordia maturè occurrat diu hærebit.] Hactenus de rebus hoc anno gestis author.

XX. GALFRIDUS DUNELMEN. MORITUR. *Hoved. hic.* GUILIELMUS A S. BARBARA SUCCEDIT, INCERTŨ QUO ANNO CONSECRATUS.

Sub hæc tempora Galfridus moritur, Dunelmensis Episcopus. Godwinus in Catalogo annum superiorem consignat. Hovedenus autem ad hunc annum ita scribit. [Hoc eodem anno obiit Gaufridus Dunelmensis Episcopus: cui successit in Episcopatu Willielmus de Sanctâ Barbarâ Eboracensis Ecclesiæ Decanus, quem Henricus Episcopus Wintoniensis, Romanæ Ecclesiæ Legatus, consecravit.] Verùm de tempore Sedis Dunelmensium Episcoporum video controversum esse; nec solùm de anno ingressus & egressus: sed quis cui etiam successerit, & quicquid dixit, Guilielmus à S. Barbara, consecrari hoc anno non debet. quia Godwinus id refert ad annum millesimum centesimum quadragesimum tertium: Et tabulæ Manuscriptæ Dunelmensium Episcoporum ad annum millesimum centesimum quadragesimum septimum. ut refert, Picardus in notis ad Bernardi Epistolam ducentesimam trigesimam quartam: ubi Guilielmus ille Eboracensis Ecclesiæ Decanus appellatur: quia Epistola illa ad Cœlestinum Papam dictata est, qui anno millesimo centesimo quadragesimo tertio Romanam Sedem primùm ascendit, inde Picardus arguit, Guilielmum posteriùs consecratum esse. Sed non concludit: quia Sanctus Abbas, cum de Eboracensi Sede Guilielmus alter, & Henricus Murdac, inter se contenderent, quod dudum fieri cœptum ostendi: *Tandem* (inquit) *omnis controversia, ad testimonium viri illustris Wilhelmi ipsius Ecclesiæ TUNC Decani, conquiescere jussa est.* Tunc potuit Guilielmus Decanus esse, nimirum cùm illi disputare cœperunt: & ante annum quadragesimum septimum hujus sæculi, in Dunelmensem Sedem intrare. Porrò sunt qui à morte Galfridi volunt, Guilielmum Cuminum, origine Scotum, sed à Galfrido Episcopo educatum, Dunelmensem Infulam præsumpsisse: & multorum factione per triennium tenuisse: tandemque inde pulsum, meliori, nimirum Guilielmo à sancta Barbara, locum, honorem Sedemque cessisse. Hinc factum, ut Dunelmensis Ecclesia aliquot annos vidua luxerit. Ad hunc annum ponitur fundatio monasterii de Coggeshall in agro Essexiensi, quod Stephanus Rex Cisterciensibus monachis dedit. Moritur etiam Simon Wigorniensis Episcopus, & successorem habet Aluredum, quem Malmesburiensis Alfredum vocat. l. 4. de Pontif.

Bernard. Epist. 234.

SIMON WIGORNIEN. EPS MORITUR. SUCCEDIT ALUREDUS.

ANNUS CHRISTI 1142.

INNOCENTII II. PAPÆ 13.

STEPHANI REGIS 7.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus quadragesimus secundus: qui liberos Principes principio vidit, sed cives à turbis & motibus nunquam. Enimvero in utraque Rep. inquieta fuerunt omnia: nec Ecclesiæ, aut Episcopi immunes. nam civili Rep. turbata, inermis altera, & sacrosanctæ injuriæ magis patet. Pendebat adhuc inter Ecclesiasticos, de Eboracensi Sede, controversia: & quantumvis Rex & Apostolicæ Sedis Legatus, pro Guilielmo starent; potior tamen Bernardi sanctitas, & in Romana Curia authoritas ita prævaluerat, ut Innocentius suffragium illi negaverit. Hoc in dum in Septentrione fuit. Ad Austrum, Londinensis Episcopus, quem superiori anno, Robertum diximus, à factiosis patitur: vel quia Imperatricis assensu electus; vel potiùs: quia militari licentiâ, pessimus quisque in Ecclesiam impunè grassatur. Itaque *anno gratiæ millesimo centesimo quadragesimo secundo, captus est Robertus Londoniensis Episcopus apud Fullentiam à Galfrido de Mandevilla, nono Kalendas Iulii.* inquit Matthæus Westmonasteriensis. Galfridus iste Ecclesiarum prædator audit, & Londinensem Ecclesiam, à morte Gilberti, videtur invasisse, prædia distraxisse, quo turrim Londinensem sibi suisque muniret. nam in Stephanum æquè ac Ecclesiam impius & injurius fuit. Ad Fullenham, id est, volucrum domus, nunc vulgo Fulham jacent Londinensis Episcopi ædes suburbanæ. Ibi captus hoc anno Episcopus, & ædes ejus prædator invasit. Denique Cantuariensis Episcopus, vel Jeremiæ Prioris; vel Silvestri, designati Abbatis, quem noluit consecrare, injurius vexatus, cogitur Romam appellare: & ibi pro dubiorum solutione, controversiæ cardinem vertere. Sed quia turbarum in Anglia plena erant omnia, & terra marique miles grassabatur: tantum iter aggredi intutum ratus petiit, Bernardo sancto interprete, à profectione excusari. Unde Bernardus ad Innocentium Papam, in hunc modum scripsit: pro Cantuariensi simul & Londinensi Episcopis intercessor.

Westm. hic.

CAPTUS EST ROBERTUS LON. EPISCOP. A GALFRIDO DE MANDEVILLE.

Ad Dominum Papam INNOCENTIUM.

II. *S Bernard. Epist. 211.* PRO CANTUARIEN. ET LONDINENSI EPISC.

DOminus Cantuariensis vir bonus, & testimonium habens à bonis, injustè in causam trahitur, & ab agendo violenter retrahitur. Parabat iter: nam in vestrâ præsentiâ fuerat terminanda: & ecce intercipitur à turbine & tempestate bellorum. Sit excusatus apud vos, cui molesta est excusandi necessitas. Tum quia præsumit de justitiâ: tum quia desiderio desiderabat videre faciem vestram. Addit & hoc puer vester: ut si qua alia petitio est Venerabilis Sacerdotis, tantò citiùs admittatur, quantò dignior est qui petit. Audeo adhuc, & quia semel cœpi loqui ad Dominum meum. Ille antiquus amicus, fidelis servus, devotus filius (Robertum loquor Londonensem Episcopum) clamat ad vos, quòd occupator ille, qui eum prævenit in Sedem; quam Deo authore ipse sortitus est, ipsius Ecclesiæ vadia terrasque distraxerit: & distractas restituere nolit. Quod quam sit injuriosum, & qualiter corrigendum, non est meæ humilitatis, tantæ sapientiæ prædictare. Ita Bernardus. Occupatorem opinor vocans Galfridum, qui Ecclesiæ bona invaserat Sede vacante. nec nisi à Stephano Rege pressus & oppressus restituit, sub finem hujus anni. nam de illo ita ad hunc annum Huntindonius: [Cepit Rex Gaufridum de magna villa, in curiâ suâ apud Sanctum Albanum, magis secundùm retributionem Consulis, quàm secundùm jus gentium: magis ex necessitate, quàm ex honestate. Nisi enim hoc egisset, perfidia Consulis regno

Huntind. hic.

privatus

Spoliator Ecclesiæ Ramesiensis.

privatus fuisset. Igitur ut Rex eum liberaret, reddidit ei turrim Londoniæ, & castellum de Waldene, & illud de Plaisseiz. Possessionibus igitur carens Consul prædictus invasit Abbatiam Ramesiensem, & monachis expulsis, raptores immisit: & Ecclesiam Dei speluncam fecit latronum. Erat autem summæ probitatis, sed summæ in Deum obstinationis: magnæ in mundanis diligentiæ, magnæ in Deum negligentiæ.] Hic Author probitatem, antiqua & vernacula dialecto, non virtutem aut honestatem, sed vires, & robur intelligit. quod Parisiensis paulò rectiùs ad hunc annum ita reddidit. *Erat vir magnæ strenuitatis.*

Paris hoc.

III. Hæc dicta sunto de turbato Ecclesiæ statu. nunc Remp. alteram inviso, quam Malmesberiensis ita aperit. [Ea, (inquit) quæ præsenti anno dicenda sunt, hoc habebunt principium. Utræque partes Imperatricis & Regis se cum quietis modestiâ egerunt à Natale usque ad Quadragesimam: magis sua custodire, quàm aliena incursare studentes. Rex in superiores Regiones abcessit, nescio quæ compositurus. Superveniens Quadragesima omnibus vacationem bellorum indixit. Qua mediante, Imperatrix cum suis ad Divisas venit. illic arcanum consilii sui habitum. Quod tamen eatenus exiit in vulgus, ut sciretur omnibus Authoribus complacitum: quatenus pro Comite Andegavensi mitteretur, qui cuojugis & filiorum hereditatem in Angliâ jure defensitare deberet. Missi sunt ergo spectabiles viri, & qui merito tantæ rei causam exequerentur. Non multo post in ipsis penè Paschalibus feriis, Regem, quædam ut aiunt, dura meditantem, gravis incommodum morbi, apud Northamptunam detinuit. adeo ut in tota propemodum Anglia, sicut moriturus conclamaretur. Duravit improspera valetudo usque ad Pentecosten. Tunc enim sensim refusus salutis vigor, eum in pedes erexit. Interim nuntii ex Andegavis redeuntes, iterato apud Divisas in ipsis octavis Pentecostes, coacto Concilio Imperatrici & Principibus audita reportant. Comitem Andegavensem Legationibus Procerum, nonnulla ex parte favere; cæterùm solum ex omnibus Comitem Glocestrensem recognoscere, ejusque prudentiam & fidem, magnanimitatem & industriam probatam jam olim habuisse. Is si ad se transito mari adveniat, voluntati ejus se pro posse non defuturum: alioquin cæteros in eundo, & redeúndo frustra laborem consumpturos. Ita omnium audientium spebus erectis, ad Comitem preces versæ: ut hunc laborem, pro sororis & nepotum hereditate dignaretur. Dissimulavit ille primò, difficilem rem prætendens; suspectum per confertissimos hostes iter, citra & ultra mare: periculosum sorori quàm in absentiâ ejus alii ægrè tuerentur, qui eam in captione sua penè reliquerant, rebus suis ipsi diffisi. Favens tandem omnium unanimi voluntati, obsides poposcit sigillatim ab his, qui Optimates videbantur, secum in Normanniam ducendos, vadesque futuros, tam Comiti Andegavensi, quàm etiam Imperatrici. Quod omnes junctis umbonibus ab eâ, dum ipse abesset, injurias propulsarent viribus apud Oxeneford manentes. Acclamatum est sententiæ, datique obsides Normanniam ducendi.

Malmesb. in hist. Nov. l. 2. f. 193.

Stephanus ægrotat, & convalescit.

IV. Robertus ergo valefaciens sorori, ductis secum obsidibus, cum expeditis militibus per tuta hospitia, ad Warham profectus est: quem vicum cum castello jamdudum commiserat filio suo primogenito Willielmo. Ibi aliquanto post festum sancti Joannis alto se per Dei gratiam committens; naves quas tunc habebat, solvit. Quæ ferè in medium mare delatæ, omnes præter duas, tempestate coorta, in diversa jactatæ, quædamque retrovectæ, quædam ultra destinatum propulsæ sunt. Duæ solummodo, in quarum una Comes cum fidissimis erat, rectum cursum tenentes, in idoneam stationem appulerunt. Veniens itaque Cadomum, Comitem Andegavensem per nuntios accersivit. Venit ille non aspernanter; sed audita legatione, sua impedimenta, & ea multa objecit. Inter quæ, quod rebellione multorum castellorum in Normanniâ detineretur; quo minus in Angliam veniret. Ea res moras redeundi Comiti Glocestrensi ultra placitum innexuit. Nam ut Andegavensem omni occasione nudaret, cum eo decem castella in Normannia expugnavit. Sed propemodum nihil, quantum ad Legationem, hac promovit industria. Andegavensis Comes alias occasiones, prioribus solutis substituit, quibus in Angliam adventum excusaret suum. Magni sanè loco beneficii, filium suum ex Imperatrice primogenitum avunculo concessit, in Angliam deducendum: cujus intuitu Proceres justi heredis partes propugnare animarentur. Henricus vocatur puer, nomen avi referens: utinam felicitatem & potentiam, quandoque relaturus.

Comes Glocestriæ proficiscitur, ut adducat Comitem Andegavensem, qui excusavit se.

Interea Rex in Anglia, Comitis absentiam aucupatus, subitò ad Warham veniens, & vacuum propugnatoribus offendens: succenso & deprædato vico, statim etiam castello potitus est. Nec eo contentus (qui fortunam sibi aspirare videret) tribus diebus ante festum S. Michaelis, inopinato casu, Oxeneford civitatem concremavit: & castellum, in quo cum domesticis militibus Imperatrix erat, obsedit. Ita scilicet obfirmato animo, ut nullius spei, commodi, nullius timore detrimenti, discedendum pronuntiaret; nisi castello reddito, & Imperatrice in ditionem suam redacta. Mox Optimates omnes Imperatricis confusi; quia à Dominâ suâ, præter statum absuerant; conscitis cuneis ad Walingeford convenerunt, eo proposito; ut Regem bello impeterent, si ipse in aperto campo Martem experiri voluisset. sed cum intra civitatem aggredi consilium non fuit: quam ita Comes Glocestriæ fossatis munierat, ut inexpugnabilis præter incendium videretur. His rumoribus in Normanniâ disseminatis, Comes Robertus reditum maturavit. Trecentos itaque milites, & aliquanto plures, quorum tamen numerus ad quadringentos non pervenit. navibus 52. imposuit; his duas quas in redeundo, in pelago expugnavit, adjunxit. Itaque piæ voluntati Deus per suam gratiam egregiè favit: ut nulla è tanto numero navium longius evagaretur; sed omnes, vel pariter junctis lateribus: vel leniter unæ ante alias progressæ, placida sulcarent maria. Nec verò violentia fluctuum navigia impetebat: sed quodam famulatu prosequebatur: sicut aspectus maris solet esse gratissimus, cum placidis allisa lapsibus alludit unda litoribus. In portum ergo Warham delatæ, Comites & omnes socios desideriis suorum felices carinæ restituere. Cogitaverat primò ad Hamtunam appellere:

V. Stephanus capit castellum Warham.

Obsidetur castrum, ubi erat Imperatrix.

Regreditur e Normannia Robertus Comes.

ut dispen-

ut dispendio civium simul & Domini eorum injurias suas ulcisceretur. Sed flexerunt ejus impetum precibus multis Vituli, qui arctissimarum necessitudinum parentes, quod apud Hamtunam habebant, ærumnis cæterorum involvi timerent. Genus hominum nauticorum, quos Vitulos vocant: qui quia fide clientes Comitis sunt; preces eorum non negligendas arbitratus, cœpto destitit: simul & honoratius visum, ut in locum de quo egressus fuerat: quod per violentiam amiserat, vi recuperaturus.

VI. Statim ergo portu, & vico in potestatem subactis, castellum obsedit: quod lectissimorum militum, quos ibi Rex locaverat, munitione sua confirmabat animositatem, ne dicam contumaciam. At enim paulò post, milites machinis Comitis labefactati, & consternati petierunt inducias, ut sicut moris est illorum hominum, efflagitarent à Rege suppetias, die dicta, si fortè venire negaret, castellum reddituri. Id spe Regem ab obsidione sororis abducendi, acceptissimum Comiti fuit: quamvis impatienti desiderio castelli habendi teneretur. Quâ putamus animi confidentiâ, ut nullo ex Anglia fultus adhuc auxilio, cum trecentis, & paulò plùs militibus, Regem intrepidus operiretur, cui mille milites & eò amplius habere ferebatur. Multi enim non tam Imperatricis odio, quàm aviditate prædæ, ad obsidendum convolaverant. Veruntamen cùm relatum esset, quòd obsessis apud Warham à Rege negaretur auxilium: eâ scilicet obstinatione, quâ prædixi, castellum recepit; & eodem impetu, Insulam Potland, quam incastellaverant, subegit. Nec minus & tertium, cujus nomen *Lullewerden, armis perdomuit. Inde omnes Imperatricis fautores, ad Cirecestrem convocavit, jam ingresso Domini adventu. Ibi igitur ad Dominæ suæ succurrendum omnibus viribus conspirati, profectionem ad Oxeneford meditabantur, infensis mentibus, cum Rege, nisi abscederet, prœliaturi. Enimvero jam progressis plausibile nuntium allatum est, egressam Imperatricem ab obsesso castello Oxeneford, & apud Wallingford tuto manere. Illuc ergo divertentes, ejusdem Dominæ consilio; quia & milites, qui, ea exeunte, remanserant, castello reddito indemnes abierant; & sancti dies quiescere, vel parum admonebant, bello abstinendum rati, ad sua quique sunt reversi. Modum sanè liberationis Imperatricis, gratanter apponerem, si pro certò compertum haberem. Est * ergo evidens miraculum. Illud satis constat quod metu advenientis Comitis, obsessoribus plurimis apud Oxeneford, quo quisque poterat dilapsis. Reliqui laxiores custodias, & remissiores excubias fecere: magis, si ad bellum veniretur, saluti suæ soliciti, quàm aliorum exitio infesti. Quâ re ab oppidanis animadversâ: Imperatrix cum solis quatuor militibus, per posterulam egressa, amnem transiit. Mox ut nonnunquam, & ferè semper, necessitas & remedium excogitat, & audaciam subministrat. pede Abbadoniam profecta, hinc ad Wallingford equo subvecta est. Quæ tamen latiùs persequi fert animus, si unquam dante Deo ab his qui interfuere veritatem accepero.

Robert. Comes recuperat castrum Warham, et alia loca.

* al. Sallewerden

Imperatrix egressa castello Oxeneford ad castrum Wallingford et progressa.

* enim

VII. Non dedit Malmesburiensi Deus, aut latiùs ista persequi, aut rei veritatem ad posteros transmittere. nam ultra non superfuit, mortuus, ut creditur, vel hoc anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, ut Pitsius supra affirmat: vel certè sub initium sequentis. Nomen illi Guilielmus, cognomento Somersetus, qui & Malmesberiensis vulgò audit: quia in illo monasterio monachus, Præcentor, & Bibliothecarius fuit. de quo, qui suprà Pitsius: [Vidit in vetustis Codicibus multa antiquitatis monumenta, quæ ad nostræ gentis priscum splendorem pertinebant, à blattis exesa, & penè consumpta: quæ ille piâ quadam commiseratione motus, ab interitu liberavit, è tenebris eruit, in luce posuit. Nec satis officio factum putavit, si solùm veteres, & aliena conservaret; nisi etiam nova & sua adjiceret. Hujus opera dum volvo, & ex iis utilitatem cum voluptate percipio, nec hominis diligentiam pro merito laudare: nec ingentes labores satis mirari possum. nam adeo accuratè nostras historias tractavit, ut vix quisquam in eo genere sit illi conferendus, nemo anteferendus. Ab Anglo-Saxonum in Britanniam ingressu, per series Regum & Pontificum nostrorum deduxit historiam usque ad annum vigesimum octavum Henrici primi Regis.] Ita ille. Sed reverà deduxit ulterius: nimirum ad septimum Stephani Regis; intelligit ergò Author, in libris Regum non ultra à Malmesberiensi perrectum. Cæterùm in Historiâ, quam Novellam vocavit, Henrici primi reliqua, & Stephani septennium integrum absolvit, vir multis nominibus commendandus, & cui Baronius abique historiarum Scriptores debitores sunt. nunc magno licet Duce destituti prosequamur reliqua; dicamusque *modum liberationis Imperatricis*, quem Malmesberiensis nondum se inaudisse fatetur.

Malmesberiensis mortuus.

Pitsius in Malmesb. an. 1142.

Ejus laudes.

VIII. Parisiensis illum ita narrat: [Audiente Rege Stephano Imperatricem esse apud Oxoniam, in castello cum parvo comitatu; collegit exercitum copiosum: & post festum Sancti Michaelis, illuc profectus, dictam Imperatricem, usque ad adventum Domini continuâ obsidione vallavit. In tanto autem termino, cùm vidisset Imperatrix, ab amicis se fuisse neglectam, & omni succursu alienam: exploratores Regis castrum obsidentes, arte fœmineâ deludens; nocte per Thamensem fluvium, glacie constrictum, ac nive dealbatum, albis circumamicta vestibus, cum quibusdam sodalibus, de castello exivit. atque reverberatione nivium, & similitudine vestium, oculos se intuentium fefellit. Abiit ergò nocte illa ad castellum de Waliugford, ad Brienum filium Comitis, ut se salvaret ab hostibus. Et sic castellum Oxoniense Regi redditum est.] Wallingford hoc tempore ab Imperatrice stabat, ibique captivi tenebantur, & eos inter Guihelmus Martellus. Enimverò cùm Stephanus, hoc anno, Roberto absente, Wintoniense castellum firmaret: [Supervenit hostium suorum innumerabilis multitudo (ita narrat Parisiensis) & impetum facientes in eum, coëgerunt illum in fugam. In hac autem fugâ captus est Guilielmus Martel Dapifer Regis Stephani, & apud Wallingford adductus, sub custodiâ Brieni filii Comitis fuit deputatus. Qui antequam exiret de carcere, reddidit Imperatrici Schirburnense castellum pro liberatione suâ.]

Paris an. 1141.

Imperatrix evasit albis induta, ad Walingford.

Paris an. 1140.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1143.

INNOCENTII II. PAPÆ 14.

STEPHANI REGIS 8.

I. QUI sequitur Christi annus millesimus centesimus quadragesimus tertius, Ecclesiæ Anglicanæ, pristina pax & reverentia, quam bellorum licentia turbaverat, restitui cœpit. Henrico Wintoniensi Apostolicæ Sedis Legato, pro clericorum prærogativâ laborante, de quo Baronius ad hunc annum: [Eodem anno Londoniæ in Angliâ celebratur Concilium, pro libertate Ecclesiasticâ, exule jam diu, restituendâ.] de quo Rogerius in Annalibus his verbis: [Anno gratiæ millesimo centesimo quadragesimo tertio, qui erat annus octavus regni Regis Stephani, Rex Stephanus interfuit Concilio Londoniæ in mediâ Quadragesimâ. Quod quia nullus honor, vel clericis, vel Ecclesiæ Dei, à raptoribus deferebatur: & æquè capiebantur: & redimebantur clerici, ut Laici. Tenuit inde Wintoniensis Episcopus, Urbis Romanæ Legatus Concilium apud Londoniam, clericis pro tempore necessarium. In quo sancitum est, ne aliquis, qui clerico violenter manus injecerit, ab alio possit absolvi, quàm ab ipso Papa. & in præsentiâ ipsius. Unde clericis aliquamulum serenitatis tandem illuxit.] Hoc Londioensis Synodi decretum, ab eo non differt; quod nuper in Lateranensi Concilio generali; cui Theobaldum Archiepiscopum, Simonem Wigorniensem, Rogerum Coventrensem, & Robertum Exoniensem interfuisse diximus, anno millesimo centesimo trigesimo nono; latum, probatumque est. nam ibi clericorum indemnitati ita cautum; ut qui Clericum, suadente diabolo, percusserit; sacrilegii reus, ad Romani Pontificis tribunal, & non aliter, absolvendus stáret. Quod licet exinde, æterni juris vim habuerit: jussique fint Episcopi, legem illam provinciis dictare Hactenus tamen, quà bellorum turbine, quà aliorum negotiorum mole, decretum illud Præsules non ursisse videntur.

CONCILIUM LONDINENSE *Parum hoc.*

A. an. 1139. n. 3.

II. Refert Baronius Londinensem hanc Synodum, post mortem Innocentii; & post electionem Successoris ejus: sed ratio est, quia quæ Romanam Ecclesiam spectant. & eundem annum, unà componit: rejicitque in finem anni, quæ extremum Occidentem, & remotiorem Orientem tangunt. Cæterùm cùm dicta Synodus in mediâ Quadragesimâ coacta dicatur: & Innocentius Papa ad octavum Kalendas Octobris superfuerit: constat eo Pontifice Henricum Wintoniensem Episcopum Legatinæ potestatis prærogativa, quæ postea controversa fuit, sine controversiâ Synodo præfuisse: & omnia Lateranensis Concilii decreta, de quibus supra, Anglorum Ecclesiis promulgasse. Innocentio itaque mortuo, post diem unum Guido de Castello, Præsbyter Cardinalis, tituli sancti Marci, Romanam sedem ascendit, dictusque est Cælestinus, eo nomine secundus: qui cœlo quàm Sede dignor, quinque tantum menses, & dies tredecim Romanus Pontifex fuit. Ad eum tamen Bernardus sanctus, pro Anglicanæ Ecclesiæ pace scripsit; quæ factione lacerata, Septentrionem dudum vexavit; utinam saniorem & meliorem, in eâ lite, partem sequutus: nec Baronium traxisset in suam sententiam ut malè de alterutro, in hunc modum scriberet: Ad hunc eundem Cælestinum Papam extant literæ S. Bernardi pro electo Eboracensi, adversum intrusum, hominem nefandissimum; de quo etiam literas dedit ad S. R. E. Cardinales. nam Guilelmum pingit, non intrusum, sed Canonicè electum, virum sanctitate admirabilem: quod quia Baronius infra non diffitebitur: quod hic de intruso, & homine nefandissimô, retractasse dicendus est.

MORTUR INNOCENTIUS PAP. SUCCEDIT CÆLESTINUS II.

Baron. hic

III. Ad Bernardi literas quod attinet, Henrici Murdæ monachi sui,& Abbatis Fontanensis causam agit, Cælestinum rogat,& urget pro Henrico patrocinium: causatur Innocentium, dudum pro eodem tulisse sententiam: quam petit executioni mandari; quoque causam magis promoveat, ab Eboracensi factione seductus,quæ Henrico faverat,Guilielmum oocenrer nimis premit, Epistola ducentema trigesima quinta, quæ sic inscribitur:

Ad Dominum Papam CÆLESTINUM, pro intruso Eboracensi.

IV. *S.Bernard, Epist. 234.*

OPortet vos secundùm justitiam qua in lege est, suscitare semen fratris vestri defuncti. Quod dignè implebitur, si Papa Innocentii; cui in hereditate Domini successistis, & defenditis benè gesta, & minùs adimpleta perficitis. Præ manibus est, in quo elucat experiri. Causam Eboracensis Ecclesiæ per eum fuisse decisam quis nesciat? At quomodo executioni mandatum sit, quod egressum est de labiis tanti viri, utinam nesciretur. Quis det, ut non annuntietur in Geth, neque in compitis Ascolonis. Sed ut verbum abbreviatum faciam auribus occupatis, audiat paucu Dominus meus. quid dictum fuerit, & quid factum teneamus. Cùm in multis accusaretur is, qui sibi vendicare electionem in præfatâ Ecclesiâ, impiè cupiebat. tandem omnis controversia ad testimonium viri illustris Willelmi, ipsius Ecclesiæ tunc Decani, conquiescere jussa est: ut nisi Capitulum intrusionis; quod hoic inter cætera impingebatur; ille propria manus juramento amoveret, sui omnimo conatibus, tanta frustraretur ambitio. Hoc autem non ex judicio, sed ex misericordiâ. Hoc enim rogaverat ipse. Mitissima planè sententia: quippe, cum de plurimis & pessimis pulsaretur, una nullatenus propulsare valebat. Sed utinam vel ipsa stet. Quid enim si non sufficit juri, dummodo sufficiat Ecclesiæ liberationi. non causamur sententiæ remissionem, qua nil nocuit. Neque enim proficit adversario, etsi largiat indulgentia: qui ne ipsum quod ultrò spoponderat, implere prævaluit. nam de quo præsumere visus est, defecit ei, ne sibi ipsi deficeret pejerans. Quando enim vir bonus attestaretur, homini, quem rumor publica opinionis, & operum veritas detestaretur? Quid ergò? Ille non juravit: & iste Episcopus est. O rem ignorantia omnium dignam, & perpetuo, si fieri posset, silentio comprimendam. Verùm id serò. Heu, notus est orbi triumphus diaboli. Ubique personat plausus incircumcisorum, & planctus bonorum, pro eo, quod videatur, sapientiam vicisse malitia. Monstratur digito matris Ecclesiæ turpitudo. Patris Innocentii verenda irridentur, denudata à servo nequam, quoniam putat, sed vivit in vobis. Si is exitus imminebat: cur è longinquo Romam est pertracta causa spurcissima, umbrâ magis & angulo digna. Cur tanta mari terrâque à multis assumpta fatigatio? Cur à finibus terra

evocati viri religiosi, qui eum accusarent, & pauperum Christi marsupia, longi itineris expensis exhausta sunt?

V. *Non poterat Episcopari turpis infamisq; persona (quod invitus, dolensq; loquor) nisi qua in illo horrebat Anglia, & Francia abominabatur, etiam Roma cognosceret? Quàm melius in Romanâ Curiâ, causa ejus minimè ventilata fuisset: & non tangeret vel saltem limina generalis atque horribilis fœtor. Quàm tolerabilius ignorasset Apostolica Sedes tam intolerabile malum, quàm tolerat manifestum? Quid istud temeritatis fuit? Publicè infamatus, ante judicem accusatus, nec purgatus, imò & convictus: & sic consecratus est. Viderit, qui huic manum post ista imposuit: an magis execratus dicere debuerim. Non enim negabit sic se ista habere: non negabit sic se ex literis Apostolicis, ad se pro hoc ipso directis, eadem comperisse. Dicat fortè aliquis, quia non est datum judicium, non fuisse convictum: Ego dico, & confessum. Nam qui ut judicium evaderet, ultrò elegit, ad testimonium Willielmi Decani confugere: illo sibi deficiente: quid nisi suo judicio à causâ decidit, ore proprio condemnatus? Quæ cùm ita sint, vide Domine Pater, ne declinet cor vestrum, in opem malitia: quoniam secundùm Prophetam: declinantes in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Alioquin quod consilium datis miseris Abbatibus illis, quos ad accusandum eum vocatio Apostolica Romam traxit: sed & aliis quamplurimis ex illo Episcopatu viris religiosis: sint ne obedituri huic, & Sacramenta accepturi ab homine bis intruso? Primò quidem per Regem; deinde per Legatum, quippe qui illum in sanctuarium Dei contra jus, & fas; contra mandatum Summi Pontificis, in injuriam summæ Sedis, & totius Romanæ Curiæ: cum non potuit per ostium; fodit argenteo, ut aiunt, sarculo, unde impudenter intrusit. Ante, nisi fallor, suis Sedibus exulabunt, quàm dato acquiescent manus idolo huic, nisi vestra violenta authoritas obviarit. Cæterùm quam sanctiori, vestroq; Apostolatu digniori zelo, gladium Phinees in confusionem duorum tam turpiter fornicantium stringeretis; quàm tot Sanctos, aut de suis locis fugere permittitis, aut contra conscientias suas cogitis remanere.* Hæc omnia Sanctus Bernardus.

VI. S. BERNARDUS NON VIDETUR OMNIA VIDISSE.

Sed verè dictum aliquando, & nunquam veriùs: Bernardus non vidit omnia. multa quidem ille vidit in Henrico Magistratu, & Pontificio dignissima, quæ calamum acuerunt, ut pro illo oraret: Sed nihil, nihil omnino in altero vidit acriori castigatione dignum: quia nec hominem, opinor, unquam vidit: alioquin Sanctus de Sancto loqueretur benè. Audivit ergò multa, quæ de Guilelmo electo, & consecrato Eboracensi Episcopo, perperam jactabantur mala. Sed nec audivit omnia, nec ullam elogiorum partem, quæ de Guilielmo domi sciebantur; quæque Stephano Regi, Wintoniensi Episcopo, simul & Apostolicæ Sedis Legato, & Eboracensi Capitulo, quàm Bernardo erant notiora. Audivit ergò, non vidit, Sanctus Abbas crimina, nescio quæ (nam nulla disertè affirmantur) quæ *rumorem publicæ opinionis* vocat. Et quis nescit, non à rumoribus, sed constanti famâ standum: nec præcipiti judicio è fumo illo ferendam esse sententiam. Unde Innocentius Papa, quantumvis electus in multis, Romæ accusaretur: probè tamen vidit, procul positos in præcipiti sententiâ falli posse, & tenebras lucem, lucem tenebras appellare. Cautè igitur prudenterque Eboracensis Ecclesiæ Decano, qui electioni præsens & factorum erat oculatus testis, examen judiciúmque committit. Quod si ille modestè declinavit, nolens contentionis campum ingredi: cur illius Guilielmi modestia, alterius Guilielmi sanctitati præjudicat? Noluit Guilielmus Decanus, ad juramentum cogi: & electus alter inde condemnatur. Quis nescit juramento, plures aliquando apices, apponi: quos scrupulosa, & religiosa conscientia nequit digerere: nec inde formari posse argumentum, omnia quæ objectabantur crimina, subsistere. In eo tamen cardine Bernardi querela potissimùm versatur. Quod & sequenti Epistolâ demonstratur. nec enim unis contentus literis, in causa Henrici sui, contra Guilielmum, omnem Romanæ Curiæ Senatum movet.

DOMINIS ET PATRIBUS
Rev.dis Episcopis, Cardinalibus Curiæ,
Frater Bernardus Clare-vallensis
vocatus Abbas, Salutem & nostras qualescumque orationes.

VII. *Bernard. Epist. 215.* IN CAUSA MURDAC CONTRA GUILIELMUM.

OMnibus scribendum fuit, de eo, quod spectat ad omnes. Nec vereor, ne fortè præsumptionis arguar. Quippè, qui licet omnium minimum; tamen Romanæ Curiæ injuriam, à me non judico alienam. Urimur assiduè, dico vobis, urimur graviter nimis; ita ut nos tædeat etiam vivere. In domo Dei videmus horrenda. Et quia corrigere non possumus; saltem suggerimus his ad quos spectat. Si quidem emendaverint, benè: Sin autem, nos animas nostras liberavimus: vos excusationem non habetis de peccato. Non ignoratis prolatam esse sententiam in Domino Papa, bonæ memoriæ Innocentio, cum vestro, & Romanæ Curiæ generali assensu: irritam esse Wilhelmi Eboracensis electionem, imo intrusionem: nisi Wilhelmus alter, tunc Decanus, quod objectum ei fuerat, propria manus juramento repelleret. Nec vos latuit, quam plena esset sententia; non judicii, sed misericordiæ: nimirum cum hoc Wilhelmus ipse quæsisset. Sed utinam vel ipsa stet: & quod adversus eam factum est stare non possit. Quid enim? Non juravit ille, & iste in cathedrâ pestilentiæ sedet. Quis tribuat ut adversus fornicationem hanc, Phinees cum pugione procedat: aut vivat in sede suâ Petrus, qui spiritu labiorum suorum interficiat impios? Multi clamant ad nos in toto corde suo, ut sacrilegium hoc dignâ animadversione vindicare studeatis. Alioquin dico vobis: scandalum magnum nimis erit in Ecclesiâ Dei: & timeo, nè Romanæ Sedis authoritas, gravem admodum jacturam, & detrimentum grande suscipiat; nisi in eum, qui pervertit generalem ejus sententiam vindicta processerit; & taliter, & cæteri metum habeant. Quid enim de eo dicam, quod occultas & verè tenebrosas literas habuisse se gloriatur Wilhelmus ille; utinam à Principibus tenebrarum, non à Principibus Apostolorum. Et ecce audierunt filii incircumcisorum, subsannant Romanam Curiam: à quâ post datam manifestam sententiam, furtim datas aiunt contrarias literas.

Quid dicam vobis? Si non vos urit scandalum grave, quo scandalizantur non pusilli, sed magni & perfecti viri. Si non compatimini pauperibus Abbatibus, quos à finibus terræ vocatio Apostolica Romam traxit: Si non miseremini magnis & religiosis monasteriis, quibus omnino sub incubatore isto destructio imminet: Si (quod primum dicere debui) zelus domus Dei non VIII.

comedit

comedit vos: nunquid usque adeo inimici hominis versutia prævalebit: ut proprium quoque contemptum, & infamiam hanc pessimam Ecclesiæ Principes æquanimiter ferant? Quid enim si sacrilegam homo ille consecrationem accepit? profectò longè gloriosiùs erit, jam elevatum dejicere Simonem, quam prohibere conantem. Alioquin quid facietis religiosis viris, qui omnino non inveniunt salvâ conscientiâ, vel ipsa communia Sacramenta de leprosâ manu suscipere? Ante, ni fallor, eligent fugere, quam dare manus morti: & exulare prius quam vesci idolothytis. Quod si contra conscientias suas, coegerit eos Romana Curia, curvare genua ante Baal: videat Deus & judicet: videlicet Curia illa cœlestis: in qua nulla poterit ambitione subverti judicium. In fine omnium obsecrat vos puer vester, per viscera misericordiæ Dei nostri: Si quis in vobis est zelus Dei: Misereamini Ecclesiæ sanctæ saltem vos amici ejus, & quantum potestis date operam, ne tam detestabili facto detur assensus.

IX. GUILIELMUS NON FUIT IS, QUEM S. BERNARDUS DEPINXIT. Siste, quæso, Bernarde sancte, non sanctum impetum: quia dum hostem persequeris, amicum feris, civem, & domesticum fidei. Guilielmus iste Eboracensis electus, & consecratus Antistes, non est is, quem tibi depinxit inimica factio: nec Romanæ Curiæ scandalum, aut injurium erit, illum Infulâ donare: quem dudum Anglia sanctum coluit. Porrò licèt ad tempus, inimicâ relatione vapulet, & prematur: aurum in fornace probatum, non scoriâ, exibit purius. Zelum Dei habes, fateor, & pro Romanæ Fidei puritate, pro morum honestate, in vitiis doctè pugnasti: In Guilielmo, eorum nihil, quæ hostes tibi suggerunt, reperies. Interim velis nolis, ille Sedem sine pallio retinet: Sedem inquam Eboracensis Ecclesiæ, non cathedram pestilentiæ, quæ objicitur. & corrigi debent Godwinus in Catalogo, & alii, qui Henricum Murdac hoc anno scribunt Eboracensem Episcopum: quod è dictis Bernardi Epistolis clarè refellitur, ægrè ferentis, ut audisti, Guilielmum ibi sedere. Sedebitque usque ad Eugenii Pontificis tempora: qui demum Bernardi literis, & querimoniis fatigatus, cui olim monachus obediverat: Henrico cathedram, exauthorato altero, porriget. de quo infrà. Ex hac Romanorum Pontificum morâ, satis colligitur, Guilielmum non adeo perditis moribus fuisse, ut Bernardo sancto persuaserunt alii: quod multò clariùs cernetur, cum Henrico mortuo: ille ingenti populorum applausu, quem Deus miraculo consummabit, Eboracensem sedem, postliminii jure, repetet.

Ad 1140. n. 14.

X. CONTROVERSIA INTER THEOBALDUM CANTUARIENSEM ET HENRICUM WINTON. Fuit & alia non minoris momenti controversia inter Henricum Wintoniensem Episcopum, Apostolica Legatione fungentem, & Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum: cujus in Sede prædecessores eâ olim prærogativâ fruebantur. Hic ergo Henricus, cum Theobaldo contendit, uter eorum videretur esse major. Pridem lis illa gliscebat, sed hoc primum anno in omnium lucem erupit: cum uterque ad supremum orbis subsellium appellavit. de quo Rogerius: [Ipso anno (millesimo centesimo quadragesimo tertio) ante Natale Wintoniensis Episcopus: & postea Cantuariensis Archiepiscopus Romam petierunt; de Legatione acturi: mortuo jam Innocentio Papa, cui successit Cælestinus.] Quid inde factum nemo quod sciam, prodidit. Hoc solùm constat, de potestatis prærogativâ, & tribunalis eminentiâ

Hoved. hic.

disputatum esse. Parkerus Cantuariensis ultimæ editionis primus Episcopus ita controversiæ caput explicat: [Henricus Wintoniensis Episcopus Regis frater & Papæ Legatus: vir robustus & strenuus, suam potentiam supra Archiepiscopalem dignitatem efferens, omnes causas ad suum tribunal traxit. Quamdiu enim tam elati, & insuperabilis animi vir, Papali legatione fungebatur, infinitæ ac inusitatæ appellationes undique ad eum adferebantur. Graves idcirco inter Theobaldum, & Henricum Wintoniensem inimicitiæ gerebantur. Nam Cantuariensis in Wintoniensem, ordinariam, & Wintoniensis in illum legati potestatem exercuit. Quibus duabus potestatibus invicem collidentibus, & fractâ Ecclesiæ pace, ad Romanum pacificatorem convolarunt.] Quod addit author, in odium Romanæ Sedis, ut cætera omnia: [unum causâ potiorem; sed neutrum inexhausto sacculo reversum:] inimicum prodit impetum, aliud nihil. nam uter potior, non determinat. suspicio est, Legatum potiorem fuisse, quod Neo-Cantuariensis ægrè ferens, silentio dissimulat.

Antiq. Brit. in Guilielmo fol. 128.

XI. DEPRÆDATORES ECCLESIARUM DEUS CASTIGAT. Deus hoc anno, superiorum annorum sacrilegia castigavit: eum Ecclesiarum deprædatores, insigni clade, utinam non æternâ, puniens, cæteros mortales docuit; quotquot miraculis doceri volunt, à templorum injuriis abstinere. Coventrensem Ecclesiam occuparat Robertus nescio quis: & pulsis inde monachis, militi prædam fecerat. Gaufridus etiam de Mandevill, simili impietate Ramsciense cœnobium vexaverat: & in castellum deformatâ Ecclesiâ, fugaverat eos, qui Deum laudabant in tympano & choro: Ejus filius, & in scelere successor, in pœnam etiam hoc anno successit, aquâ & igni à Stephano Rege interdictus: Denique Reynerium, qui in loca sacra, ferro flammâque sævierat, nec terra sustinere, nec mare voluit: Sed oceani fluctibus mirabiliter haustus, piscibus saltem esca, si non, dæmonibus fuit. merentur hæc scelera in tenebris & silentio sepeliri: sed ideo Deus mirabiliter quandoque scelera castigat, ut qui virtutis amore, & morum honestate nolunt sapere, pœnarum & suppliciorum metu terreantur. Quòd si facere dissimulat, aut confestim peccantes non ferit: non est putandum quòd dormiat aut dormitet, qui custodit Israel: Sed continet in irâ misericordias suas, ut fortiùs, & diuturniùs pœnam infligat. Ita qui hoc sæculo decimo septimo, Ecclesias expilantes, non per partes, aut momenta temporum; sed uno veluti haustu, invaserunt bona omnia, patienter adhuc Deus sustinet: sed verendum nè æternum puniat: nam colligit iras, quæ interim severiorem suppliciorum molem pariet. Cæterùm supplicia, quæ Deus intulit facinorosis, qui sæculo duodecimo dehonestarunt Ecclesias, & brachium justitiæ, quod in eos exercuit, Matthæus Parisiensis ita exponit.

XII. Paris hic. [Eodem anno (paulò ante consignaverat millesimum centesimum quadragesimum tertium) Robertus Marmiun *, vir bellicosus, qui monachos Coventrenses, à suo monasterio expulerat: & de Ecclesiâ illâ castellum fecerat: dum contra hostes decertaret, inter prædones suos, ante ipsum monasterium, solus peremptus est; & excommunicatus morte depascitur sempiternâ. Eodem verò tempore, Gaufridus de Mandevilla, qui idem scelus patraverat in monasterio Rame-

* Marmiun, Huntind. & Hoveden

siensi, ante ipsam Ecclesiam, inter confertas suorum aciea, à pedite quodam vilissimo, solus sagittâ percussus, occubuit interfectus. Ecclesia autem illa, dum pro castello teneretur, sanguinem ubertim emisit à suis parictibos: indignationem divinam manifeltè declarans. Arnulphus etiam ejusdem Comitis filius, qui post mortem Patris Ecclesiam illam pro castello tenebat, à Rege captus est, & proscriptus, Princeps quoque militiæ ejus, ab equo corruens, fuso cerebro expiravit. Magister peditum Reynerus, qui monasteria incendere solebat, & frangere: cùm proscriptus mare transiret, navis inter undas immobilis permanebat. Qui tertiò sorte datâ, & sibi sortitâ, missus est in scapham cum uxore, & liberis, & tota pecunia sua. Sed navicula statim fluctibus submersa est; & miseri perierunt. Magna verò navis mari pacato, æquora sine impedimento sulcavit.] Et nunc intelligant, erudiantur qui spoliant Ecclesias. Punitur, qui Ecclesiam unam, qui unius monasterii bona deprædatur: & impunes erunt, qui deprædantur vana? Quicquid Parisiensis ad hunc annum narrat: id omne Huntindonius, & Hovedenus, qui eum præcesserunt, iisdem ferè verbis narrant. Dignum certè quod posterorum memoriæ commendetur: & in eum finem à Baronio quoque Annalibus inseruntur.

ANNUS CHRISTI 1144.

LUCII II. PAPÆ 1.

STEPHANI REGIS 9.

I. CÆLESTINUS PAPA MORITUR

ANNO Christi millesimo centesimo quadragêsimo quarto, moritur Cœlestinus Papa, cùm sextum Sedis mensem non explesset. de quo Vaticanus Codex in vitis Pontificum apud Baronium hæc habet. [Hic fecit ordinationem per mensem Decembrem: in quâ creavit Diaconos septem, Presbyteros per diversa loca, & Episcopos per diversa loca, &c.] Hos inter Presbyteros Cardinales, Godwinus numerat Robertum Pullen, natione Anglum, eruditione magnum, & vitæ integritate, purpura dignum. De quo ita scribit Joannes Pitsius. [Robertus Pullcinus, in Angliâ natus, & ibidem usque ad juventutem educatus. Postea fugiens civiles, qui fuerunt sub Rege Stephano tumultus, studiorum causa Galliam petiit: & Parisiis multo tempore, strenuam literis operam dedit: omnesque scientias tum sacras, tum profanas, & didicit, & ex parte docuit. &c. quibus suis actionibus, planè generosis, magnam famam acquisivit. Quæ usque ad Curiam Romanam, & ipsius Summi Pontificis aures pervasit. Romam igitur vocatus, creatus est Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Cancellarius.] Ita ille, ex Balæo, Bostono, & aliis. Godwinus addit: [Ab Innocentio certè (inquit) secundo accersitus, à Cælestino Successore Cardinalis creatus est, titulo Sancti Eusebii, anno millesimo centesimo quadragesimo quarto: & per Lucium secundum, Cancellarius postea constitutus.] Multa scripsisse dicitur, quæ Pitsius ex aliis recitat. in eo fuit dubio, summè laudandus: quòd è Galliâ domum reversus: [Et contemplatus miseram Academiarum faciem, bellis domesticis deformatam: statim commiseratione motus, Oxoniensem Academiam, jam penè collapsam, denuò erigere, & musis iterum restituere deliberavit:] inquit qui supra Pitsius.

Pitsius in Roberto Pullen.

ROBERTUS PULLEIN CREATUS CARDINALIS.

Godwin. in Cardinalibus Angliæ.

Pitsius sup. ERIGIT OXONIENSEM ACADEMIAM.

II. LUCIUS PAPA SUCCEDIT CÆLESTINO.

Itaque Cælestinum mortuum Lucius excepit, implevitque Romanam Sedem paulò diutiùs, è Canonicorum Regularium ordine, ad Purpuratorum Patrum collegium, & titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem, assumptus. Hic nimirum ille est, qui Roberto nostro Romanæ Cancellariæ procurationem commendavit: ut supra plures insinuant. Aliud, quod sciam, in Anglicanâ Ecclesiâ, nihil præstitit, Pontifex paucorum mensium: qui scilicet duodecimum non explevit.

III. STEPHANUS CAPIT ASTUTE COMITEM ARNULPHŨ.

In alterâ Rep. turbarum aliquid fuit, Stephano Rege pro totius Insulæ imperio, quod Imperatrix delibaverat, certante. Ab illa, opinor, stabat Lincolnia, quam Arnulphus, Cestriæ Comes, milite armisque munierat, sed Regis iram veritus, vel certè cernens se viribus imparem, Regis colloquium expetivit; ratus plura se posse, humili submissione, quàm resistendo impetrare. Sed captus est in astutiâ suâ. [Cepit Arnulphum Rex Stephanus (ita Parisiensis) ad se pacificè venientem, apud Northamptonam: & eum in carcere tenuit: quousque reddidit ei castellum Lincolniense, cum cæteris, quæ suæ erant ditionis. Et sic Rex apud Lincolniam solenniter coronam portavit.] Priùs tamen urbem Rex obsederat satis infeliciter; nam obsidionem cum ignominiâ solvere coactus: ita dolo cepit, quod hostiliter tentaverat. [Anno gratiæ (inquit Hovedenus) millesimo centesimo quadragesimo quarto, qui fuit annus nonus Regni Regis Stephani, Rex Stephanus Lincolniam obsedit. ubi cùm munitionem contra castellum, quod Cestrensis Consul vi obtinebat, construxerat: operatores sui ab hostibus præfocati ferè octoginta. Itaque re imperfectâ Rex confusus abscessit.] Ita plures per Angliam velitationes, dissidium in civibus, turbas in populo; licentiam in milite, aluerunt: Unde potentiores, quo se ab injuriis tuerentur, ad libitum castella, vel de novo construunt; vel olim constructa, instar Principum muniunt: tam à Regis, quàm à Mathildis imperio absoluti. Hunc Insulæ statum ita describit, qui hoc sæculo vixit Guilielmus Neoburgensis.

Paris an. 1145. EXTORQUET AB EO CASTELLUM LINCOLNIÆ.

IV. *Neoburg. l. 1. c. 22.* NOBILITAS ANGLICANA IN CASTRIS SE MUNIT.

[De quodam tempore plebia antiquæ scriptum est. In diebus illis non erat Rex in Israel: Sed unusquisque quòd rectum sibi videbatur, faciebat. At in Angliâ sub Rêge Stephano, pejus fiebat. nam quia tunc impotens erat Rex, & per Regis impotentiam languida lex: quibusdam quod rectum sibi videbatur, agentibus; multi, quod insitâ ratione malum esse sciebant, sublato Regis, & legis metu, procliviùs faciebant. Et primò quidem videbatur regnum Angliæ scissum esse in duo: quibusdam Regi, quibusdam Imperatrici faventibus. Non quòd vel Rex, vel Imperatrix, suæ parti potenter imperaret: sed quòd suorum bellicis quisque studiis pro tempore niteretur. Neuter enim in suos imperiosè agere, & disciplinæ vigorem exercere poterat: Sed uterque suos, nè à se deficerent, nihil negando mulcebat. Sanè inter partes, diu multùmque certatum est, alternante fortunâ. Processu verò

temporis,

temporis, inter eos jam sæpiùs fortunæ infidelitatem expertos, remissiores motus esse cœperunt. Quod tum Angliæ non cessit in bonum. Illis quippe diutinæ concertationis pertæsis, & mollius agentibus: provinciales discordantium Procerum motus efferbuere. Castella quippe per singulas provincias, studio partium, crebra surrexerant: erantque in Angliâ tot Reges, vel potiùs tyranni: quot Domini castellorum, habentes singuli percussuram proprii numismatis, & potestatem subditis, regio more, dicendi juris. Cúmque ita singuli excellere quærerent: ut quidam superiorem, quidam vel parem sustinere non possent: feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corruperunt. Et in fertilissimâ olim patriâ, ferè omne robur panis absumpsere.

ANNUS CHRISTI 1145.

EUGENII III. PAPÆ 1.

STEPHANI REGIS 10.

I. Eugenius ordinis S. Bernardi succedit Lucio mortuo.

Iterum sub exordium anni millesimi centesimi quadragesimi quinti, moritur Romanus Pontifex: & veriti Cardinales factiosorum motus, non è collegio Cardinalium, ut erat moris, sed è monasterio assumptum, Romanum Pontificem creaverunt. Lucio itaque Eugenius sufficitur, qui Bernardus nomine, à S. Bernardo Abbas monasterii S. Anastasii trium fontium, constitutus, Cisterciensis ordinis, summo illo magistratu dignus censebatur. Vix Romanam Sedem calefecerat, cùm illum pro Anglicanâ Ecclesiâ interpellat Bernardus Sanctus, zelo sine dubio non improbando, si par zelo scientia fuisset. Nam primam quam hoc anno ad Eugenium Epistolam dictavit, Anglicanæ Ecclesiæ controversias exponit. Cantuariensem inter & Wintoniensem, & Eboracensem Episcopos: in quâ potissimùm pro Henrico Murdac, in Eboracensem Sedem evehendo, & expellendo inde consecratum à Wintoniensi Guilielmum, de quo supra sæpiùs. Baronius cùm hanc recitat Epistolam, ita præfatur. [Ipse verò Sanctus Bernardus, *Baron. hic.* obi audisset certo nuntio famam de sui Abbatis in Pontificem electione, expectabat se de his ab eo literis reddi certiorem. Sed cum fuga, & alia plura ingruentia tunc negotia, eundem Eugenium occupatum detinerent, rupit ipse silentium, ad eundémque Eugenium has planè aureas literas dedit.

AMANTISSIMO DOMINO, ET PATRI, Dei gratia, summo Pontifici Eugenio, Bernardus Clare-vallensis vocatus Abbas, modicum id quod est.

II. *S. Bernard. Epist. 237.* Pro Murdac contra Guilielmum.

Auditum est in terra nostra, & celebri sermone vulgatum, verbum hoc, quod factum est de vobis à Domino. Presseram stylum hactenus: rem tacitus considerabam. Expectabam enim literas vestras, & præveniri à vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem qui veniret à latere tuo: qui diceret cuncta per ordinem: quid, quomodo, aut qualiter actum esset. Expectabam, si quis fortè de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem Patris qui diceret: Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in totâ terrâ Ægypti, &c. quæ non exscribo, quia longiuscula est Epistola: & prolixum de Eugenii creatione proœmium. Venio ad ea quæ Anglorum Ecclesias proximè spectant: de quibus: *Cæterùm causa* (inquit) *quare ante tempus scripserim vobis hæc est: Wintoniensis Episcopus, & Eboracensis Archiepiscopus, non graduntur uno spiritu, cum Cantuariensi Archiepiscopo: sed incedunt sibi ex adverso. Et hæc vetus est de Legatione querela. Verumtamen quis est ille: & qui sunt isti? Nonne Eboracensis ipse est, qui te præsente, cum adhuc esses quasi unus ex nobis, fratres tui restiterunt in faciem, eò quòd reprehensibilis erat. Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate suâ. Certum est tamen, quod non intravit per ostium in ovile ovium: sed ascendit aliunde. Si pastor fuisset diligendus erat: si mercenarius tolerandus. Nunc autem cavendus, & repellendus, utpote fur & latro. Quid dicam de Domino Wintoniensi? opera quæ ipse facit, testimonium perhibent de eo. Porrò Archiepiscopus Cantuariensis, cui adversantur, vir religiosus est, & suaveolentis opinionis. Pro ipso petimus, ut respondeat ei justitia sua. Verum illorum iniquitas super eos sit, sicut scriptum est: Iustitia justi super eum erit: & impietas impii erit super eum. Cum acceperit tempus, secundum opera manuum illorum, retribuas illis, ut sciant Prophetam esse in Israël.*

III. Quid movit S. Bernardum contra Guilielmum.

Cum quæro, & diu à me quæsitum; quid Abbatem sanctum, in sanctum Episcopum adeo commoverit, ut omnem moverit lapidem, & stylum acriter strinxerit, ad eum exauctorandum, qui & Canonicè electus, & Sede dignus, optimorum virorum, & Apostolicæ Sedis legati suffragiis censebatur. Hoc unum invenio vel objectum crimen, vel potiùs criminis suspicionem: quod Simoniacâ largitione sedem ascenderit, & locum sedi argenteo sacculo foderit. Hinc in Bernardo immediatè sequitur. *S. Bernard. supra.* *Quis mihi det antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum. Quam cupio illius hereditare vocem, cujus adeptus es Sedem: Pecunia, inquit, tua, tecum sit in perditionem. O vox tonitrui, ò vox magnificentiæ, & virtutis: ad cujus terrorem confundantur, & convertantur omnes qui oderunt Sion. Hoc vehementer expectat, & omninò expetit à te mater tua. Hoc filii matris tuæ, pusilli cum majoribus desiderant. Hoc suspirant, ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater cælestis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes, & regna, ut evellas & destruas, & ædifices, & plantes. Multi audito hoc verbo dixerunt apud se. Iam securis ad radicem arborum posita est. Multi dicunt in corde suo: Flores apparuerunt in terrâ nostrâ: Tempus putationis advenit, in quo sarmenta sterilia rescindentur: ut ea quæ prævalent, uberius fructum afferant. Confortare ergo, & esto robustus: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Vendica tibi animi constantia, & vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos Omnipotens Pater; quam & tulit de manu Amorrhæi, in gladio & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis, memento te esse hominem: Et timor ejus, qui aufert Spiritum principum, semper sit ante oculos tuos,* &c.

IV. Excusatur Guilielmus. Hæc ideo à Bernardo dicuntur, ut Guilielmus Eboracensi insula spoliatus Henrico illam concederet. Et reverà, si talis fuisset Guilielmus, qualem ioimici finxerunt: si simoniacè ad Sedem ascendisset: tot crimin.bus onustus quot illi factiosi imposuerunt: Ego magnas Bernardo, & fratribus ejus gratias egissem, quòd ioeptum & facinorosum huminem exuere insulâ, & digniorem induere conarentur. Sed cum horum nihil, oculati in Angliâ homines viderint: cum Apostolicæ Sedis Legatus, ad omnia præsens, electionem probaverit: electo manus imposuerit: & quinquennio, contra adversariorum impetus consecratum defenderit. Denique cum Deus, non uno miraculo, sanctum dixerit: non possum in omnibus Bernardo astipulari: mirer potiùs, quis eum adeo in Guilielmum accenderit, ut non solùm primam Engenio scriptam Epistolam, quam suprà ferè exscripsi: sed secundam, & tertiam, eodem argumento illi extorserit, ubi Guilielmum persequenti, humanum certè aliquid intercessisse, vel in accusatore, vel testibus vereor judicabit, quisquis controversiæ finem, & Deum denique judicem inspexerit. Eugenius in Romanâ Sede locatus, & à Præsule quondam suo hac litera pulsatus: nihil in Guilielmo vidit Infula indignum: nec voluit præcipiti sententiâ, in inauditum ferre judicium. Iterum ergo Bernardus moræ impatiens innatam sibi dulcedinem, amaritudinis felle temperans, secundam, hoc anno, ad Eugenium Epistolam opportunè, importunè scripsit, quæ ita inter ejus Epistolas legitur.

Ad Eundem, de Eboracensi intruso.

V. S. Bernard. Epist. 218. Contra Guilielmum. *IMportunus sum, sed habeo excusationem. Eugenii Apostolatus excusat me. Aiunt, non vos esse Papam, sed me. Et undique ad me confluunt, qui habent negotia. Nec desunt in tantâ multitudine amicorum, quibus officium negare non possum, non solum absque scandalo, sed etiam absque peccato. Et nunc est etiam alia excusatio, non minùs idonea; quia causa honestissima est. Contra idolum illud Eboracense, iteratò stilus dirigitur, ea scilicet necessitate, quòd sæpenumerò hoc telo impetitum, à nobis, necdum confossum est. Cur hoc? Nisi fortè quia nil à nobis tale desectum, qualis fuit Jonathæ gladius: quia nunquam rediit retrorsum. Nec sanè fuit culpa jaculi, sed dirigentis jaculum. Patet enim, quod non in eâ quâ oportuit fortitudine missum est. Nec mirum: Quis enim in manu fortis sagittas mittere potest, nisi filius excussorum? Qui locum Petri tenet, potest uno impetu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum. Et ut planiùs, quod loquimus, fiat, peremptoriam dare sententiam, ad depositionem Episcoporum, solus Romanus Pontifex noscitur esse: Pro eo nimirum, quòd licet alii multi vocati sint in partem sollicitudinis; solus ipse habeat plenitudinem potestatis. Solus proinde, si dicere audeam, in culpa est, si culpa non feritur. quæ ferenda est: & eo impetu, quo fuerit ferienda. Quo autem impetu, non dico ferienda, sed fulminanda fuerit prædicti Eboracensis culpa, vestræ conscientiæ derelinquo. Cæterum, quod factum non est, vobis credimus reservatum: ut in eo experiatur Ecclesia Dei, cui ipso auctore præestis, fervorem zeli vestri, potentiam brachii vestri, & animi sapientiam, & timeat omnis populus Sacerdotem Domini, audiens sapientiam Dei esse in illo, ad faciendum judicium.*

VI. Tántæne animis cælestibus iræ? Toties jacula, ictus, fulmina? iterum paucorum factione, reus ad tribunal sistitur, & vox auditur, Depone, depone eum. Terruerunt, opinor, Eugenium, terribiles Bernardi literæ; nam statim in Rutinensi Ecclesiâ, eam juris exercuit dictionem, quam Bernardus summè laudans, orat in Eboracensem Episcopum eandem exerere. nam eò tantum tendit tertia, quam ad Eugenium dictavit, Epistola, quæ ita inscribitur.

Ad eundem, pro eodem.

S. Bernard. Epist. 239. Contra eundem Guilielmum. *QUàm cupio de vobis ea semper audire, in quibus glorificetur Deus, honoretur ministerium vestrum, & lætificetur anima mea. Inde est, quod audita responsione vestra, de quibusdam, qui videbantur ad officium Legationis, nimiùm, & ambitiosè aspirare, & impudenter sperare: supra quam dicere possumus, facti sumus lætantes. Non autem nos tantum; sed & omnes qui diligunt nomen vestrum, gavisi sunt gaudio magno. Porrò visis literis vestris, quas pro causa Rutinensis Ecclesiæ destinastis: tunc prorsus repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Hæc atque hujusmodi digna sunt vestro Apostolatu, summam Sedem nobilitant, decent sanè orbis Episcopum. Unde & flecto genua mea, ad ipsum unici hujus vestri Primatus auctorem: ut det vobis sic sapere, & sic agere semper in evellendo, & plantando, in destruendo, & ædificando. Siquidem in ruinam & resurrectionem multorum ascendistis hanc cathedram. Ruant, ruant, qui noxiè stant, erigantur digni. Ponatur securis ad radicem sterilium plantationum, purgentur fructifera, ut fructum plùs afferant. Præsidente, inquam, humili Eugenio, deponantur superbi de Sede, & exaltentur humiles. Esurientes impleantur bonis, & divites dimittantur inanes. Nuper nempe, exultatione universa terra, ita factum est in causa cujusdam pauperis Episcopi.*

VII. *Age igitur, transeat hic sanctus pietatis zelus, ad miseram illam transmarinam Ecclesiam, quia tempus miserandi ejus. Vinea Domini Sabaoth est, vinea electa, vinea speciosissima. Sed heu! in desertum panè redacta; quia singularis ferus depascitur eam. Cum dicunt inter gentes, Ubi est Deus ejus. Ubi quem posuerunt custodem in vinea? Ubi manus putans, ubi sarculus excolentis? Quousque sarculo inutili occupatur tellus? suffocatur fructus? Et certè tempus putationis advenit. Siquidem homo patris ejus in quo speravit, quod se purgare deberet, non purgatione, sed amputatione opus esse testatur. Extant denique literæ ipsius, de eo, ad Apostolicæ Sedis Legatum, in quibus manifestè manifestam adserit intrusionem, electionem negat. Ita ergo, quem sibi paraverat defensorem, accusatorem sustinet. Ac hæc, quæ ubique de eo publica fama concelebrat, possent virum militarem, omni jure spoliare cingulo militari. Quomodo jam poterit stare, ubi multiplex vobis subest ratio dejiciendi, & voluntas non deest. Legi quidem zelum vestrum, pro Ecclesia illa in literis vestris, & jam exigo de manibus vestris. Quânam viâ procedendum sit ad ejus dejectionem (neque enim una mihi esse videtur) non est meum dictare sapienti. Nec multum nostra interest, in qua parte arbor infructuosa cadat; dummodo cadat. Dico tamen. Qui sibi possessionem vindicat furtivarum commercio literarum, nonne fur est, & latro? Denique ubi adserit, habuisse se clandestinas literas exsecrationis suæ: aut verum est, aut falsum quod loquitus. Si verum rem*

est furti,

est furti, & Summi Pontificis criminator. Si falsum: debet audire: Occidisti, & possedisti. Os enim quod mentitur, occidit animam. Sed absit, ut tanta de tali viro credatur duplicitas, quanta ab illo ei imponitur. Nempe Innocentius hic erat: cui si pro se respondere liceret: procul dubio diceret huic: quia ego palam in te dedi sententiam: & in occulto loquutus sum nihil.

VIII. Ex his Bernardi Epistolis constat, errasse eos, qui Henricum Murdac pro quo tam athleticè pugnavit S. Bernardus, in Eboracensi Sede ante Eugenii Pontificatum locaverunt. Baronius etiam hallucinari videtur, cum scribit: [Si quidem improbus homo (Guilielmum intelligit Eboracensem Episcopum nefandis sceleribus infamatum) sententiæ Innocentii non acquiescens: ubi sensit eum esse defunctum, à successore ejus Cælestino surripuit consecrationem, & ad eandem Ecclesiam restitutionem. nam consecratum diximus à Legato Wintoniensi Episcopo: quemadmodum etiam apertè satis innuit S. Bernardus, ubi consecratum fuisse conqueritur, illis ad Cælestinum verbis: *Viderit, qui huic manum imposuit; si consecratus, aut execratus fuit, idq. contra mandatum (ut prætenditur) Summi Pontificis.*] Nec constat illud quod Baronius asserit de subreptione consecrationis; si eo nomine furtivas literas, de quibus suprà Bernardus, intelligit: Furtivæ enim literæ ab Innocentio prodierunt, vel prodiisse ferebātur, ut postremis literis sanctus Abbas expressit. Denique Baronius, bonà de re gestâ, sed malè de Guilielmo sentiens concludit: [At licet clamans & exclamans Bernardus: nihil tamen profecit: quo minus turpissimus intrusus sub Cælestino Pontifice sederit. Quo defuncto, cum illi Eugenius successisset: rursus suis literis contra eundem intrusum, itidem S. Bernardus egit, tertiò ad eum scribens] Mox Baronius compendio repetens, quæ tribus literis Bernardus objecit; infert [Præstitit Eugenius, quod S. Bernardus justissimè literis expetierat: damnavit & ejecit intrusum: qui quoad vixit Eugenius, sic vixit extorris.

Baron. an. 1140

GUILIELMUS VIDETUR SEDISSE, NON MURDAC.

Idem suprà an. 1143. n. 5.

Baron. an. 1140

STAT CONTRA GUILIELMUM.

IX. Cùm hæc, & plura Bernardum sequutus Baronius in Annales retulisset, Guilielmo Eboracensi multum adversantia: hac spongia, quicquid contra Sanctum dixerat, sanctè obliterat. [At sicut (inquit) ex noviter repertis monimentis, Judicem, revocàre quam tulit sententiam, decet: Ita concessum sit nobis eàdem ratione, quæ scripta sunt de Willelmo Eboracensi Archiepiscopo, quantumlibet auctoritate, & testificatione, sancti Bernardi, atque aliorum, absque dispendio probatæ fidei ipsorum, novis adinventis probationibus, novo examine agitare. Non solùm enim Neubrigensis, qui iisdem temporibus vixit: & de his exactam pervestigationem adhibuit, ut veritatem rerum gestarum assequeretur. Sed & alii Authores favent Willelmi Eboracensis Archiepiscopi causæ: atque adeo, ut eundem inter Sanctos Ecclesiæ Anglicanæ commumerent. Quibus fidem adhibens non dubiam Molanus restitutor, & illustrator Martyrologii Usuardi, eundem Willelmum suo loco reposuit inter Sanctos, natali die ipsius, nempe octavà die mensis Junii. De eo Acta citantur Eboracensia, ab Harpesfeldo *. quibus assentiuntur, absque controversiâ recentiores: inter quos est Joannes Capgravius, qui scripsit vitas Sanctorum Angliæ: & postremo loco Polydorus Virgilius in historiâ Anglicanâ, anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo quarto. Quibus omnibus Traditio ipsa Ecclesiæ Anglicanæ consentiens, nos pariter secum trahit in eandem sententiam: ita tamen, ut nihil derogatum velimus sanctitati Bernardi; qui favit causæ, quam putavit esse justissimam: falsa deceptus insinuatione eorum, quorum existimatio apud eum haud dubiæ Fidei esset. Interdum enim contigisse se decipi, falsâ relatione potentium, suis ipse testatur Epistolis.] Hæc omnia Annalium conditor Baronius, in unum compingit annum millesimum centesimum quadragesimum, ubi prima Guilielmi Eboracensis mentio occurrit. Ego parum disjunxi, servatâ opportuniùs annorum serie.

Idem sup. fine.

VIDETUR REVOCARE, QUÆ SCRIPSERAT CONTRA GUILIELMUM

Harpesfeld apud Alanum Copum hist. Angl. l. 54. c. 41.

ET POLYDORUS VIRGILIUS STAT PRO GUILIELMO.

X. Hoc itaque anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, ad Bernardi sancti instantiam, & Eugenii mandatum, Guilielmus Sede Eboracensi pulsus, locum Henrico Murdac cessit, & prærogativam Archiepiscopi. Hic olim unà cum Eugenio Pontifice, Bernardi Abbatis discipulus fuerat, & hinc illæ multorum lacrymæ: & prima litis origo. nisi mavis paulò altiùs principium petere: & Bernardum sanctum aliorum votis precibúsque impulsum, innocenter factioni accessisse. Hac ferè ratione Godwinus noster Abbatem sanctum absolvit: cum dicit: [Bellum civile atrocissimum his temporibus in Angliâ fervebat, certantibus de regno Stephano, Henrici primi, ex sorore, nepote: & Mathilde propriâ ejusdem Henrici filiâ. A Mathildianis igitur graviter ferentibus, Guilielmum Stephani propinquum, tantæ dignitatis accessione honestatum, crimina, credo, conficta: quorum prætextu precibus accedentibus veteris amici, Præsulatu insontem Eugenius mulctavit, & Henricum pallio ornatum misit in Angliam.] Potissima ergo malorum, & confictorum criminum causa ex altera Rep. petitur: ad cujus motum, proh dolor! ipsum primum mobile frequenter nimis movetur: & præest, quod subesse deberet regnum Insulæ. Unde nonnunquam sequitur, quod hodie lugemus: & regnum perire & Insulam. Nec mirum id, quia quæ colliduntur, læduntur Quod etiam hoc anno factum, cum Henricus Murdac pallio auctus, quod alter obtinere necdum poterat; in Angliam rediit.

EXPELLITUR E SEDE GUILIELMUS, ET SUCCEDIT MURDAC.

Godwin in Hen. Murdac.

XI. [Qua re nuntiatâ (pergit Godwinus) Rex nepotis tantâ contumelia (quam haudquaquam meritum omnes judicabant) graviter commotus: à novo Archiepiscopo juramentum nescio quod inusitatum cæpit exigere. Quo recusante id præstare quamvis ultra minas & jurgia non processit Princeps, clementiâ præditus tam mirabili, ut multorum annorum bello civili exagitatus; non legatur tamen procerum suorum quenquam capitali supplicio affecisse: attamen civibus Eboracensibus (quibus Guilielmus propter benignitatem, vitæque sanctitatem admodum charus extiterat) animos addidit, ad Henricum civitate suâ arcendum. Quos ille eam ob causam Sacris interdixit. Eustachius nihilo secius, Regis filius, authoritate ejus contemptâ, sacra in omnibus Ecclesiis, more consueto fieri mandavit. Hujusce rei occasione; & quia Ministri Regii graves ubique incumbebant omnibus, qui ad Guilielmum pellendum, operam aliquam detulissent: seditiones ac tumultus, per totam provinciam indies gliscebant:

STEPHANUS FAVET GUILIELMO CONTRA MURDAC INDE MOTUS EBORACI.

Godwin. suprà.

ac in Urbe præcipuè. Ubi Archidiaconus quidam, Archiepiscopi amicus, obtruncatus est.] Utinam non plures cecidissent: ego vereor, in monachos sævitum, qui Henrico faverant. cur enim Bernardus ad Eugenium Papam Epistolam ducentesimam quinquagesimam primam, ita inscriptam mitteret.

Ad Dominum Papam EUGENIUM, pro Eboracensi.

XII. *Bernard. Epist. 251.* CONTRA GUILIELMUM,

SÆvit frustrata ambitio: imo desperata furit. currit ad laqueum homo perditionis, & debitam jam olim in se sententiam damnationis accelerat. Vel nunc manifesta sunt peccata ejus, præcedentia ad judicium. Anticipat manum succisoris arbor maledicta & spinosa: & cunctantem securiùs in semet provocat. Heu quàm justiùs jamdudum illa excidisset: quàm Sancti illi, quos contra jus & fas molestando dejecit. Et illi quidem in innocentiâ suâ, & pro innocentiâ corruerunt, multò meliùs stantes. Sed sanguis innoxius de manu illorum proculdubio requiretur; qui vires furtivas, tam noxia arbori, ne statim corrueret, ministrarunt. Clamat contra eorum capita sanguis Sanctorum de terrâ: quorum animæ in manu Dei sunt: & jam non tanget eos tormentum malitiæ. Veruntamen viscera mea erant: effusa sunt: non recipio de verbis consolationem. Et si possent esse qualiscumque solatio, sive remedio: deficiunt tamen præ dolore: mœrore præcluduntur: interrumpuntur singultibus. Unum tamen ipsumq́, extremum, quod usque magis scribere, quam proloqui possum, adhuc audite, vel potiùs legite: Si adhuc steterit: proh dolor verendum ne ipsius statim sit vester casus: dum quicquid adjecerit; utpote mala arbor, quæ non potest nisi malos fructus facere: non illi jam, sed vobis meritò imputetur. Ita Bernardus, exauctoratum Episcopum adhuc persequens: religiosa apis, ubique mella fundens: sed illi aculeum infigens.

XIII. GUILIELMI PATIENTIA.

Quid interim Guilielmus, Sede motus, & tot telis impetitus? Revera quod Sanctis familiare; nam silices illi, chalibe ferróque percussi, sanctitatis scintillas emittunt. De illo sic legitur de ejus vitâ: [Summus Pontifex Cisterciensis ordinis Eugenius, non vitio personæ; sed suæ voluntatis arbitrio, electionem ejus cassavit: & Henricum Murdach prædicti ordinis professorem, Eboracensis Ecclesiæ pastorem ordinavit. Venenosis vir Dei Willelmus detrahentium morsibus laceratus, pro consolatione patientiam habuit: varios eventus constantia superans animi sui, ad Henricum Wintoniensem Episcopum patruum suum accessit: à quo benignè susceptus, ad ejus obsequium, omnem familiam suam assignavit. Sed vir Dei pompam sæculi abhorrens, in quodam Episcopi manso solitudinem affectans mansit: & commissorum suorum pœnitudinem gerere *, & ultrices pœnarum flammas, lacrymarum ubertate restinguere curavit. Erat enim vita ejus in summo silentio, morésque tranquilli: nec vox vana, aut otiosus sermo ejus intentionem à divinâ contemplatione impedire potuerunt. Augebant ardorem devotionis considerata damnatorum supplicia, beatorúmque præmia. & quàm grave sit in extrema ventilatione Deum videre, & perdere, à memoriâ non recessit. Pauca, sed debita, indulgens naturæ, nulla gulæ. Et si quando generositatis eminentia visitantium turbas offerret etiam invito, ipsarum aspectu, tam honorabilis, tam lætus, & gratiæ plenus apparuit, ut eum aliquid Angelicum habere ipsa visio indicaret.] Hæc ibi. ut postmodum, à morte Henrici, Sedi suæ postliminii jure restitutus sit, dicam inferiùs.

apud Capgr. in Wilhelmo Confess.

* *gemere*

XIV.

Dum hæc in Angliâ aguntur: Eugenius Pontifex, magnam & ipse tempestatem à factiosis excitatam eluctatus, Romæ tandem in Sede quievit, ab omni passim provinciâ, legitimus Petri Successor & habitus, & legationum obsequio pro more cultus. Meminit Otto Frisingensis Episcopus Legationum ad Eugenium Papam Viterbii commorantem, ex ultimis orbis finibus, ex Anglia, itémque ex Oriente: quod à Baronio in hunc modum confirmatur. [Ex Angliâ quidem (inquit) hoc anno, ad Eugenium Papam recens creatum venit Alexander Episcopus Lincolniensis, qui benignè acceptus est, ab ipso Eugenio Papa: cujus benignitas & affabilitas mirificè commendatur à Rogerio in Annalibus, ubi hæc habet: Eodem anno (millesimo centesimo quadragesimo quinto) Episcopus Lincolniensis Alexander, iterum Romam petens, susceptus est honorificè ab Eugenio Papa novo, viro summa dignitate condigno. Cujus mens semper benigna cujus discretio semper æqua, cujus facies semper non solùm hilaris, sed etiam & jucunda. Hæc de Eugenio Rogerius, hujus temporis scriptor accuratissimus.] Ita Baronius. dicitur Alexander, iterum Romam petiisse: quia supra * ostensum est frequenter eum Romam ivisse. de tempore & anno profectionis Godwinus hallucinatur dum scribit. [Romam bis profectus est, annis nimirum millesimo centesimo quadragesimo secundo, & quadragesimo quarto.] nam utrobique fallitur: & reponi debent anni, millesimus centesimus vigesimus quintus (ut ibi) & in quo versamur, quadragesimus quintus. Cæterùm quid Romæ hac vice egerit, solâ conjecturâ colligitur, Lincolniensis Ecclesiæ calamitatem explicasse, & Insulæ miserias: cum priùs Anglorum fidem integram, & civium in Romanam Sedem obsequia extulisset. [Rediens autem (pergit Rogerius) secundo anno, Ecclesiam Lincolniensem, quæ ex combustione deturpata fuerat, miro artificio sic reformavit, ut pulchrior appareret, quàm cum primùm nova facta fuerat.]

Otto. l. 7. c. 31. 32. 33.

Baron. hic

EUGENII LAUS. AD EUM IT ALEXANDER LINCOLNIEN. EPS.

**v. an. 1125. n. 12.*

ALEXANDER EPS. RESTAURAT ECCLESIAM LINCOLNIENSEM. *Roger. hic.*

XV.

In civili Republicâ, Stephanus Rex, hoc anno, cæpit in fortunam paulò meliorem emergere, cum Glocestriæ Comitem fregit, castellumque ab eo constructum & munitum hostili manu cœpit. resarcito damno, quod superiori anno apud Lincolniam suorum amissione acceperat. Utramque Regis sortem Neoburgensis ita conjungit: [Anno Regis Stephani nono idem Rex castrum Lincolniense, quod Comes Cestrensis obtinebat, obsedit. Ubi dum munitionem extrueret, operariis subitâ hostium irruptione præfocatis, confusus abscessit. Verùm anno sequenti hujus jacturæ maculam expiavit. Cum enim Comes Glocestrensis, & cæteri partis adversæ, munitionem, quantùm sibi utilem, tantùm etiam hostibus nocituram, apud Ferenduoum, construxissent: Rex cum suâ militiâ, & Londoniensibus copiis, ociùs advolans; eâdem munitione per dies aliquot fortiter oppugnatâ: tandem cum ingenti & cruento labore potitus est. Sic erga partes alternabat

Neuburg. l. 1. c. 13. STEPHANUS FERENDUNŨ CASTRUM CAPIT.

fortuna:

fortuna: & quibus per ſecundos paulò ante ſucceſſus arridebat; nunc ſiniſtris repentè caſibus eludebat. Verùm hunc ſucceſſum, quo videbatur anni præcedentis expiaſſe infamiam, anni ſui undecimi fœdavit infamia.

Ranulphum Comitem indigne tractat

Cum enim Ranulphus Comes Ceſtrenſis, pactis cum eo celebratis, fidelis jam illi, & devotus effectus apud Wallingefordam proſuſis eum juviſſet auxiliis: ille poſt modicum, eundem Comitem ad ſe pacificè, & ſecurè venientem, apud *Norhamneriam, in curiâ ſuâ, Regiæ majeſtatis, & honeſtatis immemor, hoſtiliter comprehendit: & caſtrum Lincolnienſe, cum cæteris quæ uſurpaſſe videbatur, reſignare coëgit. Quo facto Comes relaxatus, Regi perpes de cætero factus eſt inimicus.] Hæc paulò aliter, de tempore & circumſtantiis, alii ſuprà retulerunt. Ad Ferendunum, quod attinet, urbem in Atrebatiis, & Bercheriæ Comitatu, quem Huntudonius Ferendois, Rogerius Ferendiner, aliquandò vocavit, vulgo Farendon eſt, ad Iiſidem fluvium: [nunc foru, quondam munitione quadam celebris (inquit Camdenus) quam Robertus Glocceſtriæ Comes contra Stephanum conſtruxit.]

*Northamptonam.

Camd. in Barkshire.

XVI. Ad hunc annum Matthæus Weſtmonaſterienſis Judæorum facinus conſignat, quod alii tamen poſteriùs referunt.

Weſtm. hic.

[Hoc anno (inquit ille) quidam puer apud Norwicum crucifixus eſt à Judæis] Idem habet Pariſienſis. Intelligunt, opinor, paratam puero crucem, ut illi figeretur. Attentatum ergo facinus Polydorus refert ad Henrici tertii tempora, quod vero ſimilius eſt, & authoribus aliis multò conformius. Cæterùm de puero à Judæis crucifixo, in urbe Lincolnienſi, Hugonis nomine, dicam ſequentis ſæculi anno quinquageſimo quinto. Sed quoniam in Sigeberti Chronico ad annum milleſimum centeſimum quadrageſimum ſextum, puer ille à Judæis crucifixus nominatur, unum ab alio differre probabile eſt. Ita ergo in Chronico [Apud Norwicum Angliæ civitatem, Judæi crucifixerunt puerum quendam Chriſtianum, nomine Willelmum. Quem etiam foras civitatem ab eis ſepultum, divina lux (ut ferunt) ſuper eum emicans declaravit. Sicque à fidelibus inventus, honorabiliter eſt in Eccleſiâ poſitus] Hoc etiam ex eodem authore refert Baronius ad an. 1146.

Monaſterium Boxley Ciſterciensium

Hoc etiam anno Guilielmus Iprenſis, de quo ſuprà, monaſterium in Cantio, ad Boxley fundavit: & monachos, è Clare-valle vocatos ibidem, ſub Beatiſſimæ Virginis patrocinio poſuit, anno undecimo Regis Stephani, Chriſtique milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto, ut notat Spedus in Catalogo.

ANNUS CHRISTI 1146.

EUGENII III. PAPÆ 2.

STEPHANI REGIS. 11.

I. AD annum Domini milleſimum centeſimum quadrageſimum ſextum, nihil admodum memorabile Authores conſignant, quod non ſuperioribus annis, aut geſtum aut tactum eſt. Aliqua tamen ſilentio tegi non debent, quæ illi paſſim poſterorum memoriæ, vel ſubſtraxere omnino, vel ſine nota temporis inſinuant. Loquor pietatis opera, Fideique Chriſtianæ argumenta: quibus regna provinciæque imprimis illuſtrantur. Eminet in eo genere Lincolnienſis ager, ubi monaſteriorum, conditio provincialium commendant generoſam mentem, & ſublunaribus rebus altiorem. Ibi hoc anno Guilielmus de Romara, Comes Lincolnienſis, monaſterium extruxiſſe, & Ciſtercienſes monachos ibidem poſuiſſe dicitur, ad Reveſby: ubi Eccleſia S. Laurentio Martyri ſacra, pietatis & religioſæ ejus mentis eſt elegans argumentum. Meminit hujus fundationis Spedus, in Catalogo ædium deſtructarum: ubi Anna quoque fundatoris uxor, operiſque ſocia, & annus milleſimus centeſimus quadrageſimus ſextus, nominatur.

Alia monaſteria Ciſterciensium

II. Plura ſunt in hoc Lincolnienſi tractu loca, quæ ad Stephani Regis tempora, ſine definita annorum nota, referuntur: Illa ego quia modo in hoc agro verſor, ad hunc annum colligo. Cœnobium de Valle Dei, vulgo Vandy, Deiparæ Virgini ſacrum Gilbertus de Gandavo, nepos Balduini Comitis Flandriæ (cui magni reditus, munificentia Guilielmi Conqueſtoris obtigerunt inquit Camdenus) Ciſtercienſibus etiam monachis erexit, ad inſtantiam Eugenii Romani Pontificis, ſanctique Bernardi Abbatis; idque regnante Stephano, ut Catalogus ſuprà diſertè affirmat. Dixi nepotem Balduini Comitis Flandriæ. Sed quia ille Gualterum de Gaunt, filium & heredem habuit: & è filio illo nepotem ſibi cognominem, quem Stephanus Rex, à morte Guilielmi de Romarâ, Lincolniæ Comitem creavit; probabilius videri poterit, non ſuum Flandriæ Comitem, ſed Gilbertum ejus è filio nepotem pii operis authorem fuiſſe. Eſt etiam in eâdem provinciâ celebre monaſterium, Swinshed nomine, quod Robertus Greſleius ſub hæc tempora, Bernardi Abbatis fama motus, Ciſtercienſibus monachis implevit. ubi Gilbertus de Hoilandia; quem ſuprà dixi, Cantica poſt Bernardum, pientiſſimè explanaſſe, Abbatis munere, (an primus neſcio, hoc tamen ſæculo) functus eſt. De quo ita ſcribit Pitſius: [Gilbertus ſucceſſu temporis, ſub D. Bernardo factus monachus Ciſtercienſis, ſanctiſſimum illum ſuum Abbatem, tanto cum fervore imitatus eſt, chariſſima meliora æmulando, ut ſimillimus ei omnibus evaſerit. Tandem electus eſt Abbas in cœnobio Swinſhetenſi, Lincolnienſis agri, ubi ſuos, verbo & exemplo pavit: & tum virtutes, tum literas, quas laborioſè didicerat, diligentiſſimè docuit.]

Gilbertus de Hollandia Abb. Suinsetensis proſecutus S. Bern. in Cantica

Pitſius ad an 1200.

III. Voluit Deus aliquorum pietatem excitare: geniumque in monaſteriorum patrocinium flectere: quia multi hoc tempore, monaſteriis inſidiati, eorum bonis inhiabant. Cui injuriæ patebant ea loca, quæ Principum religio, & fidelium vota divitiis auxerant. Eminebat inter illa Albanenſe monaſterium, ubi Gaufridus, ad ſolenniorem Dei, Sanctorumque cultum, ea effuderat, quæ Regum devotio plenâ manu, & pientiſſimâ mente congeſſerat. Et hac civilium bellorum tempeſtate cogitur, quæ Deo conſecraverat, militi dividere, ut ſartum, tectumque monaſterium ab injuriâ conſervet. Fecerat inter cætera [Tabulam unam (ita narrat Pariſienſis) ex auro & argento, & gemmis electis, artificioſè conſtructam ad longitudinem & latitudinem altaris S. Albani: quam deinde, ingruente maximâ neceſſitate,

Paris in Gaofrido Abb. 16.

Gaufridus Abb. S. Albani argentea in igne conflat, ut satisfaciat militibus.

idem Abbas in igne conflavit, & in massam redegit. Quam dedit Comiti de Warenna, & Wilielmo de Ipre, & Comiti de Arundel, & Willielmo Martel temporibus Regis Stephani, villam sancti Albani volentibus concremare. Et sic dictus Abbas Gaufridus, super afflictos pia gestans viscera, debacchantium furorem compescuit. Jamjam enim, pietate antiquorum eliminata, grassabatur alienigenarum improbitas.] Fractus hac improbitate Abbas, qui Albanense diu, & constanter rexerat, petiisse videtur animæ suæ ut moreretur: nè Insulæ vastitatem cernere cogeretur. nam plura pietatis opera meditantem, mors invasit. de quo idem author: [Sed illud & alia pia proposita mors immatura succidit, dum adhuc ordiremur. Igitur cum prædictus Abbas Gaufridus, susceptum officium Pastorale vigintisex annis, & aliquot mensibus strenuè administrasset, quinto Kalend. Martii, ex hac vitâ faliciter migravit ad Dominum, mercedem perpetuam, à Beato Martyre, cui fideliter ministravit, percepturus anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto, Indictione nona.]

Abbas moritur.

IV. Ad Gaufridum hunc scripsisse videtur S. Bernardus Epistolam illam, quæ ducentesima quarta numeratur: sic indefinitè inscripta:

Ad Abbatem Sancti Albani.

Bernard. Epist. 204.

Etsi facie ignotus es mihi: sed non famâ. Nec parum, aut vile quid tui gratulor me tenere munere illum. Nam talis fateor per eam insinuatus es meo pectori: ut licet in multis occupatum; ipsa tamen serenissima recordatio tui, Mi dilectissime Frater, facilè me plerumque ex omnibus vindicet sibi, ita ut in ea libenter immorer, & suaviter requiescam. Cæterùm quò memoriam plùs accepto, eò avidiùs suspiro præsentiam. Sed quando istud, aut si quando istud? Utique & si non ante, profectò in Civitate Dei nostri: si tamen non habemus hic manentem civitatem, sed illam inquirimus. Ibi videbimus nos, & gaudebit cor nostrum. Interim verò delectabor, & lætabor nihilominus in his quæ dicta sunt mihi, sperans & expectans, quod reliquum est de visione corporali, in die Domini, ut gaudium meum plenum sit. Adde obsecro ad ea bona, quæ ab te, & de te nobis assiduè veniunt, tuas tuarumq; orationes pro nobis, Pater charissime, & desideratissime.

V. Succedit Radulphus. *Paris in Radulpho Abb. 17.*

Gaufrido successit Radulphus, qui è Capellano & custode thesauri Episcopi Lincolniensis Alexandri: [Quo procurante factus est olim in conventu S. Albani monachus (ita refert, & pergit Parisiensis) Et post susceptionem habitus, jussu Abbatis adhæsit per aliquod tempus eidem Episcopo. Et promisit ei Episcopus, quod si superviveret, Abbatem eum loco ejus substitueret. Episcopi enim pro voluntate, omnia in Ecclesiâ S. Albani ordinabant, & disponebāt aliquando contra honestatem, & ejus utilitatem. Hic Anglicâ natione Oriundus, primitus Antiquariorum domum, Abbatis sui jussione, prudenter rexit, librorumque copiam huic Ecclesiæ contulit. Deinde post aliquot annos præcepto Abbatis sui, Alexandro Episcopo Lincolniensi adhærens, Bajulique officium exercens, Magistri Wodonis Itali, in Scripturarum sacrarum doctrinâ, auditor extitit fructuosus. Et tunc igitur amator librorum, & adquisitor sedulus multis voluminibus abundavit. Elapso igitur aliquantuli temporis curriculo, defuncto Abbate Gaufrido, omnium hujus Ecclesiæ fratrum unanimi electione, tempore Regis Stephani, hanc Ecclesiam suscepit gubernandam. Atque à præfato Episcopo Alexandro benedictus, alacriterque in omni dilectione susceptus, & oppressionibus variis ad intus, hanc Ecclesiam, ab omnium inimicorum infestatione (qui jam in nequam sæculo diatim succrescebant) omni vitæ suæ tempore, viriliter protegebat.] Ita Parisiensis in vitis Abbatum. In historiâ autem ad hunc annum ita loquitur: [Vacavit Albanensis Ecclesia, pio Pastore viduata (Gaufridum intelligit) à quinto Kalendis Martii, usque ad Rogationes proximè sequentes. Quo tempore monachi elegerunt Radulphum Gubium, monachum de gremio Ecclesiæ suæ, virum literatum & bonis moribus adornatum.]

Radulphus literis deditus.

VI. Henricus revocatur in Normanniam. ** nimirum ab an. 1143.*

Interim Mathildis quondam Augusta, & primogenitus ejus filius Henricus in Angliâ manentes, utcumque factionem suam, & parta tuentur: cum Gaufridus Andegavensis Comes, receptâ Rothomagensi urbe, Normanniæ Princeps, & exinde Normannorum * Dux nuncupatus: noluit ultra primogenitum suum incertis in Anglia turbinibus exponi, qui certam in Anglia, & amplam adire hereditatem posset. Misso itaque ad Robertum avunculum pueri honesto satellitio, Henricum sibi reddi petit, & impetrat: securius sibi fore Normanniæ imperium arbitratus, si Henrici primi, & ultimi Normanniæ Ducis filius adesset. Venit ergo hoc anno, à Roberto in Normanniam dimissus Henricus, cum honore ibi susceptum habet Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto (inquit) Henricus Ducis Andegaviæ filius, & Imperatricis Mathildis, in Normanniam transiens, in die Dominicæ Ascensionis apud Beccum honorificè receptus est à conventu.] Quod sequitur in authore de trium Episcoporum obitu, Roffensis, Coventrensis, & Herefordensis, quantumvis idem habeat Matthæus alter dictus Florilegus, puto tamen ad posteriora referendum.

Paris hic.

ANNUS CHRISTI 1147.

EUGENII III. PAPÆ 3.

STEPHANI REGIS 12.

I. Eugenius urget expeditionem Hierosolymitanam. *apud Baron. an. 1146.*

Annus Domini millesimus centesimus quadragesimus septimus, in expeditione Hierosolimitanâ, ad pellendos premendosque Saracenos, totus occupatur. Ideo Eugenius Papa in Gallias descendit: inde Legatos à Latere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales nominat, qui Cruce signatos Conrâdum Imperatorem, & Ludovicum Francorum Regem in Palæstinam ducant, & sacrum belli classicum sonent. Expeditionis causam exponit Saxo Grammaticus: [Romanus (inquit) Pontifex barbaricæ tempestatis procellâ, rem divinam penè obrutam, eversamque conspiciens, datis per Europam epistolis, universos Christianæ credulitatis hostes, ab ejus cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem Catholicorum provinciæ, confinem sibi barbariem lacessere jubebantur.] Sic non solùm in Palæstinam itum, sed ad illos etiam qui Europam eo tempore invaserant, aliquot

etiam

etiam Hispaniæ loca possidentes. Olysippo Lusitaniæ Princeps civitas sub barbarorum jugo gemebat, quæ classe ex Anglicano litore profectâ hoc anno resocillatur. Quod ita narrat Robertus Abbas montis S. Michaelis, in Chronico quod

Chronicon Sigebert. ANGLICA CLASSIS CUM FLANDRIS ULIXIRONAM CAPIT.

Sigebertino annectitur: [Anno millesimo centesimo quadragesimo septimo, Navalis Dei exercitus ex Angliâ, Flandriâ, atque Lotharingiâ collectus, secundo Idus Aprilis de Tredemunde portu Angliæ cum ducentis ferè navibus profectus, quarto Kalend. Julii in vigiliâ Apostolorum, Ulixi-bonam applicuit: & eam post quatuor mensium obsidionem, per multas cædes, & multam macerationem Dei virtute, & suâ industriâ capiunt. Et cum de ipsis essent tantum tredecim millia, hostium ducenta millia superantes ingressi, cum hymnis Ecclesiam dedicantes Episcopum ibi, & Clericos ordinaverunt.

II. Non defuit labori piæque militum industriæ sua merces. nam qui bello superstites, opimis barbarorum spoliis potiti, temporali felicitate gloriari potuerunt. ita in sacro bello mortui æternam laboribus requiem, & immortale præmium assecuti sunt. quod miraculis probatum.

Chron. sup.

nam in Chronico sequitur: [Ad corpora ibi occisorum, tres muti recuperaverunt loquendi usum.] Unde illos Lusitanorum Ecclesiæ, seu Christianæ Fidei vindices, Martyrum loco religiosè habent. quod Antonius Vasconcellius in Lusitanâ Historiâ probat, ita scribens: [Piè & religiosè pro Martyribus coluntur Olisipone. (ut reipsa haberi debent è Sancti Thomæ Angelici doctrinâ) illustres illi equites, Germani, Flandri, Galli, Angli ac Lusitani: quorum reliquiæ in Deiparæ templo adservantur, quod dicitur ex Divorum memoriâ, Sanctæ Mariæ à Martyribus. Vitam præstantes isti viri amiserunt in Olisiponensi expugnatione: quando non tam imperii acquirendi causâ, quàm studio Urbis liberandæ, & Christo iterum lucrandæ, arma in Mauros sumpsere; urbémque suo emptam sanguine, Christianæ pietati reddidere.] Hæc Author assertum probans vario miraculo, quod ad Henrici Germani equitis sepulchrum, Deus, qui Martyres coronavit, operatus est: & demum addit: Ob tanta tamque insignia rerum miracula, Alphonsus Lusitaniæ Rex primus mirum Equitis Henrici, sociorúmque amorem piè colebat: ut si qua corporis tentaretur ægritudine, eorum statim procumberet ad sepulchrum. Ubi præsentem sibi opem, irritis nunquam precibus sentiebat.] Addit Huntindonius noster, qui tunc vivebat: [Pars autem eorum maxima venerat ex Angliâ.]

Huntind. f. l. 394.

III. Ad Eugenium Papam in Galliis hærentem, Alexander noster Lincolniensis Episcopus hoc anno profectus, iterum Ecclesiæ vastitatem, & commissi sibi gregis vexationem deplorat: nec ante miseriarum terminum, quàm vitæ videre potuit. fuit ergò hæc postrema ejus ad Romanam Curiam profectio: de qua Huntindonius: [Mense Augusto profectus est Alexander Lincolniensis Episcopus Altissiodorum, ad Eugenium Papam: qui prius Parisiis, tunc ibi morabatur. Ipse quidem à Papâ honorificè susceptus est: sed ex intempestivâ caloris nimietate, seminarium languoris attulit in Angliam. Unde mox infirmitati, deinde languori, tandem morti succubuit.] Ita

Idem sup.

ille ad annum duodecimum Stephani Regis: cùm paulò ante ad eundem annum reduxisset. [Ad Pentecosten Rex Franciæ Ludovicus; & Consul Flandriæ Theodoricus, & Consul de S. Ægidio, & innumerabilis exercitus, de universo Franciæ regno, & multi de gente Anglorum, Crucibus assumptis iter Hierosolymitanum arripuerunt, ut paganos, qui ceperant urbem Roheis (Edessam vocat Neoburgensis) expugnarent.] Inter hos Anglos, unus nominatur, Lincolniensis Ecclesiæ clericus; quem Alexander Episcopus eò ire permiserat; Philippus nomine. Is in Galliam divertens, ad Bernardum Clarevallensem, ibidem ab eo detentus, viæ compendium facturus non ultra processit: sed sub Abbatis disciplinâ militare: & potentiores humani generis hostes expugnare, modò Alexander Episcopus permitteret, constituit. Ea propter Bernardus Abbas, ut id cum decore fieret, & Episcopi benedictio votis accederet, hanc Alexandro dictavit Epistolam.

MULTI CRUCIBUS INSIGNITI TENDUNT HIEROSOLYM.

Viro honorabili, Domino ALEXANDRO, Dei gratia, Lincolniensi Episcopo, Bernardus Abbas, dictus Claræ-vallensis; velle honorari magis in Christo, quàm in sæculo.

IV. *Bernard. Epist. 64.*

Philippus vester volens proficisci Hierosolymam, compendium viæ invenit: & citò pervenit quò volebat. Transfretavit in brevi hoc mare magnum, & spatiosum, & prosperè navigans attigit jam litus optatum. Atque ad portum tandem salutis appulit. Stantes sunt jam pedes ejus in atriis Hierusalem: & quem audierat in Ephrata, invento in campis silvæ, libenter adorat in loco, ubi steterunt pedes ejus. Ingressus est sanctam Civitatem, sortitus est cum illis hereditatem, quibus meritò dicitur: Iam non estis hospites & advenæ: sed cives Sanctorum, & domestici Dei: cum quibus intrans & exiens, tanquam unus è Sanctis, gloriatur & ipse cum cæteris, dicens: Conversatio nostra in cœlis est. Factus est ergo non curiosus tantùm spectator: sed & devotus habitator, & civis conscriptus Hierusalem, non autem terrenæ hujus cui Arabia mons Sina conjunctus est, quæ servit cum filiis suis; sed liberæ illius, quæ est sursum mater nostra. Et si vultis scire: Clara-vallis ipsa est Hierusalem et quæ in cœlis est, totâ mentis devotione, & conversationis imitatione, & cognatione quâdam spiritus sociatâ. Hæc requies illius; sicut ipse promittit, in sæculum sæculi: elegit eam in habitationem sibi: eò quòd apud eam sit, etsi nondum visio, certè expectatio veræ pacis, illius utique de qua dicitur: Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum.

V. *Verùm hoc summum bonum, etsi desuper accepit: in vestro tamen beneplacito facere cupit. Imò se facere confidit: Sciens vos sapientis non ignorare sententiam: Quod filius utique sapiens sit gloria Patris. Rogat autem Paternitatem vestram, rogamus & nos cum illo, & pro illo: quatenus de præbendâ suâ, quod ipse suis creditoribus constituit, immobiliter stare faciatis: ne in aliquo fraudator (quod absit) debiti, & prævaricator pacti inveniatur: & ita munus contriti cordis, quod offert quotidie, non recipiatur: dum frater quispiam habet aliquid adversus eum. Precatur deinde, ut domus, quam ipse matri suæ in terrâ Ecclesiæ construxit, cum terrâ quam ibi delegavit, eidem matri, quamdiu vixerit concedatur. Hæc pro Philippo.*

Reliqua hæc pauca pro vobis: ipſo quidem intimante, imo verò inſpirante Deo, adjicienda putavimus: hortari vos in charitate præſumentes: ne caſuri gloriam mundi, quaſi ſtantem aſpiciatis, & verè ſtantem amittatis. Nec plus vobis, aut pro vobis veſtra diligatis: & ſic vos & veſtra perdatis. Nè blandiens præſens proſperitas ſui vobis finem abſcondat, & adverſitas ſine fine ſuccedat. Nè lætitia temporalis luctum vobis æternum, & operiat quam parit, & pariat quam operit. Ne mors longè eſſe putetur, & præoccupet improvidum: & vita, dum longa expectatur, citò deſerat maleconſcium, ſicut ſcriptum eſt: Dum dixerint pax & ſecuritas; tunc ſubitaneus ſuperveniet ei interitus, tanquam in utero habenti, & non effugient. Valete.

VI. Si hoc anno data eſt hæc Epiſtola, ut ſuadent temporis rerúmque circumſtantiæ, opportuna admodum exhortatio fuit, quæ Epiſtolam claudit. nam Alexander non diu ſuperſtes, magnificentiæ pompæque ſæcularis jactantiam, qua imprimis notatur, exuere tempeſtivè potuit. Enimverò qui Alexandrum familiariter novit, & cui Archidiaconus fuit, Huntindonius, ita de illo

Huntind. f. 394. QUALIS ALEXANDER LINCOLNIENSIS. ſenſit: [Nutritus in ſummis deliciis à Rogero avunculo ſuo Saliſberienſi Epiſcopo, majores inde animos contraxit, quàm opportunum eſſet ſuis. Siquidem præterire volens principes cæteros largitione munerum, & ſplendore procurationum: cum proprii redditus, ad hoc non ſufficere poſſent, à ſuis ſummo ſtudio carpebat, unde egeſtatem ſuam, nimietate prædicta comparatam, complere poſſet, nec tamen complere poterat; qui ſemper magis, magisque diſpergebat. Fuit autem vir prudens: & adeò munificus, ut à Curiâ Romanâ vocaretur Magnificus.] Ita ſcripſit Huntindonius, & Bernardi admonitionem illuſtrat. Cæterùm quod ad Alexandri mortem attinet, an hoc, vel ſequenti anno contigerit, Authores variant. Godwinus illam huc

Godwin in Alexand. refert, cùm ait: [Tertium iter ad Pontificem Alexander ſuſcepit in Galliâ agentem: ubi Auguſto menſe, anni milleſimi centeſimi quadrageſimi ſeptimi, per æſtum nimium ægritudinem contraxit; ex qua domum, non ſine magna difficultate, reverſus, mortuus eſt, cùm ſediſſet annos viginti quatuor.] deinde ſucceſſorem illi hoc anno deſignat, ut Weſtmonaſterienſis etiam ad hunc annum. Sed rectiùs, opinor, Huntindonius, & Hovedenus ſequenti anno, & mortuum illum, & illi ſucceſſum ſcribunt. de quo ibi.

VII. STEPHANUS CORONATUS LINCOLNIÆ. Inſula interim à tumultibus paululùm hoc anno reſpiravit, & potuit Stephanus Rex majeſtatem induere. Undè de illo ſcribit Huntind. [Duodecimo Rex Stephanus anno ad Natale Domini in urbe Lincolnienſi, diademate regaliter inſignitus eſt, quo Regum nullus introire, prohibentibus quibuſdam ſuperſtitioſis, auſus fuerat. Unde comparet, quantæ Rex Stephanus audaciæ, & animi pericula non reformidantis fuerit. Poſt diſceſſum verò Regis, venit Conſul Ceſtrenſis Lincolniam, cum militaribus copiis, ut aſſiliret eam, Dux igitur ejus vir fortis, & invictiſſimus, in introitu portæ borealis occiſus eſt; & ipſe Conſul, pluribus amiſſis, fugere compulſus eſt. Cives igitur victorioſi, ſummo gaudio repleti, Virgini Virginum, Protectrici eorum, laudes & gratias inſigniter exolverunt.] Superſtitionem illam, qua è vulgo ſuſpenſi homines, infortunium Regibus prædicebant, ſi urbem ingrederentur, vetuſtam vocat Neoburgenſis: [Vetuſtam (inquiens) ſuperſtitionem, qua Reges Anglorum

Neuburg. l. 1. c. 18. eandem civitatem ingredi vetabantur, Stephanus laudabiliter parvipendens, denique incunctanter ingreſſus, nihil ſiniſtri ominis, ſicut illa vanitas comminabatur, expertus eſt. Sed Regiæ coronationis ſolennibus adimpletis: per dies aliquot, cum exultatione, & ſuperſtitioſæ vanitatis irriſione, egreſſus eſt.

VIII. MATHILDIS REGREDITUR IN NORMANNIAM. Mathildis Imperatrix Henricum filium, in Normanniam ſequuta, noluit porrò incertos belli caſus, cum ſuo, filiorumque periculo experiri. Ad conjugem ergo profecta, faventiorem ibi fortunam, ubi quieta jam omnia, ſtatuit opperiri: præſertim cum infida nimium, & quemlibet, privato magis ſtudio ferri, quàm communem Inſulæ pacem commodumque quærere cerneret. Adde, cum Principes paſſim, ab Eugenio Papa moniti, irarum impetus in Saracenos & barbaros, ſopitis in Europa odiis, converterent; Chriſtianum ultra ſanguinem fundi noluit: fuſura multò opportuniùs, cum provectior filii ætas, animos, & arma, amicos etiam ſubminiſtrarent. Interim periculis exempta, cum filio & marito quieſcens, irarum impetus continebat, ut fortiùs inſurgeret. Et verò non malè, hac ratione filio, cui Inſulæ imperium debebatur, conſultum. nam ille militiæ tyrocinium priùs ponere, quàm juſtis armis pugnare: priùs, inquam, & foris, ad armorum exercitia formari quàm domi vincere, aut regnare debuit. Et ita parentis utriuſque conſilio factum, ut ſequentia docebunt. Nam Henricus iſte, diu, & feliciter, coronam Angliæ natalibus ſuis debitam, poſt Stephani occaſum geſtabit.

IX. STEPHANUS ERIGIT MONASTERIUM FEVERSHAM. Stephanus interea quietem aliquantiſper à bello nactus, Chriſtiani Principis partes explet: cùm ſe mortalem cernens, de immortali poſt mortem vitâ, religioſè cogitare; & immortalitatem illam pietatis operibus, Sanctorúmque precibus mercari cœpit. In eum finem, monaſterium conſtruere, Eccleſiam, ubi à morte quieſceret, ornare: religioſorum ibi precibus juvari decrevit. Bernardi recens inſtitutum, ac diſciplina, orbem impleverat opinione ſanctitatis: & eò potiſſimum à prudentioribus currebatur. Stephanus itaque, qui terrenum regnum, induſtriâ paraverat ſibi: cæleſti inhians, Cluniacenſes monachos, pro ſenatores, in Cantium advocat: domum illis ad Feverſham parat, prædiis auget, & ibi demum, ut nuper in ſimili Henricus avunculus, ſibi ſuiſque ſepulchrum parat. Meminit hujus monaſterii catalogus ædium deſtructarum, ubi conditionis ejus annus ponitur, Chriſti milleſimus centeſimus quadrageſimus ſeptimus: qui malè ibi dicitur Stephani Regis decimus tertius. Camdenus etiam Ste-

Camden. in Kent. phanum illius Abbatiæ conditorem agnoſcit; & addit: Ipſum ibi cum Mathilde conjuge, & Euſtachio primogenito filio ſepultum. De quo inferiùs *.

** v. an. 1154. n. 20.*

X. MORITUR ASCELINUS ROFFEN. EPS. SUCCEDIT WALTERUS. Moritur hoc anno Aſcelinus Roffenſis Epiſcopus, non aliâ re clarior, quàm Bernardi Abbatis Epiſtolâ, quam ſupra ad annum, quo Sedem init, milleſimum centeſimum trigeſimum ſeptimum. Succeſſit in ejus locum Walterus, à Roffenſibus monachis electus, quam illis prærogativam primum hoc tempore Theobaldus Archiepiſcopus indulſit.

Godwinus in Roffen. indulsit. De quo Godwinus ita scribit: [Ad hoc usque tempus (nimirum ad annum millesimum centesimum q adragesimum septimum) Archiepiscopus Cantuariensis, Roffensem Episcopatum, quoties vocare contingeret: cuicumque visum, pro libitu, conferre consuevit. Theobaldus Archiepiscopus, designandi Antistitis jus, in monachos Ecclesiæ Roffensis transtulit; qui omnium primum suis suffragiis renunciarunt Walterum Archidiaconum Cantuariensem.

ANNUS CHRISTI 1148.

EUGENII III. PAPÆ 4.

STEPHANI REGIS 13.

I. Eugenius convocat Concilium Remis.

ANNO Domini millesimo centesimo quadragesimo octavo, Eugenius Papa, in Galliâ adhuc degens, generale Concilium ad Rhemensem urbem indicit: eoque per literas vocat Ecclesiarum primos Antistites: eos inter nominatim Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum, & Robertum Herefordensem Episcopum: unde natæ in utraque Rep. nostra turbæ, plures annos tenuerunt: Quinam ex Anglia præter eos vocati: an Alexander Lincolniensis in Gallia adhuc hæserit, Concilioque adfuerit cum Bernardo Menevensi incertum; certum tamen Parkerum & Godwinum, factiosos homines, egregiè falli: cum iste Synodi Rhemensis annum consignat Christi millesimum centesimum quadragesimum primum: ille annum Theobaldi consecrati tertium. Nam corrigi debent, & ad hunc annum cogi. Fallitur etiam Godwinus, cum indictam ab Innocentio Synodum scribit: cum omnium rectè sentientium calculo constet ad Eugenium tertium referendam esse. Sic novæ creationis Episcopi, in Romanorum Pontificum, & Generalium Conciliorum gestis peregrini facilè hallucinantur. Melius ergo Otto Frisingensis Episcopus, & qui Sigeberti Chronicon prosequutus est: hunc annum, & Eugenium nominant; sed & Neoburgensis nuster: & huic duodecimo sæculo proximiores, idem sine hæsitatione affirmant.

Godwinus in Theobal. 2. ant q. Brit.

II. Theobaldus Cantuariensis invitatus ad Rhemensem Concilium.

Theobaldus ad Synodum vocatus, in labyrinthum incidit: unde se expedire difficulter admodum potuit. Nam Stephanus Rex, & discedendi veniam concedere noluit: & Romanus Pontifex, frequenti nuntio venire mandat. Utrique autem umbrem gerere non valens: inde Ecclesiasticam censuram, & primæ Sedis contemptum: hinc principis sui iram verebatur. Elegit tandem cum castissimâ Susannâ incidere in manus hominum, quàm Romani Pontificis, pro universa Ecclesia laborantis, mandatum præterire. gnarus in rebus fidem & Ecclesiam spectantibus, Infulam corona potiorem esse, & potius audiendam. Quod omne rectè sentiens sæculum probavit: & soli id improbant, qui ut nuperius facti Episcopi, ita alterius creationis fideique sunt. Quos dux ordinis Parkerus aliter docuit. Ille enim cum Theobaldi vocationem ad Rhemensem explicat: & modum, quem Henricus Wintoniensis nexuisse putatur: quo Theobaldus alterutrius Principis iram incurreret. Ita scribit inaccuratè satis, sed more suo: [Anno hujus Archiepiscopi (Theobaldi) consecrati tertio (iniit Sedem, ut suprà, anno hujus sæculi trigesimo octavo) Eugenius Papa generale Concilium indixit Rhemis: ad quod Theobaldus accitus est. Itaque Henricus tum Wintoniensis Episcopus, Papæ Legatus: qui in eo munere sæpè cum Theobaldo contenderat: ut Theobaldum virum apertum, simplicem, ac fidelem, in Regis aut Papæ odium traheret: versutissimè egit cum utroque: cum Papa, ut Theobaldum ad Concilium vocaret: Cum Rege, ut eum in Angliâ retineret. Ut si Papæ non pareret, censuram Ecclesiasticam: si Regi, proscriptionem, & civilem pœnam timeret. Rex Henrici consilio, Theobaldo interdixit, ex regno exitum: omnes maris portus observari præcepit, ne exiret. Sed ut illa cæca, & misera tulerunt tempora: Papis magis est quàm Principibus, præsertim à Clero obsequutum. Itaque omnium custodum atque vigilum manus evasit Theobaldus, transfretavit, ac Rhemensi Concilio interfuit.] Ita è pestilentiæ cathedra Parkerus, Episcopos docet, cui in rebus Fidei, & Ecclesiam spectantibus, parendum.

Antiq. Brit. in Theobald.

III. Theobaldus in Concilio.

Doctior Theobaldus, Ecclesiam audivit; ne sicut ethnicus aut publicanus esset. Rhemos venit, Eugenio, & Synodo præsentiam exhibuit, seditque cum aliis controversiarum judex. Duo potissimùm in Synodo ventilata, quæ Fidem spectare videbant. Unum è Britannia monstrum: aliud è Gallia, & Pictaviensi sede paradoxum: eò nocentius, quòd Episcopo obstetricante natum. Episcopi nomen Gilbertus Porretanus: Britannus alter, Eon, vel Eun, sive Eudo de Stellas vocabatur. Gilbertus, auditâ aliorum Episcoporum sententiâ, damnavit suam: alter insani capitis homo, & modernis erroribus, qui omne judicium respuunt, præludens, non resipuit. Sepelirem ego in tenebris Eudonem hunc, nisi Brito, & Britannus audiret, & nisi Authores nostri, & ex illis Baronius, vacui capitis figmenta recenserent: denique nisi gravissimorum Patrum tribunali, eorum jussu, astitisset: Existimaret fortè aliquis hujusmodi hominem, helleboro potiùs, quàm tot Episcoporum sententiâ curandum. Verùm cum postera ætas, & Britannia imprimis, in errores similes facilè incidere, & novo sensu, vetera fastidire, novæ condere Fidei dogmata. & cerebrum ad illa sectanda obstinare possit: non erit ab Annalium instituto alienum, absurdum hominem in lucem producere, & factiosis hominibus, qui eo ferè modo somniant, proponere in exemplum, non quod putem Britannum hunc, Anglum fuisse aut natum in hac Insulâ (à nemine, opinor, id assertum) sed quia tam nostri, quàm externi, & imprimis Baronius, Lectorem insanâ rerum narratione recrearunt.

IV. *Chronicon Sigeberti.*

Eudo hæreticus quid docuit.

Robertus in Appendice ad Sigebertum ita narrat ad hunc annum: [A Papa Eugenio Rhemis undecimo Kal. Aprilis, Concilium celebratur. in quo hæreticus quidam de Britannia adductus damnatur. Qui non prophetam, vel magnum quemlibet, sed nomini suo alludens (Eon enim dicebatur) Eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, se esse dicebat. Et de suis, quosdam quidem Angelos, alios autem Apostolos faciebat: & propriis Angelorum & Apostolorum nominibus appellabat.

Qui in consilio damnatus, sub custodia Rhemensis Archiepiscopi, non multò post defunctus, vitâ pariter caruit & memoriâ.] Eadem ferè habet Otto Frisingensis, Author hujus temporis: qui benè observat, Eudonem hunc, non tam hæreticum, quàm fatuum appellandum esse; [nisi quod non huic soli (inquit) sed hæreticis omnibus fatuitas sit justissimè ascribenda.] Quamobrem, fortè etiam quò fatuitas hujus hominis manifestior esset; Baronius cùm Robertum in Appendice, & Ottonem allegasset; putavit operæ pretium nostrum quoque Neoburgensem exscribere: qui paulò quàm cæteri latius, & errores ejus, & Rhemense judicium exponit. Cujus ego industriam sequutus, eodem modo Lectori satisfaciam. Ita ergò ille.

apud Baron. hic.

V. [Circa idem tempus, Eugenius Papa Romanus, ad Sedis Apostolicæ regimen, ex vitæ regularis districtione assumptus, Ecclesiasticæ studio disciplinæ in Gallias veniens, generale Concilium instituit Rhemis. In quo dum sederet cum omni frequentiâ Episcoporum, atque nobilium, oblatus est ei quidam vir pestifer: qui spiritu plenus diabolico, præstigiali astutiâ tam multos seduxerat, ut fretus sequentium numero, per diversa loca formidabilis aberraret, Ecclesiis maximè monasteriisque infestus. Diu itaque multúmque debacchatus: tandem à Rhemensi Archiepiscopo captus est, sapientia vincente malitiam; Et sancto Concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus, & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus: ut cum sermone Gallico, Eun, diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in Ecclesiasticis exorcismis dicitur: scilicet, Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Ita planè fatuus, ut eun, & eum nesciret distinguere: sed supra modum stupenda cæcitate, crederet se esse dominatorem, & judicem vivorum & mortuorum. Eratque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas; ut tanquam ex muscis aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam Dominum dominorum individuè sequeretur. Et interdum quidem mirâ velocitate per diversas provincias ferebatur: interdum verò morabatur cum suis omnibus in locis desertis, & invijs: moxque instigante diabolo erumpebat improvisus, Ecclesiarum maximè, & monasteriorum infestator. Accedebant ad eum plerumque noti ejus, & propinqui: erat enim infimi generis: sive ut eum familiari ausu corriperent: sive ut quomodo se circa eum res haberet, cautiùs explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastúsque Regius: & qui cum eo erant sollicitudinis laborisque expertes, pretiosè indui, splendidè epulari, & in summâ lætitiâ agere videbantur: in tantum ut plerique, qui ad corripiendum eum venerant; conspecta ejus non vera, sed fantastica gloria, corrumperentur. Fiebant enim, sed phantasticè per dæmones; à quibus scilicet misera illa multitudo, non veris, & solidis, sed aëreis potiùs cibis, in locis desertis alebatur.]

Neoburg. l. 1. c. 19.

Eudo hæreticus qualis.

VI. Priusquam pergo Eudonis dogmata, mores, fastúmque recensere: juvat paululùm ad inferiora tempora descendere; quando nimirum Catholica & orthodoxa Fides in Angliâ cœpit exulare. Et erit facilè deprehendere, Eudonis somnia, hoc est, eadem dæmonum opera, Insulam quoque nostram infecisse. Notum enimverò est, & publicis testatum tabulis, eò dementiæ, quempiam infimi etiam generis, & monasteriorum ac Ecclesiarum destructorem, devenisse: ut se Christum, suósque asseclas, Apostolos nominaret: & dæmonum præstigiis plures è vulgo simplicésque dementasse. Quod si porrò hoc sæculum, in quo sumus, decimum septimum lustramus: quot quæso sunt, qui se spiritum sanctum habere, & certissimum Scripturæ sensum, impiissimè gloriantes, omne in rebus aut sæculare, aut Ecclesiasticum tribunal declinant: illud in ore frequentissimè usurpantes: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Unde multò rectiùs concludere quivis poterit, si Scripturæ interpres esse permittatur: Si filius Dei, ergò per eum judicaturus est vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Hoc modo humani generis hostis, omni sæculo circuit, quærens quem devoret: sacra Scripturæ verba, sensúmque cujuslibet arbitrio prostituit: quo cibo saginatos in superbiam effert: & denique ad inferna demergit: nisi Deus clementi bonitate manum porrigat, oculósque revelet; ut videant quàm vile, quàm inane, quàm insipidum malus genius alimentum objecerit. Quod factum aliquando illis, qui Eudonem in silvas saltúsque sequuti, diaboli artificio, ut supra alebantur. Sic enim consequenter ad supradicta refert Neoburgensis.

Eudones multi modo.

ad Rom. 8. v. 16.

VII. [Nam sicut postmodum per quosdam audivimus, qui in Eudonis fuerant comitatu: eóque sublato, tanquam agentes pœnitentiam, per orbem vagabantur: in promptu ejus erant, quotiescumque volebat, panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores. Verùm quod idem cibi non solidi, sed aerii fuerint, subministrantibus invisibiliter spiritibus aëris hujus, ad capiendas magis, quàm pascendas animas, hinc elucet: quod quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam: tanta mox sequebatur esuries; ut eosdem cibos illicò repetere cogerentur. Quicumque fortè ad eos accedens, ex cibis eorum vel modicum gustasset ex participatione mensæ dæmoniorum, mente mutatâ, spurcissimæ multitudini continuò adhærebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat. Denique fertur quendam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, & simpliciter monuisse: ut abjuratâ nefandâ sectâ illâ, per communionem Christianæ gratiæ, proprio generi redderetur. Ille hominem astutè suspendens, ostendit ei in multiplici specie fantasticarum opum amplitudinem: ut blandiente visarum rerum illecebrâ caperetur. Propinquus, inquit, noster es, sume de nostro, quod, & quantum vis. Verum homo prudens, cum verba correptionis in ventum profudisset, exivit ut abiret. Armiger verò ejus, conspectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupivit. Quo petito, & accepto, Dominum suum jam abeuntem cum lætitiâ sequebatur. Cui ille: abjice citò quod portas: non enim est avis, ut videtur; sed dæmon sic transformatus. Cujus verbi veritas post modicum claruit. Cum enim insipiens nollet audire monentem: primò con-

Neoburg. l. 1. c. 19.

Qualem cibum Eudo ministrabat suis in deserto.

Dæmon specie accipitris accipit militis famulū.

qnestus,

questus. quod accipiter ille unguibus sibi pugnum fortius stringeret: mox ab eodem per manum in aërem sublevatus, deinceps non comparuit. Sanè cum pestifer ille ita debaccharetur (ut dictum est) sæpiùs à Principibus, ad vestigandum & persequendum eum exercitus frustra mittebatur. Quæsitus enim non inveniebatur. Tandem verò fraudatus ope dæmonum, cum non ampliùs per illum debacchari sinerentur (non enim nisi à superioribus justo Dei judicio relaxantur) levi negotio à Rhemensi Archiepiscopo comprehensus est: & populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porrò discipuli, qui ei arctiùs adhærebant, ejusque cooperatores extiterant, cum ipso capti sunt.

VIII. Baculus Ludonis. Cum ergo staret in conspectu Concilii, interrogatus à Summo Pontifice, quisnam esset? Respondit Ego sum ille qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Habebat autem in manu sua baculum inusitatæ formæ: in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille? Res, inquit, grandis mysterii est. Quamdiu enim, sicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus suspicit. duas orbis partes Deus possidet: tertiam mihi partem cedens. Porrò si eadem duo superiora capita bacul. sulmitram, & inferiorem ejus partem, quæ simplex est. erigam, ut cœlum suspiciat: duabus mundi partibus, mihi retentis tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit universa Synodus, derisitque hominem tam profundè datum in reprobum sensum. Jussus autem ex Decreto Concilii ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo supervixit. Discipuli verò ejus, quos magnis insignierat nominibus; alium scilicet vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Judicium, & in hunc modum cæteros: cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent: potiùs obstinatissimè de falsis gloriarentur vocabulis: in tantum, ut ille, qui

Discipuli [illegible] ales? judicium dicebatur, suis deterioribus, ultricem infelici fiducia comminaretur sententiam: Curiæ priùs, & postea ignibus traditi, ardere potiùs, quàm ad vitam corrigi maluerunt. Audivi à quodam venerabili viro, qui interfuit, dum hæc agerentur: quod audierit illum qui Judicium dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem: Terra findere: tanquam ad oris ejus imperium, terra aperienda esset, & devoratura, sicut Dathan & Abiron, hostes ejus. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.] Hæc omnia author. Et hic finis eorum qui errante spiritu ducti, simplices, illiterati Ecclesiarum & Monasteriorum eversores sunt: & Ecclesiam audire nolunt, revera sicut ethnici & publicani.

IX Gilbertus Porretanus. Non ita Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus: ille doctior similiorque qui divinitatis abyssum, pauló curiosiùs, quàm par esset, ingressus; ad petram allisit parvulos suos, quos curiosa divinarum rerum inquisitio, & proprii cerebri gloriatio ceu gemino parente pepererat. Eo filo labyrinthum egressus captivavit intellectum in obsequium Fidei: à Synodo resipiscens admittitur, sedi restituitur, genuinus Ecclesiæ filius agnoscitur. Nam errasse aliquando humanum est; sed errorem defendere, suo cerebro pertinaciter fidere mali genii evidens argumentum. Quid ultra in Synodo gestum, quod Fidem spectet, non invenio: nam quod de controversia scribitur inter Theobaldum Cantuariensem, & Bernardum Menevensem: an in Concilio agitata sit, an illo soluto, potest dubitari. Constat tamen hoc anno, coram Eugenio Papa prius quàm è Gallia discederet, super eo disceptatum. Giraldus Cambrensis, & post eum Usserus, & Godwinus litem in Concilio motam affirmant. Baronius, & alii, nulla facta Concilii mentione, solum dicunt super eo disputatum, antequam Eugenius Papa è Galliis recederet. Cæterùm controversiæ cardo, in subjectione vertebatur, deberétne Menevensis Ecclesia Cantuariensi obsequium. Olim enimvero Britannorum tempore, Menevensem Episcopum Metropolitem fuisse, & ab omni, præterquam Romana Ecclesia, absolutum constat, & nos suprà ostendimus. Verùm à Normannorum ingressu, domitâque per illos Walliâ; ut aliarum rerum omnium, sic Ecclesiarum vicissitudo, hierarchiam turbaverat: quam Bernardus decori suo in integrum restituere, & quod aliquando factum, in effectum esse cupiebat. Controversia inter Menevensem et Cantuariensem.

X. De hac controversiâ ita scribit Rogerus in Annalibus, & refert Baronius ad hunc annum. [Rex Henricus Walliam suo regno subjugavit, & ideò Menevensem Ecclesiam, & alias Walliæ Ecclesias suffraganeas Menevensis Ecclesiæ; Ecclesiæ regni sui, scilicet Cantuariæ subjicere cupiens: Bernardum clericum de Camerâ suâ, quem in Menevensi Ecclesiâ Wilfrido Episcopo subrogari procuravit, & apud Cantuariam per Regiam violentiam consecrari fecit. Et hic fuit primus Menevensis Ecclesiæ Episcopus, à Cantuariensi Episcopo consecratus: & post eum David, & Petrus, à Regibus Angliæ compulsi, similiter à Cantuariensi Archiepiscopo sunt consecrati, præstitis Sacramentis, contra Canones extortis, de non suscitandâ lite super jure Metropolitico, contra Cantuariensem Ecclesiam in perpetuum. Bernardus tamen, defuncto Henrico primo, movit quæstionem super jure Ecclesiæ suæ Metropolitico contra Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum. Unde Papa Eugenius in hac forma scripsit Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo: Hoved. an. 1199. Baron. hic.

Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili fratri Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XI. *Venerabilis frater noster Bernardus Episcopus S. David, ad nostram præsentiam veniens, Ecclesiam S. David olim Metropolim fuisse asseruit vivâ voce, & eandem dignitatem sibi a nobis restitui postulavit. Cum autem circa petitionem istam invigilans, diu in Curiâ nostrâ commoratus esset: Tu frater Archiepiscope, tandem eo præsente, ex adverso consurgens, in præsentia nostrâ, adversus eum querelam deposuisti: quod debitam, tanquam primo Metropolitano, obedientiam subtraxisset, tibique inobediens: & rebellis existeret: cum a prædecessore tuo, tanquam à Metropolitano primo consecratus esset, & viva voce, & scripto, Cantuariensi Ecclesia professionem fecisset: & in multis aliis, tanquam alii Suffraganei, tibi obedisset, & astitisset. Ille verò consecrationem negare non potuit: sed professionem se fecisse, & obedientiam exhibuisse, omnino negavit. Quod tu audiens, duos testes in medium produxisti, testimonium perhibentes; quod ipse illis videntibus & audientibus, post consecrationem*

suam; & viva voce, & scripto, Cantuariensi Ecclesiæ professionem fecisset. Nos igitur auditis utriusque partis rationibus, & diligentius inquisitis: & testibus tuis studiosè examinatis, communicato fratrum nostrorum consilio, juramenta eorum recipimus; & ut ipse Episcopus tibi, tanquam primo Metropolitano, obedientiam, & reverentiam exhibeat, justitiâ dictante præcepimus. Unde quoniam singulis Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, suam dignitatem, & justitiam volumus conservare: Beati Lucæ festivitate proximi sequentis anni, tibi & ipsi diem præfiximus: ut tunc præsentibus partibus, de dignitate Ecclesiæ S. David, & libertate sua, rei veritatem cognoscamus: & quod justum fuerit, authore Domino, exinde statuamus. Datum Meldis tertio Kalendas Iulii.

XII. BERNARDUS MENEVENSIS EPS MORITUR: SUCCEDIT DAVID II.

Mortuum hoc anno, qui pro Menevensi prærogativâ disputavit, Bernardum, haber Godwinus in Catalogo. Successit David Giraldi filius: qui & putatur ab aliquibus illius Giraldi, patruus, quem supra Cambrensem appellavi: quique post unum & alterum, Menevensem Ecclesiam Episcopus rexit: & fortiter controversiam à Bernardo suscitatam, prosecutus, multa scripsit pro Menevensis Ecclesiæ antiquâ dignitate: in eo procul dubio lapsus, quod falsos testes appellet, qui coram Eugenio, professionem à Bernardo factam affirmarunt. Sic enim ille de Bernardo scribit: [Bernardus primus Francorum apud Meneviam Episcopus, Ecclesiæ suæ jura publicè protestans, post multas sumptuosas & graves ad Curiam Romanam vexationes: demum nisi factæ professionis, & subjectionis exhibitæ Cantuariensi Ecclesiæ, falsi testes, in Rhemensi Concilio, coram Eugenio Papa palam produxissent, non inefficaciter reclamasset.] Malè, inquam, falsos testes appellat; quia supra *, integerrimo authore, & consecrationi (opinor) præsente dixi, Bernardum à consecratione statim professionem subjectionis Cantuariensi Archiepiscopo Radulfo fecisse, nimirum anno hujus sæculi decimo quinto: cùm testes adessent Gulielmus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Rogerus Sarisburiensis, Joannes Bathoniensis, Urbanus Landavensis, quorum forsan aliqui, pro Theobaldo Cantuariensi, coram Eugenio Papa stipulati sunt. Sed de hac controversiâ satis.

• *apud God. in Bernard.*

* *v. an. 1115 n. 10.*

XIII. STEPHANUS INFENSUS THEOBALDO.

Major nocentiorque hoc anno contentio emersit, cum solutâ Rhemensi Synodo. Theobaldus in Angliam reditum parat: nam à Rege proscriptus, redire prohibetur. quod ille indignè ferens, non sibi solùm, sed Ecclesiasticæ libertati, ut revera erat, maximè injurium: Stephani regnum sacris interdicit. Sic corona in Infulam, & infula in coronam pugnavit. Accessit Eugenius Theobaldi sententiæ, eamque confirmavit. & tunc demum Stephanus permisit reditum, cum illi Romanus Pontifex anathema intentasset. Meminit horum Theobaldi successor, S. Thomas Martyr, in Epistola ad Bosonem Cardinalem, quæ centesima trigesima sexta numeratur, libro primo Epistolarum ejus: ubi inter cætera: *Rex Stephanus*, inquit, *ab antecessoris nostri persecutione non destitit: antequam piæ recordationis Dominus Eugenius, omni cessante appellationis obstaculo, in caput ejus Anathema, & in terram, interdicti sententiam, præcepit ab omnibus Episcopis, authoritate Apostolica exerceri. Lupus enim ab ovili facile non arcetur, nisi clamore canum terreatur, & baculo.* Fuit & alia simultatis causa, quæ Regem Stephanum in Theobaldum accendit. Volebat Rex Eustachio primogenito filio coronam regni, omni jure firmari: quare illum à Theobaldo coronari postulat: sed coronationi intercessit Eugenius Papa; & vetat coronari, jam probè doctus, Stephanum patrem non omnino per ostium intrasse. Licet non deesset quæ pro Eustachio supplicaret. Intellexit hoc sanctus Cantuariensis Thomas in Epistola ad Alexandrum Papam, cum ait. *Numquid eram Archiepiscopus, cum quando Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis, tyrannidem hujus prævidens, persuasit Domino Eugenio, ut Eustachium filium Regis Stephani coronari permitteret dicens: facilius posse teneri arietem per cornua, quam cauda Leonem.*

apud Baron. hoc.

apud eund. supra

Eugenius hoc anno pro Septentrione solicitus, Legationem ad Danos decernit: quos olim Angli, & ad Fidem converterant: & non semel in eadem Orthodoxâ Fide firmaverant. Ideo forsan Legatum nominat natione Anglum, nomine Nicolaum, dignitate Cardinalem, & Episcopum Albanensem, cujus hoc loco primordia exponam, dignus profectò Anglorum Annalibus, qui summam postea in Romana Ecclesia dignitatem, dictusque est Adrianus eo nomine Romanus Pontifex quartus. [De quo dicendum est (inquit Neoburgensis) quomodo tanquam de pulvere elevatus sit, ut sederet in medio Principum, & Apostolicum teneret solium gloriæ. Is enim natione Anglicus, patrem habuit clericum quendam (is erat Robertus Brenkespeare sive Hastifragus) non multæ facultatis. Qui relicto, cum sæculo, filio impubere, apud S. Albanum factus est Monachus. Ille verò adolescentiam ingressus; cum propter inopiam, Scholis vacare non posset, idem monasterium quotidianæ stipis gratia frequentabat. Unde Pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans, omni solatio destitutum cum gravi indignatione abegit. Ille verò sibi relictus, & forti necessitate aliquid audere coactus, Gallicanas adiit regiones, ingenuè erubescens in Angliâ, vel fodere, vel mendicare. Cumque in Franciâ minùs prosperaretur; ad remotiora progrediens, trans Rhodanum peregrinatus est, in Regione, quæ Provincia dicitur. Est autem in illa Regione monasterium nobile clericorum Regularium, quod dicitur S. Rufi. Ad quem locum ille veniens, & subsistendi occasionem ibi inveniens, quibus potuit obsequiis, eisdem se fratribus commendare curavit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu jocundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus, rogatusque Canonici ordinis suscipere habitum, annis pluribus ibidem resedit, Regularis imprimis disciplinæ æmulator. Cum esset acris ingenii, & linguæ expeditæ, frequenti, & studiosa lectione, ad scientiam, atque eloquentiam multum profecit. XIV.

Neoburg. l. 2. c. .

ADRIANI IV. NATALITIA.

FIT MONACHUS, POSTEA ABBAS.

Unde factum est, ut Abbate defuncto, fratres eum concorditer atque solenniter in Patrem eligerent. Quibus cum aliquamdiu præfuisset; pœnitentia ducti, atque indignati, quod hominem peregrinum levassent super capita sua; facti sunt ei infidi, atque infesti. Odiis itaque paulatim crudescentibus, ut jam graviter aspicerent, in quo sibi paulò ante benè complacuerant. Tandem confictis, & propositis contra eum capitulis, ad sedem eum Apostolicam provocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificii XV.

tenebat;

Monachi discordes cum Adriano.

tenebat; cum rebellium filiorum contra Patrem querelas audisset, & ejus pro se allegantis prudentiam, modestiamque animadverteret: paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit: multumque imperans, & sæpè inculcans, utrique parti, ut partes esse desinerent: & unitatem spiritus, in vinculo pacis servarent, reconciliatos ad propria remisit. At non diu quievit, nescia quietis malitia, grandiúsque intonuit rediviva potestas Interpellatus est iterum idem Venerabilis Pontifex: cujus jam aures fratrum illorum querelis, & susurris tinniebant. Utrique ergo parti piè & prudenter prospiciens. Scio, inquit, fratres, ubi sedes est satanæ: scio quid in vobis suscitet procellam istam. Eligite vobis Patrem, cum quo pacem habere possitis; vel potiùs velitis. Iste enim non erit vobis ulteriùs oneri. Itaque dimissis fratribus, Abbatem in Beati Petri obsequio retinens, Albanensem ordinavit Episcopum, ac non multò post sumptis industriæ ejus experimentis, ad gentes ferocissimas Dacorum, & Norrentium, cum plenitudine potestatis direxit Legatum.] Hæc ille.

Fit Episcopus.

XVI. Baron. hoc an.

Ut se in Legatina potestate gesserit, hæc habet Baronius? [Hoc eodem anno (& in præsenti versatur) ab eodem Eugenio Papa, Legato à Latere misso in Daniam Nicolao Anglico S. R. Ecclesiæ Cardinali, Episcopo Albanensi, qui postea fuit Hadrianus Papa quartus, ad eam provinciam Metropoli illustrandam ab eodem Concilium est habitum, de quo Joannes Olaus his verbis meminit. Effecit Nicolaus ea legatione, ut apud Noruegianos, Archiepiscopalis sedes cum plenitudine Pontificiæ potestatis erigeretur. Quod etiam anno Christi millesimo centesimo quadragesimo octavo, apud Suecones, celebrato Lincopiæ Concilio provinciali peragere cupiens, Gothis & Suecomibus, de urbe, & personâ, tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, spe suâ frustratus discessit: ordinato priùs sancto Henrico Episcopo Ypsalensi. Jam enim Suecia, tempore Amundi, filii Olavi Schotkonung, Archiepiscopum ex Poloniâ acceperat: qui in controversiam cum Gothis, & Archiepiscopo Bremensi, de præeminentiâ devenerat. Gothi enim potiùs Bremensi, quàm Ypsalensi Archiepiscopo obediendum putabant. Ob quam dissensionem Archiepiscopalis dignitas in Suecia, ad aliquot annos intermissa fuit. Proinde Nicolaus ne ea legationis suæ parte, in toto frustraretur, Pallium Archiepiscopalis dignitatis apud Eschilium Lundensem Archiepiscopum deposuisse dicitur: ut illi conferret, quem Gothi & Suecones concordibus suffragiis elegissent. Sed nullus Sueonum Archipræsulum hactenus inventus est, qui se Lundensi Pontifici in accipiendis Archiepiscopalibus insignibus submittere sustinuerit. Et illa titularis dignitas, si quando concessa fuit, in Æschillo extincta evanuit.] Hæc Olaus & Baronius de Nicolai Legatione.

Legatus in Daniam.

XVII. Gilebertus de Sempringham. Neoburg. l. 1. c. 16.

Sub hæc tempora, & passim annus notatur millesimus centesimus quadragesimus octavus, Gilbertini instituti primordia emerserunt authore Gilberto de Sempringham, qui hoc sæculo in Lincolniensi provinciâ sanctitatis opinione claruit. De quo ita Neoburgensis: [Nec silentio prætereundus est Venerabilis Gillebertus, vir planè mirabilis, & in custodiâ fœminarum gratiæ singularis: à quo etiam ordo Sempringhamensis sumpsit exordium; & cum celeri provectu celerem statum. Hic ab annis, ut dicitur, adolescentiæ, propriâ nequaquam salute contentus, sed lucrandarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensiùs cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ausu sumpto ex propriæ castitatis conscientiâ, & gratiæ supernæ fiduciâ. Cúmque cœptis ejus favor videretur arridere divinus: veritus nè fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset; si erumpentem zelum moderatrix scientia non condiret, præsertim minus adhuc à majoribus institutus, tam arduam sollicitudinem arripuisset: virum sapientiæ, & sanctitatis titulis clarum, venerabilem scilicet Abbatem Clarevallensem Sanctum Bernardum adeundum putavit: cujus venerandis consiliis informatus, atque in suo proposito roboratus; tantò ferventiùs, quantò confidentiùs, piis cœptis insistere non cessavit: prosperatúsque est in his, quæ gerebat: & sicut de nobili patriarcha dicitur: Ibat proficiscens atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est: tam in multitudine copiosâ ad omnipotentis Dei servitium aggregatâ: quàm in adjectione rerum temporalium, ad necessaria subsidia corporum, juxta illud Dominicum: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Consulit S. Bernardum.

XVIII. Construxit monasteria virorum et fæminarum.

Denique servorum Dei duo, & ancillarum Dei octo non ignobilia construxit monasteria: quæ & numerosis replevit collegiis; & juxta datam sibi sapientiam, regularibus ornavit institutis. Et quidem circa servos Dei instituendos abundavit indulta ei divinitùs gratia, in sollicitudine fœminarum. Quippe in hac parte, meo judicio palmam tenet inter omnes, quos instituendis regendisque fœminis religiosam operam invenisse cognovimus.] Hæc ille de Regulari instituto, quod ab authore, Gilbertinum; à loco primario fundationis, Sempringhamense appellatur. Locus ille in Lincolniensi provincia, nobilissimo monasterio, Gilbertini instituti illustratur: quod hoc anno erectum habet Catalogus ædium destructarum. Alibi etiam in eadem provinciâ, eadem sub hoc tempus floruit disciplina; multis, ut moris est novum vitæ genus adinuantibus. Imprimis juxta Lincolniam Prioratus est S. Catharinæ; quem Robertus, quem statim Lincolniensem Episcopum appellabimus, erexit. Iterum ad Cateley, vel Catlin monasterium Deiparæ sacrum, Joannes S. Paule Gilbertinis fratribus posuit. Sed & ad Non-Ormesby Prioratus aliquando fuisse ejusdem instituti, cujus author vel noluit, vel non potuit posteritati nomen relinquere. Non ita Alanus de Mansels quia fundator audit Prioratus de Noncothon. Fuit etiam ad Sixhil ejusdem ordinis Prioratus innominato authore & tempore fundationis. Denique illustre monasterium Deiparæ sacrum extruxit Lucia Cestrensis & Lincolniensis Comitissa, cum filiis duobus, Guilielmo de Romara Lincolniensi, & Ranulpho Cestrensi Comitibus. ita refert Catalogus ædium destructarum: ubi malè assignatur fundatum cœnobium tempore Henrici primi: nam poni debet Henrici secundi: quo Rege imprimis floruit Gilbertinum institutum. Hæc quæ recensui loca, in solo Lincolniensi Comitatu fuerunt.

XIX.

Cæterùm quoniam virorum & fœminarum mentio, quos Gilbertus in unum institutum

coëgisse dicitur: & inde animalis homo qui non percipit, quæ Dei sunt, facilè in incontinentiæ præjudicium incidit: ex quo Lutherus Apostata monialem seduxit, genuitque ex ea sectam, regularibus institutis, votæque castitati inimicam: non erit abs te, Gilbertini instituti normam exponere. Si enim nullis eam legibus munivit, periclitabitur enimverò infirmior sexus: nam rectè monuit Spiritus Sanctus: *Ubi non est sepes diripietur possessio.* Contra si *sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus*: quis dubitat: Vinea facta est dilecto, in cornu filio olei. Et Gilbertus vocabitur ædificator sepium, avertens semitas in quietem. Harpesfeldus Cantuariensis Archidiaconus ita ad illius regularis instituti primordia scribit: [Cum Gilbertus singulari propensione animi ad pauperes juvandos proclivis esset; ea tamen ad fœminarum subsidium eminebat. Septem itaque delegit, in quas suam beneficentiam liberalitatemque conferret: quas deinde per sanctam virginitatem Deo consecravit: easque ita Alexandri Lincolniensis Episcopi consilio, authoritateque præeonte inclusit; ut nemini ad eas accessus, solaque fenestra pateret, per quam cibaria eis inferebantur. Ad quod munus puellæ quædam pauperiores, quas laïcas appellant, inserviebant, quæ & ipsæ postea monastico voto illigatæ sunt. Adjecit deinde & viros quosdam qui exteriores, rusticasque monasterii res obirent. Qui & ipsi tandem, toti ex monastico præscripto, cui se palam solenni contestatione devovebant, vivebant.] Hæc sanctæ institutionis exordia fuerunt: & granum sinapis, quod brevi in arborem surrexit. Et quoniam crescente numero, crescebat & periculum: vide sancti viri, piam humilemque industriam; cum à se pii operis laudem, fructumque in alios transferre laboravit. Quod in ejus vita in hunc modum refertur:

Eccl. 36. v. 27. Isa. 5. v. 2.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 37.

INSTITUTUM GILBERTI.

XX. [Crescente demum numero fratrum & sororum, Cistercium ad Papam Eugenium adiit: monachos ordinis illius, utpote regulæ arctioris, suo operi incepto præficere decrevit. Dominus autem Papa, & Cistercienses Abbates, ordinis sui monachos, aliorum religioni, & præsertim Monialium præesse non licere, dixerunt. Data est autem & injuncta Beato Gilberto custodia gregis sui. Regressus autem in Angliam, viros discretos, qui tam viris, quàm mulieribus viam salutis panderent, & Pastorale officium exhiberent, instituit. Habitacula clericorum à domibus monialium procul statuit: Ut Canonici longiùs ab eis remoti, nullum ad eas haberent accessum, nisi pro administrando aliquo divino Sacramento, sub multorum testimonio. Videri autem detectâ facie omninò moniales prohibuit. Quicquid autem intus, sive extra fieri, sive significari oportet: duo senes probati extrinsecùs: & duæ sorores maturæ interiùs deputantes: per quos tantum audientes, & mutuo non videntes, quicquid necessarium est nuntiatur. Monialibus regulam Beati Benedicti: Clericis verò regulam Sancti Augustini proposuit: & ea quæ minus in regulis illis invenit, a multis monasteriis statuta excerpsit, & collegit, Papæ Eugenio misit, & confirmata recepit. Præter pauperum & infirmorum leprosorum, viduarum, & orphanorum Xenodochia quæ construxit; Ecclesias conventuales tredecim, magno labore, & industriâ, in vitâ suâ constituit. In quibus duorum millium & ducentorum numerum, in obitu suo reliquit. omnium Ecclesias æqualiter dilexit: circa omnium negotia æquè sollicitus fuit.]

Capgrav. in Gilberto.

PETIT CUSTODES A CISTERCIENSIB. NON OBTINET. IPSE FIT CUSTOS.

DUO MILLIA ET DUCENTOS RELIGIOSOS RELIQUIT.

XXI. Hæc dedi latiùs de religioso instituto, quibus obturarem os loquentium iniqua. Sunt enim factiosi aliquot, tam in regulari disciplinâ peregrini, quàm in eadem censendâ, & ad mores suos trahendâ præcipites atque insolentes. Hi ex Lutheri genio metientes omnia, castitatem non esse humanarum virium egregiè mentiuntur. Hinc non defuit, qui religiosum ordinem traduxerit: qui procul aspiciens, nec unquam gustans quàm suavis est Dominus; nec intelligens quàm humana natura, Angelicæ connata, formari ad pietatem & castitatem posset; Gilbertinum institutum, infami carmine violare conatus sit. Nigellum Camdenus vocat, verè nigro carbone notandum, & ferè cum illo sentit, nam dubiam castitatem censuit, quam ille Poeta omninò prostituit. Camdenus ubi Lincolniensem agrum circuit, & oppida ibi magis illustria: [Sempringham (inquit) religioso ordine Gilbertinorum, à Gilberto loci Domino instituto, celebre. Ille enim vir planè mirabilis, ut scribunt monachi, & in custodiâ mulierum gratiæ singularis, anno à Christo nato millesimo centesimo quadragesimo octavo, contra Justiniani Constitutiones: quæ duplicia monasteria, quæ virorum simul, & mulierum, vetabant: Verùm Eugenii Tertii Pontificis Romani authoritate munitus, ex viris & mulieribus, sectam instituit: quæ ita excrevit: ut ipse tredecim cœnobiorum hujus ordinis fundamenta jecerit: & Gilbertinos fratres septingentos, sorores centum & mille in suis cœnobiis vivus habuerit: verùm pudicitiæ dubiæ.] Unde de illis Nigellus, qui sub id tempus vixit.

Camd. in Lincoln.

Harum sunt quædam steriles; quædam parientes:
Virgineóq; tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ Pastoralis baculi dotatur honore;
Illa quidem meliùs fertiliùsq; parit.
Vix etiam quævis sterilis reperitur in illis
Donec eis ætas talia posse negat.

NIGELLUS POETA CARPIT GILBERT. RELIGIOSAS.

XXII. Quisquis hæc cum Gilberti vitâ, moribus, industriâ, & cautione composuit; facilè judicabit, & scurriliter Poëtam lusisse: & dubiam Monialium castitatem non fuisse. Quas enim, nec adire, nec alloqui, nec videre poterant: quomodo earum pudori tam impudenter insidiari poterant. Sed recitasse hæc, & Gilbertum nominasse; refutasse est: quod clariùs apparebit, cum ille post diuturnam vitam cælo donabitur, & Sanctorum catalogo, jubente Româ, inscribetur. ut infra. nunc Sancto Sanctum conjungamus.

XXIII. Dixi supra Robertum Herefordensem Episcopum, Rhemos vocatum ab Eugenio Papa, vocanti paruisse. nunc inde, ad cælum vocatum, & mortalem vitam cum immortali vitâ mutasse dicendum est. Vix ille Rhemos advenerat, cum vitæ suæ terminum adesse, valida eum aggressa ægritudo admonuit. Ut tunc se gesserit dicat Harpesfeldus. [Vocatur post hæc Robertus ad Concilium, quod Rhemis Papa Eugenius indixerat. Qui licet justam ex morbo excusationem haberet: maluit tamen de vitâ periclitari, quàm publicis rebus deesse. Cum eò venisset, coactus est ad tertium Concilii diem, lecto, propter morbi magnitudinem se continere. Jámque feriâ

Harpesfeld. sæc. 12. c. 31.

Robertus Herefordensis Episcopus sanctè moritur.

quartâ ante Pascha advenerat: & ille morbum ingravescere sentiebat. Postulat itaque ut sacrosancto ægrotus unguento, de more Ecclesiæ, inungeretur. Ad quod munus illi præstandum Odo Abbas (apud quem Rhemis diversatus est) cum tota Societate cubiculum illius ingreditur. Antistitem verò reperiunt nudo corpore, inque nuda terra prostratum. Ad hoc spectaculum partim obstupescunt, partim miserentur. Conantes in lectum sustollere, non patitur: rogantque ut patiantur Episcopum indignum, gravémque peccatorem, totúmque terrestrem, in terrâ Sacramentum suscipere. Quin, inquit, & hanc mihi quæso misericordiam exhibete, ut meas in Deum culpas severiùs in me vindicetis. moxque virgas quas in parato habuit, ad se cædendum obtulit. Sed cùm illi recusarent, rapit ille è manu unius virgas, séque miserandum inmodum cæcidit: donec unus è domesticis accurrens, virgas ei extorqueret. moxque delibutus sacro illo oleo, & sacrosanctâ Eucharistiâ exitum suum muniens, turbas omnes, quantum potuit, amovit: diem illam, noctémque sequutam, in exquisitâ quâdam cogitatione, meditationéque eorum, quæ in Christum nefarius Judas, & scelerati Judæi, eo die attentarunt, transigens. Consequentem quoque diem, in accommodatis tempori meditationibus: in quo potissimum reconciliationis peccatorum, cœnæ Dominicæ, triplicisque olei consecrati mysteria celebrantur, consumens.]

XXIV. Pluribus Author prosequitur ea, quæ sequentibus diebus, qui Dominicam Resurrectionem anteibant, piè egit: ut pauperum pedes, nixis in terram genibus abluerit, ut Crucem in Parasceve religiosissimè coluerit. addit denique: [Paschatis die totus erat in consideratione, atque contemplatione gloriæ resurgentis Christi, ex qua alacri & erecto animo, magnáque fiduciâ imminentem exitum expectabat. Sequenti verò die, qui ei supremus illuxit, postquam octodecim dies decubuisset, animam sanctam Deo commendavit. Quo cum die Eugenius Papa invisit, & mirificè consolatus est: & confessionem ipsius, qua peccata expiavit, audivit. Hunc pium Pontificem, non solùm vita innocenter acta: sed & multa, quæ tam vivus, quàm post obitum, miracula edidit, orbi commendarunt. E quibus est, & illud quod semel atque iterum in undis perituros admirabiliter liberarit: quod dæmonem ab eo, cui aquam à se consecratam, bibendam miserat, excusserit. Obiit Beatus decimo sexto* Kalend. Martii, anno millesimo centesimo quadragesimo octavo, & Episcopatus decimo septimo. Corpus demortui delatum est, per Cantuariam, Roffam, Londinum & alias urbes Herfordiam non sine ingenti ubique locorum luctu, & lamentatione, quæ Londini præsertim insignis erat: Henrici præter cæteros Wintoniensis Episcopi, atque adeo ipsius Regis Stephani.] Hæc omnia Harpesfeldus, qui plura sancti Antistitis mirabiliter acta, tam in Galliis, quàm in Angliâ, recenset, è Guilielmo Lantoniensi, qui post Robertum hunc in Priorem monasterii de Lantoni electus, historiam vitæ ejus scripsit.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 33.

Miracula ab eo patrata.

* alias 15.

XXV. Alexander Lincolniens. Episcop. moritur.

Moritur etiam hoc anno, Alexander, Lincolniensis Episcopus, qui superiori anno ad Romanum Pontificem in Gallias profectus, adversa valetudine ibi tentatus: & inde in patriam reversus, crescente vi morbi extinguitur. Tempus mortis notavit, qui ab eo factus Archidiaconus est, Henricus Huntindonius: [Anno (inquit) decimo tertio Regis Stephani mortuus est Alexander Episcopus, & sepultus apud Linconiam in capite jejunii.] Successit in Sedem, eodem anno, Robertus de Chesney, Leycestrensis Archidiaconus, in Episcopum consecratus ante finem Septembris. De illo sic scribit Godwinus in Catalogo: [Palatium suum Episcopale ferè totum à fundamentis construxit: & cœnobium sive Prioratum sanctæ Catherinæ propè Londinum Gilbertinis posuit: quod suppressionis tempore dicebatur valuisse ducentas septuaginta libras annui census:] Sed fallitur opinor in loco fundationis: nec enim propè Londinum, sed propè Lincolniam S. Catharinæ Prioratus Gilbertinis ponitur, ut suprà* adnotavi. Ad Robertum hunc statim à promotione in Sedem, scripsit Arnulphus Lexoviensis Episcopus, & de novâ dignitate adeptâ in hunc modum eidem gratulatur.

Robertus Lincolniensis Episcop.

Godwin. in Roberto.

* hic n. 18.

Ad Robertum Lincolniensem Episcopum.

XXVI. *In marg. Biblioth. to. 12. p. 2 f. 45.*

Literas vestræ dilectionis accepi: quas tanta charitate complexus sum, quanta tanti viri gratiam decuit gratulatione complecti. Timueram sanè, nè memoriam mei apud vos diuturnitas temporum, vel distantia regionum, vel ipsa novissime vestra promotio delevisset: quoniam novæ dignitates veteres solent amicitias immutare: Creat enim sors novum, & novos affectus, nova conscientia dignitatis: divitésque facti, paupertatis amices, sunt ipsâ paupertate fastidiunt: nè quid penes eos de veteri videatur inopiâ resedisse: solos autem venerantur & diligunt, quos fortuna conducit, solisq́; gaudent sublimibus inhærere: ne majestas dignitatis inferiorum frequentiâ, vel humili mediocrium gravetur accessu. At verò constantia vestra, veterem amicum recenti memoriâ retinens, absentem præsenti charitate complectitur, ipsumq́; spiritualibus oculis frequentiùs intuens, & Episcopalis nunc fastigii divitias, gratiam; & obsequium, non minùs liberaliter offert, quam mediocris olim promiserat juventutis. Retinendos credidit; quos ad diligendum liberalis invitavit affectio, quos fides veritas, non delus cupiditatis illexit: qui fidi personæ comites, non fortunæ, omnes vobis compartiuntur eventus. Et ego quidem quantum ad me spectat, quem ejusdem, & similis, licet non tanta dignitatis gratia sublimavit. hanc in vobis virtutem longanimitatis admiror. Quæ scilicet ibi tanto admirabilior est, ubi minoribus eandem exhibetis affectum. Vivebat autem vobis nihilominùs apud me vetus, sed non inveteratâ dilectio. quæ licet ab adolescentiâ primâ processerit, nullam adhuc potuit incurrere senectutem: sed me ad omnia quæ vobis placita forent, paratum tota devotione servabat: Quia igitur otiosus amor esse non debet; sed alternis invicem pascitur, & revirescit obsequiis: id interim à dilectione vestrâ petendum sensui, ut Ducem nostrum, cui jus successionis hereditaria regni vestri gubernacula debet, quantum honestate vestra poteritis, diligatis: mihiq́; cum occasio suggesserit, quod placuerit injungatis, ut mutuæ dilectionis affectus, mutuâ semper operis exhibitione concrescat. Vale.

XXVII. Per Ducem, quem Arnulphus Roberto commendas, petitque diligi; Henricum, opinor, intelligit Normanniæ nuper creatum Ducem: qui

Howeden. hic.

revera jus hereditariæ ſucceſſionis regni noſtri paulò pòſt gubernacula dabit. [Enimverò hoc ipſo anno (ut ſcribit Rogerius) Gaufridus Conſul Andegavenſis maritus Imperatricis, filii Regis Henrici primi (& matris ſecundi) intravit Normanniam, cum magno exercitu, & debellavit eam & obtinuit in ea multa caſtella. & civitates munitas. Proceres enim Normanniæ memores Sacramenti, quod fecerant prædictæ Imperatrici, & heredibus ſuis de Normanniâ, ex facili ſe convertebant ad ſervitia eorum.] Itaque Henricum Gaufridi filium; cui parens Normanniæ ducatum dederat, Arnulphus in Normannia Epiſcopus, Roberto ad Lincolnienſem ſedem aſſumpto, cui nova dignitas potentiæ authoramentum fuit; commendat. Certè Robertus is erat, qui ſummis infimiſque gratus fuiſſe, vel magnum Henrico juveni, ejuſque cauſæ momentum eſſe poterat. de eo enim hæc habet Huntindonius: [Eodem anno (nimirum quo Alexander moritur) appropinquante Natali, Robertus, cujus cognomen eſt, de Querceto (Gallicè Cheſney) Archidiaconus Leyceſtrenſis, juvenis omni laude dignus, electus eſt in Epiſcopum Lincolnienſem. A cunctis igitur honore tanto dignus eſt habitus, Rege, & Clero, & populo, cum ſummo gaudio annuente, benedictionem Pontificalem, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ſuſcepit: & apud Lincolniam, cum ſummo tripudio magnus expectatione, major adventu, à Clero & populo, cum devotione ſuſceptus eſt. Proſperet ei Deus tempora prava: & juventutem ejus ſoveat rore ſapientiæ, & exhilaret faciem ejus jucunditate ſpirituali.] Ita illi fauſta adprecatur Archidiaconus ejus.

Huntind. hic.

XXVIII. Cæterùm, cur Arnulphus hoc tempore pro Henrico oraverit: illa ratio redditur quod iter in Angliam, ad Scotorum Regem avunculum ſuum adornaret: quod uterque Matthæus ad hunc annum, alii in ſequentem rejiciunt. de quo ſtatim. hic ad Eccleſiaſtica redeo. Sancti Erconwaldi tranſlationem olim Eccleſia Anglicana ſolenniter celebravit: quam hoc anno factam tradit uterque Matthæus. Contigit autem in hunc modum, quem narrat author vitæ apud Capgravium. [Omnibus (inquit) ritè peractis: cum Crucibus, & cereis; Sacerdotibus etiam, ad tam venerabile obſequium præſtolantibus: cum proceſſione, & letaniis, ad tumulum venientes Erconwaldi loculo ligneo ſubelevato, repertum fuit corpus ſacratiſſimum iiſdem ſigillorum munitionibus, quibus jam pridem fuerat, præmunitum. Tandem divinâ providentiâ, tantus factus eſt concurſus populorum, ut toto niſu reluctantibus, qui præ foribus aderant, ipſas fores ferris poſtibuſque excuterent. Nec à ſuo deſiderio defraudati tam ineffabile Sacramentum perſpexerunt. His itaque geſtis ſanctâ devotione fidelium, corpus glorioſi Pontificis, dignâ cum reverentiâ, ad locum honorabiliorem eſſe transferendum. Statuto autem die, quo dicta ſolennitas debebat celebrari: convenerunt Pontifices & Clerici, ad tam magnificum myſterium peragendum ſpecialiter evocati. Cúmque ciſta plumbea, in quâ priùs jacuerat, cum ſacro corpore, ad locum eidem de novo paratum portaretur: inventum eſt per ignorantiam artificis, quod vas illud cum corpore, in longitudine & latitudine, ſepulchro jam parato majus eſſet. Et ecce, cum omnes qui aderant, pro tantâ negligentiâ multùm eſſent contriſtati: ſubitò Dei potentiâ, major in lapide fit apertura: ita quòd durities lapidis ſacro-ſanctis reliquiis locum daret. Quod affirmabant qui aderant ſorori ſuæ Ethelburgæ olim eveniſſe. Tranſlatum, eſt itaque ſanctiſſimi corpus Erkenwaldi, & cum tantâ pietate repoſitum, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo, menſis Novembris die quarto decimo.] Ita ibi. Dies quidem menſis benè conſignatur. Eo enim die in noſtro Martyrologio Tranſlatio recitatur, & uſus ſacrum eo die feſtum illud celebravit. Sed in utroque Matthæo additur ſupradicto numero octavus: & ita legitur: [Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo Tranſlatio ſancti Erkenwaldi Epiſcopi, decimo octavo Kalendas Decembris.]

S. Erconwaldi translatio.

apud Capgr. in Erconwaldo.

Vterq. Matthæus hic.

XXIX. Inter Cruce ſignatos, qui ſuperiore anno frequentes Palæſtinam petiverunt, Rogerus de Clinton Coventrenſis & Lichfeldenſis Epiſcopus numeratur: is hoc anno in patriam reverſus, hoc eſt in cœleſtem Jeruſalem tranſitus, Angliam non repetiit. nam Antiochiæ obiit Aprilis decimo ſexto, anni (ut habet Godwinus) milleſimi centeſimi quadrageſimi octavi. Opera quæ ſequuntur eum fuere, Prioratus ſancti Joannis Baptiſtæ quem Lichfeldiæ fundavit; & monaſterium Ciſtercienſibus monachis apud Bildewas, ut Godwinus opinatur. illud certius, quod magnam partem Eccleſiæ Lichfeldenſis à fundamentis conſtruxerit, & ibidem præbendarum numerum auxerit: Civitatem Lichfeldenſem foſsâ muniverit, & in arcis ſtructuram magnum ſumptum profuderit. Quis illi ſucceſſerit habes anno ſequenti.

Rogerus Clinton Coventriensis Epi. moritur.

Eius opera pia.

XXX. Huic jungendus Robertus Fitzhardinge, qui monaſterium nobile ad Briſtoliam condidit, in Somerſetenſis, & Gloceſtris agri confinio. de qua fundatione hæc habet Godwinus: [Robertus, Fitzharding cognominatus, quod patrem habuerit Hardingum Danorum Regis filium, cum civis eſſet Briſtolienſis: & ejuſdem civitatis nonnunquam, ut ferunt, Prætor, monaſterium condidit Divo Auguſtino ſacrum prope dictam civitatem, & in eo Canonicos Regulares collocavit anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo. Hanc fundationem confirmavit & prædiis auxit Henricus ſecundus Rex apud quem tam gratioſus fuit conditor ejuſdem, ut matrimonio jungendum curaverit, cum unica filia Baronis de Barkley: à quibus Barones Barkley moderni perpetua ſerie ſtemma deducunt.] Hæc ille. Et revera cum Stephani Regis ſucceſſore, tam arcta junctus eſt Robertus ille amicitia: ut dicti monaſterii Henricus ſecundus, & Robertus ille confundatores eſſe, & haberi voluerint. Sic enim in veſtibulo Eccleſiæ inſcriptio legitur, apud Camdenum, ubi Briſtoliam urbem illuſtrat:

Robertus Fitz-Harding fundat monasterium Canonicorum Reg. S. Augustini.

Godwin. in Bristow.

REX HENRICUS II. ET DOMINUS ROBERTUS FILIUS HARDINGI, FILII REGIS DACIÆ HUJUS MONASTERII PRIMI FUNDATORES.

XXXI. Hic eſt Henricus, qui hoc anno, ut habet Rogerus, ad Scotorum Regem profectus militiæ cingulum primum induit. Sic enim ille: [Henricus filius Mathildis Imperatricis jam ſedecim annorum juvenis, nutritus in curia David Regis Scottorum * avi matris ſuæ, factus eſt miles

Hoved. hic.

* *avunculi*

[Henricus II. iuvenis factus miles a Davide Rege Scotorum. — Neuburg. l. 1. c. 22.]

ab eodem Rege David in civitate Carleoli, priùs dato Sacramento: quòd si ipse Rex Angliæ fieret, redderet ei Novum-castrum, & totam Northimbriam: & permitteret illum, & heredes suos in pace sine calumniâ in perpetuum possidere totam terram quæ est à fluvio Twede, ad fluvium Tine. Deinde idem Henricus, per auxilium & consilium David Regis Scottorum transfretavit in Normanniam, & receptus à Proceribus Normanniæ, factus est inde Dux.] Ita author ad hunc annum. Meminit hujus transactionis, Davidem inter & Henricum, sed illam non omninò asserit Guilielmus Neoburgensis: [Aquilonaris (inquit) Regio quæ in potestatem Domini Regis Scotorum, usque ad fluvium Tesam cesserat; per ejusdem Regis in pace agebat. Ad quem Henricus ex nepte ejus Mathilde, olim Imperatrice, Andegavensis Comitis filius, & Angliæ Rex futurus, à matre missus, jam pubes accessit, & ab eo apud Lugubaliam (quæ vulgò Carleil dicitur) cingulum militare accepit. præstitâ priùs (ut dicitur) cautione: quòd nulla parte terrarum, quæ in ejusdem ex Angliâ ditionem transissent, ejus ullo tempore mutilaret heredes.] Ita ille; sed quicquid sit: dederit Henricus cùm minor esset, aut non dederit fidem, de Northumbriâ Scotis permittendâ: Major tamen factus, & coronâ auctior, Northumbriam è Scotorum manibus hostili manu extorsit, ut dicetur. Moritur hoc anno (ut vult Godwinus) Urbanus Menevensis Episcopus, & Sedem illam intrat David eo nomine secundus, de quo infrà an. 1168. n. 60. & 61.

ANNUS CHRISTI 1149.

EUGENII III. PAPÆ 5.

STEPHANI REGIS 14.

I. [Gilbertus Herefordensis Episcop.]

Christi annus quadragesimus non supra millesimum centesimum, viduis Ecclesiis dabit Antistites. Herefordia nuper in Galliam miserat, & amiserat ibi magnum Patrem, non facilè repertura similem illi. Luxit ergo, donec hoc anno Gilbertus, cognomento Foliat, qui ex Abbate Glocestrensi (ut Westmonasteriensis) vel Leycestrensi (ut Balæus) ad Herefordensem Sedem assumptus, consecratur. Joannes Pitsius Balæum sequutus Canonicum Regularem vocat professionis S. Augustini: quod si verum, è Leycestrensi monasterio prodiisse dicendus est; quia ibi ejus instituti Canonicos suprà *posui, & in Glocestrensi alterius. Fallitur tamen Pitsius, eum scribit: [Gilbertus dum erat Episcopus Herefordensis (nam postea ad Londinensem sedem transiit) ei tanquam literato viro, literatorumque hominum optimo patrono, Osbernus Claudiocestrensis pleraque sua nuncupaverat opera. Item postea, cum jam esset Episcopus Londinensis, Divus Bernardus ei scripsit Epistolam, quæ in editione Parisiensi habetur ordine vigesima quarta: in quâ vocat eum Magistrum Gilbertum, & non semel ejus sapientiam, præclara studia, & specialem (sic enim loquitur) commendat Philosophiam.] Fallitur, inquam, quia quicquid sit de

[*v. an. 1043. n. 13. — Pitsius in Gilberto.]

Osberno Claudiocestrensi: certum est S. Bernardum Epistolâ illâ, non Gilbertum hunc, sed alium eo priorem, cognomento Universalem (ita enim Epistola inscribitur) ab eruditione commendatione. & ingens suspicio est; idem de Osberno dicendum; quia inter illustres scriptores, à Pitsio, ponitur, quadringinta ampliùs annos Gilbertum hunc præcessisse. De illo, cum Londinum migrans, illustrissimum Martyrem Thomam Cantuariensem immanè persequetur, plura inferiùs. Licet enim in Herefordensi sede, Sanctum sequutus sit, tamen non est inventus similis illi. [v. an. 1133. n. 3.]

II. [Walterus Durdent Coventrensis Eps. — Godwin in Covent. & Lichf.]

Coventrensis etiam Ecclesiæ superiori anno Pastore caruerat, & hoc anno Walterus, cognomento Durdent, Ecclesiæ illi præficitur: de quo non aliud scribendum occurrit, quàm quod habet de illo Godwinus: [Walterus Durdent (inquit) Ecclesiæ Cantuariensis Prior consecratus est anno millesimo centesimo quadragesimo nono: & obiit anno millesimo centesimo sexagesimo primo. Coventriæ sepultus.

III. [Moritur Robertus Exoniensis Eps. — Godwin. in Exon.]

Ad Ecclesiam spectat mors Roberti Chicesteri, Exoniensis Episcopi: quem hoc anno è vivis sublatum inde colligitur; quod duos & viginti annos, non ultra sedisse dicatur: quem igitur ad Episcopi Sedem consecravimus anno millesimo centesimo vigesimo octavo, debemus hoc anno, Sede motum, in sepulchro deponere. De illo & ejus morte hæc Godwinus: [Cum annos præfuisset viginti duos, diem clausit extremum: & in Ecclesiâ suâ sepultus est. Idque, ut fas credere, ab australi parte summi altaris. ubi tumulum videmus Episcopi cujusdam: & Chichesteri hunc esse, inde colligo, qui adjunctum habet monumentum, è regione januæ, quæ ducit ad palatium Episcopale nobilis cujusdam ex Chichesterorum familiâ, prout insignia in clypeo depicta satis ostendunt.] Ita ille. Successorem habebit anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto.

IV. [Stephanus iturus in Septentrionem cingulo militari ornat Eustachium filium.]

In alterâ Rep. quievisset Insula, nisi è Normanniâ Henricus venisset, & in Scotorum societatem ascitus; inde Stephano Regi bellum, & belli consequentia, incertam Martis aleam, minaretur. Ea propter Stephanus armatâ manu in Septentrionem pergit: ratus faciliùs esse, arcere hostem ab ingressu; quàm ingressum pellere, aut profligare. Priùs tamen quàm pergeret, Eustachium filium, eo modo militari cingulo, ad militiam præparat; quo præparatum, & ornatum supra diximus Normanniæ Ducem Henricum: & secum in Septentrionem ducit. ut si David Rex, Regi Stephano occurreret: esset etiam in exercitu Princeps, qui Henricum Principem exciperet: & eo tyrocinio spectaret orbis, uter corona, & imperio dignior. Sed nihil admodum utrimque actum: nam Reges in urbibus quiescentibus, solùm leves per agros velitationes, non leve tamen malum civibus intulerũt. Huntindonius rem hanc paucis absolvit. [Anno decimo quarto regni Stephani, Henrico nepoti suo, David Rex Scotorum virilia tradidit arma. Cùm autem congregati essent in solennitate Rex Scotorum cum viribus suis: & nepos suus cum occidentalibus Angliæ proceribus: timens Rex Stephanus, ne Eboracum invaderent: venit in urbem cum maximo exercitu. Ibique moratus est, per mensem Augustum. Eustachius verò filius Regis Stephani (nam & ipse eodem anno virilia sumpserat arma) [Huntind. an. 18.]

Eustachius irruit in terras, eorum qui erant cū Henrico .V.

irruit in terras procerum, qui erant cum Henrico filio Imperatricis. Nullo ergò contradicente, Marte & Vulcano comitantibus, non modicum illis damnum inflixit. Rex verò Anglorum, & Rex Scotorum: quorum alter erat apud Eboracum, alter apud Carloil; sibi mutuò caventes, & offendere timentes, per seipsos divisi sunt, & ad domicilia regnorum repedarunt.]

Gaufridus tradit Henrico filio Normanniam.

Ad hunc annum, ut refert Parisiensis, Ludovico in Gallias è Hierosolymitanâ expeditione reverso, cœpta controversia, inter ipsum, & Andegavensem Comitem, in apertam inimicitiam transiit. [Anno Domini (inquit dictus Author) millesimo centesimo quadragesimo nono, Gaufridus Dux Normanniæ reddidit Henrico filio suo Normanniam hæreditatem suam, ex parte matris suæ, contra prohibitionem Regis Francorum. Unde discordia, inter ipsum Regem, & Ducem orta est.] Noverat enimverò Ludovicus Rex, Henrici Principis jus ad imperium Angliæ: quo simul potitus, futurus sine dubio erat Galliæ formidandus: cum multis etiam in Galliâ provinciis imperaret. Malebat ergò (jure an injuria, disputent alii; Reges interdum id parum curant) Henricum minorem esse cessione, non majorem accessione Normanniæ. Hoc in causâ fuit, cur Eustachium Stephani filium ex Angliâ evocarit, Henrico opponendum. nam sequenti anno in Normanniâ concurrent.

ANNUS CHRISTI 1150.
EUGENII III. PAPÆ 6.
STEPHANI REGIS 15.

I. ANNUM sequentem ita breviter absolvit Rogerus in Annalibus: [Anno gratiæ (inquit) millesimo centesimo quinquagesimo, qui est annus decimus quintus regni Regis Stephani, facta est Abbatia Holcoltram, & Abbatia de Kinros in Murevià. Eodem anno ordo Præmonstratensis venit ad Driburc, ad festum S. Martini.] Inde transit in sequentem annum. Ego tam libenter in monasteriorum fundatione versor, quàm libenter illa factiosi destruxerunt. Sed hic fateor tenebræ sunt; & opinor, vel amanuensium, vel typorum vitia. nihil enim definio. Abbatiam primo loco nominatam ego supra * paulò aliter appellavi. nimirùm ab Ulmo, & quia alia per Angliam monasteria, eo nomine audiebant: ad eorum discrimen Holme Cultraine; vel ut in Catalogo ædium destructarum; Holme Cultrevi dicebatur. Et quod ad fundationem spectat, longè probabilius est priùs, quàm classicum, ut nuper, inter Scotos & Anglos sonabat, positam. obscuriora sunt Kinros, & Murevia: & prorsus pendeo quid dicendum. Quia tamen, inter Ordovices, provincia est, quam vulgò Merionethshire, latinè Mervinia dicitur: & monasterium ibi ad Kinner, a Leolino filio Gervasii extructum ac Deiparæ consecratum invenio: cur non licet opinari Rogerum de loco & provinciâ illâ loquutum. Cæterùm si probabilius aliquid afferebatur, humiliter acquiescam.

* v. an. 1135. n. 11.

II. Præmonstratensis Ordo venit in Angliam.

De ordine Præmonstratensi hic prima mentio in Annalibus nostris: & primùm hoc seculo sub annum centesimum vigesimum supra millesimum institutus, à Norberto regulam S. Augustini, à loco nomen sortitus, in Insulam nostram religiosis institutis addictissimam, sub hæc tempora migravit. Felix profectò & fœcundum sæculum, quando post antiquos religiosæ vitæ conditores, qui Ecclesiam pius melioris vitæ documentis, & cælum multis Sanctis impleverunt: novi succedunt novæ vitæ ductores, Cluniacenses, Cistercienses, Præmonstratenses, qui mundo majores, in Ecclesiæ firmamento velut Stellæ lucent, Sponsamque Christi tam decorè ornant: ut Regius Propheta, in Ecclesiæ laudes effusus dixerit: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Verè castra Dei sunt, & munitiones solidæ contra humani generis hostes, contra vitiorum gurgites, contra bestiarum incursus, & vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam. Et cur miramur Hæreticos facinorosos & impios, monasteriis ante omnia insidiari, illa convellere, atque destruere. Quis enim fortiùs in hæreses pugnat & vitia? Quis schisma Petri Leonis, Quis Arnuldi hæresim, Gilberti Porrétani errores vehementiùs insectatus Sancto Bernardo? Et quia in Præmonstratensibus sumus: Quis Norberto acriùs Tanchelino restitit, aut pressit ejus paradoxa? Benè ergo venerint Christi milites: Stephanum Regem doceant, & provinciales ejus Christo militare.

III. Ubi primò Præmonstratenses posuerunt sedem.

Ubi primùm in Angliâ pedem, hoc est, domicilium fixerint: ideò quærendum est, quia author supra dixit, ordinem illum ad Driburc venisse, ad festum S. Martini, & locus ille non comparet. Lego tamen in Catalogo ædium destructarum, & Lincolniensi provinciâ, locum Newhouse appellatum, ubi Prioratus ponitur Sancto Martiali sacer: ubi primùm Præmonstratensis ordo in Angliâ Sedem fixisse disertè affirmatur: qui etiam ab habitu, tam ibi, quàm alibi, Canonici albi appellantur, ad eorum differentiam, qui Augustini regulam professi, vel nigri, vel Regulares Canonici, vel demum Eremitæ dicuntur. Sic in eâdem Lincolniensi provinciâ, Canonici quoque albi, & fortè sub idem tempus, ad Mewson consedisse ponuntur. Quis utrumque locum, novis incolis fundaverit, an unus idemque fuerit, est arduum conjicere. Quia fundator prioris loci, Petrus de Ganlia scribitur: posterioris, Petrus de Galsa. vereor, ut sequior impetus monasteria demolitus est; ita monasteriorum fundatores vel confundit, vel obliterat.

Alia loca Præmonstratensium.

Sunt alia loca paulò illustriora, quæ Præmonstratense institutum amplexa sunt. ut Sulby in Northamptoniæ provinciâ, quod regnante Stephano, adeoque sub hoc tempus (nam brevi regnare desinet) fundavit, & albis Canonicis implevit Gulielmus Wodeville. & statim cum mortuo Stephano Henricus successit, eo nomine secundus, in Nottinghamiensi agro duo monasteria surrexerunt: unum de Newsteed, sive novo loco dictum, quod Deiparæ Virgini dedicatum Rex ipse Henricus Præmonstratensibus assignavit. * aliud ad Welbeck, iisdem monachis extruxit Thomas de Cokeney. Sancto Jacobo sacrum. plura, ubi occurrunt, suis locis dabo opportuniùs. Hic solùm noto Angliæ provinciales Deo, Deiparæ, Sanctis, & mona-

steriis, religiosisque hominibus olim fuisse addictissimos.

IV. Prætermiseram ferè aliorum Ordinum hoc anno fundationes, novo fortè ordini nimiùm intentus. Diu floruit in Eboracensi agro nobilis Abbatia Meaux dicta: eò quòd Gamel quidam Gallus ad Meldense nimirum Meaux oppidum natus, locum illum à Guilielmo Pruno, dono acceperit, Sedémque ibi ac domicilium fixerit. eo mortuo locus ad Guilielmum le Grosse Albæ-Marlæ Comitem descendens: cum ille Jerosolymitanum iter vovisset, cupereque postmodum voti solutionem, jussus est Abbatiæ fundatione votum redimere: & ita factum. Ecclesiam ibi erexit Deiparæ sacram, & Cluniacenses monachos (ita Camdenus) vel Cistercienses (ita Catalogus ædium destructarum) ibidem, sub Beatissimæ Virginis patrocinio, collocavit. anno ut ibi exprimitur, millesimo centesimo quinquagesimo, & quia ibidem additur Stephani Regis annus decimus sextus: fortè sub anni finem perfecta est fundatio.

Ecclesia sacra Deiparæ Cisterciensis. *Camden. in Iorkshire. Speduo in Catalogo.*

V. In alterâ Republicâ, Stephanus Rex, pergit eos premere, qui subdi nolebant: & plures erant, qui castellis, & arcibus muniti, Regis imperium exuerunt. Eos inter Walcranus Comes de Mellento, Wintoniæ urbem, castrúmque occuparat, dono primùm, permissúque Stephani: sed hoc difficili tempore, cum Regis jurisdictio vacillaret: qui viribus, pecuniâ, & clientelâ valebant, Principatum sibi in cæteros arrogarunt. In eo ergò premendo, hoc anno laboratum, sed nullo Stephani commodo, cæterùm ingenti civium, & civitatis dispendio. * Huntindonius rem gestam ita narrat. [Anno decimo quinto Regis Stephani, Stephanus Rex, agminibus congregatis urbem Wirecester pulcherrimè assilivit, & captam incendio deturpavit. Castellum tamen quod urbi inerat, capere non potuit. *Urbs námque illa Waleramni Comitis erat de Mellent. quam ipse Rex Stephanus ei, malo suo, dederat. Ditatæ igitur spoliis urbis dirutæ Regales turmæ, per terras inimicorum remeaverunt: & inde prædam innumerabilem, nullo resistente, secum reduxerunt.] Hæc ille: Sic majorum factione minores vapularunt. Meminit Wintoniensis urbis incendii, & dicit fortuitum fuisse. [Wintonia diu floruit (inquit) nisi quod uno & altero incendio fortuito deformata, & militari insolentiâ, intestino bello inter Stephanum, & Mathildem direpta.] Unde Nechamus noster, qui illa ætate floruit.

[Ste]phanus obsidet Wintoniam. [D]iripit.

[H]untind. hic

Camden in Hamshire.

Guintoniam titulis claram gazâq; repletam
Noverunt veterum tempora prisca Patrum
Sed jam sacra fames auri, jam cæcus habendi
Urbibus egregiis parcere nescit amor.

VI. Hæc in Angliâ: foris in Normanniâ pro principatu certatum. Galli Henrici novi Ducis prospera adverso oculo contuentes, quietem ejus interturbant: & penitus è Normannia exturbare conati: conati tantùm sunt. nam sanguini parcitum; & inito fœdere, Henrico Normanniæ Ducatus firmior mansit. Ludovicus, Galliæ Rex, ægrè tulit, se inconsulto Normanniæ Ducem creari, feudum esse prætendens, volensque beneficii author haberi. Hinc orta superiori anno discordia, hoc anno erupit in bellum, de quo ita Parisiensis. [Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo Rex Francorum Ludovicus, & Eustachius, filius Regis Stephani, cum militiâ copiosâ venerunt ante turrim de Archis, ob discordiam memoratam. Ubi etiam adfuit Dux Normanniæ Henricus, & pater ejus Comes Andegavensis Gaufridus, cum ingenti exercitu Andegavensium, Britonum, & Normannorum. Sed videntes utriusque partis Principes: quòd Legiones illùc nequibant sine magnâ effusione sanguinis hostiliter convenire; cœperunt de pace tractare: & intervenientibus utrorumque amicis, Rex Francorum cœpit Homagium Ducis Henrici: & sic pacifici recesserunt.] Sequitur in eodem Authore, ut Henricus in Normanniæ Principatu confirmatus, de Angliâ invadendâ consilium cœperit. Qua durante consultatione, moritur Gaufridus Andegavensium Comes, Henrici pater. Quod magnum Henrici consilio momentum: de quo anno sequenti. Priùs enim moritur Everardus Norwicensis Episcopus; hoc nimirum anno millesimo centesimo quinquagesimo, ut Godwinus in Catalogo supputat.

Paris hic.

Ludovicus Galliæ opponit se Henrico.

Pax fit.

ANNUS CHRISTI 1151.

EUGENII III. PAPÆ 7.

STEPHANI REGIS. 16.

I. Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo: cum Anglia in Fide Orthodoxâ, Catholicâ, Romanâ, constantissimè persisteret: & eandem foris Angli, cum Nicolao Cardinale, Apostolico in Septentrionalibus partibus Legato propagassent. eorum unus hoc anno eandem fidem suo sanguine sigillavit. Is fuit Henricus, quem suprà * Nicolaus Cardinalis & Albanensis Episcopus, Ypsalensem Episcopum consecravit. qui pientissimè pastorali munere functus, in præmium laboris, mercedem accipit, coronam Martyrii: & quoniam ex Angliâ descendens, ab Anglico Legato in Finlandiâ consecratur, Anglorum Annalibus, non brevi compendio; sed paulò ampliore narratione debetur. Quod ad Martyrii tempus spectat, sic paucis Baronius ad hunc annum: [Hoc eodem anno sanctus Henricus Finlandiæ Episcopus, & totius illius gentis Apostolus; ubi eos magnâ ex parte, ad Christianam Fidem convertisset: grassatione impiorum necatus, Martyrii coronam consecutus est. Cujus præclarum agonem, & Apostolicum munus pro Christo susceptum; & consummatum Joannes Olaus discripsit in suâ Metropoli Ypsalensi, & in commentariis de rebus Gothicis.] Hunc sanctum Anglia sibi asserens, Martyrologio suo illum inscripsit, ad decimum nonum Januarii: & Brabantia memoriam ejus religiosè conservavit in Manuscripto Codice Bibliothecæ monasterii Rubræ-valhs: de qua Bibliotheca & monasterio, ita scribit Aubertus Miræus in Fastis Belgicis: [In Rubrâ-valle (Abbatia Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini) quæ olim fuit Clusa, seu secessus unius Eremitæ, perampla visitur bibliotheca, libris Manuscriptis referta, ex qua Laurentius Surius, Joannes Molanus, Heribertus Rosweidus, & nos multa de vitis Sanctorum hausimus.] Ita Miræus. In hac Bibliothecâ, &

**v. su. 1148 n. 16.* Henricus, Ypsalensis Episcop. Martyr.

Baron. hic.

Olaus de Reb. Goth. l. 19. c. 3.

Miræus in Fastis ad 1. Decemb.

Manuscripto Codice hæc de sancto Henrico leguntur:

Passio S. Henrici Archiepiscopi, quæ est 14. Kalend. Februarii.

II. Passio S. Henrici Archiepiscopi Finlandiæ.

Regnante illustrissimo Rege Sancto Erico, in Sueciâ; Venerabilis Pontifex, Beatus Henricus, de Angliâ oriundus, vita sanctitate conspicuum, & morum honestate præclarus, Upsalensem regebat Ecclesiam. Quibus, quasi duobus magnis Luminaribus, populus terræ illius, ad veram Dei notitiam, & cultum magis, illuminabatur jugiter, & informabatur. Sanctus autem Rex, insignem Pontificem, vitâ & moribus, Ecclesiasticæ dignitatis culmine præpollentem, veri amoris complectebatur affectu: & speciali familiaritatis gratiâ, plurimùm honorabat. Felix patria, cui [* quam] *divina Majestas concesserat, talium & tantorum Rectorum, eo tempore, moderamine gubernari. Non erat tunc timendum, quod regnum in se divisum, dessecatione suâ desolaretur: dum ad gloriam Dei, & justum tranquillumque, regnum subditorum capita populorum, tam concorditer convenirent. Ædificatur illo in tempore Ecclesia, crescens in templum Dei: rectificabantur leges, quas simplex antiquitas, vel minus rectè condiderat, vel perversitas malignorum obliquaverat. Studebatur paci, & justitia subditorum: Lupi rapaces dentes venenatos in insontes acuere non audebant. Cum Rex sedens in solio suo, intuitu suo, omne malum dissiparet: & bonus Pastor viriliter super custodiam gregis sui vigilaret. Cum verò plebs Finlandiæ, tunc cæca & crudelis gentilitas, habitantibus in Suecia gravia damna inferret; Sanctus Rex Ericus, assumpto secum ex Ecclesia Upsalensi, Beato Henrico Præsule: collecto exercitu, contra nominis Christi inimicos, expeditionem dirigit. Quibus potenter fidei, & suo dominio subjugatis, baptizatisque plurimis: & fundatis in partibus illis Ecclesiis; ad Sueciam, cum gloriosâ victoriâ remeavit.*

III. *Beatus autem Henricus, vineæ Domini cultorem, & custodem se divinitùs constitutum considerans: ad irrigandum imbre cælestis doctrinæ, novellas Neophytorum plantulas: ad corroborandum Dei cultum in partibus illis, audacter remansit: non intuens sese quibuslibet adversitatibus exponere, ut posset gloriam Dei dilatare. O quantus Fidei fervor! Quantus divini amoris ardor, altare aureum devotissimi Antistitis accenderat! Qui postpositis opulentiis rerum, & amicorum solatiis, ac Upsalensis Archipræsulatus sede sublimi, pro paucorum, & pauperum ovium salvatione, multis se mortis periculis exponebat. Illum nimirum imitatus Pastorem qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, unicam errantem solicitè requisivit: & inventam ad ovile, propriis impositam humeris reportavit. Cum verò ædificationi & confirmationi Ecclesiæ Finlandensis, prudenter & fideliter insudaret: accidit ut homicidam quendam ob ipsius facinoris enormitatem vellet corrigere disciplina Ecclesiastica: ne facilitas nimia veniæ incentivum delinquendi præberet. Quod salutis remedium vir ille sanguinum contempsit: & in suæ damnationis augmentum convertit, odio habens eum salubriter arguentem. In ministrum itaque justitiæ, ac suæ salutis zelatorem funestus insiliit, ipsumque crudeliter trucidavit. Sicque, Sacerdos Domini, acceptabilis hostia, divinis oblata conspectibus, pro justitiâ occumbens, templum supernæ Ierusalem, cum gloriosa palma triumphi, feliciter coronatus introivit.*

IV. *Postmodum ille scelestus, viri Dei occisor, tollens de Capite sancti Pontificis birretum quod gestare consueverat, imposuit Capiti suo: & regressus domum, ac de commisso flagitio se jactans præsumptuosè quòd Ursum prostravisset, per hoc significans occisionem Beati viri: lætabatur quòd male fecisset, & exultavit in rebus pessimis. Dum autem birretum quod in suo Capite posuerat, amovere tentaret: cutis & caro birreto adhæserunt, & illa insuper à testâ capitis amovebat. Congrua profectò divinæ ultionis vindicta, ut tali pœnâ miserabiliter torqueretur, qui non est veritus Christum Domini truculenter impetere, & occisum spoliare.* Sequuntur in eodem Manuscripto, miracula plurima, quibus Deus sanctum suum mirificavit, quæ Legendariis relinquo: unum non omittam, quo Beati Henrici passio concluditur, ut ejusdem in cælo simul sanctitas asseritur: *Gutmundus famulus Domini Alnensis cum venisset in West-gotiam ad Sacerdotem quendam, & serò post cœnam bibisset memoriam S. Henrici: Sacerdos hoc audiens, derisit & dixit: Si ille est Sanctus, irascatur mihi si potest. Sequenti verò nocte jacens in lectulo, nimio cœpit cruciari tumore corporis, & dolore. Et intelligens ob derisiones, quam optaverat advenisse iram: prædictum Gutmundum vocavit: & votum fecit, quòd vigiliam ejus celebraret omnibus diebus vitæ suæ. Qui continuò fuit meritis Beati Henrici, viri Dei liberatus. His & aliis quamplurimis signis & prodigiis mirificavit Dominus Sanctum suum: & colendum ac venerandum exhibuit universis.* Hactenus ibi. Addit Martyrologium nostrum, Corpus Sancti Henrici in Cathedrali Upsalensi Ecclesiâ conditum, debito cultu, & devotione frequentatum, ad moderna hæc tempora; nimirum cùm malus Angelus, rursus posuit ad aquilonem sedem suam.

V. Nescio an Annalibus inseram, quod Authores nostri hoc loco, & unà Baronius, de Hiberniâ referunt: quia licet Insulæ honorificum sit hoc anno quatuor pallia ex Urbe eò missa: addunt tamen passim Authores, priùs Hiberniam pallio caruisse. quod indignè ferunt Provinciales: & ego illis accederem, qua fortiter pro Patritio Britanno disputant; si constanti id assererent argumento. Agedum tamen in re dubiâ audiamus Scriptores. Rogerus noster ita scribit: [Anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo primo, qui est annus decimus sextus regni Regis Stephani; Papa Eugenius quatuor pallia per Legatum suum Joannem Papirum in Hiberniam transmisit: quò nunquam antea pallium delatum fuerat, & in quatuor locis, quatuor constituit Archiepiscopos. Unum apud Armarc: alterum apud Cassel: tertium apud Diveline: quartum apud Connache.] [Hoved. hic.] Idem omnino habet ex eodem Authore Baronius, ubi ait: [Hoc eôdem anno, Eugenius Papa Joannem Paparonem Cardinalem, Legatum à latere misit in Hiberniam, ut in eam Insulam quatuor deferret pallia, quæ nunquam illuc delata fuerant: constituitque quatuor Archiepiscopatus. primum apud Armac &c. [Baron. hic.] Hæc Rogerius in Annalibus sui temporis res gestas prosecutus. Extat & in Vaticana bibliotheca plenior descriptio de Ecclesiis singulis eisdem Metropolibus ab eodem Pontifice tunc subjectis: & per eundem Legatum prosecutione completis. Cui descriptioni ejusmodi præfixus est titulus. Tempore Domini Eugenii Papæ tertii, facta est divisio totius Hiberniæ in quatuor Metropoles

per

per Joannem Paparonem presbyterum Cardinalem, tituli S. Laurentii in Damaso, Apostolicæ Sedis Legatum.]

VI. *Quando Pallii usus concessus Hibernis. Messingha. in Florilegio. fol. 129.* Hæc ferè concludunt pallii nsum Hibernis antea incognitum. Illi tamen insurgunt contra, & constanter affirmant, Patricium Archiepiscopum fuisse, & usum pallio. Thomas Messinghamus ita pro Patricio advocat. [Quantum ad Divum Patricium spectat, Giraldum maximè in eo hallucinatum fuisse, ex Jocelini (qui multò accuratiùs, quàm Giraldus, aut ullus alius de gestis Sancti Patricii scripserat) variis locis apertissimè declaratur. Ille enim capite centesimo quadragesimo tertio loquens de quodam S. Patricii discipulo, Forkerno nomine, sic habet. Et quia Sanctus Patricius talis discipuli diligebat præsentiam, providit illi Ecclesiam, nec à Sede Archiepiscopali, quam in Ardmachia constructurus erat, Angelo jubente, nimis remotam, nec eidem Metropoli, nè fortè à secuturis Archiepiscopis nimis gravaretur, valdè vicinam. Deinde capite centesimo sexagesimo quinto de civitate Ardmachanâ scribens: Cathedram, inquit, Archiepiscopalem in eâdem urbe collocavit: & ut Sedes illa totius Hiberniæ esset primaria Metropolis statuit animo. Ut autem illius propositum, ratum, & inconvulsum permaneret imposterum; pectori ejus sedit, Sedem Apostolicam adire, ejúsque privilegiis authenticis illud communire.] Plura Jocelini loca refert: quæ Armachanam Ecclesiam Metropolim, ejúsque Antistitem, Archiepiscopum vocari solitum. Quo argumento multi erunt Archiepiscopi, priusquam Archiepiscopi nomen innotuit. De pallio igitur hoc in loco quæritur: & Messinghamus etiam in Jocelino, Pallii notionem invenit. [Denique (inquit) capite centesimo sexagesimo sexto, narrans quomodo monente Angelo, Romam petiit: Romam perveniens, inquit, dum in summi Pontificis præsentiâ, sui adventus exposuisset causam: in oculis ejus summam invenit gratiam. Imprimis ergo illum, ut Hiberniæ Apostolum amplexans ac pronuntians, Pallio decoravit: illíque vices suas committens, atque Legatum suum constituens, quæcumque in Hiberniâ gesserat, constituerat, disposuerat, authoritatis suæ munimine confirmavit.]

VII. *Messingh. sup fol. 139.* In sequentibus acriter pugnat Messinghamus, tam pro Sede Archiepiscopali à Patricio constitutâ, quàm pro pallio illi concesso. [Et ne quis comminisci posset (Patricio nimirum) ad faciendam cathedram Archiepiscopalem, potestatem defuisse: Christi in terris Vicarium Summum Pontificem, ad illud suum propositum stabiliendum adiit: Qui Patricium titulo Apostoli, Pallio (& quo nisi Archiepiscopi?) & officio Legati Apostolici decoravit.] Ad quam interrogatiunculam: si quis responderet, modernam Pallii notionem, ab antiqua differentem esse: & ut cætera omnia, sic voces & verba mutari, aliáque pallia esse, præter Pallium dignitatis suæ Sacerdotale indumentum, quod planetam seu casulam vocamus, *Pallii imaginem præferebat* (inquit Baronius, *Baron. an. 116. n. 64.* & addit.) Hinc est quod vela oblata sanctæ Cruci in Ecclesiâ à Gregorio Turonensi Episcopo erectâ. Venantius Fortunatus Pallia appellat, quæ & ipsa Crucum imaginibus essent contexta, ut ipse declarat his versibus:

Denique sancta Cruce hac templa Gregorius offert
Pallia dum operit signa gerenda Cruci. *Venant. l. 2. Epig. 3. de Cruce.*

Quis omnium primus, eo Pallii genere usus sit, de quo modo disputamus, incertum est. ut benè ostendit Paulus Leonis, *Paulus Leonis de usu Pallii c. 5.* qui nuper scripsit de authoritate & usu Pallii, ubi altiorem ejus originem, quàm à Marco Papa, qui quarto sæculo sedit, invenire non potuit. Tamen quia Patricius centum post annos vixit Hiberniæ Apostolus: potuit fortè à Cælestino Pontifice augmentum illud dignitatis accipere; eo modo quo Cyrillum Alexandrinum Episcopum, ab eodem Cælestino Pallium accepisse, cum eidem suas vices delegavit, Græci tradiderunt, Theodorus Balsamon, & alii apud Baronium suprà. Cæterùm quod velit Messinghamus Pallii usum, semel in Armachanâ Ecclesiâ usurpatum, omitti aut amitti nunquam potuisse: ex aliarum Ecclesiarum echlipsi, & Britannici regni occasu, & Menevensi prærogativâ, constat & omitti, & amitti potuisse. Cæterùm Bernardi sancti Abbatis sententiæ omnino subscribendum est in principe quæstione. ubi de Armachanâ sede loquens in vitâ S. Malachiæ, ait: *Bernard. in vita S. Malachiæ.* *Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio, Pallii usus.* Roberto Londinensi Episcopo mortuo, Godwinus hoc anno Richardum substituit, cognomento Beaumes.

VIII. *Concilium Londine.* Ex Hiberniâ in Angliam redeo ubi Londini Concilium cogitur: Ecclesiastica & sæcularia tractantur: nec Ecclesiæ nec regno profutura. An Henricus Wintoniensis Episcopus Legatinam potestatem exuerit, illáque Cantuariensem induerit, nescio: sed quia Eugenius Pontifex, Stephano Regi parum benevolus, Eustachium filium ejus noluit in regno succedere: satis probabile est, novum Papam, alios à se nominatos, voluisse illâ prærogativâ frui. Quod si verum, transtulit illam in Theobaldum Cantuariensem, imperavitque nè Eustachio Stephani filio regni coronam imponeret. Sic ergo Huntindonius de Synodo: *Huntind. hic.* [Anno decimo-sexto (regnantis Stephani) Tedbaldus Cantuariensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, tenuit generale Concilium apud Londoniam, in mediâ Quadragesimâ, ubi Rex Stephanus, & filius suus Eustachius, & Angliæ proceres interfuerunt: totumque illud Concilium novis appellationibus infrenduit. In Angliâ namque appellationes in usu non erant, donec eas Henricus Wintoniensis, dum Legatus esset, malo suo crudeliter intrusit. In eodem namque Concilio, ad Romani Pontificis audientiam ter appellatus est.] Nec aliud author de hac Synodo habet. omissâ gravissimâ controversiâ, Regem inter, & Theobaldum, de novi Principis coronatione, quæ demum Synodum solvit. Unde Parkerus arbitratus est, non Theobaldum, sed Stephanum, Concilii authorem fuisse. Quicquid Stephanus à Clero, quod postulavit, impetrare non potuit: & Theobaldi Cantuariensis in Romano Pontifici obediendo constantia eminuit. Quod ita Godwinus in anno paululùm à cæteris dissentiens narrat:

IX. *Godwin in Theobaldo.* *Stephanus Rex petit Eustachiũ* [Interea, anno nimirum millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Theobaldus Synodum Londini coëgit: ubi Stephanus Rex à Clero congregato postulavit, ut Eustachium filium ejus, ium quoque præsentem, in consortium regni secum recipiendum decernerent. Id quod illis,

hcet

Filium, in consortium Regni assumi, non obtinet.

licet id maximè vellent, integrum tamen non erat: prohibitis jam antea à Papa, nè hujusmodi quippiam attentarent. Illis igitur refragantibus, Reges irati vehementer, eos simul omnes in loco, ubi convenerant, custodiâ additâ inclusos, minis exagitabant. ut metu & terroribus extorquerent, quod bonâ gratiâ & precibus non poterant impetrare. Nutabat itaque plerisque animus, manusque daturi putabantur; cum Theobaldus nescio quomodo elapsus, cimbâ, secundo Thamesi, ad ostium maris vectus, navem conscendit, & ad transmarinas oras trajecit. Discessum ejus Rex graviter ut par erat (ita censuit Reverendissimus conjugatus Episcopus Godwinus) tulit: ac proinde proscripti jam iterum bona fisco inferenda decrevit.] Sic soluta Synodo, ut Clerus sine capite, ita Eustachius sine coronâ mansit. [In eodem etiam Concilio (addit Parkerus) multa frivolarum appellationum genera prohibita sunt, quæ sub Henrico Wintoniensi Episcopo, Regis fratre, & Papæ Legato, viro robusto atque strenuo, suam potentiam supra Archiepiscopalem dignitatem efferenti, omnesque causas, ad suum tribunal trahenti suscitata fuerunt. Quamdiu enim tam clari & insuperabilis animi vir, Papali legatione fungebatur, infinitæ & inusitatæ appellationes undique ad eum adferebantur.] Hinc iterum colligo Henricum Wintoniensem, in hoc Londinensi Concilio, Legatum non fuisse Apostolicæ Sedis, sed prærogativam illam Cantuariensi restitutam.

Parkerus in Theobaldo.

X. Moinæ Insulæ Joannes factus Episcopus, Wimundo expulso. *Paris hic.*

Inter Britanniæ Insulas Mevaniæ duæ sunt: quarum quæ prior dicitur, quia Britanniæ proximior; ubi Druidum Sedes olim fuerunt: Anglesey vulgò appellatur: Posterior, quæ medio libramine, Hiberniam inter & Angliam jacet. Hodie Mannia, vulgò Man innotescit. In hac Episcopi Sedes fuit, quam primò Wimundus: & eo expulso Joannes occupavit, hoc anno ad illam consecratus. de quo Parisiensis. [Eodem anno (millesimo centesimo quinquagesimo primo) Joannes monachus Sagiensis, factus est secundus Antistes Moinæ Insulæ, quæ est inter Angliam & Hiberniam, propinquior tamen Angliæ. Unde & Episcopus ille, Episcopo subjacet Eboracensi. Primus autem ibi fuerat Episcopus Wimundus monachus Saviniensis: Sed propter ejus importunitatem (improbitatem rectiùs dixeris) privatus fuit oculis, & expulsus.] Ita ibi. Importunitatem ejus ego improbitatem dixi: quia monachi vestem exuens, & Episcopi induens: militem potiùs, quàm aut monachum, aut Episcopum egit: meritò punitus, & in ordinem redactus. De quo hæc habet Neoburgensis:

XI. Wimundus qui et qualis. *Neuburg. l. 1. c. 25.*

[Wimundus obscurissimo in Angliâ loco natus, cum perceptis literarum rudimentis, non haberet unde in scholis subsisteret: artis scriptoriæ sciolus, quibusdam religiosis, antiquarii officium pro tolerandâ inopiâ impendebat. Deinde apud Furnesium tonsuratus, & regularem vitam professus: cùm nactus esset scripturarum copiam, cum otio competenti: adjutus triplici bono: scilicet acri ingenio, illabili memoriâ, apto eloquio: ita in brevi profecit, ut magnæ spei esse videretur. Evolutis diebus in Insulam cum fratribus missus: suavitate eloquii, & jocunditate faciei: cum esset etiam producto & robusto corpore; ita barbaris placuit, ut ab eis in Episcopum peteretur: & eorum quidem completum est desiderium. Mox ex successu intumuit, & grandia moliri cœpit. Nec contentus Episcopalis dignitate officii, animo jam ambulabat in magnis, & mirabilibus super se: eratque eo corde vanissimo, os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes & audaces, judicium veritatis non veritus proposuit se filium Comitis Muravensis, hæreditate patrum suorum à Rege Scotorum spoliatum: cordi sibi esse, non solùm jus suum persequi: sed etiam ulcisci injurias: illos se velle habere periculi, & fortunæ consortes. Rem quidem esse aliquanti laboris, & periculi: sed magnæ claritatis, & plurimi emolumenti. Accensis ergò omnibus, atque in verba ejus jurantibus; per vicinas cœpit Insulas ferociter debacchari. Eratque jam quasi Nembroth venator robustus coram Domino: dedignatus juxta Episcopalis officii debitum, hominum esse piscator cum Petro. Augebatur indies satellitum copia: inter quos nimirùm ipse eminens ferè ab humero, & sursum tanquam Dux magnus omnium animos accendebat. Excurrebat in provincias Scotiæ: rapinis & homicidiis cuncta exterminans. Cumque adversùs eum Regius exercitus mitteretur, in remotiores se saltus recipiens: vel in oceanum refugiens, omnem illum apparatum bellicum eludebat: & recedente exercitu, rursus ex locis abditis, ad infestandas provincias erumpebat.

XII. Wimundus grassatur in Scotos.

Cum ergò in omnibus prosperaretur; essetque jam ipsi etiam Regi terribilis: quidam Episcopus vir simplicissimus, mirabiliter ejus impetum ad tempus repressit. Cui cum ille bellum denuntians exterminium minaretur, nisi vectigal penderet: Voluntas, inquit, Dei fiat. Nam meo exemplo, nunquam aliquis Episcopus, alterius Episcopi fiet tributarius. Cohortatus ergò populum suum; illi cum furore venienti, sola fide major occurrit, nam in cæteris longè impar, occurrit. Et pro suorum animatione, primum ipse belli dans ictum; jactatâ securi modicâ, hostem in fronte gradientem Deo volente prostravit. Quo casu confortatus populus, in prædones fortiter irruit. & eorum magnâ parte cæsâ, ducem ferocissimum enerviter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea inter amicos cum jocunditate narrare; tanquam glorians, quòd solus eum Deus per simplicis Episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam, qui de numero satellitum ejus fuerat, & cum cæteris qui evasere, fugerat, referente cognovi. Resumptis autem viribus, per Insulas, atque provincias Scotiæ debacchatus est, ut priùs. Quamobrem Rex compulsus est placare prædonem, suaviori planè usus consilio: ut cum hoste tumido callidóque, cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam provinciam, cum monasterio Furnesiensi, excursiones ejus interim suspendit. Cum autem per subditam provinciam, tanquam Rex, valente exercitu, gloriosè ferretur, ipsique monasterio, cujus monachus fuerat, supra modum gravis existeret: de consensu nobilium, insidiati sunt ei quidam provinciales: qui ejus, vel potentiam, vel insolentiam exosam habebant. Nactique tempus opportunum, cum præmissam ad hospitium, multitudinem, lento pede, & raro stipatus satellite sequeretur, comprehensum vinxere: utrumque illi

Ejus dux occiditur.

oculum,

oculum, qui uterque nequam erat, eruerunt: causámque viruleti germinia amputantes, eum pro pace regni, Scotorum, non propter regnum cœlorum castraverunt. Qui postea Bellclandam nostram venit, ibique annis plurimis usque ad obitum quietus permansit. Fertur tamen tunc dixisse: quia si vel passeris oculum haberet; inimici ejus de actis in eum minimè exultarent.] Hæc omnia Neoburgensis.

XIII. Abbas Albanensis moritur. *Paris hic.*

Moritur hoc anno Albanensis monasterii Abbas Radulphus, cum ante mortem, successorem in officio, postulasset, & impetrasset. infrequens satis religiosæ modestiæ, & humilitatis argumentum. [Hoc quoque anno (ita Parisiensis ad hunc annum) Rege Anglorum Stephano, ad S. Albanum veniente, suggestum fuit ei, de languore Radulphi Abbatis. Ubi mediantibus Episcopis, ac cæteris Prælatis, concessit, ut in eligendo Abbate, liceret monachia uti privilegiis suis. Cui cum Rex gratanter annuisset, communi totius Congregationis assensu, Robertum de Gorham Priorem Ecclesiæ elegerunt. Qui postea decimoquarto Kalendas Julii, Abbatis benedictionem suscepit. Supervixit autem prædecessor ejus, post ipsius promotionem diebus viginti novem: & tunc defunctus, sepultus est in Capitulo, in aliorum Abbatum ordine reverenter.] Alibi idem author, cum Albanensium Abbatum vitas recenset, clarè significat Radulphum Abbatis dignitatem, suâ sponte declinasse: & à conventu, cæterisque qui eligendi suffragium habebant, successorem postulasse. Sic enim ille: [Abbas Radulphus, morbo percussus incurabili, videns se administrationi Pastorali inutilem, dum adhuc viveret: dispositis disponendis, procuravit ex innatâ sibi benignitate alium Abbatem, scilicet Robertum de Gorham, virum per omnia commendabilem, loco suo fore subrogandum. Quo electo, & ritè in Abbatem creato, vixit adhuc Abbas Radulphus, per aliquot annorum curricula. Longâ igitur decoctus ægritudine, cum huic Ecclesiæ quinque annis benignè præfuisset secundo Nonas Julii ex hac vitâ subtractus est anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo primo.] Videntur hæc authoris loca non admodum convenire: quia hic Radulphus dicitur, à cessione vixisse *per aliquot annorum curricula*, ibi: *viginti* solùm *& novem diebus*. dicerem ergo, vel, *per aliquot dierum curricula*: vel statim ab inito magistratu, morbo incurabili correptum; successorem accepisse: qui non nisi decimo quarto Kalend. Julii in Abbatem consecratus est. à quo tamen tempore, ad pridiè Nonarum Julii, non viginti novem, sed novem-decim tantum dies numerantur.

Idem in vita Abbatum in Radulpho.

Robertus de Gorham eligitur Abbas.

XIV. Robertus hic quota? *Paris in vita Abbatis Roberti.*

Ad successorem quod attinet, Robertum de Gorham, ex nobili Normannorum, & Cenomanensium prosapiâ ortus; adeo in Pastorali curâ vigilavit, ejusque Ecclesiæ procurationi incubuit: ut *Reformator Libertatum Ecclesiæ S. Albani*, cognomentum acceperit, ut Albanensis monasterii historicus testatur. Cæterùm in Chronologiam peccasse videtur, cum hujus Abbatis tempore narrat, Nicolaum Hastifragum; quem supra Cardinalem scripsi, scribamque posteriùs Hadrianum quartum; à Roberto Abbate monasticum habitum petiisse; & inventum minus habentem; ab eo audivisse: *Expecta fili: & adhuc scholam exerce, ut aptior habearis.* Hoc enim à Richardo potiùs, quàm à Roberto Abbate dictum: qui moritur anno millesimo centesimo decimo-nono, ut ibi: quia Nicolaus ille dudum à Romano Pontifice Eugenio factus Cardinalis; & Apostolicæ Sedis Legatus in Sueciam missus, monachi vestem, à Roberto, mendicare non potuit.

XV. Stephanus Wintoniense castrum frustra oppugnat. *Huntind. hic.*

In alterâ Rep. motus fuerunt: cum Stephanus iterum Wintoniensem Urbem aggressus, castellum quod superiori anno frustra oppugnaverat, subitâ incursione expugnare contendit; sed conatu irrito. Huntindonius motum ita describit: [Rex autem Stephanus eodem anno (nimirum decimo-sexto regni sui) iterum Wincestriam irrupit: & quia castellum anno prædicto capere non potuit: duo castella ad illud expugnandum construxit. Quosdam igitur ex proceribus suis ibidem relinquens, ad propria remeavit. Sed quia mos Regius erat; quòd multa strenuiter inciperet, & segniter exequeretur; arte Consulis de Legecestriâ, castella Regis obsidentia demolita sunt, & obsessum callidè deliberatum est. Consul etenim prædictus, frater erat Consulis de Mellent. Itaque Regis studium, & labor emarcuit: & evanuit.] Non ultrà in Angliâ pugnatum invenio. In Normanniâ multum irarum fuit: Henrici Normanniæ Ducis potentiâ admodum excrescente: quâ morte patris, quâ Ludovici Regis Francorum divortio. Nam ea ratione, pomerium in Galliâ luculenter ampliatum; Regni regnoque Galliæ formidandum erat: explicemus singula: nam ad annum hunc, hæc passim ab authoribus referunt.

XVI. Mors Godefredi Andegavensium Comitis. *Huntind. supra.*

De morte Andegavensium Comitis Godefridi Plantagenet, qui Henricum è Mathilde susceperat, ita loquitur Huntindonius: [Eodem anno (decimo sexto Regis) Consul Andegavium Regis Henrici gener, & Regis Hierosolymitani filius, vir magnus, & clarissimus, mortis concessit legibus. Igitur filio suo primogenito Andegaviam & Normanniam contradidit: & jus hæreditarium, quod in Angliæ regno, licet carens, obtinebat, ei concessit. Contigit igitur, quod Ludovicus Rex Francorum, à sponsâ suâ, filiâ Consulis Pictavensis, per cognationis jusjurandum, divideretur. Henricus igitur Dux novus Normannorum duxit eam, & per eam Consulatum Pictavensem summis honoribus ampliatus possedit. Ea autem desponsatio, incentivum, fomésque odii maximi fuit, & discordiæ, inter Regem Francorum, & ipsum Ducem.] Ita ille. Cæptum quidem hoc anno tractari de divortio, & eum in finem, Synodus in Galliâ, jussu Regis convocata. Sed an hoc anno definitivâ sententiâ conclusum sit, hæteo: ideo Henrici nostri, cum relictâ matrimonium, in sequentem fortè annum, opportuniùs rejicitur. Divortii causas, & tempus, inaccuratè recenset Matthæus Parisiensis, nam ad annum millesimum centesimum quinquagesimum scribens, hæc habet: [Eodem anno celebratum est divortium inter Ludovicum Regem Francorum, & Alienor, Reginam suam, propterea quod diffamata esset de adulterio, & cum infideli, & qui genere fuit. Erant enim consanguinei, in quarto gradu.] Hoc genus dæmoniorum, adulterii fabulam aperit: quam nescio unde Parisiensis, in Regum nostrorum ignominiam, qui ab Henrico descenderunt. Cæterùm Baronius longè accuratiùs, divortii causam, & Synodi super eo habitæ tempus, in hunc annum rejiciens, ita exponit:

Paris an. 1150.

XVII. Synodus in Gallia de divortio Ludovici Re. Gal. et Eleonoræ filiæ Ducis Aquitaniæ. *Paris hic.*

[Hoc item anno (inquit) habetur in Galliâ Synodus Epiſcoporum, in quâ diſcuteretur cauſa divortii inter Ludovicum Regem Francorum, & Elionoram filiam Ducis Aquitaniæ. De hoc autem Epiſcoporum conventu hæc Sugerius Abbas S. Dionyſii qui interfuit, habet. Interea aliqui venerunt ad Regem, de cognatione ſuâ progeniti, qui ortum, & derivationem parentelæ ſuæ noverant; & dixerunt (ſicut, & verum erat) quod inter ſe & Alienordem, uxorem ſuam, erat conſanguinitatis affinitas talis, quòd inter eos, de jure, lex Matrimonialis non poterat convenire: & inde per juramentum, probationem legitimam offerebant. Quibus Rex ſic reſpondit: Quod contra Deum, & contra legem Eccleſiæ eam nolebat habere: volens per omnia ſtatuta Eccleſiæ, & legem Matrimonii inviolabiliter obſervare. Et ut iſtius rei veritas poſſet veraciùs indagari, die Martis ante feſtum Paſchatis, Floridi in caſtro Baugenciaci, Hugonem Archiepiſcopum Rotbomagenſem, & Lanfredum Burdigalenſem, cum pluribus ſuis Coepiſcopis, & Baronibus Franciæ, fecit ſolenniter convenire. Ante quorum præſentiam, ſteterunt illi, qui inter Regem, & Reginam ſe probaturos obtulerant, qui etiam ejuſdem generis erant parentes, & cognati. Et per juramentum ſuum dixerunt; quòd Rex & Regina, ſe cognatione contingebant: & quòd ſecundùm Deum, & Legem conjugalem, debebat inter eos divortium celebrari. Quo ſufficienter probato, in præſentiâ Prælatorum, fuit inter eos, per conſenſum partium matrimonium diſſolutum.] Hæc omnia Baronius, è Sugerio, qui ſubdit: Ludovicum poſtea Conſtantiam duxiſſe Hiſpaniarum Regis filiam: & Eleonoram relictam, Henrico nupſiſſe Normannorum Duci: quod ſequenti anno probabiliter factum. quò etiam illa refert Gordonius in Chronologiâ, ubi ſcribit: [Habet hic annus (milleſimus centeſimus quinquageſimus ſecundus) peractum divortium Ludovici, de quo anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo. Nupſit illa (Eleonoram intelligit) Henrico Duci Normanniæ, qui poſtea evaſit Angliæ Rex. Attulit dotis nomine Comitatum Aquitaniæ, & Pictavienſem: ſeminarium bellorum poſtea, inter Anglum & Francum Reges. Ludovicus verò uxorem duxit filiam Alfonſi Regis Caſtellæ.

Gordon. hic

XVIII. Turbus Norwicensis Episcopus.

Mortuo ſuperiori anno Norwicenſi Epiſcopo Everardo, ſuccedit hoc anno Guilielmus cognomento Turbus. fuit genere Normannus, & ab ineunte ætate (ita Godwinus) Norwicenſis monachus, poſtea Prior, ac demum Epiſcopus, à commonachis ſuis electus, & à Theobaldo Cantuarienſi anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo conſecratus. Hujus tempore Eccleſia Cathedralis conflagravit. Ita ille. Mortuo etiam (incertum quo anno) Simone Wigornienſi Epiſcopo: Aluredus videtur ſucceſſiſſe. quem Joannes Sareſberienſis Epiſtola 23. Alfredum vocat.

ANNUS CHRISTI 1152.

EUGENII III. PAPÆ 8.

STEPHANI REGIS 17.

I. Duo cœnobia fundata

AD annum Domini milleſimum centeſimum quinquageſimum ſecundum nihil notant Annales noſtri, quod Eccleſiam, aut ſacram hierarchiam ſpectat. Qui tamen monaſteriorum rudera, & ruinas collegerunt: duo cœnobia, hoc anno fundata, ad poſterorum memoriam tranſmittunt. Unum in Richmundiæ provinciâ, & Principe Urbe: ubi Eccleſiam, Agathæ Virgini & Martyri devotam Roaldus & Gratiana uxor ejus fundaſſe dicuntur anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo: nec obſtat quod addatur ibidem annus Stephani Regis decimus octavus, quia Catalogus in annis Stephani, ferè annum præcipitat. Quod etiam cernitur in monaſterio alio, quod erexiſſe dicitur Dominus Latimerus, vel certè Joannes de Biddeſley ad Caldewell, in Bedfordienſi Comitatu: & notatur fundationis annus milleſimus centeſimus quinquageſimus ſecundus, Henrici regnantis decimus octavus. Fuit autem prioratus nigrorum Canonicorum ſub Divi Auguſtini regulâ, Sancto Joanni Baptiſtæ militantium. Cæterùm duo illa pietatis loca, adeò modernâ factione lacerata, deſtructa, & eraſa ſunt: ut nullum eorumdem veſtigium, licet multum quærenti, occurrerit. Tranſeo igitur ad Remp. alteram.

II. Henricus ducit Elionoram derelictam a Ludovico, unde motus bellorum.

Ludovici Francorum Regis divortium, uxorem dedit Henrico Normannorum, & Andegavenſium Principi, & potentiæ ac dignitatis incrementum: quod ſudes in Gallorum oculis, & rixarum origo fuit. Nolebat Ludovicus Eleonoram alteri nuptam, ampliſſimam Aquitaniæ provinciam ad filios & nepotes promittere: nè quod Gallicæ coronæ ſemel inſertum, ad alienos, & imprimis ad Angliæ hæredem deſcenderet. Hinc ſuſpicor, vulgò jactatum, & fortè à ſimplicioribus creditum; quod de divortii cauſâ, oſcitanter ſatis Pariſienſis ſuprà retulit, Eleonoram, conjugali lecto injuriam fuiſſe, & vitioſo ſemine ortam. Verùm incerto hoc rumore non obſtante, Eleonoram (qualiſcumque demum illa fuit) uxorem accepit: & cum eâ, certiſſimo jure, Aquitaniæ Ducatum, & Pictavienſem Comitatum adiit, tranſmiſitque ad poſteros. Quod cum ægrè Ludovicus ferret, nec inhibere poſſet, ferro, flammâque vindicare ſtatuit. Euſtachium Stephani filium, & plures qui à Stephani Regis partibus erant, in Galliam vocat, armatque in Henricum: probè ſciens, ſi tot provinciis aucto, Angliæ regnum accederet; potentiſſimum domi hoſtem, & Galliæ viſceribus incubantem, avertere, magni laboris foret. Bellum igitur Henrico minari, & potentiâ creſcentem premere, omninò prudentis eſſe putavit. Hinc factum quod narrat Pariſienſis: annum quidem ſuperiorem nominans: ſed ſæpè multa indiſtinctè conjungit:

III. *Paris an. 1151.*

[Duxit Normannorum (inquit) Dux Henricus Alienor quondam Reginam, quam Ludovicus Rex anno præterito, propter conſanguinitatem, & propter prætactas cauſas dimiſerat. Et ſic factus eſt Dux Aquitaniæ, & Comes Pictaviæ, qui

prius

prius fuerat Dux Normannorum & Consul Andegavensium. Quo audito, Rex Francorum Ludovicus, commotus est vehementer, contra Ducem Henricum: eò quòd genuerat duas filias, ex prædictâ Alienor. Verebatur enim nè ab illâ filios susciperet, per quos exheredarentur filiæ prædictæ. Post festum verò sancti Joannis, cum Dux Henricus esset apud Barbe fluvium; ut ad Angliam transfretaret: convenerunt in unum Rex Francorum, Eustachius filius Regis Stephani, Comes Robertus Perticensis, Comes Henricus Campanensis, & Gaufridus, frater Ducis Henrici, cum ingenti copiâ armatorum, ut Duci Henrico Normanniam, Andegaviam, cum Ducatu Aquitaniæ, & omnem terram suæ dominationis auferrent. Quam quidem quinque viri potentes, inter se præproperè diviserunt. Convenientes igitur omnes apud Novum-mercatum, castrum obsidione cinxerunt, & fratrem Ducis Gaufridum, cum armatâ manu miserunt, ut fratris Ducis Andegavensis castrum expugnaret. Hæc audiens Dux Henricus recessit à Barbe fluvio, obsesso castello pro viribus subventurus. Sed antequam Dux illuc veniret, redditum est castellum Regi Francorum, fraude illud observantium, ac si captum esset violenter. Tunc Dux Henricus castrametatus est juxta fluvium Aodellam, & partem illam Wilcassini afflixit; quæ est inter Iccam & Andellam flumina. Hæc provincia ad Ducatum Normanniæ pertinebat; sed Gaufredus Comes Andegavensium, post mortem Henrici Regis Anglorum ad tempus eam concessit Ludovico. Tradidit etiam igni castella inimicorum suorum Baschervillam, Chitreium, & Sterpincium, cum castello Hugonis de Gornaco, quod Feritatem appellant. Denegabat enim idem Hugo debitum famulatum. Castella etiam de Brucboles, & aliud quod Nulla, nominantur, igne cremavit: & inde in Normanniam veniens, Richerum de Aquila graviter afflixit, qui hostibus suis subsidium ferebat: & municipium Bonvillius flammis discurrentibus conflagravit.

BELLA INTER LUDOVICUM ET HENRICUM.

IV.

Circa verò finem mensis Augusti, statutis ministris ad custodiam Normanniæ, Dux ad Andegaviam pergens, obsedit castrum Montis-Sorelli, ubi obsidione jugi coarctans inclusos, Willielmum Dominum castri, qui partes fratris sui fovebat, cum aliis militibus multis cepit. Hoc quoque infortunio, Gaufridus frater ejus compulsus est cum eo concordare. Rex interea Francorum, de Ducis absentiâ occasionem nactus, Normanniam intravit, & partem Burgi Regulariensis, cum vico quodam castri Verobli voracibus flammis consumpsit. Sed confestim intervenientibus viris religiosis, statutæ sunt treugæ, inter Regem, & Ducem.] Hæc omnia Parisiensis, quæ anno superiori cœpta, hoc anno completa sunt. Ideo fortè Huntindonius etiam ad præcedentem annum retulit, ita paucis omnia complexus: [Insurgens (inquit) Eustachius filius Regis Stephani, cum ipso Rege Francorum non modicis assultibus Normanniam oppugnabant. Dux utrisque & omni Francorum exercitui robustissimè resistabat. Rex tamen quoddam castellum, quod vocatur Novum-Mercatum copiis omnibus aggregatis assiliit, & potentissimum, & penè inexpugnabile cepit, & obtinuit: & Eustachio filio Regis Angliæ, qui sororem ejus duxerat, reddidit.] Ita ibi.

Huntind. an 16. Regis Stephani.

Porrò Rogerus, qui Huntindonii mentem probè intellexit, & passim sequitur, cum has Normanniæ turbas narrat, in hunc modum loquitur: [Anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo secundo, qui est decimus-septimus annus regni Regis Stephani, hoc anno & duobus præcedentibus, Rex Stephanus & Henricus Dux Normanniæ sæpè, & multùm congressi sunt, & ab invicem non sunt separati, nisi cum magno rerum & hominum detrimento. Sed Dux Normanniæ semper victoriam obtinuit. Nam vires ejus crescebant in majus, & in melius de die in diem: Regis autem potentia magis ac magis decrescebat. Principes namque regni memores Sacramenti, quod fecerant Imperatrici, & hæredibus suis, ferè omnes adhæserunt prædictæ Imperatrici, & filio suo Duci Normanniæ.

Hoved. hic

HENRICUS VICIT STEPHANUM.

V.

Ad hunc annum consignatur obitus Mathildis Reginæ, quæ Stephano nupta, Anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto regni coronâ, solenniter insignita est, & quindecim annos inter varios alternantis fortunæ casus, Regina vixit, solvitque demum, ut cæteri mortales omnes, naturæ debitum. Mathæus Parisiensis, qui in annorum computo, Authores alios, passim uno anno præcedit, ad annum superiorem ita scribit: [Obiit Mathildis uxor Regis Stephani, die Inventionis sanctæ Crucis, apud Haingeam, castellum Comitis Alberici de Ver (nunc Henningham est, oppidum in agro Essexiensi) & in Abbatiâ de Feversham, quam Rex Stephanus fundaverat, traditur sepulturæ.] Ad illam scripsit aliquando S. Bernardus Epistolam illam quæ ordine numeratur trecentesima quadragesima quarta, inter ejusdem Sancti Epistolas: & supra* illam recensui ratus ad Mathildem Henrici Regis filiam, quæ Regina etiam audire potest, dictatam esse. Verùm Regis ibi mentio, omninò persuadet, Stephani conjugem intelligi, ut suprà* monui. E quâ Epistolâ; quia Bernardum eximiè amasse, eique audientem fuisse colligo, colligo etiam Orthodoxam, & spectatæ virtutis fœminam fuisse.

MORITUR MATHILDIS STEPHANI UXOR.

Paris an. 1151.

* v. an. 1133. n. 20.

* v. an. 1140. n. 3.

VI.

Moritur etiam hoc anno magnæ indolis adolescens, Henricus, Davidis Scotorum Regis filius, Huntindoniæ Comes, & Northumbriæ, cui Scotiæ regnum, utpote primogenito, si vixisset, debebatur. Hujus mortem deplorant Authores nostri, & Neoburgensis in hunc modum: [Iisdem temporibus juvenis clarissimus, & quod in homine, latas sæculi vias ambulante, invenire difficile est, cum morum suavitate, eorundem etiam sinceritate conspicuus, Henricus scilicet, Davidis Regis filius, Northumbriæ Comes, & regni successor speratus: cum ingenti Anglorum simul, & Scotorum luctu, morte immaturâ rebus excessit humanis, relictis ex conjuge, quæ Guarennensis fuerat Comitis filia, tribus filiis & totidem filiabus. Casus quidem acerbissimus viscera pii Patris concussit: sed constantis animi pondus (erat enim vir bonus & prudens) decentem doloris modum fecit: complexúsque nepotes duos. nam tertium (ni fallor) gravida nondum mater ediderat: filium in eis vivere reputans, consolationem recepit.] Ita ibi. Utriusque mortem, Henrici inquam & Mathildis ad hunc annum conjunxit Hovedenus, ita scribens: [Eodem anno (millesimo centesimo quinquagesimo secundo) Henricus Comes Northanhimbrorum, filius David Regis Scotorum,

MORITUR HENRICUS SCOTORUM REGIS FILIUS.

Neuburg. l. 1. c. 23.

Hoved. hic.

& Mathildis filia ejus obierunt.] per Catechresin, filiam vocat, quæ solùm erat è sorore neptis. Mathildis enim Stephani uxor, & Angliæ Regina; filia fuit Eustachii Comitis Bononiensis, quam illi Maria peperit, Davidis soror, & Mathildis illius, quæ Henrico primo nupta, sanctissimè vixit, & mortua cum Sanctis numeratur. Moritur hoc anno Guilielmus de Sancta Barbara, Dunelmensis Episcopus, cum Præsulatus annum decimum nondum explevisset, Novembris decimo quarto, anni 1152. inquit Godwinus. Neoburgensis infra virum vocat religiosum. vide an sequentem n. 14. Henrico Mathildis filio filius ex Eleonora conjuge nascitur, primo genitus, & Guilielmus à parentibus nominatur.

GUILIELMUS DE S. BARBARA DUNELMEÑ. MORITUR.

ANNUS CHRISTI 1153.

EUGENII III. PAPÆ 9.

STEPHANI REGIS 18.

I. ANNUS Christi millesimus centesimus quinquagesimus tertius, post densas in cœlo nostro nubes, serenitatem attulit · & post tempestatem halcyonios dies, cum morte multorum Principum virorum. Quos quis ad postrema refero: dicam principio, ut pro Insulæ principatu, ab Henrico Normanniæ Duce, & Rege Stephano certatum. Enimvero Henricus, cum audisset Stephanum in Eustachio filio coronando frustrà laborasse, cum constantem Cleri dissensum, & Theobaldi fugam, suis votis opportunam advertisset. Cum etiam Normannia res è nupero fœdere, in tuto esset, cum Eugenii Pontificis suffragium accederet: Denique cum Anglia Stephani prementis jugum ægriùs ferret: & Henrico preces, lacrymásque, ut subveniret porrexisset. Ille ulterioris moræ impatiens, suique juris conscius: militem tam cautè è suis provinciis colligit; ut Stephano turbis civilibus occupato, inopinatus adesse, & obesse posset. Itaque cum Rex Malmesburiense oppidum egregiè munivisset, & Wallinfordiæ castellum obsidione cinxisset: castrumque illi, Cranmerse dictum, ad commeatum, suppetiasque inferendas opposuisset: Ecce tibi, Henricus in Angliam, ad Angliæ salutem advolat, egregiè pugnat, obsidionem solvit, erecta propugnacula demolitur, denique Insulæ tot annis civili bello laboranti, icto cum Stephano fœdere, pacem anulit. Juvat hæc omnia, in eo legere, qui omnium testis, exceptione major esse potuit: Huntindonium intelligo: qui præter morem, Apolline plenus, versu populorum preces, & gaudia miscens, ita hujus anni gesta commentatur.

HENRICUS INGREDITUR RURSUS IN ANGLIAM.

II. [Anno Regis Stephani decimo octavo, Dux Normannorum tantâ necessitate compulsus, insperatus advolavit in Angliam. Tunc verò miserabilis Anglia destructa quidem; sed jam per adventum ejus, quasi vitam rehabitura, in hæc verba cum lacrymis irrupit:

ELGEIA DE ANGLIA.

Dux Henrice, nepos Henrici maxime magni
Anglia tel∫a tuo: nec jam tuo tota ruina
Dicere vix possum, feram: sum namq; recessit
Si mihi, qua miser s superest; vel spes superesset.
Clamarem miserere, veni. succurre, resiste.
Nam sum jure tui juris, potes, erigere lapsam.
Sed nunc ora rigent: nunc vox, nunc vita recedunt.
At quis clamor adest, venis, ingeminant quoque venis?
Quis Dux ille Ducum, puer annis, mente senilis?
Gemma virũ, vir ave, mea spes, dum spes mihi, Salve.
Serò venis, perii: clames tamen Anglia surge:
Immo resurge tuam refero tibi mortua vitam.
Ad vocem rediviva tuam post fata resurgam.
Ergo reviviscens, video quod inhorreo: cernis
Prælia quãta movet Stephanus? Moveat volo: quippe
Gloria nulla foret, si prælia nulla moveret.
Quot contra Stephanum, cui copia multa virorum
Duxisti? paucas. Cur paucos? gloria major
Est multos paucis, quam multos vincere multis.
Cum Rex Francorum, Comites, procerésque: sed omnes
In te consurgunt. Levis est jactura: repugno
Diis absens, pugno tibi præsens: tur simul, edam.
Si non pugna duplex, nec erit mihi gloria duplex,
*Multò magisque necet Reges quàm vincere * Reges.*
Quis tibi signifer est? ipsius gratia Christi,
Quam mihi conciliat mea, nec minùs actio Regis.
Namq; placet pax sola mihi, discordia Regi.
Pacem serò sero. pacem tibi sanguine quæro
Dulcis alumna mei, cui tanta pericula sumpsi.
Te potiar, si pace tamen, per te potiare.
Si secus, emoriar, ne te videam morientem.

* fortè Regem.

III. Ita cecinit nè an planxit Huntindonius? cum Henricus appulit. Utrumque dici potest. nam gaudium Insulæ, terrorem plurimis, salutem denique civibus attulit. Dicat hæc omnis idem author: [Cum igitur dux gloriosus (ita ille) Angliæ litora, tempestate propulsus occupasset: subitis afflata rumoribus infremuit terra, velut arundinetum, zephiro vibrante, collisum. Transvolans itaque fama, ut assolet, alis pernicibus semina sparsit; aliis exultationis & lætitiæ; aliis formidinis & mœstitiæ. Diu tamen de adventu ejus admodum tripudiantes super hoc, quòd paucos secum duxerat, aliquamulum commovebantur. Hostium verò confusio ex eadem paucitate non modicum relevabatur. Utrique tamen super hoc mirabantur. Et quod in medio hiemis gremio, mare tempestuosum intrasset; sui, magnanimitatem; alii judicabant audaciam. At juvenis strenuissimus congregans suos; tam quos invenerat, quàm quos adduxerat: mora maximè perosa castellum de Mammesbirh obsedit. Et quia viri istius probitates magnæ erant, & multæ: breviter quidem perstringendæ sunt, ne rerum gestarum copia pleniùs elucidata, nimietatem congerat prolixitatis. Obsessum igitur castellum statim (nunquam enim moram gerendis intermiscebat) assiluit, moxque cepit. Expugnatâ tamen urbe, turris excellentissima Jordani, quam Regali observabat imperio, solâ fame domabilis mansit. Unde Jordanus cum summâ festinatione egrediens; rem gestam Regi Stephano propalavit.

DE INGRESSU HENRICI IN ANGLIAM. Huntind. hic.

CAPIT CASTELLUM DE MAMMESBIRH.

IV. Sinistris angariatus Rex Stephanus nuntiis, sui vultus dignitatem, obducto mœrore commutavit. Non segniter tamen copiis omnibus congregatis, non longè à Malmesbirith fiunt tentoria. Crastinâ verò adventus sui die, acies equitibus electissimis refertas, legibus bellicis distinctas, eleganter ordinavit. Erat quidem exercitus ingens, Procerum numerositate condensus, insignibus aureis coruscus, valdè terribilis & decorus. Sed procul ab iis recesserat Deus; in quo solo tota salus. Apertis enim cataractis cœli, tantas in facies

eorum miſit inundationes, tantas acerrimi frigoris obſtinationes, tantas ventuoſi turbinis impulſiones: ut Deus ipſe videretur pro Duce rem agere. Ibant tamen aciebus diſpoſitis, quaſi contra Dei potentiam contendentes, horrendis quidem exagitati cruciatibus. Stabat è regione juvenilis exercitus, magis viribus confiſus, quàm numero. Præcipuè tamen Dei gratiâ corroboratus: quam eis juſtitiæ cauſa, pro quâ ſcilicet aſtabant miſericorditer *. Stabant equidem, non procul ab Urbis præfatæ muralibus propè fluenta fluminis, quod pluviarum & nivium inundatio, tanto impetu, tantâ immenſitate ducebat; ut ingreſſuris horrorem incuteret; ingreſſis egreſſum negaret. Præcedebat ſuos juvenis nobiliſſimus, armis tanto duce dignis inſignitus animi magnitudinem ſpecie corpori imaginans: quem adeo formæ dignitas commendabat: ut ſi dicere licet: eam non tantum arma decerent; quantum ipſius decor arma ſpendificaret. Erat quidem ei, ſuiſque tempeſtas à tergo: Regi ſuiſque in faciem: ut nec arma ſuſtinere: nec lanceas imbribus profluentes contrectare poſſent. Et quia præviderat Deus: quod puero ſuo, terram ſine ſanguinis effuſione contraderet: cum nullus eorum flumen tranſgredi poſſet: nec Rex tantas illuviones ultra perferre ſufficeret, repedavit Londoniam; operâ caſſatus, confectus moleſtia. Igitur turri quam obſederat, Duci reddita, properavit exhilaratus ad id pro quo venerat: ſcilicet ut caſtro de Wallingford jam fame perituro ſuccurreret.

* aliquid deeſt.

Stephanus licet valeret exercitu præ immenſum copia, et ventis contrariis repedat Londoniam.

V.

Congregatâ igitur militum copiâ, quæ victualibus inferendis caſtro Wallinford eſſet ſubſidio: proſperavit Deus & hoc inceptum, tranquillum iis largiens effectum. Erant equidem caſtella numeroſa in circuitu, militia regali referta: nec tamen impedire venientes, vel redeuntes Domino volente potuerunt. Parvum fuit medii ſpatium temporis; & jam Dux validiſſimus, omni militiâ, quæ ſibi adhærebat, coadunatâ, obſedit caſtellum de Crawmerſe, rem arduam, & inæſtimatam laudabiliter incipiens: cinxit caſtellum Regis, & exercitum ſuum vallo maximo: ut ſuis egreſſus tantum pateret per caſtellum de Wallingford: obſeſſis verò nullus permitteretur exitus. Quod Rex audiens, tunc prorſus omnibus copiis ſuæ ditioni pertinentibus agglomeratis, Duci ſupervenit terribilis. Terrore tamen nullo Dux permotus, licet impar copiis eſſet Regi, vallum, quod exercitui ſuo fuerat pro munimento, ſtatim dejici juſſit. Et obſidionem relinquens aciebus diſpoſitis, contra Regem ſplendidè proceſſit. Videns igitur inopinatè Regalis exercitus, acies hoſtium ordinatas in facies ſuas exurgentes, timuerunt valde. Rex autem nullo timore compreſſus ſuorum quoque turmas caſtrorum terribiliter diſpoſitas progredi juſſit. Inſurrexerunt autem Proceres, imò proditores Angliæ de concordiâ inter eos agentes: nihil tamen magis, quàm diſcordiam diligentes. Sed bellum committere nolebant: quia neutrum exaltare volebant: * in altero ſubacto, alter iis liberè dominaretur: ſed ſemper alter alterum metuens, regiam in eos poteſtatem exercere non poſſet. Inducias igitur inter ſe Rex, Duxque conſtituerunt, coacti, nolentes. Uterque proditione ſuorum comperientes. Juveni tamen ſuo Deus honorem de more contulit. Caſtrum namque Regium quod Dux obſederat, ex illius compactione fœderis dejectum eſt. Loquuti ſunt poſtea Rex ſolus, & Dux ſolus, amne interpoſito, de pace perpetuâ, inter eos conſtituendâ, de proditione Procerum ſuorum anxiè conquerentes inter ſe. Prohibitum eſt illud pacis negotium: ſed tamen in aliud tempus dilatum eſt.]

Henricus occurrit impar copiis.

* ne, melius.

Cur inducias statuerunt.

VI.

Indiciarum causæ:

Hic aſſerunt aliqui Stephanum, ideo faciles paci aures dediſſe: quia prodigio cadentis aliquoties equi, cui inſidebat, territus, & à Gulielmo Arundeliæ Comite, de adverſo omine monitus; timuit cum Henrico manum conſerere: nec deerant è proceribus aliqui, qui equi caſum ad uſurpati injuſtè regni præſagium retulerunt. Et verò ſtupebant omnes, equum erectis in ſublime anterioribus pedibus, ſubitò in terram proſterni, cum ſeſſoris ingenti periculo: Idque iterum, tertioque. Sed maximè juvit pacis conſilium, duorum inopina mors, qui Henrico Duci ad regnum quod natalibus debebatur, impedimento erant. Euſtachii, inquam, & Comitis Northamptoniæ: de quibus Huntindonius: [Nondum igitur (inquit) ſopitâ diſcordiâ, cum ad ſua remeaſſent, diluculum fœlicitatis Duci magno feliciſſimè comparuit. Suos etenim hoſtes immaniſſimos, & ſummâ potentiâ præditos: filium ſcilicet Regis Euſtachium, & Simonem Comitem de Northamptune, Dei providentia, nihil tale metuentes, in eodem demolivit tempore. Unde virtus, & ſpes omnium ei rebellantium, & improviſo emarcuit eventu. Uterque juvenis, eodem morbo, eâdem deperierunt hebdomade. Sepultus eſt Simon Comes apud Northamptune plenus omnium, quæ non licebant; omnium quæ non decebant. Sepultus eſt filius Regis in Abbatiâ, quam mater ejus fundaverat apud Feveresham: militiâ quidem probatus; ſed in ea quæ Dei ſunt obſtinatus. Rectoribus Eccleſiarum duriſſimus, perſequentibus eam devotiſſimus. Exſtirpatis igitur hoſtibus Henrici dilecti ſui fortiſſimis: jam Deus ipſe tranquillitatem regni ipſius præparabat benigniſſimè.] Hæc author, miſsâ mortis immediatâ causâ, quæ tamen poſterorum memoriæ & Annalibus noſtris commendari meretur.

VII.

Narrant Gervaſius Dorobernenſis, Polychronicon, & ex illis Joannes Spedus, Euſtachium, ægerrimè ferentem pacis conſilium, ſuis utpote conſiliis votiſque importunum, ab exercitu, & parente digreſſum, in Norfolcienſem agrum perrexiſſe; commeatum ſibi, militique, à nobiliſſimo monaſterio, quod ibidem Edmundo ſancto Regi & Martyri ſacrum viſitur, poſtulaſſe. Quem cum impetrare non poſſet. (Quis enim, dum de pace tractatur, novi belli alimentum. Præcipiti juveni, & pacis inimico porrigeret?) Monaſterio iratus: commeatum vi & militari manu extorſit. cumque poſt injuriam menſæ accumberet, ad primum quem ori ingeſſit primæ menſæ bolum: in phreneſim, & maniam incidit. qua paulò poſt extinguitur: Sic Simon eodem morbo, eadem hebdomade ita tactus extinguitur: ejuſdem menſæ & ſimilis interitus participium habuit. Utinam hoc argumento ſaperent, & intelligerent, qui monaſteria omnia, & omnia pietatis loca, ſimili phreneſi, imò longè majori ſacrilegio perſequuntur. Matthæus Pariſienſis Euſtachii infortunium, & cauſam mortis non tacuit, ita ſcribens ad hunc annum. [Eodem anno, cum Euſtachius

Euſtachius extorquet alimentum a monaſterio.

Incidens in phreneſim moritur.

Paris hic. DE EUSTACHII MORTE.

filius Stephani in die Sancti Laurentii terram Beati Edmundi Martyris prædatum iret, subitâ morte præreptus est. & apud Feversham in Abbatiâ, quam pater ejus fundaverat, est sepultus.] Hoc magnum Henrico Duci ad Angliæ regnum compendium fuit: necminus ad salutem Insulæ. nam licet hostiliter utraque pars aliquamdiu egerit: tandem tamen dextras amicè junxerunt.

VIII. HENRICUS IN VICTORIA PERGIT. *Huntind. hic.*

Henricus in victoriâ perrexit, urbem Stanfordiam obsidione cinxit, & cepit: sed qui castellum urbis pro Rege tenebant, [Nuntios Regi miserunt (loquitur Huntindonius) auxilium inclusis poscentes. Rex autem obsederat castellum de Sipeswig, quod Hugo Bigot contra eum tenebat: cujus obsidionem cùm nollet dimittere: nec inclusis auxilium impendere: redditum est castellum Henrico Principi magno. Sed & castellum, quod Rex obsederat, Regi redditum est. A Stanfordia Dux Normannorum discedens, Notthingham petiit, & statim urbem cepit. Illi verò, qui castello urbis inerant, urbem ipsam combusserunt.] Hæc regni calamitas, & provinciarum vastatio Proceribus Ecclesiæ piam mentem injecit, ut consilium pacis suâ intercessione promoverent: præsertim cum Deus nuperum Cleri judicium, Eustachium Principem coronare renuentis, suo calculo probasse immaturâ morte videretur. & Henrico, Henrici primi heredi legitimo, viam ad imperium eadem operâ stravisse, Stephanus patientes primò aures ad Ecclesiæ preces porrexit: inde ad fœdera sancienda amicam manum. quam pii omnes hoc anno osculati, ingentes Deo gratias egerunt. Ut inter Principes conventum sit, ita narrat Parisiensis:

IX. CONCORDIÆ STEPHANI REGIS, ET HENRICI. *Paris hic.*

[Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio, justitiâ de cœlo prospiciente, & diligentiâ Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, & Episcoporum regni intercedente, Rex Anglorum Stephanus, & Dux Normannorum Henricus, apud Wallingeford in talem concordiam convenerunt. Rex Stephanus omni herede viduatus, præter solummodo Ducem Henricum, recognovit in conventu Episcoporum, & aliorum regni optimatum, quod jus hereditarium Dux Henricus in regnum Angliæ habebat. Et Dux benignè concessit, ut Rex Stephanus, totâ vitâ suâ, si vellet, regnum pacificè possideret. Ita tamen confirmata est pax: quòd ipse Rex, & Episcopi præsentes, cum cæteris optimatibus regni jurarent, quòd Dux post mortem Regis, si illum superviveret, regnum sine contradictione aliquâ obtineret. In Rege quoque Ducem, & in Duce omnes venerabuntur Regem. Regalia passim à Proceribus usurpata, Rex in sua recipiet. Possessiones, quæ ab invasoribus direptæ erant, ad legitimos possessores, quorum fuerant, Regis Henrici tempore revertentur. Castella adulterina, quæ tempore Regis à quocumque constructa sint, diruentur. quorum numerus ad undecies centum, & quindecim excrevit. Rex colonos prædiis assignabit, ædificia combusta renovabit, replebit pascua armentis, decorabit ovibus montana. Clericus debitam tranquillitatem se habere gaudebit: exactionibus indebitis non gravabitur. Vicecomites in locis ponentur consuetis; & neminem ex odio persequentur. non gratificabuntur amicis: non indulgentiis crimina sublevabunt: suum cuique ex integro reservabunt. metu pœnarum afficient nocentes: fures & prædones terrebuntur in furcâ, & sententiâ capitali. Milites (juxta Isaiam) gladios conflabunt in vomeres, & lanceas, & ligones: à castris ad aratra; à tentoriis ad ergasteria redibunt. clientes ab excubiis fatigati, in communi lætitiâ respirabunt. Relevabitur rusticitas otio innocens & quieta. Negotiatores commercium ditabit celebrius: & publica moneta, una & eadem erit in regno, ex argento percussa. Werra igitur quæ septendecim annis sævierat, hoc fine quievit.

CONCORDIÆ CONDITIONES

X. GUILIELMUS FILIUS STEPHANI FUIT SUPERSTES ET LEGITIMUS. *Polydor. l. 12.*

Quod dicit Author, Stephanum, *omni herede viduatum*: vel Guilielmum nescivit superstitem esse: vel illum (ut aliqui) sequioris tori filium existimavit. Sed certum est, & superstitem, & legitimum filium fuisse: quod non Stephanus solùm, sed Stephani successor Henricus agnovit. [Has pacis conditiones (inquit Polydorus) uterque Princeps amplexus est, ut Stephanus sibi Henricum adoptaverit: licet Guilielmum filium superstitem haberet, admodum juvenem, ex concubinâ, ut aiunt, genitum: quem in verba Henrici jurare jussit: & ipse Henricus Stephanum publicè Regem Angliæ salutaverit: patrémque appellaverit.] Cæterùm Guilielmus injuriâ dicitur è concubinâ genitus: & fabulam olet, quam Polydorus recensens satis importunè, non satis opportunè diluit. Fabula est, fuisque, Stephanum, è Mathilde Imperatrice, & Henrici matre Henricum genuisse: ipsámque conciliandæ paci ideo authorem fuisse. Unde Stephanum vagæ libidini serviisse, & Guilielmum eo modo suscepisse opinio nasci potuit. Sed facilè fabula diluitur, & inanissima demonstratur, si Mathildem à Mathilde distinxeris. nam Mathildis una, Stephani uxor legitima, & ex illa Balduinum, Eustachium, & Guilielmum, optimo matrimonii jure suscepit. Balduinus in infanâ mortuus, Londini jacet in Prioratu sanctissimæ Trinitatis sepultus: quem Canonicis Regularibus Mathildes Henrici primi uxor erexit. Quia igitur plures hoc tempore Mathildes, è Regio & Principum sanguine: hinc veritatem invertendi, & evertendi ansa prehenditur: quæ nullo negotio convertitur: si nominum confusione, è rerum circumstantiis sublatâ, fiat distinctio personarum: nam vel sanctæ Mathildes, vel castissimæ fuerunt. Adde: qui viderit Guilielmum honoribus & titulis, tam à parente, quàm ab Henrico auctum: sine hæsitatione dicet, legitimum fuisse. Parentis tempore Isabellam duxit, Guilielmi Comitis Warennæ filiam & hæredem: cum eáque Surreiæ Comitatum accepit: Patre mortuo, Henricus illi Patris titulos & honores, quos ante regnum possederat, indulsit. Unde Bononiensis & Moritonii Comes factus: quod illegitimo indultum non fuisset.

BALDUINUS ALTER FILIUS MORTUUS.

GUILIELMUS IN HONORE APUD HENRICUM.

XI. *Huntind. hic.*

Hæc duorum Principum concordia, toti Insulæ tot annos civili bello ardenti jucundissimè illuxit: & duorum imprimis Pontificum industria, in pace componendâ maximè commendatur. [Tedbaldus Archiepiscopus (ita Huntindonius Theobaldum vocat) cum Rege, de concordiâ cum Duce componendâ magno opere tractabat. Ipse frequenter Regi colloquens; Duci verò per internuntios. Erat ei coadjutor Henricus Wintoniensis Episcopus: qui priùs regnum funestè turbaverat, Stephano fratri suo regni diadema

contradens. nunc autem pœnitentiâ motus: cùm omnia videret rapinis, incendiis, cædibus demolita; ad tantorum finem malorum, concordiæ Principum * invigilabat. Dispositio præsertim Dei faciens pacem, & creans bonum, condignis Angliæ flagellis finem destinans: dedit eis eventum incepti. Et ab eo per ipsos, pacis serenitas, concordia Sacramentis confirmata resplenduit. O quàm inæstimabile gaudium! quàm beata dies, cum in urbe Wintoniæ processione Pontificum & Heroum coruscante, & innumerabilis populi frequentiâ congratulante; juvenis clarissimus, ipso Rege ducente gloriosè susceptus est. Ipsum siquidem Rex in filium suscepit adoptivum, & hæredem regni constituit. Exinde Rex Ducem Londonias secum duxit: Ibique non minori gaudio, ab innumerabili conventu plebis, processionibus luculentissimis, ut tantum decebat virum, susceptus est. Sic Dei misericordiâ pacis aurorâ, & noctis ærumnosæ finem regno diruto contribuit Anglorum. His igitur actis, cum summo gaudio, & amore, Rex Stephanus & filius ejus novus mox conventum discesserunt. Hæc etenim concordia ante Natale Domini confirmata est. Ad octavas autem Epiphaniæ rursus convenerunt apud Oxenefordiam: cum jam Dux per annum fecit in expugnatione, imò in resuscitatione Angliæ, in ipsa commoratus fuisset. Igitur ibi Principes Anglorum, jussu Regis hominium & Domino debitam fidelitatem Duci simul exhibuerunt: Regi autem honorem debitum, fidémque dum viveret, conservaturi. At hoc conventu magnifico, pace fruentes nova, ad propria cum gaudio discesserunt.] Quæ in authore sequuntur, anno insequenti quo gesta sunt, narrabuntur.

* principum.

Henricus adoptatus à Stephano ducitur Lundoniam.

XII. Eugenius Papa moritur.

Moritur hoc anno Eugenius Papa, octavo Idus Julii, cùm sedisset annos octo, menses quatuor, & dies tredecim. vir omni laude, & à munerum abstinentiâ imprimis commendatus: de quo Joannes noster Sarisburiensis, in Polycratico hæc habet. [Amplectendæ memoriæ, & imitandæ sanctitatis, Summus Pontifex Eugenius, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Unde cum in adventu suo Prior quidem modicæ facultatis, cujus causam nondum audierat, ei marcam auri, devotione multâ instanter offerret. Nondum, inquit, domum ingressus es, & jam via corrumpere Dominum. Corruptionem námque vir sanctus esse dicebat, quod offerebatur Judici lite pendente] Hoc ipsum testatur (& eò fortè Joannes respexit) inscriptio quæ Tetracinæ in medio arcis legitur in hunc modum. [Eugenius Papa tertius, hoc opus, gloriæ suæ memoriam repræsentans fieri jussit. Qui mira animi ...... & honesti studio præditus, Regalia multa longo tempore amissa, Beato Petro restituit. Quorundam vitium, in modum honestatis redegit: Nè quid à quoquam peterent; néve quid à quoquam, ante decisam causam, acciperent. Post decisam oblatum quid verecundè, & cum gratiarum actione susciperent.]

Ioan. Sarisb. Polycra. l. 5. c. 15.

Eius virtutes.

apud Baron. hic.

XIII. Anastasius IV. Papa.

In Sedem vacantem assumptus est Conradus Episcopus Sabinensis atque Cardinalis, dictusque est Anastasius eo nomine quartus: Hic sequenti die, ab obitu Eugenii miro Suffragantium consensu electus, eoquo tempore Sedem implevit. Post mensem ab ingressu, moritur Sanctus Bernardus Clarevallensis Abbas, cujus laus est in Ecclesiâ Sanctorum: qui Eugenium Papam, monachum primò inde Abbatem fecerat, vidítque demum in Petri Cathedrâ sublimem. Utroque viam carnis ingresso, & Anastasio Ecclesiis omnibus præsidente: Guilielmus quondam Eboracensis Archiepiscopus; sed Eugenii mandato, & Bernardi operâ, infulam ponere jussus; Romam advolat, injuriam sibi, & Episcopali dignitati factam probaturus. Magnum causæ ejus momentum fuit, Henrici Murdac, qui eo pulso Eboracensem Sedem occuparat, obitus: qui eodem cum Eugenio die, ut habet S. Guilielmi vita, naturæ debitum persolvit: & qui Eugenio successerat Anastasius, olim cum Guilielmi causa in Romano tribunali ventilatur, pro Guilielmo advocarat. Romam ergò ad Anastasium veniens, nemine refragante, Eboracensi Ecclesiæ, postliminii jure restituitur. Romam paulò ante pervenerat Hugo de Puteaco (vulgò Pudsey) Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius, & Wintoniensis Archidiaconus: [qui propter nobilitatem generis (loquitur è Neoburgensi Godwinus) erat enim Stephani Regis è sorore nepos, ad Pontificatum Dunelmensis Ecclesiæ electus, adversarium habuerat Henricum Murdac, cui consecrandi Dunelmensis jus erat.] Sic ad Anastasii primitias Eboracensis & Dunelmensis Episcopi hoc anno appellarunt. Dicat hæc omnia, qui eo vixit tempore Guilielmus Neoburgensis.

S. Bernardus moritur.

Henric. Murdac Archiepiscopus Eborac. moritur: Guilielmus restituitur.

Godwin in Dunelmen.

XIV. Hugo de Puteaco electus Dunelmensis.

Neoburg. l. 1. c. 26.

Defuncto (inquit) Guilielmo de Sanctâ Barbarâ, Dunelmensi Episcopo, viro religioso. Hugo Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius electus est: Venerabili Henrico Eboracensi Archiepiscopo, ad quem Dunelmensis Episcopi spectabat consecratio, plurimùm obnitente, atque obtendente, & minùs Canonicam electi ætatem, & minùs probatam morum ejus gravitatem. Ascenderunt ergo majores ex Electoribus, cum ipso electo, ad Sedem Apostolicam, pro negotio tam electionis, quàm consecrationis: jam dicto Archiepiscopo pro se responsalem mittente: qui & electioni contrairet; & consecrationem impediret. Sed Venerabili Eugenio, qui ejusdem Archiepiscopi apud Clare-vallem condiscipulus fuerat, ex hac luce paulò ante subtracto; invenerunt Anastasium Sedi Apostolicæ præsidentem. Tres quippe viri memorabiles, & in vitâ suâ amicissimi, tempore illo decedentes, in morte quoque brevibus intervallis separati. Scilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Claræ-vallis Abbas, Henricus Eboracensis Archiepiscopus. E quibus Eugenio & Bernardo priùs absumptis, Henricus è vestigio sequutus est. Vulgato autem duorum transitu. tertio adhuc superstite, Guilielmus olim Eboracensis, qui Wintoniæ morabatur; spe recuperationis conceptâ (nam prior eum deposuerat; secundus ut deponeretur egerat: tertius deposito successerat) Sedem Apostolicam celeriter adiit: judicium non accusans, misericordiam humiliter postulavit. Et ecce certus de transitu, ex Angliâ, Eboracensis Episcopi nuntius superveniens, verecundissimas ejus preces multum adjuvit.

XV.

Et quidem Dunelmensis electus, qui prior illuc venerat, à Domino Papâ solenniter consecratus: illius, qui posterior advenerat, pendente adhuc fortunâ discessit. Sed tandèm prioris judicii rigore sublato Apostolicæ mansuetudinis

clementiam expertus: miserante ejus canos Papâ, cum Cardinalibus; & satageote circa ejus negotium maximè, quodam Gregorio, magni nominis Cardinali, homine facundissimo & profundissimæ astutiæ, atque animi verè Romani. Itaque in integrum restitutus, & Pallio, quod nunquam eatenus impetrare poterat, insignitus Sabbato Sancto Wintoniam rediit.] Quod quia in annum sequentem incidit: ibi Guilielmi reliqua prosequemur. nam judicii prioris revocatio, Apostolicæ mansuetudinis clementia, & Pallii insignia, ad Guilielmum referenda. De quo in ejus vita apud Capgravium hæc leguntur: [Mors tandem Eugenii Summi Pontificis, & Archiepiscopi Henrici in uno eodémque die vitam violenter abrupit: Quæ Spiritu sancto revelante, Beato Guilielmo revelata sunt. Revelatum etiam, quòd Cardinalis ille, qui electionis suæ præcipuus defensor exstiterat, felicibus auspiciis elevatus, Apostolicæ dignitatis culmen ascendit. Venerabilis itaque Summus Pontifex, veritatis amator, Eboracensis Ecclesiæ Canonicis. Beatum Willielmum iterum eligentibus, electionem confirmavit, & consecrationis munus impendit. Ita ibi. Sed noli Lector putare, iterasse Anastasium Guilielmi consecrationem. Nam Pallii solùm dignitatem impendit, à Wintoniensi Episcopo, & tunc Apostolicâ legatione fungente dudum consecrato.

Capgrav in Willelmo confess. GUILIELMUS OBTINET ET SEDEM ET PALLIUM.

XVI. *Godwin in Hugone Dunelmen.* QUÆ FECIT PRÆCLARA.

Cæterùm Hugo Dunelmensis qui prior Romam venerat, [sacris Episcopalibus ab ipso Papâ (inquit Godwinus) initiatus est trigesimo Decembris anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio: Annos totos quadraginta duos Dunelmensi Ecclesiæ præfuit. Quo temporis spatio multa fecit memoratu non indigna. Ædes aliquas Episcopales in manneriis suis, partim de novo construxit, partim refecit collapsas, ac novis auxit ædificiis. Et Dertingtonæ quidem, non solùm domum, sed & Ecclesiam à fundamentis excitavit. Prioratum Finchalensem fundavit, habentem in redditibus annuis, suppressionis tempore centum quadraginta sex libras, &c. & leprosis sexaginta quinque, ac Sacerdotibus aliquot Prochotrophium Sherbonæ, ad Orientalem plagam urbis Dunelmensis, cujus annuus census eodem tempore fuit librarum centum triginta quinque. Hospitale item aliud Alvertonæ.] Plura refert author, quæ suis postea locis opportuniùs dabuntur. Nam diu Sedem occupans, non otio, sed piis operibus plurimum indulsit.

XVII. DAVID REX SCOTORUM MORITUR: *Neburg. l. 1 c. 23.* LAUS DAVIDIS.

Mors hoc anno ut insulis, sic coronis dominata est, Davide Scotorum Rege sublato: plura de illo in superioribus dicta, morte piè obitâ confirmantur [Generale debitum soluturus (ita loquitur Neoburgensis) Malcolinum (alii Malcolmum communiùs vocant) filii Henrici primogenitum, adhuc impuberem regni successorem declaravit, fratri ejus Guilielmo Comitatum Northumbriæ assignavit. Dormivit itaque Scottorum Dominus cum patribus suis, vir magnus & gloriosus in sæculo, nec minoris gloriæ in Christo. Nam sicut accepimus à fide dignis, qui ejus vitam actusque noverunt, vir fuit religiosus & pius: vir multæ prudentiæ, summique moderaminis, in administratione temporalium; & nihilominus magnæ devotionis in Dominum. Vir post regni negotia, ad divina nequaquam officia segnior, ad negotia regni obtusior. Post honorabiles nuptias & thorum immaculatum, ex quo illi unicus natus est filius, qui similibus moribus patrem exprimeret: annis plurimis in cœlibatu permansit: in piis largitionibus tam profusus; ut præter copiosam dispersionem in pauperes, eleémosynas illius enarrent ab ipso fundatæ, dicatæ, & ornatæ multæ Ecclesiæ Sanctorum. Sanè cum illi, quem Dominus pronuntiavit se invenisse virum secundùm cor suum, cum titulo vocabuli in multis simillimus fuerit: in quodam etiam non parvo, inter multa, & præclara bona excessu ab ejus similitudine non recessit. Sicut enim ille, post multa virtutum insignia; in adulteria simul & homicidium, in altero enervis, in altero nequam, incidit. Ita & iste, alius quidem bonus & pius, Scottorum gentem ex effrenatâ barbarie sanguinis avidam: & neque ætate, neque sexui, licet eo nolente, & frustra prohibente, parcituram, Anglorum immisit provinciæ: dum pro nepte sua, olim Imperatrice, cujus justam, ut credebat, partem fovebat, plus justo æmularetur.

XVIII. SUCCEDIT MALCOLMUS. *Hoved. hic.*

Davidi in regnum Malcolmus successit, qui Henrico genitus, quem anno superiore, cum laude sepelivi: ut avito genere, ita & avitâ pietate commendatur. De egressu Davidis, & ingressu Malcolmi, ita Hovedenus: [Anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo tertio, qui est annus decimus octavus regni Regis Stephani, obiit David Rex Scottorum nono Kalendas Junii, & Malcolmus nepos ejus, filius Comitis Henrici, puer duodecim annorum successit ei in regnum.] Neoburgensis qui supra avum laudat, non minor est in novi Principis indole prædicandâ. & reverâ, cùm uterque parens, pietate, & virtutum laude eminet, rarò nascitur degener filius. Ita ergo de Malcolmo præfatus author: [Memorato Scotorum Regi David Malcolmus, major natu nepotum ejus, ex filio, nondum pubes successit. Qui venerabilem avum in multis bonis exæquans, in quibusdam etiam gloriosè superans, in medio nationis barbaræ, & perversæ, tanquam sidus cœleste refulsit. Præventus enim à Deo, in benedictionibus dulcedinis: ut à tenero, superni amoris fervorem conciperet, in totâ vitâ suâ candore pudicitiæ, titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conscientiæ, morum suavitate, pariter & gravitate ita excelluit: ut inter sæculares (quibus solo habitu congruebat) monachus; & inter homines quibus imperabat, terrenus quidam Angelus videretur. Mira quidem hæc in Rege, & Rege gentis tam barbaræ: quam utique Deo cuncta opera ejus dirigente, ita regebat; ut propter illa virtutum insignia, barbaris non esset despectui: sed potiùs admirationi, & amori: dum per Regiam authoritatem, & severitatem improbis & audacibus maximo esset terrori. Non enim defuere, qui novis motibus intumescentes, vel eum impetendum censerent, vel consueta illi denegarent. Quos nimirum Deo sibi manifestè cooperante, ita vel contrivit, vel domuit: ut omnes deinceps formidarent molesti esse viro, cum quo erat Deus.

Neoburg. l. 1. c. 25. MALCOLMI VIRTUTES.

XIX.

Sed nec defuerunt illi in ingressu pubertatis, quidam immissi à Satana, qui cum in seipsis, castitatis jacturam pro nihilo ducerent: eum quoque & ad carnalis experientiam voluptatis, ausu improbo, & virulentis suasionibus titillarent. Ille verò qui jam sequi agnum cupiens quocumque iret, sanctæ integritatis zelum toto pectore

hauserat

Malcolmus castitatem suam contra suasiones suorum, et matris tuetur.

hauserat: & thesaurum istum in carne fragili, tanquam in vase fictili cautè custodiendum, nullo quidem homine, sed Deo tantùm intùs docente sciebat: indecoras coævorum, vel etiam eorum, quos loco magistrorum colebat suasiones primò contempsit. Ac deinde, cum nondum quiesceret, voce & vultu, cum quadam authoritate ita repressit: ut eorum nullus deinceps talia illi auderet ingerere. At in his repulsus hostis, stimulante invidiâ, non quiescit, fortiores contra puerum Dei insidias struit. Matrem adornat; quæ illi virus occultum, tanquam consilium maternæ pietatis insibilet: & non solùm blandiendo alliciat: sed etiam imperiis urgeat, Regem, non monachum esse moneat: ætati & corpori ejus amplexus puellares maximè congruere doceat. Matris importunitate vinctus magis, quàm victus, assentiri visus est, ne contristaret parentem. Læta illa cubantis jam filii lecto assidens, virginem speciosam ac nobilem ad latus non obluctantis collocavit. Ille egredientibus consciis secretum nactus: & charitatis magis, quàm carnis igne succensus, illicò surrexit: & cubile Regium toto noctis spatio Virgini cedens, opertus pallio in pavimento dormivit. Eò mane a cubiculariis sic invento, & consueto Virginis testimonio, utriusque est declarata Virginitas. Matrem postea vel objurgare, vel blandiri adjicientem, quadam constantis animi auctoritate compescuit, ut super hoc audendum ulteriùs non putaret. Dicant quod voluerint veneratores signorum, & ex miris merita metientes: & ex solâ signorum claritate sanctitatis titulum tribuentes. Planè ego illud in Rege juvenculo, sic impugnatæ, sic inexpugnatæ integritatis miraculum, præferendum censeo, non solùm illuminationi cæcorum, sed etiam suscitationi mortuorum.] Hæc omnia Neoburgensis.

ANNUS CHRISTI 1154.

ANASTASII IV. PAPÆ 2.

STEPHANI REGIS 19.

I.

SEquitur Christi annus millesimus centesimus quinquagesimus quartus Principum regnique mutatione notabilis in utraque Republicâ. Septentrio noster Duobus simul Episcopis Eboracensi, & Dunelmensi, Roma nuper reversis, pietate, & religione incalescit: Hugonem ab Anastasio sub finem superioris anni Dunelmenses læti excipiunt: major tamen in Guilielmo Eboracensi populorum jubilus: quia diu illum infulâ orbatum, in ordinémque redactum luxerat. Deus etiam provinciarum jubilo videtur applausisse cum Præsulis reditum miraculo illustravit: Unde virum sanctum fuisse, & annihilationem suam patienter tulisse, manifestum fuit. Cantuariam ut venit ex Oceano descendens, prævidit prædixitque suum in Eboracensi sede successorem: & porro Eboracum pergens, cum plures aquarum vortices intercepissent, omnes à periculo suis precibus mirabiliter liberavit. de quo sic scribit Harpesfeldus: [Guilielmus Pallii honore amplificatus in Angliam rediit. Quem Cantuariæ Rogerius ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, honoris causâ invisit. Quo discedente, Guilielmus, suis: Hic est, inquit, qui me defuncto, meum in Pontificiâ dignitate locum subibit. Admirandis enim eum dotibus, supra communem hominum sortem, Deus tam vivum quàm defunctum amplificavit. Inter quas nec illud silentio obrui debet cœleste beneficium, quod in primo suo Eboraci, post reditum, ingressu præstitit.] Ita ille. Ego miraculum recensebo, cum ejus vestigia sequutus, itinera legero. Prius enim quàm Eboracum pergeret, Wintoniam ad Henricum avunculum accessit: [Sabbato sancto (inquit Neoburgensis) Wintoniam rediit. Ibíque celebrata solennitate Paschali; post Albas, ad Civitatem propriam properavit. Occurrerunt autem ei extra civitatem, minus pacificè Robertus Eboracensis Ecclesiæ Decanus, & Osbertus Archidiaconus: qui ut eum à desideratâ Sede arcerent, propositis Capitulis adversus eum fortiter appellarunt. Ille nihilominus progrediens, solenni occursu, & ingenti applausu à Clero & populo susceptus est. Prænominati verò ejus adversarii, Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum, Apostolicas tunc in Anglia vices agentem concitè adeuntes, ejusdem suffragiis & favore utebantur.]

Guilielmus Eboracum regrediens miracula edit.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 41.

Neoburg. l. 1. c. 28.

II. Quantumvis duo novo Præsuli obstreperent: plures tamen fuere, qui Sanctum ex Urbe reducem venerati sunt. de quibus ita Polydorus: [In Angliam reverso tantus honor ab omnibus habitus est, ut quacumque pergeret, passim mortalium concursus ad eum fierent. Quare ita accidit: ut cum Eboracum vir Sanctus peteret: & eundo parùm ultra Pontifractum transiret pontem, qui in flumine est, quod Adierum appellant, tantus hominum numerus sequutus sit, ut fracto repentè ponte (ligneus enim erat) bona pars in fluvium ceciderit. Quod ubi Guilielmus, qui jam in alterâ ripâ erat, ex morientium clamore cognovit, evestigio conversus ad flumen, & ubertim lacrymans, manus cum oculis in cœlum sustulit: atque Deum suppliciter precatus, divinum auxilium imploravit. Quod ita celeriter cum morte luctantibus adfuit: ut ne unus quidem perierit.] Hæc ille. Hujus miraculi plures meminerunt. author ejus vitæ apud Capgravium, & alii: addit Harpesfeldus: [Ut ille periclitantibus vitam reddidit: ita mortalem ille suam paulò post vitam, tricesimo post ingressum civitatis die, induturus cœlestem illam & æternam, deposuit. Quam illum induisse, magnáque apud Deum in gratiâ & & gloriâ constitutum, testantur innumera omnis generis illustria apud sepulchrum ejus miseris & afflictis hominibus beneficia, omnium temporum memoria præstita: & admirabile, atque ad medicinam ægrotorum salutare oleum è corpore Beati promanans.] Non meruit Eboracensis urbs frui eo Antistite: quem tot annos, cum multorum scandalo exauctoratum abjecerant. Verùm de mortis genere discrepant Authores, & Harpesfeldus noluit controversiam ingredi. ego non debeo illam præterire.

Polydor. l. 12.

Guilielmus plures liberat a submersione.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 41.

III. Plures affirmant veneno in sacro calice propinato, eodem periisse. Sic Rogerus Hovedenus: [Anno gratiæ (inquit) millesimo centesimo quinquagesimo quarto, qui est decimus nonus, & ultimus regni Regis Stephani, Willielmus Eboracensis Archiepiscopus in Sedem suam est honorificè susceptus. Sed non multò post proditione

Vult veneno sublatum.

Hoved. loc.

clericorum suorum, post perceptionem Eucharistiæ, infra ablutiones, liqoore lethali infectus, extinctus est. Quem Hugo Dunelmensis Episcopus sepelivit honorificè in Ecclesiâ S. Petri, Eboraci.] Ita sanè passim creditum fuisse videtur & hymnus in Sancti laudem compositus, idipsum clarè significat: ubi ita canitur:

Eboracum Præsul redit:
Pontis casus nullum lædit,
De tot turba millibus.
In octavu Pentecostes,
Quidam malignantes hostes
In eum pacificum.
Et ut ipsum privent vita
Celebrantis aconita
Propinant in Calice.
Toxicatur à prophanis
Ille potus, ille panis
Per quem perit toxicum.

IV. GUILIELMUS FEBRE NON VENENO SUBLATUS. *Neoburg. l. 1. c. 26.*

Verùm qui penitiùs, eo tempore, rem explorarunt; inconstantem vulgi rumórem, quicquid de toxico cantillatur, putavorunt. nam audio Neoburgensem ita suggerentem; febre, non veneno sublatum. [Porrò (inquit) Guilielmus receptam non multò post Albas Paschales Ecclesiam, decenti moderamine regens, & ingenitâ lenitate, nulli onerosus existens: paucis post Pentecosten, evolutia diebus, febre corripitur; & rapitur ex hac vitâ, ingenti tam Clericis, quàm Laicis, ex mitissimi Pastoris occasu, luctu relicto. Sanè propter inopinatum ejus transitum à multis creditur veneno extinctus; asserentibus eum ex calice sacro, per quendam ab adversariis immissum, vel pro eis æmulantem infecto, potum mortiferum (quod dictu horrendum est) & cum potu vitam hausisse. At hoc merâ quorundam opinione, quam tamen petulanter velut perspicuam veritatem sparserunt in vulgus. Deniqueego processu temporis, cum fama ista crebresceret, quendam virum magnum & grandævum, Rievallis monasterii monachum, jam valetudinarium, & morti vicinum; qui eo tempore Eboracensia Ecclesiæ Canonicus, & memorato Archiepiscopo familiaris extiterat, super hoc cum adjuratiotibus percunctandum putavi. Qui constanter respondit, hoc esse mendacissimum conceptæ à quibusdam opinionis commentum. Se quippe, cum scelus illud attentatum dicitur, præsentem, atque Archiepiscopo assistentem fuisse; nullo modo malignum quemquam inter circumstantes fidelissimos, ad aliqnid tale audendum irrepere potuisse. Illud quoque falsum est, quod dicunt, eum amicis suadentibus antidotum gustare voluisse, cum ab eis hostilis malitia in eum aliquid ausa putaret; & ad hoc suum vel opinabilo, vel commentum firmandum, fertur eúm dixisse: quòd cælesti antidoto non adjiceret humanum. Quod utique, quia vir sapiens fuit & Dominum non esse tentandum, divinâ auctoritate odoctus, neodixisse, neqne egisse credendus est.] Hæc omnia Neoburgensis.

V. GUILIELMUS INTER SANCTOS RELATUS.

Guilielmus, à morte, inter Sanctos, ob miraculorum celebritatem relatus est: cúmque Eboracensis Ecclesia imprimia coluit ad octavum Junii: quo die in Anglicano Martyrologio, cum Sanctis numeratur. Unde postmodum crebescentibua signis elata ejus ossa, & subliniùs posita, cultum meruerunt. de quo ita Harpesfeldus: [Guilielmus migravit ad Dominum sexto Idus Junii. Ossa verò ejus post annos centum triginta & unum, sublimi loco, & in pretiosâ thecâ reposita est. Translationis memoria & solennitas, anniversariâ commemoratione in Martyrologio recitatur ad octavum Januarii. Agam de illâ copiosiùs ad annum millesimum ducentesimum octogesimum tertium: quando Edoardus Rex eo nomine (ab ingressu Normanuorum) primus, & Guilielmus cognomento Wicwane Eboracensis Archiepiscopua, capsam sanctarum reliquiarum humeris (ita legitur Lectione nonâ in Eboracensi Breviario) ad locum Sancto assignatum hajularunt. *Brevi. Eboracen. 8. Januarii.* Quod sacellum, cum postea, unà cum parte civitatis, incendio esset vehementissimo absumptum; ita ut communi opinione corpus cum ossibus, in cineres esset redactum, divinitùs tamen factum est, ut nec vestis, in qua cælestis gleba fuerat involuta, ulla ex parte exusta fuerit. Cujus virtute, multæ & antea, & post miraculosæ sanitates factæ sunt.] Ita concludit nona Lectio ad octavum Januarii. Juvit celebritatem nominis, splendor generis. Fuit enim Herberti Comitia, & Emmæ, quæ Regis Stephani soror erat, filius. [Qui tamen virtutum suarum, & cælestium dotum, quibus à Deo ornabatur, illustri luce natalium splendorem longè superavit] inquit Harpesfeldus. *Harpesfeld. sæc. 12. c. 41.*

VI. ROGERUS SUCCEDIT GUILIELMO. *Neoburg. l. 1. c. 26.*

Guilielmo mortuo successit in Eboracensi sede, ut Sanctus prædixerat, Rogerus Archidiaconus Cantuariensis. quod quomodo factum, sic narrat Neoburgensis. [Eboracensis Archiepiscopi morte compertâ: Robertus Decanus, & Osbertus Archidiaconus, annitente, & cooperante Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, Rogerinm ejusdem Archidiaconum, ad Eboracensis Ecclesiæ Cathedram elegerunt, magnisque suffragiia atque terroribna, Eboracense Capitulum, ad consentiendum induxerunt.] Verùm de electione & consecratione Rogerii dicendum est inferiùs, cùm Stephanus Rex lustratâ Eboracensi provinciâ, Londinum hoc anno redibit, in Procerum conventu, cum Episcopia & Clero super boc acturus, paulò antequam è vivis excederet, sub finem hujus anni. Vide n. 19.

VII. ULRICUS VEL ULFRICUS MORITUR.

Sancto Guilielmo jungamus alium, non minùs sanctitate celebrem, qui hoc anno mortuus, in Martyrologio vivit, & cum Sanctis in cælo regnat. Ulricus is est, vel ut alii vocant, Ulfricus, de quo Parisiensis, Huntindotiua, Capgravius, & Harpesfeldus multa narrant amplissimè. Unus Westmonasteriensis ita breviter transit. [Anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Sanctua Anachorita Wilfricus de Heselbergâ, cujus vita & transitus, specialea exigeret tractatus, migravit ad Dominum.] *Westm. hic.* Historiam vitæ ejus scripsisse dicitur Henricus Huntindonina libro nono historiæ: Qui tamen liber ineditus adhuc; quod Sanctorum nostrorum illustria gesta, & miracula contineret, à novis hominibus, qui antiquam sanctitatem nauseant, ad tenebras condemnatur. Matthæum tamen Parisiensem iidem novi homines impresserunt. Qui ita fusè Ulricum laudat. [Eodem anno (millesimo centesimo quinquagesimo quarto) Sanctus Anachorita, & solitarius Ulfricus de Heselbergâ migravit ad Dominum; postquam viginti & novem annis, contra hostes humani generis confli- *Paris hic.*

gens,

gens, felici marte victoriam reportavit. de cujus vitâ, & virtutibus, ad historiæ decorem, vel parvam utile duximus facere mentionem. Beatus vir Ulfricus, ex mediocri Anglorum gente oriundus, in Contonâ villâ (Lentonam vocat Harpesfeldus) à Bristollo octo millibus distante, natus, nutritus est, & conversatus. Ibi etiam per annos aliquot sacerdotii officium exercuit. Quod in ætate juvenili levitate potiùs mentis, quàm rationis desiderio creditur accepisse. Quippe nondum cognoscebat Dominum. Unde carne magis, quàm spiritu ducebatur. nam canum simul & avium curis sollicitus incumbens, dum die quadam in hujus generis exercitio non segniter instaret; affuit vir subitò, vultum pauperis gerens & habitum, nummum novum ab eo supplex in eleëmosynam postulans. Habebat autem tunc temporis Anglia novam monetam, in diebus Regis Henrici primi, sed adhuc raram, præ numismatis novitate. Cui cum Ulfricus se nescire diceret, si novum nummum haberet: Respice (ait) & invenies duos & semissem. Quo ille responso obstupescens, inspexit: & ita, ut dictum sibi fuerat, reperiens, quod petebatur, devotus donavit. Homo autem ille, cùm denarium accepisset, ait: Retribuat tibi is pro cujus amore hoc fecisti. Et ego tibi in nomine ejus denuntio; quia ex hoc loco, in brevi, ad alium migraturus es; & inde ad alium transiens, requiem tandem invenies ibiusque in finem, in Dei servitio perseverans. & novissimè eris ad Sanctorum collegium evocandus.

ULRICI VOCATIO.

VIII. VIRTUTES.

Deinde post paululum: [Ut inops Sacerdos, Guilielmo Domino villæ, in qua natus fuerat, adhærens, panem quotidie in mensâ ejus comedit. Ubi & in fortitudine multâ lumbos suos accingens, usu penitus carnium se abdicavit. At vir Dei toto jam desiderio solitudinem suspirans, à Domino suo milite supradicto, ad aliam directus est villam, nomine Haselbergam, quæ ab Oxonio versus Orientem triginta milliaribus distare videtur, Spiritu Sancto (ut creditur) hoc dictante. Ubi in cellulâ Ecclesiæ contiguâ, Christo se consepeliens, multo labore, multáque carnis, & spiritus afflictione, Christi sibi gratiam comparavit. Nam tanto jejunio & abstinentiâ, tantáque vigiliarum instantiâ, membra sua mortificavit super terram; ut pellis in brevi ossibus adhærens, non jam carnalem virum, sed spiritualem in humano corpore, intuentibus exhiberet. Vestitu simplici, cilicio intus inhærente contentus erat. Quod cum ex consuetudine, infra dies paucos induraverat; usum loricæ cœpit affectare. Quod Dominus ejus, miles præfatus, cum cognovisset; loricam unam contulit viro Dei: & vas bellicum cœlesti militiæ consecravit. Noctibus in vas quoddam, cum frigore nudus, aquâ plenum frigidâ descendere solebat. In quo psalmos Davidicos Domino offerebat. Et sic aliquamdiu perseverans, carnis incentiva, cujus acerrimos patiebatur stimulos, mortificabat in aquis. Humilis erat cunctis in eloquio & jucundus: cujus sermones cœlestem quandam harmoniam audientibus redolebant: licet hominibus semper clausâ fenestrâ loqueretur.

IX. Inter hæc vir Dei Ulfricus, soli Deo cognitus, in notitiam hominum ad eorum salutem quasi mane novum prorupit. Nam lorica, quâ induebatur, cum se genibus ejus allideret, & genuflexionum ejus instantiam præpediret, militem sui conscium secreti advocat: & apud eum de nimiâ loricæ longitudine causatur. Ad quem miles: Mittatur, inquit, Londonias, & sicut ipse designaveris, incidatur. Respondens vir Dei dixit: nimiam moram haberet istud, nec posset ostentationis notâ carere; sed tu inquit has forfices, coram Deo apprehende, & manu propriâ hoc opus absolve; deditque in manibus ejus forfices, de ipsius militis domo allatas. & militi hæsitanti, & ipsum delirare existimanti, ait: Constans esto, & vide ne trepides: ego vado pro hac re orare Dominum meum: & interim huic operi fiducialiter incumbe. Instat uterque miles, unus orationi, alter incisioni, & est opus amborum manibus prosperatum. Putabat enim miles non se ferrum incidere, sed pannum: dum tantâ facilitate in ferro forfices occurrerunt. Sed viro Dei ante operis consummationem ab oratione cessante, coactus est ab incisione cessare. Astitit Ulfricus militi, & qualiter res profecerit, percunctatur. Benè, inquit, hactenus: Sed nunc te adveniente, ruptæ forfices subsisterunt. Et ille, non te moveat hoc, inquit, sed cum eisdem forficibus, perfice quod cœpisti. Miles itaque resumptâ fiduciâ, facilitate quâ priùs rem feliciter consummavit. Et quicquid inæquale erat, sine difficultate aliquâ coæquavit. Ex tunc vir Dei, absque forficibus, cum digitis suis debilibus, non minori fide, annulos loricæ ad varia sanitatum remedia, cunctis charitativè petentibus dividens ministrabat. Hanc autem Miles virtutem videns, admiratione ineffabili stupefactus corruit ad pedes viri Dei. Quo facto Ulfricus confusus, erectum militem adjuravit: nedum viveret, alicui revelaret. Sed rei fama celebris celari non potuit; cum plures viri religiosi de eâdem loricâ annulos se habere gauderent: & fama celebris viri Dei totius regni fines circumquaque perlustravit.]

MILES FORFICIBUS LORICAM ULRICI FERREAM INCIDIT.

X. Dubitavi aliquando si hoc de lorica miraculum Annalibus intexerem, quia multa Sanctorum vitis intrusa sunt mirabilia, quæ fide antiquorum carent. Sed quia Huntindonius, vir hujus temporis, & in narrandis miraculis admodum religiosus, illud recensuit, volui mirabilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellectum conspici. Harpesfeldus ita de stupendo hoc facto, & Huntindonio illud referente censuit: [Historiam hanc (de loricâ loquitur) tanquam rem exploratissimam, & indubitatum sui temporis miraculum, Henricus Huntindoniensis, illius temporis æqualis, severus alioquin recentium miraculorũ arbiter, præter cæteros, qui ex professo ejus vitam descripsere, recenset.] Liber quidem ille, qui nonus in ordine fuit, nuperâ impressione suppressus est, & octo tantum Huntindonii libri numerantur: ut benè monuit Saviliana editio ad finem libri septimi: ubi Lectorem ita docet: [Inter librum septimum & eum qui hic est octavus ex codicibus manuscriptis, nonnulli duos alios libros interponunt. Initium Prioris: *Hic est annus qui comprehendit scriptorem.* Posterioris: *De viris illustribus Anglorum, & quæ per eos.* Hos itaque libros, quamvis ab Huntindonensi sine dubio conscriptos; quia alterius sunt argumenti; omittere visum est.] Cæterùm quod ad loricam spectat, ita Huntindonius de illâ scripturus loquitur: & refert illud Harpesfeldus suprà,

Harpesfeld. sæc. 12. c. 29.

Huntind. post librum 7 fol. 385.

Harpesfeld. sec. 12 c. 29.

in notâ marginali; obi hæc habentur: [Fiunt (inquit Huntindonius, in fine libri noni) miracula tempore nostro rarissima; sed quandoque clarissima. Unde de quodam, dum adhuc vitalis superest spiritus memoriale clarissimum communicabo.] Tum narrat de Ulrici loricâ, rem sanè mirandam: sed Deo factu facilem. Nunc quæ sunt viri Dei reliqua, & Parisiensem revisamus.

XI. QUIDAM FECERAT HOMAGIUM DIABOLO, LIBERATUS EST AB ULFRICO. *Paris. hic.*

[In Aquilonaribus Angliæ partibus (narrat ille) homo quidam erat valde miserabilis; qui fortunam paupertatis non æquè ferens, diabolo manus dedit, & homagium ei fecit. Diabolus autem, cum captæ prædæ suæ aliquamdiu incubuisset: miser ille intelligens reatum suum, pœnitere cœpit: & circumspiciens, & deliberans, cui se patrono committeret, qui illum à morte animæ liberaret. Postremò Beatum Ulfricum adire deliberavit: in cujus manu salus quiescere dicebatur. Et de progressu suo valde sollicitus; cum cuidam suorum id ipsum revelasset: astitit ei diabolus in effigie consuetâ, & notâ illum proditionis arguens, & castigatione crudeli se ipsum punire minatur, si quid tale de cætero attentaret. At homo ille sibi silentium imponens: vidit manifestè, quòd inimicus ejus, cogitationes cordis sui non cognovisset, nisi eas priùs, per verbum prodidisset vel signum. Dissimulato itaque aliquamdiu pœnitentiæ suæ proposito iter tantum præmeditatum arripuit, ut ad Ulfricum, Dei amicum veniret: & transacto longo viæ spatio: ad vadum quoddam illius fluminis, quod extra Heselbergam situm est, accessit: iter suum Domino prosperante. Vir autem ille, cum vadum fuisset ingressus: & de Beati Ulfrici subventione spem certam concepisset, supervenit diabolus, irâ gravi succensus, & manus in hominem violentas immittens, infremuit, & ait: Quid est, inquit, proditor quod facere voluisti? Moliris pactum nostrum dissolvere: sed frustra: quia proditionis, quâ olim Deo renuntiasti, & qua mihi nunc renuntiare cogitas, solvere pœnas mox debes, quia jam miserabiliter submergeris. Et tenens eum diabolus, ita immobilem fecit, quod nec procedere, nec in latus aliquod valuit declinare.

XII. Dum hæc agerentur in flumine; Vir Dei Ulfricus, rebus quæ fiebant, à Deo sibi per spiritum prophetiæ revelatis: vocavit Presbyterum suum ad se Brithricum, & ait: Accelera, inquiens, & assumptâ Cruce & aquâ benedictâ, occurre homini, quem diabolus in vado, quod extra villam est, captivum tenet. Et aspergens eum aquâ benedictâ, adduces ad me. At ille cum summâ celeritate, ad imperata iter arripiens, invenit sicut ei dictum fuerat, hominem in vado equo insidensem, ita & in aquâ immobiliter fixum, quod de loco non poterat se movere. Quem ut vidit Brithricus, protinus, in virtute magistri sui, aquâ benedictâ hominem profundens, in nomine JESU CHRISTI; prædam excussit, & prædonem fugavit. Sicque captivum de aquâ assumens, cum lætitiâ duxit ad virum Dei: qui interim pro miseriâ ejus orans, manus habebat ad Deum. Sequebatur à tergo dæmon quoodam hominem suum. Quem videns stantem ante virum Dei; apprehendit eum clamantem & dicentem: Serve Dei, succurre mihi: ecce invadit me inimicus meus. Sanctus autem apprehendit manum hominis dextram, & diabolus sinistram tenens, eum virtute trahebat. Et sic trahentibus illis, Vir Dei Ulfricus unâ manu captivum tenuit, & alterâ, aquâ, quam benedixerat, contra faciem inimici aspergens, ipsum valdè confusum ab ædibus effugavit. At vir Dei hominem trementem, de faucibus mortis ereptum, in interiorem cellam suam duxit: tenens eum ibi donec per Confessionem pœnitens ille, virus quod dæmon infuderat ei, ad pedes Sancti evomuit. Tunc homo viribus resumptis, corpus Domini à Sancto Ulfrico sibi oblatum in specie carnis. Et interrogatus si ex toto crederet. Credo Domine, inquit, quia corpus & sanguinem Domini mei in manibus tuis in specie carnis video ego miser & peccator. Cui vir Sanctus: Deo gratias, inquit, nunc simul oremus, ut in specie consuetâ illud percipere merearis. Sicque communicatum hominem, & in fide confirmatum dimisit in pace.

Obiit autem amicus Dei, Sanctus Ulfricus, decimo Kalendas Martii, & in oratorio suo sepultus est apud Heselbergam. Quo in loco ad laudem Dei, & gloriam Sancti, innumera fuerit miracula, usque in diem hodiernum videre.] Hæc omnia Parisiensis de Ulfrico. Quem Martyrologium nostrum Wulricum vocat, nomenque ejus inter Sanctos collocat decimo quarto Calendas Martii. Quod annum spectat conveniunt omnes, & Harpesfeldus disertè: [Obiit (inquit) vir pius ad annum millesimum centesimum quinquagesimum quartum.] XIII. MORITUR ULRICUS.

Harpesfeld. sec. 12. c. 19.

Moritur hoc anno Anastasius Romanus Pontifex, quarto Nonas Decembris: & cum diem unum Sedes illa vacasset, Hadrianus eo nomine quartus ad illam assumitur. de quo Baronius hic: [In locum Anastasii subrogatus est Hadrianus, natione Anglicus ex Episcopo Albanensi, Nicolaus dictus. de quo in Vaticano Codice, hæc habentur. Fuit natione Anglicus de castro S. Albani, Nicolaus nomine; qui pubertatis suæ tempore, ut in studia literarum proficeret egrediens de terrâ suâ, & cognatione suâ, pervenit ad Arunlatam. ubi cum in scholis, literis vacaret à Domino factum est, ut ad Ecclesiam B. Rufi accederet, & in ea religionis habitum, factâ Canonicâ professione susciperet.] Inde narrat Vaticanus Codex ea quæ suprà retuli, cum factus est Cardinalis, & in Sueciam à Romanâ Sede Legatus. Cæterùm quid in legatione perfecerit: & quomodo ad Summi Pontificatus culmen pervenerit, ibidem in hunc modum narratur: [Processu modici temporis cognitâ ipsius honestate, & prudentiâ, Eugenius de latere suo, cum ad partes Noruegiæ Legatum Sedis Apostolicæ destinavit. Quatenus verbum vitæ in ipsâ provinciâ prædicaret: & ad faciendum Omnipotenti Deo animarum lucrum studeret. Ipse verò tanquam Minister Christi, & fidelis ac prudens dispensator mysteriorum Dei, gentem illam barbaram ac rudem in lege Christianâ diligenter instruxit, & Ecclesiasticis eruditionibus informaret. Divinâ itaque dispensatione Apostolatus sui diem præveniens, defuncto Papa Eugenio, & Anastasio in ejus locum ordinato, ad matrem suam, Sanctam Romanam Ecclesiam, authore Deo, remeavit, relinquendo pacem regnis, legem barbaris, quietem Ecclesiis, ordinem clericis, & disciplinam, & Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Transeunte autem

XIV. MORITUR ANASTASIUS PAP. SUBSTITUITUR HADRIANUS IV. *Baron. hic.*

apud Baron. hic.

modico temporis intervallo, obiit Anastasius Papa. Secundo die convenientibus in unum pro eligendo sibi Pastore, cunctis Episcopis, & Cardinalibus, apud Ecclesiam B. Petri, non sine divini dispensatione consilii factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent: & Papam Hadrianum à Deo electum, tam Clerici, quàm laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem, in Se-

* tertio

dem B. Petri inthronizarent, Deo authore, *quarto nonas Decembris, Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo, quinquagesimo quarto. Erat autem vir valdè benignus, mitis, & patiens,

* Græca

In* Anglicâ & Latinâ linguâ peritus, sermone facundus, eloquentiâ politus, in cantu Ecclesiastico præcipuus, prædicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, eleemosynis largus, & omni morum compositione præclarus.] Hæc omnia de Hadriano Vaticanus Codex. ut eundem novus Anglorum Rex statim à creatione officiosè salutaverit, dicam anno sequenti.

XV. Morabatur adhuc in Insulâ Normannorum Dux Henricus, qui pace cum Stephano pactâ, provinciam serenaverat: cùm ecce nubes aliqua suboriri cœpit, quæ pluviam minabatur. Conventum est, ut castella recenter erecta solo æquarentur, factionum alimenta. Id segniter à Stephano imperatum, non omninò perfectum, & Henricus ante suum ex Insulâ discessum diruta volebat. Itaque ad Dunstabliam Stephanus cum Henrico colloquutus, querimoniam audivit, & utriusque prudentiâ factum, ut sopiretur controversia.

Huntind. fol. 398.

HENRICUS LABORAT UT CASTRA DIRUERENTUR.

Huntindonius ita rem gestam narrat. [Nec longa fuit medii temporis mora, cum iterum apud Dunestaple convenerunt. Ibi aliquantulum lux clarissima obnubilata est. Displicebat enim Duci, quod castella, post mortem Henrici Regis, in pessimos usus circumquaque constructa, non diruerentur; sicut confirmatum & sancitum fuerat inter eos in concordiâ, & firmissimo fœdere. Para quidem magna jam erat diruta Quibusdam tamen castellis suorum, Regis clementia, vel versutia parcens, pacti communionem debilitare videbatur. Dux igitur super hoc Regem angarians, repulsam passus est. Sed tamen Patri novo consentiens, ægrè quidem rem distulit, ne concordiæ lumen extinguere videretur. Utrinque igitur discessum est in pace. Sed

RECREDITUR IN NORMANNIAM.

non multò post: acceptâ Dux à Rege licentiâ, victoriosissimus Normanniam repedavit.] Hæc ille. Justam suisse Henrici querelam probant Roberti Albanensis Abbatis preces Stephano humiliter porrectæ, super castro de Kingsbury, quod provinciam latrocinijs vexabat. de quo Parisiensis ejus cœnobii monachus.

XVI.

Parisien. in vita Roberti Abbatis.

ROGAT STEPHANUM REGEM, UT DESTROAT CASTRUM KINGSBURY.

[Ipsis quoque temporibus, Rex Stephanus transitum faciens per nos, in hac domo honorificè hospitatus, & decentibus respectus est muneribus, Abbate Roberto prudenter procurante. Rex autem cum in crastino Missam audiret, ad altare S. Stephani: Abbas allato sancti Martyris, & statuto ante pedes Regis feretro, cecidit prostratus ante ipsum Regem, & Magnates ejus, petiit instantissimè, ut ipse pro amore Dei, & Martyris, cujus reliquiæ apportabantur, dignaretur reliquias castri Regalis, quod Kingsbury appellabatur penitùs delere. Latebant enim in eodem ferè loco, ubi castrum Regis fuerat ab antiquis temporibus dirutum, quidam æditui Regalea, servi conditione, sed Abbatiæ nocivi & damnosi, habentes in medio ferè vici seorsum versus Orientem unum propugnaculum vel municipiolum pro refugio, & mansione, & se dicentes Regis fideles servientes, & custodes pacis, & patriæ, potiùs patriam & pacem perturbabant, & emolumentis, & turpibus inhiabant quæstibus, quàm pacis commoditatibus intendentes. Rex autem piissimus Stephanus, quasi attonitus à circumsedentibus interrogabat: Quid hoc esset? Cui statim quidam Magnatum de assessoribus, Abbati amicissimus, respondit: Domine mi Rex, non procul hinc, imo sub alis hujus cœnobii, spelunca quorundam latrunculorum est, qui toti patriæ sunt nocivi, & vobis non minùs damnosi, quàm petunt hi vobis devoti sancti viri, quibus est quasi spina in oculo, penitùs aboleri. Rex igitur precibus Abbatis, ac fratrum, ac Magnatum obtemperans, jussit illas veteris castri reliquias, cum suis habitatoribus, penitus deleri, ad Abbatis piam voluntatem, & desiderium. Quod statim fecit Abbas, solotenus, ut nec vestigia comparerent, complanari, arari, & seminari, suis dispersis satellitibus.] Hæc author.

ABBAS CASTRUM DIRUIT.

Unde constat quantum nocumenti civibus, similium locorum constructio attulerit Nunc Henricum ex Insulâ discedentem prosequamur.

XVII.

HENRICUS SOLVIT IN NORMANNIAM.

Neoburg. l. 1. c. 30.

Henricum ex Angliâ solventem, infortunium comitatur; cum Gulielmus Stephani filius, & Comes itineris, expeditionem casu funestavit. de quo Neoburgensis: [Dux autem in Angliâ, post firmatæ pacis solennia, modico tempore commoratus, transfretare parabat. Et Rex, cum Gulielmo filio, multisque aliis nobilibus, celebri lætitiâ prosequebatur abeuntem. Cumque idem Regius puer in oculis patris, equo ut assolet, concitatius veheretur: contigit equo cadente, sessorem ad terram allidi. Unde cum fracto osse tibiæ, resurgere impotens, patri & omnibus qui aderant, dolorem incussit. Reportatus ergo est Cantuariam, ut ibi curaretur Rex vero sinistro casu saucius: datis cum benedictione mandatis, Ducem dimisit: Qui feliciter transfretans, circa æstatis initium, ad propria, cum gaudio remeavit.] Vix Insulâ discesserat: cum nova in eum factio cuditur, quam ita deplorat Huntindonius: [Itaque Dux gloriosus, in Gallias rediens, à genitrice

Huntind. fol. 398.

suâ, & fratribus, & omni gente Normanniæ, & Andegavis, Cenomanniæ, & Pictaviæ, debitâ lætitiâ & honore susceptus est. Rex autem Stephanus, in pace tunc primo, quæ Regio debebantur honori, adoptivi filii gratiâ potentissimus obtinuit. O dira mortalium rabies! ô nefanda perversitas. Quidam filii hominum, quorum dentes, arma & sagittæ: & lingua, gladius acutus: inter Regem præsentem & Ducem absentem, summoperè stimulum discordiæ studebant seminare. Rex autem vix eorum persuasionibus *restare poterat; & processu temporis, ut æstimabant nonnulli, jam non restabat: & pravorum consilia non invitus, sed quasi nollet, dissimulans, æquo licentiùs audiebat. Sed aliter filii hominum: aliter judicabat Deus. Qui (ut decebat) incepta perficiens, pravorum consilia, perversasque machinationes ad nihil redigebat.] Sublato nimirum è vivorum numero, Rege Stephano, qui Angliæ coronam, Henrico debitam, multa factione, nullo jure invaserat. Ad quod pergendum, ubi Stephani reliqua hoc anno gesta prosecuti sumus.

* restare *pro* resistere.

XVIII. STEPHANUS ABSENTE HENRICO CAPIT VARIAS ARCES. *Neoburg. l. 1. c. 32.*

Ille post Henrici discessum, de Angliæ imperio, quamdiu vita suppeteret, securus, castella quæ adhuc diruenda restabant; & quæ servitutis jugum, sub utrovis Principe excusserant, sui juris facturus, Insulam armatâ manu perambulat: & Henrico, nesciens, militaturus, arces plures intercipit: & vel solo æquatas, factioni inutiles, vel sibi votóque suo servituras facit. De hac Stephani expeditione, ita scribit Neoburgensis: [Interea Rex Stephanus, fastu Regio fines Angliæ lustrans: & se tanquam Regem novum ostentans, suscipiebatur ab omnibus, & decenti magnificentiâ colebatur. Et incendebantur ante faciem ejus, & quodammodo liquefiebant, sicut cera à facie ignis, munitiones adulteræ, quæ erant improborum receptacula, & speluncæ latronum. Veniens autem in Eboracensem provinciam, quendam Philippum de Tolevilla qui munitionem suam apud Drax (viculus est, in Eboracensi agro, quem Ousa fluvius priùs alluit, quàm Humbrum ingreditur, monasterio celebris, quem Guilielmus Paniel Canonicis nigris dudum posuerat) incendero, vel incendendam tradere videbatur, invenit rebellem. fretum scilicet ejusdem munitionis firmitate, commilitonum suorum ingentibus animis, & copioso ciborum armorúmque apparatu. Rex verò ex proximis provinciis exercitu convocato: munitionem objectu amnium, silvarum, atque paludum ferè inaccessibilem, obsidione conclusit: & fortiter expugnatam in brevi obtinoit. Erat autem tempus messis, & Rex in Eboracensi civitate, & adjacente provinciâ, quæ volebat, expletis; ad Australes provincias remeabat, circa festum Beati Archangeli Michaëlis, cum Episcopis, & Nobilibus Angliæ, Concilium Londonii celebraturus: tum pro regni negotiis, cum etiam pro negotio vacantis Ecclesiæ Eboracensis.]

XIX. * v. hic n. 6.

Dixi supra *, mortuo Sancto Guilielmo Eboracensi Archiepiscopo, alium ejus loco suffectum: ita tamen ut electio Regis suffragio de more firmaretur: quod modò factum, cùm Stephanus, composito Septentrione, Londinum cum Episcopis & Proceribus redit. Cæterùm quâ ratione facta, firmatáque sit electio, Neoburgensis in hunc modum tradit. [Evocati (inquit) majores ejusdem Ecclesiæ, cum Abbatibus atque Prioribus subjectæ provinciæ affuere: factóque in Rogerium Archidiaconum Cantuariensem decreto, cum à suo Archiepiscopo, cujus efficaci astutia, omne negotium electionis ejus processerat; Rege connivente solenniter petiere. Quem cum facilè à volente impetrassent: licet eum idem Archiepiscopus tanquam precibus cedere videretur: vel potiùs vellet videri, alias quoque preces adjecere: scilicet ut eum, non tanquam Cantuariensis Archiepiscopus; sed tanquam Apostolicæ Sedis Legatus consecraret. Hoc quoque à volente non difficulter impetrato: consecratus est idem electus, in Ecclesiâ Beati Petri apud Westmonasterium. Qui soluto Concilio, ad Ecclesiam propriam properavit: & post susceptionis suæ solennia; rebus pro tempore dispositis; eundi ad Sedem Apostolicam petendi pallii gratiâ, in propriâ personâ iter arripuit.] Ita ille: nec aliud in Concilio actum refert. Et fortè conventum solverat, Flandriæ Comitis adventus, qui Stephanum Regem in Cantium evocavit. *Neoburg. suprà.*

XX. MORITUR STEPHANUS REX. *Huntind. fol. 198.*

Fuit illa Stephani Regis postrema expeditio. nam Cantium, nec vivus, nec mortuus egreditur. De itinere illo, ita Huntindonius: [Cum castellum, quod vocatur Drake juxta Eboracum obsedisset, & obsessum tandem cepisset; aliáque multa victor obtinuisset, & castella diruisset; Doroberniam petiit, cum Comite Flandrensi locuturus. Cui alloquens, infirmitate, & tandem morte præreptus est, octo diebus ante festivitatem omnium Sanctorum: & in Abbatia de Feversham, juxta uxorem suam, & filium sepultus est: cum ferè novendecim annis laboriosè nimis, & infeliciter regnasset.] Locum illum in Cantio olim sibi Stephanus in sepulturam elegerat, & Cluniacenses monachos ibidem collocarat: qui pro vivo & mortuo Deum illi propitium redderent. In eo majores egregiè imitatus; qui similia loca non in sepulchri honorem, quod ambitiosorum est; sed in animæ utilitatem condiderant. Ita Henricus ejus prædecessor, Radingense monasterium, ita avus Guilielmus, Cadomense; ita Guilielmi præcessor Haraldus, Walthamense: Ita Edoardus cognomento Confessor, Westmonasteriense: Ita Christianorum Saxonum primus princepsque Ethelbertus cœnobium Apostolorum Petri, & Pauli. [Ita denique olim Magnus Constantinus Apostolorum duodecim Basilicam erexerat, ornaverat, Sanctorum reliquiis auxerat; in opportunum mortis diem, providâ dispensatione designans (loquitur Eusebius) & incredibili fidei propensione providens; cum jam corpus suum, communem cum Apostolis appellationem, post mortem participaret, fore, ut defunctus, quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.] Unde Stephani, & aliorum Regum nostrorum fidem, unam eandémque cum Constantino, omnium Imperatorum maximo, fuisse, certo argumento colligitur, in cultu Sanctorum, & pro decedentibus suffragiis. Quod ideo inculcandum sæpiùs; quia ab antiquâ Magnorum Principum fide apostatavit Insula. *Euseb. invit. l. 4. c. 60.*

XXI. HENRICUS DUX REDIT IN ANGLIAM. *Huntind. f. 398.*

Dum Stephano Regi, justa Christiano more solvuntur: nuntius in Normanniam advolat: & Henricum civili bello impeditum reperit, nolentémque priùs in Angliâ coronari, quàm domesticum malum avertisset: [Miserunt (inquit Huntindonius) Thedbaldus Archiepiscopus, & quamplures ex Angliæ proceribus nuntios festinantes pro Domino suo Duce Normannorum, ut regnum suscepturus, incunctanter adveniret. Impeditus tamen ventis, & mari, causisque quampluribus: paucis diebus ante Natale Domini, cum conjuge, fratribúsque suis, multísque potentibus, magnisque copiis applicuit, apud Nove-forest. Fuit igitur Anglia, sine Rege quasi sex hebdomadis. nec tamen Dei gratiâ præveniente, pace caruit: vel pro Regis amore venturi, vel timore.] Tacet author principem causam, quæ Henricum in Normanniâ detinuit: nimirum castri rebellantis obsidionem, quam obstinatè noluit solvere: aut hostem à tergo relinquere. Neoburgensis de illo sic: [Nuntium (inquit) mortis Stephani, Dux Normanniæ maturè accepit. Qui fortè tunc castrum quoddam, quod ab eo desciverat, cum exercitu obsidebat. Cumque ab amicis moneretur, relictâ obsidione, sub omni celeritate in Angliam transfretare, nequid fortè, contra eum, occasione *Neoburg. l. 1. c. 32.*

moræ, inimici veteres molirentur; mirâ justitiæ suæ confidentiâ respondit: illos nihil nusuros. Et quamvis amici malum instarent, obsidionem solvere noluit: donec factum est de castro obsesso, quod voluit expectante eum cum desiderio Angliâ: & nullâ interim, in cunctis finibus ejus surgente procellâ. Itaque cum applicuisset; Londonias petens (ita Huntindonius) ut decebat tantum, & tam beatum virum, cum summa lætitia, & multis præ gaudio lacrymantibus in Regem benedictus, est in throno regni splendissimè collocatus.] Sed de Regiâ benedictione, dicendum paulò fusiùs.

Huntind. fol. 398.

XXII. Parkerus contentionem inter Cantuarien. et Eborac. fingit.

Nescio unde Parkerus, in Antiquitatibus Britannicis, sumpserit id, quod de contentione asserit, pro novo Rege consecrando, Eboracensem inter, & Cantuariensem Episcopos, fallitur certè, cum Thurstinum, aut Guilielmum factionis authorem nominat: nam dudum uterque decesserat, & Sede illa & vita. nuperque Rogerus successerat. Sed & literarum, quas recitat, infrequens mentio, & satis oscitanter confictæ videntur, apud Nothingham datæ, quo Henricus probabiliter ante coronationem non accessit. Sic ergo Parkerus vel fingit ipse, vel ab alio confictum narrat: [Thurstinus seu Guilielmus ejus successor, iterum clam & ambitiosè certavit, ut Henricus à se Eboraci coronaretur. Sed Rex contra Cantuariensis dignitatem nihil fieri passus, non nisi ab eo, & ejus mandato coronari voluit, ut ex literis ejus constat, quas hic inteximus.]

Antiq. Brit. in Theobal.

HENRICUS REX ANGLIÆ, & Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo, Salutem.

Super hoc, quod mihi mandastis: quod audieratis me coronandum ad natale ab Archiepiscopo Eboracensi, apud Lincolniam, in provinciâ vestrâ: Sciatis quod nullo modo me ibi coronabit: nec alibi contra dignitatem vestram. Ibi enim me coronabit, sicut mandastis, Lincolniensis Episcopus, si præsentiam vestram habere non potero, quam multum desiderarem. Sed hac vice parco labori vestro: & cum Dominus Lincolniensis Episcopus possit supplere vices vestras; nolo quod ad me veniendo tanto labore vexemini. Et hoc pro certo sciatis: quòd nec in hoc, nec in alio, quamdiu coronam portabo, vestram offendam gratiam, nec divinam dignitatem. Teste T. Cancellario apud Nottingham.

XXIII. Refutatur Parkerus.

Paris hoc.

Si Henricus Dux, obsidione castri distractus, per sex hebdomadas adventum suum distulit, ut supra. Si veniens ad Barbe-fluvium, ibi per mensem unum, ad transfretandum, ventum congruum expectavit: ut disertè Parisiensis. Si in Hamtoniensem agrum, ad novam forestam appulit, septimo Decembris die: Si denique à Theobaldo coronam regni auspicatò accepit, Dominicâ ante nascentis Christi solennia. Unde quæso, aut contentio de coronandi prærogativâ, aut Henricus Nottinghamiæ rescribere potuit? Opinarer potiùs literas illas, ab Henrico, hujus Henrici filio, tum scriptas; cum ipse, in regni, atque adeo titulorum consortium, ascitus est à Patre. Tunc enim (ut dicetur) inter regnum, & sacerdotium, ortâ contentione, Cantuariensis Archiepiscopus, inaugurationi adesse non potuit: & noluit eam ab Eboracensi fieri. Enimverò tunc potuit Cantuariensis ad Henricum scribere, de Sedis suæ prærogativâ disputare, & demum Henricus literas dictare atque inscribere T. Archiepiscopo Cantuariensi, quam initialem literam Parkerus putavit Theobaldo ascribendam. Quicquid sit: Henricus qui hoc anno Angliæ Rex consecratur, non potuit ad coronam festinans Nottinghamensem agrum lustrare; sed rectè ex Hamptoniensi litore Londinum tendens, sine ullâ quæstione, à Cantuariensi Episcopo coronam accepit: eo modo quem narrat Parisiensis. [Dux Henricus (inquit) septimo Idus Decembris, in Angliam veniens, cum magno Cleri & populi tripudio exceptus est, & decimo quarto Kalendas Januarii, die Dominicâ ante Nativitatem Domini, apud Westmonasterium ab omnibus Rex acclamatus, à Theobaldo Archiepiscopo, in Regem consecratur: præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, & Baronibus regni Anglorum: & Ducatus Normannorum.]

Paris hic.
Henricus a Cantuariensi coronatur.

XXIV. Cantuariensis Thomam Beccet Archidiaconû constituit.
Quadril. c. 6.

Hoc etiam anno, ut notat Hovedenus Theobaldus Cantuariensis, in Rogerii Archidiaconi sui (quem nuper Dunelmensi Ecclesiæ præfecerat) locum Thomam assumit cognomento Beccet, priùs variâ legatione, & Juris prudentiâ ad tale munus eruditum. De quo hæc habet Quadrilogus: [Cernens Pontifex (Theobaldum intelligit) ex hac novâ arbore, novâ quædam virtutum tunc germina pullulare. Hanc Domini plantationem, inter puma convallium in horto Domini plantare disposuit. Et ut per experientiam rerum faciliùs dispensationis Ecclesiasticæ usum consequeretur, à præfato Archiepiscopo, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, à cujus uberibus coaluerat, Archidiaconus constitutus est. Ut sic Deo ordinante, tempore suo, gradu suo, Archidiaconus, in Archiepiscopum promoveretur. nam post Episcopos, & Abbates, in Ecclesiâ Anglorum, hic primus, & dignior personatus habetur.] Quomodo hic Thomas in regni Cancellarium postmodum surrexerit; inde in Cantuariensem Sedem, & demum ad martyrii coronam, dicetur inferiùs.

ANNUS CHRISTI 1155.

HADRIANI IV. PAPÆ 2.

HENRICI II. REGIS 1.

I. Henricus initio regni mittit ad Pontificem.

Primordia regni Henrici, eo nomine, secundi Regis, colloco ad annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum quintum: qui sub superioris anni finem consecratus, nihil habuit antiquius, quàm sedentem in Petri Cathedrâ, Romanum Pontificem, de more Christianorum Principum, literis & legatione venerari. Extat inter Petri Blesensis Epistolas, una: quam Henrici hujus nomine ad Hadrianum Papam scriptam affirmat Baronius: & sanè literarum series sensúsque id arguunt. Ita ergò de Henrici Regis exordio Baronius, ad annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum quartum. [Moritur hoc anno Stephanus Anglorum Rex, de quo Sanctus Bernardus in

Baron. an. 1154.

Malachiâ ait: ob dissensiones inter ipsum, & Eugenium Papam, vetuisse Episcopis, nè se conferrent ad Romanum Pontificem: Successit autem in regnum Henricus Dux Northmannorum, filius Mathildis Imperatricis: Qui repudiatam à Ludovico Rege Francorum Elionoram, uxorem duxerat. Hic rebus compositis anno sequenti in Angliam transfretavit, ubi fuit mirâ omnium concordiâ receptus in Regem. Hic ipse Henricus Rex Angliæ: ubi accepisset Hadrianum gentilem suum creatum esse Romanum Pontificem, ad eum has literas dedit, quæ inter Epistolas Petri Blesensis cusæ habentur. numero centesima sexagesima quinta.

II. LITERÆ HENRICI HADRIANO PAPÆ. *Pet. Blesensis Epist. 165.*

AUres nostras aura dulcis afflavit: quia sicut accepimus creationis Vestræ novitas tanquam aurora rutilans, desolationis Romanæ Ecclesiæ tenebras propulsavit. Gaudet Sedes apostolica, viduitatis suæ solatium consecuta. Gaudent omnes Ecclesiæ lucem novam oriri videntes: & ipsam usque ad perfectam diem crescere præstolantes. Sed gaudet præcipuè Occidens noster: quòd velut Oriens novum lumen influere promeruit orbi terræ: & Solem Christianitatis, qui versus Orientem nuper occubuit, divino munere Occidens restauravit. Nos itaque, Pater sancte, honori Vestro magnificè collætantes, & divinæ Majestatis magnificentiam, devotis inde laudibus prosequentes: Paternitati Vestræ, de cujus fervore, filiali devotione confidimus, vota nostra familiariùs aperimus. Si enim carnalis filius carnales affectus, Patri fidenter aperit: quanto fidentius, spiritualis, spiritualia potest desideria reserare. Sanè inter cæteras affectiones nostras, non mediocriter affectamus: quod cum divinâ dexterâ, Reverentissimam personam vestram, tanquam lignum vivificum, in medio Paradisi spiritualiter plantandum duxerit: & de terrâ nostrâ in suum pomerium transplantandum: summoperè studeatis fructuosis operibus, & doctrinis Ecclesias omnes ita reficere: quòd beatam omnes dicant generationes Vestræ Beatitudinis nationem. Illud quoque sincero corde sitimus quòd spiritus procellarum, qui dignitatum culmina vehementiùs consuevit perflare, nunquam à sanctitatis studio vos avellat: nè quod absit, altius dignitatis fastigium graviùs præcipitium subsequatur. Sed & illud intimè affectamus: ut cum universarum ordinatio Ecclesiarum ad Vos pertineat; tales ordinare curetis, sine dilationis dispendio Cardinales; qui onus Vestrum sciant, & velint, & valeant supportare: non conspicientes ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ qualitatem: Sed quòd Deum timeant, avaritiam odeant, justitiam sitiant, & zelo ferveant animarum.

III. *Nec modicum nostrum movet affectum, ut cum Ecclesiis supra modum officiat indignitas ministrorum: summâ sollicitudine vigilare curetis, cum super dignitatum, vel Præbendarum collatione, Vestram contingit requiri providentiam, nè quis indignus irruat in patrimonium Crucifixi. Cum autem felix terra, felicis redemptionis origine, conversatione, ac Sanguine Christi consecrata: quam Christiana devotio præcipuè venerari tenetur: tantis, sicut oculatâ fide novistis, perturbatur nationum incursibus, abominationibus polluitur; desiderio desideramus quòd ad ipsius liberationem, Vestræ sollicitudinis vires accingatis. Illud autem olim illustre imperium Constantinopolitanum, nunc graviter desolatum; quis affectare non debeat, ut Vestrâ providentiâ, consolationem recipiat opportunam. Siquidem & honoris Vestræ considerationis, & commoditatis communis æmulatione, affectare debemus: ut qui promotione divinâ universali præsidetis Ecclesiæ, circa omnium Ecclesiarum informationem ac reformationem assiduè vigiletis. Confidimus autem in Domino, & speramus: quòd sicut de virtute, in virtutem; de honore, in honorem, divinitùs sublimati secundùm ipsorū exigentiam lucere curastis: sic ad Apostolicæ sublimitatis apicem evocati, subjectas Ecclesias illustrare, ac illuminare curabitis: ut non sit qui se abscondat à Vestro lumine, & calore: relicturi talia post decessum Vestrum vestigia sanctitatis: quod terra nativitatis Vestræ, quæ de felici jucundatur origine; de felici fine poterit feliciùs in Domino gloriari. Demum Paternitatem Vestram, & speciali confidentiâ requirimus, & rogamus; quatenus nos, & familiares nostros, & statum Regni nostri in sermonibus & orationibus Vestris, specialiter habere dignemini commendatos.* Hactenus Rex Angliæ, ad Hadrianum Papam.] Ita Baronius.

IV. Non malè conjectat Annalium Conditor hasce literas, inter Petri Blesensis Epistolas excusas; ab Henrico secundo, ad quartum Hadrianum datas. Verùm à Blesensi Henrici nomine scriptas, nec ipse affirmat: nec audeo id asserere. etenim qui è Siciliâ in Angliam (quò Henrici Regis invitatu venit) non venit ante annum millesimum centesimum sexagesimum octavum, ut Joannes Busæus in præfatione ad ejus opera ostendit: procul Angliâ fuit, sub Henrici Regis exordia. Cæterùm Epistola illa, à quocumque demum scripta, in magnâ Patrum Bibliothecâ, non aliâ insignitur epigraphe, quàm hac: *Ad N. Pontificem Romanum.* & infra. *Tali Papæ, talis Rex.* Cui Epistolæ, qui argumentum præfixit, ita commentatur. *Rex quidam sibi, totiq; Occidenti gratulatur, quòd N. ex ipsius terrâ, ad summum Pontificatum pervenerit: eumq; hortatur, ut dignos tantùm ad dignitates Ecclesiasticas promoveat.* Doctè igitur Baronius ad Henricum Regem retulit: quia reverà, aliò referri non potest: & Busæus supra, qui Petri Blesensis Epistolas notis illustrat, ad hanc Epistolam ita scribit: [Suspicor hanc Epistolam scriptam ab Henrico secundo Anglorum Rege, ad Hadrianum quartum Papam, natione Anglum. disertè enim indicat eum è terra suâ oriundum. Guilielmus Neobrigensis libro secundo, Rerum Anglicarum capite secundo (sed lege capite primo) scribit eum in Papam electum an primo regni Henrici; qui fuit ab ortu Christi, annus millesimus centesimus quinquagesimus quartus. Quo tempore, cum nondum Petrus Blesensis vixisse in Angliâ videatur, vel aulâ Regiâ; dubitari quoque potest (ut de stylo taceam) an hujus Epistolæ author fuerit.] Ita ille.

Tomo 12 Biblioth. mag. fol. 694.

LITERAS HAS RITE BARONIUS ATTRIBUIT HENRICO

Sup. fo. 1009.

V. Cum pium debitumque Romano Pontifici obsequium Henricus reddidisset; ad regni negotia, & rem ibi publicam, plurimorum factione, & militari licentiâ laceratam, componendam se totum convertit. Id quomodo factum narrat Neobrigensis: Henrici exordia, ad superiorem annum, quo reverà regnare cœpit, in hunc modum referens: [Anno à partu Virginis millesimo centesimo quinquagesimo quarto. Henricus, Henrici majoris ex filiâ, olim Imperatrice, nepos, post mortem Regis Stephani, à Normanniâ in Angliam veniens, hæreditarium regnum suscepit, conclamatus ab omnibus, & consecratus mysticâ unctione in Regem, concrepantibus in Angliâ turbis: Vivat Rex. Prioris quippe regni sub quo tot

V. HENRICUS STUDET REIPUBLICÆ COMPONENDÆ. *Neoburg. l. 2. c. 1.*

mala

mala pullulaverant, infelicitatem experti; de novo Principe meliora sperabant. Præsertim cum præclara illi prudentia, atque constantia, cum zelo inesse viderentur: & magni jam Principis, in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique edicto præcepit, ut illi qui è gentibus exteris in Angliam, sub Rege Stephano, prædarum gratiâ, tanquam ad militandum confluxerant: & maximè Flandrenses: quorum magna tunc Angliæ incubabat multitudo: propriis regionibus redderentur: fatalem eis diem constituens: quem in Angliâ sustinere, certi foret discriminis. Quo edicti paventes ita in brevi dilapsi sunt; ut quasi fantasmata in momento disparuisse viderentur: stupentibus plurimis, quomodo repentè evanuissent. Mox castella nova, quæ in diebus avi sui nequaquam extiterant, complanari præcepit, præter pauca in locis opportunis sita: quæ vel ipse retinere: vel pacificis ad regni munimen retinere voluit.

Edicit ut milites exteri egrediantur.

VI. *Leges servare curat.*

Publicæ quoque disciplinæ imprimis sollicitudinem habuit: & ut legum vigor in Angliâ reviviscerer, qui sub Rege Stephano extinctus, sepultusque videbatur, curâ propensiore sategit: Ordinatisque in cunctis regni finibus, juris & Legum ministris, qui vel improborum audaciam coërcerent: vel interpellantibus, secundùm causarum merita, justitiam exhiberent: ipse vel in deliciis erat: vel majoribus negotiis regiam operam impendebat. Quoties autem judicibus molliùs, indigniúsve agentibus, provincialium querimoniis pulsabatur, provisionis Regiæ remedium adhibebat: illorum competenter corrigens, vel negligentiam, vel excessum. Talia novi Principis initia fuere: gratulantibus quidem & laudantibus pacificis: mussitantibus verò, & contremiscentibus improbis. Fugiebant lupi rapaces, vel mutabantur in oves: aut si non verè mutabantur: metu tamen legum, cum ovibus morabantur. Conflabantur gladii in vomeres; & lanceæ in falces: nullusque jam exercebatur ad prælium; sed omnes olim optatæ, & nunc Deo propitio indultæ pacis, vel fovebantur otiis, vel intendebant negotiis.

VII. *Regni reditus curat.*

Considerans autem Rex, quòd Regii reditus breves essent, qui aviso tempore uberes erant: eò quòd Regia dominia, per mollitiem Regis Stephani, ad alios multósque dominos, majori ex parte migrassent: præcepit ei cum omni integritate, à quibuscumque detentoribus resignari, & in jus pristinum revocari. Et hi quidem qui regiis oppidis seu vicis hactenus inclyti fuerunt; chartas, quas à Rege Stephano, vel extorserant, vel obsequiis emerant, quibus tuti forent, protulerunt. Sed quoniam chartæ invasoris juri legitimi Principis præjudicium facere minimè debuerunt: eisdem instrumentis esse tuti minimè potuerunt. Itaque primò indignati, deinde conterriti & contristati, ægrè quidem, sed tamen integrè usurpata, & diu, tanquam solido jure detenta resignarunt.] Hæc author. Magnæ molis erat, & litis plurimæ, Regia repetere, quæ Stephani manus à coronâ detraxerat. Reluctantes tamen edicto coercuit: cujus meminis in hunc modum Parisiensis. [Stephano Henricus secundus, Dux Normannorum successit in regnum. Edictum igitur ab ipso promulgatur: quatenus omnes terræ, quæ per totam Britanniam in dominium prædecessorum suorum Regum Angliæ, secundum juramentum hominum suorum, quolibet tempore habitæ sunt; sine alicujus contradictione redderentur. futurisque temporibus, in dominio suo, suorúmque successorum servarentur. Unde contigit, ut iidem juramenti præstitores, antiquorum assertionibus provocati, Ecclesiam de Luitonâ, ad Regia jurisdictionem antiquitùs pertinuisse testificarentur, Sacramento confirmantes. Nam multi veterem Ecclesiam de Luitonâ, super Dominicum Regni fiscum, fundatam fuisse affirmabant. Ideóque ad donationem Regis pertinere.] Hoc narrat Author, Albanensis monachus: quia Ecclesiam in Luitonâ erectam Henricus Rex paulò Albanensi monasterio adjunxit. nunc in Regia laudandâ industriâ pergat Neoburgensis.

Parisien. in Roberto Abbate.

VIII. *Neoburg. l. 2. c. 2.* *Castellũ Scarborow a Guilielmo Albemarleñ. Comite repetit.*

[Cum in cunctis regni provinciis, omnes usque ad unum, voluntati Regiæ paruissent, Rex Transhumbranas provincias adiit; Comitémque Albemarlensem Guilielmum: qui ibidem sub Stephano, Rex verior fuerat; de re consimili, eodem quo cæteros pondere auctoritatis, convenit. Ille diu hæsitans, multúmque æstuans; tandem corde saucius, potestati succubuit: & quæcumque ex Regio dominio plurimis jam annis possederat; cum ingenti anxietate resignavit: maximè famosum illud & nobile castrum, quod dicitur Scharcheburch. nunc Scarborow dicitur:] Et Author narrare pergit castelli situm; nimirum ad illius Oceani latus, munimentum Insulæ. [Rupes (inquit) stupendæ altitudinis, & amplitudinis, præruptis ferè, ex omni parte scopulis inaccessa, mare irrumpit, quo tota ambitur: exceptis tanquam faucium quarundam angustiis, quas aperit ad Occidentem, habens in summo planitiem speciosam & herbidam, & spatiosam, tanquam sexaginta jugerum, vel eò ampliùs, fonticulum quoque aquæ vivæ ex saxo profluentem. In ipsis autem faucibus, ad quas sine labore non ascenditur: turris Regia sita est: & sub eisdem faucibus, urbis initium est in Austrum & Aquilonem, utrumque latus spargentis, frontem verò ad Occidentem habentis. Et à fronte quidem proprio muro: ab Oriente verò rupe castelli munitur: porrò utrumque ejus latus mari alluitur. Sanè hunc locum memoratus Comes Guillelmus, cum in Eboracensi provinciâ plurimum posset, castro construendo idoneum contemplatus, sumptuoso opere, naturam juvans totam rupis planitiem muro amplexus est, & turrim in faucium angustiis fabricavit. Qua processu temporis collapsa, arcem magnam, & præclaram Rex ibidem ædificari præcepit.

Idem sup. c. 3.

IX. *Henricus Wintonieñ. nolens Regi tradere castra, exit Angliam.*

Dum arces per Angliam, Henrici Regis jussu petuntur, soloque æquantur: fuerunt procerum aliqui Regio edicto minùs parentes. Henricus Wintoniensis Episcopus, Stephani frater, non æquis primùm oculis Henrici felicitatem aspiciens, cum castella sua nec Regi tradere; nec impar viribus, defendere decrevit, Angliâ egressus, ad Cluniacense monasterium secessit: cujus instituti olim monachus & Abbas fuerat. Ægrè tulit Henricus Rex tanti Præsulis excessum, & castellis ejus iratus, demolitus est omnia. Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ ad hunc annum ita breviter narrat: [Henricus Wintoniensis Episcopus absque licentiâ Regis recessit ab Angliâ: ideoque diruta sunt ejus sex castella.]

Walsingam. hypod. Neust. an. 1155.

Chronicon. Cluniacen. præfixum operibus Petri Ven. to. 12 p. 2. f. 2.

HENRICI WINTONIENSIS MUNIFICENTIA IN CLUNIACUM.

Quod Cluniacum iverit; ibique larga manu beneficia profuderit, dum Petrus cognomento Venerabilis monasterio præesset, Chronicon Cluniacense testatur his verbis: [Tempore insuper hujus præfati Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, anno salutis humanæ millesimo centesimo quinquagesimo quinto, vir illustris, Henricus Wintoniensis Episcopus rogatu dicti Domini Petri, & ab Adriano Papa IV. literis invitatus, simul etiam à Rege Franciæ Ludovico Juniore, & omnibus ferè Burgundiæ personis, & Baronibus evocatus, Cluniacum venit: eandémque Ecclesiam, gravi æris alieni pondere oppressam, prudentiâ, & expensis suis, omni ferè debitorum alleviavit onere: ita ut tam ex persolutione debiti, quàm etiam in comparandis possessionibus, necessariis etiam rei familiaris comparandis, sicut ex ore ejus auditum fuit, prolatumque ab ipso, quod plusquam septem millia Marcarum argenti expenderit. Pavit enim per annum, quadringentos sexaginta monachos, tunc existentes in dicto monasterio Cluniacensi, ut habetur in libro capituli, dicti cœnobii Cluniacensis. Iste Henricus Wintoniensis Episcopus, fuerat olim hujus monasterii Cluniacensis alumnus, & monachus; ac nostrûm, nostrique Cœnobii benefactor, singularissimus suis temporibus & maximus.] Ita loci illius Chronicon.

X. Aberat Petrus Cluniacensis Abbas, cum eò venit Henricus: & intellectâ postmodùm profusâ largitione, has illi dictavit literas, grati animi argumentum.

Epist. Petri Abbatis 23 lib. 2 Epist.

Venerabili, & intimo nobis Domino, & Patri HENRICO Wintoniensi Episcopo. Frater PETRUS humilis Cluniacensium Abbas, Salutem.

Multa quidem & magna a Vestrâ munificentiâ, nobis, & vestris Cluniacensibus impensa beneficia, multas & magnas meritò exigunt gratiarum actiones. Sed illud unum nuper collatum, suâ magnitudine jure alia, licet magnifica transcendit, & excellentiùs benigna Vestræ mentis affectum nobis commendat. Quis enim non hebes videat, quanta in corde ingenuo vis dilectionis extiterit, quæ disruptis mordacibus curis, postpositis Regalibus negotiis, tantis Reip. Vestræ implicationibus intermissis, sublimitatem Vestram, ad invisendos humiles, & devotos filios vestros, Cluniacum traxit? Lætatus sum supra modum, istud audiens; sed tristatus sum supra modum tanto me hospiti occurrere non posse cognoscens. Nec me planè retinere ab itinere potuissent, qualibet, vel quantalibet nostra negotia. Quod enim huic negotio par? Sed sola me detinuit, quam præcavere non potui ignorantia. Tam tardè quippe ad me pervenit Vestri adventus certitudo: ut secundum dies, quos à Cursore accepi, nullo pacto, nec in Nivernensi Comitatu consequi vestigia Vestra valerem. Eâ de causâ cum jam abruptis universis provincialibus retinaculis, non tam ire, quàm discurrere ad Vos usque voluissem, impossibilitate cogente, ultra quàm dicere possim mœstus remansi. Unde, quia per me non potui: per quos possum dilecti iter prosequor. Et per fratrem Droganem socium nostrum sapientem, & vobis, ut æstimo, notum, singulari domino & amico, quæ scribere non licuit, mando.

XI. Sub hoc tempus, opinor, idem Abbas Petrus Venerabilis binis ad Henricum scriptis literis, infimis petiit precibus, ut mortui corpus Cluniacensi monasterio ad sepulturam commendaret. Sed ecce literas:

Epist. Petri 24. lib. 2.

Venerabili Domino, & Patri clarissimo, HENRICO Wintoniensi Episcopo, Frater PETRUS, humilis Cluniacensium Abbas, Salutem, & se totum.

Valens mihi sæpè scribere vobis, & cor meum hoc saltem remedio, amico communicare: occurrit, quod alibi nusquam. Impatiens enim animus, & se verbis indicare gestiens, loqui æstuat, & veretur. Æstuat, ut se aperiat; veretur ne displiceat. Timet, ne si multùm taceat, alienus: si multùm loquatur; videatur importunus. Ita fit, ut & loqui, & tacere pariter reformidem. Sed malo quandoque in verbis excedere, quam quæ dicenda sunt, reticere. Hoc dixi, ut frequentibus quas mitto, literis viam faciam: & ad eas sæpè legendas, etiam pigritantem amicum oculum Vestrum aperiam. Eligo magis verbosus amicus permanere; quàm taciturnus sensim ab amore languere. Et ne ultra, vel me scribentem, vel Vos legentem suspendam; Illud unũ, illud singulariter, illud præ omnibus, & super omnia hac vice omnium rogo: & per eam salutis Vestræ spem, quam in vestra Cluniaco habetis, obsecro, ut Ecclesia illi vestra, cui post Deum, animam vestram commisistis, corpus etiam non negetis. Erit hoc largitatis Vestræ donum, omni nobis munere charius: quod omnibus Anglicis thesauris gratius accipiemus? si in hoc Vos munificum senserimus. Debet Cluniacum corpus Vestrum, saltem post spiritum possidere: ut cui Vos in monachatu vovistis, ei post Sanctum Sacerdotium vos reddatis. Congruum est, ut locus ille, carni Vestræ sepulturam provideat, qui toto mundo devotius, animæ Vestræ, perpetuis requiem precibus providebit. Super his commune rescriptum instanter postulamus; & nobis & Capitulo mitti rogamus. De cætero fratrem Durannum, & ejus universa negotia, Vestræ munificentiæ commendamus. Quem quia gratiam coram vobis invenisse audivimus: eum ad præsens, ad Angliam destinamus. Specialiter autem de manerio centum Marcarum vos rogamus: ut sicut illud, dono quidem Regis, sed maximè Vestrâ benevolentiâ & studio Cluniacum possidet: ita qualiter in pace semper possidere valeat, provideatis.

XII. Quid Henricus ad has literas rescripserit, non invenio: scio secundis idem literis à Venerabili Petro postulatum, ut in loco illo locum mortuo corpori eligeret; cui cæteris devotiùs animam devovisset: sic enim concludit sequens Epistola, quam non exscribo. Et valde redditur probabile, Henricum tot precibus, quod petebatur, cessisse. nam, ut infra* videbimus, nullum in Anglia sepulti Henrici hujus vestigium est: & Godwinus in Catalogo, ubi solet Episcopis sepulchri locum assignare, de Henrico hoc tantum: [Obiit Augusti sexto, anno millesimo centesimo septuagesimo primo. Sed ubinam loci tumulatus fuerit, nemo, quantum reperi, tradidit.] Qui tamen Glastonienses Antiquitates post Malmesburiensem scripsit, Henricum Wintoniæ sepultum disertè affirmat. Sed fortè, id temporis serviendo factum; & ossa postmodum Cluniacum delata, nullum Wintoniæ sepulti vestigium reliquerunt. Quicquid sit, Henricus non diu in Galliâ moratus, in Angliam redit, & in Henrici gratiam; Cluniacensibus semper addictus, ut frequentes

** v. an. 1171.*

Godwin. in Winton.

Antiq. Glast. fol. 92.

ad eum

ad eum Petri Venerabilis testantur literæ, leguntur- *in Biblio. tom 12. p 2.*
que in Magna Patrum bibliotheca. Eas inter, una recessus ejus à Cluniaco in Angliam meminit: atque ita inscribitur:

Epistolarum l. 3. Epist. 1.

Venerabili, & jocundâ cordis memoriâ recolendo, Domino HENRICO Wintoniensi Episcopo, Frater PETRUS humilis Cluniacensium Abbas, Salutem quam præparavit Deus diligentibus se.

XIII. *Ex quo amplectenda Reverentia Vestra nuper à Cluniaco recessit, muta vobis permansit lingua mea; sed non tacuit de vobis conscientia mea: siluit allocutio; sed non siluit devotio: tepuit loquacitas; sed non refriguit Charitas. Nec mirum. Cùm enim omnes penè Cluniacensis ordinis amici, cum omnes provisores, cùm omnes benefactores, in vobis uno confluxerint, non est mirandum, si per multos olim divisus noster amor, ad Vos solum concurrerit. Sed quoniam istud apud Vos constare certum habemus; non sunt de his multiplicanda verba, neque quod optime nostis, fastidiosè replicandum. Illud tamen, quod nunc fuit mihi causa scribendi, requiro illud mihi summoperè, vestrisq; rescribendum deposco: Quis regni Anglici, sed maxime, quis vester, vestrorumq; sit status? quæ corporis incolumitas, quæ rerum prosperitas? qualiter nostra quoque loca, se habeant: utrum pace lætentur, an adhuc dubiâ sub sorte laborent? quæ nostrorum conversatio? quæ sit fama? Ista omnia idcirco à vobis requiro: quia vobis maxime omnia nostra innituntur: & à vobis singulare post Deum, ut nostis, auxilium præstolantur. Fratres nostri, filii vestri, pro vobis assidue Omnipotentis misericordiæ affectibus & precibus supplicantes, Reverentiam Vestram venerando salutant, & ut etiam apud Dominum, eorum memoriam habeatis implorant.*

Ita Petrus doceri ab Henrico voluit: an benè illi reverso, cum Rege fuerit: quia iratum illi Principem, fama in Galliam usque, jactaverat. Sed facilis novus Rex insulam reversus Henrico reduci manus dedit: licet castella, ut nuper inter Principes conventum, in terram ceciderint.

XIV. HENRICUS CASTRUM EXTORQUET AB HUGONE DE MORTUO MARI.

Majus Henrico Regi negotium, cum Hugone de mortuo mari, & Scotorum regno fuit: nam ille Brigiam (nunc Bridge-north) aliáque loca ad defensionem muniverat, edicto minimè parens: illi, Northumbriæ Comitatum, non solùm Anglorum Regum permissu diu tenuerant: sed ipsiusmet Henrici sponsione, promissóque, cum nuper miles à Davide Rege creatus est. Sed nullo argumento Henricus victior, Hugonem pressit, & expressit à Scotis, quas Anglorum juris provincias tenebant. De utrisque ita scribit Neoburgensis: [Rex igitur in eâdem provinciâ, rebus ad votum gestis, ad superiora Angliæ remeans, *Neoburg. l. 2. c. 4.*
solum Hugonem de mortuo mari, virum fortem, & nobilem, annis jam plurimis Regio castro de Brigiâ incubantem offendit rebellem. Qui cum juberetur propriis esse contentus & reddere, quæ de jure Regio possidebat; pervicacissimè renuit: séque quibus potuit modis, ad resistendum præparavit. Sed quod superbia, & indignatio ejus esset plusquam fortitudo ejus, consequenter apparuit. Rex enim celeriter exercitu congregato Brigiam obsedit. Quam post dies non multos fortiter oppugnatam, in deditionem recipiens: ei cujus cor paulò ante, quasi cor Leonis fuerat, humiliato, & supplici veniam dedit.

Regi quoque Scotorum, qui Aquilonares Angliæ regiones, scilicet, Northumbriam, Cumbriam, Westmerlandiam, nomine Mathildis dictæ Imperatricis, & hæredis ejus, olim à David Scotorum Rege adquisitas, tanquam jus proprium possidebat, mandari curavit: Regem Angliæ tantâ regni sui parte non debere fraudari: nec posse patienter mutilari: justum esset reddi, quod suo fuisset nomine adquisitum. Ille verò prudenter considerans Regem Angliæ in hac parte, cum potentiâ virium, merito causæ præstare: quamvis posset obtendere juramentum, quod avo suo David præstitisse dicebatur; cum ab eo cingulum acciperet militare: prænominatos fines repetenti, cum integritate restituit: & ab eo vicissim Comitatum Huntedunensem, prisco sibi jure competentem recepit. His ita compositis, Anglia in cunctis finibus, suo otio, & securitate, pro tempore, fruebatur. Regis enim supra omnes, qui hactenus in Angliâ regnasse noscebantur, latius dominantis, hoc est ab ultimis Scotiæ finibus, ad montes usque Pyrenæos, in cunctis regionibus nomen celebre habebatur.] Hæc Neoburgensis. Ex hac felicitate, crevit Henrico animus ad majora; & Insularum quoque omnium, quæ Britannico Oceano accensentur, dominium affectavit. Sed quia Domini est terra & plenitudo ejus; & nullum sibi in Insulas, inconsulto superiore, jus esse didicerat: Romanum in id oraculum consuluit. Et commodum accidit, in Romanâ tunc Sede, oracula fuisse eum, qui Anglus ortu, & natalibus, Anglorum regno faceret benè. Missæ ergò hoc anno ad Hadrianum preces: quæ Hiberniam Principum factione divisam, ob publicæ pacis bonum, Angliæ conjungeret, atque submitteret: & justæ preces locum invenerunt.

XV. A REGE SCOTO Ū PROVINCIAS RECUPERAT.

Ad tempus quod attinet, quo porrectæ preces, ita ad annum Domini millesimum centesimum XVI.
quinquagesimum quintum scribit Parisiensis. [Per *Paris hic.*
idem tempus, Rex Anglorum Henricus, nuntios solennes Romam mittens, rogavit Papam Hadrianum, ut sibi liceret Hiberniæ Insulam hostiliter intrare, & terram subjugare, atque homines illos bestiales, ad fidem, & viam reducere veritatis, extirpatis ibi plantariis vitiorum. Quod Papa Regi gratanter annuens, hoc sequens ei privilegium destinavit.]

HADRIANUS Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, illustri Anglorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem

Laudabiliter, & satis fructuosè, de glorioso nomine tuo propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos: ad declarandum indoctis, & rudibus populis Christianæ Fidei veritatem: & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps intendis. Et ad id convenientius exequendum, consilium Sedis Apostolicæ exigis, & favorem. In quo facto, quanto altiori consilio & majore discretione procedis: tanto in eo feliciorem progressum, te, præstante Domino habiturum confidimus. Significasti siquidem nobis, Fili in Christo charissime, te Hiberniæ Insulam, ad subdendum populum legibus Christianis, & vitiorum inde plantaria extirpanda, velle intrare, & de singulis domibus, annuam unius

ADRIANUS IV. CŌCEDIT HENRICO II. HIBERNIAM.

denarii Beato Petro, velle solvere pensionem. Ita & jura Ecclesiarum illius terræ illibata & integra conservare. Nos autem pium & laudabile desiderium tuum favore congruo prosequentes, & petitioni tuæ benignum præbentes assensum; gratum & acceptum habemus: & pro dilatandis Ecclesiæ terminis, vitiorum restringendo discursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inserendis, pro Christianæ religionis augmento: Insulam illam ingrediaris: & quæ ad honorem Dei, & salutem illius terræ spectaveris, exequaris: & illius terræ populus te recipiat; & sicut Dominum veneretur; jure Ecclesiarum illibato, & integro permanente; & salva Beato Petro de singulis domibus annua unius denarii pensione.

XVII. *Sanè omnes Insulæ, quibus Sol justitiæ Christus illuxit: & quæ documenta Fidei Christianæ susceperunt, ad jus sancti Petri, & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Si ergo quod animo concepisti, effectu duxeris prosequente complendum: stude gentem illam bonis moribus informare: & agas tam per te, quàm per illos, quos ad hoc Fide, verbo, & vitâ idoneos esse perspexeris; ut decoretur ibi Ecclesia; plantetur, & crescat Fides Christiana religio. Et quæ ad honorem Dei, & salutem pertinent animarum; taliter ordinentur: ut & a Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi merearis: & in terris gloriosum nomen valeas in sæculis obtinere.* Ita Hadrianus ad Henricum scripsit: ingressum in Hiberniam permisit, ad Christianæ fidei incrementum: jussitque Hiberniæ populum, Anglorum Regem ut *Dominum* venerari. Quo deinceps titulo, à secundo hoc Henrico, ad octavum usque, usi sunt, quotquot in Angliæ coronam successere. Baronius in Vaticano Codice hoc Hadriani scriptum reperit: illudque recitat, ubi Hadrianus moritur, ita præfatus: [Adhæc insuper; nè quid excidat, de tanti Pontificis memoriâ: hic describemus ex Codice Vaticano diploma datum ad Henricum Anglorum Regem, de rebus Hiberniæ in meliorem statum religionis restitutis (potiùs restituendis) sed quoto sui Pontificatus anno, incertum.] Ego Parisiensem sequutus, ad primum Henrici Regis annum diploma consigno.

Anglorum Rex Dominus Hiberniæ mansit: hic titulus ad Henricum 8.

Baron. an. 1159.

XVIII. Sed quinam illi solennes nuntii, quos Henricus in eam rem ad Hadrianum misit oratores? Authores nostri, quod sciam, neminem exprimunt. Si suspicari licet in re arduâ, dicerem Joannem Sarisberiensem, qui Carnotensi postea præfuit Ecclesiæ; ex eis unum & Principem fortè fuisse. Quod viri ætas, eruditio, & cum Hadriano Papâ multa consuetudo, & literarum denique commercium suadent. Cæterùm quod Romæ hoc anno fuerit, egeritque cum Hadriano satis familiariter, Baronius disertè tradidit. [Contigit (inquit ipse ad hunc annum) his primordiis Pontificatus Hadriani, ad ipsum venisse gentilem suum, Joannem Anglum, patriâ Saresberiensem; cùm idem Pontifex ærumnis pressus; cum eo sermonem habuit de gravi molestiâ, quam subiret in administratione Pontificatus; quæ ipse Joannes digna putavit, ut perpetuitati scriptorum monumentis consecrarentur: Ait enim: Dominum Hadrianum, cujus tempora felicia faciat Deus, hujus rei testem invoco: quia Romano Pontifice nemo miserabilior est: conditione ejus nulla miserior. Et licet nihil aliud lædat, necesse est, ut citissimè, vel solo labore deficiat. Fatetur enim in eâ Sede se tantas miserias invenisse; ut factâ collatione præsentium, tota præcedens amaritudo, jucunditas, & vita felicissima fuerit. Spinosam dicit Cathedram Romani Pontificis, in tantum acutissimis usquequaque consertam aculeis, tantæque molis: ut robustissimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam & phrygium clara meritò videri, quoniam ignea sunt. se nunquam à natali solo Angliæ malle exiisse, aut in claustro B. Rufi perpetuò latuisse dicit; quàm tantas (nisi quia divinæ dispensationi reluctari non audet) intrasse angustias. Dum superest, ipsum interroga, & crede experto. Hoc etiam mihi sæpissimè adjecit: quod cum de gradu ad gradum, à claustrali clerico, per omnia officia, in Pontificem Summum ascenderit: nihil unquam felicitatis, aut tranquillæ quietis, vitæ priori adjectum est ab ascensu. Et ut verbis ejus utar (nihil enim cum præsens sum, sui gratia vult apud se absconditum esse ab oculis meis) In incude, inquit, & malleo semper dilatavit me Dominus. Sed nunc oneri, quod infirmitati meæ imposuit, si placet, supponat dexteram suam: quoniam mihi importabile est. nonne ergò miseria dignissimus, qui pro tantâ pugnat miseriâ? Sit sanè ditissimus qui eligitur; sequenti die, pauper erit, & infinitis penè creditoribus tenebitur obligatus. Quid ergò erit ei, quem nulla vocat electio: sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca, & cruenta, non sine sanguine fraterno intrudit? Hoc quidem est Romulo succedere in parricidiis: non Petro, in commissi dispensatione ovilis.]

Baron. hic.

Joan. Sarisb. Polycr. l. 8. c. 23.

Pontificis munus quam grave et onerosum.

XIX. Scripsit hæc Joannes, dum Hadrianus adhuc superesset: & fortè hoc tempore Hadrianus illi exposuit calamitatem suam, cognatásque in sublimi positis, molestias. Hunc ergò Joannem, pro Henrico Rege orasse, & persuasisse putamus. De Bosone nihil audeo affirmare, an Joanni in legatione socius fuerit. Inde tamen dubium oritur, quod hoc anno Romæ Cardinalis ab Hadriano creatus sit, ut tradunt Authores nostri. Godwinus Balæum sequutus ita scribit: [Boso, natione Anglus, nec non ut alii tradunt, Hadriani Papæ nepos, Cardinalis renuntiatus est mense Decembri, anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto: & Pontificis Camerarius, titulos habuit primùm Sanctorum Cosmæ, & Damiani tum Sanctæ Crucis in Jerusalem: mox S. Pudentianæ, ac tandem denique Pastoris. Illius potissimum operâ Alexander tertius Cardinalium novendecim suffragiis Pontifex est declaratus.] Ita ille. Meliùs opinor Joannes Pitsius Cardinalis titulus exposuit, cum in Appendice illustrium scriptorum Angliæ, hæc habet: [Boso natione Anglus, ad S. Albanum ordinis sancti Benedicti monachus, Adriani Papæ quarti nepos, & scriba, vir pius & eruditus, & qui inter præcipuos sui temporis Theologos à scriptoribus meritò numeratur. Itaque à Papa patruo suo primùm anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quinto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus tituli Sanctorum Cosmæ & Damiani, simulque Camerarius. Deinde anno millesimo centesimo sexagesimo tertio ab Alexandro Papa tertio Presbyter Cardinalis tituli S. Pudentianæ, adjuncto etiam tituli Pastoris creatus. Unus erat è viginti quatuor Cardinalibus, qui Alexandrum Papam tertium in schismate elegerunt. Hæc ex Onuphrio Panuino.]

Godvvin. in Cardin. fol. 164.

Boso Cardinalis nepos Hadriani IV.

Pitsius in Append.

Panuino. Ita Pitsius. Hi ergo, Boso, inquam, & Joannes à Saresberiâ, pro Hiberniâ hoc anno Henrico Rege apud Hadrianum orare potuerunt: & solennes nuntii esse, de quibus suprà Matthæus Parisiensis.

XX. Theobaldus consiliarius Henrici.

Ut prudentiâ in domandis hostibus, ita pietate sui regni primordia condivit Henricus Rex: eorum imprimis utens operâ; qui rectâ consulere, Deique præ cæteris majorem gloriam explicare poterant: quorum consilio Rex se suáque majoris momenti negotia, & ad publicam Rem spectantia composuit. Theobaldum ergo Cantuariensem Archiepiscopum, virum per omnia religiosum, summæque integritatis atque prudentiæ, consiliorum suorum participem, & suæ mentis ad Deum interpretem fecit: eoque authore, & suasore multa præstitit. Quod Parkerus his verbis affirmat: [Henricus Rex à Theobaldo coronatus, anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto (qui suæ consecrationis fuit decimus septimus: ejus consilio in maximis rebus, regniique administratione semper assensus est.] Theobaldus visâ Regis indole, ad bonum natâ, si domi haberet, pietatis, prudentiæ, aliarumque virtutum exempla, Thomam, quem nuper Cantuariensi Archidiaconatu donaverat, ut in Regis familiam ascitus, Regio pectori faciliùs illaberetur, hoc tempore laboravit. Hanc Theobaldi industriam Godwinus ita commentatur: [Theobaldus se jam valetudinarium perspiciens, & imparem technis aulicorum: qui nunquam non aliquid moliuntur ad detrimentum Ecclesiæ, ut Becketi solertiam, ac vigilantiam, eorum malitiæ opponeret, legendum eum curavit in numerum eorum qui Regi erant à sacris. Hujus gratiam brevi temporis spatio eousque promeruit; ut Ecclesiasticis dignitatibus onustum; ad honoratissimum, summi Angliæ Cancellarii munus provexerit. Nec omnino quisquam esset, qui apud eum plus potuerit.] Sed hoc posteriùs. Nunc enim & sub hoc tempus humiliùs Regi servire cœpit: & post sequentem annum, ut dicetur, altiùs ascendet.

Antiq. Brit. in Theobal.

Godwin. in Thoma Beket.

XXI. Henrici II. filius secundo genitus Henricus.

Interim Henrico Regi nascitur filius secundo genitus: quem à se Henricum voluit nominari. Primogenitum ante susceperat Normanniæ Dux, anno (ut diximus) millesimo centesimo quinquagesimo secundo· qui diu non superesset; nam anno hunc sequente morietur, ut Henrico, nunc à Rege genito, regni insignia permittat: quæ ille libabit quidem, sed non omnino hauriet: cum Patre aliquamdiu regnabit: sed ante patrem regno vitâque fungetur. Ideo natalem ejus Annales distinctè referunt. Parisiensis in hunc modum: [Anno Dñi millesimo centesimo quinquagesimo quinto natus est Londoniis pridie Kalendas Martii, Henrico novo Anglorum Regi, ex Reginâ Alienor filius legitimus, & vocatus est Henricus.] Auctus jam duobus filiis Rex, regnúmque posteris firmaturus, convocatis regni proceribus, in filiorum jura jurare fecit. Unde ad hunc annum, author qui suprà: [Eodem tempore Rex Henricus fecit jurare, filiis suis de regno Angliæ, Willielmo, & Henrico.

Paris hic.

Idem sup.

XXII. Robertus Warelwast Exoniensis fit Episcopus.

Vacaverat Exoniensis Ecclesia, à morte Roberti Chicesteri, per annos quinque: & tunc demùm Robertus alter cognomento Warelwast: nepos è fratre Gulielmi illius, qui olim eandem Ecclesiam, & plurima administrarat regni negotia: quorum supra sæpè meminimus. Scio Godwinum in Catalogo Roberti ingressum referre ad annum millesimum centesimum quinquagesimum: sed turbæ eo tempore, & deinceps natæ, diuturniorem Ecclesiæ vacationem suadent: & Parisiensis hunc annum & gesta tunc describens: [Eodem tempore (inquit) defuncto Roberto Oxoniensi (sed lege Exoniensi) Episcopo, Robertus Sarisberiensis Decanus successit. Qui ut priùs Chicestero successerat in Sarisberiensis Ecclesiæ Decanatum: sic modo in ejusdem Præsulatum, vir infulâ dignus, successor eligitur.] Nec omitti debet restitutio sacri thesauri, quem Radingensi Ecclesiæ olim * donatum, Henricus Wintoniensis Episcopus abstulerat. Unde signanter Parisiensis ad hunc annum: [Manus (inquit) sancti Jacobi, restituta est Redingo.]

Paris hic.

** v. an. 1126. n. 4.*

Idem suprà

XXIII. Arnaldus hæreticus punitur.

Omitti non debent, nostris propria Annalibus: quæ Hadrianus Papa universæ Ecclesiæ curam gerens, egregiè hoc anno præstitit. Arnaldum hæreticum, qui plurimorum Romanorum Pontificum industriam eluserat, & Urbem impio dogmate inficere parabat, pressit: qui sæculari manu traditus, ad rogum damnatur. Docuerat ille, Laicorum esse omnia temporalia, & à Clericis ea injustissimè detineri. Illi quidem imponi, per rogum, silentium potuit. Sed pravi dogmatis semen, colono cacodæmone, non uno, sed omni sæculo spargitur, & rudes, indoctique facilè paradoxo illo capiuntur. Unde Arnaldus *Politicorum hæreticorum patriarcham atque Principem se constituit.* inquit Baronius. Hanc pestem Hadrianus Anglus Romæ sanavit: quid dicturus, si viveret, & Angliam videret, hoc ulcere putrescentem, & Ecclesiam ubique fidei defectu morientem Arnaldum revixisse crederet, quem hoc anno millesimo centesimo quinquagesimo mortuum Ligurinus Poëta hoc carmine sepelivit:

Baron. an. 1141.

Judicio Cleri, nostro sub Principe victus
Appensúsq; Cruci, flammáque cremante solutus
In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in undas
Ne stolidæ plebis, quem, fecerat improbus error
Martyris ossa novo cineresve foveret honore.

XXIV. Excommunicatur Gulielmus Siciliæ Rex.

Hadrianus etiam hoc anno Gulielmum Siciliæ Regem, Ecclesiæ bona invadentem, à Christianorum communione, solenni ritu removit. Quod in Hadriani rebus gestis sic narratum refert Baronius: [Eo tempore Gulielmus Rex Siciliæ contra matrem, & Dominam suam, sacrosanctam Romanam Ecclesiam procaciter cornua erexit: & congregato exercitu terram Beati Petri fecit hostiliter invadi. Beneventanam itaque civitatem, aliquamdiu ejus exercitus obsedit, & burgos ejus incendit. Deinde fines Campaniæ violenter ingrediens, villam cepit, & castrum Babucum, aliáque immunita loca nihilominùs expugnavit. Post has ergò & alias offensas Hadrianus Papa Petri gladium exerens, ipsum Regem, excommunicationis gladio, percussit.] Nec Frederico coronam regni postulanti pepercit, sed ad Stratoris munus exequendum, quod paulò ante declinarat, constanti oratione coegit: quod in hunc modum refert. [Fredericus Rex ad Hadriani vestigia procidit: & deosculatis pedibus, ad pacis osculum accedere voluit. Cui idem Pontifex protinus locutus est in ista verba. Quandoquidem tu mihi illum consuetum, & debitum honorem, quem prædecessores tui, orthodoxi Imperatores, pro

apud Baron. hic.

Fridericus Rex Stratoris munus exequitur.

Idem suprà

Apoſtolorum Petri,& Pauli reverentiâ; prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus exhibere uſque ad hæc tempora conſueverunt: donec mihi ſatisfacias: Ego te ad pacis oſculum non recipiam. Rex autem reſpondit, & dixit ſe hoc facere non debere. Ea propter, remanente ibi exercitu, totus ſequens dies, ſub iſtius rei variâ collocutione decurrit. Tandem requiſitis antiquioribus Principibus: qui cum Rege Lothario, ad Papam Innocentium venerant: & priſcâ conſuetudine diligenter inveſtigatâ, ea relatione eorum, & veteribus monimentis; judicio Principum decretum eſt, & communi favore totius Regalis Curiæ roboratum, quod idem Rex pro Apoſtolorum prædictorum reverentiâ, prædicto Papæ Hadriano exhiberet Stratoris officium, & ejus ſtreguum (ſuppedaneum ſcilicet) teneret ad conſcendendum in equum.] Hic eſt Fredericus Teutonicorum Rex, quem hoc anno Hadrianus Papa imperii coronâ inſignivit.

ANNUS CHRISTI 1156.

HADRIANI IV. PAPÆ 3.

HENRICI II. REGIS 2.

I. HADRIANUS GUILIELMUM SICILIÆ REGEM RESTITUIT FIDELIUM COMMUNIONI.

ANNO Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto: Hadrianus Papa Beneventi obſeſſus, cùm undique factionibus diſtractus, Eccleſiæ pacem ambitioſè quæreret: Guilielmum Siciliæ Regem, factorum pœnitentem, fidelium communioni reſtituit: Siciliæ regnum, Apuliæ ducatum, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, Salernum & Malphiam, & alia plura diplomate confirmavit, cum annuâ penſionis ſolutione. quod poſtea diſcordiæ ſeminarium fuit.

II. Henricus Rex compoſitâ utcunque Anglorum Rep. in Normanniam tranſit, ubi Gaufridus frater ejus, turbarum author, urbes invaſerat, ſuique juris abſente Rege, fecerat. Quod ad tempus ſpectat, ita Pariſienſis: *Paris. hic.* [Anno Dñi milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto Rex Henricus in Normanniam tranſiens, cepit longâ obſidione caſtella Mirebellum, & Chinonem. Lotanum verò antea in jus ſuum receperat. nam & paulò ante, cum frater ejus Gaufridus, qui expulſo Comite Britanniæ, Hoelo, Vanneticam, civibus conſentientibus, ceperat civitatem hac conditione, cum Rege pacificatus eſt: ut Rex daret ei ſingulis annis mille libras Anglicæ monetæ, & Andegavenſium duo millia, & ſic inter eos diſcordia ſopita eſt, menſe Julio.] Hic tenebræ ſunt, quæ Lectorem meritò morantur cum diſcordiæ nomen, non cauſas audit. dicendum ergo unde orta diſcordia: quo jure Gaufredus occupavit, quæ Henricus frater hoſtili manu abſtulit. Neoburgenſis contentionis radicem nudans, lucem rebus ceteroquin obſcuris adfert.

III. *Neoburg. l. 2. c. 7.* [Cauſa motus fraterni (inquit) hæc erat. Illuſtris ille Comes Andegavenſis ex Mathilde olim Imperatrice, tres ſuſceperat liberos: Henricum, Gaufredum, & Guilielmum. Cum ergò ad Henricum primogenitum, paterni maternique juris ſpectaret integritas. Idem Comes proviſionem reliquorum, noluit in totum ex gratiâ fratris pendere, neſciens qualem ille foret ad fratres habiturus affectum. Itaque in extremis agens: medio filiorum Comitatum Andegavenſem, teſtamento reliquit. Sed quia tunc Anglia, ſub eventu pendebat ambiguo: cùm Henricus, inquit, plenitudinem obtinebit juris materni. id eſt, Normanniam cum Angliâ, fratri Gaufrido jus paternum integrè dimittat. Interim verò idem Gaufridus tribus caſtellis non ignobilibus, ſcilicet Chinone, Leeduno, Mirabello ſit contentus. Et quoniam Henricus fortè tùnc aberat, maturè affuturus: Epiſcopos & nobiles qui aderant, adjuravit: nè corpus ſuum ſepulturæ traderetur: niſi priùs præſtito Sacramento à filio, quòd paternum minimè violaret teſtamentum. Denique illo mortuo, ad celebrandas exequias mox filius affuit: adjurationem illam paternam audivit: diu hæſitavit: tandem conclamantibus omnibus, nè ad ſempiternum & inexpiabile dedecus, corpus Patris ſineret inſepultum tabe corrumpi, victus ſuccubuit: & Sacramentum quod exigebatur, non ſine fletu, præſtitit. Sepulto Patre, teſtamentum * diſſignatum eſt. Ille verò pro tempore diſſimulavit dolorem. Cum autem regnum eſſet adeptus, Romano Pontifici, ut dicitur, quâ neceſſitate, quod neſciebat, juraſſet, intimare curavit. Et quoniam extorta Sacramenta, vel vota non obligant; niſi fortè ex ſubſequenti conſenſu convaleſcant: facilè (ut dicitur) ab illo Sacramento abſolutionem impetravit. Ingeſta enim neceſſitas jurandi, ſive vovendi, neceſſitatem non ingerit, quod juratum votumve eſt, adimplendi; ſed ſola voluntas: hanc neceſſitatem parit libertas. Ea ratione tutus: nec paterni teſtamenti, nec proprii juramenti contemplatione, fratri ſatisfacere voluit. Unde ille indignatus, tribus prænominatis caſtellis, quæ Pater ei reliquerat; contra omnes, ut putabat, caſus munitis; vicinas turbabat provincias. Rex autem exercitu properè congregato, Chinonem caſtellum, ſcilicet ſic dictum; quod tantâ erat firmitate: ut in eo muniendo tuendóque, natura & operatio humana concertare viderentur, obſedit: & in brevi, per deditionem, obtinuit: fratri humiliato, & ſupplici veniam dedit. caſtellóque nudato, ut occaſionem ſuperbiæ tolleret: terram planam conceſſit, ea qua fructuum utilitas proveniret.]

** reſignatũ*

HENRICUS OBTINET A PAPA DISPENSATIONEM A JURAMENTO.

IV. HENRICUS SOLVIT REGI FRANCORUM, OBITUM, QUOD DUCES NORMANNIÆ SOLVEBANT.

Priuſquam Henricus è Normanniâ in Angliam ſolveret: quò tuta eſſent à tergo omnia, & nullus in Galliâ Satan, aut occurſus malus, Francorum Regi debitum ſolvit, quod Normanniæ Duces de more ſolvere conſueverant: quamvis ſuper eo frequenter certatum. Acceſſerant, è vario matrimonio, plures provinciæ Normanniæ Ducatui: & Galliæ Regibus ſupremum in eas dominium erat: quod Henricus ſi agnoſcere negligebat, altercandi anſam, quam Principes interdum facilè arripiunt, erat præbiturus: & erat propè factionis alimentum, Gaufridus frater, quem Andegavenſi Comitatu exuerat: qui memor injuriæ, in Regem fratrem pro Gallorum Rege ſtaret. *Hoveden. an. 1155.* [Ad declinanda hæc incommoda, Henricus transfretavit in Normanniam (loquitur Hovedenus) & homagium fecit Lodovico Regi Francorum, de Normanniâ, & Andegaviâ, & Cenomanniâ, & Turonicâ, & de omnibus earum pertinentiis.] Quo præſtito, in Angliam ad novos ibi motus

compo-

componendos revocatur. Ibi antiqui Britanni, qui Anglorum jugum ægrè ferebant, excutere illud, sub novo Principe; ut sæpè, sed incassum antea, laborant. nunc verò vel animis, vel viribus auctiores, se effecturos, quod antea non poterant, rati, in vicinas Anglorum provincias irruperant: & ægrè à Rege submoveri potuerunt: ut fusè satis Neoburgensis exponit; cum provinciæ descriptione.

V. Antiqui Britanni nituntur excutere jugum. *Neuburg. l. 2. c. 5.*

[Inter Regem (inquit) & Wallenses gentem inquietam & barbaram, discordia oritur: dum vel ille aliquid insolitum per potentiam ab eis exigeret: vel illi silvis, montibus, vallibusque suis plùs justo confisi; tanto Principi per insolentiam, solita denegarent. Sive etiam propter inquietudinem, & clandestinos, in vicinos Anglorum fines, excursus. Rex verò immensis ex totâ Angliâ copiis congregatis, Regionem Walliarum, quà facilior aditus videbatur, ingredi statuit. Porro illi convenientes, excubabant in terminis, & in planum progredi, vel aperto bello, cum loricatis congredi levis armaturæ homines declinantes delitescebant in silvis, & viarum angustias observabant. Sanè Wallenses, reliquiæ Britonum esse noscuntur: qui hujus Insulæ (quæ nunc Anglia dicitur, olim Britannia dicebatur) incolæ primi fuerunt: ejusdemque nationis ac linguæ esse probantur, cujus & Britones transmarini. Cum autem gens Britonum à supervenientibus Anglorum populis exterminium pateretur: qui evadere potuerunt, refugerunt in Wallias contra irruptionem hostium, naturæ beneficio tutas; ibique hæc natio perseverat usque in præsentem diem. Regio quippe illa tractu propensiori ad prospectum Hiberniæ super mare Occidentale jacens: alio latere, regionibus Anglicis jungitur: & ferè tota; vel Oceano, vel vivis saltibus, aliisque difficultatibus cingitur: ideoque difficillimos habet accessus, sive ingressus. Introrsus autem inextricabiles quosdam noscitur habere recessus: ita ut quàm periculosum est potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi: tam impossibile sit eam interiùs cum exercitu pervagari. Gignit autem pro sui natura homines moribus barbaros, audaces & infidos, alieni sanguinis avidos, & proprii prodigos, rapinis semper inhiantes, & tanquam transfuso à natura odio, genti Anglorum infestos. Habet quidem pro eo quod silvosa est, uberrima alendis pecoribus pascua, sed plani parum habens, & frugum infecunda, alendis propriis non sufficit filiis, sine invecto ex intimis Angliæ provinciis commeatu. Quem nimirùm quoniam sine beneficio, vel permissu Regis Anglorum habere non potest, ejusdem cogitur ditioni subjacere. Et si fortè per latrocinales excursus, à quibus propter infrænatam barbariem vix temperat, eum irritaverit; iram ejus diu non sustinens, cogitur eum placare.

VI. Rex in Walliis periclitatus.

Igitur Rex fines hostium, cum naturâ, & malitiâ locorum multum luctando, ingrediens; infausta negotii initia habuit. Pars enim exercitus per loca silvosa & humida incautiùs gradiens, delitescentium juxta viam hostium excepta insidiis, periclitata est. Ibique Eustachius, Joannis filius, vir magnus & grandævus, atque inter primos Angliæ proceres, divitiarum & sapientiæ titulis refulgens, cum Roberto de Curci æquè nobili viro, aliisque pluribus interiit. Qui verò evasere periculum, Regem, qui jam Domino propitio, eruperat, & in tuto consistebat, cum cæteris occubuisse putantes; ejusque interitum adventantibus adhuc & properantibus ad angustias ordinibus nuntiantes; non parvam exercitus partem, rumoris atrocitate attonitam, enerviter fugere compulerunt. Ita ut Henricus Essexiensis, vir inter primos inclytus, & jure hæreditario Signifer Regius: vexillo Regio, cujus conspectu exercitus animandus erat, abjecto, fugæ se crederet, atque extinctum Regem occurrentibus proclamaret. Ob quod delictum postea à quodam viro nobili proditionis ei dedecus publicè opponente, Regii vigore judicii duello addictus est, & ab eodem devictus. Quem tamen Rex, de misericordiâ, judicio mortis subducens, apud Redingum monachum fieri jussit: amplissimo autem patrimonio, ejus fiscum auxit: sed hoc postea. Cum ergo Rex ocius advolans, turbatum exercitum, proprio exhilarasset aspectu: resumptis illico animis, viribus confisi, ordines in ordinem cogere: seque adversus hostiles insidias, de cæterò cautiùs instruxere. Cumque Rex, hostes etiam à mari invadendos duceret, & classem non modicam præparari, jussisset: Legati hostium, cum verbis pacificis affuerunt: Moxque illorum Reguli supplices ad eum venerunt. Qui cum ad promerendam tanti Principis gratiam, quibusdam finium suorum munitionibus traditis, hominium illi cum Sacramentis præstitissent, pacis sereno, post belli nubilum gratiùs arridente, exercitus ad propria cum gaudio reversus: & Rex ad alia negotia, sive delicias est conversus.] Hæc author.

Britanni pacem faciunt.

VII.

Sunt qui hunc cum Wallis conflictum referant ad annum superiorem: quod Hovedenus, & Neoburgensis facere videntur: Parisiensis non in illum, nec ad hunc præsentem, sed ad insequentem annum referens ita Henrici gesta describit: [Anno millesimo centesimo quinquagesimo-septimo Rex Henricus magnam paravit expeditionem: ita ut duo milites de totâ Angliâ tertium invenirent, ad expugnandum Wallenses, per terram, & per mare. Intrans ergo Walliam Rex: extirpatis silvis, nemoribusque succisis, atque viis patefactis, castrum Roelent firmavit (nunc Ruthlan est, in Ordovicibus & Flintensi agro à subrufâ Cluidæ ripâ cui adjacet, appellationem habens) alias munitiones, antecessoribus suis surreptas, potenter revocavit: castellum etiam Basingwerke restauravit. Et Wallensibus ad libitum subjectis, cum triumpho, Angliam repetivit. Apud Snaudunum, multorum cæpit homagia, scilicet nobiliorum.] Ita ille. Verùm locus ultimò nominatus, vitiosè opinor legitur: & potiùs Snodunum dici debet. Quod enim Britannis Craig Ereri est: Angli à nive Snowdunum dixere. de quo Gervasius Tilburiensis: [In terrâ Wallensium, inquit, inter terminos Britanniæ majoris, montes excelsi, fundamenta sua in saxis durissimis statuerunt. Et in cacumine tanta aquositate terra crustatur: quod ubi vix pedem fixeris, terram ad jactum lapidis moveri senties. Unde supervenientibus hostibus, Wallenses terram illam glutinosam, sua transilientes agilitate, impetus hostiles, aut eludunt, aut damno hostium constanter expectant.] Hæc loca Henricus, ceu provinciæ claustra firmavit, contra Wallensium incursus. Inde enim in Anglorum provincias facilis excursus, & tutum à

Baron. an. 1157.

Ingressus Rex Walliam varia loca occupat

apud Camd. in Caernar.

præda

apud Camd. supra.

præda redeuntibus asylum quod Joannes noster in Polycratio observavit, populum à nive, Nivicollinum appellant, ubi ait: [Nivicollini Britones irruunt, & jam protendunt terminos suos, egressi de cavernis latebrisque silvarum, plana occupant nobilium Anglorum videntibus ipsis impugnant, & expugnant: & diruunt, aut si retinent: eò quòd juventus nostra, quæ tecto & umbra gaudet, nata fruges consumere, in lucem dormit.]

VIII. Joannes Saresbariensis quis?

Hic est Joannes ille, qui sub hoc Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi clericus fuit, & in scribendis Epistolis adjutor. Unde plures ad Hadrianum extant Epistolæ, leguntur que in magnâ Patrum bibliothecâ, quas Theobaldi nomine à Joanne scriptas ideo probamus; quia inter ejusdem Joannis Epistolas primæ numerantur: suntque numero plures; quas literarum series atque argumenta satis innuunt Theobaldi nomine, ex Apostolicæ, qua fungebatur, legationis munere dictatas. Enimverò cum frequentes ad eum, ab omni Ecclesiasticâ per Angliam diœcesi appellationes essent: ipse de more, eo munere fungentium, ad Hadrianum dicti factique rationem seddebat, Joanne Sarisberiensi, suæ mentis interprete. E quibus literis Episcoporum nostrorum nomina, cæteroquin obscura, apertè colligimus. Solebat etiam Hadrianus Papa, multa per literas Theobaldo commendare, ut patet ex infrascripta Epistola, quæ decima tertia est in Saresberiensi syllabo, atque ita inscribitur:

IX. Theobaldus Adriano Papæ.

ADRIANO PAPÆ.

Literas sanctitatis Vestræ debitâ cum veneratione suscepimus, quibus continebatur, ut tam Domino Londoniensi, quàm Capitulo ejusdem Ecclesiæ: itemq; Waltero Sacerdote, ante nostram præsentiam evocatis, controversiam, quæ inter eos vertebatur, appellatione remota, fine Canonico terminaremus. Partibus itaque in regione constitutis: cum Walterus proponeret duos de præcipuis illius Ecclesiæ viris, H. Archidiaconum, & M. Albericum, ambos ex parte Capituli se denuntiasse: alterum autem videlicet Magistrum A. ex parte Episcopi, se dixisse, ut in Sacerdotem ordinaretur, altari Beati Pauli, sicut unus ex aliis, ministraturus, non solum Dominum Londoniensem, verùm & universum Capitulum se id mandasse constanter sunt inficiati. Duo quoque memorati viri pro se respondentes idem diffitebantur: fatentes tamen, quòd ex proprio motu animi, M. Walterum, tanquam amicum, super ordinatione convenerint, interrogaverint, consulnerint; ut ad ordinem presbyteratus accederet, dicentes hoc placere Capitulo. Nihil tamen istorum ex parte Capituli se dixisse, aut aliquid promisisse asserebant. Deinde cum super his consilium haberemus, assidentibus nobis Venerabilibus fratribus nostris, Roberto Lincolniensi, & Willelmo Norwicensi, Hilar Dicelt: (sed lege Hilario Cicestrensi) *Episcopis, Londoniensem Episcopum, ejusq; conventum à petitione Walteri absolvimus: eò quòd adversus eos nullas afferret probationes. Porrò quoniam duo viri prænominati, ex confessione suâ quacumque, aliquomodo teneri videbantur, ad emendicatum pro paupere decurrentes suffragium: Sacramentum eis detulimus, ut se ex parte Episcopi, & Capituli, nihil Waltero denuntiasse, & promisisse innuerent. Qui cum propositis sacrosanctis Evangeliis, jurare parati assisterent: Walterus in appellationem prorupit, adversus Londoniensem Episcopum, & ejus Decanum, & sæpedictos Hugonem Archidiaconum, & M. Albericum. Personæ tamen Decani deferens: ut per procuratorem, appellationem istam prosequatur, senectuti, & invaletudini ejus parcens. Diem enim ejus præfinivit octavum B. Andreæ Apostoli. Sed quia authoritate Apostolicis mandatis, omnis in hac causa inhibita fuerat appellatio: ad ulteriora procedentes, accepto Sacramento, à memoratis viris, eosdem omnino absolvimus.* Ita ad Hadrianum Theobaldus.

X. Varii Episcopi in hac Epistola nominati.

Plures sunt hujus argumenti literæ, quas constat Theobaldum ad Hadrianum dedisse: quæ quia Episcoporum nomina continent, Annalibus nostris opportunæ sunt. Robertum Lincolniensem, Alexandri in eâ Sede successorem diximus anno Domini millesimo centesimo quadragesimo octavo, & sedebit adhuc per decennium. Willelmus Norwicensis is est, quem cognomento Turbum, in Norwicensi sede collocavimus anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo, qui quinque & viginti annos, nullâ re insigniter clarus, sedem implevit. Denique Hilarium Siffrido in Cicestrensi sede suffecimus, anno millesimo centesimo trigesimo secundo: nihil de viro asserentes; quia Godwinus se nihil de illo reperisse affirmat: nisi quòd, [ex omnibus (inquit) Angliæ Episcopis, solus inventus est, qui declarationem Clarendoniæ promulgatam (de qua nos infra pluribus agemus) simpliciter approbaret, & sine adjectione clausulæ, Regi tam odiosæ (salvo ordine suo) Londinensis Episcopus, cujus causa agebatur, quantumvis in his literis minimè nominetur: in aliis tamen ad Hadrianum à Theobaldo datis, frequens ejus mentio, & Richardi nomen exprimitur. Sic Epistola septima, Hadriano apud Joan. Saresburiensem inscripta, in hunc modum exorditur: *Precibus nobilis viri Rog. de S. Wallerico, Venerabili fratri Richardo Londonensi Episcopo dedimus in mandatis*, &c. Hunc Richardum cognomento Beaumes suprà dedimus Londino Episcopum anno millesimo centesimo quinquagesimo primo; & mortuum ponemus post annos quinque. Walterus etiam Coventrensis Episcopus à Theobaldo nominatur in Epistolâ duodecimâ *Adriano Papæ* inscriptâ.

v. an. 1148. n. 25.

v. an. 1151. n. 18.

v. an. 1132. n. 17.

Godwin. in Cicestren.

Ioan. Sarisb. Epist. 7.

XI.

Distraxerat superiorum annorum calamitas Ecclesiarum bona: & Hadrianus, earum solicitudine laborans, mandaverat omnia in integrum restitui: monitis Episcopis, ut Ecclesiæ suæ procurationi sedulò incumberent. Nescio an in legem hanc Nigellus Eliensis peccaverit. nam [munia pastoralia pro officio ipse nequivit obire: eamque ob causam Episcopatus omnem administrationem alteri commisit. videlicet Ranulpho cuidam, monacho quandóque Glastoniensi (sed qui cucullum abjecerat) homini avaro & nequam] inquit Godwinus. Hinc opinor orta querimonia Hadriani aures verberaverat: & ille Nigello ab Episcopali munere (opinor) suspenso constanter irascitur: adeo, ut Theobaldo negotium fuerit pro illo intercedere, pœnámque deprecari, in hunc modum:

Godwin. in Elien.

Nigellus impeditur ab Episcopali munere.

apud Io. Sarisb. Ep. 14.

Theobaldus intercedit pro Nigello

ADRIANO PAPÆ.

Sanctitatem Vestram circa plurima novimus occupatam: utpote quæ sola inter homines totius Ecclesiæ Domini incolumitati invigilat. Oportet itaque qui ad aures vestras accedit, sermonem ferre abbreviatum. Noster dum voce quidem brevis est, sed toto

dilatatus

dilatatus affectu: eóque magis, quòd ad Ecclesiæ Anglorum utilitatem proficit, & gloriam nominis Vestri. Venerabilis frater noster Nigellus Eliensis Episcopus, in explendo mandata vestro, super revocandis illis, quæ bellica tempestas Ecclesiæ suæ extorserat, ad sanguinem usque veretur, dum Ecclesia sibi commissa prospiciat, Vestræ satisfaciat voluntati. Laboribus quidem ejus, sumptibus, doloribus, qui ei vicinamur, omnes compatimur. Et tanto ampliùs, quòd adversus eum nondum quievit indignatio vestra: sed in cervicem Apostolica manus intentata est. Veruntamen, ut auris paterna, quod ipsi expedire credimus, patienter admittat. ei mandatum vestrum non debuit esse captiosum: sed ex quo, in exequendo obediens inventus est, & fidelis, ipsum vestro auxilio oportuerat roborari. Fiat ergò, si placet, quod Patrem, quod Romanum decet Pontificem: ut jam dictus Episcopus auxilium vestrum inveniat in tribulatione: quam pro executione mandati vestri, humiliter portat. Restituite ei si placet gratiam vestram: adversus hostes Ecclesiæ fortiùs dimicabit. Et namque ad bestias pugnandum est. Quis unquam suum suspendit athletam, ut meliùs dimicaret? Pugnam Episcopo indixistis: manus ejus tenetis alligatas. Majestatis itaque vestræ provoluti pedibus, supplicamus, ut soluto Episcopo, in eos, qui contra Episcopum, nos ipsos: imò quod majus est contra Apostolicas sanctiones, bona Ecclesiæ ausu sacrilego, detinere præsumunt: debitæ animadversionis pœna torqueantur: & Apostolici nominis contemptores, vestris stimulis urgeantur ad viam, ad quam, arcu, quam gladio faciliùs reducantur.*

XII.
ELEONORÆ REG. NASCITUR MATHILDES FILIA

v. infra an. 1164. n. 66.

Hoc anno Eleonoræ Reginæ nascitur primogenita filia, quam Mathildem nominavit. cujus natalitia ideò in Authoribus nostris Parisiensi, Walsingamo, & aliis consignantur, quia in matrem postmodum evasit nobilium familiarum. nam Henrico nupta Saxoorum Duci, multa prole fecunda, Germaniam illustravit. Primogenitus ejus filius Henricus Saaoniæ Ducatum, tertio genitus Otho, eo nomine quartus, Germaniæ imperium obtinuit. & quarto genitus Guilielmus, quem Wintoniæ peperit, Brunswicensium Ducum origo fuit. Sed generatio unius, est corruptio alterius: eo anno, quo Henrjco Regi Mathildis primogenita filia nascitur; primo denascitur genitus filius, Guilielmus nomine; quem paulò ante Anglorum Proceres regni hæredem successorémque legitimum, Sacramento agnoverant. Natus est anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, cum necdum Pater coronæ successisset: quinquennis hoc anno denascitur, & ad pedes Henrici proavi in Radingensi monasterio sepelitur.

MORITUR GUILIELMUS PRIMOGENITUS HENRICI.

XIII.
DE TITULIS SEPULCHRALIBUS VIRGINUM S. URSULÆ.

Ad hunc annum, aliqui multa referunt de titulis sepulchralibus, qui Britannicas Virgines Coloniæ passas expressis nominibus indicarunt. quorum indiculum Gerlacus Tuitiensis Abbas confecisse dicitur. Magna certè ibi nomina Romani Pontificis Cyriaci Britanni, multorum etiam Regum, & Episcoporum Britanniæ, Annalium Britannicorum scriptorem ferè cogerent, ad fidem tot illustribus titulis dandam: nisi religioni duceret, supinæ oscitantiæ condemnare scriptores hujus Insulæ; qui hoc & sequenti sæculo, patriam rebus benè gestis illustrantes, omnia distinctè per annos notarunt; qui etiam Sanctorum corporum, inventiones, translationes, elevationes, passim commemorant. Hos, inquam, tam eloquens gloriæ argumentum tacuisse, solœcismus in historiâ foret, quem non audeo illis impingere. maximè cum occasio se obtulerit, Henrici Wintoniensis, sacras Virginum reliquias Glastoniensi cœnobio conferentis. De illo enim in Antiquitatibus Glastoniensibus legitur in hunc modum. *Item dedit corpora Sanctarum Virginum Ursulæ & Dariæ.* quod sub hæc tempora fieri oportuit, & Usserius in Indice Chronologico hunc annum consignat. Sed & Author Ursulæ Vindicatæ, cùm Gerlaci Abbatis industriam commendasset, in eruendis sepulchralibus titulis, anno millesimo centesimo quinquagesimo sexto, addit: *Eodem anno, ad varia Belgii, & Germaniæ loca, virgines sacri cineres, dono Gerlaci transmittuntur.* Transmittuntur (& quis dubitat?) etiam in Angliam: quo enim Britannicæ Virgines, nisi eò migrarent? & ad Henricum Wintoniensem, virum in Occidente notissimum, transmittuntur, nullâ factâ mentione illorum mirabilium, quæ nescio quo pietatis, & religionis fuco prostant, & incultior ætas primùm edidit. Quæ si solida narratione subsisterent, obviis etiam ulnis Anglia excepisset. Nec assero integra harum Virginum corpora: aut in Angliam à Gerlaco missa: aut Glastoniæ donata ab Henrico. nam paulò expliciatiùs, in Glastoniensium reliquiarum indiculo, ita subditur: *In feretro Sanctæ Ursulæ Virginis continentur reliquiæ ejusdem satis plenè. Item in eodem feretro continentur reliquiæ Sanctæ Dariæ Virginis, pro tertiâ parte de dono domini Henrici Episcopi Wintoniæ.* An Dariæ pars aliqua vicinam nobis Hibermam beaverit, nescio: Ab illius tamen reliquiis in Hiberniam importatis, Comitatum illius gentis, primum, & Lageniæ caput Kildariam vocatum, audaciùs quàm solidiùs, Dempsterus affirmat. Nos missâ novâ, duodecimi sæculi, sepulchralium titulorum inventione, & Virginum stupendâ apocalypsi, & Dempsteri onomatopœiâ, sequamur cetera.

Antiq. Glast. fol. 91.

Urs. Vindicat. l. 11. ad an. 1156.

apud Usser. fol. 626.

Dempst. hist. Scotorum. l. 4. n. 385.

XIV.
ROBERTUS ALBANEN. ABB. ROMAM PROFICISCITUR PRO SUO MONASTERIO.

Dum Hadrianus Pontifex Beneventi moraretur: Robertus Albanensis monasterii Abbas, Ecclesiæ suæ consulturus, privilegia olim à Romanis Pontificibus, & Anglorum Saxonúmque Regibus olim loco indulta, ab Hadriano Papâ; qui agro illi natales debebat, parentémque aliquando ibi monachum habuerat, confirmari petit, & vero impetrat. non tacuit hoc qui Abbatum Albanensium vitas scripsit, Matthæus Parisiensis, qui Roberti expeditionem, & iter in Italiam fusè satis narrat in hunc modum. [Auditâ apud nos promotione Domini Papæ Hadriani, exultans Robertus Abbas, ad reparandas hujus Ecclesiæ antiquas dignitates, ad iter transalpinum accingitur, equos præparat, impensas perquirit, xenia congregat, quæ ad pretium septies viginti marcarum (præter cyphos quinque, & mitras tres pretiosissimas, & sandalia, & alia desiderabilia) sunt æstimata. Die igitur S. Dionysii iter arripuit Romam petiturus, illius comitatui adhærentibus tribus Episcopis, Cenomannensi, Luxoviensi, & Ebroicensi. Dederat namque in mandatis Rex Henricus secundus noviter inunctus, ipsis Episcopis, & Abbati Roberto: quatenus quædam ardua negotia Regalia (de quibus non pertinet ut enarremus ad præsens) Romæ expedirent. Constituit etiam Rex ipsum Abbatem sui negotii suum procuratorem præcipuum, & summum: & confecit eis inde literas Regis sigillo signatas.

Paris. in vit. Robert. Ab. fol. 91.

v. an. 1171. n. 57.

ſignatas. In quibus humiliter & devotè Dominum Papam deprecatus eſt: ut ſe favorabilem tam negotiis Eccleſiæ S. Albani, quàm ſuis propriis exhiberet.

XV. Recedentes igitur ab Angliâ, naves conſcendunt. Intumeſcente autem mari imminet periculum jam demerſionis. Abbas autem ſpecialiter invocans auxilium B. Margaretæ Virginis, & Martyris, repentinum, & contra omnium opinionem, ſenſit in naufragio ſuffragium. Unde vovit quòd in Eccleſia nomen ejus in Litaniâ poneretur propenſiùs honorandum. Proſperè igitur applicantes, & poſtea itinerantes, & multas latronum inſidias evadentes, tandem Beneventum, ubi Dominum Papam inveniunt, pervenerunt. Qui eos ſereno vultu & animo gaudenti ſuſcepit, & inſolitum honorem exhibuit. Expediunt Regalia pro libitu negotia. Remanente igitur Abbate, recedunt Epiſcopi: Regi favorem Papalem, & diligentiam Abbatis renuntiantes. Dominus enim Papa amicabiliter coëgit Abbatem remanere, ut propenſiùs cum ipſo colloquium continuaret: & ejuſdem moram, verſus Regem per Epiſcopos excuſavit. Obtulit igitur Abbas Domino Papæ aurum & argentum non minimi ponderis, & alia munera pretioſa. Mitras etiam tres, & ſandalia operis mirifici; quæ Domina Chriſtina prioriſſa de Markgate diligentiſſimè fecerat. Et cùm omnia ſereniſſimo vultu intuitus eſt Dominus Papa, omnia acceptavit: Sed non accepit, præter mitras & ſandalia: Multum autem devotionem & urbanitatem ejus commendavit: & jocosè ait: Abnuo recipere munera tua; quia me aliquando ad alas religionis domus tuæ confugientem, & habitum monaſticum charitativè poſtulantem, recipere renuiſti. Cui Abbas: Domine, vos nequaquam potuimus recipere: voluntas enim Domini repugnavit: cujus prudentia vitam veſtram direxit ad altiora. Et reſpondit Dominus Papa. Eleganter & civiliter reſpondiſti, & addidit: Abbas chariſſime, audacter pete quod vis; non poterit B. Albano deeſſe ſuus Albanenſis. Tunc Abbas in bonam ſpem erectus, circumſpectus & prudens: de licentiâ Domini Papæ omnia illa auri & argenti munera (quæ ferè ad ducentas marcas æſtimabantur) Cardinalibus & familiaribus Papæ, jocundos admiſcendo ſermones, liberaliter diſtribuit.]

XVI. Intimat Abbas oppreſſiones Epiſcopi Lincol. Cum igitur unâ dierum familiariter & ſecretò colloquerentur; intimavit Abbas, quaſi abortis lacrymis & ſingultibus ſermonem interrumpentibus, varias oppreſſiones Lincolnienſis Epiſcopi, inſidias, irruptiones, preces imperioſas, repulſas damnoſas, Epiſcopalium etiam vilium perſonarum ſuperbiam intolerabilem. Dominus igitur Papa miſertus, & miſeratus, conceſſit Eccleſiæ Sancti Albani, inſigne privilegium, ſic incipiens: *Incomprehenſibilis*, &c. *In quo nos ab omni Epiſcoporum ſubjectione, tam in corpore monaſterii degentes, quàm in cellis, ſeu in cuſtodiis villarum habitantes, ita liberos effecit: ut nullum Epiſcopum (præter Romanum Pontificem) in poſterum habeamus. Et præter hoc, privilegia nobilia alia plura, adeo ut non ſit aliud cœnobium in Angliâ ipſi Eccleſiæ S. Albani in privilegiis comparabile.*

Privilegium monaſterii. Hic plura narrat Author, de rebus à Roberto cum Hadriano geſtis, de reditu ejus in Angliam, de Epiſcoporum conventu apud Londinum, ubi Robertus Hadriani literas, & monaſterii ſui privilegia recitavit: quæ cum Robertus Lincolnieñ. audire nollet, abeſſe à conventu dudum ſtatuerat. Verùm qui Synodo adfuerunt Lincolnienſes Clerici, privilegio *indignati*, inquit author, *Abbatem, & Capitulum ad audientiam Apoſtolicam appellaverunt: præfigentes diem appellationi diem Dominicam quâ cantatur: Gaudete in Domino.* Ita ille.

XVII. Niſus eſt Epiſcopus pacem facere cum Abbate. Interceſſit Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, pacemque niſus eſt Epiſcopum inter & Abbatem componere: Quod Gilberto Herfordenſi Epiſcopo dictante compoſitionis formam effectum eſt. Sed non fuit diuturna pax. cùm enim Abbatis privilegium publicari cœpit: Indignati iterum Lincolnienſes, à pactis reſiliunt. Iterum ergò à Dunelmenſi laboratum, & variæ incundæ pacis leges editæ, quæ demum Clero inviſæ, qui monachos nulla in re eximios vellet. [Porrò (inquit Author) quo adusque Dominus Papa Adrianus vixit, non eſt auſus Epiſcopus Lincolnienſis vexare, vel niti trahere ad ſuam ſubjectionem monachos S. Albani, quod à primis ſuæ fundationis initiis, & jam magis privilegiatum fuiſſe dignoſcitur.] Quid factum à morte Hadriani dicam inferius. nam controverſia ſub Alexandro Hadriani ſucceſſore revixit, & demum tam Regiâ, quàm Pontificiâ authoritate ſopita eſt, ſub annum milleſimum centeſimum ſexageſimum tertium, num. 7 & 8. ut ibi.

ANNUS CHRISTI 1157.

HADRIANI IV. PAPÆ 4.

HENRICI II. REGIS 3.

I. Semina diſcordiæ inter Infulam et Coronam. SEquitur Chriſti annus milleſimus centeſimus quinquageſimus ſeptimus: quo ſemina jacta ſunt, quæ inter infulam & coronam diſſidium pepererunt: & Fredericus venenum ſugit, quod paulò poſt in Eccleſiæ opprobrium, & ſacræ hierarchiæ contemptum evomet. Aliqui diſcordiæ originem ex Angliâ petunt: nimirum quod ſancto Epiſcopo ex Angliâ ad limina peregrinanti, violenta manus injecta, impunita manſerit. quod Hadrianus ægrè ferens, Fridericum Imperatorem, ſcriptis literis miſsáque legatione ad vindictam accendit. Hanc legationis ſubſtantiam circumſtantiæ quædam veſtiverunt; quæ non unum Hadrianum, ſed ſubſequentes etiam Romanæ Sedis Pontifices, Friderico factionis incendium fovente, vexaverunt. Quoniam verò, ex Hadriani literis primum diſcordiæ fomitem Imperator elicuit: & quoniam Londinenſis Epiſcopi mentio, Baronium impulit, Angliam cum diſſidio, & homicidio committere: non debeo literas hoc loco prætterire: ſed potiùs cogit me inſtituti ratio quærere, quis ille Londonenſis Epiſcopus, qui è Romanâ peregrinatione rediens, in Germaniâ hoſtili vi captus, detentúsque ſit. Sic ergo ſuper eo Hadrianus ad Fridericum ſcripſit:

HADRIANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei; dilecto filio FRIDERICO Illuſtri Romanorum Imperatori, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

II. apud Baron. hic. *IMperatoriæ Majeſtati, paucis retroactis diebus recolimus ſcripſiſſe, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium, noſtro tempore com-*

miſſ.m

Conqueritur Hadrianus Papa apud Fredericum Imp. de Archiepiscopo incarcerato.

*missum in Teutonicis partibus: sicut credimus aliquando intentatum, excellentia tua ad memoriam revocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque dignâ severitate vindicta, usque nunc transire passus sit, tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim Venerabilis Frater noster E. Londonensis Archiepiscopus, dum à Sede Apostolicâ remearet; à quibusdam impiis & scelestis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodiâ teneatur. Qualiter etiam in ipsâ captione prædictâ, viri impietatis, semen nequam, filii scelerati in eum, & in suos evaginatis gladiis violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quàm turpiter atque inhoneste tractaverint: & tua serenissima celsitudo cognoscet: atque ad longinquas, & remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem; sicut is cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exurgere debuisti: & gladium qui tibi ad vindictam * malefactorum, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desævire oportuit impiorum, & gravissimè conterere præsumptores.*

* malefactorum.

III. *Tu verò idipsum, ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse: quod eosdem non est quod pœniteat commisisse reatum; quia impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jam jam sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimulationis & negligentiæ causam penitus ignoramus. Quoniam nos in aliquo Serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus animum nostrum non accusat: sed personam tuam sicut charissimi & specialis filii nostri, & Principis Christianissimi, quem in Apostolica confessionis Petrâ, non ambigimus, per Dei gratiam solidatum; sincerâ semper dileximus charitate, & debita tractavimus benignitatis affectu. Debes enim Gloriosissime Fili, ante oculos mentis reducere: quàm gratanter, & quam jucundè, alio anno, mater tua sacro-sancta Romana Ecclesia te susceperit, quantâ cordis affectione tractaverit: quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris: & qualiter imperialis insigne corona libentissimè conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere: nihil prorsus efficiens, quod Regiæ voluntati, vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus implevisse: sed si majora beneficia excellentia tua, de manu nostra suscepisset, si fieri posset; considerantes quanta Ecclesia Dei & nobis per te incrementa possint & commoda provenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus; quod in contumeliam universalis Ecclesiæ, & Imperii tui noscitur etiam commissum negligere, ac dissimulare videris. Suspicamur utique ac veremur, ne fortè in hanc dissimulationem, & negligentiam, propter hoc tuus animus sit inductus: quod suggestione perversi hominis zizania seminantis adversus clementissimam Matrem tuam sacro-sanctam Romanam Ecclesiam, & nos ipsos, indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem.*

IV. *Ob hoc igitur, & ob alia omnia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus, & charioribus, quos circa nos habemus, Dilectos scilicet Filios nostros Bernardum sancti Clementis Presbyterum, Rolandum sancti Marci Presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum, viros utique religione, prudentiâ, & honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro, ad præsens duximus destinandos: Excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos, tam honorificè, quam benignè recipias, honestè tractes, ac ea quæ ipsi super hoc, & aliis, ad honorem Dei, & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam, & exaltationem imperii pertinentia, ex parte nostra Imperatoriæ proposuerint dignitati: sicut si ab ore nostro procederent, absque ulla hæsitatione suscipias: & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.* Hæc ad Fridericum Hadrianus: quæ sana mens, sano intellectu percepisset, monita saluos, non aliud fuisse. Sed cæcus ambitione, aut alio impetu animus ad omnia caligat. Displicuit Friderico, & assentatoribus ejus; quod in literis dicebatur, honoris ac dignitatis plenitudinem à Romanâ Sede, & illius beneficio, profluxisse: oleum iracundiæ flammis addunt aulici, odiosi literarum interpretes: vociferantur, Italiæ regnum, imperiumque non feudum esse, nec à Romano Pontifice debere descendere. Cumque Legatorum unus opponeret: A quo ergo debes descendere? ingens in aula tumultus, & tanquam in opprobrium Romani imperii loquuto, mors intentata; prologum egit illius tragœdiæ, quæ plures annos Romanam vexavit Ecclesiam. Quam alii prosequantur.

Aulici assentatores impediunt reconciliationem Frederici.

V. Ego quæram, quis ille E. Londonensis Archiepiscopus, primarium legationis fundamentum? Baronius non dubitat, Londinensem in Angliâ intelligi. nam scribit paulò post recitatas literas, & deplorat: [perpetratum immane facinus horrendum sacrilegium, adversus peregrinantem ex Angliâ sanctum Episcopum ad limina Apostolorum, contra jus gentium, jus divinum, contra civiles & Canonicas leges præsumptum, relictum impunitum, non vendicatum, nec emendatum, ipso sacro Antistite, in vinculorum, & carceris angustiis tabescente.] ita sensit Baronius. Sed multa me cogunt dissentire: non Anglum, aut ex Angliâ profectum, detentumque in Germaniâ. nam Henricus Rex, quem Christianus Orbis revereri ceperat, non calamo, sed gladio, pro Episcopo suo pugnavisset: injuriamque non prece, sed minis diluisset. Adde: licet olim Britannorum tempore, Londinensis Ecclesia, Archiepiscopi Sedes fuerat, ex quo tamen Cantium prærogativam obtinuit, nunquam habuit Suffraganeos, aut nomen Archiepiscopi. Denique qui sub hoc tempus Londini sedebat, Richardus dicebatur, ut suprà è Theobaldi ad Hadrianum literis ostendi. Nec initialis litera E. in Angliæ Archiepiscopos (& Archiepiscopum fuisse criminis exaggeratio probat) cadere potest; Cantuariensis enim Theobaldus, Eboracensis Rogerius dicebatur. Quamobrem statuo Anglum non fuisse, aut ex Angliâ profectum. Quod si dixeris Hadrianum ideo majorem sibi factam injuriam reputasse; quod Anglus esset, gentilis suus, quem Germania captivum tenebat, & ita philopatrem egisse. Respondeo Amorem, quantumvis igneæ naturæ sit, descendere potius quàm ascendere: Anglia Hadrianum genuit, amavitque: Hadrianus aliam Christo genuit provinciam, & acrius illam in Christi visceribus dilexit: orthodoxam fidem in Sueciâ plantavit, perrexitque factus Summus Pontifex illam irrigare. Opinor itaque E. Lundensem Archiepiscopum fuisse; atque ita in literis legendum. Ducor, quod de Hadriano sic scripserit Baronius: [Nec prætereundum (inquit) statuisse Hadrianum Papam, ut Lundensis Archiepiscopus primatum gereret, super regnum Sueciæ. Quod & confirmavit Innocentius Papa tertius.] Fortè hæc

Quis Episcopus Londinensis. *Baron. hoc.*

Archiepiscopus fuit Lundensis in Suecia, non Londinensis in Anglia.

hæc nova Archiepiſcopi Sedes, tanquam Germanorum Eccleſiis præjudicium, novis interpretibus viſum, & hinc in Archiepiſcopum injecta vincula: hinc ab Hadriano ſcriptæ literæ: hinc Friderici indignatio, & ſequuta tragædia, quæ Imperium in Sacerdotium accendit.

VI. Thomas fit Cancellarius. *Hoved. hic.* In Angliâ Thomas Cantuarienſis Archidiaconus, & Henrico Regi à ſacris, ab eodem Rege, regni Cancellarius conſtituitur. Quod ad tempus initi magiſtratus ſpectat, ita Rogerius: [Anno gratiæ milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, qui erat annus tertius regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis: idem Rex Henricus, prece & conſilio Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi, dedit Cancellariam ſuam Thomæ Cantuarienſi Archidiacono, & multos reditus, tam Eccleſiaſticos, quàm Sæculares ei contulit: & eum in tantam dilectionem, & familiaritatem recepit, quòd nullus par ei erat in regno, excepto ſolo Rege.] Laudanda ſanè Theobaldi induſtria in Thoma promovendo: quæ in Quadrilogo ita exponitur. *Quadrilog. c. 6.* [Succedente Henrico Duce Normanniæ, & Aquitaniæ, Stephano Regi Anglorum in regnum: elaboratum eſt ab Archiepiſcopo, ſuſpectam habente novi Regis adoleſcentiam, quem pravorum hominum conſilia pervertere moliebantur: ut Archidiaconus ſuus, Regis collateralis, & Cancellarius efficeretur. Cujus opus, & opera, novi Regia, ne ſæviret in Eccleſiam, impetum cohiberet, & conſilii ſui temperaret malitiam; & reprimeret audaciam officialium, qui ſub obtentu publicæ poteſtatis, & prætextu juris tam Eccleſiæ, quàm provincialium facultates diripere conſpiraverant. Cernebat quippe Pontifex juvenem, cujus mores & induſtriam, in variis rerum eventibus jam expertus fuerat, in agendis ſtrenuum; in conſiliis fidum; in dubiis ſecurum, in adverſis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad juſſa promptum, in obſequiis ſedulum; in omni denique opere providum, & circumſpectum. Unde & talem aulâ dignum, & aulæ gratum futurum, non immeritò arbitrabatur. ſperans exinde nihilominùs, eo procurante, inter regnum & ſacerdotium deinceps pacis gratiam, & unitatis vinculum firmiùs provenire. Agente igitur, & procurante Pontifice, Thomas aulam ingreditur, & tribuente Rege, officium Cancellariæ ſuſcepit.] Hæc omnia Quadrilogus.

VII. Ut se gesserit in novo magistratu. Ut ſe in novo magiſtratu geſſerit, paucis explicandum, ut ex ungue Leonem agnoſcas, debuit omnibus, qualis eſſet, innoteſcere. & quia laus homini eſt, omnia omnibus fieri, Thomas ſublimi poſitus id conatur exprimere. [Archilevita igitur (ſic narrat Quadrilogus) Cancellariæ officio mancipatus, levitam pro tempore exuit, & *Quadr. c. 7.* Cancellarium induit: Regis ſiquidem ſe conformans moribus, pariter nugis, vel ſeriis intendere, pariter venari, & idem prandendi domiendique tempus obſervare ſatagebat. Sed & Curiales facetias amplecti, numeroſâ clientelâ gaudere, gloriam quærere, popularis auræ flatibus delectari. nam ut de ſupellectili taceam, frenis utens argenteis, menſas & expenſas Comitum antecedebat, ut parum Archidiaconi videretur retinuiſſe. Verumtamen licet ei mundus in omnibus lenocinus ſuis adulari, & applaudere videretur: tamen quod rariùs accidere ſolet in affluentiâ rerum; mirandus & imitandus erat, corporis caſtitate. Super quo etiam ipſo Rex diurnas & nocturnas inſidias frequenter tendebat. Et quia tempus admonet, libet interim, quod occurrit, expedire. Erat in villâ Staffordiæ, uſque ad regalea delicias mulier pulchra, ad quam Rex conſuetudinem habuiſſe dicebatur. Quæ quia Cancellario eò loci advententi xenia, & alia multa tranſmittebat; æſtimabat oppidanus, qui hoſpitio eum ſuſceperat: quòd mulier eum provocaret ad amplexum, noviumque ſibi procuraret amatorem. De quo volens certiorari, intempeſtæ noctis ſilentio, ſumptâ lucernâ, clam ad hoſpitis ſui cubiculum ingreſſus eſt. Quod cubile videns intnotum, ſuſpicabatur quod ad eam tranſiiſſet. Et extollens lumen, vidit ante lectum virum procumbentem, pedeſque & tibias diſcoopertum, qui poſt genicflationes, & orationes, lapſus fuerat in ſomnum. Et factum eſt, ut religioſus inveniretur, qui luxurioſus putabatur. Forſan oſtendente Domino temeritatem noſtram: qui facilè judicamus hominem, neſcientes quid ſit in homine.]

VIII. Quæ difficultates passus. Hæc Thomæ præludia magnum futuræ ſanctitatis argumentum fuerunt: nec minus ejus in adminiſtrandâ, quam ſuſceperat, provinciâ, integritas; qui æquo juſtóque omnia menſus, nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum ibat: nam ita proſequitur Quadrilogus: [In omnibus lenocinantis mundi blandimentis, & proſperitatis arridentis applauſu, memor Thomas conditionis ſuæ, & oneris ſibi impoſiti: quotidie habuit, pro Domino ſui Regis ſalute, & honore; & inde pro neceſſitate Eccleſiæ, & provincialium, contra beſtias Curiæ pugnare: & quantum Regia ſeveritas, & reverentia permiſit, contra Regem contendens: tanquam quodam futurorum præſagio, ſub pacis tempore dimicabat in acie Tot ergo & tantas variarum neceſſitatum difficultates ſuſtinuit, tot laboribus attritus eſt; tot afflictionibus oppreſſus eſt; tot inſidiis appetitus; tot laqueis in aulâ expoſitus à malitiâ inhabitantium in eâ: ut ſicut Archiepiſcopo ſuo, & amicis, ſub lacrymarum teſtimonio referre ſolitus erat: ſæpè in dies ſingulos tæderet eum vitæ ſuæ: & poſt vitæ æternæ deſiderium ſuper omnia optaret, ut abſque notâ infamiæ poſſit à Curiæ nexibus explicari. Ipſe verò tegni ſedem, palatium videlicet Londoniarum, priùs ferè dirutum reparate fecit mira celeritate: tantum opus perficiens, inter quoddam Paſcha & Pentecoſten, tot fabris lignariis, & aliis operariis, tantæ inſtantiæ motu, & ſonitu operantibus, ut vix alter alterum proximè admotum poſſet audire loquentem. Ejuſdem verò ſummus erat in Clero, & in populo regni favor. Domus ipſius, & menſa communis erat omnibus cujuſcunque ordinis indigentibus, ad Curiam venientibus. Rex verò pro ætate ſapiens & argutus, juxta ſæpè dicti Pontificis opinionem, & votum: præter alia gratiarum dona, Cancellarium ſuum quotidie fidum experitur, in conſiliis diſcretum, in dubiis providum, & intrepidum, fortem verò in adverſis & magnanimum: unde apud eum gratiâ proficiebat in dies, ut in brevi, ſicut magnificentiâ, ita & gratiâ omnes præcelleret.]

IX. Fit Tutor filii Regis. Cum igitur ſummum apud Regem gratiæ gradum attigiſſet; jam quaſi rerum ſummam ipſi committens; Filii ſui Henrici, univerſorum hæredis Rex tutorem fecit; & patrem ad nutriendum; ut re-

ut reputaret ipse filium per gratiam quem Rex ipse genuerat per naturam. Quem ipse cum coætaneis sibi multis filiis nobilium, & debitâ eorum omnium sequelâ, magistris & servientibus propriis, quo dignum erat honore secum habuit. Et Cancellarii quidem gratia apud Regem sic erat. Ipsi denique ferè totius regni Angliæ; sed & vicinorum regnorum Magnates liberos suos servituros mittebant: quos ipse curiali nutriturâ, & honestâ doctrinâ instituit; & cingulo donatos militiæ, ad Patres, & propinquos cum honore maximo remittebat. Homagium verò infiniti nobiles, & milites faciebant ei: quos ipse salvâ fide Domini sui recipiebat: & ut suos, ulteriori patrocinio refovebat. In hac autem tantorum sæcularium pompâ honorum; ferè quoties sibi vacabat, disciplinam secretam, nudato devotè ad flagella dorso recipiebat. Humilis erat in oculis suis: humilis humilibus; elatis, & superbis, ferus & invictus.] Hactenus author: reliqua quæ Cancellarius gessit, suo loco dicentur. Nam quinquennio eo munere priùs fungitur, quàm Cantuariensi infulâ donatur, aut coronâ Martyrii.

X. MALCOLMUS REX SCOTORŨ REDDIT CARLEOLUM &c. HENRICO.

Hoc anno Malcolmus Scotorum Rex, ad Henricum Anglorum Regem accessit pro regnorum pace tractaturus & facilis conventio fuit, Malcolmo integerrimæ sinceritatis viro, Henrici votis in omnibus obsecundante. Nam ut refert Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Rex Scotorum Malcolmus reddidit Henrico Regi civitatem Carleolum, Bamburgi castrum, & Novum-castellum super Tynam, & totum Comitatum Lodonensem: & Rex reddidit ei Huntedoniæ Comitatum.] Per Comitatum Lodonensem, Laudoniam intellige, & principem ejus urbem Edenburgum: quæ olim Northumbriæ regni pars, ad annum usque nongentesimum septuagesimum quintum Anglorum juris erat. [Tunc autem Edgarus Anglorum, Rex (ut habet Matthæus Westmonasteriensis) Kenoto Scotorum Regi, totam terram, quæ Laudian patria lingua nuncupatur, hac conditione dedit, ut annis singulis, in festivitatibus præcipuis: quando Rex & ejus successores diadema portarent, veniret ad Curiam, & cum cæteris regni Principibus, festum cum lætitiâ celebrarent. Dedit ei insuper Rex mansiones in itinere plurimas: ut ipse, & ejus successores, ad festum venientes, & demùm revertentes, hospitari possent.] Hæc olim. Mansit ergo ab eo tempore in Scotorum potestate omnis Laudonia: quam nunc Henricus repetiit, & Malcolmus cessit: qui hoc anno Anglorum Regi in Cornaviis & Cestrensi orbe occurrens, se non solùm beneficio Regis illam provinciam tenuisse, sed integrum Scotiæ regni tenere solenni verborum formulâ protestatus est. quod ita refert ad hunc annum Rogerius: [Eodem anno (inquit) Malcolmus Rex Scotorum, venit ad Regem Angliæ apud Cestre: & homo suus devenit. eo modo quo avus suus fuerat homo veteris Regis Henrici, salvis omnibus dignitatibus suis.] Per avum opinor Alexandrum intellige: nam Edgaro *ille successit*, consensu Regis Angliæ *Henrici primi*, inquit Thomas Walsinghamus.

Ann. 975.

Hoved. hic.

Walsingh. Edvardo I. fol. 12.

XI. ATHELULFUS EPISCOPUS CARLEONẼ. MORITUR.

Moritur hoc anno Athelulfus primus Carleolensis Episcopus, qui olim Henrico Regi, eo nomine primo, à sacris Confessionibus, ab eodem Episcopali Sede donatur anno millesimo centesimo trigesimo secundo: quam nunc opinor primùm reliquit. Quamvis enim Godwinus de illo scribat: Quamdiu Adelwaldus (sic etiam aliquando vocatur) præfuerit, aut quando decesserit, minimè habeo compertum: Qui tamen Sigeberti Chronicon continuat, hunc ipsum intellexit, cum ad annum millesimum centesimum quinquagesimum septimum scribens, ait: *Obiit nihilominùs Adalulphus primus Episcopus de Carlol.* Quando illi successum non invenio: successit tamen Bernardus, solo nomine memorandus, & Sedem videtur occupasse usque ad annum millesimum centesimum octogesimum sextum.

Sigebert. Chronicon.

XII. RICHARDUS CUER DE LION, NASCITUR TERTIO GENITUS FILIUS.

Nascitur hoc anno Henrico Regi ex Eleonorâ conjuge, Richardus, tertiò genitus filius: qui ob invictam animi fortitudinem, Regiamque indolem, Gallicè Cuer de Lion cognominatur. A morte Patris in regnum successit, mortuis antea duobus fratribus Gulielmo, & Henrico, qui aliquando cum Patre regnaverat. De Richardo nos plura inferiùs.

ANNUS CHRISTI 1158.

HADRIANI IV. PAPÆ 5.

HENRICI II. REGIS 4.

I. ANNO Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Hadrianus Papa nolens regnum & sacerdotium dissidere: & timens, quod insecutum est, immane divortium, alia legatione, missisque literis, priorum literarum interpretes Fridericum, in Ecclesiam fremere incipientem, avertere conatus est. Literæ in hunc modum loquuntur:

HADRIANUS FRIDERICO.

HADRIANUS Episcopus servus servorum Dei, &c.

Baron. hic.

EX quo universalis Ecclesiæ curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus: ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus: ut de die in diem animus tuus, magis ac magis in amore nostro, & veneratione Sedis Apostolicæ debuisset accendi. Unde sine grandi admiratione non ferimus: quod cum audito, ex suggestione quorundam, animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & majoribus fratribus nostris, Rolandum scilicet Cancellarium, titulo Sancti Marci, & Bernardum titulo Sancti Clementis, Presbyteros Cardinales: qui pro tua majestatis honore in Romanâ Ecclesiâ, solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione, ad tuam præsentiam destinavimus: aliter quam Imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cujusdam verbi, quod est, Beneficium, tuus animus (sicut dicitur) est commotus. Quod utique nedum tanti viri: sed nec cujuslibet minoris animum meritò commovisset.

II. *Licet enim hoc nomen, quod est, Beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur. Tunc tamen in eâ significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus: & quam ex institutione suâ noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum: & dicitur Beneficium*

apud nos, non feudum, sed bonum factum. In quâ significatione, in universo sacra Scriptura corpore invenitur: ubi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed, velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit; quod nos ita benè & honorificè Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus: ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc, & illud, scilicet (Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ) à sensu suo visi sunt ad alium retorquere: non ex merito causæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum (Contulimus) nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus.

III. *Sanè quod postmodum personas Ecclesiasticas, à debita sacrosancta Romana Ecclesia visitatione, revocare jussisti: si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio (ut credimus) recognoscit. nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas; per nuntios, & literas tuas, nobis fuerat intimandum: & nos honori tuo curavissemus, sicut filii charissimi, providere. Nunc igitur, quoniam ad commonitionem dilecti filii nostri Boioariæ, & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus nostris, Henricum tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, & Hyacinthum, tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, prudentes siquidem & honestos viros, ad tuam præsentiam destinavimus, celsitudinem tuam monentes, & hortantes in Domino; quatenus eos honestè, & benignè recipias, & quod ab eis ex parte nostra, tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse. Ac per hoc, cum eisdem filiis nostris, mediante jam dicto filio nostro Duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te, & matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, nullius discordiæ seminarium debeat remanere.* Huc usque Hadrianus.

IV. *Baron. hic.* Ut Baronius has literas recitavit, mox addit: [Ita quidem, sicut sanctissimus, ita & prudentissimus Hadrianus, ut furentem conciliaret Imperatorem, dans ex commonitione Apostolica locum iræ, exemplo pariter Apostolico cedens ad tempus, ita vocem, Beneficium, est interpretatus, ut concitatam discordiam sopiret magis, quàm augeret: & si posset, pacem, ejus culpâ, exulem, in Ecclesiam revocaret.] Sed impetus animi malè fotus, sopiri ad breve tempus, sed extingui non potuit: & Deus paulò post, ad probandam posteris Romanæ Ecclesiæ, super Petram fundatæ, firmitatem; permisit furibundum Imperatorem vario stratagemate in illam lascivire, magno quidem ariete, sed ictu evanido. Hadriani interim commendatur industria, quod fortiter, suaviterque conatus sit, iratum Imperatoris animum componere.

V. Missus S. Thomas ut tractet de nuptiis inter Margaritam filiam Re. Galliæ et Henricū filium Regis Angliæ. Hoc anno de matrimonio tractari cœptum, inter Anglorum, & Francorum Reges: Henrico Rege, pro Henrico filio, Margaritam Francorum Regis filiam in uxorem postulante. Missus in eam rem regni Cancellarius, Thomas: cujus nota prudentia, legatione illâ dignum fecerat. Eum Parisios sic deducit Parisiensis noster: [Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Thomas Regis Cancellarius, in apparatu magno Parisios venit, Margaritam Regis Francorum filiam, Henrico filio Regis Anglorum, in conjugem accepturus.] Hic opinor, Thomæ magnificentiam notavit suprà Quadrilogus, cum ait: *fronti utens argentea mensas & expensas Comitum antecedebat.* Hinc etiam Thomas foris innotuit, ut *vicinorum Regnorum magnates liberos suos ei servituros mitterent.* Enimvero Thomas à Deo ad magna parabatur: & quia tam in militante, quàm in triumphante Ecclesia Magnus futurus erat, voluit illum Deus in utraque hic Rep. eminere: & in Ecclesiasticarum, & secularium rerum ac negotiorum confinio constitutum, sequentibus sæculis exemplum esse. Matrimonii tractatus, hoc anno, & Thomâ Regiæ mentis interprete inchoatus, post sequentem annum, pro matrimonio concludetur, & Henricus Margaretam accipiet, tori, & coronæ consortem.

VI. Gaufridus Henrici frater moritur. Interim Gaufridus Henrici regnantis frater, naturæ debitum, pensione mortis solvit. Hic paulò ante, Hoelo Britanniæ Comiti in provinciæ comitatum, provincialium suffragiis lectus successerat. Henricus igitur, fraterni juris proximus heres, è Britanniâ nostrâ, in transmarinam Britanniam solvit; orbémque provinciæ Principem capit, suique juris facit. Quod ad hunc annum refert Parisiensis: [Eodem anno (inquit) Gaufrido fratre Regis defuncto, idem Rex transiens Nanneticam civitatem jus suum recepit.] *Idem sup.* Verùm quo constantior esset nostrorum Regum ad provinciam illam jurisdictio & titulus, Henricus Rex, Gaufridum filium, quem hoc anno ex Eleonorâ conjuge suscepit, Constantiam Conani Britanniæ Ducis filiam, uxorem habere jussit. Sicque minor Britannia, & provincialium suffragio, & matrimonii lege, majori accessit.

VII. Henricus invitatur Parisios a Ludovico. *Paris hic.* Cum Henricus in Britanniâ Gaufridi fratris jura vindicasset, Ludovicus Francorum Rex, illum, ut Parisiensem urbem invisat, humaniter invitat. Nec renuit alter, quia Margaretam, Ludovici filiam, quam operâ Legatione nurum petiverat, è vicino, occasione illâ, contemplaturus erat. De Regiâ Ludovici humanitate ita Parisiensis: [Quo etiam tempore (inquit ad hunc annum Parisiensis) Rex Henricus à Rege Francorum invitatus, venit Parisios: & receptus est in palatium Regis, Rege Francorum, cum Reginâ suâ, in claustro Canonicorum Beatæ Mariæ Virginis hospitante.] Ita ille. Porrò qui additamentum Sigeberti Chronico adjecit: duos Reges sæpiùs hoc tempore convenisse, & conventus causas narrat in hunc modum: [Mortuo Gaufrido Nannetensi Comite, fratre Henrici Regis Anglorum, mense Julio. *Sigeberti Continuat. ad hunc annum.* Henricus Rex mense Augusto transfretavit in Normanniam; & locutus cum Rege Francorum Ludovico, super Ettam fluvium de pace, & de matrimonio contrahendo, inter filium suum Henricum, & filiam Regis Francorum Margaritam. Et præstitis hinc inde sacramentis, Rex Anglorum venit Argentomagum, & in festo Nativitatis Mariæ Virginis ibidem jussit submoveri exercitum totius Normanniæ: ut essent apud Abrincas in festivitate S. Michaelis: ituri super Conanum Ducem Britanniæ, nisi redderet Regi civitatem Nanneticam, quam invaserat.] Hic Henrici cum Ludovico congressus ad Eptam fluvium, ad primum Henrici appulsum referendus: qui sequutus congressus, in urbe Parisiensi fuit, de quo prædictus Author hæc habet.

VIII. Henricus excipitur Parisiis. [Exinde Rex evocatus à Rege Francorum, cum paucis venit Parisios: & inæstimabili honore, à Rege Ludovico, & Constantiâ Reginâ, & à

proceribus

Proceribus regni exceptus est: gaudentibus Francis, & de pace duorum Regum, & de adventu tanti hospitis tripudiantibus. Ipse autem magnificè & dapsiliter so agens circa omnes, & maximè circa Ecclesias, & pauperes Christi. Nusquam in aliquâ Ecclesiâ, cum processione voluit suscipi, licet à Rege Francorum; imo penè ab omnibus, & precibus, & obsecrationibus, ut id ageret, cogeretur. Inde rediens, filiam Regis Francorum secum adduxit: & eam ad custodiendum, & nutriendum Roberto de Novo-burgo fideli suo tradidit.] Ita Author. Cæterùm quòd triennis filia Regi consignetur: ideò factum, quia inter matrimonii futuri leges, una erat, multæ postea discordiæ seminarium: ut dotis nomine, Gisortium, Normanniæ oppidum, quod Galli occupabant cum agro castellisque ab eo pendentibus, in Anglorum Regis jura transiret: cum Margareta Henrico nuberet: interim, in sequestrorum manibus esset: & Margarita in soceri potestate. Id benè quidem. Henricus paulò post in matrimonio firmando præceps, impuberes festinatò conjunxit, ut Gisortio potiretur. de quo infra. nam simultas inter Reges cœpta post annum sequentem. Interim in Chronico legamus Henrici prospera, resque in Normanniâ gestas.

IX. *Sigebert. Chronicon. hic*

Gaufridus filius Henrici nascitur.

[Mense Septembri (pergit Author) nono Calendas Octobris natus est filius Henrico Regi Anglorum, & vocatus est Gaufridus. In festivitate Sancti Michaëlis, venit Conanus Comes Redonensis, & sui Britanni cum eo Abrincas, & reddidit Regi urbem Nannetis, cum toto Comitatu Mediæ, valente, ut fertur, sexaginta millia solidorum Andegavensis monetæ. Inde venit Rex ad montem S. Michaëlis: & auditâ Missâ, ad majus altare concessit Ecclesias Pontis-ursonis Sancto Michaëli, & Abbati, & monachis ejusdem loci, præsente Roberto Abbate, & Radulpho Priore, & pluribus aliis.] Qui hic vocatur Robertus Abbas, is ille est, qui Sigeberti Chronicon prosequutus, rerum ibi gestarum oculatus est testis. & fortè hoc ipse posteris scripto tradidit: licet Parisiensis ad annum superiorem scribens dicat. [Huc usque (nimirum ad annum millesimum centesimum quinquagesimum septimum) Robertus Abbas de monte S. Michaëlis Chronica sua digessit.] An alium sibi in scribendo substituerit, nescio: hoc saltem anno superfuit, Regiæ largitionis testis, & fortè rerum posthæc gestarum scriptor. nam Henrici itinera accuratè legens: [Ipsa die (pergit Author) perrexit ad Pontem-ursonis: & divisit ibi ministris suis: & ordinavit, quomodo castrum illud reædificaretur. Inde discedens cum manu armatâ, perrexit ad recipiendam urbem Nannetis. Quâ acceptâ, & dispositâ ad libitum, paucis interpositis diebus, cum innumerabili exercitu, tertiâ feriâ obsedit castrum Toarsi, & sextâ feriâ ejusdem septimanæ cepit.

Conanus Comes reddit Henrico civitatem Nannetem.

Paris an. 1157.

Chronicon. supra.

X. Convenient Reges ad montem S. Michaelis.

Post aliquantulum temporis perrexit obviam Ludovico Regi Francorum, venienti gratiâ orationis ad montem Sancti Michaelis, de periculo maris. Quem ex quo intravit in Ducatum Normanniæ deduxit, & suis impensis decentissimè procuravit. In festivitate verò Beati Clementis, die Dominicâ venit uterque Rex ad montem Beati Archangeli, & cum magno tripudio, tam Cleri, quàm populi, itum est obviam Regi Francorum. In ipsâ autem processione, excepto conventu monachorum, & clericorum, & plebe innumerâ, fuerunt duo summi Pontifices, unus Archiepiscopus, & alter Episcopus, & quinque Abbates. Auditâ Missâ redierunt Abrincas, deducente illum Rege, & innumeris Regiis muneribus, tam illum, quàm suos, usque ad finem sui Ducatus prosequente. Mense Decembri concordati sunt Rex Henricus, & Comes Blesensis Theobaldus cognatus ejus, hoc modo. Comes Theobaldus cognatus Regis reddidit Regi duo castra Ambazium, & Fractam Vallem: & Rotrocus Comes Moritoniæ, sororius ejus: siquidem unam sororum ejus Odo Dux Burgundiæ, aliam prædictus Comes Rotrocus, qui usitatiùs dicitur Comes Perticensis, tertiam Guilielmus Goet. Hic inquam Rotrocus, reddidit Henrico Duci castra, Regimolinas, & bonum molinum, quæ erant dominia Ducis Normanniæ. Sed post mortem Regis Henrici, Rotrocus Comes, Pater hujus Rotroci occupaverat ea. Rex autem Henricus concessit eidem Rotroco Bellismum castrum. Et ille fecit Regi propter hoc homagium.] Hæc omnia author continuationis Chronici.

Conveniunt Henric⁹ & Theobaldus Comes Blesen.

XI. Hæc Henrici prospera diu eum in Normanniâ detinent: cum interim summâ pace & animorum consensione Anglia lætabatur. Una deerat Regis præsentia, quam Theobaldus Cantuariensis, ætate gravis, mortique proximus, anxiè videtur quæsivisse: scripsisseque literas illas, quæ in Joanne Saresberiensi ita leguntur:

REGI ANGLORUM. Epist. xxiv.

Joan. Sarisb. Epist. 24.

Theobaldus Cantua. Henrico

Sicut clementis fama beneficio nobis innotuit, virtus vestra semper in Domino prosperatur: qui successus vestros, adjectis successibus cumulare non desinit, in tanto prosperorum cursu vestri sui dedit habere notitiam. Et quidem quæ apud nos sunt, tanta pacis lætitia perfruuntur; ut bellicæ tempestatis, cladis publicæ, totamq; præcedentium malorum seriem, regni nostri felicitas præter opinionem popularem demulceat, & omnino absorbeat. Digitus Domini est hic: qui in manu pueri sui, Domini mei Regis, aurea reformat sæcula omnium authore Domino molestiarum. A commissis vobis nationibus, linguis propulsavit incursum. Tanta tamen felicitati derogatur in uno, quod languentibus desideriis diutiùs destituimur corporali præsentiâ Vestra, qui majestatis virtutu vestræ beneficiis indesinenter affluimus. Scimus quid loquamur, qui ex abundantiâ cordis loquimur, pro Regni vestri incolumitate, ætatem ex parte transegimus in laboribus, in ærumnis: veruntamen urgente amoris fide, non possumus pro vobis non esse solliciti. Beatitudini Vestræ, quam in longa felicia tempora protendat Dominus, supplicamus, ut per latorem præsentium, ea quæ circa Vos sunt, nobis significare dignemini. Certo quidem certius est: quod ab incolumitate Vestrâ, non modò totius Insulæ, quæ vobis votis felicibus salutem precatur, salus pendet: sed omnium etiam circumjacentium nationum.*

* *obscurum*

XII. Hanc Epistolam à Theobaldo, ut putamus, sequenti anno scriptam, ideo hîc reponimus, quia Henrici prospera memorat, & moram in Normanniâ: ubi etiam magnam sequentis anni partem exegit. & vix in Angliam regressus: ad ampliandum in Galliis pomerium suum revertitur: vir animo, quàm regno major. & nisi Ecclesiam sibi etiam subjicere laborasset, vir verè dicendus Maximus.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1159.

HADRIANI IV. PAPÆ 6.

HENRICI II. REGIS 5.

I. *Inter Hadrianum et Imperatorem difficultates.*

ANNUM aggredior variâ factione, & duplici schismate, Romano orbi funestissimum, Christi nimirùm millesimum centesimum quinquagesimom nonum; quando sacerdotii & regni ventilaris juribus, Lucifer iterum suâ conditione non contentus, noluit Christum super se regnare, sed esse voluit similis altissimo. Imperator, inquam, in Ecclesias, in Episcopos, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præsumpsit: sed & Urbis Romæ dominium arrogans, ea jecit sequioris fidei semina, quæ in errores plurimos, in schismata, & apertam denique hæresim, pessimorum factiooe surrexerunt. Aversis ego hæc oculis percurro, licet nostratis Hadriani gesta, fidem, constantiam exponant. Breviter itaque. Multa Hadrianus ab Imperatore postulavit, Ecclesiæ debita, & conciliandæ paci necessaria. [Ne nuntios in Urbem ignorante Apostolico, mitteret Fridericus; cum magistratus inibi Beati Petri sit cum universis Regalibus. Ne de Dominicalibus Apostolicis sodrum colligatur: nisi tempore suscipiendæ coronæ.] Iterum voluit Hadrianus, Episcopos Italiæ solùm Sacramentum fidelitatis, sine hominio, facere Domino Imperatori. Denique restitui mandat Romanæ Ecclesiæ possessiones, & jura, quæ dudum Principum largitione eidem Ecclesiæ debebantur. Contra Fredericus indebita postulavit. uno verbo, Ecclesiam voluit imperio subesse, & Sponsam Christi liberam, servam & ancillam facere: quò Politici omnes, Hæretici, & Athei collimant. Noluit Hadrianus Ecclesiam, quam regendam, ornandámque susceperat, Laicis prostituere: & Christi patrimonium, quod augere, & conservare debuit, furibundi Principis libidini submittere. Hinc orta contentio, quæ non hunc solùm, sed sequentes annos tenuit.

Baron. hic. *Quæ petiit Hadrianus a Friderico.*

II. *Moritur Hadrianus Papa.*

Hadrianus, prævisâ calamitate, quam declinare non potuit; petiit animæ suæ, ut moreretur: neque se in mare projecto, tempestas desæviret. Moritur igitur hoc anno, Anagniæ Kalendis Septembris, cùm sedisset annos completè quatuor, & duos incompletè: menses inquafn octo, & dies viginti quatuor. vir in multis sæpè probatus, & inventus ubique integer. [Sed & illud (inquit Baronius) reliquit posteris admirandum exemplum, quod nec obolum quidem erogarit in suos propinquos. Adeò ut nec matri ipsi aliquid voluerit impendisse; quam alendam reliquit eleëmosynis Cantuariensis Ecclesiæ. Testatur id Joannes Sarisberiensis, ex verbis Alexandri Papæ, ita in Epistolâ ad S. Thomam. Quid fecit, inquit, pro vobis Cantuariensis Ecclesiæ amator Hadrianus: cujus mater apud vos algore torquetur, & mediâ?] De Hadriani Successore legitimo, quia diu, & nefariè disputatum, & Romanus orbis in factionem laceratus, Ecclesias penè omnes turbavit, ex antiquis rei gestæ monimentis petamus electionis ordinem. De quo ita Codex Vaticanus apud Baronium.

Baron. hic.

Idem sup. [Sepulto igitur Hadriano Papa: Episcopi, & Cardinales tractaturi de substituendo sibi Pastore: pridie Nonas Septembris, in Beati Petri Apostoli Ecclesiâ, convenerunt pariter, & per trium dierum spatium, ad invicem de ipsâ electione sicut moris est pertractantes: tandem omnes quotquot fuerunt; præter Octavianum tituli S. Cæciliæ, Joannem tituli S. Martini, & Guidonem tituli S. Callisti Presbyteros Cardinales, in personam Rolandi Cancellarii authore Domino, unanimiter concordarunt: & invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, in eum assentiente Clero, & populo Romano, in Romanum Pontificem, Alexandrum Papam tertium nominarunt, & elegerunt. Duo autem quos nominavimus, Joannes & Guido, attendentea ad Octaviani electionem, secundariò eum procaciter nominarunt. Joannes Episcopus, unà cum Ostiensi, Portuensi, & Sabinensi Episcopis, cæterisque Diaconibus, & presbyteris Cardinalibus, per manus priorum Diaconorum, juxta priscum Ecclesiæ ritum, electum suum Alexandrum, fugientem, excusantem insuper & omninò reluctantem, Papali manto, Deo favente, induceunt.] Hæc Authoe de electione Alexandri, Canonicâ sine dubio, atque legitimâ. Sequitur Octaviani in Romanam Sedem impudens intrusio, Friderico Imperatore obstetrice ad spurium nefandúmque partum.

Alexander III. fit Papa.

III. *Octavianus ægre fert quod nō sit electus in Papam.*

[Unde Octavianus, qui ad Apostolicam jam diu cathedram aspiraverat: ubi seipsum vidit conceptâ spe fraudari; in tantam vesaniam audaciamque prorupit quod mantum ipsum tanquam arreptitius, à collo ejus propriis manibus violenter abstulerit: & secum inter tumultuosos fremitus asportare tentaverit. Porrò unus è Senatoribus qui aderant, cum tantum facinus inspexisset; contremuerunt renes ejus, & audacter in sævientem insiliens, mantum ipsum de manibus ejus eripuit. Ipse verò dolore cordis tactos iotrinsecus, illico ad Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, intorsit oculos: clamans ut phreneticus, & innuens ut mantum quod secum portaverat, celeriter sibi afferret. Quo sine mora delato; cum adesset, pallium abstrahens, caput inclinavit: & per manum ejusdem Capellani, atque alterius clerici sui (heu proh dolor!) mantum impudenter sumpsit. Sed divino judicio contigit, ut ea pars manti, quæ operire anteriora debuerat, videntibus cunctis atque ridentibus, posteriora contexit. Et cum ipsemet vellet hujusmodi ludibrium studiosiùs emendare; quia manti caputium, extra se raptus, non poterat invenire, inferiores fimbrias, collo, ut potuit, applicavit. In hoc igitur manifestè apparuit, quod sicut tortæ erat intentionis, & obliquæ; ita mantum ex transverso & obliquo, in testimonium suæ damnationis acceperat.] Ita personatus homo Petri Sedem, inaudito facinore, sibi ausus est asserere. Cum interim Alexander, & major saniorque Collegii pars sub militari custodiâ tenerentur.

IV. *Octavianus expellitur clamante populo Alexandrū volumus.*

[Interea populus Romanus (pergit author.) super hoc immani crimine, cum jugiter exclamaret: & in tanti hujus mali authores Senatores, insurgeret vehementer, prædictorum fratrum conventus, cum suo electo, de illius munitionis custodiâ, est ereptus; sed in arctiori, & tutiori loco, apud Trans-tiberim, per eosdem Senatores, recepta inde pecuniâ, fuit malitiosè translatus.

Cum

Cum autem ibi ferè triduum moram fecissent: super tantam iniquitatem, & manifestam proditionem: commota est universa Civitas. Clamabant & pueri contra ipsum, ut invasorem, dicentes: Ecce maledicte, fili maledicti: non eris utique tu Papa. Alexandrum volumus, quem elegit Deus. Mulieres quoquè blasphemantes, ipsum hæreticum appellantes eadem verba repetebant, & alia derisoria decantabant: nominantes eum lingua vulgari Smantocumpagnum. Accedens autem tunc Brito quidam, audacter dixit ei hæc metricè.

Quid facis insanè, patriæ mors Octaviane
Cur præsumpsisti tunicam dividere Christi?
Post modo pulvis eris, es modo, cras morieris.

V. Erat autem in Clero magna tristitia, in Judicibus dolor, in senibus mæstitia, & in plebe admiratio nimia. Unde factum est, quòd populus Romanus immanitatem tantæ iniquitatis, ampliùs sustinere non valens, cum Hectore Frangipane, & aliis nobilibus Romanis, venit ad locum, ubi fratres tenebantur inclusi, compellens jam dictos Senatores, ut ipsius munitionis portas celeriter aperirent: & eosdem fratres cum Domino Alexandro absolutos & liberos abire permitterent. Sic igitur Suffraganitibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, à violentiâ persequentis erepti, & suæ sunt redditi libertati. Transeuntes autem per ipsam Urbem, cum laudibus, campanis etiam undique pulsantibus, & jucundè cum exercitu comitanobus etiam multis Romanis militibus, cum frequentiâ peditum, in vigiliâ B. Matthæi Apostoli, prosperè ad nymphas, per Dei gratiam pervenerunt. Ubi ipsa Dominica die, convocatis fratribus in unum cunctis; videlicet Gregorio Sabinensi, N. Ostiensi, B. Portuensi, F. Albanensi, T. Signiensi, T. Tarracinensi, Episcopis, Cardinalibus quoque Presbyteris, & Diaconibus, simulque Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Primicerio, cum choro cantorum, nobilibus quoque, & plurima parte populi Romani: Dominus Alexander, per manus Ostiensis Episcopi, ad quem solum consecratio Romani Pontificis pertinet, præeunte Spiritus Sancti gratiâ, consecratus est in summum Pontificem: & secundùm Ecclesiæ morem, regno de more insignitus, mitrâ turbinatâ scilicet cum coronâ.]

Alexander III. consecratur.

VI. Hæc fusiùs, præter morem, dedi: quia scissus est terrarum orbis hoc dissidio: & Principes nostri in factionem vocati. Fridericus ad Ecclesiæ exitium natus, Octavianum, Victorem, à factione, vocatum, secutus, Germaniæ Principes secum traxerat, conatusque est literis atque legatione Angliæ Regem regnumque eo schismate inficere: [Pertentavit Fredericus Imperator Regem Anglorum (inquit Baronius) sed frustrà: prævenerat eum Arnulphus Lexoviensis Episcopus, vir cum primis eruditus, & magnæ æstimationis. De cujus officiis apud Regem pro Alexandro, extant datæ ad ipsum summum Pontificem literæ, dignæ quidem tanto Præsule.] recitat ibi illas Baronius; sed quia proliziores sunt, ea tantùm delibo, quæ Henricum tangunt Anglorum Regem: quem ille benè Principem suum vocat: ubi inter cætera: [Properassem (inquit) jam ad pedes vestræ Beatitudinis amplectendos, ut ariditatem meam, quasi copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas: nisi me zelus utilitatis vestræ maximè tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit: festinavi ad nostri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem: ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret. Facilius enim est animos occupare vacantes; quam ipsos à conceptis affectibus revocare. Hæsit ille aliquamdiu: sed statim operante Spiritus Sancti gratiâ confirmatus: nullum se alium, quàm vos suscepturum, hilari constantiâ, constantique simul hilaritate promisit. In quo cum proximè, de differendâ vestrâ susceptione, Imperatoris literas accepisset; cui discurrentibus invicem literis, & Legatis, plurima videtur charitate conjunctus: ne preces ejus sprevisse, & in præjudicium ejus festinasse videretur: generale quidem suppressit edictum: sed nequaquam manus aut linguam à literarum nominisque vestri veneratione continuit: neque quemquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis edicti jactantiam, quàm operis veritatem. Firma apud eum est, & indubitata vestri Apostolatus auctoritas: atque in quamcumque partem, cor prædicti Principis fuerit inclinatum: iste procul dubio non sequetur errantem. Mei autem studii erit, omnes circa eum quasi vigilias observare: ne ora loquentium iniqua convaleant: sed ipse in vestrâ, sicut semel incepit, obedientiâ perseveret.] Hæc ille de Henrico.

Baron. hic.

Arnulp. Ep. ad Alexand.

Fredericus frustra pertentat Henricū in factionem pro Octaviano.

VII. Neoburgensis noster, qui hoc tempore scribebat, Schismatis exordium, progressum, & Henrici Regis in tuendo Alexandri principatu constantiam ita describit: [Hadriano sublato, Cardinales in Summi Pontificis electione discordes, Ecclesiam sciderunt: & ut in se mutuò partes sævirent: in orbe quoque terrarum vinculum Ecclesiasticæ pacis ruperunt. Et quidem pars major, saniorque, in Rolandum ejusdem Ecclesiæ Cancellarium, virum religiosum, & literatum concordans, eundem ritu Canonico consecravit. Pars verò nonnulla, & ferè nulla, in Octavianum, nobilem virum conveniens, eundem, divinum non veritа judicium execrationis elogio maculavit. Uterque in alterum excommunicationis, & damnationis, sententiam promulgavit. Uterque partem suam Ecclesiarum & nobilium personarum favoribus munire curavit. Ille Alexander dictus est, juxta causæ meritum Victor futurus: Iste nudo nomine, & fallaci omine. Victor dictus est, victi dedecus habiturus. Poterat sanè scissura illa citò resarciri: poterat multitudini paucitas cedere, atque uniri, nisi Fredericus Imperator, veteri odio Rollandi, Alexandrum non ferens, partem Octavianam tuendam favendámque modis omnibus suscepisset. Denique suæ ditionis Episcopos, scilicet Italicos, & Teutonicos præcepit Paviam convenire tanquam ad discussionem & examen; cujusnam partis merita præponderarent. Re autem verâ, ut Alexandri parte depressâ, partem alteram approbantes, dicti Victoris prœmaturam victoriam celebrarent. Partibus quoque mandavit, ut adessent, Concilii suscepturæ decretum. Et dictus Victor, tanquam subiturus judicium affuit. Alexander verò, judicium quod ei sub nomine judicii parabatur, non solum cautè, sed etiam liberè recusavit.

Constantia Henrici pro Alexandro.

Neoburg. l. 2. c. 9.

VIII. Itaque ex Teutonico simul, & Italico regno, Episcopi Imperiali jussione, cum ingenti multo-

tudine Prælatorum inferioris ordinis, Papiæ congregati, in gratiam Imperatoris, qui cum suis Ducibus, terribilis aderat, quæcunque causam Alexandri juvare poterant, cum pro eo nemo allegaret, vel silentio supprimentes: quod pro parte alterâ minùs de veritate suppetebat, arte suppleverunt: & dictum Victorem, tanquam verum Petri Successorem solenniter recipientes, in Alexandrum, tanquam in schismaticum, & Deo rebellem, sententiam generali decreto tulerunt.

Eligitur Octavianus a Schismaticis Cardin. et vocatus Victor.

Amplexus est Imperator, cum omni frequentiâ Ducum, & Procerum, acta Concilii, pœnam non recipientibus comminatus. Illustres quoque Francorum, & Anglorum Reges, omnibus modis sollicitare curavit: ut ad perpetuandam amicitiam mutuam, sibi in hac parte concordes essent. Illi verò inflexi, sententiâ cautè suspensâ: donec res tam scrupulosæ pleniùs veritatem agnoscerent: celebrem & ipsi, ex utroque regno Episcoporum, & Nobilium, loco, & tempore congruo, conventum fecerunt. Aderant à parte Octaviani duo principales ejus complices, qui ejus fuerant electores, schismatisque authores: Guido scilicet Cremensis, & Joannes de Sancto Martino, Cardinales. nam Ismarus Tusculanus Episcopus, manus illi execrationis ausus imponere, jam vitaverat hominem. Aderant & à parte Domini Alexandri tres Cardinales: scilicet Henricus Pisanus, Joannes Neapolitanus, Guilielmus Papiensis.] Adfuisse videtur huic Conventui uterque Rex, Anglorum scilicet, & Gallorum. Sequitur enim in Authore.

IX. In conventu Prælatorum, et Regũ Angliæ et Galliæ Octaviani pars repudiatur.

[Surgens ergò ille Cremensis in conspectu Regum, & Præsulum, coram universâ quæ convenerat multitudine Cleri, & populi: pro parte suâ, & contra adversam totis ingenii & facundiæ viribus allegavit. Qui cùm perorasset, surgens Gulielmus Papiensis, vir eloquentissimus, perspicuis orationibus objecta elisit: & ferè quicquid ille pro se dixerat, in ipsum ita retorsit: ut propriis irretitus, captúsque sermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ veluti duello, totius ita negotii veritas, ut neuter ulterius Princeps cunctaretur, repudiatâ parte Octaviani, Dominum Alexandrum recipere, & cum regnis sibi subditis, ei de cætero, in iis quæ Dei sunt, tanquam Patri parere. Prænominatis ergò Schismaticis cum confusione, & dedecore discedentibus: Principes, & Pontifices nostri latâ solenniter in Schismaticos excommunicationis sententiâ, solverunt Conventum. Interim Dominus Papa Alexander, in terrâ Regis Siciliæ, cujus fideli favore fruebatur, tutus consistens, opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur. Parebatque ei in eis, quæ ad curam spectant Pastoralem totus orbis Latinus, exceptis provinciis Alemannicæ ditionis. Imperator enim ex privatâ simultate semel in reprobum sensum datus: & vel à ratione vinci indecorum Imperatoriæ reputans majestati, multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.] Hæc omnia Neoburgensis de Conventu, pro Alexandro in summum Ecclesiæ caput recipiendo. Sed ubinam Conventus ille fuerit, non definit.

X. *Sigebert. Chronicon. an. 1161.*

Qui Sigeberti Chronicon absolvit, duplicem Conventum facit, referéque ad annum hujus sæculi sexagesimum primum. [Ubi mense Julio (inquit) Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones, apud novum Mercatum; & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Bellovaci. Et ibi tractatum est, de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.] Inter Normanniæ Episcopos, qui Conventui adfuerunt, Arnulphus Lexoviensis numerandus est: Ille quid potissimum in Conventu gestum, & quo imprimis authore, in Alexandrum itum sit, ita ad Romanæ Ecclesiæ Cardinales scribens, narrat inter cætera. [Convenerunt (inquit) ex mandato Regum Venerabiles de regno utriusque personæ: ut de Romani Pontificis susceptione tractarent; de quo nihil adhuc publicè fuerat constitutum. Stabant itaque fratres illi, causam Ecclesiæ, non sine magno discrimine prosequentes: quoniam apud plerosque favor iniquitatis convaluerat; adeò ut qui manifestæ repudium veritatis suggerere non audebant, differendum potiùs, sæculari quadam astutiâ, prædicarent: eventum scilicet rei dubiæ potiùs expectandum, quàm subjiciendum fortuitis casibus tantorum Principum majestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis involvi: quos securiùs illæsos sola poterat expectatio conservare. Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus. jugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Solvendum morte alterutrius quæstionis incertum. Atque interim posse religionem Episcoporum, per singula regna sufficere: donec divina voluntas signis evidentioribus appareret. Accedebat Legatorum Imperatoris, & Cardinalium: maledicti scilicet Joannis, & Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modicâ dilatione triumphus, si fratres vestros, vel ad modicum tempus quælibet occasio suspendisset.

Arnulphi Epist. ad Card. f. 467.

De actis in conventu.

Pars adversa cupit differri susceptionem Alexandri.

XI. Definitio Henrici voluntati commissa est.

Præterea cum animos Regum in favorem Domini nostri omnium conscientia crederet inclinatos, in partes Imperatoris cessisse, dilatione præstitâ crederentur: & paulò minùs detrimenti suspicio, quàm notitia fortè veritatis afferret. Sed & Rex Francorum, rei definitionem Regis Anglorum voluntati commiserat: nihil se facturum publicè contestatus, nisi quod ipsius ei sententia prædictasset. Prævaluerat itaque consilium dilationis: ut quantò spatiosiùs, tantò utiliùs utrique Regi, posset esse consultum: Atque interim aliqua possent, de ipsis eventibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum, tota causa pendebat: exaudiendus erat potiùs, quàm severitatis alicujus austeritate terrendus. de cujus simplici favore in momento Francorum, Anglorum, Hispaniæ, Hiberniæ, & novissimè etiam Norvegiæ regna cepistis. Sed & unde quis orituram super eo præsumpsisset offensam: quod ab initio pro bono pacis, scripto etiam interveniente, Regum sanctitas, religio Præsulum, Principum fides, populi congratulàtio devota firmavit. nec rei efficientiam communibus regulis, sed quod magis accelerari posset, Ecclesiasticæ potiùs indulgentiæ destinavit? Quod si quid de indulgentiâ, contra easdem regulas costat esse delictum: nihil tamen criminis intercessit: vulnúsque modicum totius operis sanitas asservata compensat. Hic certè zelus eorum, hæc fuit dispensationis intentio, quam non ultronea voluntas obtulit; sed importunitas necessitatis extorsit. Quoniam si ea

die

die sermo non fuisset consummatus in bonum, procul dubiò fratres vestri, repulsam diutinam, vel perennem, sub dilationis imagine reportassent.] Hæc Arnulphus actorum in Synodo auritus & oculatus testis, in Henrici Regia arbitrio controversiæ cardinem fuisse. Cæterùm quam ille operam, in Henrico ad Alexandrum trahendo præstiterit, testatur alia Epistola ad Joannem Neapolitanum & Guilielmum Papiensem Cardinales, scripta; in qua hæc habet inter cætera:

Arnulph. Ep. fol. 467.

[Porrò mea non fuit interim otiosa devotio: sed apud eos, in quorum oculis Deus mihi dedit aliquid authoritatis, & gratiæ, Ecclesiæ causam peroravi: & Principem, Regem Anglorum in favorem patris hujus, primus & solus, adhibito quod oportuit instantiæ, confirmavi.]

XII.

Henricus in gravissimo Ecclesiæ negotio prudentissimè egit, eum expensis primùm causæ momentis, non præceps in proferendâ sententiâ: sed consultis Angliæ Episcopis, Alexandrum coluit. Quam moram licet aliqui improbarent. Arnulfus tamen eleganter sic excusat.

Arnulph. Ep. ad Archiep. & Episcopos Angliæ fol. 460 fin.

[Quia (inquit) inter Regem Francorum & Principem nostrum, Deo volente, noviter est reformata concordia, placuit ob gratiam ipsius, ad momentum differre publicandæ susceptionis edictum: donec iste noster Ecclesiam regni sui consuluisse posset: & quod mente concepit, assensus vestri conniventiâ confirmasse. Neque enim prudentiam Regalia excellentiæ decuit, aliquid super tanto negotio, inconsultâ vestrâ sapientiâ diffinire, ne gloriam suam alteri dedisse videretur; & reverentiam vestram minoris quàm debuit æstimasse.

HENRICUS II. RECIPIT LITERAS ALEXANDRI. OCTAVIANI REJICIT.

Quæ tamen super hoc, ipsius ab inito voluntas extiterit, multis declaravit indiciis: & expressit: quoniam Patris Alexandri literas & nuntios cum reverentiâ semper excepit, & gratiâ; nullúmquo se alium suscepturum, adhibitâ sæpè coram omnibus asseveratione prædixit. Porro literas Octaviani oblatas, renuit manu regiâ, velut immundum aliquid sordidúmque contingere: sed in contemptum ejus ligneæ tabellæ, quam ipse de pulvere sustulit manibus offerentis impositas, ipse statim coram nuntio, post dorsum suum quàm sublimiùs potuit, risu multitudinis quæ aderat, prosequente projecit. Ex his igitur manifestum est, voluntatem ejus in favorem Domini Alexandri sine omni ambiguitate firmatam: ipsomque vestrum magis ob reverentiam quæsisse consilium; quàm pro absolvendâ qualibet super hoc negotio quæstione: solent enim Principes Dominique terrarum, majora negotia quadam semper morâ suspendere: ut dilatione crescat authoritas, & major lætitia desideria protracta consummet.] Ita scripsit Arnulphus in Epistolâ cui titulus: Ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ.

XIII. ARNULPHUS STATUIT PRO ALEXANDRO.

Enimvero ut Bernardus olim pro Innocentio Papa in Schisma Petri Leonis: ita Arnulphus iste pro Alexandro pugnavit, monendo Reges, sollicitando provincias, docendo Episcopos rei gestæ veritatem, Alexandri virtutes, Octaviani vitia. Sed & in Angliam venisse inferiùs ostendam: priùs enim literis, Ecclesias ibi salutavit. frequentes Romam literas dedit, quibus actorum seriem, & Henrici Regis industriam commendat, in Alexandri patrocinio. Sic unas ad Henricum Pisanum Cardinalem exorditur in hunc modum:

Arnulph. Ep. ad Hen. Pis.

[In quo verbo Reges nostri de susceptione Domini Papæ convenerint, vestra sapientia non ignorat. Et noster quidem ad Ecclesiasticas personas regni sui, Legatos destinavit in Angliam, cum literis, quas à Domino Papa receperat: & scripto illo quod à schismaticis est de Papiensi cõventiculo fabricatum: ut scilicet utroque scripto, tanquam allegationibus partium, utrimque proposito, rectiùs possint, quasi de judicio formare consilium & liquidiùs de contemplatione falsitatis oppositæ cognoscere veritatem. Cui sanè colloquio, quia corporaliter adesse non potui, per Epistolam saltem adesse curavi.] Intelligit Epistolam illam benè longam, & lectu dignam, quam Archiepiscopis & Episcopis Angliæ dictavit: ubi Romanæ electionis ordinem, paucorum in multos factionem, unius merita, demerita alterius aperit, ubique pro Alexandro advocans. Duravit hæc pro primâ Sede contentio per plures annos: & multa hic narrata sequenti anno forent consignanda: nisi animus esset, contentiosum funem non protrahere. supra igitur Papiensis conciliabuli mentio: & conventus duorum Regum, qui melius sequenti anno ascribuntur. nunc hujus anni, & Annalibus nostris próximiora videamus.

XIV. ROBERTI ABBAS DE KNARESBOROW MORITUR.

* v. an. 1133, n 19.

apud Lippol. 7. Iulii.

Moritur hoc anno sanctus Robertus Abbas dictus de Knaresborow, cujus suprà * facta est mentio. de quo ita legitur in vitâ ejus apud Surium: [Godricus vir pietate & eruditione inclytus, qui Roberto consitenti aures præbere solebat, vidit animam ejus niveo candore fulgentem, cum è corpore migraret, Angelorum manibus ad cœlos deferri. Corpus verò in terrâ conditum, multis admodum miraculis clarum, cujus apud Deum meriti esset, egregiè declaravit.] Ita ibi non solos in cœlum migravit: sed qui vidit ejus animam niveo candore fulgentem: Edithæ quoque animam cœlo donandam eodem vidit tempore. Cæteròm Godricus is est, cujus sanctitatem cœpi suprà exponere ad annum Domini millesimum centesimum decimum.

v. 1110. n. 4.

Ille com Roberto frequens agere, sæpè quæ Dei sunt agitare vicissim solitus, insigni ostento meruit, Roberti animam, Angelis comitantibus, beatam cernere, atque contemplari. Sic enim in vita ejus apud Capgravium legitur:

apud Capgr. Robert. Abb.

GODRICUS VIDET ANIMAM ROBERTI AD CÆLUM VOLARE.

[Robertus sanctum Godricum, utpotè confessionis & conscientiæ illius medicus, sæpiùs invisere, & alloqui consuevit. De morbis vitiorum, & virtutum remediis, de secretis cœlestibus, & Angelicis visitationibus, de Sanctorum patrociniis, interserentes diem cum noctibus continuabant. Cumque Godricus tandem in cellâ suâ consisteret, vidit duros mutos candidos, ad cœlum usque porrectos: in quo tres spiritus Angelici apparebant: qui spiritum Roberti Abbatis in globo igneo ad superna deferebant. Unus à dextris, alter à sinistris procedebant: Tertius super omnium verticem nimiâ cum exultatione præibat.

S. EDITHA EODEM TEMPORE MORITUR.

Non enim, inquit Godricus, disponente Domino; solus à corpore migrare potuit: quia cum eo bonæ vitæ fœminæ de Hastinges discessit, nomine Editha. Et licet fuerint longo terrarum spatio separati: eâdem tamen horâ, in eâdem beatitudinis sorte sunt conjuncti. Irruerunt in occursum ejusdem Abbatis, spiritus nequam: sed decertantibus pro eo Angelis; diabolus in suâ præsumptione confunditur; & in sinum Abrahæ, Robertus servus Christi excipitur. Obiit autem anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, septimo

Rom. Mart. 7. Junii.

Idus Junii.] Ita ibi. Quo etiam die in Romano Martyrologio ita legitur : *In Angliâ sancti Roberti Abbatis, Ordinis Cisterciensis :* ad quæ verba Baronius : [De eodem hac die Molanus, in additionibus ad Usuardum. Extant ejus acta apud Surium tomo tertio, quibus habetur, cum migrasse ex hac vitâ anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono.] Corrige igitur Martyrologium nostrum, ubi mortuus ponitur anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo.

Mart. Angl. 7 Junii.

XV. MORITUR ROBERTUS EXONIEN. EPISCOPUS.

Moritur etiam hoc anno, Robertus alter cognomento Warelwast, Exoniensis Episcopus: cum novennio Ecclesiæ præfuisset : de quo hæc pauca Godwinus : [per consecrationem Episcopalibus sacris initiatus est, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo. Postquam sedisset annos plùs minùs novem, diem clausit extremum anno millesimo centesimo quinquagesimo nono, & Plimptonæ juxta patruum jacet conditus.] Quis illi successerit dicam post annum sequentem: quia turbæ in Romanâ Ecclesiâ, omnem Ecclesiam distraxerunt.

XVI.

Henricus Rex in Angliam hoc anno rediisse putatur, & illustri facto coronam ornasse : cum Christi servitutem illi pientissimâ mente prætulit. Mos Anglorum Regum solennis erat, diebus solennioribus regium paludamentum & coronam assumere, cum Christo vel nascenti, vel à mortuis surgenti Missæ sacrificium offerunt. Ita superiori anno, eâ usus est ceremoniâ, quam Neoburgensis exponit : [Illustris (inquit) Anglorum Rex Henricus, anno regni sui quinto, apud Lincolniam solenniter coronatus est, in Natali Dominico: non quidem intra mænia, credo propter vetustam illam superstitionem, quam Rex Stephanus laudabiliter contempsit atque derisit; sed in vico suburbano.] Semel antea Londini ad Westmonasterium solenni etiam ritu voluit de more coronari : denique tertiò, & ultimò, apud Wigorniam ita coronam induit & exuit, ut nunquam in posterum coronari voluerit : quod ita refert Hovedenus : [Anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo nono, qui erat annus quintus regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis : Idem Rex Henricus tertiò, se fecit, & Alienor uxorem suam coronari in solemnitate Paschali, apud Wireccstre. ubi cum ad oblationem venirent, deposuerunt coronas suas, & eas super altare obtulerunt : voventes Deo, quod nunquam in vitâ suâ, de cætero coronarentur.] Est hoc illustre pietatis exemplum, quo Reges Regem Regum, & Dominum Dominantium pientissimo cultu agnoscunt, ad Christi pedes coronam projicientes. Præcesserat in hoc religionis actu Canutus Anglorum Rex cum anno millesimo vigesimo quinto, Wintoniæ ad Christum cruci affixum coronam deposuit, ut dictum ibi.

Neoburg. l. 2. c. 9.

HENRICUS TER CORONATUS.

Hoveden. hic.

CORONAT ALIENORAM UXOREM.

v. an. 1125. n. 3.

XVII.

Non potuit Henricus diuturnam in Anglia moram trahere, si Tholosanam expeditionem ad hunc annum referimus : ut referunt Hovedenus, Walsingamus, & uterque Matthæus. Verùm Neoburgensis ad septimum Henrici Regis annum, Gordonius in annum Christi millesimum centesimum sexagesimum primum, hoc est, post duos illam rejiciunt. Ego puto cœptum hoc anno ibi tumultuari, & Henricum jus suum vindicasse, & repulsam impatienter ferentem, ad arma irasque conversum, hoc saltem anno ingentem pecuniæ summam in usum belli collectam : nec Ecclesiis parcitum, Annales nostri conqueruntur, ut infra dicam (an. 1167. n. 3.) Interim, Parisiensis Matthæus ita loquitur : [Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono Rex Anglorum Henricus duxit exercitum versus Tholosam, & cepit castella vicina ejus, Rege Francorum interim in urbe jugiter commorante. Sed Rex Anglorum ipsam civitatem non assiluit, ob reverentiam Regis Francorum, cujus sororem Constantiam Comes Tholosanus duxerat in uxorem, & ex ea liberos susceperat. Quâ de causâ Reges inimici facti sunt, ut rerum exitus postmodum declaravit.] Eò ferè modo brevitati studentes Matthæus alter Westmonasteriensis, Walsingamus, & alii plurimi jejunè rem narrant: ut meritò hærere Lector, & mirari poterit : Quid juris Henrico, ad Comitatum illum : & quæ irarum causa fuerit? Cur Galliam, Angliam, Scotiam, & plures adhuc provincias ad bellum accenderit. nam Malcolmum Scotorum Regem, & plures è variâ gente Principes, ab Henrico stetisse, & pugnasse dicam inferiùs: cum priùs expeditionis causam aperuero, quam Neoburgensis ita exponit:

Paris. hic.

HENRICUS CEPIT CASTRA VERSUS THOLOSAM.

XVIII.

[Memorabilis Rex Anglorum Henricus secundus, anno regni sui septimo, in partes Glasconiæ duxit exercitum, cujus expeditionis causa hæc erat : Comes Pictaviensis, qui & Dux Aquitanus, avus scilicet Alienoræ, priùs Francorum, postea verò Anglorum Reginæ, cum esset in expensis profusior, & propriorum redditUum quantalibet affluentiâ tantæ voragini nequaquam sufficeret, acceptâ à Comite S. Ægidii viro pecunioso, pecuniâ copiosâ, nobilem illi cum pertinentiis civitatem Tolosam apposuerat. Atque in fata concedens, absolvendi appositi operam ad filium transmiserat. Qui nimirum, in expensarum profusione patrissans: ipse quoque liberandi pignoris, in hæredes transfudit negotium. Reliquit autem unicam filiam hæredem : quæ cum Regi Francorum Ludovico nupsisset : idem Rex uxoris nomine Tolosam repetiit. Comes verò S. Ægidii, nihil quidem juris obtendens; sed dolo totus incumbens, tandem opportunitatem nactus Regem nuptiis germanæ, Constantiæ scilicet, Eustachio, Regis Stephani filio nuptæ, & post mortem ejus ad fratrem reversæ. Verùm cum postea facto inter Regem Francorum, & uxorem ejus divortio; eadem ad nuptias Regis transisset Anglorum; mota est rursum quæstio super Tolosâ justis hæredibus resignandâ. Memorato autem Comite negante : & suæ possessionis Regem Francorum laudante auctorem; Rex Anglorum contracto ex universis terris suæ ditionis exercitu, Gasconiæ fines ingressus est. Invitari quoque ab eo amici, ut sequerentur, vel occurrerent, ingentibus copiis auxerunt exercitum.]

Neoburg. l. 2. c. 10.

UNDE ORTA CONTENTIO INTER HENRICUM ET LUDOVICUM DE TOLOSA.

XIX.

Inter Principes qui Henricum comitati sunt, Malcolmus Rex, & Comes Barcinonensis, imprimis nominantur. & verè Comes Henricum sequutus est, non solum in expeditione hac, sed in abstinentiâ, à coronâ. Nam ut Henricus, cum illam semel, iterum, tertiò induisset; tandem omnino exuit : ita Comes oblatam noluit induere. Jungamus ergo Henrico Comitem, & quis ille fuerit, inquiramus. opportunè id docet Neoburgensis : qui Regis copias explicans, & amicos : [Præcipuè (inquit) Comes Barcinonensis, vir

MALCOLMUS REX SCOTIÆ, ET COMES BARCINONENSIS COMITATI HENRICUM.

Neoburg. suprà.

magnus

Quis ille Comes?

magnus & potens, nec infra Reges consistens. Sanè hujus in regali magnificentiâ animum plusquam regalem paucis perstringere, quoniam se præbet occasio, operæ pretium videtur. Illustris quidam Rex Aragonum, paulò ante nostram memoriam, cum haberet liberos, unum eorum, piæ devotionis instinctu, Christo dicatum in monasterio tonsuravit, reliquos pro tempore successores designans. Verùm præmortuis, qui successuri sperabantur: contigit Patrem humanis novissimum rebus excedere. Veriti autem Optimates, & populus, de successione nepotibus contendentibus, ne regnum discerperetur, properè convenientes, & venienti periculo occurrentes, Regis filium claustro festinanter extractum, sublimaverunt in Regem; regnóque disposito ad procreandos qui succederent liberos, uxorem compulerunt ducere; necessitatis obtentu excusantes excessum: & necessitatem legi non esse subjectam allegantes. Denique nata est ei unica filia. Cumque regnum laudabili moderamine administrasset, ad annos filiæ nubiles, & convocatis nobilibus, & coram se solenniter apparentibus, cum universâ penè militiâ ditionis suæ taliter eos est alloquutus.

Barones extrahunt filium unicum aliis mortuis, e monasterio, ut succedat Patri Regi Aragonum.

XX. Parcat mihi, & nobis omnipotens Deus, charissimi: factus sum enim insipiens; vos me coëgistis. Sed nunquid qui cecidit, non adjiciet, ut resurgat. nunquid quod usurpavit infelix necessitas, quam esse dixistis exlegem: eâdem cessante, ratum esse debebit, quod usurpatum est contra Legem? En ex me natam habetis regni hæredem. Provideantur huic puellæ honorabiles nuptiæ, & regno erit consultum. Redeat ergò monachus ad regulam, & sauciam de cætero sanet conscientiam. Reclamatum est ab omnibus: sed cum pium felixque propositum dissuaderi non posset: de Concilio procerum, juveni clarissimo Barcinonensis Comitis filio, filiam despondit: regnóque illi cum filia tradito: vir memorabilis, præcipuusque mundi contemptor, pungentes conscientiæ stimulos ultra non passus, positâ purpurâ, cucullam reinduit, & regnum claustro mutavit. Quibus actis suasum juveni, ut regni insignia, coronam & purpuram solenniter sumeret, cum regnum haberet. Negavit se ille hoc facturum, ita allegans: Cum nullus progenitorum meorum supra Comitem fuerit, naturâ sum Comes: quâ contentus, sicut non sum melior, ita nec excellentior esse volo, quàm Patres mei. Ut ergò in me fortuna naturam non superet; nomen & insignia Regis omitto. Porrò, ut in me etiam serviat fortuna naturæ: retento Comitis nomine, regni amplitudinem, & potestatem non respuo. Huc accedit, quòd Regiâ dignitate assumptâ, non multis Regibus in divitiis & gloriâ cederem. At cum mihi regni sint opes, cum potestate Regiâ, Barcinonensi Comiti nullus in mundo Comes potest æquari. Proinde malo esse Comitum primus, quam Regum nec septimus. Sic itaque vir mirabilis, nobili quodam regii honoris contemptu, vel allegabat, vel jocabatur, cum ab amicis excellentiam induere Regiam moneretur. Nec unquam vel Rex, vel Dux; sed Comes tantùm Barcinonensis appellari voluit: licet Ducatum Provinciæ, id est, illius Regionis, quæ sic dicitur: & à Rhodano usque ad Italiæ fines extenditur, cum regno Aragonum possideret. Porrò ejus filius post decessum Patris, juxta materni prærogativam generis, à Romano Pontifice in Regem est solenniter consecratus.

Reinduit cucullam nata filia.

Comes Barcinoniæ qui filiam duxerat, recusat admittere nomen Regis.

XXI. Pater verò cum propter amicitiam Regis Anglorum, tum quia Comiti Sancti Ægidii infestus erat, cum immodicis generis subditæ copiis, Tolosanæ, ut dictum est, expeditioni interfuit. Gulielmus quoque cognomento Trentheveil, vir nobilis, & potens; nonnullarum civitatum, & multorum Dominus castellorum, odio memorati Comitis; in cujus manus (ut dicitur) ante inciderat: & de quibus ægrè, ac nonnisi plurimâ terrarum suarum parte mutilatus evaserat: cum quantis poterat viribus, Regi Anglorum assistebat. Idem verò Comes tanti exercitus impetum pertimescens: Regis Francorum, qui uxoris suæ germanus, & filiorum erat avunculus, auxilium imploravit. Qui zelando pro nepotibus festinus adveniens, cum aliquantâ militiâ Tolosam intravit. Quod cùm innotuisset Regi Anglorum, personæ Regis ibidem consistentis deferens, civitatem oppugnare distulit, & ad pervadendam provinciam, expugnandásque munitiones convertit exercitum. Caturcensem civitatem, quæ à se defecerat, & fines ejus, cum numerosis castellis, deditione recepit, plurima quoque expugnavit, & cepit. Quibus actis, & memorato Guilielmo Trentheveil, munitionibus, quas illi forte bellicâ Comes Ægidiensis extorserat, redditis, in Normanniam rediit.] Ita Neoburgensis.

Guilielmus Trentheveil comitatur Henricum.

XXII. Eminuit etiam in hac expeditione Thomæ Regis Henrici Cancellarii gloria, fidesque in Principem suum: de quo hæc habet Quadrilogus. [In exitu, & obsidione Tholosæ: ubi tota Angliæ, Normannia, & Aquitania, Britannia, & Scotia, in præsidium Regis Angliæ, militarem manum, & fortitudinem bellicam emisit: Cancellarius de propria familia, electam manum militum, septingentos milites habebat. Et quidem si ejus esset paritum consilio, urbem Tholosam, & Regem Franciæ, qui favorem sororis Comitissæ Constantiæ acceperat: sine exercitu, & manu validâ invasissent, & cepissent. Et nisi vana superstitione Rex detentus fuisset, & consilio quorundam, urbem in qua fuit Rex Francorum, vi cepissent: eò quòd supra pacta conventa, hostem se ei opposuisset. Non multum verò post, convocatâ militiâ venit in urbem Regis Francorum, pariter & Rex Angliæ, cum Rege Scotiæ, & omni exercitu. Sed incompos voti, & inefficax propositi rediit. Capta tamen prius urbe Carducio, & plurimis castris, in viciniâ Tholosæ, quæ Regis Angliæ fautoribus primitus abstulerat. Ad quæ omnia recuperanda, post reditum Regis Angliæ, Comitibus omnibus recusantibus: solus Cancellarius cum familiâ suâ, & cum exercitu proprio remansit. Postmodum tria castra munitissima, & quæ inexpugnabilia videbantur, ipse loricâ indutus & galeâ, cum suis in manu valida, victoriosissimè cepit. Sed & Garumnam cum manu militari transit supra hostes. Confirmatâ igitur in Regis obsequium illâ provinciâ, supra modum gratiosus rediit, & honoratus.] Hæc ibi.

Quadrilog. c. 9. Thomas Cancellarius strenue se gessit.

XXIII. Perierunt in Regis exercitu, dum Tholosa obsidione cingitur: Guilielmus Comes Boloniæ, filius Regis Stephani, cui Henricus Rex, omnia concesserat, quæ paterni juris ante præsumptam coronam fuerant. Obiit etiam Hamon, filius

Guilielmus Stephani filius moritur &c.

MALCOLMUS REX SCOTIÆ FACTUS MILES AB HENRICO.

Roberti Comitis Glocestriæ, cujus supra frequens mentio. Meminit horum duorum Hovedenus ad hunc annum: & addit. [Rediens ab hoc exercitu Malcolmus, Rex Scottorum; factus est miles Turonis à Rege Anglorum Henrico.] nimirum, ut olim Malcolmi avus Henricum post aliquod belli tyrocinium, militari cingulo ornaverat: ita nunc eodem ritu Malcolmum, post hæc belli præludia professum militem creavit, & militum insignia solenni precatione eidem tradidit.

ANNUS CHRISTI 1160.

ALEXANDRI III. PAPÆ 2.

HENRICI II. REGIS 6.

I. CÆPIT ANGLIA PERICLITARI IN FIDE.

DUM anno millesimo centesimo sexagesimo, Romana Ecclesia pessimo schismate distrahitur: Dum Papiæ altare contra altare, perverso impetu, erigitur: & novum idolum, ad Christianæ Fidei opprobrium, colendum exponitur. Dum, inquam, Italiæ, Germania, Gallia, vario dissidio hominum mentes in partes trahunt: conatus est antiquus serpens, humani generis hostis, Angliam etiam in communem cæteris provinciis calamitatem, vitiato fidei semine, pertrahere. Insula, quam Magnus Gregorius, Christiana Fide beaverat; per quingentos ampliùs annos, eam fidem sartam tectámque servaverat: sub hoc tempus in fide periclitari cœpit, & nova dogmata sequi: sed cœpit tantùm: nam vigilantissimi animarum Pastores, viso lupo, monuerunt oves, non omnes ovili pelle contectos, sequendos esse. & ita, insigni industriâ, pióque Episcoporum studio consultum & Insulæ. Quod ad tempus, in ætate duodecimâ ita notat Pitsius: [Hactenus (inquit) fides & Catholica religio, quam Angli à Gregorio Papâ primo, per sanctum Augustinum monachum & socios acceperant, salva, sana, integra apud eos permansit: & Normannis quasi hereditario quodam jure obvenit, ad eos, unà cum imperio transfusa, ad centum circiter annos, inter eos pura viguit, & ab omni hæresi libera, atque immaculata. Jam autem circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum: & regni conditio nonnihil mutari cepit: & Catholica fides, pestilentis maculæ discrimen subiit. nam extincto in generatione una Normannorum Regum sanguine masculino: Henricus secundus cognomento Plantagenet, ex Ducum Andegavensium progenie masculinà, & Normannorum fœmina, post magnas turbas, multúmque effusum sanguinem, ex funestissimis intestinis bellis, ad Angliæ regnum, materno jure, suóque sudore tandem difficulter pervenit. pervenit tamen.

Pitsius f.220

II. TRIGINTA FALSI PROPHETÆ CONANTUR INFICERE ANGLIAM.

Quod autem ad fidem Catholicam attinet, certè mors Adriani Papæ quarti Angli, qui eodem ferè tempore, anno videlicet Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, accidit: ut cum tragico loquar: Nescio quod Anglis grande præsagit malum. nam anno proximè insequente ad Catholicæ religionis in Angliâ virginitatem corrumpendam triginta falsi prophetæ, indutis ovium vestimentis, cum essent intrinsecus lupi rapaces, ex Germaniâ, vel ut aliis placet. ex Gasconiâ venientes, & non per ostium, sed fenestram intrantes, ut fures, & latrones gregem Dominicum invadere conati sunt. Hi nescio quibus titulis, quo colore, ex septem Ecclesiæ Sacramentis, impugnabant, imo detestabantur tria videlicet, Baptismum, Eucharistiam, & Matrimonium. Sed in Angliâ universa, unicam tantummodo mulierculam in fide adulteraverunt, & ad suam sectam traxerunt. Quæ & paulò post, se deceptam cernens, hæresim abjuravit, & ad Ecclesiæ gremium pœnitens reversa est. Illi autem perfidi homines detecti, omnesque capti, eodem anno millesimo centesimo sexagesimo, vel sequente, pro hæreticis condemnati, in frontibus cauterio notati, tanquam portenta, in ultimas terras exportanda ex Insola ejecti sunt: interminato, si redire præsumerent, capitis supplicio. Atque hæ post sublatam ex Insulâ Arianam & Pelagisnam hæresim, extinctosque Scotorum, & Britonum errores, primæ fuerunt Machinationes quæ labefactare tentarunt Anglorum fidem. Sed nihil eorum quæ moliti sunt ad effectum perducere potuerunt.] Hæc omnia Pitsius.

MACHINATIONES HÆRETICORUM SUBVERSÆ.

III. Notarunt hæc zizania, quæ inimicus homo, Anglorum fidei superseminare conatus est, authores hujus sæculi paulò luculentiùs: & quantumvis purissimo tritico, vel nihil omninò, vel leviter admodum nocuerint: docere tamen voluerunt sequentia sæcula; quàm intemerata fuerit majorum fides; & quàm sedulò cavendum ne errorum semina, doctrinæ olim traditæ misceantur. Cæterùm errores qui hoc anno pullulare cæperunt, & orthodoxos inficere, eò erant periculo pleniores; quò illi à vulgo hominum, qui non norunt sapere stupidiùs profluxerant. Quis enim dedocere poterit; qui crasso sub æthere nati, hebetes sunt, & ad veritatem cæcutiunt. Quod si perversus impetus oscitantibus accedit; duo mala curanda sunt, medicinam omnem respuentibus. Deus Optimus Maximus, omni & hoc præsertim sæculo decimo septimo, liberet Insulam ab eâ Fidei regulâ, quam non majores nostri, viri Apostolici, sed quam vulgus hominum, sine dubio è cathedrâ pestilentiæ, dictare contendit. Cæterùm laudanda est antiquorum industria: qui viam posteris, errores cavendi, eisque medendi scriptis ostenderunt: eos inter Guilielmus Neoburgensis, qui eo tempore vivebat, supradictos cacodoxos ita descripsit:

IV. *Neoburg. l. 2 c. 13.* QUIDAM VULGO PUBLICANI DICTI AUTHORES HÆRESUM.

[Iisdem diebus Erronei quidam venerunt in Angliam: ex eorum (ut creditur) genere, quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconiâ incerto authore habentes originem: regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque provinciis, tam multi hac peste infecti esse dicuntur: ut secundùm Prophetam, multiplicati esse super numerum arenæ videantur. Denique cum à Præsulibus Ecclesiarum, & Principibus provinciarum, in eos remissiùs agitur: egrediuntur de caveis suis vulpes nequissimæ, prætentâ specie pietatis seducendo simplices, vineam Domini Sabaoth tantò graviùs, quantò liberiùs demoliuntur. Cum autem adversus eos igne Dei, fidelium zelus succenditur, in suis foveis delitescunt, minusque sunt noxii; sed tamen occultum spargendo virus nocere non desinunt. Homines rusticani, & idiotæ, atque ideo ad rationem hebetes, peste verò semel haustâ ita imbuti, ut ad

omnem rigeant disciplinam. Unde rarissimè contingit eorum aliquem, cum è suis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem converti. Sanè ab hac, & ab aliis pestibus hæreticis immunis semper extitit Anglia, cum in aliis mundi partibus tot pullulaverint hæreses.] Ita potuit suo tempore scribere Neoburgensis. Ego nunc de hac Insulâ non possum ita gloriari: quia *obscuratum est aurum fidei, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, & egressus à filiâ Sion omnis decor ejus.*

Ier. Thren. c. 4. v. 1.

V.

A tempore quo Insula dicta est Anglia ad Henricũ II. nulla hæresis.

[Et quidem hæc Insula (inquit) cum propter incolentes Britones, Britannia diceretur: Pelagium in Oriente hæresiarcham futurum ex se misit, ejusque in se, processu temporis errorem admisit: ad cujus peremptionem Gallicanæ Ecclesiæ pia provisio, semel & iterum beatissimum direxit Germanum. At ubi hanc Insulam expulsis Britonibus, natio possedit Anglorum: ut non jam Britannia, sed Anglia diceretur, nullius unquam ex ea pestis hæreticæ virus ebullivit: sed nec in eam aliunde, usque ad tempora Regis Henrici secundi, tanquam propagandum & dilatandum introivit. Tunc quoque Deo propitio, pesti, quæ jam irrepserat, ita est obviatum, ut de cætero hanc Insulam ingredi vereantur. Erant autem tam viri quàm fœminæ, paulò ampliùs quàm triginta: qui dissimulato errore, quasi pacificè huc ingressi sunt, propagandæ pestis gratiâ. Duce quodam Gerardo; in quem omnes tanquam præceptorem ac Principem respiciebant. Nam solus erat aliquantulùm literatus. (ab aliquantulùm literatis liberet nos omnipotens & misericors Deus: quia reverà parùm illud pro nihilo à sapientibus reputatur, & insipientibus magnum, multúmque esse videtur) cæteri sine literis & idiotæ: homines planè impoliti, & rustici, nationis & linguæ Teutonicæ. Aliquamdiu in Angliâ morantes: unam tantum mulierculam, venenatis circumventam susurris; & quibusdam (ut dicitur) fascinatam præstigiis, suo cœtui aggregaverunt. Non enim diu latere potuerunt: sed quibusdam curiosè indagantibus; quòd peregrinæ essent sectæ, deprehensi, tentique sunt in custodiâ publicâ.] Ita ille: Nunc lege pesti medicinam, & pharmacum singulare.

VI.

Opiniones horum hæreticorum.

[Rex verò nolens eos indiscussos, vel dimittere, vel punire, Episcopale præcepit Oxoniæ Concilium congregari. Ubi dum solenniter de religione convenirentur: eo qui litteratus videbatur, suscipiente causam omnium, & loquente pro omnibus: Christianos se esse, & doctrinam Apostolicam venerari, responderunt. Interrogati per ordinem de sacræ fidei articulis: de substantiâ quidem superni medici recta: de ejus verò remediis, quibus humanæ infirmitati mederi dignatur, id est, divinis Sacramentis, perversa dixerunt Sacrum baptisma, Eucharistiam, conjugium detestantes, atque unitati Catholicæ, quam hæc divina imbuunt subsidia, ausu nefario derogantes. Cumque sumptis de Scripturâ, divinis urgerentur testimoniis: se quidem ut instituti erant, credere: de fide verò suâ disputare nolle, responderunt. Moniti ut pœnitentiam agerent, & corpori Ecclesiæ unirentur, omnem consilii salubritatem spreverunt. Minas quoque, ut vel metu resipiscerent, deriserunt, verbo illo Dominico abutentes: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Tunc Episcopi, nè virus hæreticum latiùs serperet, præcaventes: eosdem publicè pronuntiatos hæreticos, corporali disciplinæ subdendos, Catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri: & spectante populo, virgis coërcitos, urbe expelli: districtè prohibens, ne quis eos vel hospitio recipere: vel aliquo solatio confovere præsumeret. Dictâ sententiâ, ad pœnam justissimam ducebantur gaudentes, non lentis passibus præeunte magistro eorum, & cantante: *Beati eritis cum vos oderint homines.* In tantum deceptis à se mentibus seductorius abutebatur spiritus. Illa quidem muliercula, quam in Anglia seduxerant, metu supplicii discedens ab eis, errorem confessa reconciliationem meruit. Porrò detestandum illud Collegium cauteriatis frontibus, justæ severitati subjacuit: eo qui primatum gerebat in eis, ob insigne magisterii, inustionis geminæ; id est, in fronte & circa mentum dedecus sustinente. Scissisque cingulo tenus vestibus, publicè cæsi, & flagris resonantibus, urbe ejecti, algoris intolerantiâ (hiems quippe erat) nemine vel exiguum misericordiæ impendente, miserè interierunt. Hujus severitatis pius rigor non solùm, peste illa, quæ jam irrepserat, Angliæ regnum purgavit; verùm etiam nè ulteriùs irreperet, incusso hæreticis terrore præcavit.]

Quæ pœnæ inflictæ.

Hæretici puniti ejiciuntur regno.

VII.

Qui dæmon infecit Ecclesiam?

Doctâ manu curata est pestis, & eo planè modo, quo primo tomo Arianam perfidiam sanatam vidimus: Ecclesiæ Præsules, quid credendum definiunt: quid corrigendum pronuntiant: & Constantinus, quod credendum credit, & credi mandat: quod corrigendum corrigit, & corrigi mandat. Contra veterator antiquus, qui mille nocendi artes novit, nihilque ad perfidiæ virus infundendum relinquit inexpertum; primò ad genium suum Ecclesiæ Præsules fingit: inde novam illam creationem, jurisque fictionem atque dictionem, ludibrio exponit. denique vel ipsum Episcopi nomen, & omne pro fide explicandâ tribunal; ceu Reip. suæ, ut revera est, nocivum, tollit: & eos solùm pro fide puniendos dictat, qui majorum fidem, Fideique Orthodoxæ parentes venerantur: qui Nicænos Patres, præcipientes: & Constantinum præcepta excipientem, laudant. Qui denique non plebi, aut plebiscito, in rebus Fidei; sed altiori, digniori, doctiori subsellio deferunt. Quod si Anglia sanctè semper observasset, nunquam nascerentur, aut nata fuissent illa dogmata, quæ sub varia appellatione, Anglorum hodie mentes distrahunt: & omnem Fidei regulam enervant, atque pessundant. Dum quæro, quid externi scriptores, de hac hominum fece, quæ plures provincias infecisse dicitur, tradiderint: Lego Bernardum Abbatem sanctum, aliquos insectatum, qui sine nomine, sine Principe, & reverâ sine cerebro, se Apostolicos jactabant. de quibus ita Baronius:

VIII.

Baron. an. 1147.

Bernardus pugnat in hæreticos.

[Fuit eidem S. Bernardo, his diebus pugnandum adversus alios novos hæreticos: qui cum certo carerent authore, à quo denominari possent, seipsos Apostolicos appellarunt, eò difficiliùs curandos, quòd penes rusticos, & illiteratos homines esset ejusmodi pestis. De his námque hæc ipse Sanctus Bernardus. Nunc autem videte, si non propriè dæmonum, & non hominum

ludificatio

ludificatio hæc, secundum quod prædixerat Spiritus. Quare ab illis suæ sectæ authorem, neminem dabunt. Quæ hæresis non ex hominibus non habuit proprium hæresiarcham? Manichæi, Manem habuere Principem & præceptorem: Sabelliani, Sabellium: Arriani, Arrium: Eunomiani, Eunomium: Nestoriani, Nestorium: Ita omnes cæteræ ejusmodi pestes, singulæ, singulos magistros homines habuisse noscuntur: à quibus originem simul duxere, & nomen. Quo nomine istos titulove censebis? nullo: quoniam non ab homine illorum hæresis: sed magis & absque dubio (uti Spiritus Sanctus prædixit) per immissionem & fraudem dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere. Sed quod authore carerent & nomine, seipsos nominavere Apostolicos, idem docet inferius. Non ignoro, quod se & solos corpus Christi esse glorientur. Sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie, in mensâ suâ corpus Christi, & sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in corpus Christi, & membra. nempe jactant se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant: nullum tamen Apostolatus sui signum valentes ostendere.] Hæc de nomine, & suâ ipsorum æstimatione S. Bernardus. De conditione autem ipsorum: [Rusticani (inquit) homines sunt, & idiotæ, & prorsus contemptibiles. Sed non est, dico vobis, cum eis negligenter agendum. multùm enim proficiunt ad impietatem.] Ita Bernardus exponens & urgens illud Cantici: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

Bernard in Cantica serm. 60.

APOSTOLICI HÆRETICI QUINAM?

Cant. 2.

IX. Non est dubium hos ipsos esse, qui è Galliis hoc anno in Angliam migraverunt: maléque ibi habiti perierunt. præcursores nimirum errorum plurimorum, qui sæpè conati sunt Anglorum Ecclesias maculare: sed stantibus, & in errores pugnantibus, multis Bernardis; regularis, inquam, instituti viris: qui olim Christianam in Insulâ fidem plantaverunt: & plantatam multo labore per plura sæcula, sartam tectámque servaverunt: nunquam Insulam invadere, aut constantem ibi radicem figere, potuerunt. Quod è S. Bernardo ita colligit Baronius: [Sed adhuc audi (inquit) ex eodem S. Bernardo, alias his admissas hæreses, communes cum nostri temporis Novatoribus: ut istis se genitos esse parentibus rusticanis & impiis glorientur. Irrident, inquit, nos, quòd baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum suffragia postulamus. Et paulò post: Porrò mortuos viventium fraudantes auxiliis: viventes nihilominus, Sanctorum qui decesserunt suffragiis spoliantes: & inferiùs post ista confutata subjicit: Non credunt autem ignem Purgatorium restare post mortem: sed statim animam solutam à corpore; vel ad requiem transire, vel ad damnationem.] Ita Baronius. [Deplorans (ut ipse loquitur) ex Christianâ charitate perditissimos Novatores, qui hos nefandissimos sectantes brutos hæreticos, iisdem planè immensa cæcitate percussi plus deferunt, quàm Bernardo.] Verùm relictis erroribus & impietate, videamus sanctiora.

Baron. an. 1147.

X. Moritur hoc anno, & cum Sanctis nominatur Mailrosensis Abbas, qui Wallenus, & rectiùs opinor, Walleofus dicitur. Rogerus paulò aliter de nomine, & mortis anno, ita ad superiorem annum breviter scribit: [Eodem anno obiit Waldenus, Abbas de Melros, quarto Nonas Augusti, qui fuit avunculus Regis Malcolmi.] Nec habet de eo plura. Cæterùm præter Regii sanguinis splendorem, sanctitate quoque illustris fuit. Utrumque describit Author vitæ ejus apud Capgravium, ubi hæc habentur, de ejus natalibus: [Comes Wallenus, Serenissimi Siwardi Comitis filius, Comitatum Northumbriæ, & Eboracensis provinciæ principatum, possidens, Julitam * Guilielmi Regis, & Conquestoris neptem, in uxorem duxit: & injustè demum accusatus, ab eodem Rege, innocenter decollatur *, & Croylandiæ sepelitur. Ejus filia, nomine Mathildis, Simoni Comiti Huntindoniæ nupta, virum Dei Wallenum sive Walthef, concepit, & ad multorum salutem peperit. Exhæredato Patre ejus, & in transmarinis partibus mortuo; mater ejus, cum comitatu * Regi Scotiæ David copulatur. De qua idem Rex Henricum Comitem, patrem Regum duorum Malcolmi scilicet, & Willelmi procreavit. Wallenus vita & moribus proficiens, parentes & mundum fugiens, in cœnobio Sancti Oswaldi, Eboracensis diœcesis, habitum Canonicorum suscepit: & in omni sanctitate speculum fratribus effectus: & de sacristâ in Priorem de Kirkham unanimi consensu electus est. Et quantò in oculis omnium videbatur sublimior, tantò in oculis propriis humiliter apparebat.

WALLENUS ABB. MORITUR.

Hoveden. an. 1159.

Capgrav. in Walleno.

* Iudithan. vide suprà an. 1075. 13.

* v. an. 1075. n. 13.

* v. an. 1113. n. 2.

WALLENI ORTUS ET VIRTUTES.

XI. Devotione demum arctioris religionis, & Cisterciensis ordinis allectus vir Dei Wallenus, in monasterio de Wardona habitum suscepit: & inde ad Rievallem translatus: postremò in Abbatem de Melros, id est, Meuros eligitur. Ejusinstinctu & hortatu, Simon germanus suus monasterium Sancti Andreæ in Northampton, cœnobium Monialium Sanctæ Mariæ extra urbem fundavit: nec non & Saltreiam ordinis Cisterciensis. Electus ad Episcopatum S. Andreæ in Scotiâ, & consentire recusans, dixit: Expoliavi me tunicâ meâ: quomodo induam illam? Lavi pedes meos: absit ut iterum pulvere sæcularis solicitudinis inquinem eos. Obiit autem vir Dei Wallenus anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio Nonas Augusti, & cælos conscendit. Elapsis autem post obitum ejus annis tredecim, corpus ejus cum pannis, quibus fuit involutum, incorruptum & integrum, multo dormienti similius, quàm mortuo, invenitur.] Hæc Author vitæ, qui plurima Sancti viri miranda prosequitur. Nomen ejus inter Sanctos legitur in nostro Martyrologio ad tertium Augusti, ut Author supra. Sed annus mortis in Martyrologio assignatus, millesimus centesimus quinquagesimus, ad decennium ultra protrahi debet: & poni vel annus Domini millesimus centesimus sexagesimus, ut apud Capgravium, vel certè uno minor anno, ut Hovedenus dixit.

HABITUM SUSCEPIT CISTERCIENSIUM IN MONASTERIO DE WARDONA.

XII. Moritur etiam hoc anno Theobaldus Cantuariensis, qui Ecclesiam illam Archiepiscopus texerat ab anno Christi millesimo centesimo trigesimo octavo; vir cum variâ fortunâ diu multúmque conflictatus; in prosperis non elatus; in adversis constans, ubique virtutis argumenta posteris reliquit. Hic Stephani Regis tempore, multa eluctatus incommoda; sub Henrico secundo in senectute bonâ, & fine quieto maturuit cælo. De quo sic

MORITUR THEOBALDUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Godwin. in Theobal. Cantuar. loquitur Godwinus: [Sub Henrico secundo, qui Stephano successit, in magnâ tranquillitate reliquum ætatis transegit. Anno millesimo centesimo sexagesimo excessit è vivis, cum Archiepiscopus sedisset annos duos & viginti. Opes quas habebat non mediocres, testamento condito, universas vel egenis distribuendas, vel in alios pios usus erogandas mandavit. Sepultus fertur ab australi sacelli, quod D. Thomæ dicitur, ubi tumulum vidimus marmoreum satis elegans ferè ad tecti formam fastigiatum.] Ita ille. Ad testamentum quod attinet; Joannes Saresberiensis illud inter Epistolas, quas pro Theobaldo scripsit, inseruit: & est hujusmodi.

XIII. THEOBALDI TESTAMENTUM. *Joan. Saresb. Epist. 57.*

Theobaldi Cantuariensis Episcopi Testamentum. Epist. 57.

Supremis deficientium voluntatibus, suum accommodant jura favorem: & ipse velut inhumanus, provocat iram Domini, qui piis eorum desideriis obvius contradicit. Nostra quidem voluntas est: & quæ Domino authore, nunquam mutabitur, ut residuum bonorum nostrorum mobilium: quæ propter necessitates domesticas, & diuturnitatem languoris, usque ad exitum vitæ duximus conservanda, in usus pauperum omnino cedant, secundùm quod Dominus nobis inspiravit: sicut dedimus in mandatis Venerabili Fratri nostro Waltero Roffensi Episcopo, fidelibus nostris, Philippo Cancellario nostro, Magistro R. Lexoviensi, & Ioanni de Sarum: quos eleëmosynæ nostræ dispensandæ præfecimus: & omnibus ministris & fidelibus nostris per fidem quam nobis debent, injunximus; ut istis obtemperent: & eis omnia nostra exponant. Amicos Cleri omnes suppliciter exoramus, ut pro misericordiâ Domini Omnipotentis, eis auxilium & consilium præbeant. Omnes autem qui in præfatis pauperum rebus committent: aut qui, quominus dispositio nostra procedat, impedient, anathematis sententia condemnavimus: Ipsique officiales Regis, si se dispositioni perturbandæ immiscuerint: se fidelium communione noverint esse privatos: tanquam sacrilegi excommunicati ab introitu omnium Ecclesiarum abstineant. Omnibus autem dispositionis nostræ adjutoribus, benedictionem Domini & nostram damus: ipsos beneficiorum Cantuariensis Ecclesiæ participes constituimus: eisque de injunctâ sibi pœnitentiâ quadraginta dierum indulgentiam facimus. Præterea ex parte Omnipotentis Domini, sub anathemate interdicimus: ne quis officialium Domini Regis, ad res, quæ propriis monachorum Cantuariensis Ecclesiæ usibus dicatæ sunt, temerariam manum prætendat extendere: sed habeant res suas omnes, in eâ integritate, libertate quâ easdem ipsis, Domini Papæ nostro privilegio fecimus confirmari. Adhæc sub eodem anathemate, terrarum quæ ad Archiepiscopum pertinent, omnem alienationem fieri prohibemus, & excidia, & damna nemorum: donec nobis successor subrogetur: nisi quantum necessarius Ecclesiæ exigit usus: vel Dominus Rex proprio ore præceperit: vel misericordia discreta cum moderatione pauperum hominum necessitati indulserit. Sub eâdem quoque interminatione, clericis Episcopatus nostri prohibemus indebitis exactionibus, & injustis vexationibus opprimi eis omnes libertates, & consuetudines justas, quas habuerunt tempore Wilhelmi bonæ memoriæ decessoris nostri præcipimus observari. Hactenus testamentum.

XIV. Theobaldi pietas & zelus in Ecclesiam, tunc emicuit; cum in Romani Pontificis nuperâ electione, partes dissiderent. Ille enim genuinus Ecclesiæ filius, & magnum doloris sensum expressit, & Alexandri electionem constanter probavit. horum testis est Epistola, quam æger Henrico Regi in Normanniâ agenti, scripsit: & legitur apud Saresberiensem Joannem in hunc modum.

T. Cantuariensis, Regi Anglorum. Epist. 48.

THEOBALDUS HENRICO REGI. *Joan. Saresb. Epist. 48.*

*Etsi propriis, & privatis urgeamur angustiis, procellis tamen publicis magis affligimur, fortiùs cruciamur. Nos enim in propriâ personâ, manus Domini visitavit, in flagello clementiæ suæ, de longâ gravi infirmitate aliquantulum jam erexit. Veruntamen omni infirmitate gravior, est animæ nostræ, procella discordiæ, quæ Domino permittente scidit Ecclesiam, regnaque collidens *, principatus à populo Domini securitatem excussit, pacem. Hæc est afflictio nostra quotidiana: hic omnium bonorum justissimus dolor, amarissimus gemitus: & eò amarior, quòd in absentia vestra incerti sumus, quid sperare oporteat, quid timere. Inde est quod serenitati vestræ affectuosiùs supplicamus, ut nos de statu vestro sollicitos, certiorare dignemini. Si enim res vestræ prosperæ fuerint: speramus in Domino: quia Ecclesia Domini, quæ apud nos est, prosperabitur. nam in unitate consistit, & Domino authore, nunquam schismaticis adhærebit.* *tollidens

XV. SCRIBIT PRO ALEXANDRO, ET REGEM HORTATUR, UT STET AB ILLO.

Ecclesia Gallicana, sicut nobis veridicâ relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octaviano recessit. Quod autem ad humanum spectat examen, meliori, saniori parti videtur adhæsisse. cum omnibus constet, quòd persona Alexandri honestior est, prudentior, litteratior, eloquentior: causa ejus ab omnibus inde venientibus sincerior, justior prædicetur. Et quamvis nentium illorum adhuc nuntium, aut scriptum viderimus: scimus tamen, quia omnes nostrates, si vester consensus affuerit, proniores sunt in partem Alexandri. Audivimus autem quòd Imperator vos in partem Octaviani trahere conetur: sed absit, ut in tanto periculo Ecclesiæ, pro amore, & honore hominis, faciatis, nisi quod crederetis Domino placiturum. Nec decet majestatem vestram, si placet, ut in totâ Ecclesiâ regni vestri superponatis hominem: qui sine electione, ut publicè dicitur, sine gratiâ Domini, per favorem unius Imperatoris, tantum honorem ausus est occupare. Nam tota ferè Ecclesia Romana, in parte Alexandri est. Incredibile autem est, quòd pars illa possit obtinere, prævalere per hominem, cui justitia deest: cui Dominus adversatur. Eos verò in humili casu prævaluisse, crebra recolimus lectione, quos Gallicana recepit, & fovit Ecclesia: & infelicem exitum illorum, quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus nostris, Innocentius adversus Petrum: Calixtus, adversus Burdinum: Urbanus, adversus Wibertum: Paschalis, adversus eres, Albertum, Maginulfum, Theodoricum; & multi similiter in diebus Patrum. Nobis igitur provideat dignatio vestra, vestrumque in partem illam Deus declinet assensum; quia justitia veritati innititur, Christo propitio triumphabit. Et si vobis placet; in tanto periculo totius Ecclesiæ Domini, utendum est vobis consilio regni vestri, nihilque in præjudicium ejus statuendum est, sine consilio Cleri vestri. Hæc omnia Theobaldus Henrico dictavit, sub schismatis exordium: & Henricus Rex, ut supra vidimus, integrè perfecit.

XVI. Habuit Theobaldus magnam eorum monasteriorum curam, ubi religio, pietásque eminebant:

Theobaldus adiuvit monasteria. v. an. 1123. n. 1, 2.

& aliunde vexatis patrocinium suum religiosè porrexit: Sic Prioratum Sanctæ Osithæ, quem Richardus Londinensis Episcopus fundaverat, ut supra dixi ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum tertium, Richardus alter Londinensis quoque Episcopus, Richardi prioris è fratre nepos, sub hoc tempus vexare aggressus est, prædia fortè terrásque Ecclesiæ suæ vindicans, quæ patruus monasterio prius addixerat. Theobaldus pro Prioratu stetit, Abelem loco illi præpositum in lite juvit, volentémque Romam pergere, & Alexandri Pontificis tribunal, his cum literis munivit: quæ in Joanne Saresberiensi sic leguntur.

Alexandro Papæ. Epist. 39.

Theob. Alexandro Pap. pro fratribus in Ecclesia S. Osithæ Virginis.

Excellentia sanctitatis vestræ tutius audeo commendare, quos fide, charitate illustres, vita, moribus novimus regulariter esse institutos. Placeat itaque successori Beati Petri, injuriis, vexationibus pauperum fratrum in Ecclesiâ Sanctæ Osidæ Virginis in habitu Regulari devotum Domino famulatum exhibentium, Apostolicâ dignum authoritate adhibere remedium. Ecclesia quidem illa, luce bonorum operum, religione, integritate vitæ, conversationis sanctitate totam Insulam nostram irradiat. Ecclesiam, quæ apud nos est, in tantum charitatis adornat exemplis: ut eam meritò Majestati Apostolicæ debeam commendare:

XVII. *Lator horum, Abel nomine, Ecclesiæ illius Abbas, à Venerabili fratre nostro Richardo Londinensi Episcopo, sumptibus, vexationibus fatigatus, ad auxilium misericordiæ vestræ confugere necesse habuit. In causam namque à præfato Episcopo tractus est, super quibusdam Ecclesiis, ad Ecclesiam suam donatione Richardi bonæ memoriæ Londinensis Episcopi, fundatoris ejusdem Ecclesiæ, qui quarum ante eum in Ecclesiâ Beati Pauli militavit, devolutis. Chartam quoque illustris Regis Henrici primi, & confirmationem bonæ, jucundæ recordationis Radulfi Cantuariensis Archiepiscopi eis de Ecclesiis in testimonium donationis collocatam, authoritas Calixti Papæ, qui tunc temporis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ feliciter præsidebat, suo privilegio dignum duxit roborare. Genibus itaque Majestatis vestræ provoluti; pro fratribus jam dictæ Ecclesiæ, cum eis supplicamus attentiùs: ut Abbatem benignè, si placet, admittatis, quod tamdiu possederunt, authoritate Apostolicâ roboratum; de cætero quietè possideant: ut orationibus pro Romano Pontifice ex debito faciendis, negotiis suis liberiùs & affectuosiùs valeant invigilare. Chartas autem, quarum rescripta vobis signata mittimus, vidimus, manibus nostris tractavimus*

XVIII. Lugebat Cantuariensis Ecclesia Theobaldi Præsulis mortem: cum ecce illam Pastore viduatam consolatur Epistola apud Joannem Sarisberiensem: jubetque eligendi alium, qui Theobaldo succedat, à Rege petere facultatem: & ait:

Epistola consolatoria Ecclesiæ Cantua. Ioan. Saresb. Ep. 52.

Licet orbitati Vestræ paterno compatiamur affectu: magnum tamen ex eo concepti doloris habemus solatium: quòd Beatum Patrem vestrum ad superna migrasse confidimus, & apud Patrem Misericordiarum solitum precibus; sed esse actâ majori patrocinari poterit, & nobis & vobis. Cæterum quia sine periculo animarum, rerumque dispendio, viduitas Ecclesiæ desolata, protelari non potest, Charitatem vestram rogamus, exhortamur in Domino, ut idipsum sapiatis, omnem scandalorum, schismatis occasionem, omni cum diligentiâ declinetis, incedentes unanimes in domo Domini, quæ JESU-CHRISTI sunt, privatis commodis præferentes. Quo verò, sicut oportet, positis in providendo vobis Pastore, procedere, præcipimus, quatenus ad conservandam Ecclesiæ pacem, Dominum Regem, honestâ de collegio vestro legatione transmissa, adeatis: preces ei devotione debitâ porrigentes, ut Canonicè eligendi vobis Pastorem libertatem concedat: destitutioni Ecclesiæ, ea qua Christianum Principem, miseratione provideat. Ita populum monet Epistola, ut Theobaldo successorem petat.

XIX. Omitti non debet hoc loco Theobaldi Epistola, quam moriens ad Regem dedit, quâ commendavit Ecclesiam suam, rogavitque impensè, ut se mortuo virum subroget, qui constanti pietate Ecclesiæ jura propugnet, prima Sede dignus: & ecce illam in Magnâ Patrum Bibliothecâ, sic inscriptam

Regi Anglorum, Cantuariensis Archiepiscopus. Epist. 54.

Epist. Theobaldi morientis ad Regem. Ioan Saresb. Epist. 54.

Quàm piâ devotione Vobis servierim, verbis enarrare superfluum duco; cum mihi multorum temporum manifesta opera attestentur: & fidei meæ testis in cælo sit, & conscientiæ conscius in excelso. Attrita est caro mea, & tam ætate, quàm laboribus præfatigati sunt artus, ægritudo gravis, diuturna, dierum meorum finem in brevi adesse denuntiat. Desideratam diu faciem vestram videre sperabam, antequam morerer: & eos, quos mea custodia in regno vestro commendaverat Deus, ipso inspectore, vobis præsentialiter decreveram commendare. Sed quia ad ejus examen citiùs vocor, ante cujus tribunal in brevi stabimus omnes, Serenitatem Vestram Regios corde provolutus ad pedes, literis coram Domino judice omnium præsentibus alloquor: attentiùs supplicans, ut fidelem vestrum, cujus in Vos nunquam devotio tepuit, agentem in extremis dignemini exaudire. Exaudite, quæso, ut Vos in extremis vestris exaudiat Deus. Exaudite me pro domo Domini, & pro parvulis ejus, quos humano destitutos solatio derelinquo, ut domum vestram tueatur altissimus, & parvulos vestros, & filiorum vestrorum consoletur. Transmitto vobis, semini vestro, benedictionem à Domino JESU-CHRISTO. Vos si placet destitutis meis Majestatis vestræ solatium mittite.

XX. *Commendo vobis sanctam Cantuariensem Ecclesiam, de cujus manu per ministerium meum regni gubernaculum accepistis: ut eam si placet, ab incursu pravorum hominum tueamini. Mihi qui eam, licet indignus, disponente Domino hactenus, ut potui, rexi; talem studeatis subrogare personam, qui tantâ Sede non videatur indignus: cui religio placeat, qui virtutum meritis placere credatur altissimo, fidelis vester, suum vobis consilium debet. Ecce coram Domino, omnibus Sanctis ejus consilium do. Non quæratis in hac re, quæ nostra sunt; sed quæ Domini: quia ego, pro eo, respondeo vobis; quod si causam ejus fideliter procuraveritis, ipse vestras utiliter procurabit. Post multas vexationes authore Domino in Ecclesiâ Cantuariensi reformavimus pacem, religionis promovimus cultum; idoneos ex conscientiâ nostrâ custodes præfecimus ordine. Ne quis eorum cujusquam temeritate mutetur, antequam Episcopus subrogetur, prohibeat dignatio vestra, eosque cohibeat, qui scissuras, nova molimina molientur. Quoniam & nos hoc sub anathemate inhibuimus, eos excommunicavimus, qui dispositionem ordinis, quam fecimus disponentes immutare. Præterea alumnos nostros clericos, laïcos, quos nostri, & sæpe vestri obsequii*

Commendat Regi Cantuariensem Ecclesiam.

ministros nostros habuimus, vestræ committimus protectioni: rogantes, ut quæ ei contulimus, misericorditer conservetis. Nec eos patiamini alicujus importunitate vexari. Audiat ad hoc Dominus meus clementissimus verbum unum; egredientem animam meam lætificet: Residuum bonorum meorum mobilium, quæ usque ad exilium, pro incerto vitæ, diuturnitate ægritudinis, in usu, visa fuerant conservanda; sicut Deus inspiravit, post exitum meum præcepi pauperibus erogari. Illos qui fraudem committent, aut qui, quominus pro salute mea, & vestra, & liberorum vestrorum erogentur, impedient, anathemate jam promulgato condemnans, ratam habete, si placet, dispositionem meam, eam transmissis ad officinales vestros patentibus literis, confirmate. Hæc moriens Theobaldus.

XXI. Scripsit & alias sub idem tempus ad Henricum Regem literas: quibus pro Fidei unitate, & Ecclesiasticâ potestate fortiter pugnat. Verebatur enim vir sanctus, ne (quod paulò post contigit) Politicis & Atheis, sua non quæ Christi quærentibus, faciles nimium aures præberet. digna certè lectione est Epistola, quâ Joannem Saresberiensem Regi moriens commendat: hæc inter cætera pro Ecclesiæ majestate scribit. *In eo maximè viget, & proficit gloria Principis Christiani: si pium Domino, à quo omnis principatus est, impendit famulatum: eiq. pacis, exultationis & gloriæ perpetuatur hereditas, qui procellas componit Ecclesiæ laborantis, & fideli & felici procurat obsequio, ut exultans sponsa, capitis sponsi queat amplexibus inhærere. In se verò provocat Omnipotentem manum altissimi; qui naufragium Christi, pleno miserationis affectu non excipit: qui Ecclesiæ collisiones aut operatur, aut negligit: & abutens potestate concessâ, consensu fovet malitiam, quam non reprimit aut extinguit. Collisio siquidem populorum, indubitata regnorum subversio est, fomes Schismaticis est, prædominati a Domino, & jamjam labentis indicium Principatus.* Ita Theobaldus spiritu planè divino; adhuc ad Ecclesiæ clavum sedens prorета, venturam Anglicanæ Ecclesiæ tempestatem prædixit: & prudenter Henricum Regem monuit, Ecclesiæ majestatem tueretur; si suam illæsam, sartamque servari velit: quia collisio potestatum, *indubitata regnorum subversio, fomes Schismatis, & labentis indicium est Principatus.* Quod nunc factum cernimus, Henrico secundo Prologum, Epilogum agente Henrico octavo.

apud Ioan. Saresb. Epist. 64.
COMMENDAT MORIENS REGI JOAN. SALISBURIENSEM.

XXII. Quod si scire velit Lector, unde collisionis, subversionis, & labentis Principatus calamitas oritur, Theobaldus id Henricum docuit, monuitque cavenda aulæ vitia, quæ Regibus ut placeant, quas non cudunt fabulas. De illis hæc habet eadem Epistola: *Suggerunt vobis*, inquit, *filii sæculi hujus, ut Ecclesiæ minuatis authoritatem, ut vobis Regia dignitas augeatur. Certè vestram impugnant Majestatem, & indignationem Domini procurant, quicumque sunt illi. Ipse est qui dilatavit terminos vestros: ipse qui vestram provexit gloriam. Omnino iniquum est, si vos benefactoris vestri, & Domini gloriam contrahatis: pœnâ dignum est, & procul dubio pœnâ acerbissimâ punietur. Imo Domino propitio non punietur; quia ipso propitiante non fiet. Convenit vos sponsus Ecclesiæ per os meum: convenit Pastor omnium, Princeps Apostolorum Petrus rogantes attentiùs: ut si eos Principatus vestri habere vultis patronos & adjutores: Pastorem in Ecclesia Exoniensi, secundùm Dominum eligi ordinari, & eandem de tanto naufragio eripere studeatis.* Ita ille moriens, procellam in Ecclesiam surgentem formidans, & cupiens avertere verè bonus Pastor, qui animam agens, tam sedulus est in Ecclesiarum procuratione, & vacantem superiori anno Exoniensem sedem, non porro vacare voluit. Sed vide ut omnium per Angliam Ecclesiarum curam gesserit: cum ne schismate ullo inficeretur, sed legitimo omnes capiti parerent, ita scripsit ad omnes Anglorum Episcopos:

Idem supra.
MONET UT CAVEAT AB AULICORUM CONSILIIS.

Venerabilibus Fratribus Episcopis, & universis Christi fidelibus per Angliam constitutis. Salutem.

Ioan. Saresb. Epist. 65.

XXIII. THEOBALDUS OMNIBUS EPISCOPIS.

Experiit, ut audistis, hostibus antiquus integritatem Ecclesiæ: & omnibus fallacia & nequitia sua innitens viribus, insolubilem findere molitus est unitatem. Cæterùm foris est indeficiens pietas: sicut ad probationem fidelium procellas prævidet eminentes: ita easdem emergentes, & invalescentes, in usum electorum salubri dispensatione contemperat. Ut qui erudiuntur in pœnâ probati per pœnitentiam coronentur. Qui ergo à malitia inhabitantium, suam turbari permisit Ecclesiam; eam præcisis membris putridis, tam imminente spe pacis incipit sanare: & in capite Ecclesiæ, Sede Petri, virum Apostolicum statuit, electum & consecratum Canonicè, ab omnibus, qui rectè sapiunt, Catholicè approbatum. Is est Dominus Alexander: Quem in Patrem & Pastorem assensu Principum nostrorum, Anglicana & Gallicana receperunt Ecclesia, & sancta Romana Ecclesia plenâ devotione obediens, Octavianum cum omnibus fautoribus suis, velut manifestè schismaticum, & hæreticum condemnavit. Inde est, quod universitati vestræ præcipiendo mandamus, & exhortamur in Domino: quatenus Domino Alexandro, tanquam Patri obediatis, & ei reverentiam Romano Pontifici debitam per omnia exhibeatis. Ita cavit Theobaldus nè Anglorum Ecclesiæ schismate laborarent.

XXIV. Interea Henricus Rex, & regni Cancellarius Thomas, multiplici curâ in Normanniâ distracti: magnum sui in Anglia desiderium excitarunt. Theobaldus Thomam, quem à puero in magnum virum eduxerat, ante mortem, nescio quo præsagio futurorum videre, & amplecti desideraverat anxiè; & quia juris in illum dictionem habebat (Archidiaconus ejus erat) propositâ inobedientiæ pœnâ venire mandaverat; nisi Regi ejus præsentia foret utilior. Sic enim Theobaldi nomine, ad eum scriptum refert, opinor qui scripsit, Saresberiensis: *Juxta mandatum dilectionis vestræ, literas Domini mei, ad Dominum Regem, & Vos sub eâ authoritate conceperam, ut vobis redeundi festinata necessitas indiceretur: nisi crimen inobedientiæ malletis incurrere: & cum pœnâ anathematis, dispendium bonorum, quæ à Cantuariensi Ecclesia habetis sustinere: cæterùm ad preces Regias ab insperato, per Hugonem de Donca, Domino meo porrectas, cum blanditiis & promissionibus transmissis, hunc coactus sum, urgente mandato Domini mei temperare rigorem, & necessitati publicæ aliquid indulgere.* Subdit author Epistolæ causam, cur Henricus Rex, Cancellarium noluerit in Angliam remittere, rebus in Normanniâ nondum compositis: *Si enim vera sunt*, inquit, *quæ dicuntur à redeuntibus; & utinam vera sint. Rex & tota Curia adeo pendent à consilio vestro, ut nec spes pacis immineat, nisi eam vestra prudentia præfiguret: cum in aure, & ore vulgi sonet, vobis esse cor unum & animam unam.* & paulò inferiùs, Theobaldi desiderium explicat,

Ioan. Saresb. Epist. 78.
SARESBERIENSIS SCRIBIT AD S. THOMAM UT REDEAT, NOMINE THEOBALDI.

explicat, votumque de personâ proponendâ Regi, & præponendâ Exoniensi sedi. & ita inquit: *Porrigit per vos, & per literas suas Dominus noster Regiæ Majestati, confiditq́ se fore audiendum, si vos operam dederitis promovendis illis. Nec unquam memini ipsum aliquid affectuosiùs postulasse. Et quidem honesta sunt (preces) & quas justum est exaudire: & quarum repulsa, ei non modo confusionem, sed & diffidentiam gratiæ, quam semper promerere studuit, super omnia repo tabit. Hoc autem est, ut de promovendo in Ecclesia Exoniensis magisterio B. Exon. Archid. viro honesto & literato, & pro quo fide jubere audet, regium consensum & authoritatem obtineat.* Has preces à Rege exauditas esse constabit anno sequenti, cum Bartholomæum, cognomento Iscanum, hoc est, Exoniensem, ad Sedem illam Deo dante consecrabimus.

XXV.

Paris hic

Rex desponsat filiam Ludovici, suo filio.

Quid Cancellarium hoc anno apud Regem detinuerit; expressisse videtur Parisiensis, ubi ait: [Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo, Rex Anglorum Henricus, à Tholosâ reversus, Margaretam, Regis Francorum filiam, quam in suâ custodiâ habebat, Henrico filio suo desponsari fecit: & castellum de Gisors diu desideratum, recepit. Propter quod Rex Francorum quia præproperè factum fuerat, indignatus est valdè. Unde cum auxilio Theobaldi Comitis Flandrensis, ad dedecus Regis Anglorum, Calvum montem firmavit. Sed Rex Anglorum festinus adveniens; Rege Francorum, & Comite fugatis, castrum obsedit, & infra dies paucos, inclusos ad deditionem coëgit. Capti sunt autem intus milites quinquaginta quinque: & sic celebratum est matrimonium inter filium Regis Anglorum septennem, & filiam Regis Francorum triennem, authoritate scilicet Henrici Pisani, & Willielmi Papiensis, presbyterorum Cardinalium, & Sedis Apostolicæ Legatorum, quarto Nonas Novembris apud Burgum.] Hic novorum motuum jacta semina. Præcipitavit Henricus impuberum nuptias, non tam ut nova nuru, quàm ut Gisortio aliisque castellis frueretur: quæ Appendix ad Sigebertum ita refert, & inde ortum dissidium. [Henrico (inquit) filio Regis Henrici desponsata est apud Novum-burgum Margarita filia Regis Franciæ. Et Henricus Rex Anglorum cepit tria castella munitissima, scilicet Gisorz, Neaussiam, Novum castellum, sita super flumen Eptæ, in confinio Normanniæ & Franciæ: quia pepigerant inter se, ipse, & Rex Francorum, quatenus inito matrimonio filiorum suorum, Rex Henricus haberet illas munitiones, quæ ad Ducatum Normanniæ pertinent. Quo audito Rex Franciæ graviter tulit, ipse, & sororii sui scilicet Henricus, Theobaldus, Stephanus. Exinde hi tres Comites adunatis viribus suis cœperunt firmare munitionem Calvi-montis, quæ erat de feudo Castri Blesensis, ut exinde pagum Turonicum infestarent. Rex verò Henricus percepto exinde nuntio, non expectatis sociis suis, illuc properavit: volens impedire opus illius castri, per quod licentiùs, si perfectum esset, discurrerent per terram suam. Audito autem adventu Regis Anglorum, Comes Theobaldus discessit à Calvo-monte, munitâ firmitate, & custodibus dispositis. Rex verò obsedit prædictum castrum, & illicò cepit.]

Sigeberti Chronicon. an. 1161.

Henricus impedit munitionem Calvi-montis.

Hi motus Cancellarium in Normanniâ detinent: à cujus prudentiâ, Henrici Regis negotia pendebant: quem ideo tam hostes, quàm amici, reveriti sunt. Solus Boloniensis Comes Matthæus, & vitæ ejus & honori invidebat. Si causam quæris: quia dicebat ei Cancellarius noster, non licet tibi habere uxorem quam duxisti. Enimverò duxerat ille Mariam Stephani Regis filiam, quæ Rumseiense monasterium ingressa, sanctioribus nuptiis alligata, nullam divortii causam habebat. Has nuptias sacrilegio infames Thomas abominatus, in se Matthæum accenderat. quod ad hunc annum ita refert Parisiensis: [Eodem anno (millesimo centesimo sexagesimo) Maria Abbatissa de Rumesia, filia Regis Stephani, nupsit Matthæo Comiti Boloniæ, ex qua sustulit duas filias. Propter quod peccatum Thomas Regis Cancellarius, qui contrarius fuit huic contractui illicito, adinstar Beati Joannis Baptistæ multas passus est Comitis insidias.] Cum audis Matthæum Comitem vocari, ampliativè dictum puta. Nec enim ille priùs Comes, quàm Mariam, ad quam Boloniæ Comitatus, Gulielmo fratre mortuo descenderat, matrimonio sibi copulasset. Sed revera matrimonium dici non debuit: quod post decem annorum cohabitationem, Romanus Pontifex auditâ contractus iniquitate, nullum dixit. jussitque Mariam, priores nuptias repetere, & monasterium, à quo diverterat: Nè tamen filiæ ex illis natæ, ob parentum crimen, æternâ infamiâ notarentur, Romana Ecclesia indulgentissima mater, ad effectum legitimæ successionis, legitimas esse, & censeri voluit. Sic Ida major natu Raymundo Dam-Martino nupta, eidem Boloniæ Comitatum, & seipsam dedit. Mathildem filiarum alteram Henricus Lotharingiæ Dux, uxorem petiit, & obtinuit.

XXVI.

Thomas improbat nuptias Boloniæ Comitis, cum Abbatissa de Rumseia.

XXVII.

Malcolmus Scotorum Rex, qui posito apud Tholosam militiæ tyrocinio, postea ab Henrico Rege militari cingulo ornatus fuit: dum patriam hoc anno repetit, rebelles cives invenit. Nam Gallovidiam ingressus, repulsam sustinuit: & porrò pergens in Perthiam, ingressusque ibi urbem principem, à proceribus oppugnatur. Sed Regem vitæ innocentia, & virtutum laude illustrem, Deus ab incursu malo protexit. Hovedenus rei gestæ tempus ita aperit. [Anno gratiæ millesimo centesimo sexagesimo, qui erat annus sextus regni Henrici Regis filii Mathildis Imperatricis, Malcolmus Rex Scotorum rediit in terram suam de exercitu Tholosæ. Cumque venisset in villam, quæ dicitur Pert: Ferelac Comes, & quinque alii Comites irati contra Regem; quia ipse Tholosam perrexerat, obsederunt villam de Pert, & Regem capere voluerunt, sed non potuerunt. Malcolmus Rex tribus vicibus cum magno exercitu perrexit in Galweiam: & tandem subjugavit eam sibi.] Ita Deus optimo Principi adjutor fuit. Malcolmus iste, qui virginitatem nuptiis prætulisse dicitur, hoc eodem anno sororem suam Margaritam nomine, Conano Britanniæ minoris Duci uxorem dedit.

Hoved. hic

Malcolmus Rex Scotiæ rebelles vincit.

ANNUS CHRISTI 1161.

ALEXANDRI III. PAPÆ 3.

HENRICI II. REGIS 7.

I. ANNO Christi millesimo centesimo sexagesimo primo, cum Anglia procul bello & tumultibus, in utrâque Republicâ pace gauderet: & Sanctorum cultui devotissima augere illum contenderet: visum optimo cuique, Edoardum olim Regem, integerrimæ vitæ virum, quem vivum Anglia multarum virtutum specimen coluit: quem Deus in regnum mirabiliter evexit, mirabiliùs conservavit, & mortuum, miraculorum frequentiâ Sanctum dixit: non porro in tenebris sepultum, ab hominum memoriâ remotum, sed palam in luce populorum atque provinciarum esse debere: quo mortalium studia, quæ humi communiter jacent, æternæ vitæ desiderio virtutum ejus imitatione accendantur. Clerus in hoc opere princeps, à Theobaldo Cantuariensi monitus, preces Alexandro Papæ porrigendas censuit, decerneret æternâ memoriâ & honoribus dignum, quem in cælo vivere, non solùm innocens vita; & Regiæ virtutes; sed Deus ipse, crebra, inquam, miracula testarentur. His Cleri votis, & Theobaldi precibus, Henrici Regis pietas accessit, ab Alexandro, missâ legatione postulantis, Edoardum, notum cælo terrâque Principem, non ultra sub modio, sed super universæ Ecclesiæ candelabrum, in splendoribus Sanctorum collocandum. Id ejus merita petere, id civibus opportunum, id Regibus, & Principibus viris, ad virtutum exercitia, calcar: id sine dubio Deo Sanctisque gratum fore. Non potuit Alexander justissimas Angliæ preces surdâ aure excipere: sed præmisso dictorum factorúmque debito examine, Edoardum, Angliæ quondam Regem, Sanctorum catalogo inscriptum, publico, solennique ritu colendum censuit. Quod ad tempus spectat, missæ legationis, & oraculi pontificii, ita Baronius, hunc annum exorditur.

S. Edoardus Rex canonizatur.

II. [Annus salutis incipit millesimus centesimus sexagesimus primus: Indictione nonâ: quo & Alexandri Papæ annus secundus absolvitur, mense Septembri, & tertius inchoatur. Cum Alexander Papa legationem accepit ex Angliâ; pro Canonizatione Edoardi Regis Anglorum: jam elapsis centum ferè annis ab obitu ejus. Qui exactissimè indagatis, quæ ad solennem spectarent ritum, inter Sanctos receptionis: perinotus ejus vitæ sanctitate: accedentibus multiplicibus ab eo editis vivente, & post mortem miraculis: secundùm antiquum Romanæ Ecclesiæ ritum, ipsum retulit in album Sanctorum, proque his Apostolicas literas dedit istis verbis:]

Pro canonizatione Regis Edoardi.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis: & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Angliam constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

ILlius devotionis constantiam, & fidei firmitatem, quam circa matrem vestram, sacro-sanctam Romanam Ecclesiam exhibetis, diligentiùs attendentes, in id propositum voluntatis adducimur: ut vos sicut charissimos Fratres, & speciales Ecclesiæ filios, sincerâ charitate in Domino diligamus, propensius honoremus, & postulationes vestras, quantum cum Deo possumus, libenti animo admittamus. Inde utique fuit, quod super petitione, quam de Edoardo glorioso quondam Rege Anglorum canonizando, & in Sanctorum catalogo ascribendo: tam charissimus in Christo filius noster, Henricus illustris Anglorum Rex, quàm vos ipsi nobis instantiùs porrexistis, solicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ dum in carne mortali viveret, & postquam de præsenti sæculo est assumptus, Omnipotens Deus per suam misericordiam declaravit. Visis etiam literis Antecessoris nostri piæ memoriæ Innocentii Papæ: vestris quoque testimoniis inde receptis: quamvis negotium arduum in sublime, non frequenter soleat, nisi in solemnibus Conciliis, de more concedi. De communi tamen fratrum nostrorum consilio, juxta votum, & desiderium prædicti filii nostri Regis, ac vestrum, corpus ipsius Confessoris, ita glorificandum censuimus, & debitis præconiis adorandum in terris: sicut eundem Confessorem Dominus, per suam gratiam glorificavit in cælis. Unde videlicet inter Sanctos Confessores de cætero numeretur: quòd hoc ipsum, apud Deum signis meruit, & virtutibus obtinere. Quia igitur decet honestatis vestræ prudentiam, eum pie colere, & toto studio venerari, quem authoritate Apostolicâ venerandum vestra postulavit devotio, & colendum: Universitatem vestram per Apostolica scripta monemus, & exhortamur in Domino: quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare: ut ipsius intercessionibus apud districtum judicem, mereamini veniam obtinere, & gloriosum in æternâ beatitudine præmium invenire. Datum Anagniæ septimo Idus Februarii.

III. [Hoc videlicet anno (subdit Baronius) quod vel inde colligitur, quòd cum Author inferiùs dicat post biennium transactam esse ejusdem Sancti translationem: & asserat eum fieri contigisse, tertio Idus Octobris, anno Redemptoris millesimo centesimo sexagesimo tertio, anno ejusdem Alexandri quarto inchoato: utique hoc anno præcessisse dictam Canonizationem opus sit affirmare, quâ sui benè consecravit exordia Pontificatus. Ecce secundùm illud Isaiæ Dominus auditum faciet ab extremis terræ, verbum veritatis, Sancto Spiritu illud insonante: *Audite Insulæ, & attendite populi de longe, Dominus vocavit me.* Hoc recepit audiens nuntium Rex Anglorum, cum universâ Ecclesiâ Anglicanâ, spernensque Legatos Anti-Papæ, & Imperatoris, Legatos ipse misit ad Alexandrum, quem colebat unicum Christi Vicarium: & tanquam à Christo petiit: ut quem ille inter Sanctos recepisset in cœlum, Eduardum colendum in terris, Apostolicis literis promulgaret. Petiit & accepit: & tanquam redivivus Rex sanctissimus, virtute miraculorum prædicat, Alexandrum, Catholicum in Ecclesiâ Papam. Quod accidit admirandum: dum qui longè erant positi confitebantur constanter, & profitebantur: qui propè in meditullio urbis locisque propinquis fluctuabant, agitati potentiâ Imperatoris. Ad quos consolidandos in Catholicâ unitate Alexander magnum illum Petrum Tarentasiæ Archiepiscopum, Romam accersit.] Hæc omnia Baronius: addens post aliqua:

Isa. 62.

Rex mittit Legatos ad Alexandrum.

IV. [Iturus in Gallias Alexander Papa: quod

Baron. hic.

audisset eas provincias, rursum perturbari cœptas bellorum tumultibus, inter Ludovicum Francorum, & Henricum Anglorum Reges, Magnum virum præcursorem misit, Sanctum Petrum Archiepiscopum Tarentasiæ: per quem fideliter tam arduum negotium confectum est.] Cœpere superiori anno hi bellorum tumultus, ob festinatas inter impuberes nuptias, & capta inde castella: sed irarum motus inter Reges diuturnus non fuit. nam Robertus in Appendice ad Sigebertum hæc habet ad annum millesimum centesimum sexagesimum primum. [Maio mense (inquit) pax facta est inter Reges Henricum Angliæ, & Ludovicum Franciæ, renovatis prioribus pactis, & confirmatis, & pacificatis, quæ partes utrorumque adjuverunt.] & paulò inferiùs quid actum inter Reges in Octobri mense ejusdem anni, his verbis declarat idem Author: [Mense Octobri, (inquit) Rex Anglorum, & Rex Francorum colloquuti, pactum pacis mutuæ confirmaverunt. Et Henricus, filius Henrici Regis Anglorum, fecit homagium Regi Francorum de Ducatu Normanniæ, qui est de regno Franciæ.] Opportuna pax ista rebus Ecclesiæ, Alexandrum in Apostolicâ Sede confirmavit: nam inter utrumque Regem, præter cætera conventum sancitúmque, Alexandrum Papam à Deo electum, ab universâ Ecclesiâ colendum esse, & Octavianum pro schismatico reputandum. quod ingens in Alexandri causâ momentum fuit: princepsque (ut supra visum) momentum Henricus Rex.

PAX FIT INTER REGES PER ARCHIEPISC. TARENTASIÆ.

CONVENIUNT REGES AGNOSCERE ALEXANDRŨ.

V. Omittendum non est quid in pace confirmandâ præstiterit Petrus Tarentasius, quomodo ab Alexandro ad Reges missus: quomodo à Regibus cum honore admissus. Quod Gaufredus Abbas apud Surium refert in hunc modum. [Adhuc sermo manebat in ejusmodi deliberationis ambiguitate suspensus: & ecce nuntius Domini Papæ, ecce literæ, ecce mandatum, ut ad Reges Francorum & Anglorum sibi reconciliandos, sub quanta poterit acceleratione festinet. Ex quorum inimicitiis, Ecclesiarum destructio, depopulatio Regionum, & innumerabilium strages hominum procedebat. Nec videbatur aliud præstolandum: quàm quod dicitur: *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt.* Hujus necessitatis intuitus, & Apostolicæ authoritatis reverentia: cui in omnibus, & per omnia semper obtemperavit: Præsulem sanctum descendere fecit in Gallias.] Tum author pluribus describit, ut in Gallias veniens multa mirabiliter operatus, ad Senonenses descenderit, inde in agrum Parisiensem: ubi ab Henrico Rege illi occursum: quod ita inter provincialium plausus narrat: [Transeamus (inquit) Parisiensium vota permaxima, concursus intolerabiles, & molestos qui exhibebantur honores. Expectant Reges, expectant Principes, multitudo incredibilis præstolatur pro verbo pacis, & adventu tanti Præsulis, juxta Calvum-montem, in confinio Franciæ & Normanniæ congregata. In cujus occursum, non tam currit, quàm advolat Rex Anglorum, & ad conspectum longè positi, equo desilit, imò ruit, amplectitur pedes, cappam detrahit undique laceratam, undique decurtatam. nec panniculas tollit, ut cæteri consueverant, quamvis ægrè ferret Antistes: in hoc solo, nihil sua sibi auctoritas poterat suffragari, nihil prohibitio, nihil indignationis ostensio, nihil intentatio maledicti. Patres causari, qui simul venerant (si quidem animum Regis exploratum ire volebant). inter Regias gazas, semicinctia quid facient vetusta? Quibus ille tale dedit, non sine multorum attestatione responsum. Aliter vobis loquendum fuerat, si sciretis de ipsius cingulo, quod præteritis annis accepi; quanta ægrotantibus remedia, quanta provenerint beneficia sanitatum.]

apud Suriũ tom. 3. 8. Maii.

Ierem. 46.

Idem supra.

REX ANGLIÆ AD CONSPECTUM LEGATI EQUO DESILIT.

VI. Circa eadem loca consederat Episcopus cum personis magnis, habens de reformandâ pace tractatum: & ecce vidua pauper, suum magis, & filiæ suæ incommodum sentiens, quàm Regum inimicitias, vel pericula reputans Regionum, increpantibus aliis, aliis prohibentibus irruit, mutam à nativitate filiam secum trahens. Nec in tantâ frequentiâ, personam humilem Archiepiscopus aspernatur, non altum sapiens, nec in alto. Inclinatur ad supplicem: & oratione præmissâ, infusum proprio sputo pollicem, mittit in os puellæ; linguæ ejus, & labiis imprimens signum Crucis. Sic præcipiente eo, verba quæcumque prædiceret, post eum similiter resonabat: sic deinceps est loquuta, sic loquens reddita matri suæ. Altera die, cum Rege Francorum Ludovico, & Anglorum juniore Rege, & Flandrensi Comite; multis undique circumstantibus, super eodem negotio, pro quo venerat, familiariter conferebat. Interim mater filii jam duodennis, sed ab annis septem eadem mater cæci, ad cuneum illum, cum filio supplex & gemebunda pervenit. Videns autem vir Sanctus, quòd à ministris Regum, miseræ muliérculæ negaretur accessus: ab eisdem protinus eam sibi cum filio præcepit exhiberi. Cujus necessitate compertâ, tenens pueri crinem, & misericorditer blandiens; quid optaret, interrogabat. Cui ille, Domine, ut videam. Protulit nummum Pontifex, & in manum pueri dedit illum. Intinctis etiam digitis in salivâ oris sui, super oculos ejus, & verticem capitis signum Crucis edidit, & paulisper oravit. Intuebantur Reges cum cæteris, & mirabantur invicem colloquentes, invicem conquirentes, an jocus foret, quod vir Sanctus seriùs actitabat. Interea cœpit puer paulatim visum recipere, &c. Advenit caput jejunii Quadragesimalis; & in cœnobii mortui-maris officium illud solenne Reverendissimus celebravit Antistes. Imposuit etiam cineres capiti Regis Angliæ benedictos, & suorum, qui propter hoc ad monasterium illud advenerant ipso die.] Hæc omnia Gaufredus Abbas, quæ placuit referre occasione Henrici Regis in Normanniâ commorantis: quò etiam Eleonora Regina, ab Henrico vocata hoc anno perrexit.

PETRUS TARENT. LEGATUS APOST. MIRACULA PATRAT.

MUTAM A NATIVITATE CURAT.

CÆCUM CURAT.

VII. Vacabant in Angliâ Episcoporum Sedes duæ: Exoniensem dimiserat Richardus anno hujus sæculi quinquagesimo nono: Theobaldus anno sequenti, Cantuariensi sedi, & vitæ suæ dixerat Vale. Henrico in transmarinis partibus agenti interetat, eligendi novos Præsules facultatem indulgere, & eligentibus quandoque proponere, quos sedibus dignos judicaret. Ideo moriens Theobaldus Regem monuerat substituendum aliquem Exoniensi Ecclesiæ, nè populus sine Pastor; nè Ecclesia sine Sponso esset. & Thomæ Cancellario suggesserat, quem Infula dignissimum existimaret. Thomas mandati memor, & ultimæ Theobaldi voluntatis, illum ipsum Regi insinuat, & facilem Henricus consensum præbuit. Bartholomæus itaque quem

Theobaldo

Godwin. in Exon.

BARTHOLOMÆUS EXONIENS. EPISCOP.

v. an. 1160. n. 24.

Theobaldus nominaverat, ad Sedem illam assumitur. de quo Godwinus ita: [Anno millesimo centesimo sexagesimo primo, Bartholomæus, qui quòd in lucem editus esset Exoniæ (quæ civitas antiquitus Isca dicitur appellata) Iscanus est cognominatus, in Exoniensem Episcopum consecratus fuit. In utraque philosophiâ, tam humanâ scilicet, quàm divinâ, vir mediocriter eruditus.] Ita ille. Hunc ipsum Theobaldus suprà * virum *honestum & literatum* vocat, in literis ad Cancellarium datis. Unde de personæ dignitate non est dubitandum. præsertim si humanis testimoniis, divina astipulentur argumenta: quod omnino dicendum, si Parisiensis fideliter narrat quæ sequuntur:

VIII. *Paris hic.*

[Anno Domini (inquit) millesimo centesimo sexagesimo primo, Bartholomæus, vir religiosus, & in Theologicis disciplinis ad sufficientiam eruditus, à Waltero, Roffensi Episcopo consecratus est Antistes Exoniensis. De hoc Bartholomæo Venerabili viro, fama refert notissima, quod cum lucris animarum devotus intendens, parochiam visitaret, in villâ quadam campestri, cum suis clericis pernoctavit. Dormiens igitur nocte in solario quodam, quod Ecclesiæ villæ ac cœmiterio imminebat: cum circa noctis medium ad nocturnâ synaxin Deo persolvendam evigilasset: lumen quod coram eo ardere consueverat, apparebat extinctum. Episcopus autem cubicularium objurgans, quòd in tenebris dormiret; præcepit, ut velociter lumen quæreret, & inferret. Interea verò Antistes, dum luminis adventum vigilans expectaret, audivit voces quasi infantium innumerabilium de cœmiterio exeuntes, plangentium & dicentium manifestè. Væ nobis, væ nobis. Quis amodo pro nobis orabit, & eleëmosynas dabit, & pro nostrâ salute Missas celebrabit? Audiens autem has voces Episcopus, obstupuit vehementer, supra modum, quid signarent, admirans. Cubicularius quoque ejus, lumen interim quærens; cum neque in aulâ, neque in coquinâ lumen reperisset, exivit in villam anxius, & multis jam ædibus perlustratis, lumen optatum non invenit. Tandem cum quærendo, huc illucque diu discurrisset, vidit lumen quasi in ultimâ domo villæ: & illuc se cum festinatione conferens, invenit in domo, cujusdam hominis corpus exanime: & cum presbytero villæ, multos utriusque sexus homines circumstantes, & præ dolore defuncti flentes, & capillos sui capitis detrahentes. At cubicularius Episcopi, super his quæ vidit non multùm sollicitus, lumen posuit in laternâ suâ: & cum festinatione ad Episcopum reversus, quæ sibi acciderant, per ordinem enarravit.

BARTHOLOMÆUS AUDIT VOCES QUASI INFANTIUM DE CÆMITERIO, QUIS PRO NOBIS ORABIT.

IX. Cantatis igitur Matutinis, cum crastina dies illuxisset; fecit Episcopus convenire Presbyterum, cum quibusdam hominibus villæ: & sciscitatus ab eis diligenter: quis homo ille nuper defunctus esset, & qualis vitæ ante obitum in sæculo extitisset? Qui omnes fatebantur de eo, quòd esset vir justus, ac timens Deum, pater orphanorum, ac consolatio miserorum: ut qui omnem substantiam suam in pauperibus cum viveret, & hospitibus erogavit. Tenuit præterea in domo sua Presbyterum; cui de proprio omnia necessaria ministravit, qui commendationes animarum, & Missarum suffragia, diebus singulis pro fidelibus Defunctis celebravit. Hæc autem cum audisset Episcopus; intellexit continuò voces quas audierat de cœmiterio emissas; nihil aliud esse, quàm voces animarum illorum corporum, qui in cœmiterio quiescebant, plangentes de morte hominis, & gementes, per quem dum vixerant, eleemosynarum, & Missarum habere suffragia meruerunt. Tunc Episcopus vocato ad se Presbytero, qui sub viro defuncto, Missas pro defunctis celebraverat; dedit ei portionem in Ecclesiâ villæ, statuens & injungens illi; ut quamdiu viveret, Missas, & obsequia defunctorum diebus singulis celebraret.]

INTELLEXIT VOCES JUSSE ANIMARUM CORPORŪ IN CÆMITERIO.

DEDIT PORTIONEM PRESBYTERO, IN ECCLESIA VILLÆ UT ORARET PRO DEFUNCTIS.

X. Ita Exoniensi provisum Ecclesiæ. Restabat Cantuariensis vidua, sponsumque quærebat, qui omnes per Angliam Ecclesias, potentiâ, constantiâque in sua libertate tueretur. Henrico etiam Regi negotium fuit, virum nominare, qui suâ prudentiâ ita Sacerdotio fungeretur, gestaretque Infulam; ut regno regiæque coronæ, eâdem quoque operâ, consultum foret. Itum tandem est in Cancellarium Thomam, cujus fidem, probitatem, industriam, quinquennio jam in supremo Cancellariæ munere, domi forisque probaverat. Hoc igitur anno, multum Henricus lapidem movit, ut Episcopi, & Angliæ Clerus in Thomæ electionem, cum Regio voto concurrerent. Quod operosum ideo videbatur; quia Thomas in Normanniâ, ubi hoc anno morabatur, militem potiùs quàm Clericum egerat; & sago posito, togam induere, galeamque Infulâ commutare, insolens erat. Sed omnia Regis in Thomam singularis amor valuit, præsumptáque opinio probitatis ejus. Ut autem quod mente conceperat, ad effectum perduceret, Cancellarium à se dimittit, in Angliam ad componenda regni negotia contendere jubet: reverâ tamen, ut Cleri, populique suffragio, ad majus Sacerdotium assumptus omnium per Angliam Ecclesiarum pastoralem curam susciperet. Quod quomodo factum sit, Quadrilogus in hunc modum refert:

CANTUARIENSIS ECCLESIA VIDUA REX INTENDIT S. THOMÆ ELECTIONEM

XI. *Quadrilog. c. II.*

[Theobaldus Antistes, vir in omni sanctitate & religione perspicuus, qui Thomæ currus extiterat & auriga, cum Cantuariensem Ecclesiam per annos viginti duos strenuè & prudenter rexisset: senex jam & plenus dierum, decretam universæ carnis viam ingreditur. Quod statim cum ad Regem & alios pervenisset; suspicabantur mox omnes, & asseruerunt, Cancellarium Archipræsulis successorem futurum: & idipsum præconizabat & populus. Rex autem videns eum officium suum prudenter agentem, & fidelissimum, primæ Sedi Anglorum præficere cogitavit: credens ipsum tanti siquidem honoris fastigio benè sufficientem, quem toties magnanimum in magnis periculis expertus erat. Speransque suis heredibus, ad adeundum regnum, eum profuturum; si se fatalis dies rebus humanis immaturè exueret. Se verò per eum Ecclesiastica & secularia negotia pro libidine gesturum, si vita diuturnò more frueretur. Veruntamen Rex omnino dissimulat ad tempus: maximè, quia tunc Archiepiscopatus, sicut & Episcopatus, & etiam vacantes Abbatiæ solebant curæ Cancellarii, & custodiæ tradi. Cancellarius verò, qui quasi præsagus, quibusdam conjecturis jam de Regis voluntate præsumebat: tamen sicut & Rex dissimulans, rem tacitus considerat. Rege itaque in transmarinis partibus agente, & Cancellario cum eo, propter Wallensium infestationes, & alia quædam regni negotia, Cancellarium Rex in Angliam mittere disposuit.

OMNES PRÆSAGIUNT S. THOMAM FUTURUM CANTUARIENSEM.

XII.

Rex de promovendo Thoma in Episcopatum Cantuariensem agit.

Qui cum jam per dies aliquot, susceptâ legationis formâ, in ipso profectionis articulo, ingressus aulam apud castrum, quod Phaleise dicitur: ut Rege duntaxat salutato mox conficeret iter: vocato eo seorsum, Rex insibilat secretiùs. Necdum inquit plenè nosti tuæ legationis causam. Et adjecit: Meæ, inquit, voluntatis est te Cantuariensem Archiepiscopum fore. Cui Cancellarius schemata quædam risibilis, quibus tunc indutus erat, subridendo ostendens, & quasi oculis ingerens: Quàm religiosum, inquit, virum, quàm sanctum, in tam sancta Sede, & super tam celebri, & tam sancto conventu Monachorum constitui desideras. Scio certissimè quod si Domino disponente acciderit, sic citissimè à me avertes animum, & gratia quæ nunc inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertetur. Novi quippe te nonnulla exacturum, & etiam in Ecclesiasticis te jam multa præsumere, quæ ego æquo animo sustinere non possem. Et hac occasione nacta, intervenient invidi; qui extinctâ priori gratiâ, perpetuum inter nos odium suscitabunt. O mira viri magnanimitas Domino suo sic comminantis: in cujus manu erat adhuc ipsi honorem conferre, vel adimere.

S. Thomas excusat se ab Episcopatu.

O sinceraanimi puritas, non honorem ambientis, nec respuentis tamen. Vir enim experientissimus, & benè solitus futura metiri, tantæ curæ periculum satis acutè ponderavit, utpote qui longo usu didicerat, quid Sedes illa haberet oneris, quid honoris. Noverat etiam mores Regis, & officialium, ejus probitatem, & pertinaciam: & in curia illa quàm efficax esset delatorum malitia. Ex quibus colligebat veracissimè: quod si sibi oblatum subiret officium, Dei amissurus esset, aut Regis gratiam. Non enim Deo adhærere poterat, Regiis moribus obsequens: aut Regem non habere inimicum, ei Sanctorum præferens leges. Ob hoc, quid potius sequeretur non invenit.

XIII.

Rex perstat in proposito, commendat Richardo de Lacy.

Verùm Rex in proposito suo permanens; mox in ipsa Cancellarii præsentis magnis & industriis viris, legationis ipsius in Angliam comitibus, hoc votum suum, & desiderium super Cancellarii promotione, sacro Metropolitanæ Ecclesiæ conventui & regni sui Clero intimandum sedulò injunxit. Et ad unum inter Legatos præcipuum, specialiter sermonem dirigens, Richardum scilicet de Lacy. Richarde, inquit, nonne si mortuus jacerem, intenderes ut primogenitus meus Henricus, in Regem sublimaretur? Et ille: Etiam Domine, prò posse. Et Rex illi. Adeo intendas ad Cancellarii in Sedem Cantuariæ promotionem. In quo certè, sicut in priori Cancellarii magnificentia animi, absque ambitione puritatem; ita & in hoc perspicuè videre possumus constantem Regis gratiam, & Regiæ magnificentiæ gloriam. Erat enim ni fallor; sicut & rerum citò post probavit exitus, ad Cancellarii sui promotionem eò ferventior: quòd ipsum magnificè loquutum sic audierat. & quò minus ambitiosum pensabat. Aliquamdiu enim Regi & aliis eum promovere volentibus reluctatus est. Sed electio divina tandem prævaluit: ut suadente, & inducente, & instantiùs urgente Venerabili viro Henrico Pisano, presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato, desiderio Regis acquiesceret, & consiliis amicorum. Maluit enim periclitari apud Regem, quàm desolationem Ecclesiæ, quæ multis subjacebat periculis, ulteriùs prorogari: firmiter in animo suo statuens, aut eam de tantæ servitutis liberare miseriâ: aut ad imitationem Christi, animam ponere pro ovibus suis. Potestas enim publica, privilegium Ecclesiæ auferens; causas indifferenter Ecclesiasticas, sicut mundanas, ad suum revocabat examen: & conculcabatur: ut populus, sic Sacerdos.

XIV.

Monachorum Cantuariensium varia judicia de admittendo S. Thoma.

Cancellarius itaque à Rege, ut diximus, in Angliam missus, post paucos dies in Angliam applicuit. Regis autem voluntate, & petitione, citò post Cancellarii adventum, in sancto illo, & religioso sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ conventu, Episcopornm quibusdam accersitis, super Cancellarii promotione delatâ: mox, ut solet varia diversorum fertur sententia: & præsertim in sacro illo monachorum conventu: utpote quibus præ cæteris contingebat negotium: asserentibus his fieri bonum; aliis verò contra, imò malum. Hi Regis gratiam allegabant, & per hoc tam gratioso, inter regnum, & Sacerdotium mediatore, Ecclesiæ deinceps pacem futuram securam, ita prosperam. Alii verò ex diverso: illam Regis gratiam non profuturam, sed plurimùm eo ipso Ecclesiæ obfuturam opponentibus: eo quod officiales, & præsertim aulici, Pontifice, non de Ecclesiâ, sed de aulâ assumpto, in Ecclesiæ bona liberiùs grassarentur. Et præterea, quod nimis foret absonum, & omnino divino juri adversum; hominem militari potiùs cingulo, quàm clericali officio mancipatum, canum sectatorem, & pastorem avium, & hominem sæculo omnino deditum, omnium constituere pastorem; præsertim super tam sanctum Monachorum conventum, & super tam grandem, & numerosum, qui per totam Angliam diffunditur, Dominicum gregem. Hunc profectò aulicâ cupiditate, & voracitate quâdam lupinâ, totius gregis dissipatorem potiùs, & vorsiorem, quàm Pastorem certissimè præsumendum. Et qui propter popularis auræ flatum, universa ventilet, & aulico fastu exponet.] Hæc omnia Joannes è Quadrilogi authoribus unus, cognomento Saresberiensis, qui è discipulo sancti Thomæ factus est postmodum Carnotensis Episcopus.

XV.

Quod ad tempus attinet: hæc aliquorum murmura, in Cancellarii promotione, electionem ejus præcessere: an porrò hoc anno itum, hæreo. Unus Matthæus Westmonasteriensis Thomæ electionem in conventu Londinensi, ad hunc annum refert, & ejusdem inaugurationem, in annum sequentem. Sed quia Authores alii electionem inaugurationi conjungunt, eodemque anno utramque recitant: & Baronius Londinensem Synodum, in qua Thomas eligitur, ad annum referunt millesimum centesimum sexagesimum secundum; de utroque agemus inferiùs. Nunc si quid sit hujus anni reliquum prosequamur.

XVI.

Moritur Coventrensis Episcopus Walterus.

Moritur Coventrensis Episcopus, Walterus Durdent, qui Cantuariensis Ecclesiæ ad Sedem illam consecratus est anno millesimo centesimo quadragesimo nono, ut dictum ibi*. parva ejus mentio in nostrorum Annalibus: Ejus tamen meminit Theobaldus Cantuariensis in Epistola ad Hadrianum Papam, quæ sic incipit: *Inter Richardum Clericum, & Radulfum Nausellum super Ecclesia de Trescbiam controversia diutius agitata est. Cum verò Venerabilis frater noster Walterus Coventrensis Episcopus, post multas citationes, eam tandem debito fine terminare disponeret*, &c. Obiit, ut notat

*v. an 1149. n. 2.

Ioan Saresb. Epist. 12.

Godwinos in Catalogo anno millesimo eentesimo sexagesimo primo, & Coventriæ sepultus est. Quid de Wigorniensibus Episcopis dicendum: de eorum, inquam, ad Sedem vel ingressu, vel egressu, definire non audeo: quia quia cui successerit, ambigunt Authores. Ego suprà Simoni Episcopo, Aluredum successorem dedi anno millesimo centesimo quinquagesimo primo. Alii Joannem Pagham illi præponunt. Sed major Malmesburiensis authoritas, disertè scribentis. [Post Simonem successit Alfredus, Capellanus Regis Heneici Junioris.] Secundum intelligit, nam Malmesberiensia priùs moritur, quàm Henrici hujus filius, Henrici Regis junioris nomen obtinuit. Hunc ergò Alfeedum Joannem præcessisse probabile est, & priùs mortuum, quàm Joannes Sedi succederet. Extat ad Alfredum Epistola, quam Theobaldus dictasse videtur, nam objurgatoria est, & apud Joannem Sarisberiensem ita legitur.

Malmesb. l. 4. de Pontif.

XVII. Theobaldus Alfredo. *Ioan. Saresb. Ep. 23.*

Alfredo Wigorniensi Episcopo.

Nuper prudentiam vestram satis admirati non potuimus, quæ nostro & fratrum nostrorum consilio postposito, & contempto; in se videtur provocare indignationem superiorum ferè potestatum omnium. Summus Pontifex, Serenissimus Princeps, Illustris Regina, à fraternitate vestra modicum quid expectant, in quo honestati, indemnitati vestræ, quàm utilitati eorum, magis prospectum erit. Certè si rem grandem, eorum quilibet peteret sigillatim, jure optimo debuerat exaudiri. De nobis, fratribus nostris taceatur ad præsens. Quod si placuisset, non oportebat in consilio vestro, locum tenere novissimum. Vereor, dilectissime frater, vereor, nè Consiliarii vestri consilium insipiens inutile dederit, dum nobis omnibus apud vos præferri studuerint. Omnes consulunt in commune; ut juxta Principum voluntatem, ut magistro Salomoni cedant Ecclesiæ, quæ in transactionem Godefridi & VVillelmi venisse dicuntur. Nonne fuerat eorum tam laudabilis, non modò acceptanda, sed præmianda voluntas? Honestum literatum virum, vestris volunt obsequiis mancipare; dum liberalitatis vestræ munus implebitur; id agito, ne fiant irrita, quæ de labiis Episcopi processerunt. Fuerat sanè contemplatione literarum & morum, jure societatis antiquæ asciscendus, id etiam nemine postulante. Nonne judicandus est in opportunitatibus suis, fratrum consilio, qui illud tam leviter aspernatur. Hæc & plura ad Alfredum Theobaldus. Porrò ad hunc annum, nec ultra Alfredum vixisse opinamur. & tunc demum Wigorniensem Sedem ascendit Joannes Pagham: qui cœnobio Osneiensi prope Oxonium contulit Biberiam, & suæ Sedi manerium de Elm-Episcopi, inquit Godwinus.

Moritur Alured⁹ Wigorniēn. Eps. Joannes Peli succedit.

ANNUS CHRISTI 1162.

ALEXANDRI III. PAPÆ 4.

HENRICI II. REGIS 8.

L Annus Christi millesimus centesimus sexagesimus secundus illustratur adventu Alexandri Papæ in Occidentem nostrum, ubi à duobus Regibus, regio apparatu, humilíque obsequio excipitur. Et quoniam Henricus Anglorum Rex è Regibus unus fuit, deducique ad Alexandrum debet: utriusque colligenda sunt itinera, quæ Fridericus Imperator, vel pervertere cupit, vel evertere. nam causæ suæ Factioníque diffisus, si duo Principes cum Alexandro convenirent: subdola legatione Ludovicum Francorum Regem circumvenit, invitavitque ad colloquium, quo fingere volebat, se nec Octaviano nec Alexandro, sed alicui tertio, noviter nominando adhæsurum. Ludovicus simulatæ pacis fuco ductus, spondet Alexandrum judicio sistendum. Sed placet Acta Alexandri apud Baronium Friderici fraudem testantia legere, ubi etiam Henrici Anglorum Regis industria, Friderici, quam orditaverat, comœdiam eludentis, visitur. Sic enim habent Acta: [Misit Ludovicus Rex citissimè, sicut promiserat, nuntios ad Alexandrum: ut eum suis fratribus sine mora; ad eum veniret: nisi vellet eum in captione, prout inter eos constitutum fuerat detineri. Quo audito Pontifex & fratres ejus attendentes Regem Francorum dolosis circumventionibus fuisse deceptum: valde in seipsis turbati sunt; & prospicientes gravissima sibi undique imminere pericula, magno timore timuerunt. Si enim illuc humanum judicium subituri pergerent; Ecclesiæ libertatem per violentiam periclitari cernebant. Quòd si non irent, pro detentione Regis circa jusjurandum & conventionem quam cum Imperatore fecerat, personarum captivatio eis, & rerum immineret spoliatio. Videbatur sanè maxima ipsius Imperatoris potentia, terribilis, & nimiùm formidanda. Quippe Daciæ, & Bohemiæ Reges, cum Ducibus & Principibus suis, & cum magna multitudine armatorum militum sicut credebatur, illuc secum adduxerat: & de prædicto Pontifice, & de Francorum Rege malè jamdiu cogitaverat, ut in ipso colloquio posset juxta suum desiderium consumere.

Fridericus subdole Ludovicum Galliæ indicit contra Pontificem.

Acta apud Baron. hic.

II. Sed pius & misericors Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, & prava dissipat consilia Principum, non est passus eundem Pontificem, & pium Regem Francorum, in angustiâ maximâ positos, tentari supra id quod possent. Sed ex insperato fecit cum tentatione proventum. Excitavit spiritum gloriosi Regis Anglorum, ut in subventionem Domini sui, & Regis Francorum, cum maxima multitudine virilium pugnatorum, adversus eundem Imperatorem, animositate nimia festinaret. Immisit etiam Deus tantum famis cruciatum in exercitum illius; ut præ nimia ciborum penuria, unus panis modicus ab esurientibus emeretur pretio unius marchæ argenti. Unde quia ipse Imperator nec moram ibi facere; nec malum, quod in corde gestabat, poterat exercere: occasionem recedendi ab ipso honestiorem quam potuit, statim studuit invenire.] Subdunt Acta post aliqua de Henrico Anglorum Rege, quàm humile Alexandro obsequium præstiterit, in primo cum eo congressu; cum Alexandrum Dominum suum, & Francorum Regem ab imminente periculo, multo cinctus milite, liberasset: & ait. [In diebus illis, prædictus Rex Anglorum, Dominum Alexandrum Papam in Bobiensi monasterio commorantem, corporali præsentia visitavit, & ad ejus vestigia humiliter procidit. Sed & post oscula pedum, aureis oblatis

Rex Angliæ exercitum ducit contra Fridericum.

Fridericus cogitur fame exercitum abducere.

Acta apud Baron. hic.

muneribus, ad oscula Pontificis est receptus: & mox in præparato sibi faldistorio sedere declinans, circa Pontificis pedes in terra voluit, cum suis Baronibus, humiliter considere. Post triduum verò lætificatus plurimùm de jucunda visione ipsius Pontificis: & largitus rursum magnis muneribus sibi & fratribus suis, cum lætitiâ recessit ab eo.]

III. *Baron. hic*

Regi amao, Ludovicus, et Henric' honorifice excipiunt Pontificem.

Cum Baronius ex Actis ista retulisset, mox addit: [Quæ quidem non ex iisdem Actis tantùm, certum vendicant sibi finem: sed etiam testimonium accipiunt, & auctarium ex Roberto de monte in Appendice ad Sigebertum, scriptore fidelissimo, suorúmque temporum res gestas summa brevitate perstringente: sed sub nota numeri anni sequentis, errore librarii fortasse dinoti: additque maximè memoranda, quæ in recitatis desiderantur Actis: ait enim. Exinde parvo temporis spatio interjecto: Ludovicus Rex Francorum & Henricus Rex Anglorum super Ligerim apud Tociacum convenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt: & nisi officio Stratoris, pedites dextrâ lævâque frænum equi ipsius tenentes, eum usque ad præparatum papilionem perduxerunt. Quo mediante, Deo favente, pax inter eos firma restituta est. Hæc Robertus in Chronicis: qui & hoc ipso anno eundem Regem Francorum ex Leonora conjuge, auctum filia tradit, eámque baptizatam per Henricum presbyterum Cardinalem tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, Legati munere fungentem in Galliis.] Ita è Roberto Baronius.

IV.

Eliono-ra non Ludovici sed Henrici cõjux peperit filiam.

Appendix ad Sigeb. hic.

Verùm quod ad filiam, hoc anno, è Regina natam spectat: Baronius accuratus cæteroquin Author, tam in Reginæ nomine, quàm ejus conjuge, lapsus est, & Robertum non benè assecutus. cum enim ille ad hunc annum Henrici Regis gesta recensens, ita scripsisset: [Henricus Rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia quæ strennè gessit, Castellionem supra urbem Agennum, castrum scilicet, & natura, & artificio monitum obsedit: & infra unam septimanam, in festivitate S. Laurentii, admirantibus & perterritis Wasconibus cepit.] cùm, inquam, Robertus ita dixisset; mox nullis interpositis, addit: [Regina Alienora apud Donnum-frontem, filiam peperit: quam Henricus presbyter Cardinalis, & Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizavit: & Achardus Episcopus Abrincensis, & Robertus Abbas de monte Sancti Michaëlis de periculo maris, cum multis aliis de fonte susceperunt: & vocata est Alienora de nomine matris suæ.] Ita idem Robertus susceptor filiæ: qui non asserit Reginam, Ludovici tunc conjugem fuisse: sed ex præmissis intelligi vult Henrici Anglorum Regis conjugem fuisse. Quod omnino dicendum. cum passim Annales nostri Henrici filiam Elionoram, hoc anno natam affirment. Unde Parisiensis: *Paris hic* [Eodem anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, Aliénor Anglorum Regina apud Rothomagum filiam peperit, & ei suum nomen imposuit.] Baronius venialiter admodum peccavit: quia hic partus in Galliarum partibus fuit, & hæc eadem Regina, Francorum olim Regina, & Ludovici nunc regnantis uxor fuerat. Sed supra* ostendi, factum Ecclesiæ authoritate divortium, & Henrico necdum Regi nuptam. anno nimirum millesimo centesimo quinquagesimo secundo: Ludovici uxor, à divortio, Constantia dicebatur.

*v an. 1152. n. 2.3.

V.

Non omittendum hoc loco quod ad Regiæ fidei puritatem, & præstantiam spectat, nec minus ad Romanæ Ecclesiæ splendorem atque dignitatem. quod quia Baronius ante me observavit; ex ejus ore Lector accipe. *Baron. hic.* [Vidisti Lector spectaculum (inquit ille) à Roberto authore spectante descriptum: à Deo (sic dixerim) præparatum: siquidem cor Regis in manu Dei est. *Prov. 21.* Cum videlicet duo potentissimi Reges inter seipsos jugiter diffidentes, assiduè prœliantes, ad cultum & venerationem veri Pontificis Alexandri convenêre pacificè: eidem adeò humili obsequio inservire concordes: spectaculum tale Deo, Angelis, & hominibus exhibentes, quale hactenus nunquam visum in orbe: ut duo simul convenerint potentissimi Reges, qui ejusmodi concordes, eodem tempore, unà conjuncti præstiterint famulatum: cum alter ipsorum à dextris, à sinistris verò alter, fræno equi, pedites ipsi inservierint Pontifici: quousque eum ad præparatum ab ipsis perducerent habitaculum: eo ipso tempore, quo implacabili odio, indefesso studio, insatiabili crudelitate, ipsum Alexandrum persequitur Fridericus. Certè quidem etsi aliàs sæpè, à singulis seorsum sive Regibus, sive Imperatoribus, ejusmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus ministerium. Ut autem ad hoc duo unà simul convenerint adeò magni Principes, hactenus inauditum à sæculo. Ita planè, cùm staret Imperator adversus Dominum, & adversus Christum ejus: dicens: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum: cujus pondere obedientiæ premimur: ejus rei causâ contigit quod sequitur. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Contra verò eo duplici dignum honore judicaverint ipsum, qui benè præest Ecclesiæ, Alexandrum: ita de superbissimo Imperatore, humillimo Piscatoris Successore, sed Christi Vicario, Regum obsequio triumphante.] Hæc Baronius.

Duo Reges pedites inserviunt freno Pontificio.

VI.

Promotio S. Thomæ in Cantuariam. *Hoved. hic.*

Sequitur Thomæ Cancellarii ad primam in Anglicanâ Ecclesiâ Sedem promotio atque consecratio. Tempus rémque gestam ita breviter stringit Rogerus Hovedenus: [Anno (inquit) ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo, qui est annus octavus regni Henrici Regis, filii Mathildis Imperatricis. Idem Rex Henricus dedit Thomæ Cancellario suo Archiepiscopatum Cantuariæ.] Quod ita intelligi velim, ut servatâ de more, monachorum, Cleri, populique electione, Henricus illum singulariter ad summi honoris fastigium commendaverit. nam superiori anno ita Regis mentem consiliúmque exploravi. Quamobrem, hoc anno, ad ferenda in id suffragia, Episcopi, & quorum intererat, Londini convenerunt: & Thomam primâ infulâ dignum, & Henrici Regis, eum proponentis judicium probaverunt. *Baron. hic.* [Eodem anno (scribit ad hunc annum Baronius) Londini in Anglia generale Concilium celebratur, convenientibus omnibus Episcopis ad subrogandum Metropolitanum Angliæ totius Antistitem, Cantuariensem Archiepiscopum, defuncto feriâ secundâ Paschæ Theobaldo Archiepiscopo, cùm sedisset annis viginti duobus. Convenit simul & Rex ad hoc ipsum, communibúsque omnium votis electus est Thomas ex Cancellario.] Ita ille. Quod Henricus

Concilium Lõdini ad promovendum S. Thomam.

Rex

Rex hoc anno in Angliam venerit, probare non possumus: votum ergò pro Thoma suffragiumque tulisse solùm dicendus est. Nec aliud insinuant Authores quatuor, quos Baronius sequitur, & ego supra Quadrilogum appellavi: sic enim illi cùm aliquorum in Thomam murmura, & electioni Regiæ adversantia recitassent: [Omni tandem (inquiunt) impræsentiarum suspicione amputatâ, & altercatione omissâ: divinâ cui cuncta militant dispensatione, regio quoque, in hoc, voto militante, Episcoporum provincialium, & Conventus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, unanimi omnium consensu, Thomas ejusdem Ecclesiæ Archilevita, in Archipræsulem, apud Londonias, in Regio illo, & præclaro monasterio, quod dicitur Westmonasterium, eligitur. Eligitur, inquam, jam in aula, annis quinque Cancellarii functus officio, ætatis verò vitæ annum agens circiter quadragesimum quartum. Solus autem Episcoporum Londoniensis obloquutus est. Sed quia nullius juvabatur studiis, & sua, non quæ Jesu Christi quæsivisse videbatur, eâ facilitate, sententia plurimorum convinci meruit, quâ contradicere præsumpsit.

Quadrilog. c. 11.

S. Thomas eligitur in Archiepiscopum.

VII. Electus igitur mox filio Regis, regni hæredi, Henrico adhuc puero; & ei, quem de eximia Regis gratia Cancellarius quasi in filium & alumnum, sicut præfati sumus, susceperat; præsentatur, de mandato Regis patris sui, in hoc ejus vices gerenti. Et sic authoritate regia ab omnibus curiæ nexibus absolutus, liber Anglicanæ Ecclesiæ redditur, & in eâ libertate, ab Ecclesia cum hymnis & canticis spiritualibus, ut mos est, cum summa jocunditate suscipitur.] Ita ibi. Et vel inde patet Henricum Regem in Conventu non fuisse: quantumvis Henricus paulò post coronandus Rex in Angliâ, & Londini fuerit. Cæterùm Episcopus ille, qui Thomæ refragatus dicitur, Richardus est cognomento Beaumes, quem Londinensi Ecclesiæ præfectum dixi anno millesimo centesimo quinquagesimo primo: & Godwinus vocat *unum e conjugatis illis Canonicis*, qui Anselmo Buriensi Abbati pro Londinensi Sede, quam nunquam ingressus est, suffragati sunt. Ego certè conjugatum non fuisse mihi persuadeo. Licet id asserat *Præsul Præsule filius parente*: *mox & Præsulibus parens futuris.* Sed quia Anselmo suffragatus est, qui à criminibus objectis adeo se non purgavit, neque ad Episcopatum consecrationem potuerit impetrare, neque Abbatiam retinere.

* van 1151. n. 7.

* Nil mirum si hac vice Thomæ Cancellario, quem vitæ integritas commendabat, refragatus est. Quicquid sit, obloquium breve fuit: nam ut scribit Westmonasteriensis: [Anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, Richardus Londinensis Episcopus, viam universæ carnis ingressus est.] Quis illi successerit, dicam anno sequenti nunc Thomæ nuper electi reliqua prosequamur: nam necdum ille sacerdotio auctus, in presbyterum primò, deinde in Episcopum consecrandus est. Sed ante omnia, à Deo, & spiritu ejus sancto, ad munus tam sublime præparari. Quod revera factum, ut sequentia indicabunt.

Westmonast. hic.

Richardus Londinensis Episcop. moritur.

VIII. [Igitur Thomas (ita narrat Quadrilogus) non jam aulæ Cancellarius, sed Ecclesiæ electus; mox quasi homo de gravi somno evigilans; quid jam diu fuisset, & qualiter deinceps fore debuisset, cum corde suo meditabatur. Electus itaque

Quadrilog. c. 12.

Londoniis, sicut & ortus, cum multorum & magnorum comitatu, citò post electionem, Cantuariam propter consecrationis gratiam proficiscebatur. Inter itinerandum verò, unum è clericis suis accersivit; ipsi secretò inquiens: se eâdem nocte vidisse in visu, venerandam quandam personam ipsi astitisse, & decem talenta tradidisse. Et hic Clericus Herebertus de Hoscham erat. (Hic unus est è Quadrilogi authoribus, tres alii, Joannes Saresberiensis, qui & Carnotensis Episcopus, Gulielmus Cantuariensis, & Alanus Abbas Theokesburiensis.) Cujus tunc interpretationi minimè advertens, de somnii conjectura hæsitabat: sed postquam à Domino Jesu-Christo est glorificatus, tunc intellexit se præsignatum in servo illo Evangelico, qui acceptis in sorte quinque talentis, alia quinque præter sortem negotiando superlucratus est: & verum fuit somnium, & interpretatio ejus. Adhuc autem eundem Clericum secretiùs alloquens subjecit. Hoc volo, hoc ubi injungo de cætero, quem me homines dixerint, confidenter & secretè mihi edicito, etiam si quo vitio laborantem. Multa quidem amodò dicentur de me, quæ mihi non dicentur: quemadmodum & de aliis, & præsertim de divitibus. Pariter, & excessum indica, si quem tu ipse videris, & me judicaveris excedentem, & in calce sermonis adjiciens: circumspectiùs, inquit, & clariùs quatuor oculi vident, quàm duo.]

Cancellaria Thomas sub elegit Clericum.

IX. Quis Thoma, Infula dignior, qui monitorem priùs habere voluit, quàm manuum impositionem: probè doctus, sacram Rempublicam, ut alterâ sanctiorem; ita pluribus indigere adjumentis, & puriori opus conscientiâ, purioribus addicto sacramentis: pergat ergo Cantuariam: & ibi à Roffensi Episcopo Waltero Sacerdos ordinetur (ita passim authores) inde sequenti die ab Henrico Wintoniensi, quem suprà toties nominavi, ad majus Sacerdotium consecretur. quæ malo ab oculatis testibus audire: [Electus ergo Cantuariam venit (ita Quadrilogus) in quâ tanquam in Metropoli; secundùm morem, & Canonum formam, consecratio erat celebranda. Ad quam jam consecrationem, & consecrandi reverentiam, totum ferè regnum confluxerat. Clerus quidem ex debito: proceres verò regni, & magnates: ut Regi, cui opus ideo complacebat, pariter & electo, qui de aulâ prodierat, honorem impenderent, gratiam, & obsequium. Igitur in Sacramentali illo tempore, in illis, tam miræ, quàm magnificæ unctionis diebus, in hebdomadâ Pentecostes, in Sabbato, temporis, & ordinis; ut mox claruit, Sacramentis, Archilevita Ecclesiæ electus in Sacerdotem ordinatur: in crastino Dominico die, in Antistitem consecrandus. Verùm quis Pontificum provincialium in consecratione primam manuum haberet, inter Pontifices mox deliberabatur. Londoniæ quippe Episcopali Sede, ad quam id pertinere dignoscitur, tunc fortè vacante, Wintoniensis, qui absentis, vel non superstitis Londoniensis vices, in provincia gerit, ad se omnimodis pertinere asserebat. At Ecclesia Roffensis, eò quòd ab Ecclesiæ suæ fundatione, & vitæ spiritualis, & peculiaris Archipræsulis Capellanus sit; id suum esse, & non alterius contendebat. Tandem verò, ob quædam quæ hic interserere prætermitto: salvo in hac parte, jure Roffensis Ecclesiæ, de Roffensis consensu, Venerabili viro, sicut generositate,

Quadr. c. 13.

Consecratio S. Thomæ in Episcopum.

Henricus Wintoniensis consecrat.

Ita sanctitate præclaro Henrico Wintoniensi Episcopo, Archipræsulis consecratio est dilata: & festivè supra modum, & magnificè, sicut futurum tantum decebat Antistitem, in Octavis Pentecostis est consummata. Cui profectò consecrationi præter procerum & nobilium regni turbam innumeram: quibus & egregius ille adhuc puer, Henricus Regis filius, & regni heres præminebat; quatuordecim comprovinciales Episcopi interfuerunt, ipso qui consecrabatur Archipræsule, quintodecimo.

X. Nuntii missi ad Romanum Pontificem.

Nuntii verò ad felicis memoriæ Alexandrum tertium Romanæ Sedis Pontificem confestim directi sunt: qui tunc propter schisma, quod in Ecclesiâ Romanâ tunc erat, apud montem Pessulanum morabatur. Qui verò missi fuerant viri religiosi, literati fuerunt, & honesti. Quorum unus, & præcipuus fuit amplectendæ memoriæ Magister Adam Abbas Westlismensis; quem propter vitæ sanctitatem, & morum honestatem, & scientiæ præeminentiam, novus iste consecratus, dum Cancellarii fungeretur officio, præfatæ Abbatiæ vacanti, paulò ante præfecerat. Qui ad prædictum Romanæ Sedis Pontificem venientes, insigne illud Metropolitanorum, quod pallium dicitur, instanter, sicut decebat, & fortiter postulabant. Quod tamen, quia favorabilea in se videbantur, qui petebant; & præcipuè, quia ea persona favorabilis, erat, ad cujus hoc usum petebatur, citiùs & faciliùs, à Sede Apostolica, obtinuerunt: & in brevi, cum Pallio lætabundi, & prosperè sunt reversi. Archiepiscopus contrà, illam fasciam pectoralem & superhumeralem suscipiendam, devotus, pronus, & nudus pedes ivit. Mysterium siquidem grande est. Et ita Thomas cum summa devotione, suscepto Pallio, de Episcopo, Archiepiscopus factus est.]

XI.

Quoniam verò hactenus Anglorum nemo Cantuariensem Sedem intraverat: & nemo, non Monachus, illam Infulam gestaverat, Stigando excepto, qui infeliciter illam deposuit. Voluit Deus Opt. Maximus, ut primus in eo genere, esset norma sequentium. Intellexit id Thomas, vocantem Deum eximiè sequutus: nam qui antea aulicus, & omninò Regius: nunc cœlesti aulæ, Regique æterno addictus, tam impensè studuit Ecclesiæ Deoque, quàm strenuè priùs Henrico militaverat, & regno ejus.

Thomas consecratus Episcopus habitum induit Monasticum.

Tyrocinium novæ militiæ ab habitu monastico cœpit, quem veris virtutibus, constantique pietatis exercitio, illustravit. Caussam assumpti habitus Baronius aperit: [Porrò, inquiens, consecratus Episcopus habitum induit monasticum, ea de causa, quòd experimentis multis declaratum fuisset, eos qui non monachi, Cathedram illam ascendissent, à Deo malè mulctatos esse.] Sed revera non nudum Monachi, aut nomen, aut habitum sumpsit: sed religiosum in omnibus spiritum induit, qui mortalium & immortalium mentes in amorem ejus reverentiamque magis quàm monachi vestis accendit. Cæterùm qualis fuerit ab assumpto Pastorali munere, dicant, qui noverunt, ejus discipuli.

Baron. hic

Quadrilog. c. 14.

[Consecratus Beatus Thomas (inquit Joannes Saresberiensis) ut cum Sacramento rem Sacramenti consequeretur, veterem hominem renovare disposuit. Unde tanquam jam transformatus in virum alterum, factus est abstinentior, vigilantior, frequentior in oratione: sollicitior in prædicatione: æstimánsque rectum renovationis progressum, à seipso incipere. & tunc se aliis dominari posse; si sibi ipsi priùs didicisset imperare: corpus suum servituti subjiciens, docuit ancillari, spiritum dominari.

XII. Triplicem personam gerit, exteriùs Clerici, interiùs Monachi, intime Eremitæ.

[Habitu monachali cum cilicio suscepto, spiritualem hominem, quem sub honestate vestium tunc oculis hominum eximebat, meritis implebat. Paucisque conscius sub loricâ fidei militabat: gaudens quòd in triplici veste, triplicem personam gereret: exteriori Clericum exhiberet; interiori Monachum occultaret; intimâ, Eremitæ molestias sustineret. Gaudens etiam, quòd exteriori mundum falleret; interiori se fratribus suis conformaret; intimâ motus illicitos temperaret. Nam à quodam cœnobita Cantuariensis Ecclesiæ sanctissimæ conversationis acceperat (cui Dominus in visione loquutus fuerat) quòd si monachum indueret, Dominum in negotiis propitium & coadjutorem haberet. His igitur ornatus Pontifex, quotidie procedebat in publicum: nec non cilicium, & religionis veritatem celabat admodum in occulto: nemine præterquam aliquo, sine quo tale quid geri non poterat, conscio. Unde & istud sui insigne tyrocinii non deposuit deinceps toto vitæ suæ tempóre, donec gloriosi certaminis sui consummasset triumphum.] Hæc Joannes, qui pluribus prosequitur religiosæ vitæ & Episcopi digna exercitia. quæ Deus illustrissimâ postmodum martyrii laureâ coronabit. Priùs tamen se ab aulæ negotiis expedire, & Deo, Ecclesiæque regendæ, totum se debet tradere, & Henrici Regis gratiam terrenis rebus omnibus posthabere.

XIII.

Itaque cum Thomas se mentemque suam integriùs Deo consecrasset, ad componendam Cantuariensem Ecclesiam, quam in sponsam Deo dante acceperat, se penitus convertit. Et quia, quà Regis indulgentia, quà aulicorum importuna cupiditate, terræ, prædiáque ad Ecclesiam illam spectantia, in Laicorum manus, distracta pervenerant: iis postliminii jure recipiendis, & Deo cui donata fuerant, reddendis; quod sui muneris esse sciebat, sedulò incubuit. Quod quia sine multorum offensa, & indignatione, addo nec sine aulicorum & Principum virorum præjudicio præstare non poterat: Ecce tibi in cœlo nostro nubem, quæ ingentem inde sequuturam tempestatem portendit. Quæ nubes, quomodo Thomæ industriâ, & aulicorum ambitione coaluerit, dicant qui ejusdem Thomæ acta fideliter prosequuti sunt.

Quadrilog. c. 18. Thomas habet lites ob bona Ecclesiæ.

[Thomas qui hucusque, inquiunt, in portu Ecclesiæ navigarat, mare sæculi ingredi incipiebat; & secularia tractare. Quod persæpe Pontifici, sed sapienti Pontifici dulce nunquam. Jam quibusdam regni magnatibus, viris magnis, & potentibus, de prædiis per prædecessorum suorum impotentiam, seu incuriam, Ecclesiæ suæ ablatis quædam movet: quædam repetendo: nonnulla verò, ubi manifesta videbatur injuria, absque quæstione revocando. Conventus verò quare hoc faceret, respondit. Nullo modo litigare se velle super his quæ ad Dominium suum pertinere fuisset notissimum: etsi quocumque titulo injustè fuissent alienata. Et quia omnia prædia illa, quæ firmæ feudales dicebantur, pro voluntate sua tenuit, & ordinavit, statim exturbatus hæc & alia, propter justitiam proscriptus, perdidit. Unde hujusmodi motus quæstionibus oriuntur Pontifici mox contentiones & lites, & adversarii multi. Sed propter Regis motum occulti omnes, eximiam illam

quam

quam habebat adhuc Regis gratiam verentes, & ob hoc Pontificis non modicam metuentes offensam.] Quid inde sequutum, & quomodo depositæ apud Regem querelæ, paulatim eum à Thoma averterint, dicam anno sequenti.

XIV. *Richardus Peche Eps. Coventrensis.*

Waltero Durdent, superiori anno mortuo, Coventrensem Sedem, quam ille impleverat, intrat Richardus Pecho, maturæ vir ætatis. Hic Thomæ nostri virtutes æmulatus, eum viventem coluit, & multò magis mortuum. nam prope Staffordiam monasterium fundavit, quod à morte Martyris, Martyri consecravit, diciturque vulgò Sancti Thomæ. ubi Canonicos regulares, in Sancti Augustini scholâ doctos posuit: Quod etiam vitæ institutum, exemplo Thomæ, professus est, factus Episcopus.

XV. *Moritur Joannes Wigorniens. Eps.*

Moritur hoc anno Joannes Pagham, Wigorniensis Episcopus; de quo dixi sub finem anni superioris. Quamdiu sederit, nemo prodidit: & modò mortem, aut mortis annum solâ conjecturâ assequimur: nec aliâ, quàm quia sequentis anni, ad Wigorniensem Ecclesiam, certis Authoribus, nominabitur alius: & Sedem illam aliquamdiu vacasse, omnibus jam Ecclesiis Præpositus Thomas conquereretur. de quo infra.

ANNUS CHRISTI 1163.

ALEXANDRI III. PAPÆ 5.

HENRICI II. REGIS 9.

I. Anno, qui sequitur, millesimo centesimo sexagesimo tertio: Alexander Papa in Gallia adhuc commorans, Episcoporum cætum, ad Turonensem urbem cogit, de rebus Ecclesiæ gravissimis tractaturus. de quo Gulielmus Neoburgensis, ejus in Gallias adventum exponens.

Neoburg. l. 2. c. 14.

[Alexander provincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præsulibus, & nobilibus Regionum Gallicanæ Ecclesiæ, multorum desideriis expectatus advenit. Magni quoque Francorum & Anglorum Reges adventum ejus solenni honorantes occursu, qualia Regiam decebant magnificentiam, insigni exuli hilariter obsequia præstiterunt. Principum itaque favore adjutus: convocatis Ecclesiarum Pastoribus, in octavis Pentecostis generale Concilium, cum multa gloria Turone celebravit, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio.]

Alexander Pap. celebrat generale Concilium Turonense.

Quinam ex Angliâ, ad Concilium in Gallias profecti, dicam, cùm Henricum Regem è Galliâ, ubi annos aliquot moram traxerat, in Angliam reduxero. De cujus reditu, ita Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, Rex Anglorum Henricus, finibus transmarinis pro voluntate dispositis, in Angliam rediit, & Thomas Cantuariensis Archiepiscopus illi obvians in osculo receptus est; sed non in gratiæ plenitudinem; sicut ipsius Regia vultus statim aversus, omnibus qui aderant patenter ostendit.]

II. Regis animum à Thoma averterant Curiales aliqui, in quorum oculis, Ecclesiæ splendor, sudes est, & odii rancorisque alimentum: illi, inquam, qui Cantuariensem Ecclesiam injusta deprædatione læserant; & tamen se à Thoma læsos apud Regem causati sunt. de quibus Quadrilogus: [Qui se læsos sentiebant, aut lædendos verebantur, Regem extra Regnum agentem adeunt, & conquerentes exponunt: aliqui se passos; alii verò se passuros injuriam per Pontificem; nisi Regia clementia, justitiæ adhibeat manum. Et constanter Regis ad Pontificem gratiam, vel in aliquo labefactare attentantes. Addunt, quod nimia Regis gratia, cornua daret Pontifici ad excedendum. Sed Rex, qui opere, & veritate eum diligebat, à talibus avertebat auditum: & quia in articulo erat transfretandi, in adventum suum in Angliam conquerentes distulit. Quo tandem apud Southampton applicato, confestim Archipræsul, cum egregio illo puero, Henrico filio Regis, obviam venit. Et ecce illis Regis hospitium ingredientibus, Rege & universis occurrentibus, per totam Angliam fit gaudium, & exultatio, ita ut videretur Rex se totum propter Pontificem, in omni gaudio dilatare. utpote, qui nunc primò suum quondam aulicum Thomam videret Pontificem. Sed maximè ob hoc gaudebat: quod de sanctitate Pontificis, tot, & tanta secreto jam & pro certo audierat. Cum verò per aliquot dies sic congratularentur ad invicem: tandem Pontifex, cum alumno suo præfato, à Rege in summa gratia abcessit. Præfati verò querulì videntes, & audientes, sic abscondunt se, & querelas dissimulant.]

Quadrilog. c. 18.

Quæruntur Aulici de S. Thoma.

III. Instabat jam Turonensis Concilii tempus, cui Thomam Angliæ primatem adesse oportebat, Insulæ fidem, & Romano Alexandro, in illa Synodo professurum. De quo, ex Actis Alexandri hæc habet Baronius: [Quoniam tempus celebrandi imminebat; quod in octavis Pentecostes, Turonum Alexander convocaverat: exivit de Parisiis, & transiens per Carnotum, ad Turonis civitatem celeriter remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo tertio, Indictione undecimâ, anno quarto sui Pontificatus, quarto-decimo * Kal. Junii: supradictus Alexander Papa in Ecclesia Sancti Mauritii* Turone Concilium celebravit. In quo secum interfuerunt Cardinales numero decem & septem, & Episcopi centum & viginti quatuor, Abbates quatuor centum, & quatuordecim: & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum maxima multitudo. Atque inter alios insignes Ecclesiæ Præsules, interfuit Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, annò superiori, ut diximus, ad eam regendam Cathedram, ex munere Cancellariæ assumptus. Quem præter morem Alexander Papa, ejusmodi excepit honorificentiâ. Fecit enim, ut omnes Cardinales occurrerent ei extra urbem illam, præter duos tantùm, qui soliti essent ei semper assistere. Idémque obtinuit, quæcumque ab ipso Pontifice petiisset; nempe suæ Ecclesiæ privilegiorum confirmationem.] Ita Baronius, quæ de Thoma recitat, è Quadrilogo sumens, compendio refert. Ego tamen ut accuratiùs, ita paulò fusiùs, Thomæ itinera lego in hunc modum ex eisdem Authoribus, qui de Turonensi Synodo scribentes, ita loquuntur.

Baron. hoc.

** alias quarto.*

** Martini.*

Quot Prælati interfuerunt Concilio.

IV. [Alexander Papa per universam Catholicorum Ecclesiam (erat quippe in Romanâ Ecclesiâ tunc schisma) Concilium convocat. Unde & Archipræsul (Thomas) in omnibus magnus, magnificentissimè ad transfretandum se præparabat.

Quadrilog. l. 1. c. 19.

S. Thomas progreditur ad Alexandrum Papam: honorificè excipitur.

Et Rege adito, alumnum suum Patri restituit. Et sic cum summa gratia licentiatus à Rege, tandem aurâ flante prosperâ, mare ingressus, in Flandriâ, in portu, qui dicitur Graveningues prosperè applicuit. Cui mox Proceres, & Nobiles terræ illius occurrerunt: omnem honorem exhibentes certatim; & sua quæ poterant, offerentes. Deinde verò per Normanniam, & Cenomaniam transiens, in omni Regis Anglorum ditione, honorificè quidem, tanquam Rex ipse excipiebatur. Turonis verò jam appropinquans, tertiâ (ni fallor) die ante celebrandum Concilium, civitatem ingressurus: audito ejus adventu, mox universa civitas commovetur, & obviam exeunt universi; non solùm cives & indigenæ: sed & personæ Ecclesiasticæ, quæ ad Concilium jam ferè omnes convenerant, diversarum nationum Archipræsules, & Pontifices. Et quod minimè tacendum est (præter Romanæ Ecclesiæ morem) Domini Patres, & Rectores Ecclesiæ Cardinales universi, longè prius, quàm civitatem ingrederetur, occurrerunt: præterquam duo tantùm, qui Domino Papæ, nè in tam celebri frequentiâ, sine collateralibus esset, consedebant. Tanta verò fuit sequentium turba, ut Archipræsule ad Dominum Papam ingrediente palatium: ipse Papa, quasi ex necessitate, ne comprimeretur in quo erat thalamo, exiret, & ingrederetur palatium. Et Dominus quidem Papa Archipræsulem benignissimè tunc suscepit. Et eò quidem benigniùs, quòd ex multo tempore cupiens erat eum videre: quia jam multa bona de illo audierat: & ut videbatur, super itinere, ei compassus, citò dimisit illum. Et Archipræsul sic recedens, in arcem Regis, quæ prope palatium erat, hospitio se recepit. Itaque per aliquot dies celebrato Concilio, ad Archi-præsulis nostri petitionem, nonnullis Ecclesiæ suæ privilegiis renovatis, vir Apostolicus in osculo pacis dimisit eum cum benedictione sua, & gratia. Et quidem æquore, & aere faventibus, in Angliam citò cum gaudio reversus est, secundo anno consecrationis ejus. Et à Rege pro amore & debito, tanquam pater à filio, in omni gaudio suscipitur.]

V. Sunt qui velint Thomam, pœnitentiâ ductum, voluisse in manus Alexandri, Cantuariæ Episcopatum resignare: quia illum à Laica manu recepisset. Quod fortè tunc factum (si tamen factum) cum Londini electus, Henrico puero, parentis Henrici vice fungenti, præsentatur. Si baculo tunc, annulóque ab eo tunc donatus est, non immeritò debuit pœnitere: quia Ecclesiasticæ dignitati, & Canonicis super ea sanctionibus injurium fuit. Quicquid sit, ut nemo constaret, ita Neoburgensis timidè satis id refert in hunc modum: [Thomas secundo anno promotionis suæ, Concilio Turonensi interfuit: ubi (ut dicitur) Pontificatum minùs sincerè & Canonicè, id est, per operam, manumque Regiam susceptum, pungentis conscientiæ stimulos non ferens, secretò in manus Domini Papæ resignavit. Qui factum approbans, pastoralem illi sarcinam, Ecclesiastica manu rursus imposuit; & in homine scrupuloso, turbatæ conscientiæ læsionem sanavit.] Cum hæc à Neoburgensi Baronius recitasset, mox infert: Hæc facta esse postea, non hoc anno dicetur inferiùs: nimirum cum motâ in Thomam persecutione, ille Regis iram declinans, ad Alexandrum

Neoburg. l. 2 c. 16.

S. Thomas voluit resignare Episcopatum, quasi minùs canonicè collatum.

confugit. Hactenus ergo cum nihil irarum fuerit; sed prosperè, & cum Regis amore omnia procederent: nec Thomæ conscientiam scrupulus momordit; nec Episcopale munus visum est, onus grave: sed ubi illud postmodum humeros premet, religiosa conscientia facilè pungetur, & à supremo Pastore quæret levamentum. Sed aliqua debent illud præcedere. Illud imprimis, quod Turonensi Synodo proprium, & pro Albanensis monasterii dignitate non tacendum. Matthæus ejus cœnobii monachus illud in hunc modum refert: [Congregantur ergo apud Turonensem civitatem, sub die statuto, etiam Anglicanæ Ecclesiæ Prælati: ut quæ pertinerent ad utilitatem Romanæ Ecclesiæ cum ipso Papa statuerent. Inter quos Venerabilis Abbas (Albanensis) Robertus, vir eloquentissimus, humanis divinisque Legibus eruditus affuit: cui Jacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, supra omnes Abbates Anglici regni, primam sedem, secundùm privilegium Domini Papæ Adriani quarti assignavit: uni servorum ejus (Roberto, videlicet Janitori) servandam tradidit, In illo namque privilegio de hac re ita scriptum reperitur: Sicut Beatus Albanus Anglorum Protomartyr esse dignoscitur: ita & Abbas monasterii ipsius, inter Abbates Angliæ primus, omni tempore, dignitatis ordine habeatur. Abbas verò S. Edmundi (Hugo nomine) prædictum Cardinalem agnoscens primam sedem Abbati S. Albani assignasse: nimia tristitia affectus, tota nocte diem illum præcedente, quo Domini Papæ Concilio interesse deberet, cum aliis, primam Sedem, cum suis Apparitoribus arripuit. Nec non & famulum Abbatis S. Albani, ab illo loco violenter expulit: totóque noctis illius spatio nusquam recedens, pervigil servare studuit. Sed metuens nè à Domino Papa, vel à Cardinalibus, prima sedes, sibi ad suum dedecus auferretur; sexaginta marcas argenti (fratre Hamone monacho, loco fidejussoris ibi quousque redderentur, detento) Curiæ Romanæ se daturum spopondit. Abbas verò Robertus, ut cognovit, ipsum in causam vocare noluit: quia Rex Angliæ Henricus secundus, omnibus Prælatis in regno suo degentibus; nè aliquam querelam de qualibet re, in Curiâ deponerent, interdixerat. Proinde Abbas Robertus injurias has, sibi & Ecclesiæ suæ illatas æquanimiter tolerans; libertatem ac dignitatem, quam monasterium sibi commissum de hac re à Papa Adriano obtinuerat: nec non violentiam ipsi ab Abbate S Edmundi illatam: in Curia cunctis videntibus, coram Domino Papa exposuit. Sicque Pontificalibus vestimentis remiditus, juxta eundem Abbatem S. Edmundi, supra omnes alios recedit. Nec profuit eidem Abbati, S. Edmundi dignitatem Regalem Martyris ipsius allegasse.]

Paris in vit. Roberti Abb.

Contentio inter Robertum Abbatem S. Albani, at Hugonem S. Edmundi Abb.

Dixi suprà Gulielmi primi pietatem relegens, VI.
cum Edoardus sanctus cognomento Confessor, *v. an. 1074. n. 13.
magno miraculo Clerum populumque ad amorem ejus & cultum accendisset, Guilielmum tunc Regem, in sancto & cognato suo ornando, piè laborasse, mandasseque Confessoris corpus sublimiùs poni. Eum in finem apparatus aliquis, & theca, quâ sacra ossa conderentur, cœpta fieri: Sed tepuit postmodum Principum devotio, & Edoardi merita sanctitasque oblivioni tradita, donec Alexander nuper, solenni cærimoniâ eundem Edoardum sanctorum Confessorum numero ascripsit,

jussítque coli. Tunc enimvero Henricus Rex, in sanctum Regem affici, & cultum ejus promovere cœpit: jussítque quod dudum fieri debuisset, Sancti corpus efferri, & loco, quem olim Guilielmus Rex paraverat collocari. Et ita factum hoc anno, insigni religiosáque cærimoniâ; cui Rex ipse interesse voluit. De quo Parisiensis: [Eodem anno (millesimo centesimo sexagesimo tertio) translatum est corpus sancti Regis & Confessoris Edoardi, apud Westmonasterium, à Beato Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, præsente Rege Henrico, qui hæc procuraverat.] Mentio hujusce Translationis in Martyrologio Anglicano habetur eo die quo facta est, nimirum decimo-tertio Octobris. Quem diem, ob dictam translationem, religiosè sub officio duplici observari præcepit Synodus Oxonii habita sub annũ Dñi millesimum ducentesimum vigesimũ secundum, à quo tempore, juxta ritum Sarcberiensis Ecclesiæ, hæc in sacrificio Missæ oratio legebatur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Regem Edwardum Sanctorum collegio sociasti: concede propitius, ut qui gloriosa translationis ejus recolimus insignia; ipsius apud te sentiamus patrocinia.*

Paris hic Translatio S. Edoardi Regis.

Mart. Angl. 13. Octob.

Usus sarum 13. Octob.

VII. Dictum supra * privilegium ab Hadriano Papa Albanensi monasterio impetratum, controversiam excitasse Lincolniensem Episcopum inter, & Abbatem Albanensem, cum uterque Robertus vocaretur; prior cognomento Chesney, sive de Quercero: alter Gorham, uterque adhuc superest: & mortuo Hadriano reviait controversia, quæ hoc demum anno decisa, materiam Annalibus subministrat. Lincolniensis illam movit, cum Alexandrum in Romanâ Sede collocatum & à Regibus cultum audivisset, ratus privilegium ab Albanensi Pontifice, Albanensibus monachis facilè concessum, æquè facilè ab alio non Anglo, non Albanensi everti posse. Sed falsus est: nam Alexander Hadriani olim Cancellarius, ab Hadriani mente noluit divertere: confirmavit ergò quod ille indulserat: concessit insuper [nobile privilegium sic incipiens: *Cum sine vero cultu religionis* &c. & alia similiter Ecclesiæ S. Albani valdè congrua] inquit Parisiensis in vitâ Roberti Abbatis. Cum Lincolniensis Epistola non succederet: invocavit (quod minimè fieri decebat) brachium sæculare. nam ut author modò nominatus: [Ad Regem Henricum, qui tunc in regno Francorum morabatur, perrexit; & eum contra Ecclesiam S. Albani graviter exasperavit, manifestè de nobis reponens querimoniam, & ante conceptam gravem movens quæstionem. Rediens igitur armatus Regis authoritate, & multorum Episcoporum suaisio, solennem à nobis, tanquam Episcopo nostro exhiberi procesfionem jussit, atque parochiam suam circumeunti hospitium sibi præparari. Cui contradixit Abbas Robertus. Episcopus autem exacerbatus literas Roberto Comiti Legriæ (qui tunc in Angliâ judicabat) porrexit à Rege impetratas, qui citavit Robertum Abbatem, & conventum ejusdem sub hac formâ:

v. an. 1156. n. 16.

Paris in vit. Robert. Ab fol. 74.

Controversia inter Episcopum Lincolnien. et Robertum Abbatem Albanensem.

VIII. Robertus Comes Legriæ, Roberto Abbati, Priori, & Conventui S. Albani, Salutem.

Suscepi mandatum Domini Regis: mandatum tale: Henricus Rex Angliæ, &c. Roberto Comiti Legriæ, Salutem. Præcipio tibi, quod sine dilatione facias venire coram te Episcopum Lincolniensem, & Abbatem S. Albani; & præcipe Episcopo Cicestrensi, & Episcopo Cestrensi, & Episcopo Norwicensi, & Abbati Westmonasterii, quod ad illum diem sint coram te: & diligenter tecum audiant loquelam, quæ est inter Episcopum Lincolniensem, & prædictum Abbatem. Et quam dicit Ecclesiam & prædecessores suos habuisse in Ecclesiâ S. Albani, & prædictum Abbatem tempore Regis Henrici avi mei, & quam libertatem Abbas S. Albani, Abbatiam suam dicit habuisse tempore Regis Henrici avi mei. Et quomodo cognoscere poteris, per testes eorum, qualiter fuerit tempore Regis Henrici, avi mei, mihi rescribe. Et Episcopis, & Abbati Westmonasterii dicas, quod mihi rescribant, teste Cancellario apud Felesiam. Quare præcipio vobis ex parte Regis, quòd veniatis ad Northampton, proximâ die veneris, ante Purificationem sanctæ Mariæ, remotâ omni occasione, & dilatione. Ita in omnibus præmuniti, ut possim præceptum Domini Regis in omnibus plenè complere, & quod per vos non remaneat. Et scito pro certo, quòd ulteriùs non poterit differri præceptum Domini Regis, & ideo dedi vobis tam longum respectum ad providendum. Et præcipio vobis quod istas literas mihi vobiscum apud Northamptonam reportetis. Valete.

IX. Cum igitur locus affuisset apud Northamptonam constitutus, die non mutato quibusdam ex causis subitò exurgentibus, in Castello Wintoniæ res actitata est, ubi supra nominatus Lincolniensis Episcopus, cum Gilberto Herefordensi Episcopo, cui sanguine jungebatur, magnáque Clericorum affusi multitudine stipatus. Itemque Robertus Abbas, Venerabilibus viris Gregorio Malbrebun Abbate, & Theobaldo Priore Ecclesiæ S. Edmundi, paucisque Monachis & Clericis sociatus, è regione constituerunt. Assidebant delegati à Rege, Hilarius Cicestrensis Episcopus, Richardus Cestrensis, Willielmus Norwicensis, Laurentius Abbas Westmonasterii, utriusque partis allegationes diligentiùs audituri, easque ad Dominum Regem scriptas relaturi.] Quod attinet ad tempus sessionis hujus, & causæ ventilatæ, puto id ad præteritum annum esse referendum: quia eo primùm anno, Richardus consecratus Conventrensis Episcopus, recens in Henrici Regis absentis memoria fuit, & ideo eum auditorem constituit. Cæterùm ideo ab authore Cestrensis, quia olim apud Cestriam sederunt Antistites, qui priùs & posteriùs appellati sunt Coventrenses, & Bathonienses. Nunc quid Gilbertus Herefordensis Episcopus dicat (quem Lincolniensis oratorem suum esse voluit audiamus) eodem qui suprà, authore.

Conveniunt isti ono, ad litem decidendam.

X. [Herefordensis sic inchoans (ait) allegans pro Lincolniensi. Cum primum placuit Domino gentem Anglorum à tenebris infidelitatis purgare, & Fidei luce illustrare, distinctæ sunt parochiæ Episcopatuum, docente Spiritu sancto, sicut usque hodie custodiuntur: juxta illud Prophetæ, *Distribuite domos ejus.* Ab initio igitur nascentis Ecclesiæ, Ecclesia B. Albani subjecta fuit Lincolniensi Ecclesiæ, in tantum, ut omnes Abbates S. Albani à Domino Lincolniensi benedictionem acceperunt, & professionem fecerunt. Quæ professio vinculum est, quo filia matri obligatur. Unde & in principio professionis crux subscribitur: vera & stabilis promittitur obedientia. Lecta etiam professio altari superponitur. Habemus præ manibus professionem Richardi Abbatis:

Herefordensis Episcopi oratio.

præsto est, qui professionem Gaufridi Abbatis scripsit: Domini quoque Roberti, qui nunc est Abbas, professionem ad manum habemus; quam, & ipse propria manu scripsit. Debet itaque Ecclesiæ B. Albani, sicut cæteræ diœceseos ejusdem, subjectionem & obedientiam; ut Dominus Lincolniensis habeat in ea solennes processiones, cum tempus exegerit; debitas refectiones, cum parochiam suam circumjerit: ut quibus seminant spiritualia, ab iis metant & carnalia. Itáque usque ad hæc tempora sine reclamatione factum est. Egressus est spiritus novus, spiritus recalcitrans, contra votum, contra fidem, contra professionem. Domino Lincolniensi negatur Obedientia. Propterea Domino Regi placuit, diligeiter inquirere per viros prudentes, quam subjectionem habuerit Dominus Lincolniensis in Ecclesiâ B. Albani: quævè ejusdem libertas. Et hanc inquisitionem coarctat circa tempora Henrici Regis avi sui; quibus sua jura singulis Ecclesiis custodiebantur,

XI. ROBERTI ABBATIS RESPONSIO. Ad hæc Abbas respondit: Quæ à me, vel ab alio, ex parte nostra dicentur: in jure non dicentur; neque enim propter hoc veniemus. Audio Dominum Herefordensem quædam dicere, quæ personam meam tangunt: nolo illa silentio confirmare; sed habito consilio respondere. Inito igitur consilio, ait, respondens, per responsalem: Non omnes B. Albani Abbates à Domino Lincolniensi, benedicti sunt, Paulus Abbas, & omnes ejus prædecessores ab alio benedictionem acceperunt. Iste quoque Dominus Robertus oblatam sibi benedictionem, ab eo qui potestatem habebat, propter venerationem Lincolniensis Ecclesiæ suscipere recusavit. Quem Dominus Herefordensis immeritò transgressionis arguit; qui jam decem * annis Abbas, nunquam Lincolniensis mandato contradixit. De cujus etiam professione, optimè posset siluisse Dominus Herefordensis; cum juxta assertionem, suam Dominus Rex coarctarit & coarctet inquisitionem istam circa tempora Regis Henrici avi sui. Ex abundanti de ea respondet: Siquidem literas quæ afferuntur, nec scripsisse, nec scribi jussisse: nec crucem antepositam propria mano annotasse. Legit tamen eas propter honorem Lincolniensis Ecclesiæ, supplens quod deerat, propter libertatem Ecclesiæ suæ: subjunxit enim incontinenn: Salvis dignitatibus Ecclesiæ meæ, cujus orationis finis maximè attendendus est, quia meliora sunt novissima sermonis, quàm initium ejus. Hujusmodi autem, professionem (si dicenda est professio) fecit non propter obligationem: sed propter Lincolniensis Ecclesiæ venerationem. Porro dignitates Ecclesiæ sancti Albani, magnæ sunt & manifestæ. Ipsa siquidem non solum libera est. Sed & ingenua, natales ejus Offanus Rex aureis literis conscripsit. Successores ejus, illustres Reges Anglorum, ejus ingenuitatem roborarunt, Romanique Pontifices suis eam privilegiis confirmaverunt: nec Dominus Lincolniensis potest dissimulare, quin ista noverit: Clerici enim ejus subintraverunt explorare libertatem nostram; qui fideliter renuntiaverunt, ea, quæ viderant, & audierant. Non mediocriter igitur peccat, qui eam nititur perturbare. Cum hoc dixisset magister Joannes de Tilberi, recedit.]

* v. an. 1151. n. 13. 14.

XII. Sequitur in auctore, Roberti Abbatis intercessio: quâ, è monachorum absentia, qui procul positi, & antiqui moris optimè conscii, testari pro monasterio possent, dilationem petit, & impetrat ad medium usque Quadragesimæ: Quo termino adveniente, mandat è transmarinis partibus Henricus Rex, differendum controversiæ tractatum in adventum suum. Interdum Alexandri Pontificis literæ, quas Robertus Lincolniensis impetraverat, in Roberti Albanensis manus devenerunt, quæ ita loquuntur:

LITERÆ ALEXANDRI ROBERTO ABBATI.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio ROBERTO Abbati, & universo Capitulo Sancti Albani, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm anno præterito nuntius vester, ad nostri Apostolatus præsentiam accessisset, illum benignè suscepimus, & juxta petitionem vestram, privilegium, quod prædecessor noster, bonæ memoriæ Adrianus Papa Ecclesiæ vestræ indulsit, fecimus confirmari. Postea verò Venerabilis frater noster Lincolniensis Episcopus, transmissâ nobis insinuatione monstravit, quòd eadem Ecclesia, ad jus & dispositionem suam specialiter pertineret: & illi debes tanquam suo Episcopo respondere. Unde licet vos & Ecclesiam vestram diligere velimus, & jura Ecclesiæ vestræ integra conservare: tamen quia prædicto Episcopo, salvâ conscientiâ, non valuimus suam justitiam denegare, vel in suo jure deesse, vobis dedimus in mandatis; ut in idoneos Judices conveniretis; quatenus causa ipsa in eorum præsentia discuti: & ad nos referri deberet: & cognitâ veritate, per nos, mediante justitiâ, terminari. Quod quia nondum est effectui mancipatum: cum idem Episcopus in auribus nostris clamitare non cesset, causam ipsam Venerabilibus fratribus nostris, Cicestrensi, & Norwicensi Episcopis, duximus committendam. Quocirca per iterata vobis scripta mandamus, quatenus cum ab illis propter hoc fueritis evocati, illorum præsentiam adeatis: & testes producere & instrumenta, & rationes allegare; si quæstio adversus vos mota fuit, studeatis: & privilegia bullata, tam nova, quàm vetera, in claustro vestro illis ostendere non recusetis. Ex quo autem ipsis Judicibus omnia ostensa fuerint prædicto Episcopo, eorum omnium copiam faciatis, ut in diligenter inspectis, possit agnoscere, utrùm cedere debeat, vel in causa ipsa procedere. Nos siquidem eisdem Judicibus, in mandatis dedimus; quòd testium depositiones & allegationes: rationes quoque & transcripta privilegiorum utriusque partis, sub propria impressione sigilli, ad præsentiam nostram transmittant: ut cognitâ veritate, eidem controversiæ finem debitum imponere valeamus. Datum Januæ decimo septimo Kalendas Aprilis.

XIII. Hæc ab Alexandro, superiori anno scripta, è datâ literarum, colligimus: nimirum, cùm in Gallias iturus sub initium Quadragesimæ, Januam venit, anno, ut notat Baronius, millesimo centesimo sexagesimo secundo. Porrò Henricus Rex, hoc anno millesimo centesimo sexagesimo tertio, in Angliam reversus, cùm datos ab Alexandro Judices audivisset: in Abbatem excanduit, arbitratus eum recitatas supra literas impetrasse: sed doctus non ab Ipso, sed à Lincolniensi Episcopo processisse: qui Judices illos, monasteriis parùm benevolos, ab Alexandro postulaverat; Abbati serenior fuit: præsertim cùm ille Regis opem, in libertate Ecclesiæ conservanda, munerum

largitione,

largitione, promissóque, monachos tantumpro eo facturos, *tam in vita, quàm post mortem ejus, quantum pro fundatore Ecclesiæ inclyto Rege Offano* (loquit Parisiensis) implurasset. Quod Henrico gratissimum accidit. vocatóque Londinum Episcoporum Conventu, ibi mandant se præsente, gravissimam controversiam ventilari. Formam Concilii hujus idem author in vitâ Roberti Abbatis ita refert. [Rex autem residens in Capella S. Catharinæ apud Westmonasterium cum universitate tam Archiepiscoporum, quàm Episcoporum, atque Abbatum, & aliorum Optimatum regni: Robertum Abbatem S. Albani coram omnibus, suo conspectui jussit astare. Sedebat hinc Episcopus Lincolniensis, inde Abbas. Laurẽtius itaque Abbas Westmonasterieñ. latinè prosecutus est, de antiqua dignitate Ecclesiæ S. Albani, & de religione loci, & de malo perturbationis, quo monachorum pax infestatur. Et quod ideo induita sint religiosis locis privilegia singularia, ut paci scilicet claustralium consulatur.

Paris in vit. Roberti Abb. fol. 79.

XIV. Causa Lincolñ. Episcopi, et Roberti Abbatis agitatur coram Rege.

Porrò Abbas Robertus, volens instare negotio: sed timens nè postmodum hujus causæ litem, ab eisdem Judicibus, authoritate Apostolica prosequi compelleretur, coram Rege astans, adjecit. Domine Rex ex jussu vestro assum coram vobis allegaturus de libertate Ecclesiæ mihi commissæ. Assum etiam citatus à Judicibus, à Summo Pontifice delegatis: quatenus coram ipsis allegarem. Paratus sum itaque & instructus sufficienter ad utrumque parere: videlicet citationi vestræ, & imperio delegatorum Judicum: sed unum peto: Quod si in audientia vestra libertatem Ecclesiæ meæ declaravero, & evicero; nè me coarctent Judices delegati iterato litigare de evicta libertate. Tunc Rex prudentiam ejus cum Optimatibus suis admirans, ad Archiepiscopum Thomam Cantuariensem conversus, ait: (sedebat enim Rex medius, inter eundem Archiepiscopum Thomam, & Rogerum de Ponte Eboracensem Archiepiscopum) Quod dicit Abbas rationi consentaneum est: neque enim nostræ majestati honorificum foret; si lis in palatio nostro decisa, in Domini Papæ consistorio, iterandam præstolaretur sententiam. Parvóque intervallo surgens Rex, assumpsit secum Robertum Comitem Legriæ, & Richardum de Humes Principem suæ militiæ, & Richardum tunc Pictaviensem Archidiaconum, postea Wintoniensem Episcopum. Cæteris omnibus jussit expectare in loco ipso ejus reditum. Et seorsum per Richardum Archidiaconum jussit Abbati Roberto, ut cum duobus fratribus secum privilegia ferentibus, ad præsentiam suam accederet: & copiam faceret inspiciendi privilegia, tam vetera, quàm nova. Cumque inspicerentur Regum Anglicorum, Offæ scilicet, ac cæterorum scripta: in quibus pro sigillis novo more dependentibus, veteri consuetudine Cruces aureæ, manu Regum depictæ, in principio positæ erant: & videbantur quibusdam invidorum nullius esse momenti; quia sigillata non erant. Et perventum est ad chartam Regis Henrici, avi Regis: in qua confirmantur quæcumque collata erant, tam in fundis, quàm in libertatibus Beato Albano, à Regibus Anglicis: Rex ait: Quid est, quod mussitant Lincolnienses, dicentes privilegia non sigillata, nullius esse momenti. Ecce sigillum, avi mei sigillum est, omnium chartarum originalium, quarum confirmatio in ejus chartâ continetur.]

XV.

Laudat hic author Henrici Regis prudens responsum: cum alii passim hærerent, quid illis opponi posset, qui duo causabantur, nullam fidem mereri, nec publicè producenda, quæ sigillo carerent: & nullum ante Normannorum adventum, sigilli usum fuisse. Quibus semel concessis, antiqua omnia monasteriis concessa privilegia, quæ Episcopi palam impetebant, corruere necessum est. Sed utrumque benè solvitur: superiora Regum diplomata, sigillo munita, priorum diplomatum (quorum ibi mentio) munimen sunt atque confirmatio. Et sigilli usum non in usu priùs fuisse, quàm Normanni Anglis imperarent: probaverunt Westmonasterienses monachi ostensione diplomatis Regis Edoardi: cujus ossa nuper elevata Anglorum pietatem accenderant. In secessu Rex à Roberto Abbate ostendi sibi privilegia petit, quæ monasterio monachorumque causæ faverent: & præsto erant plurima, Calisti, Cælestini, Eugenii, Adriani, & Alexandri, quæ Lincolnienses potissimùm impugnabant: illa præsertim, quæ Mitræ usum Albanensibus Abbatibus Indulgebant: ideo ab adversaria parte, ludibrio Cornuta appellata. Quæ ab ipso Roberto Abbate, tùm Romæ esset, ab Hadriano impetrata putabantur. Unde Rex Abbatem in hunc modum (teste Parisiensi) alloquitur: [Copiam eorum, quæ à te impetrata sunt privilegia, maximè eorum, quæ Lincolniensibus odiosa sunt, appellata Cornuta, ostende. dicebant enim ea esse cornuta, propter Mitræ speciem, & Pontificalia ornamenta. Ad quem Abbas: Domine quæ dicuntur Cornuta, ad manum habemus privilegia. Sed veraciter testor, quod nec à me, nec per me impetrata sunt. Imo à Domino Adriano, indigena vestro, Ecclesiæ S. Albani (in cujus pago ipsum fuisse natum constat) me sunt ignorante transmissa. Quod audiens Pictaviensis Archidiaconus: Meus (inquit) Vicarius in Ecclesiâ Beati Hilarii incedit mitratus, in omnibus præcipuis anni solennitatibus: nec derogat Mitra Episcopali dignitati. Et Rex: modica persuasione, gratum haberemus: si omnes regni nostri Abbates, mitratos incedere videremus. Libertates autem, quas S. Albanus habere dignoscitur, in Episcopali officio, præcesserunt mitram, non sunt subsecutæ.] Hactenus unius diei & sessionis Acta.

Quando sigillum diplomatum in usu.

Paris supra.

Vocabant privilegia Abbatis Cornuta.

XVI. Episcopus tantùm prætendit præscriptionem privilegiis.

[In crastino autem Episcopus (prosequitur Author) Regem advocans, seorsum confessus est: se nullis adversus Abbatem S. Albani privilegiis, sed sola præscriptione communiri. Tunc Rex ad eum: Privilegia, ut credimus, præjudicant præscriptioni. Abbas S. Albani allegat Ecclesiam suam ab incunabulis fuisse ingenuam: sed incuria, atque desidia prædecessorum suorum, redactam in subjectionem Lincolniensis Ecclesiæ: modo beneficio Romanorum Pontificum restitutam esse in nativam libertatem: quorum est in his casibus, partes suas interponere: & prout viderint expedire; authoritate Beati Petri unumquemque in pristinum statum restituere. Communicato itaque consilio, cum Decano, & Archidiacono, & cæteris Canonicis Ecclesiæ tuæ, de libertate communi, utrum expediat vobis, aut contendere, aut cum eis componere, nobis renuntia. Episcopus itaque ad suos rediens, & Regis verba referens: de cõmuni deliberatione Regi supplicavit: quatenus amicabili compositione interveniente;

pacem inter litigantes Ecclesias reformaret. Rex autem assumptis secum Richardo de Humez principe militiæ, & Richardo Pictaviensi Archidiacono: accessit ad Abbatem Robertum, & fratres, qui cum eo erant, dixitque eis: Modo si per vos non steterit, plena gaudebunt integritate, privilegia vestra. Detur à vobis, si placet Lincolniensi Ecclesiæ prædium aliquod de prædiis vestris: & Episcopus renuntiabit juri, quod dicit se habere in Abbate, & Ecclesia S. Albani. Quod audiens Abbas, & qui cum eo erant, alacriter Regi responderunt: Domine Rex ad te sunt oculi nostri. In te consilium nostrum: juxta beneplacitum vestrum taxetur prædium, deturque Lincolniensi Episcopo. Et Rex: decem librarum sit æstimatio prædii, quod offeratur: nósque operam dabimus, ut suscipiatur.]

XVII. Sequuntur in Authore plura, quæ paucis perstringam. Conventum est de prædio Tyuhurst: datúmque Lincolniensi Ecclesiæ. & Robertus Episcopus jus omne, jurisque dictionem, in Abbates, monachos, Albanensémque Ecclesiam resignavit eo ritu, quem Author sic describit. [Surgens Episcopus, in manu Regis, per capitis sui galerum, qui Hura* dicitur, resignavit id juris, quod dicebat se habere in Ecclesia B. Albani, & in Abbate Roberto. Quem Rex accipiens illico reddidit in manu Abbatis Roberti, investivitque Ecclesiam S. Albani, libertate plenaria, modiante Abbate. Ac statim per annulum suum aureum, Episcopum Lincolniensem in proprietatem, & civilem possessionem prædii de Tynhurst misit, annuente Abbate S. Albani, & Capitulo, ad cujus jus prædium illud pertinebat. Conscriptæ sunt chartæ utrimque de prædicta transactione confirmatoriæ. Primo Charta Lincolniensis Ecclesiæ, in qua sigillum Episcopi dependit, securitate factâ, de sigillo Capituli Lincolniensis: Postea Charta Abbatis de prædio, cui etiam Rex manũ apposuit: Postea Charta Regis de Confirmatione. Porro Charta Episcopi Lincolniensis, in qua Capituli sui sigillum dependet, sic incipit:

Paris ubi supra.

* Hure Gallis est Ursi caput, uti & capillitium, male comptum. Inde fortè Episcoporum per ea tempora galeri villosi, hirsutique appellatione sortiri poterant. *Glossarium.*

ROBERTUS Dei gratia Lincolniensis Episcopus. Omnibus sanctæ* matris Ecclesiæ filiis, Salutem.

* Sancti Martyris.

XVIII. LINCOLNIENSIS CEDIT JURI, ACCEPTO PRÆDIO AB ABBATE ROBERTO.

Notum sit universitati Vestræ, quod ego controversia illi, quam adversus Robertum Abbatem S. Albani, & fratres ejus moveram: quá monasterium illud sancti Albani, & quindecim Ecclesias illas, quas in territorio suo privilegiatas habuit, Lincolniensi Ecclesiæ, & mihi ut ipsius Episcopo, in subjectionem, & obedientiam petebam, in præsentia testium prædictorum, assensu Capituli mei, in perpetuum renuntiavi. Et ut ab ea perpetuo conquiescam, de manu ipsius Abbatis, & fratrum ejus villam qua dicitur Tynghurst, cum Ecclesia, & omnibus pertinentiis ejusdem, pro decem libratis terræ, liberè, & quiete Lincolniensi, in perpetuum deinceps possidendam, assensu Domini mei Regis, & fratrum nostrorum Episcoporum consilio, Capitulo meo, in hoc assensum præbente, recepi. Et jus quod jam dicta Abbatia, & in persona Roberti Abbatis, & successorum ejus, & jam dictis quindecim Ecclesiis, Ecclesia mea, & meis successoribus vendicabam: in manu Domini Regis mei, pro me, & successoribus meis in perpetuum resignavi. Sit itaque de cætero liberum monasterio B. Albani, & quindecim Ecclesiis, chrisma sibi, & oleum, & benedictionem, & cætera omnia, sine Ecclesiæ nostræ reclamatione accipere, & de cætero in manu Regiæ, sicut sua Dominica Ecclesia libera remanebit: reliquæ verò ejusdem monasterii Ecclesiæ per Lincolniensem Episcopatum passim constitutæ obedientiam & subjectionem, quam cæteræ debent Ecclesiæ, Episcopo Lincolniensi, & Archidiacono exhibebunt. Quod nè de cætero possit in litem revocari, scripti præsentis attestatione, & sigilli mei, & Capituli appositione, confirmavi testibus supradictis.

XIX. Quos hic testes vocat; eos intelligit, quos paulò ante nominaverant: quique Conventui præsentes, in postscripto nominantur hunc in modum: *Facta est autem hæc transactio, anno gratiæ 1163. mense Martio, anno illustris Henrici, nepotis primi Henrici, filii Willielmi Bastardi* (nono) *duodecimo anno suscepta Pastoralis curæ ab Abbate: præsente ipso jam dicto Rege Henrico. Præsentibus etiam Beato Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, Rogero quoque Eborum Archiepiscopo; Henrico Wintoniensi, Nigello Eliensi, VVilielmo Norwicensi, Hilario Cicestrensi, Iocelino Sarum, VValtero Roffensi, Hugone Dunelmensi, Gilberto Herefordensi, Bartholomæo Exoniensi, Richardo Coventrensi, Godefrido Lanum, scilicet de sancto Asaph, Episcopis; Laurentio VVestmonasterii, VVillielmo Ramsey, Gregorio Malmesburiensi, Clemente Eborum, Reginaldo Persorensi, Abbatibus; Gaufrido Cantuariensi, Richardo Pictaviensi, Archidiaconis; Roberto Legria, Hugone Norfolciæ, VVillielmo Arnudel. Comitibus: Richardo de Lucy, Richardo de Humez, Constabulariis; Henrico filio Geroldi, & plurimis aliis.*

Paris in vit. Robert. Ab.

QUO ANNO FACTA EST TRANSACTIO, ET CORAM QUIBUS?

XX. Ad Episcopos quod attinet, quorum hic mentio, ferè illos supra suis locis & sedibus collocavimus: unus Jocelinus Sarum, nimirum Saresburiensis Episcopus hactenus non apparuit. Et revera, à morte Rogeri, quem anno Domini millesimo centesimo trigesimo nono sepelivi, neminem in ea Sede Episcopi nomen præferentem inveni. Nunc primum Jocelinus in lucem hoc anno prodit; sed quando, aut quo anno consecratus, non assero. Adverto solùm, quod de Rogeri successore habet Godwinus in Catalogo: [Rogero defuncto (inquit) Rex (Stephanus) annisus est, Philippum quendam sufficere Cancellarium suum; sed tam Legato Pontificio, quàm Clero Sarisburiensi, renitentibus, destitit ab incepto. Et Philippo antedicto Baionensem Episcopatum deferri curavit. Tum multos per annos Præsule hæc Sedes caruisse visa: nisi fortè (cujus rei tenue reperi vestigium) Galfridus quidam hac tempestate eâ est potitus. Verùm quia fidenter asserentibus æquum est assentiar: nisi certi aliquid possem afferre: Rogero proximus successor (quamquam longo ut videtur intervallo) est constituendus Jocelinus patria Longobardus.] Hæc ille. Nos plura de illo inferiùs, ubi Arnulfus Lexoviensis Episcopus ejus causam apud Alexandrum Papam agens, orat. Ad eundem Jocelinum extat Epistola Joannis Saresburiensis, numero inter ejus Epistolas nonagesima quinta: ejus etiam mentio in ejusdem Epistola ducentesima trigesima quarta, quæ inscribitur, Bartholomæo Exoniensi Episcopo; ubi Jocelinus legitur, à Cantuariensi Episcopo, ab Episcopali munere suspensus: de quo suo loco*. Cæterùm quod ad Jocelini ingressum spectat, intrasse Sedem dicendus est, antequam Thomas Cancellarius ad Cantuariensem sedem assumitur: quia statim ille causabitur, duas in Anglia Sedes vacare, nec Saresberiensem nominat. De quo statim.

EXAMINAT, QUI FUERUNT EPISCOPI NOMINATI. JOCELIN. SARESB. EPS. QUIS

Godvvin. in Saresb.

* v. an. 1168. n. 45.

XXI. Quis Godefridus Lanum S. Asaph Episcopus.

Novum etiam illud est, quod inter testes legitur: [Godefridus Lanum, scilicet, de sancto Asaph, Episcopus: & hoc est fortè tenue vestigium, quod aliqui sequuti, putaverunt Galfridum aliquem ad Sarum sedisse; quia Godefridus hic Lanum ponitur Episcopus: quod Sarum potiùs dicendum putavere. Sed veriùs est, Lanelwensem sedem intelligi (ita vocat Giraldus locum, ubi olim * Kentigernus inter fluvios Elwid, & Elwi Ecclesiam posuit) à Lan, & Elwy derivatam vocem; quæ in Lanum coalescere & corripi potuit. Kentigerno in ea Sede successit S. Asaphus anno quingentesimo sexagesimo, & oppido nomen dedit. Quo è vivis decedente, defecit etiam ibi Episcopi dignitas, *per multas annorum centurias*, inquit, Godwinus, & addit: *Qui primus occurrit post Asaphum, Asaphensis Ecclesiæ Episcopus, est Galfridus: nonnullis Arthurus cognominatus, vulgo dictus Monumetensis. Ex monacho Benedictino hujus Sedis factus est Episcopus anno millesimo centesimo quinquagesimo primo.* Galfridus igitur hoc tempore Sedem reliquerat, *paupertate & infestatione Wallensium*, inquit Hovedenus, *compulsus: veniensq; in Angliam, a Christianissimo Rege Henrico, benigne, & honorificè susceptus cui tradidit Abbatiam Abendonia vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum.* de quo nos plura inferiùs. Nam Cardinalem fuisse aliqui crediderunt: alii minùs reverenter, doctum cæteroquin hominem tractaverunt: ut suprà adverti ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum tertium, cum de Ursulanâ societate, & martyrio actum.

* v. an. 541. n. 8. 9.

Godwin. in S. Asaph.

Hoved. an. 1175.

XXII. Gilbertus quis Herfordensis Eps.

Gilbertus qui inter testes scribitur Herfordeosis Episcopus; quique Sedem ibi tenuerat ab anno millesimo centesimo quadragesimo nono, post solutum conventum ad Londinensem sedem assumitur, scribique deinceps debet Londinensis Episcopus. Egregium viri characterem expressit Joannes Saresberiensis in Polycratico l. 7. c. 24. quod de Invidis, & detractoribus est: [Venerabilis Pater (inquit) Gilbertus Herefordensis Episcopus, mihi referre consuevit claustralium morem: quem in seipso se fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, fervens adhuc igne, quem de novo conceperat: magistratuum suorum ignaviam arguebat. Nec modò promptus in modico, miseratione complicium motus est. nondum tamen pepercit majoribus. Paulò post ad Priores ascendit: Prioribus compatiens, carpere non cessavit Abbates. Factus est & ipse Abbas: & propitius in Coabbates, Episcoporum cœpit vitia intueri. Tandem & ipse Episcopus Coepiscopis parcit.] Ita ille, quod licet excusare in Herefordensi videatur: Si tamen Londinensem factum contemplari placuisset: invenisset illum Episcopis quidem parcentem, sed Archiepiscopo Thomæ satis infensum, ideoque à Regum assentatoribus, novæque creationis Episcopis laudatum, à majoribus tamen egregiè castigatum. De quo Godwinus: [In omnibus illis turbis. & contentionibus, quæ inter Bekettum, & Regem, excitatæ sunt, Gilbertus constantissimè, fidelissiméque Regi adhæsit: & omnium ejus consiliorum particeps fuit. Ideo Pontificem (Alexandrum) non leviter habuit infensum, à quo nimirum excommunicationis fulmine bis tactus est.] & meritò, quis dubitat? qui semper in majores, quibus obsequium spoponderat, insurrexit.

Ioan Saresb. de Nugis Curial. l. 7. c. 24.

Godwin. in Londin.

XXIII. Incipiũt discordiæ inter Regem et B. Thomam.

Opportunè facta est turbarum mentio: quæ hoc anno cœptæ, plures annos fœdaverunt: summâ Regis gratiâ, quâ nuper Thomam complexus; in odium rancoremque degenerante. Quod quomodo factum est, nunc dicendum: & quibus gradibus ab amore descensum: & quibus demum irarum alimenta ministrantibus. Thomas in Pastorali munere sedulus, Ecclesiæ hierarchiam procurare, vacantes Episcoporum Sedes implere, se Christi magis, quàm Regis servum ostendere, cùm cepisset: ut Deum, bonósque sibi benevolos; ita Regem, iratum sensit. Principio tamen Henricus, Thomam pro Ecclesiâ laborantem serenus audivit: nam eo monitore, duabus hoc anno Ecclesiis Pastores dedit, monentem, urgentémque patienter sustinuit. nam ita Quadrilogus: [His diebus duæ vacabant Sedes Episcopales in provinciâ. Wigorniensis videlicet, & Herefordensis. Prioris Sedis Pontifice jam mortuo: & altero, ab Herefordensi, ad Sedem Londoniensem translato. Translatus hic Gilbertus vocatus erat nomine proprio, cognomento Folioth. Has igitur duas vacantes Sedes, cum Rex aliquamdiu tenuisset, à novo Metropolitano suo sæpiùs est conventus, nunc rogatus, nunc monitus, interdum etiam acriter, sed amicè correptus, quod in Sedibus vacantibus, Clero de substituendis Pastoribus non consentiret. Mos etenim prophanus in plerisque regnis jam inolevit; quòd Episcopatus vacantes, & monasteria Reges pro voto, per annos tenent: & quasi Christo proscripto applicatur dos viduæ fisco: & Crucifixi patrimonium, calamitosorum refrigeria, & egenorum subsidia. Hæc igitur Archipræsul recolens, & attendens sui esse officii talia non sustinere: Regem, quem supra hominem diligebat, nunc rogabat, nunc monebat, ut Sedes suas vacantes ordinari permitteret in temporalibus & spiritualibus: quæ inde crescebant mala non tacens.

Quadrilog. l. 1. c. 20.

XXIV. Duo insignes Episcopi electi ad instantiam B. Thomæ: Rogerus Wigorni Eps.

Rex tandem ad multam Præsulis instantiam, Pontifices fieri annuit. Et ita ad duas Sedes prænominatas Pontifices sunt electi, viri certè omni sanctitate conspicui. Ad Wigorniensem quidem quidam est electus, ætate quidem juvenis, sed morum gravitate senex, nomine Regis, magni viri Roberti quondam Glovernensis Comitis filius: cujus virtus adhuc dignior, sanguinis generositatem superabat.] Hic Author Episcopi nomen non expressit: sed sequenti capite in ejus laudes effundit se fusissimè. Alii tamen Rogerum vocant Comitis Glocestrensis, Henrici primi naturalis filii filium. Hunc Author inter cætera laudum elogia vocat puritate lilium, verecundia rosam, cælestis conversationis violam, jocundæ societatis musicam, & super omnia justitiæ columnam, & ad cæterorum præsidium infrangibilem adamantem. [His igitur solum tactis (pergit Author) hic ætate juvenis, sed motibus grandævus, & virtutibus, communi omnium ad quos spectabat voto, electus: primus fuit, quem Beatus Thomas Archipræsul in Episcopum Wigorniensem consecravit. Qui postea in prosperis, & adversis, ipsi semper erat obediens etiam usque ad damna, usque ad proscriptionem & pericula multa; turpe judicans si Imperator in castris, miles domi, quasi inter mulierum colos, seu calathos puellarum, balneorum, & unguentorum uteretur fomentis.

Quadr. l. 1. c. 21.

XXV. Robertus Herefordensis Eps.

Alium verò in Herefordensem Episcopum consecravit, Robertum nomine de Moleduno, secularium & sacrarum literarum in scholis Magistrum præclarum. Tam in vita etiam, quàm in scientia multò magis præclariorem. Cujus & ille Sacerdos magnus, priùs consecratus in scholis discipulus fuit. Hic quippe doctor magnus tam vitâ, quàm scientiâ, tanquam luminare magnum, per universarum Ecclesiarum orbem rutilans, discipulorum multitudinem erudiam, tanquam varios per orbem lucis suæ radios à se eminens. Et ita in duobus his Pontificibus consecratis, omni sanctitate conspicuis, Beati Thomæ & propositum stetit firmum, & ab altissimo desiderium est impletum. Proposuerat enim, & altissimo supplicaverat, ut Archiepiscopatus sui tempore, contra conscientiam suam, nemini, præterquam digno, consecrationis præsertim manum imponeret.] Hæc omnia Quadrilogus de duorum Episcoporum inauguratione. Quorum ille posterior Herefordensis Antistes, Robertus de Melum commutiùs appellatur, qui quadriennio tantùm sedisse putatur, & tunc Robertus alter cognomento Folioth Sedi successit. Corrige ergo Harpesfeldum sæculo 12. c. 33. ubi utrumque Robertum in unum confundit. Nunc ad Archiepiscopum redeo, Episcopali munere cum pietate fungentem.

XXVI. *Quadrilog. l. 1. c. 22* S. Thomas dedicat monasterium de Radingas Rege præsense. Et extulit de terra corpus S. Edoardi.

. [Post modicum verò Archipræsul (pergit Quadrilogus) plerisque comprovincialibus Episcopis convocatis, nobile illud & regale monasterium de Radinges, in quo divinæ recordationis Henricus quondam Rex Anglorum, secundi Regis Henrici avus, in mausolæo gloriosè quiescit: cujus & ipse fundator extitit, magnificè dedicavit: Rege volente, sed & præsente. Et eodem quoque anno Londoniæ apud Westmonasterium, gloriosi, & verè sancti Regis Edwardi corpus, tanquam clarum admodum & pretiosum vas perfectæ continentiæ, de terræ pulvere extulit. Et ob multa præclara vitæ merita, solemniter quidem, & sublimiter ibidem in Ecclesia, inter Sanctorum corpora collocavit. Rege itidem volente, sed & præsente. Et erat tunc illustris Regis, & sancti Pontificis, cor unum & anima una in Deo: regno per hoc, & sacerdotio, in summa pace, & tranquillitate concurrentibus: Deo pacis & dilectionis sic agente. Sed proh dolor! & verè dolor, nihil in humanis diuturnum, nihil permanens; sed juxta Sapientis dicta: omnia tempus habent: & suis spatiis transeunt omnia sub cælo. tempus flendi, tempus ridendi: tempus dilectionis, tempus odii: tempus pacis, & tempus belli: omnia tempus habent. Magna certè nomina, & chara fœdera tanti Regis, & tanti Pontificis: Reverà tantum Regem, tantum Pontificem in alio mundi regno inveniri est difficile, & tantam inter eos concordiam. Grandis quidem coocordia, sed brevis hora. In brevi quippe extrema concordiæ dissensio occupat.] Hactenus ergò amici sunt Rex & Pontifex: nunc inimicitiæ causas, quæ variæ fuerunt, exponendæ.

XXVII. S. Thomas resignat Sigillū Regium.

Vidit Thomas, Cancellarii munus, quod hactenus gesserat, cum pastorali munere, animarum & Ecclesiarum cura non posse consistere. Hoc malè Regem, cupientem sacris prophana miscere primùm, ut postmodum faciliùs, sacra prophanis inservire & ancillari possent. Quod veritus Pontifex, quo pleniùs & integriùs sacræ militiæ operam daret, sæcularibus negotiis ooluit occupari. Matthæus Westmonasteriensis hoc explicat per Regii sigilli resignationem, & ait: *Thomas resignavit sigillum Regium, quod Rex nimis moleste tulit.* factúmque id putat anno superiori: cum ut idem Author ibidem affirmat: *Thomas quoque Archiepiscopus vitam curialem in sanctissimam subitò mutavit conversationem.* Hac primùm ratione, amicitiæ vinculum dissolvi, & aversi animi argumenta dari cœptum. *Westmonast. an. 1162.*

Causæ iræ Regis in S. Thomam

1. Causa. *Quadrilog. l. 1. c. 22.* [Secundam verò iræ causam (ita Quadrilogus) dedit hoc quod sequitur. nam publicæ potestatis ministri, per regionem Anglicanam de consuetudine, sibi de singulis hidis, vel aidis (ut verbis comprovincialium utar) pecuniam colligunt tanquam laboris mercedem, quam tuitioni patriæ impendunt.

2. Causa. Quam pecuniam cum Rex, tanquam reditum mitteretur in fiscum redigere: obstitit Primas, dicens non oportere pro redditu computari, quòd pro suo, & aliorum arbitrio daretur.

3. Causa. Sed & tertium fuit, quod iram Regis accendit. Contigit ut quidam operarii diabolici, nomine duntaxat Clerici, sed de sorte satanæ, de maleficiis accusati, capti tenerentur in vinculis. Inter quos sacerdos unus erat de homicidio infamatus, & accusatus à propinquis defuncti. Iste ob privilegium ordinis ad diœcesanum Episcopum Salesberiensem captus dirigitur. Regis officialibus & propinquis defuncti accusantibus, & acriter instantibus, ut Episcopus exhiberet justitiam. Sed Sacerdote constanter inficiante, cum non posset per accusatores convinci, Canonica inducitur purgatio accusato. Sed eo in purgatione deficiente, mittit Episcopus, ad Archiepiscopum de jure consulens, ut in exequendis procederet securiùs. Archipræsul verò consultus, mandavit, ut omni privatus beneficio Ecclesiastico exauctoraretur, & in monasterio ad agendam perpetuam vitæ districtissimæ pœnitentiam perpetuò recluderetur. Et quidam Clerici, in hunc modum super maleficiis accusati, & convicti vel deprehensi, vel infames, vel in purgatione deficientes: adjudicatâ, absque omni mutilatione, vel deformatione membrorum ex decreto Archipræsulis, pristinis authenticorum canonum sanctionibus roborata per provinciam puniuntur: pœnâ tamen exasperatâ vel emollitâ pro qualitate flagitii: & gradu etiam & ordine delinquentis: & modo, & causâ delinquendi.

XXVIII. 4. Causa.

Illud etiam minimè prætermittendum, quod circa idem tempus, Philippus de Lidrois Canonicus, Justitiarium Regis quibusdam contumeliis affecerat, propter quod Rex, non solùm adversus ipsum, sed potius adversus totius regni Clerum exasperatus videbatur. Solet quippe mox in totam cujusvis officii professionem conferri; siquid fortè turpiter, vel enormiter ab aliquibus de professione admittitur. Verùm querelâ ad Archipræsulem delatâ, dictus Clericus, etiam supra modum delicti, ut vel sic quiesceret Regis indignatio, est punitus, publicæ scilicet virgarum disciplinæ adjudicatus: & per annos aliquot, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, quod in regno habebat, suspensus. Verùm cùm Regi non sufficeret hoc, videbatur potiùs Rex reum Clericum ad aliquam pœnam corporalem deposcere: sed verebatur hoc exprimere. Et jam videns Archipræsulis vigorem non posse flecti ad hoc, arctabatur Rex, arcta-

batur

batur & Pontifex. Rex etenim populi pacem: ſicut & Archipræſul, Cleri ſui zelans libertatem: audiens per hujuſmodi caſtigationes talium Clericorum, imo coronatorum dæmoniorum, flagitia non reprimi; ſed prorſus indies per regnum deteriùs fieri: Archipræſulem & Epiſcopos regni, & Clerum, Londonium apud Weſtmonaſterium convocat.] Quid inde factum in conventu, dicam, cum priùs alias Regiæ iræ cauſas, in medium produxero. Thomas Eccleſiæ ſuæ jura ſtrenuè defendẽs, laicos omnes promiſcuè, etiam Regis miniſtros, cenſuris, cum delinquerent, Eccleſiaſticis caſtigavit: quod Regem imprimis pupugit, videntem laicos à Clero puniri: cum Clerus interim à laicorum imperio, immunis, & impunis eſſet.

XXIX. 5. CAUSA. *apud Selden. in Spicelo. fol. 169.* Narrat Radulphus de Diceto Decanus Londinenſis, quid hoc anno Regem in Archiepiſcopum maximè concitaverit. & inquit: [Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio, Thomas Archiepiſcopus vacantem Eccleſiam Ainesfordiæ contulit in Laurentium. Willielmus villæ Dominus, ſibi vendicans jus patronatus in eadem Eccleſia, Laurentium expulit. Archiepiſcopus eum excommunicavit. Quod quia minimè certiorato Rege fecisset, maximam Regis indignationem incurrit. Aſſerit námque Rex, juxta dignitatem regni, quòd nullus Capitaneorum, nullus militans Regi, nullus miniſter Regis: nullus, ſcilicet, ut vulgariter loquar, de Rege tenens in capite Caſtellum, villam, vel prædium, citra conſcientiam Regis eſt excommunicandus ab aliquo. Ne ſi ſuper hoc Rex certioratus non fuerit, ignorantia lapſus cõmunicet excõmunicato. Capitaneum ſuum venientem ad ſe, vel invitans ad oſculum, vel recipiẽs in Concilium.] Ita ibi. An hoc religioſæ conſcientiæ, vel apertæ factionis argumentum ſit, alii diſputent. Interim Guilielmum primum, Eccleſiæ jura primò temerantem imitatus eſt: qui olim [Nulli Epiſcoporum

Edmerus l. 1. fol. 6. ſuo conceſſum iri permittebat (loquitur Edmerus) ut aliquem de Baronibus ſuis, ſeu miniſtris, ſive inceſto, ſive adulterio, ſive aliquo capitali crimine denotatum, publicè, niſi ejus præcepto implacitaret, aut excommunicaret, aut ulla Eccleſiaſtica cenſura conſtringeret.]

XXX. Habes ferè irarum & perſecutionis in Thomam præcipuas cauſas, quas juſtitiæ velo tecturus Rex,

Quadrilog. l. 1. c. 23. Epiſcopos Londini congregavit. [Ubi cauſâ vocationis expoſitâ (ita Quadrilogus) mox inſtanter exigit: ut deprehenſi, vel conventi Clerici, in tam enormibus flagitiis, lictoribus ſuis, Eccleſiæ præſidio deſtituti exponantur. Ad nocendum

REX PETIT CLERICOS CONVICTOS DE CRIMINE TRADI CURIÆ SÆCULARI. promptiores ſore adjiciens, niſi poſt pœnam ſpiritualem, corporali pœnæ ſubdantur, & parum curare de ordinis amiſſione, qui contemplatione ordinis, à tam enormibus, manum continere non verentur. Et tanto deteriores eſſe in ſcelere, quanto ſunt cæteris ordinis privilegio digniores. Unde & ſeverioribus coërcendi ſunt, vindictis, quando reperiuntur in ſcelere. Hoc igitur Rex quorundam fretus conſilio, utriuſque juris ſe habere peritiam oſtentantium, inſtantiſſimè poſtulabat; ut tales mox ſubmoti ab ordine, Curiæ tradantur: quod non ſolum jus humanum; ſed etiam ipſius juris divini Canonica ſanxit authoritas. Unde de talibus ſæpè reperitur in Canone. Tradantur Curiæ. Unde quidam pro Rege, ob regium favorem (ut videbatur) ſcienter edocti, allegabant tales, nequaquam exilio, vel monaſterio: ſed Canonibus ſancientibus ſic potius tradendos Curiæ; hoc eſt, judicio ſæculari tradi puniendos. Verùm Rege, & ſuis ſic allegantibus, Archipræſul unà cum comprovincialibus Epiſcopis, & cum præfatis eruditis ſuis; librato conſilio, cum plurimum & ipſe pro Cleri libertate, ſecundùm antiquorum Patrum Canonicam inſtitutionem luculenter ſatis, & probabiliter reſpondiſſet; in fine

DEPRECATUR S. THOMAS CUM EPISCOPIS. ſermonis, cum omni devotione, Regiam obſecrabat clementiam, ne ſub novo Rege, Chriſto: & ſub nova Chriſti lege, in novam, & peculiarem Domini ſortem, contra Sanctorum Patrum inſtituta, novam per regnum ſuum induceret coërcitionem. Et hoc quidem pro ſe, & pro regni ſui ſtabilitate obſecrabat humiliter, & frequenter, crebrò interadjiciens ſe hoc ſicut nec debere ſuſtinere, nec poſſe.

XXXI. *Quadrilog. ſup. c. 24* REX COMMOVETUR IN ILLUM. Verùm Rex nihil motus ad hæc, ſed eò ampliùs commotus, quod cerneret Archipræſulem & Epiſcopos, adverſus Ipſum, ut reputabat, unanimes ſicut & conſtantes: ſciſcitabatur mox, an conſuetudines ſuas Regias forent obſervaturi: repliquans illas tempore avi ſui, ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Primatibus & privilegiatis obſervatas; non oportere tempore ſuo triſti judicio damnari. Ad quod Archipræſul, præhabito tum cum fratribus ſuis conſilio, reſpondit illas ſe & fratres ſuos obſervaturos *Salvo ordine ſuo.* Et idipſum etiam ex ordine ſuo reſponderunt Epiſcopi ſinguli, ſigillatim à Rege interrogati. Unus autem, Hilarius ſcilicet Cicestrenſis Epiſcopus, audiens ob hanc omnium vocem, Regem magis exacerbatum Archipræſule & Coëpiſcopis inconſultis, mutavit verbum dicens ſe Regias conſuetudines obſervaturum *Bona Fide.* Et profectò pro bono, ut reor, ut vel ſic Regis ſedaret animum: Sed Rex nihil mitigatus ob id, ipſum quibuſdam contumeliis affectum ſprevit. Et ad Archipræſulem & Epiſcopos ſe convertens, omnium ſic unâ, & eâdem voce auditâ, dicebat aciem contra ſe firmatam, & venenum verbo illi ineſſe, & capioſum eſſe *Salvo ordine ſuo*: unde petebat, ut abſolutè, & abſque adjectione, Regias conſuetudines obſervaturos promitterent. At Archipræſul reſpondit ad hæc: quòd fidelitatem ei juraverant; vitam, ſcilicet, membrum & honorem terrenum, *Salvo ordine ſuo*: & quòd in terreno honore Regio fuiſſent conſuetudines comprehenſæ: & ad earum obſervationem, ſe minimè in alia forma obligaturos, niſi in qua priùs juraverant. Turbatus eſt ergo Rex vehementer, & Curia tota cum eo. Videres illico quamplures Eccleſiæ non dico columnas, ſed arundines agitari, & trepidare, audito quod non per omnia voto Regis eſſent parituri. Et certè ſtatim ante minas ceſſiſſent; niſi Archiepiſcopi conſtantiam perſenſiſſent. Cùm verò multum inclinata eſſet jam dies: tota die Rex vexatus, inſalutatis Pontificibus, in ira & indignatione multa, ſubitò recedit ab aula. Pariter & Pontifices tota die vexati recedunt, & in hoſpitia ſe recipiunt. In receſſu verò Epiſcopus ille, quem ſuprà diximus, ab Archipræſule eſt acriter objurgatus: quòd & ſe, & Coëpiſcopis ſuis inconſultis, commune omnium verbum præſumpſiſſet mutare. In craſtino verò Rex munitiones, & honores, quæ Archipræſul à Rege, jam à tempore Cancellariæ in cuſtodia habuerat, repetita recepit. Et nec eum ſalutans, nec ſalutatus à Pontificibus, imo

nescientibus illis, clam & ante lucanum à Londonia recessit. Et quidem hoc grandis iræ & indignationis argumentum extitit. Videres tunc murmur in populo, commotionem in Clero. Episcopi turbati, & tremuli Regem abeuntem sunt prosecuti, metuentes se non priùs inventuros, quàm audirent, se omnia bona sua perdituros.] Hactenus quadrapartita historia, quam Quadrilogum voco.

XXXII. Thomas in angustiis positus, cum universæ Ecclesiæ causa ageretur, quam suis jam humeris impositam cernit: timensque quod accidit, se ab Episcopis deserendum; dicti sui factique rationem, missis literis Alexandro significat: cui mox Alexander in hæc verba rescripsit:

ALEXANDER Papa, THOMÆ Cantuariensi Archiepiscopo.

LITERÆ ALEXANDRI PAPÆ AD S. THOMAM *apud Baron. hic.*

Literas, quas nobis tua fraternitas destinavit: & ea, qua nuntius tuus nobis viva voce proposuit, attentâ diligentiâ audivimus, & graves anxietates & amaritudines, quibus animus tuus assiduè affligitur, pleniùs attendimus. Unde his auditis & cognitis, spiritus noster commotus est, & valdè turbatus. quibus cordi est libenter in tuis prosperitatibus delectari: & tibi adversis tanquam fratri charissimo condolere. Tu igitur sicut vir constans & prudens, recolens sæpè quod dicitur. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni facti sunt pro nomine JESU *contumeliam pati, hujusmodi angustias in patientia toleres: & non plùs quàm oportet, spiritus tuus anxietur: sed dignam in te ipso consolationem recipias. Ut & nos pariter tecum in Domino consolemur: qui te ad corroborationem Catholica & Christiana veritatis, hoc necessitatis articulo reservavit: & cui beneplacitum est, eorum, qua minùs licitè commisisti maculam abstergere: & per varias afflictiones punire: ne ea videantur in districto examine punienda reservari. De catero ne tibi grave sit, nec sicut ex literis, quas per clericum* * *tuum misisti, accepimus, ulla ratione meticulosum, quòd & ad Sedem Apostolicam appellatus: quia gratum nobis est & acceptum. Et volumus, ut si illi, qui te appellaverunt, fortè venerint, tu teipsum (si tibi visum fuerit) appellationem ipsam, omni dubietate, & dilatione postposita prosequaris. Nec unquam authoritate Romana Ecclesia possit aliquis constantia tua timorem incutere: seu dubietatem. Quia nos jura & dignitatee Ecclesia tibi commissa: quantum salvâ justitiâ & ratione poterimus, studiosiùs tibi curabimus, authore Deo conservare: sicut illi, quem in facto Ecclesia constantem reperimus, & fortissimum propugnatorem. Ad hac fraternitati tua pracipiendo mandamus, quatenus te in Cantuariensem Ecclesiam recipias: & paucis quidem clericis retentis admodum necessariis, ad minus quam poteris, per terram illam discurras. Illud autem specialiter suggerimus tua providentia: ut nullius timoris, vel adversitatis obtentu, qua tibi possit accidere, juri & dignitati Ecclesia tua renuntiare cogaris. Datum Senonis septimo Calendas Novembris.*

** quas Clerico tu misisti.*

XXXIII. Has literas ad hunc annum refert Baronius, vultque *in initio tribulationis* dictatas esse. Unde colligimus, vel Regem Henricum, vel Regi à consiliis, Thomæ minas intentasse; ut si non vitæ, muneris saltem sui eum tæderet. Unde illum Alexander in angustiis positum consolari, & ad constantiam in munere pastorali animare coactus est. Cæterùm Thomas Alexandro cum gratiarum actione rescripsit in hunc modum:

RESPONSIO S. THOMÆ ALEXANDRO.

Literas consolationis, quas Vestra nobis dignata est Paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium: aut si saltem circa unum aliquid nostra figeretur angustia, spem nonnullam respirandi ex eis possemus concipere: at quoniam de die in diem malitia invalescit, multiplicantur injuria, non nostra, sed Christi: imo quia Christi, eo magis nostra, succedentibus sibi invicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium: nec aliud consilium superesse, nisi ut Christum quasi dormientem in navi, pro viribus nostris excitantes, dicamus: Domine salva nos, perimus. Et hoc sanè aptiorem malignandi nacta est iniquitas occasionem: quòd statum Romana Ecclesia infirmiorem conspicit: ut verè liqueat, quòd quicquid in caput, sive bonum, sive malum; sive dulce, sive amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam. Eripitur JESU-CHRISTO, *quod Sanguine suo comparavit. In ipsam ejus sortem potestas sacularis manum extendit: adeo ut nec Sanctorum Patrum sanctiones, nec statuta Canonum; quorum apud nos etiam nomen exosum est. nec Clericis quidem patrocinari valeant modò, qui ab hac jurisdictione, hucusque speciali privilegio fuerunt exempti.*

XXXIV. SINGULA REFERT PONTIFICI, PER NUNCIUM MAGISTRÛ HENRICUM.

Et quoniam enarrare, vel persequi scripto, qua patimur, longum esset, & tadiosum, ad vestram misimus Paternitatem, Magistrum Henricum fidelem & familiarem vestrum & nostrum; in cujus ore posuimus singula seriatim, prout vidit & audivit, vobis exponenda. Et si placet, credite tanquam si nos loquentes audiretis vivâ voce. Hoc tamen sciatis, quoniam si fieri posset, multo libentiùs vos in persona visitaremus nostra, quàm in alia. Loquimur vobis sicut Patri, & Domino: & quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est: cum omnia ferè referantur ad Regem, qua nobis in conclavi, vel in aure dicuntur. Va nobis qui in hac servamur tempora: quorum diebus accesserunt hac mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate: quam modo dura & pessima servitute recompensamus. Fugissemus saltem, nè in direptionem, patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quò nisi ad eum, qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Wallensibus, & Oeno, qui se Principem nominat, Domine provideatis: quia Dominus Rex super hoc maximè motus est & indignatur. Charissime Pater, & Domine, benè Valete. His Thomæ literis, & secreta legatione doctus Alexander, inter Angliæ Episcopos esse dissidium, his pro Thoma, sed pluribus pro Rege stipulantibus: præviso etiam Anglicanæ Ecclesiæ periculo, quam Henricus coronæ avidissimus, perverso impetu lædere inciperet, statuit omnes Angliæ Episcopos ad tuendam Ecclesiæ dignitatem accendere, atque ita scripsit:

XXXV. *Ad hoc Pontificalis officii onus suscepisse noscimini: ut commissas vobis Ecclesias, sic ad honorem Dei, & subditorum profectum atque Salutem regatis, quòd earundem Ecclesiarum libertas, per vos nullatenus minuatur: sed in suo statu per studium vestrum & per operam conservetur. Inde siquidem est quod fraternitati vestræ, per Apostolica scripta pracipiendo mandamus, & in virtute Obedientia injungimus: quatenus, si illustris Anglorum Rex, quicquam à vobis aliquo tempore requisierit, quod contra Ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis.*

Nec

Nec vos illi in aliquo, & maximè contra Romanam Ecclesiam obligetis, aut nova promissionis, seu juramenti formam inducere præsumatis, præter id quod Episcopi suis Regibus facere consueverunt. Si autem jam dicto Regi super hujusmodi vos in aliquo astrictos cognoscitis, quod promisistis, nullatenus observetis: sed hoc potiùs revocare curetis: & de promissione illicita, Deo studeatis, & Ecclesiæ reconciliari.

XXXVI. HENRICUS COMPONIT WALLENSES.

Westmonast. hic.

REX MALCOLMUS SCOTORŨ, ET RHESUS DEMETIÆ, &C. FECERUNT HOMAGIUM HENRICO.

Walsing. hypodig. Neust.

Westm. hic.

Vix cœperat Henricus Ecclesiam vexare; cùm antiqui Britanni, ad omnem motum factionemque faciles, & Scotis conjuncti animo tumentes, Angliam incursant: quod Thomas supra ad Alexandrum scribens, videtur innuisse: Verùm Henricus, illustrandæ coronæ suæ totus incumbens, ad omnem hostilem & civilem impetum, è vestigio surrexit: coëgitque Britannos & Scotos induere, quod toties exuere nitebantur, servitutis jugum. Unde ad hunc annum scripsit Westmonasteriensis: [Tempore illo, Rex Scotorum Malcolmus, & Rhesus Princeps Demetiæ, idest australium Wallensium, & alii multi Magnates, fecerunt homagium Regi Henrico, apud Woodstock.] Ita ille: Alii volunt Henrici quoque filio & hæredi, tam Scotos, quàm Wallenses, fidem jurasse. nam ita Thomas Walsingamus ad hunc annum: [Malcolinus Rex Scotorum, Resus Princeps Australium Wallensium, Audoenus Aquilonarium, & quinque majores de Cambria, fecerunt homagium Regi Anglorum, & Henrico filio suo, Kalend. Julii apud Woodstoke.] Nec minor fuit ad Ecclesiæ tuendam dignitatem Thomæ industria. Unde quis Ecclesiæ obligati, servitutem debebant, ad illam solvendam hoc anno dum cogere laborat, in apertum Regis odium, paulò priùs accensum incurrit quod Westmonasteriensis ita narrat: [Ipso quoque tempore, Rogerius Comes Clarensis, à Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, apud Westmonasterium, vocatus est ad faciendum ei homagium de castello de Tunbrige. Quod cum audisset Rex, prohibuit fraudulenter hoc fieri. Et hoc fuit primum indicium odii Regii manifestum.] Quam manifestum illud fuerit sequentia docebunt.

ANNUS CHRISTI 1164.

ALEXANDRI III. PAPÆ 6.

HENRICI II. REGIS 10.

I.

Baron. hic.

ANNUS ADVERSUS ECCLESIÆ, PRÆSERTIM IN ANGLIA.

PLACET hunc annum cum Baronio suspicari: qui omnium Ecclesiarum evolvens monimenta, Anglicanæ potissimùm manum calamúmque sequentibus annis accommodat. Ita ergò ipse: [Sequitur annus millesimus centesimus sexagesimus quartus, Indictione duodecima: idémque Ecclesiæ Catholicæ, ob multa, quæ in eo contigere mala, admodùm ærumnosus & laboriosus. Atque in primis, quod ad res pertinet Anglicanas, graviores in dies excitati sunt fluctus: non ad obruendum tantùm Cantuariensem Primatem, unà cum universa Ecclesia Anglicana: sed ipsam sacrosanctam Catholicam (si licuisset) Ecclesiam demergendam, unà cum ejus Præsule Alexandro Pontifice. Siquidem Henricus ipse Rex Angliæ Sanctum Thomam obstinato animo persequens, in eundem Alexandrum Papam, ut eum ab Ecclesia dimoveret, omne studium convertit. At quomodo cuncta hæc funesta adeò se habuerint, accipe. Post turbulentum illum inter Episcopos Regémque congressum, & factam ob furorem Regis concitatam discessionem: ad evitanda instantia, quæ in dies magis urgerent mala, atque longè graviora, quæ imminerent universæ Ecclesiæ Catholicæ damna; idem S. Thomas crebris impetitur multorum Episcoporum & Abbatum suasionibus: ne unius verbi occasione, seipsum unà cum universa Ecclesia, in discrimen adeo potens importunè valdè conjiceret: asserente & uno ex iis Abbate, hanc esse mentem ipsius Alexandri Romani Pontificis. His tandem persuasus Thomas (inquit in Quadripartita Herebertus) urgente charitate, apud Oxenefordiam ad Regem accessit: & verbum, quod Regi scandalo erat, se mutaturum promisit. Unde Rex aliquantisper sedatus, vultum exhibebat sereniorem Archipræsuli, nondum tamen, ut solitò. Dicebat autem Rex: obligationem de Regiis consuetudinibus observandis velle sibi fieri in forma hac, in Episcoporum, & Procerum regni conspectu, & audientia publica. Ad hæc (pergit Baronius) ubi audivit de publico indicendo conventu, malorum præsagus, rursùm Thomas resilit: Sed rursùs impetitur precibus diversorum: quibus & cogitur ad horam cedere exemplo Petri, cum Judæis Antiochiæ judaizantis: & Pauli idipsum sæpiùs actitantis.] Hæc ille.

Quadrilog. l. 1. c. 25.

II.

Camden. in Wilshire.

REGNI CONVENTUS APUD CLARENDUNE.

Quadrilog. l. 1. c. 26.

Sequitur Episcoporum & Procerum Conventus: ubi controversiarum cardo, inter Infulam & coronam vertitur, sequutæ inde tempestatis fundamentum. Locus non alio clarior Clarindonum dicitur, non in Normannia situm, ut imperitè Foxius, novorum Martyrum Cyclops censuit: sed in Wiltoniensi agro, ubi *vivarium amplissimum conservandis nutriendisq; animantibus feris peropportunum, & Regiis ædibus quondam exornatum*, inquit Camdenus. Ibi ergo avitæ Regni consuetudines (ita vocari voluit Henricus postulata sua) à Rege propositæ, ab Episcopis & Proceribus excussæ, multorum magnorum motuum causa fuerunt. De hoc conventu ita Quadrilogus: [Rex igitur regni & sacerdotii, ut videbatur pacem zelans: sed sibi & Archipræsuli minùs providens, apud Clarendune, regnum convocat universum. Quò cum Præsules & Proceres convenissent: exegit Rex instantiùs, ut promissa sibi solverentur. Verùm Archiepiscopus (licet Regi assentire promisisset) suspectam tamen habens Regis promissionem, quam scilicet exigeret: & quia Principes frequenter ad indebita manus extendunt, modum ignorantes: elegit potiùs apud Regem, quàm in Lege Dei periclitari, æneumque serpentem conterere priùs quàm pravitas in populo Dei pullularet. Itaque quamvis exilium aut carcerem metueret. Deum tamen pluris æstimans, ex adverso ascendit. Ille minatur: iste refragatur. Ille delirat: iste tacita prece suspirat.] Nimirum, cum consuetudines Regias noluit sua authoritate munire. Quid inde sequutum ita narrat Gulielmus Cantuariensis, è quatuor quadripartitæ historiæ authoribus unus:

S. THOMAS RESILIT AB EO, QUOD PROMISERAT.

III.

Author ubi supra.

[Interea Episcopi Salesberiensis, & Norwicensis, quos ab antiquo odio pœna manebat, timentes sibi ex impacati temporis occasione, verbis

EPISCOPI AGGREDIUNTUR S. THOMAM SUASIONIBUS UT REMITTAT ALIQUID.

lacrymabilibus Archiepiscopum exorabant: quòd sui misereretur & Cleri: & quòd pertinaciam animi relaxaret, nè ipse carcerem, Clerus exterminium; ipsi capitis damnationem incurrerent. Sed & Comites duo potentissimi in regno, ipsum aggressi, dicebant quod nisi ille voluntati Regis acquiesceret, ex Regis jussione, ipsi ad violentiam cogendi erant: quæ Regi sibique perpetuam irrogaret infamiam. Vir igitur invictæ constantiæ, & in petra Christo fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concussus; tandem à gremio veritatis; & sinu matris avellitur, cujus libertati adhærebat. Et nè Victor in lite per superbiam tumesceret; in mente inde decrescens, unde proficere deberet, derelinquitur ad horam sibi, ut cadat, post casum resurgat. Cadens humanam fragilitatem agnoscat; resurgens Dominicam circa se miserationem intelligat. Sic nè quis de virtute sua confidat: Princeps Apostolorum Petrus, & David sanctus ceciderunt. Non tamen jacendi ponimus exemplum; sed si ceciderit quis, resurgendi. Cecidit quidem Petrus, sed respiciente in eum Domino flens amarissimè, fortior surrexit. Cecidit David: sed Propheta eum redarguente lapsûs culpam plenè penitendo delevit, & pœnam evasit. Sic & Beatus Thomas tentationi derelinquitur ad horam, ut postea fragilitatis propriæ memor, fortior resurgat ad pugnam.

IV. Igitur cùm tertiò per Richardum magni nominis virum, qui templo Hierosolymitano tunc præerat, sibi cavere moneretur, & Clero misereri: non tulit eorum supplicationes, non geniculationes. nam tanquam in ipsius verticem vibratos gladios viderent, plangere videbantur. & tanquam funus præsens, futurum facinus lugebant. Tandem ultimi nuntii Regis venerunt, & lacrymis, & verbis expressis eis seorsum iteratò significantes; quid futurum erat, si non acquiesceret. Unde potiùs super Clerum, quàm super se motus miseratione annuit de consilio eorum Regiæ voluntati parere. Primus igitur ante omnes Archipræsul in prætacta forma se obligat: Quòd videlicet Regias consuetudines foret observaturus *Bona Fide.* verbo illo suppresso: scilicet *Salvo ordine suo.* & quasi juratoriam adjiciens cautionem, hoc se facturum in verbo veritatis spopondit: peccatum peccato adjungens. Et idipsum in ea forma sigillatim universi Pontifices juraverunt. Et incontinenti, facta obligatione in forma hac, per quosdam regni Proceres, qui has nosse debuerant, facta est Regiarum consuetudinum recognitio. & sicut publicè, ita & expressè censerentur. Verùm cum & pleræque jam fuerunt expressæ, & multò plures, ut videbatur, forent exprimendæ adhuc: Archipræsul interlocutus est, dicens: se nec esse de antiquioribus regni, ut pristinas regni Consuetudines sciret: nec in Archipræsulatu diu fuisse. Unde & dicebat se nescire de his. Et præterea, quia inclinata jàm esset dies, tantum negotium in crastinum differendum. Placuit sermo; & in sua se receperunt hospitia, in crastinum revertentes in idipsum. Et quæ intermissæ fuerint Consuetudines Regiæ, recognitæ sunt, & expressæ, & in scriptis in chirographi modum confectis redactæ, & Regiarum consuetudinum nomine censæ. Quarum tamen multæ (ut perhibebatur) nequaquam Regiæ; sed odio Archipræsulis ad ancillandam Ecclesiam, evomitum æmulationis & invidiæ virus exprimebant: Ipso etiam Rege ignorante: quod homines inter ipsum & Archiepiscopum suum, hac astutia, dissensionis zizania seminare intenderent. Nec enim Rex, qui adhuc erat juvenis; sicut nec Archipræsul novus, pristinas regni consuetudines, nisi ex aliorum relatu cognoscebat. Quales verò hæ Regiæ consuetudines fuerint, infra patebit.

B. THOMAS INDUCTUS AB ALIIS PROMITTIT SE OBSERVATURUM REGIAS CONSUETUDINES *Bona Fide.* SUPPRESSO ILLO: *Salvo Ordine.*

ASTUTE OBTRUDUNTUR S. THOM. MULTÆ CONSUETUDINES NON REGIÆ.

V. Scriptis igitur Consuetudinibus, & ad formam chirographi redactis, postulat Rex ab Archiepiscopo, & Coepiscopis suis, ut ad cautionem majorem, & firmitatem sigilla sua appendant. Verùm Archipræsul, etsi vehementer contristatus, dissimulat tamen, Regem contra stare nolens. Et cautè quidem de plano non negabat; sed differendum adhuc dicebat: etsi parati essent ad faciendum. Dicebat tamen propter negotii magnitudinem decere dilationem vel modicam: cum juxta Sapientem: *Absque consilio, nihil faciendum grave.* Et exinde post deliberationem aliquantulam; ipsum, & Episcopos super hoc ipsum decentiùs requirendos. Scriptum tamen dictas consuetudines continens recepit* præmeditatè: & proinde, ut causam suam, secum videlicet scriptam haberet. Alteram verò scripti partem suscepit Eboracensis Archiepiscopus. Rex verò tertiam in Regum scriniis reponendam: Et sic à Curia recedens versus Wintoniam Archipræsul proficiscebatur. Eo itaque sic recedente, obiter inter familiares ipsius orta est murmuratio: His ut assolet suggerentibus; sic fieri oportere propter temporis instantiam. Aliis indignantibus Ecclesiasticæ libertatis auctoritatem ad unius hominis libitum deperire. Inter quos unus arctiùs institit, dicens: Publica, inquit, potestas perturbat omnia: In ipsum Christum delirat iniquitas: Synagoga satanæ prophanat Sanctuarium Dei. Sederunt Principes, & convenerunt in unum adversus Dominum Christum: Nemo tutus qui diligit æquitatem mundo judice. Soli sapiunt, & venerantur hodie, qui Principi obsequuntur ad libitum. Concussit hæc tempestas & columnas Ecclesiæ: & dum Pastor disparuit, oves dispersæ latitant sub lupo: de cætero quis erit locus innocentiæ? Quis stabit ex adverso? vel quis triumphabit in prælio, Principe devicto? Hæc quidem is murmurabat qui Crucem ferebat ante Archiepiscopum. Cæteri obmutuere præ angustia. Et adjecit audaciùs, assumens parabolam in hunc modum: Quid (inquit) virtutis sibi retinuit: qui conscientiam perdidit, & famam?

REX PETIT UT SIGNET CONSUETUDINES REGNI.

RECIPIT REGIAS CONSUETUDINES.

* præmeditatè.

QUOD B. THOMAS ALIQUID CESSERIT SUI MURMURANT.

VI. Quorsum hæc fili? ait Archiepiscopus: Teipsum, inquit, id respicit, qui hodie perdidisti conscientiam & famam; Deo odibili, & honestati contrario exemplo imposterum relicto: cum manus tuas Deo sacratas, ad execrandas consuetudines observandas extenderes: & in confusionem libertatis Ecclesiasticæ, cum nefarii satanæ ministris communicares. Ingemuit igitur Archiepiscopus, & suspirans ait: Pœnitet, inquit, & graviter meum perhorrescens excessum: meipsum indignum judico de cætero ad eum accedere in sacerdotio, de cujus Ecclesia contraxi tam vile commercium. Silebo itaque sedens in mœrore; donec visitaverit me Oriens ex alto: ut per ipsum Deum, & Dominum Papam merear absolvi. Nec mirum: videre enim mihi jam videor, quòd meis peccatis exigentibus debeat ancillari

B. THOMAM PÆNITET QUOD CESSERIT.

Anglicana Ecclesia, quam mei prædecessores, inter tot & tanta, quæ mundus novit pericula rexerunt tam prudenter: pro qua inter hostes ejus, militaverunt tam fortiter, & triumphaverunt tam potenter, scilicet quæ ante me extiot Domina; per me miserum videtur ancillanda: qot utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Et Ecclesia quidem meritò passura hæc per me, & meo tempore: quia non sum sicut prædecessores mei de Ecclesia, sed de aula assumptus sum ad officium hoc: non de claustro, non de loco religionis aliquo, non de schola Salvatoris: sed potiùs de satellitio Cæsaris, superbus & vanus. De Pastore ovium, dudum fautor histrionum, & canum sectator, nunc animarum Pastor. Posuerunt enim me nescio quem custodem in vioeis; qui meam propriam non custodivi, sed neglexi. Longè certè à salute Ecclesiæ, antedicta vita mea; & nunc hæc opera mea. Unde & planè video, me jam à Deo derelictum: & à Sede sancta, in qua locatus sum, jam abjici dignum.

VII. DEFLET HIC FACTUM.

Dum igitur dolor eum sic urgeret, exitus aquarum deduxerunt oculi ejus: itaut intus continuas lacrymas singultibus crebrò irrumpentibus, compelleretur magis rumpere sermonem, quam finire. Et pœnitentia ductus, quòd temerariè consensisset illicitis; quamvis ex magnorum virorum persuasione; multiplex ratio culpam excusaret: quamvis etiam Clerus causam suam justificaret: tamen à seipso tanquam pro seipso commisisset, pœnas exegit, jejunio, & asperitate vestimenti se affligens: & se interim ab altaris officio suspendens. Post paucos verò dies, eò quòd ex priùs gestis incautè gereret conscientiam; cum multa festinatione, ad Romanum mittit Pontificem: utpote cujus est sanare contritos corde, & alligare contritiones eorum. Igitur sicut absens per scripta poterat, vulnus detegit, medicinam quærit: toto interim tempore se affligens; donec reverso nuntio à Summo Pontifice, qui tunc propter schisma Senonis morabatur: super his de quibus se accusabat, per Apostolica scripta absolutionis gratiam obtineret. A quo præter absolutionis beneficium, multam consolationem accepit. Qui etiam ut pastoralem sarcinam fortiter & alacriter sustineret, & strenuè ad opera pastoralia se accingeret, paterno exhortabatur affectu. Unde & ipse Apostolicum mandatum, tanquam sibi cælitus missum, in omni jucunditate suscepit: sicut qui & spiritu ferventissimus erat.] Hactenus ex Alano, Herberto, atque Guilielmo, quos in unum collegit Joannes Saresberiensis. qui nec scriptas à Thoma ad Alexandrum literas, nec Alexandri responsum referunt: Baronius tamen Alexandri literas invenit, & Annalibus inseruit ita præfatus. [Didicerat ista Alexander Papa antea aliorum relationibus (nimirum Thomam se ab altaris ministerio, in delicti pœnam, suspendisse) magnáque commiseratione commotus, has ad eundem S. Thomam literas dedit, quibus mœrentem est consolatus, atque absolvit à juramento.] Literæ autem sic se habent.

S. ...OMÆ.

AD aures nostras fraternitas tua noverit fuisse perlatum. & quorundam nobis relatione suggestum: quòd occasione cujusdam excessus, à Missarum propositis celebratione cessare, & à consecratione sanguinis & corporis Domini abstinere. Quod utique quàm grave sit, præcipuè in tanta persona, & quantum possit inde scandalum provenire, solicita meditatione consideres: & hoc ipsum vigilantia tua discretionis attendat. Debet autem diligentia tua prudenter advertere: quòd plurimùm interest, quando ex deliberatione, & propria voluntate; & quando ex ignorantia, vel necessitate, aliqua committuntur. Aliter enim in his, quæ spontanea voluntate, & aliter quæ ignorantia (ut dictum est) vel necessitate cogente fiunt, noscitur procedendum. Et aliter illa, aliter ista tractanda sunt; & viris discretis, & prudentibus metienda: velut sacra Scriptura testimoniis edocemur. Intentio tua operi tuo nomen imponit. nam sicut & alibi legitur: usque adeo voluntarium est peccatum: ut nisi fuerit voluntarium, non sit peccatum. Et omnipotens Dominus non factum agentis attendit: sed considerat potiùs intentionem, & dijudicat voluntatem. Si igitur aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere: quicquid sit Sacerdoti, qui discretum & providum habeatis, tibi consulimus per pænitentiam confiteri. Quo facto & misericors Dominus; qui multò ampliùs ad cor respicit, quàm ad actus, tibi consuetæ suæ pietatis miseratione dimittet. Et nos de Beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli meritis confidentes, te ab eo, quod est commissum absolvimus, & idipsum fraternitati tuæ Apostolica authoritate relaxamus. Consulentes utique ac mandantes, ut postea à Missarum celebrationibus, propter hoc non debeatis abstinere. Datum Senonis Kalend. Aprilis. Ita Alexander. Quid inde sequutum narrant Thomæ Acta, apud Quadrilogum.

[Innotuit interim idipsum Regi, quod Archiepiscopus, ab illa supradicta compromissione vellet resilire, in eo præcipuè, dum palam restitit, nè scriptum illarum Consuetudinum sicut conditum fuit, suo sigillo corroboraret. Et exinde Princeps exasperatus, gravioribus, & exquisitis cœpit Dominum Cantuariensem vexare exactionibus; ita ut palam fieret intelligentibus, sanguinem ipsius Archiepiscopi, & vitam requiri.] Ita scripsit Alanus Teusberiensis Abbas. Inter graviores, quas Henricus Rex vexationes ingerebat. illud meritò numeratur: quod Henricus Rex missis ad Alexandrum literis, duo sibi concedi postulaverat. imprimis ut Regiæ, quas vocabat Consuetudines, Romæ ab Alexandro probarentur: Inde ut Apostolicæ Legationis prærogativa à Cantuariensi Ecclesia, ad Eboracensem transferretur. [His acceptis nuntiis (inquit Baronius) Alexander, summis vallatus angustiis: cum jam in Apostolicam Sedem converti bellum conspiceret: eá quà potuit dexteritate, ipsum Regem sic delinire laboravit: ut aliquid ei concederet: quod tamen in nullum verteretur præjudicium Cantuariensis Ecclesiæ.] de quo has literas dedit, ad ipsum Cantuariensem Archiepiscopum.

IX. Quadrilog. l. 1.

REX DUO PETIIT A PONTIFICE.

ETsi pro animi tui prudentia, & fidei sinceritate personam tuam uberiore dulcedine charitatis, & flagrantiori desiderio velimus semper diligere, & honori & exaltationi tuæ, sicut charissimi fratris nostri, ardentiore animo aspirare. Nos tamen & teipsum, qui magna columna es Ecclesiæ, cautiùs convenit temporum qualitatem attendere, & providá dispensationis moderatione, motum Principis delinire. Novit siquidem industria tua, cui divina dispensatio magna prudentia, & gratia donum indulsit: quoniam

X. ALEXANDER S. THOMÆ.

*furentem

*ferventem * dispositionem circa regni sui gubernationem, charissimus in Christo filius Henricus illustris Rex Anglorum ascendat: & eandem velit dispositionem; ut firmior habeatur, & habeat majorem favorem, auctoritate Romana Ecclesiæ roborari. Unde cum olim per Venerabilem fratrem nostrum Lexoviensem Episcopum, & dilectum filium nostrum Pictaviensem Archidiaconum, à nobis & fratribus nostris instantiùs postulasset, Legationem totius Angliæ Eboracensi Archiepiscopo indulgeri; & tam tibi, quam universis Episcopis mandari rogasset, ut antiquas regni sui Consuetudines, & dignitates conservaretis: nobis ejus petitiones, præter suum arbitrium moderantibus: statim post reditum nuntiorum suorum, vix audito, quod à nobis reportaverant; dilectos filios nostros Gaufredum Archidiaconum suum, & Ioannem, ad nostram præsentiam destinavit: & per eos, quod priùs petiverat, & amariora à nobis instantissimè postulavit. Et ut suo desiderio facilerem animum præberemus fraternitatis tuæ, & prædicti Eboracensis Episcopi ad nos literas impetravit. Quod enim de antiquis consuetudinibus & dignitatibus conservandis priùs mandari rogaverat: nuper sicut tu & alii observare promiseratis, ea cum multa instantia petiit auctoritate Apostolicæ Sedis sibi & suis posteris confirmari. Sed nos petitionem istam nequaquam admisimus.

XI. *Veruntamen ne ad nimiam amaritudinem, & vehementiorem animi turbationem, eum circa nos & teipsum provocaremus. Ne etiam id consideratione tui putaretur quomodolibet impediri. Nos tibi & nobis (ne fortè in majorem calorem iracundiæ adversus te exardesceret) consultiùs providere volentes: & pensantes tempora periculosa: Legationis literas præfato Archiepiscopo concedendas eidem Regi concessimus. Quoniam verò votis Principum condescendendum est, & sua contemperandum voluntati; prudentiam tuam monemus, consulimus, & omnimodis exhortamur: quatenus sicut vir providus & discretus, necessitatem temporis metiens: & quæ inde tibi, & Ecclesiæ possint provenire perversa, fideli meditatione attendens, prænominato Regi in omnibus, & per omnia, salvâ honestate Ecclesiastici ordinis deferre satagas, & ejus tibi amorem & gratiam incessanter recuperare intendas. Ne secùs faciendo, eum contra te, & nosmetipsos conturbet: & ii, qui non eodem spiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc insultare. Nos enim datâ nobis opportunitate, de honore & augmento tuo, cum eodem Rege diligenter ac sollicitè conferemus: & circa conservanda & jura, & dignitates Ecclesiæ tuæ necessariam diligentiam adhibebimus: & cautelam, quam convenit adhibere. Datum Senonis tertio Nonas Martii.*

XII. PROHIBET ALEXANDER EBORACENSI NE CRUCEM PRÆFERAT IN CANTUARIENSI PROVINCIA.

Quantumvis Alexander Eboracensi Episcopo legationis per Angliam literas misisset: voluit tamen Cantuariensem Ecclesiam ab ejus jurisdictione immunem & eximiam esse. Unde nec Crucem quidem sibi præferri, in Cantuariensi provinciâ, his literis præcipit.

DEcet prudentiam tuam, sic alterius jura intacta relinquere, quemadmodum desideras à nobis tua integra & illibata servari. Quocirca authoritate Apostolicâ prohibemus; ne tu Archiepiscope, in provinciâ Cantuariensis Ecclesiæ, Crucem tuam ullatenus deferas: nec illius appellationis obtentu id occasione qualibet attentes. Hoc enim justitiæ nostræ præjudicium posset & incommodum generare. Quod si ad tempus abstinere volueris, oportebit te & successores tuos perpetuò abstinere. Datum Laterani III. Idus Septemb.

Nimirum anno sequenti, quo Alexander, mortuo Octaviano, à Romanis in Urbem invitatus venit. Interim idem Pontifex, pro Thoma sollicitus, in præcipuis Galliæ monasteriis præcipit eum pro Ecclesiæ libertate pugnantem, monachorum precibus commendari. Testatur hoc nuntius, quem Thomas ex Anglia ad Alexandrum in Gallias misit, petivitque ab eo ex Anglia evocari. Cui nuntius inter cætera ita rescripsit: *Novissimè nobis petitionem illam facientibus: ut scilicet, ipse vos ad se venire præciperet; & super hoc vobis literas dirigeret: cum dolore, & multa animi afflictione respondisse visus est. Absit, inquit, priùs finiantur dies nostri, quàm nos videamus eum sic exire, & Ecclesiam suam, sic desolatam relinquere.* Et paulò post: *Apud Claramvallem, Cistercium, Pontiniacum, intercessione Domini Papæ oratur assiduè pro vobis, & pro Ecclesiâ vobis à Deo commissâ.* Sed & in angustiis positum Idem Pontifex pluribus ad eum literis datis consolatur. E quibus unas è brevioribus accipe.

QUoniam dies mali sunt, & multa sunt, pro qualitate temporis toleranda, discretionem tuam rogamus, monemus, consulimus, suademus: ut in omnibus tuis, & Ecclesiæ agendis, cautum te, providum, & circumspectum exhibeas: & nihil properè, & præcipitanter: sed maturè & graviter facias, ad gratiam, & benevolentiam illustris Regis Anglorum recuperandam, quantum salvâ libertate Ecclesiæ, & honestate officii tui fieri poterit. Et evitaris modis omnibus: & labores, ut usque ad proximum Pascha, eundem Regem sustineas: ita quod nihil in eum, vel terram ipsius, usque ad præscriptum tempus studeas exercere. Tunc enim dabit Dominus tempora meliora: & tam tu, quàm nos tutiùs poterimus in facto ipso procedere. XIII. apud Baron. hic. ALEXANDER S. THOMÆ.

Ita ad Thomam Alexander, per *meliora tempora*, procul dubio intelligens, Octaviani Antipapæ obitum, qui post hujus anni Pascha, Romanæ Ecclesiæ pacem, & Alexandro majora audendi facultatem dedit. Hactenus enim à Friderico Imperatore pressus, explicare non potuit, aut certè non decuit, summum potentiæ. Cæterùm licet Thomæ aculeos in Regem hebetaverit: ipse tamen Henricum Regem monere, hortarique non destitit: suaviter fortiterque ea ingerens, quæ ad Ecclesiæ læsionem currentem Principem, meritò retardare debuissent. Rex enim, non Thomæ solùm, sed Alexandro infensus; Legationis literas, quas Joannes Oxoniensis, & Gaufridus Ridel, pro Rogero Eboracensi ad Regem ex Urbe reversi attulerant, ad Alexandrum remiserat. Ne ergò irasci pergeret, & Ecclesiam magis pessundaret: has ad eum Pontifex literas misit.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, HENRICO illustri Anglorum Regi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ETsi circa nos, & matrem tuam Ecclesiam sacrosanctam filialis in te devotio videatur aliquatenus tepuisse: Paternum tamen affectum circa te & regnum tuæ gubernationi commissum, nullo tempore deseruimus. Tua ergò serenitas, quod amici verbera potiora, quàm oscula inimici existant, diligenter advertens, consideret studiosiùs, & attendat, quòd sicut Clerici à viris Secularibus vita, & habitu distinguuntur; ita & judicia Clericorum à Laicorum judiciis XIV. apud Hoveden. fol. 500.

diversa

diversa penitus comprobantur. Quare sita, ordine quo non accet, pervertas, & quæ sunt JESU CHRISTI *tuæ potestati usurpas, novas leges ad oppressionem Ecclesiarum, & Christi pauperum pro tuo beneplacito condas, consuetudines etiam, quas avitas vocas, inducas, tu ipse procul dubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo consimili judicaberis; & eâdem mensurâ, quâ mensus fueris, remetietur tibi. Verùm si commonitiones nostræ auribus excellentiæ tuæ tadiosæ, vel aspera aliquatenus videantur, scriptum recollige, quòd filium, quem corripit pater, diligit, pro certo cognoscens, quod quantò personam tuam ardentiori in Domino charitate diligimus, & sincerissima tuæ devotionis insignia nobis & Ecclesiæ Dei multipliciter & magnificè olim exhibita, ad memoriam sapiùs & studiosius revocamus; tantò hæc tibi, cui spiritualem & æternam salutem totis cordis affectibus exoptamus, libentiùs intimamus. Si enim te in aliqua futurum judicium deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat; veram, quæ Deus est, justitiam colere, jus suum unicuique tribuere, negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei vel juramenti emergunt, causas quoque super rebus & possessionibus Ecclesiarum, personis Ecclesiasticis tractandas relinquere, regnum & sacerdotium non confundere, non adeo serenitatem tuam deceret, nec etiam expediret. Si autem universa, quæ in usus tuos per hujusmodi angarias, de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectione pauperum, vel aliis operibus pietatis expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si altari quolibet discooperto, aliud cooperires: aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum à mortis periculo liberares.*

XV. *Recolere siquidem debes, & præ oculis ad hujus rei exemplum habere, qualiter Rex Saul, qui devicto Amelech, prædam contra Domini præceptum reservare volebat; cum se ad excusationem sui, hoc ad sacrificandum reservasse proponeret; à Domino fuerit reprobatus; & alius eo vivo in honorem & dignitatem regiam subrogatus. Quem utique peccata populi Regem effecerant; sed tamen à gubernatione regni commissa propria destituerunt. Quomodo etiam Rex Ozias dum thurificare voluit, & Sacerdotis officium sibi usurpare; lepra, digna ultione, percussus fuerit, tuæ salutis congruit ad animum revocare. Si verò successus tuos, viribus & potestati tuæ, & non Deo ascribas; ille procul dubio, qui te aliis præfecit, & magnum in orbe principem, ad fidelium suorum gubernationem, non ad depressionem, constituit; talenta tibi commissa, gravi à tecum censurâ requiret. Et sicut de Roboam, filio Salomonis legitur, qui pro delicto patris à regno ejectus est, sic Deus commissum paternum in hæredes transfundet. Tu ergò pravis suggestionibus cujuslibet non adquiescas, nec his, qui semper mala susurrant, aures inclines; sed quæ tuam salutem expediant, diligenter audias. Et ita ad honorem Dei & Ecclesiæ tranquillitatem & pacem, ad quod solummodò regni gubernationem adeptus es, idem regere, & secundùm quod Dominus tibi administraverit, studeas viriliter gubernare, ut regnum temporale conservet, & post illud det tibi Deus sine fine mansurum.* Ita Alexander Henricum Regem pientissimè monuit regni & sacerdotii jura distinguere. E quorum confusione, omnem confundi Rempublicam quotidianis docti argumentis experimur.

XVI. Baronius has literas refert ad annum Dñi 1164. Rogerus Hovedenus post annos duos; sed quis, nec unde, nec ubi, nec quando datæ sunt apponitur, certi nihil affirmari potest: prosequamur Thomæ, & hujus anni reliqua. Et quia cunctatur calamos tristissimam Angliæ faciem, & Regii furoris impetum, & Episcoporum crimina propalare: ex aliorum ore calamóque referam coronæ cum Infulâ conflictum: monito solum Lectore: nunquam Regibus benè cessisse, cum Ecclesiam Christi sponsam invadere, subjugare, persequi denique præsumerent. Quantumvis enim fortuna, ad horam, ridere, & majestati blandiri videatur: semper tamen paulò post contemplari licet ejusdem majestatis echlipsim; & hujus rei, Henrici duo, secundus, & octavus, argumenta sunto. Tragœdiæ prologum egit unus, Epilogum alter. Unde Principes mundi: si benè coronam gestare cupiunt, si feliciter lucere in orbe suo; superiorem orbem non infestent: sed suo contenti, primi mobilis motum: si immotam majestatem velint, sequantur. Nam Henricus secundus qui Archiepiscopum, ad suos pedes prostratum, audire & sequi noluit: brevi ad Archiepiscopi pedes cum pœnitentia prosternetur: docebitque Principes Solem Lunâ potiorem esse: & lucem illi splendoremque dare magis, quàm accipere, quam solis lucem, si delibare, carpere, minuere, satagent: ipsi quis non videt, omni luce, splendoréque privabuntur, quod hoc duodecimo sæculo Fridericus Imperator, & Henricus noster probant illustrissimè.

Numquam Regibus bene cessit cum persecuti sunt Ecclesiam.

XVII. Thomas ut vidit obstinatum in malo Regem; séque in arcto positum, vel regio furori cedendo Ecclesiam prostituere: vel capitis periculum subire debere: illud Christi consilium sequutus, si persequuntur vos in una civitate fugite in aliam, fugâ sibi salutem, & Ecclesiæ pacem consulendam potavit. De quo ita narrat Herbertus: [Unde Thomas suis ignorantibus, præterquam duobus tribúsve, quos secum ducebat, noctu clam transfretare attentavit. Nec enim si palam vellet, pateret egressus. Inter cæteras quippe Consuetudines Regias fuit hæc: quod nemo Pontificum, vel Procerum regni, absque licentia Regis, vel justitiariorum ejus terram egrederetur. Unde & Archipræsul clam egredi attentavit. Bis quidem mare ingressus, sed repulsus, tanquam Deo per elementa sua, ipsi, in facto hoc, resistenti.] Ita Herbertus: cætera quæ sequuntur, de familiæ dispersione, narrat Alanus in hunc modum: [Denique comperta ejus discessio, familiares ejus, & famulos dispersit. Cæteris tamen unus audacior, veniens Cantuariam, in cameram ipsius Archiepiscopi, nocte se recepit. Et post cœnam solicitus cepit contristari, de casu, & angustiâ Domini sui. Plurima itaque noctis parte transactâ, volens quiescere: Vade, inquit, puero, & claude ulterius ostium aulæ, ut securiùs dormiamus. Veniens autem illuc puer, acceoso lumine, aperto ostio, vidit Archiepiscopum in angulo sedere, & solum. Quo viso territus aufugit, putans se phantasma vidisse. Eo suggesto, clericus ille, nullatenus voluit fidem adhibere: donec in sua persona verum probaret. Et veniens, sicut dictum est invenit. Convocatis igitur quibusdam fratribus Ecclesiæ Cantuariensis, exponit eis quid sibi acciderit: & quia nondum fuit voluntas Dei ut recederet. Recreatus ergo breviori cœnâ, quievit. Manè autem facto, venerunt Ministrales Regis, ut Archiepiscopi fugientis confiscarent omnia: sed auditâ & visâ ejus præsentiâ, confusi siluerunt.

Quadrilog. l. 1.

S. Thomas attentat transfretare.

Quadr. sup.

XVIII. S. Thomas citatur. Baron. hic

[Proinde aggravat Rex manum suam in Dominum Cantuariensem (ita narrat ex authoribus nostris Cæsar Baronius) cum citari faciens peremptoriè : ut die statuto Regi respondeat, de his quæ sibi fuerint objecta. Adveniente termino veniunt vocati. Factâ quoque contione apud Northamptonam Dominus noster trahitur in causam. Seorsum ita in conclavi sedentibus, Domino Cantuariensi cum suis Episcopis, ex edicto Regis seris objectis, ne pateret exitus: propositum est ex parte Regis, adversus Dominum Cantuariensem, quòd cum Cancellarius esset, & haberet vacantes Episcopatus & Abbatias, & multos redditus per annos plurimos in manu sua, nullam super iis reddiderit rationem: quam modò ipse Rex requireret exhiberi. Super his, inquit Cantuariensis, prudentiores volumus consulere, & de consulto respondere. Dum igitur medium silentium renuerunt ad invicem: Domino Cantuariensi id requirente, Gilbertus Londoniensis Episcopus, Decanus utique Cantuariensis Ecclesiæ, & idcirco in consilio post Archiepiscopum primus. Si Pater, inquit, recolis; unde te Dominus Rex sustulerit; quid tibi contulerit; consideratâ temporum malitiâ; quantam ruinam Catholicæ Ecclesiæ, & nobis paraveris; si in his Regi resistere volueris; non solum Archiepiscopatui Cantuariensi; sed in decuplo, si tanti fuerit, cedere deberes. Et fortè si hanc in re viderit humilitatem, te Rex in universum restituet. Satis, inquit Cantuariensis, innotuit quid consultò responderis.

Gilbertus Londinensis Episcopus loquitur in causa Regis.

XIX. Henricus Wintoniensis pro Ecclesiæ libertate.

Deinde Henricus Wintoniensis Episcopus subintulit: Hæc forma consilii Catholicæ Ecclesiæ penitus perniciosa nos omnes obligat, & confundit: quia si Archiepiscopus noster, & totius Angliæ Primas, nobis id relinqueret exemplum, ut ad nutum & comminationem Principis, auctoritati & curæ animarum sibi commissæ, quisque Episcopus debeat cedere: quis erit de cætero status Ecclesiæ: nisi ut nulla agantur de jure, & omnia confundantur pro libitu: & sic erit Sacerdos, sicut populus? Hilarius post hæc Cicestrensis Episcopus, & ipse gloriosus in verbis, subjunxit: Nisi, inquit, temporis instantia, & Catholicæ Ecclesiæ perturbatio aliud exigeret, standum utique esset vestræ sententiæ. Verùm ubi nutat Canonum authoritas; plurimum subtrahendum severitati: ut in eo proficiat dispensatio, quod possit destruere severa correctio. Censeo igitur cedendum Regiæ voluntati: sed ad tempus: ne præproperè procedamus id statuere; unde sequatur durior retractio, nec sine rubore. Episcopus deinde Lincolniensis, simplex homo, & minùs discretus: Patet, inquit, vitam hominis istius, & sanguinem quæri: & necessarium alterum eorum erit: aut Archiepiscopatui, aut vitæ cedendum. Quis sibi fructus de Archiepiscopatu proveniet, si proinde vitæ cesserit: nec id video. Exoniensis autem Episcopus Bartholomæus: Palam est, ait, quòd dies mali sunt: & si possemus sub dissimulationis umbra, hujus tempestatis impetum transilire illæsi, id præcipuè procurandum: nec ad id de facili perveniendum, nisi subtrahatur plurimum severitati. Temporis instantia id requirit; maximè cum non sit generalis, sed particularis hæc persecutio. Satius est igitur unum caput in parte periclitari, quàm totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili discrimini exponere.

Item Hilarius Cicestrensis.

Exoniensis Episcopus vult subtrahi veritati.

XX. Wigorniensis in neutram partem vult loqui.

Wigorniensis Episcopus Rogerius, requisitus & ipse quid inde sentiret; ita temperavit responsum: ut etiam negando palam faceret, quid animi haberet. Nullum, ait, in hac parte dabo consilium: quia si dixero, à Deo susceptam animarum curam, ad Regiam comminationem & voluntatem, oportere relinquere; contra conscientiam meam, & capitis mei condemnationem loqueretur os meum. Si censeo Regi resistendum: Ecce qui sunt audiunt: per quos idipsum innotescet Regi: statimque ejiciar extra Synagogam, & erit sors mea de cætero cum publicis hostibus, & condemnatis. Idcirco nec hoc dico, nec illud consulo. His ita gestis sederunt aliquamdiu sub silentio: nec erat, qui amplius his adjiceret. Et arte quæsita, ut pateret eis exitus (erant inclusi.) Volo, inquit Cantuariensis, loqui cum duobus Comitibus, qui cum Rege sunt, quos & nominavit. Vocati illi aperto ostio introierunt properanter, cupientes aliquid audire, quod Regiam satiaret voluntatem. Astantibus iis, ait Dominus Cantuariensis: Super his de quibus Dominus Rex nos convenit, consulimus: & quia non habemus ad præsens eos, quibus res ipsa magis innotuit, ideo usque ad crastinum petimus inducias: tunc responsuri sicut Dominus nobis inspiraverit. Ad hæc Regi referenda, missi sunt Londoniensis, & Roffensis Episcopi.

Responsum S. Thomæ.

XXI. Londinensis rem pervertit.

Londoniensis autem sub vulpe latens, injunctum sibi pervertit negotium, dicens Regi, Dominum Cantuariensem, apud eum postulare inducias, ad præparanda instrumenta, statuto die redditurus rationem de objectis: ut sic magis obligaretur Dominus Cantuariensis ad executionem Regiæ voluntatis. Directi sunt igitur Comites ad Archiepiscopum, postulatas inducias ex parte Regis differentes; si tamen ratum haberet, quod ex parte sua, per Episcopos, Regi fuerat suggestum. Quo audito, Cantuariensis ait, se id in mandatis non dedisse. Nec id quod Regi suggestum est se ratum habere. Sed die sequenti, se, Deo auctore, venturum, & sicut datum fuerit desuper responsurum. Erubuit ergo Gilbertus Londoniensis, dum videret se incidisse in laqueum, quem contexuit ad Patrem suum decipiendum. Soluto itaque consilio ea die discesserunt ab invicem. Multitudo verò militum, & aliorum, qui cum Domino Cantuariensi illuc convenerant, regio metu perterriti, secessit in partem: & ampliùs cum eo non stetit. Quo S. Thomas comperto, jussit circuiri vicos & sepes, & ad se vocari pauperes, claudos ac debiles, dicens: per talem militiam celeriorem posse provenire victoriam, quàm per eos, qui in tempore tentationis turpiter recesserunt. Impleta est domus ejus discumbentium pauperum: & peracta dies illa in Domino cum lætitia, nullâ mentione palàm habitâ post hac perturbationis.

Discedentibus militibus vocat S. Thomas pauperes.

XXII. S. Thomas remissa iliaca passione, et dicto Sacro progreditur ad Regem.

Sequenti die percussus est, summo diluculo Dominus passione iliacâ, qua & eâ multoties vexabatur externus, ut non potuerit se è lecto erigere. Unde longiore morâ interpositâ; ut crederetur ab invidis, ad Curiam Regis nolle descendere. Missi sunt, qui eum citarent acriùs ad respondendum. Qui, dum inquit, quieverit ista passio, crastino die, Deo auctore apparebo. Transeunte verò die illo; & nocturnis vigiliis cum summa devotione peractis: manè consurgens, ad Missa-

rum

rum solennia, sacris de more indutus vestibus, & per Beati Martyris Stephani merita divinum sibi invocans auxilium: initium Missæ jussit inchoari: Etenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur totumque officium, cum ad id pertinentibus complevit devotiùs; ministralibus Regis, qui ibi aderant, id tacitè considerantibus: quibus visum est id aliquid portendere. Expleto itaque ministerio, amoto ab humeris pallio, cum Infulâ; cæteris indutus vestibus sacris, cappâ clericali superinjectâ. In Quadripartita autem historia asseritur consilio cujusdam monachi, viri sancti à S. Thoma celebratam tunc fuisse Missam S. Stephani Protomartyris; non autem, ut tunc esset ejus natalitius dies: sed & præter morem, eam celebrasse cum pallio. Et quod clam secum detulit, more majorum Eucharistiam: palam verò gestandam sumpserit Crucem. Ita se Sanctus ad Martyrium parans: quod ea se die obiturum putaret.] Pergunt verò citata superiùs Acta.

XXIII. Intrat ad Regem cum Cruce.

Intraturus Cameram Regis, ubi Rex præstolabatur, ad ostium ipsam Crucem bajulat propria manu, sequentibus Episcopis, id aliter quàm decuit interpretantibus. Occurrit Robertus Herefordensis Episcopus: Pater, inquiens, sustine, & ego vice Capellani, Crucem deferam ante præsentiam vestram. Sic enim condecet: Justius est, ait Cantuariensis, me ipsam deferre, sub cujus protectione tutus maneo: & ejus viso vexillo, non est dubitandū sub quo Principe milito. Londoniensis ad hæc: Si viderit Rex te armatum intrare, gladium suum fortiorem exeret in caput tuum: & tunc videbis, quid proderunt tibi arma tua. Hæc, inquit

Non vult permittere Crucem ab alio ferri.

Cantuariensis, Deo committimus. Et Londoniensis: stultus hactenus fuisti: & ab hac stultitiâ (ut video) de cætero non recedes. Et processum est. Audiens autem Rex Episcopum armatum venire, oblito, vel deposito illo gladio, quem dixerat Londoniensis; citiùs secedit in conclavem ulteriorem: sedente hac seorsum Cantuariensi cum suis, & paucis Episcopis ex adverso, & loco & animo adunatis. Denique vocati sunt Episcopi ad Regis consilium, Cantuariensi sub jugulo relicto. Protrahitur tempus, dum quæritur innocentis damnatio. Cantuariensis firma facie induit Constantiam. Exiens Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, ait clericis suis, quos ibi invenit. Erant enim ibi Magister Robertus, Grandis cognomine, & Osbernus à Rondel. Recedamus hinc. Non oportet nos videre, quæ hic habent fieri citò de Cantuariensi. Magister Robertus ad hæc: Non, inquit, hinc recedo, donec video, quid Dei voluntas super his judicaverit. Si pro Deo, & ejus justitia dimicaverit usque ad sanguinem, pulchriùs & meliùs vitam finire non poterit. Recedente itaque Archiepiscopo Eboracensi à Camerâ Regis; veniens Bartholomæus Exoniensis Episcopus, procidens ad pedes Domini Cantuariensis, ait: Pater mi, miserere tui: miserere & nostri; omnes enim hodie perimus, odio capitis tui. Exiit namque edictum à Rege, ut qui ampliùs à Cantuariensi staret, publicus hostis judicaretur in capite puniendus. Dictum est etiam quòd Jocelinus Saresberiensis Episcopus, & Willielmus Norvicensis Episcopus, quia adhuc restiterant, traherentur statim ad supplicium, in membris mutilandi, qui & ipsi pro salute sua Cantuariensem rogabant.

XXIV. Hilarius Cicestr. S. Thom. relinquit.

Inspiciens igitur Cantuariensis in Exoniensem Episcopum: Fuge, hinc, ait, quia non sapis ea quæ Dei sunt. Exierunt denique à Consilio, omnes simul Episcopi cum tumultu, ad Cantuariensem. Quorum unus eloquens Hilarius Cicestrensis Episcopus prorumpens in vocem: Aliquando, ait: noster fuisti Archiepiscopus, & tenebamur tibi obedire. Sed quia Domino Regi fidelitatem jurasti: hoc est vitam, membra, & terrenam dignitatem sibi per te fore salvam: & consuetudines quas ipse repetit conservandas: & tu eas niteris destruere, præcipuè cum spectant ad terrenam suam dignitatem, & honorem: idcirco te reum perjurii dicimus: & perjuro Archiepiscopo de cætero non habemus obedire. Nos, itaque & nostra sub protectione Domini Papæ ponentes; te ad ejus præsentiam appellamus, super his te responsorum. & diem statuit. Audio, inquit, Cantuariensis.

XXV. Responsum S. Thomæ Leicestrensi Comiti.

Subtrahentes se Episcopi, seorsum sedere ex adverso diutiùs in summo silentio. Tandem à Rege processerunt Comites & Barones, & plurima turba ad Dominum Cantuariensem. Quorum primus Robertus Leicestrensis ait: Mandat tibi Rex, ut venias redditurus rationem super objectis: sicut heri promisisti te facturum: alioquin audi judicium tuum. Judicem, inquit Cantuariensis: imo fili Comes, & tu priùs audi. Non te latet, fili, quàm familiaris, & quàm fidelis secundùm statum hujus mundi, Domino Regi fuerim. Ejus rei gratia, placuit ei, ut promoverer in Archiepiscopum Cantuariensis Ecclesiæ: Deus scit, me id non volente. Nota enim mihi fuit infirmitas mea: & magis pro suo, quàm pro Dei amore acquievi. Id satis hodie palam est, dum Deus, & se mihi subtrahit & Regem. Veruntamen in mea promotione, dum electio fieret præsente Henrico Regis filio, & hærede; cui & hoc ipsum mandatum fuit: quæsitum est: Qualem me redderent Cantuariensi Ecclesiæ? & Responsum est: Liberum & absolutum ab omni nexu Curiali. Si igitur liber & absolutus: super his à quibus sum liberatus; nec teneor, nec volo de cæterò respondere. Et hoc aliter se habet, inquit Comes, quàm Londoniensis Regi suggesserat. Adjecit Cantuariensis: Adhæc, fili Comes, id attende: quantò dignior est anima, quàm corpus; tantò magis Deo, & mihi teneris obedire, quàm terreno Regi. Nec lex, nec ratio permittit, ut filii patrem judicent, vel condemnent. Unde Regis, tuum, & aliorum declino judicium: sub Deo solo à Domino Papa judicandus: cujus coram omnibus vobis præsentiam appello. Ecclesia Cantuariensi, ordine, & dignitate mea, cum omnibus ad eam pertinentibus, sub Dei & sui protectione positis. Nihilominus vos Fratres, & Coëpiscopi mei; quia magis Deo, quàm homini obeditis; ad Domini Papæ audientiam & judicium voco: & sic Catholicæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis auctoritate munitus, hinc recedo.

A judicio Regis appellat ad Pontificem.

XXVI. Prosequuntur Aulici S. Thomam contumeliis.

Abeuntem illum sequuntur Curiales & invidi, contumeliis & injuriis Traditorem illum acclamantes. Ei autem venienti ad ulteriorem portam, clausa est janua: nec potuit exire: nullo ibi invento custode. Et dum res ageretur in metu, & dubio: nutu Dei contigit claves plurimas in fasciculo, à muro pendere: quas arripiens quidam familiaris Domini Cantuariensis, unam post alteram

PAUPERES OCCURRUNT EGRESSO.

pertentavit, donec aperiret januam. Exeuntibus illis occurrit multitudo morbo Regio laborantium, pauperum, & infirmorum, acclamantium ac dicentium. Benedictus Dominus, qui eripuit, & salvum fecit servum suum, à facie inimicorum suorum. credebatur enim jam fuisse extinctus. Præcedente igitur, & subsequente turbâ languidorum, cum Clero & populo, in gaudio & lætitiâ perducitur ad hospitium. Videns autem exultationem plebis, dixit sequentibus se: Quàm gloriosa nos processio conducit à facie tribulantis! Sinite pauperes Christi, & nostræ tribulationis participes, omnes intrare nobiscum, ut epulemur in Domino, ad invicem: & impleta sunt domus & atria circumquaque discumbentium. Additur ex Quadripartita: tunc contigisse legi in mensa ex historia Tripartita, persecutionem Liberii, cum restitit videlicet Constantio Imperatori hæretico, à quo est passus exilium: & ex lectione Evangelii itidem legi illud Evangelistæ: *Si persecuti vos fuerint in una civitate: fugite in aliam.* Quæ audita à S. Thoma tanquam ipsi annunciata, ab eodem sunt citiùs adimpleta; cum Deo juvante in Belgium transfretavit, & apud monasterium S. Bertini permansit. Quæ autem contigerint in viâ, & alia plura ad eam spectantia, in eadem historia pluribus enarratur.] Hæc omnia Baronius prætermissis iis, quæ in transmigratione acciderunt: quæ tamen nos silentio tegere non oportet. Ita ergò in Quadripartita, quam nos Quadrilogum vocamus, legitur.

CONVIVATUR CUM PAUPERIBUS.

Matth. 5.

XXVII. *Quadrilog l 2. c. 40.*

PETIT SECURUM EGRESSUM EX ANGLIA.

[Hymno dicto Archipræsul surgens à mensâ, confestim Rogerum Wigorniensem, & Robertum Herefordensem Episcopos, & Roffensem Episcopum, & proprium Capellanum suum, ad Regem misit; postulans ab eo securum de terra sua egressum. Qui citò reversi, retulerunt Regem respondisse, quòd in crastino, ad consilium hoc differret. Ipso die, duo magni & fidelissimi Proceres, ad eum in ipso noctis conticinio accesserunt, vultu miserabiles, & lacrymosi tundentes pectora sua, & consistentes, & protestantes per tremendum judicium Dei, indubitanter sciebant viros magnos, & malefactis insignes, utpote multis pollutos facinoribus, in illius necem conspirasse: & se ad eum occidendum, mutuis invicem astrinxisse juramentis. Nè ergo causa Ecclesiæ, quæ nondum plenè innotuerat, in morte ejus pateretur occasum, cœpit cogitare de fugâ. Intelligensque moram sibi periculosam fore, & per eam parari sibi posse insidias: jussit ipsa nocte in Ecclesia S. Andreæ parari sibi lectum inter duo altaria. Quo accedens cum paucis, prostratus cœpit psallere septem Psalmos pœnitentiales cum Litania, & singulorum Sanctorum nomina pronuntians, singulas fecit genuflexiones. Quo completo proinde fatigatus, strato se projecit capessendæ quietis simulans occasionem. Deinde secreto se subtrahens, & per posticum exiens parùm ante gallicinium clandestinam iniit fugam.] Ita narrat Herbertus: sequitur Alanus qui quid inde in Regis aula gestum, in hunc modum refert: [Manè facto subitus tumor, & sinister de clandestina Archipræsulis fuga, eos qui ei adhæserant invadens, omnes compulit latitando sibi consulere. Rex verò hæc audiens turbatur plurimùm. Convocatis Pontificibus, & Proceribus sciscitatur, quid agendum. Et commune quidem consilium fuit:

Quadrilog. l 2. c 1

RUMOR DE CLANDESTINA S. THOMÆ FUGA ANXIUM HABET REGEM.

ut quia majores Episcoporum Regi se obligaverant, ut Romanum adirent Pontificem, de perturbatione pacis regni, & Sacerdotii, & reatu perjurii eum accusaturi. Et interim omnia ejus in pace essent: donec quid Romanus Pontifex judicaret, reportarent.

XXVIII. MOX MITTUNTUR ROMAM EPISCOPI A PARTE REGIS.

Unde mox Regio edicto præconis voce proclamatum est. Ne qui homines Episcopum molestarent, aut possessiones, seu de ejus facultatibus quicquam auferrent: sed universa ipsius pacem haberent. Ita Pontifices, cum divitibus in occultis, paraverunt laqueum fugienti. Et ita confestim arripiunt iter Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, Gilbertus Londoniensis, Rogerus Wigorniensis, Hilarius Cicestrensis, Bartholomæus Exoniensis, Episcopi. Præter hos verò & cum istis, nonnulli Aulici, Clerici, & alii quidam honorati viri, & magni ab ipso latere Regis missi in testimonium illis. Missi quidem in magno apparatu, in donis & muneribus multis: quibus pro viribus judicium pervertererent, & sapientiam oculos excæcarent. Hoc etenim modo credebant, Curiam Romanam in hac parte vacillantem, quandoque inclinari posse, ad id quod quærebant. Et hoc quidem consilium dederant quidam Pontificum contra Archiepiscopum.] Sequitur in Quadrilogo itinerarium Sancti Thomæ, quod Baronius omittendum censuit: sed Anglorum Annalibus importunum esse non debet. Ita ergò vestigia ejus legit Herbertus, de quo supra.

XXIX. *Quadr. l 2. c. 2.*

FUGA S. THOMÆ PER AMBAGES VIARUM.

[Archiepiscopus clam de nocte fugiens, fratrem unum de ordine de Sempringham secum habens viæ ducem, versus Aquilonem ad nobilem illam civitatem Lincolniæ tendebat, sciens & prudens, invium carpens, ut ita cautiùs, si qui post mitterentur persecutores, effugeret, & declinaret insidias. Et ea nocte venit ad pagum, qui dicitur Grahin (sed lego Grantham) circiter viginti quinque milliaribus à Northampton distantem. Ubi postquam modico indulsit somno, in crastino arripiens iter venit Lincolniam, iterum circiter viginti quinque milliaria, hospitatus in civitate, in domo cujusdam fullonis. Et ibi aquam quæ fluit per civitatem intrans, ad locum quendam solitarium, in medio aquarum situm, qui dicitur eremitorium, pertinens ad domum de Sempringham, per aquam venit, milliaria circiter quadraginta. Ubi propter loci solitudinem, & propter difficultatem accessus, eò quòd in medio aquarum sit, per tres dies securus latuit, ad iter quod restabat vires recuperandas. Una verò dierum, cùm frater, qui ipsi ministrabat, videret solum sedentem in mensa, & polmentariis vesci compunctus lacrymas continere non potuit: & continuò exivit; ne inter epulas virum Dei lacrymæ effusæ perturbarent. De eremitorio venit ad S. Botulphum, decem milliaria (intelligit opinor oppidum vulgò Boston, nimirum Botulphi urbem in agro Lincolniensi) Et inde per aquam, venit ad locum, qui dicitur Hanirholt ad Sempringham pertinentem. (fortè Hauerholme dicitur, ubi olim Alexander Lincolniensis Episcopus Gilbertinis monasterium sub Deiparæ patrocinio posuit) Deinceps verò nocte solùm proficiscebatur, vetitus deprehendi. Jam siquidem versus Orientem tendebat, octo dierum conficiens noctibus iter. Tandem verò Estream veniens, manerium pertinens ad prioratum

VARIAS CARPEBAT VIAS IN FUGA S. THOMAS.

Cantuarien-

Cantuariensem: ibi per aliquot dies moram fecit in conclavi. Ubi facto in pariete foramine (fuit enim propè Ecclesiam) audivit Missarum solemnia, tamen plebe id ignorante: Presbytero verò Sacramenti perceptione perfruente, Clericus quidam hujus rei conscius, osculum pacis ad Archiepiscopum deferebat. Et recedenti populo post servitium, id nescienti, Episcopalem benedictionem impertivit. Latuit autem lux mundi futura, in pago hoc usque ad diem animarum diebus octo.

XXX. Die igitur animarum qui fuit tertia feria, & quintus decimus dies ab illo die Martis, quo apud Northampton pugnaverat ad bestias, nocte parum ante diem in scaphâ intravit in mare, & circa vesperam applicuit in quodam maris litore quod dicitur Oye in Bolonia per unam leucam distans à portu qui dicitur Grageninges (nunc est Gravelinga.) Et ivit vir Dei nudus pedes, quia sic oportuit, indutus alba veste, & monachali cappâ super scapulas positâ, in tempestate, & pluvia, & luto, non ex solito iter peragens. Sed diu ire pedes non potuit: unde post modicum iter, inclinavit se in terra; non valens procedere. Et dicit fratribus qui cum eo erant. Hinc non recedam nisi vectar à vobis, aut quæratis mihi vecturam: & quæsierunt ei jumentum, pro uno argenteo. Et quidem hoc non frenum, sed tantum plectam circa collum habebat. Et posuerunt vestimenta sua super dorsum, & cum desuper sedere fecerunt. Et paululùm progressus, quosdam de more illius gentis armatos obviam habuit. Quibus percunctantibus, an ipse esset Cantuariensis Archiepiscopus, verbo respondit: Siccine Cantuariensis phaleratus incedit? & non est cognitus ab eis, quamvis de seipso testimonium perhiberet. Et quidem ad supradictum portum Gravelingues venit, sic supra jumentum sedens.

Ubi appulit in Flandriam tendens

XXXI. Cum serò discubuisset unà cum fratribus tribus, viæ sociis, ab hospite agnitus est; cum tamen in mensa non magis illi, quàm aliis deferretur; imo minùs; utpote qui in mensa primum nequaquam teneret locum, sed extremum. Cui etiam per totum hoc itinerarium suum, sicut habitu, ita & nomine mutato à viæ sociis frater Christianus vocabatur. nomen Christianum sortitus pro proprio, ne posset agnosci. Verùm cautus hic hospes notavit, quòd præ cæteris recumbentibus singularem haberet vescendi modum, & in distributione effectum. De illo siquidem modico, quod ei in mensa apponebatur, parvulis & aliis de domo singulis dabat. Præterea ad certius conceptæ jam agnitionis argumentum, totius hominis compositionem intuebatur, & gestum corporis, videlicet proceritatem egregiam, frontem amplam, & aspectum serenum, faciem oblongam, & venustam, formam manuum oblongarum, & articulorum in manibus congruam, & quasi exquisitam protensionem. Videns itaque hominem in modo edendi, in corporis qualitate & gestu, cæteris longè dissimilem: existimavit mox se aliquem virum magnum in hospitio suo suscepisse; & pro certo suspicabatur Cantuariensem hunc Archiepiscopum: eò quòd jam in terra circumquaque percrebuerat rumor Cantuariensem sic à Northampton clam recessisse: & jam in partes illas aut applicuisse, aut in proximo applicandum fore. Hospes itaque confestim rusticam suam seorsum vocavit, & instillavit secretò: Cantuariensem esse, quem hospitio susceperant. At illa impatiens, vix verbo audito ad mensam properat; & post modicum intuitum, mox rediens & subridens: Certè, inquit, bone vir, ipse est. Rustica igitur mox sollicitior circa ministerium discurrit, festinat, & nunc nuces, nunc poma, nunc caseolum ante fratrem Christianum apponit. Frater verò Christianus suspicans se jam aliquibus indiciis deprehensum, carere mallet his, quæ rustica affectuosè apponebat, & tamen dissimulabat.

Agnitus est ab hospite et secelare studuit.

XXXII. Cœnâ autem factâ, hospes cum nova vultus hilaritate accedit propiùs. Quem cùm frater Christianus supra sedem juxta se ponere voluisset; hospes constanter renuit, in terra secus pedes ejus sedens. Et post modicum: Domine, inquit, gratias ago Deo, quòd dignus fui, ut sub tecto meo intrares. Cui mox frater Christianus. Quis igitur sum ego? Nonne ego quidam pauper frater sum, & Christianus vocor. Et hospes: Certè, inquit, quicquid vocaris, scio te magnum virum esse, & Cantuariensem Archiepiscopum. Igitur cùm frater Christianus nullis verborum involucris ab hospite suo se potuisset evolvere: quando horum alterutrum necesse haberet; aut de se veritatem fateri constanter; aut diffiteri mendaciter: Confessus est quod ipse erat, & non negavit: & ne proderet, hospitem suum blandè demulcens, secum ducit in crastino.] Hæc ibi. Sequitur in Authore duplex causa, cur Thomas Cantuariensis, etiam in Belgio, & Bononiensi præsertim Comitatu, sibi, ne agnosceret, æquè ac in Angliâ caverit, secretùsque aliquamdiu in monasterio latuerit.

Hospes sedet secus pedes S. Thomæ, qui segregabat fratrem Christianum.

XXXIII. [Rex quippe Henricus nobili Comiti Flandriæ, Philippo germano suo & amicis suis Magnatibus terræ, scripto jam & verbo disseminaverat, Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum (talis enim erat scripti conceptio) de regno suo tanquam proditorem fugisse. Unde & quàm longa manus Regia, tam longa pericula fugienti: & ideò omnia plena suspicionibus, & securitas nulla. Causa etiam, qua in illis partibus prodi metuebat, hæc erat. Procurante Rege Anglorum, Matthæus frater Philippi Comitis Flandriæ, tunc Bononiæ Comes, cum Abbatissâ quadam, filiâ Stephani Regis quondam Anglorum, matrimonium prophanum, & detestandum contraxerat, Archiepiscopo, tunc Regis Cancellario, propter facti enormitatem contradicente, & quoad potuit, reclamante. Unde Comes Bononiæ ex tunc eum odio oderat.] Hanc ego causam supra* exposui. Abbatissam dixi Mariam, Rumsciensi, in Anglia monasterio, præfectam, & Thomam Cancellarium illis nuptiis adversum. [Non igitur sine causa (pergit Author) in partibus illis manifestari se noluit. Unde propter crastinæ diei longitudinem, & viæ difficultatem, & insidias, quas verebatur, in crastino, summo diluculo arripuit iter, & de Gravéginges nudus pedes ivit vir Dei tota ea die, via admodum lutosa, & lubrica, tempore præsertim hyemali. Et circa noctem venit ad monasterium de ordine Cisterciensi, quod Clesivareis (ego puto Clammareis) dicitur iter duodecim leucarum terræ conficiens ea die. Est autem monasterium hoc situm prope illud castrum nobile Sancti Audomari.

Quadrilog. l. 2. c. 5. Fama sparsa de eo per Regem fecit cautiorem:

* v. an. 1160. n. 26.

Venit ad monasterium Clammareis.

Eidem

XXXIV. Eadem verò nocte, quâ & Archipræſul, Regis ountii præfati, cum multo, & magno apparatu mare intrantes, procellâ ſubitò ſubortâ, in multa difficultate & periculo vix applicuerunt: cum tamen Archipræſuli & ſuis in ſcaphâ mare pacatiſſimum foret. Teſtati ſunt ſic fratres, qui cum Archipræſule in ſcaphâ: & alii ex parte adverſa, qui in navibus tranſierunt. Eâ quoque die (quâ & Archipræſul) ad caſtrum Sancti Audomari venerunt. Et quia celebre erat in terrâ, quòd Cantuarienſis, ad monaſterium illud de Clarivareis, ad quod jam venit, adventare propoſuerat: eâdem nocte, poſt ſynaxin nocturnam decantatam, intravit quoddam ſtagnum grande, juxta quod monaſterium illud ſitum eſt, & in ſcapha venit ad locum quendam abditum, aquis ſeptum, qui ab incolis dicitur Waldeminſtre, quod dicitur eremitorium glorioſiſſimi Confeſſoris Bertini. Verebatur quippe, ſi in monaſterio illo, uſque in craſtinum moraretur; fortè ad aliorum indicia, indigenis, aut Regis nuntiis revelari: qui fortè ad videndum eum diverterent: & videntibus eum ſic; fieret opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis: & inſultarent de facili: quod ſatuè & inconſultè, de tanta quondam gloria; ad tantam nunc miſeriam deveniſſet. Unde eâdem nocte ſe ſubtraxit, & in dicto eremitorio, per tres dies latuit. Die autem quarto ad petitionem ſanctæ memoriæ Godeſcalli tunc Abbatis, & conventus loci, ad Abbatiam S. Bertini, navigando (erat enim eis iter per aquam) venire properavit. Ductus itaque ad S. Bertinum, ibi convenienter ſuſceptus eſt.] Hæc omnia Quadrilogus, quæ licet minutiora, nec fortè Baronii Annalibus digna: oos tamen, qui Thomæ veſtigia, ex inſtituto, preſſiùs ſequimur; omittere, aut ſilentio premere non potuimus. Sicut nec Legatorum iter, qui ut ſupra Audomarum, cum Thoma venerunt: eodem quidem tempore, ſed non eâdem viâ. De illis ergò ſic narrat Quadrilogus.

Ducitur ad S. Bertinum.

XXXV. [Legati mox in craſtino ſui adventus, à Sancto Audomaro recedentes tertio quartove die, per piæ recordationis Ludovicum Regem Francorum tranſitum fecerunt; quem apud caſtrum Regium, quod Compendium nominatur, repererunt: Et ſalutato Rege, literas illi de nomine Regis Anglorum porrexerunt. Quarum forma ſimilis erat illis, quas ſupra diximus Comiti Flandrenſi direxerat. Videlicet quòd *Thomas quondam Cantuarienſis Archiepiſcopus, de regno ſuo tanquam proditor fugerit. Unde ne ipſum in terra reciperet, precabatur.* Verùm ut audivit ex literarum ountiis Rex, *Thomas quondam Archiepiſcopus*: Regem Francorum, ſicut Eccleſiæ filium devotiſſimum ſtatim apprehendit æmulatio, & plurimùm ex verbo motus eſt; verbum quippe inſolens offenſionem generat: & juxta Sapientis dictum: *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt.* Et Rex mox: Quis cum depoſuiſſet, iterum & iterum ſciſcitatus eſt: & adjecit: Certè, inquit, ſicut Rex Anglorum; ita & ego Rex ſum: & tamen minimum de Clericis mei regni deponere ego non valerem. Et ita qui miſſi fuerant, nec ad Regis quæſtionem prudens reddere reſponſum poterant: nec ad petitionem ſuam reſponſum pro voto retulerunt

Quadr. l. 2. c. 6.

Legati deceo͂ût Audomaro: Salutant Ludovicum Gal. Regem, rogantes ne S. Thomam ſuſcipiat.

Rex reſpuit petitionem.

XXXVI. Qui ſcripſit hæc, & alius quidam de Archipræſulis ſocietate, cautus quidam & eruditus de conſilio & præcepto Archipræſulis, nuntios Regis tota die neſcientibus Epiſcopis è veſtigio ſequebantur: ita tamen quòd illos ſequentes una die ſemper præceſſerunt. Et quidem ex induſtria factum eſt; ut ita cautiùs & certiùs ipſorum verba & molimina explorarent. Cum verò ad illum Chriſtianiſſimum Regem Francorum veniſſent. Ad ipſum mox ut acceſſum habere potuerunt, nomine Archipræſulis: quem à tempore Cancellariæ, propter hominis magnificentiam, probitatem, & induſtriam, reputabat ſtrenuum, & habebat acceptum; devotè quidem & humiliter ſalutaverunt. Et quia ei incogniti erant; crebrò, an de Archipræſulis domo, & familia fuiſſent ſciſcitabatur. Quo cognito, mox eos ſuſcepit in oſculo, & benignè audivit. Qui cum juxta Archipræſulis mandatum, lacrymabilem hiſtoriam laborum & periculorum ejus expoſuiſſent, Regiæ clementiæ viſcera commota ſunt. Quibus itidem ipſe referre dignatus eſt; qualiter contra Archiepiſcopum Rex ipſe ſcripſerit, & quid ipſe reſponderit: & adjecit. Debuiſſet Dominus Rex Anglorum, ſi ipſi placuiſſet: antequam tantum amicum ſuum Archipræſulem, & perſonam tantam tam durè, & tam dirè tractaret, fuiſſe verſiculi illius recordatus: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Cui alter nuntiorum Comicè mox reſpondit. Domine fortè illius recordatus fuiſſet verſiculi; ſi illum tam frequenter, ut vos in illa aula Regali audiſſet. Et ſubriſit Rex. In craſtino verò, antequam ountii recederent, cum hominibus ſuis, quos ſecum tunc habebant: conſilio accepto, ad petitionem Archipræſulis; in Regno ſuo pacem & ſecuritatem ei conceſſit. Et quidem adjecit hoc è priſtina dignitate diadematis Regum Francorum fore ut exules, & præſertim perſonæ Eccleſiaſticæ, Regum, & regni ſecuritate, & pace perfruantur, & à perſecutorum injuria defendantur.]

Rex Francorum humaniter excipit miſſos a S. Thom.

Concedit ei ſecuritatem in regno ſuo.

Scripſerat è Sancti Bertini literas Archiepiſcopus Thomas ad Alexandrum Papam, & per nuntios ſuos præmiſerat: ne Regii oratores Pontificis animum præveniendo pervertereot: Literarum hoc erat apographum. XXXVIII

AD audientiam Tuam, Pater Sanctiſſime, confugio: ut qui Eccleſiæ libertatem tanto tui diſcrimine redemiſti: eam vel ſolam, vel maximam perſecutionis meæ cauſam attendas, qui exemplo tuo uſus ſum. Dolui enim ſtatum Eccleſiæ labefactari paululum, & jura ejus in avaritiam Principum diſſipari, & occurrendum putavi morbo venienti. Et quò pluris illi Domino meo, cui poſt Deum cætera debeo, me ſciebam obligatum: eò tutiùs iniquis ejus inſtigationibus arbitrabar reſiſtendum: donec obtinuerunt illi, & ſerenitatem ejus offuſcaverunt mihi. Exinde, ut moris eſt apud Principes, criminationes, & calumnias injecerunt in occaſionem perſecutionis meæ, & ego ejici malui, quàm ſubſcribere. Acceſſit etiam his malis: quòd vocatus fui coram Rege, tanquam Laicus ſatisfacere. Et unde mihi reſiſtendi ſuffragia ſperaveram, inde deceptus ſum. Animadverti Domnos, & Coepiſcopos noſtros pro aliquorum arbitrio, in me paratos animadvertere. Ita cunctis adverſantibus ferè ſuffocatus, ad Tuæ pietatis audientiam, quæ neminem in extremis negligit, reſpiravi: ſub qua demonſtraturus aſſiſto, me nec ibi fuiſſe judicandum; nec ab illis. Nam quid aliud hoc eſſet, Pater, niſi veſtra vobis jura ſubtrahere? Quid aliud*

Literæ S. Thom. Alexandro Pap. apud Hoved. an. 1165.

** aulicorum.*

quàm

quam spiritualia temporalibus submittere? Semel natum hoc exemplum, esset ad multa. Ideoq; credidi firmiùs resistendum; quia affectus proclivior via notendi nasceretur, si priùs debilitatem agnoscerent.

XXXVIII. *At, inquient, Reddenda erant Cæsari, quæ Cæsaris erant. Sed etsi in pluribus obtemperandum Regi, in illis tamen, non est obtemperandum, quibus efficitur ne Rex sit. Non essent illa Cæsaris, sed Tyranni. In quibus etsi non pro me, pro seipsis illi resisterent. Nam si illis extremum reservatur judicium, qui potens est judicare corpus & animam: nunquid extrema erit inter homines sententia, qui judicat secundum seipsum? Si justam foverunt pacem, quid me impetebant? Quid me arguunt, si ad eum appellavi, apud quem mentiri, vel non licet, vel non expedit? aut injustè in me causabantur, aut de justitia vestra diffidebant. Dupliciter namq; confundebar, si coram sanctitate vestra convincerer. Nunquid eorum persecutionem merui, pro quibus tantis occursibus me opposueram: & obtinuissem, si voluissent illi. Sed male caput agit, si à membris destituitur. Quin etiam si oculi linguam contra caput assumant. Si benè prævidissent, in se perniciem machinabantur Episcoporum; & eorum usi sunt Principes auxilio, in eorum servitutem. Quòd hæc tanti odii causa fuerat, ut pro me extinguendo, seipsos extinguerent? Ita dum spiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utrisque. Quid quod etiam me reclamante, & audientiam istam appellante, Patrem suum in judicio damnare ausi sunt. Quin etiam si in universam Ecclesiam; cum offenso nobis Principe conspirationem fecerunt: & te Pater Sanctissime suspicio ista potuit attingere. At, inquient, Regi tenebantur ex debito Domini: sed illi corporaliter, spiritualiter mihi, ans potiùs teneri potuerunt, quam sibi ipsis. Nonne potiùs corporalium damnum negligendum erat, quam spiritualium? Inquient rursus: Hoc tempore Principem non fuisse provocandum: Quem subtiliter in suam servitutem argumentantur: imò ipsi provocant, qui excessibus suis alas præbent & suffragium. Quievisset ille, si non acquievissent illi: & quo tempore magis constantia exigitur, quàm inter persecutores? Nonne familiares ejus persecutionibus comprobantur. Si semper succumbunt; qualiter obtinebunt: necesse est aliquando resistant. Condescende igitur Pater Sanctissime in fugam meam & persecutionem: & me aliquando magnum fuisse reminiscere tempore tuo: & propter te injuriis lacessitum. Utere ergo te tuo. Coerce illos, quorum instinctu nomen hujus persecutionis obrepsit. Nec Domino Regi aliquid horum imputetur; qui hujus machinationis potiùs est executor, quàm repertor.*

XXXIX. Recitant has literas Quadrilogus libro quinto, Hovedenus, & ex illo Baronius: ubique satis mendosè. Ego è tribus illis, ut potui, sensum composui, & è Quadrilogo, cæteroquin imperfecta supplevi, quæ in aliis deerant. His itaque munitis literis, nuntii Archiepiscopi, Galliæ primùm Regi: deinde Alexandro sistuntur. An Galliæ Rex unà cum illis oratorem suum Pontifici miserit, non habeo dicere. Hovedenus tamen Ludovicum Thomæ patrocinatum, & apud Alexandrum ejus causam per Legatum egisse commemorat; quod pientissimum Catholici Principis factum, memoriâ & Annalibus dignum ita recitat dictus Author. [Quantò magis nuntii Regis Angliæ laborarunt, ut Cantuariensis Archiepiscopus à regno Franciæ expelleretur: tantò magis Rex Franciæ illum, & causam fovebat suam. Præterea Rex Franciæ misit fratrem Franciscum eleemosynarium suum, ad Alexandrum Papam, qui tunc morabatur in Franciâ, mandans ei, ut sicut honorem Romanæ Ecclesiæ diligebat, & auxilium regni Franciæ: sic in omnibus manuteneret Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, & causam ejus contra tyrannum Angliæ. & ex illo tempore Dominus Papa recepit Cantuariensem Archiepiscopum in magnam familiaritatem.] Hoc ideò ab Authore dictum; quia Henrici Regis oratores, quorundam Cardinalium aures præoccupaverunt, & quà donorum largitione, quà rerum gestarum perversa narratione veritatem vitiaverunt. Sic enim in Quadrilogo legitur.

LUDOVICUS REX GAL. PATROCINATOR S. THOMÆ. *Hoveden. fol 493. &c.*

XL. [Nuntii Archiepiscopi, prout eis injunctum fuerat, ad Dominum Papam accelerabant, & venerunt Senonis: quò nuntii Regis, proximâ die, quæ præcessit, eos prævenerant. Sanè in eorum adventu: hinc tremor publicæ perturbationis, quæ ex ira Regis posset oriri. Inde spes quæstus quamplures Cardinalium mutare compulit. Et facta est inter eos dissensio: dum dicitur ab his, Cantuariensem Ecclesiasticæ libertatis defensorem in causâ justa fovendum: Ab aliis, pacis, & unitatis esse perturbatorem; & ideo præsumptionis impetum refrænandum potiùs, quàm fovendum. Et eousque prævaluit inimicorum suggestio: quod Nuntii Archipræsulis, nec prometuerunt à Cardinalibus, ut in osculo recipi patiantur. Proinde illi videntes causam Domini sui imminere discrimini. Eâdem die in vespera, ad Dominum Papam habentes accessum: ipsum nomine Archipræsulis, tanquam Patrem ac Dominum, qua decebat devotione & humilitate salutaverunt; dicentes: quod illi essent duo tantùm qui evaserunt de calore domus Achab, & ad sanctitatis suæ pedes venerantur, ut nuntiarent ei, quòd Joseph filius suus viveret adhuc, sed non dominaretur in terra Ægypti: quin potiùs ab Ægyptiis oppressus, ferè fuisset extinctus. Enarraverunt itaque libenter audienti, & paterno compatienti affectu, filii sui Archipræsulis pressuras, angustias, & dolores: pericula etiam illa in pugnâ ipsâ apud Northampton ad bestias: pericula in falsis fratribus, pericula in fugâ, pericula in viâ, pericula in mari, in ipso etiam portu pericula, laborem, egestatem & ærumnam: & ad declinandas insidias habitus sui, & nominis mutationem. Et audiens hæc Pater omnium Patrum, commota sunt paternæ pietatis viscera super filio suo: & paternum non valens dissimulare affectum, lacrymatus est. Et ita compunctus Dominus, dixit eis: Vester in carne adhuc vivit Episcopus, ut dicitis: magis tamen jam sibi in carne vivens privilegium martyrii vendicat. Et quia jam serò valdè erat; nuntios ex itinere fatigatos datâ benedictione, & consolatione Apostolicâ ad hospitium citiùs remisit.]

Quadrilog. l. 2. c. 7.

VARIÆ SENTENTIÆ CARDINALIŨ DE S. THOMA.

ALEXANDER AUDITIS NUNCIIS S. THOMÆ COMPATITUR.

XLI. Sequitur utriusque partis, Nuntiorum, inquam, tam Regis, quàm Archiepiscopi coram Alexandro Papa conflictus, quem iidem Authores in hunc modum prosequuntur. [In crastino verò Dominus Papa, cum fratribus suis venerabilibus Cardinalibus, qui tunc ferè omnes in Curiâ præsentes erant, Consistorium intravit. Advocataque cautione, assunt etiam Nuntii Archipræsulis, ut finem viderent. Consurgentibus itaque ex adverso Nuntiis Regis, primus & cæterorum signifer, in hunc modum inchoat Londinensis Episcopus:

CONFLICTUS INTER NUNTIOS REGIS ET S. THOMÆ. *Quadrilog. l. 2. c. 8.*

Episcopi Londinensis peroratio.

Pater, inquit, ad Vos spectas Catholicæ Ecclesiæ cura & solicitudo: ut qui sapiunt, per vestram foveantur prudentiam, ad exemplum morum: & qui desipiuns, Apostolicâ authoritate corripiantur, & corrigantur, ut sapiant. Sed apud vestram sapientiam non creditur sapere, qui in sua sapientia sedens, & fratrum concordiam & Ecclesiæ pacem, Regisque devotionem perturbare contendit. Nuper siquidem in Angliâ orta est dissensio inter Regem, & sacerdotium, ex levi & minùs utili occasione, quæ faciliùs posset extingui, si adhibita ei fuisset moderata curatio. Verùm Dominus Cantuariensis, suo, & singulari in hac parte, & non nostro usus consilio, acriùs æquo institit; non consideratâ temporis malitiâ, quod vel quale dispendium, ex tali impetu posset provenire: & sibi & fratribus suis contexuit laqueos. Et si ei in proposito suo noster fuisset assensus; jam res ipsa ad deteriorem calculum devenisset. Verùm quia nostram conniventiam *, sicut nec decuit, id quod tendebat, habere non potuit: visus est in Dominum Regem & nos, imò in totum regnum temeritatis suæ culpam retorquere. Quocirca ad decolorandam mutuæ familiaritatis famam, vim nemine inferente, vel minas intentante, fugam iniit: sicut scriptum est: *Fugit impius nemine persequente.*

* in nostrâ convenienciam

Episcopus responso Papæ mutire non potuit.

Ad hæc Dominus Papa: Parce, inquit, Frater. Et Londoniensis Episcopus: Domine parcam ei. Et Dominus Papa: non dico frater quod parcas ei, sed sibi. Ad hanc igitur vocem, & tubam Apostolicam, sensus Londoniensis infatuatus est à Domino, ita demùm, quòd ampliùs mutire non potuit. Excepit ergo illum sermonem facundus Hilarius, Cicestrensis Episcopus, magis de sua confidens clementia, quàm de justitia, & veritate; quod ex priùs facto innotuit: Pater, inquit, & Domine, interest beatitudinis Vestræ, quod perperam actum est, in perniciem universitatis, pacis, & concordiæ, ad debitum statum citiùs revocare: ne unius hominis immoderata præsumptio, multorum stragem, & Catholicæ Ecclesiæ scissuram possit procreare. Id parùm attendit Dominus Cantuariensis, dum relicto maturiori consilio, se solum consuluit; ut sic sibi & suis; Regi, & regno; populo & Clero graviores labores procrearet & angustias. Et certè virum tantæ auctoritatis, id nec decuit, nec oportuit: nec aliquando oportebat. Interim suos, si saperent, non oportuit sibi in talibus præbuisse assensum. Audito itaque qualiter facundus ille grammaticè prosiliret de porta in portum, soluti sunt omnes in risum. Inter quos unus prorumpens in vocem. Malè, inquit, tandem venisti in portum. In quo verbo Episcopum illum ita infatuavit Dominus, quod de cætero factus est mutus & elinguis.

Hilarius Cicestrensis perorat.

XLII. Eboracensis Episcopi oratio.

Eboracensis autem priorum ruinam attendens, animi impetum studuit temperare. Pater, inquit, mores Cantuariensis, & studia, nemini innotescunt plùsquàm mihi. Id animi ejus novi propositum ab initio; ut quod semel arripuit ex sententia, ab eo de facili, non possit avelli. Quare faciliùs credi oportet ipsum in hanc obstinationem, de sua levitate, de more incidisse: & aliam non video viam ad ejus correptionem; nisi ut vestra discretio, ad id efficiendum manum apponat graviorem. Intelligenti satis dictum puto. Episcopus Exoniensis subjunxit: Pater, inquit, non opus in his morari. Causa ista in Cantuariensis absentia non habet terminari. Petimus itaque legatos, qui inter Dominum Regem, & Cantuariensem causam istam possint audire, & auditam decidere. & subticuit. Nec post eum aliquid aliquis Episcoporum ampliùs addidit. Id autem videns Comes de Arundel: stabat enim in ordine suo: & cum multitudine militum postulabat audientiam. Et facto silentio: Domine, inquit, quid loquuti fuerint Episcopi, nos illiterati penitus ignoramus: ideo opus nos edicere quo modo possumus, ad quid sumus missi. Non ad hoc utique, ut contendamus, vel cuiquam faciamus contumelias, in conspectu maximè tanti viri; cujus nutui, & auctoritati, se de jure totus inclinat mundus. Sed ad hoc procul dubio venimus; ut Domini Regis nostri devotionem & amorem, quem circa vos gerere consuevit, & adhuc gerit, in præsentia vestra, & totius Romanæ Ecclesiæ præsentemus. Per quos inquam. per majores & nobiles, quos habere potuit in omnibus terris sibi subjectis: hoc est, per Archiepiscopos, Episcopos, Comites, Barones, & alios magnates suos his superiores in sua potestate non invenit. Et si invenisset, utique destinasset ob Reverentiam vestram, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. His adjicimus, quod Paternitas vestra satis experta est in novitate suæ promotionis, Domini Regis fidelitatem, & devotionem; dum seipsum, suos, & sua omnia vestræ exposuit penitus voluntati. Es pro certo, sub Catholicæ Fidei unitate, quo in Christo, Rege ut credimus, fidelior eo non est, vel Deo devotior, seu ad eam ad quam assumptus est pacis conservationem moderatior. Nihilominus & Dominus Cantuariensis Archiepiscopus, in suo gradu, & ordine, æquè instructus: & in his quæ ad eum pertinent, providus & discretus: licet quibusdam visus sit nimis acutus. Et nisi ista quæ nunc est, inter Dominum Regem, & Dominum Archiepiscopum esset contentio, regnum & sacerdotium mutuò congauderent adinvicem paci, & concordiæ, sub Principe bono, & Pastore optimo. Est igitur hæc nostra supplicatio, ut ad tollendam istam dissensionem, & ad pacis, & amoris reformationem velit vestra gratia invigilare attentiùs.

Comitis de Arundel oratio.

XLIII. Comitis oratio discreta.

Hæc Comes eleganter, sed in lingua sua proposuit: ita quod communiter ab omnibus plurimum commendaretur ejus modesta discretio. Vir verò Apostolicus qui ex multorum fidâ, sed secretâ relatione, causam dissensionis inter Regem, & Archipræsulem & gestorum veritatem cognoverat, criminatoribus non adhibuit fidem. Unde & qui missi fuerant, videntes, sic fortiter, & instanter Regis nomine postulant: ut Archiepiscopum in Angliam remitteret pariter, & à Latere suo Legatum: qui remotâ appellatione, causam inter Regem & Archiepiscopum audiret: & inter ipsos vel componeret, vel causam per sententiam terminaret. Verùm Papa needum petitionem hanc vel concedens, vel renuens, hortabatur attentiùs, ut Archipræsulis ad Curiam expectarent adventum: & rem objectam, eo præsente, intentarent: aut nihil objicientes suam facerent petitionem: adjiciens, in absentia ejus nihil esse in eum statuendum: nec ipsos in forma illa qua petebant exaudiendos. At illi expectare nolentes; eò quòd ut aiebant, ultra terminum, à Rege sibi

Noluit quid Pontifex cõcludere cum Legatis absente Thoma.

præfixum

præfixum in Curia remanere, aut moram facere, non audebant; crebrò postulabant, & instanter, Regis petitionem adimpleri. Arctabatur itaque Romanus Pontifex, cernens Regis intentionem, & Dominationem amplam: & durum illud, & dirum quod tunc erat in Dei Ecclesia schisma: metuebat quòd si ita omnino Rex pateretur repulsam; præsertim per tam magnos & honoratos viros factâ petitione; majus in Ecclesia schisma fieret. Quod & ipsi qui missi fuerant, & præsertim laici minabantur. Inde verò verebatur, Archipræsulem in Angliam; in quâ jam velut hostia publicus habebatur; & à quâ cum tanta difficultate, & tot periculis; quasi ipso Domino educente, jam exierat; suâ auctoritate remittere: ne sic Archipræsulis innocentia, & causa opprimeretur justitiæ: unde & in se Dei provocaret judicium, & toti Ecclesiæ scandalum foret.

XLIV. Papa coarctabatur pro S. Thoma, præsertim a Cardinalibus.

Vir itaque Apostolicus coarctabatur, præsertim à plerisque Cardinalibus suis. quorum aliqui, ut Principibus & Magnatibus placere studerent; judicabant Regia petitionem fieri debere: aliis renitentibus. Attamen librato deinde consilio, consiliô & fortitudinis desupet accepto spiritu; dictam Regis petitionem in gravamen & oppressionem Atchiepiscopi conceptam, non adimplendam decrevit: nisi ejus ad Curiam expectatent adventum. Alioquin in ipsius absentia nihil agendum contra ipsum. At illi expectare nolentes, voto frustrati, in Angliam; non cum benedictione Apostolicâ; sed potiùs ut credendum est, cum maledictione paternâ sunt reversi, in se & in semine suo maledicti qui Patris verenda non operuerunt, sed potiùs frontosè detegere nequaquam veriti sunt. Et quidem acceleraverunt eò festinantiùs reverti; quòd ipsis secretò intimatum fuisset nònnullos de militibus terræ, favore Archipræsulis & ipsorum odio, sarcinis suis, in quibus non modicum argenti sperabatur, per viam paravisse insidias. Unde festinanter, & subitò Francia exeunt. Miro siquidem modo & incredibili; mox ut de Atchipræsule per universum Ecclesiarum orbem innotuit; sicut dedit ei Dominus gratiam & favorem: ita in adversantes è diverso omnium corda concitavit. Vix enim est, ut non omnibus placeat, qui omnium placet auctori: juxta id quod de uno Sanctorum legitur: quod quem Deus perfuderat gratia ab omnibus amabatur.] Hactenus è Quadrilogo.

XLV.

Dum Thomæ causa hunc in modum in Senonensi urbe controvertitur, Alexander Papa, literis quas Thomæ nuntii attulerant, ita respondit:

Alexandri Epistola S. Thomæ. *apud Baron hic.*

Alexander Papa: Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo.

Quod minor majorem judicare non possit; & eum præsertim, cui jure prælationis noscitur subesse, & obedientia vinculo tenetur astrictus; tam divina, quam humana leges demonstrant. Et præcipuè Sanctorum Patrum statutis id manifestiùs demonstratur. Hac siquidem nos quorum interest errata corrigere, & ea quæ incorrecta perniciosum posteris exemplum relinquerent, emendare solicita consideratione pensantes; & quòd ex delicto personæ, non debet Ecclesia jacturam aliquam, vel incommodum sustinere: sententiam ab Episcopis & Baronibus Angliæ: quoniam ad primam Regis citationem, tui copiam non fecisti, adversum te præsumptuosè prolatam: in qua tibi jam dicti Episcopi & Barones, omnia mobilia tam contra juris formam, quàm contra Ecclesiasticam consuetudinem, abjudicarunt: præsertim cum nulla mobilia, præterquam de bonis Ecclesiæ tuæ habueris; irritam penitus esse censemus, & eam Apostolicâ auctoritate cassamus; statuentes, ut nullas imposterum vires obtineat; aut tibi vel successoribus tuis, seu Ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod imposterùm præjudicium valeat, vel læsionem afferre. Ita ille, infirmans ea quæ contra Archiepiscopum in Northamtonensi conventu perperam acta, & pessimè judicata sunt.

XLVI.

Veriùm nihil magis Archiepiscopo in votis fuit, quàm Alexandrum Papam priùs venerari, quàm e Gallia Romam, quo dudum cogitarat, pergeret. Ad eum ergo cum Quadrilogo illum deducamus: [Archipræsul quem supra in Flandria apud Sanctum Audomarum in S. Bertini Abbatia dimisimus, propter terræ quas verebatur insidias, paucos ibi patiens dies: nocte Flandriam egreditur in equis & comitatu multorum. Siquidem bonæ memoriæ Milo tunc Trevirensis Episcopus, & supra nominatus Sancti Bertini Abbas, ipsum propter viæ securitatem comitativè duaerunt de terra, & ad illam inclitam Galliarum civitatem Suessionem perduxerunt. Ad quam (Domino procurante sic) in crastino sui adventus Rex Francorum Ludovicus venit. Qui mox, ut Cantuariensem Archiepiscopum in civitate audivit: ad hospitium suum descendit: & in salutatione prævenit ipsum, cum omni alacritate, & exultatione suscipiens: & Regiâ quidem clementiâ, vexationi suæ, & labori compatiena: & Regiâ magnificentiâ pacem & securitatem donans: & ex Regia munificentiâ, ad necessarios de fisco sumptus quamdiu exularet accipiendos compellens. Archipræsul verò videns cor Regis ita erga devotum; Deo & Regi de donatis gratias retulit: illum præsertim corde & ore divina prosequens gratiarum actione, in cujus manu corda sunt Regum. Et ita Domino Rege, & Archipræsule, per aliquot dies in civitate commorantibus, recessit in multa gratia Archipræsul à Rege, Senonis ad Dominum Papam properans. Cui Rex statim de ministria suis, qui ipsum per viam necessaria ministrando ducerent, commisit.

Quadrilog. l. 2. c. 9.

Deducitur S. Thomas a Trevirensi Episcopo, et Abbate S. Bertini.

Ludovicus peramanter excipit S. Thomam

XLVII. Excipitur frigide a Cardinalibus, a Papa peramanter.

Itaque ad Dominum Papam Senonis venit; tepidè quidem exceptus à Cardinalibus, ad Domini Papæ præsentiam est intromissus. Qui venientem ad se paternâ suscepit benignitate, super vexatione sua multimoda, & peregrinatione tam periculosâ, & dura, paternè compatiens. Dumque hæc & illa verbo tenus ibi agerentur; demum recepit in mandatis, in crastino, exilii sui causas coram fratribus exponere. Sequenti ergo die, dum quæreretur inter sodales, quis eorum causam habeat exponere, singulis sese excusantibus, verbi pondus apud Archiepiscopum resedit. Doctus igitur à Deo, & per se impræmeditatus, dum primus à Domino Papa sederet; & propter reverentiam vellet surgere: jussus residendo causam edicere, sic incepit. Licet non multum sapientes, nec tamen usque adeo summa fatui: ut Regem Angliæ, suos, & sua, pro nihilo relinqueremus. Nam si vellemus suæ per omnia placere voluntati; in sua potestate, & regno, non esset quis, qui nobis non obediret pro libito. Et dum sub hac conditione illi militavimus; quid fuit, quod nobis non

Narrat totius rei progressum.

successit ad votum? Ex quo verò aliam ingressi sumus viam: & facti sumus memores professionis, & obedientiæ, quam pro Deo suscepimus; quem ad nos habuit, tepuit profectò prior affectus. Adhuc autem si ab ipso proposito vellemus resilire, ad ejus recuperandam gratiam, nullius personæ indigeremus interventu. Verùm quia Cantuariensis Ecclesia, sol solet esse Occidentis, & nostris temporibus offuscata est ejus claritas: non igitur solum quodlibet tormentum; sed & mille mortis genera (si tot occurrerent) libentiùs exciperemus in Domino; quàm sustineremus sub dissimulatione, mala, quæ patitur his diebus. Porro ne videar curiosè, vel obtentu vanæ gloriæ hæc inchoasse, expedit ut occultâ fide constet de effectu.

XLVIII. Et producens scriptum, in quo continebantur consuetudines illæ, de quibus contendebatur, cum lacrymis, inquit; Ecce quæ statuit Rex Angliæ contra libertatem Ecclesiæ Catholicæ. Si hæc licet dissimulare sine dispendio animæ, vos videritis. Quibus perlectis, moti sunt usque ad lacrymas: nec hi se continere poterant, qui priùs pro viribus adversabantur: quasi voce Deum laudantes, dum vel unum sibi servavit, qui pro Ecclesiâ suâ, in illa tempestate, ausus fuit ex adverso ascendere. Et qui ante videbantur super causa hac variè disceptare; jam in unam convenere sententiam; in personam Cantuariensis Archiepiscopi, universali Ecclesiæ succurrendum. Verùm Dominus Papa lectis & relectis, & diligenter, & attentè auditis & cognitis singulis consuetudinibus, acerrimè motus, statim excanduit in Archipræsulem, arguens eum, & durè increpans; quod in illarum non consuetudinum, sed tyrannicarum usurpationum assensu, ipse (ut ibi confessus est) cæterique Episcopi, sacerdotio suo renuntiaverunt, & Dei Ecclesiam ancillaverunt: asserens multo sanctiùs, omne sustinuisse discrimen; quàm tantis Legis Dei subversionibus præbuisse assensum. Et adjecit: Verùm inter abominabilia hæc, quæ hic lecta sunt, & audita: nulla quidem bona, sed quædam tolerabilia, quæ utcumque potest Ecclesia tolerare. Sed horum major pars reprobata, & ab antiquis quidem, & authenticis damnata est conciliis; utpote directè sacris sanctionibus adversa. Et hæc quidem Dominus Papa in audientia omnium reprobavit, & ab Ecclesia imposterum damnanda censuit.

XLIX. *Baron. hic.* Cum hæc omnia Baronius è Quadrilogo recitasset, opportunè satis è Vaticano Codice, Consuetudines recitat, *cum additamento*: nimirum, cum singularum Consuetudinum censurâ: quas damnandas, quas tolerandas censuerat Alexander Papa. Ego tamen, rescriptum illud, quod Thomas in hoc Cardinalium congressu protulisse dicitur, priùs aperiam: inde dicam, quid de singulis in eo contentis judicatum. Rescriptum illud Quadrilogus sub quinti libri exordium ita refert: [Rescriptum illarum Consuetudinum, quas avitas vocant, quando, & quarum, & à quibus facta est recognitio Regalium Consuetudinum. *Quadrilog. l. 5. princ.*

Recognitio fit Consuetudinum Regiarum. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, Papatus Alexandri anno quinto (completum intelligit) Illustrissimi Anglorum Regis Henrici secundi, anno decimo: In præsentia ejusdem Regis facta recordatio & recognitio cujusdam partis Consuetudinum, & libertatum, & dignitatum antecessorum suorum; videlicet Regis Henrici avi sui, & aliorum; quæ observari & teneri debent in regno. Et propter dissensiones & discordias, quæ emerserant inter Clerum, & justitias Domini Regis, & Barones regni, de Consuetudinibus, & dignitatibus. Facta est ista Recognitio coram Archiepiscopis, & Episcopis, & Clero; & Comitibus, & Baronibus, & Proceribus regni. Et easdem Consuetudines recognitas per Archiepiscopos, & Episcopos, & Comites, & Barones, & per nobiliores & antiquiores regni, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, & Gilbertus Londoniensis Episcopus, & Henricus Wintoniensis Episcopus, & Nigellus Eliensis Episcopus, & Willielmus Norwicensis Episcopus, & Robertus Lincolniensis Episcopus, & Hilarius Cicestrensis Episcopus, Jocelinus Salesberiensis, & Richardus Cestrensis Episcopus, & Bartholomæus Exoniensis Episcopus, & Robertus Herefordensis Episcopus, & David Menevensis Episcopus, & Rogerus Wigorniensis electus, concesserunt: & in verbo veritatis, viva voce, firmiter promiserunt tenendas & observandas Domino Regi & hæredibus suis, bona fide, & absque malo ingenio, præsentibus istis, Roberto Comite Leycestriæ, Riginaldo Comite Cornubiæ; Conano, Comite Britanniæ, &c.

L. *Consuetudinum Capitula, cum censuris earundem.* Consuetudinum verò, & dignitatum regni recognitarum, quædam pars præsenti scripto continetur, cujus partis capitula sunt hæc.]

Cap. 1. Capitulum primum. *De advocatione, & præsentatione Ecclesiarum, si controversia emerserit inter Laicos: vel inter Laicos & Clericos: vel inter Clericos. In curiâ Domini Regis tractetur & terminetur.* In Codice Vaticano, huic capitulo hæc censora adjicitur: *Primum hoc Capitulum damnavit sancta Romana Ecclesia sub Alexandro Tertio.*

2. Capitulum secundum. *Ecclesiæ de feudo Regis non possunt in perpetuum dari, absque consensu, & concessione ipsius.* Hoc toleravit.

3. Capitulum tertium. *Clerici citati, & accusati, de quacumque re; sive moniti à Iustitia Regis; veniant in Curiam ipsius, responsuri ibidem, de hoc, unde videbitur Curia Regis, quid ibi sit respondendum: & in curia Ecclesiastica, unde videbitur, quid sit ibi respondendum. Ita quod Iustitia Regis mittet in Curiam sancta Ecclesia, ad videndum qua ratione res ibi tractabitur. Et si Clericus convictus vel confusus* * *fuerit, non debet eum Ecclesia de cætero tueri.* Hoc damnavit, inquit Codex Vaticanus. ** confessus.*

4. Capitulum quartum. *Archiepiscopis, Episcopis, personis regni, non licet exire de regno, absque licentia Regis. Et si exierint, si Domino Regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo perquirent malum, vel damnum Regi, vel regno.* Hoc damnavit.

5. Capitulum quintum. *Excommunicati non debent dare vadium, ad remanens, nec præstare juramentum: sed tantum vadium, & plegium standi judicio Ecclesiæ, ut absolvantur.* Hoc damnavit.

6. Capitulum sextum. *Laici* * *non debent accusari nisi per certos & legales accusatores, & testes in præsentia Episcopi; ita quod Archidiaconus non perdat jus suum, nec quicquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint, qui culpantur, quos nec velit, nec audeat aliquis eos accusare. Vicecomes requisitus ab Episcopo faciet jurare duodecim legales homines* * *de visneto,* ** Clerici.* ** de vicineto.*

seu

seu de villa, coram Episcopo: quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. Hocetiam Alexander toleravit. Adverto solùm, ubi Baronius in Codice Vaticano in exordio hujus Capituli: Laici non debent accusari, &c. Quadrilogus legit: Clerici non debent accusari, &c.

LI. 7. Capitulum septimum. Nullus, qui de Rege teneat in capite: nec aliquis Dominicorum ministrorum ejus excommunicetur: nec terra alicujus illorum, sub interdicto ponantur: nisi priùs Dominus Rex, si in terra fuerit, conveniatur. vel justitia ejus, si extra regnum fuerit, ut rectum est, de ipso faciat. Et ita id quod pertinebat ad curiam Regiam ibidem terminetur. Et de eo quod spectabit ad Ecclesiasticam, ad eandem mittatur, ut ibidem tractetur. Hoc damnavit.

8. Capitulum octavum. De appellationibus, si emerserint ab Archidiacono, debent procedere ad Episcopum: ab Episcopo ad Archiepiscopum. Et si Archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda; ad Dominum Regem est perveniendum postremò, ut præcepto ipsius in curia Archiepiscopi controversia terminetur: ita quod non debet ulteriùs procedere absque assensu Regis. Hoc damnavit.

9. Capitulum nonum. Si calumnia emerserit, inter Laicum & Clericum, de ullo tenemento, quod Clericus ad eleëmosynam velit attrahere: Laicus verò, ad laicum feudum, recognitione duodecim Legalium hominum, per capitalis justitiæ Regis considerationem terminabitur: Utrum tenenementum sit pertinens ad eleemosynam, sive laicum feudum, coram ipsa justitia Regis. Et si recognitum fuerit, ad eleemosynam pertinere; placitum erit in curia Ecclesiastica. Si verò ad laicum feudum (nisi ambo de eodem Episcopo, vel Barone advocaverint) erit placitum in Curia Regis. Sed si uterque advocaverit de feudo illo ante eundem Episcopum, vel Baronem, erit placitum in Curia ipsius. Ita quod propter factam recognitionem, saisinam non amittat, qui prius saisitus fuerat. Hoc damnavit.

10. Capitulum decimum. Qui de civitate, castello, vel Burgo, vel dominico manerio Regis fuerit: si ab Archidiacono, vel Episcopo, de aliquo delicto citatus fuerit; unde debeat eis respondere: & ad citationem illorum noluit satisfacere: benè licet eum sub interdicto ponere: sed non debet excommunicari priùs quàm capitalis minister Regis villa illius conveniatur, ut * justiciet eum ad satisfactionem venire. Etsi minister Regis inde defecerit, ipse erit in misericordia Regis: & exinde poterit Episcopus ipsum accusatum justitia Ecclesiastica coërcere. Hoc damnavit.

* justificet Quadrilog.

11. Capitulum undecimum. Archiepiscopi, Episcopi, & universæ personæ regni, qui de Rege tenent in Capite, habent possessiones suas de Rege, sicut Baroniam, & inde respondent justitiis & ministris Regis. Et sequentur, & facient omnes rectitudines, & consuetudines Regias. Et sicut Barones cæteri, debent judiciis Curiæ Regis, cum Baronibus interesse: usque dum perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum, vel mortem. Hoc toleravit.

12. Capitulum duodecimum. Cum vacaverit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus, de dominio Regis, debet esse in manu ejus: & inde percipiet omnes redditus, & exitus, sicut Dominicos. Et cum venerit ad consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in capella ejus debet fieri electio, assensu Regis, & consilio personarum regni; quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet Rex homagium & fidelitatem Regi; sicut ligio domino suo, de vita sua, & membris, & honore suo terreno; salvo ordine suo priusquam sit consecratus. Hoc damnavit.

Capitulum decimum-tertium. Si quisquam de Proceribus regni, Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Archidiacono, de se vel suis, justitiam exhibere renuerit: Rex debet justitiare. Et si fortè aliquis disertiaverit Regi rectitudinem suam: Archiepiscopi, vel Episcopi, & Archidiaconi debent eum justitiare, ut Regi satisfaciat. Hoc toleravit. 13.

Capitulum decimum-quartum. Catalla eorum qui sunt in foris facto Regis, non detineat Ecclesia, vel cæmiterium contra justitiam Regis; quia Regis sunt: sive in Ecclesiis, sive extra fuerint inventa. Hoc toleravit. 14.

Capitulum decimum-quintum. Placita de debitis, quæ fide interposita debentur; vel absque interpositione fidei, sint in * justitia Regis. Hoc damnavit. 15.

* in curia

Capitulum decimum-sextum. Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cujus terra nati sunt, sive esse dignoscuntur. Hoc toleravit. 16.

[Quibus perlectis (pergit Baronius è Quadrilogo) Alexander Papa, ut prædictum est, valdè commotus, ad Archiepiscopum se convertens. Tecum, inquit, frater, etsi tuus, & Coepiscoporum tuorum grandis fuit excessus, & enormis, agendum est parciùs. Qui etsi (ut confiteris) ipse cecidisti: mox post casum tuum, resurgere conatus es. Et propter casum multa gravia, & dira perpessus. Et statim ut cecideras; cum adhuc esses in Anglia; à nobis quæsisti, & meruisti de clementia nostra absolutionis beneficium. Unde & dignum est, & nos tibi indulgemus, ut in tuis adversis clementiæ nostræ consolationem, & gratiam præ cæteris personis Ecclesiasticis, tantò pleniùs & affectuosiùs sentias; quantò pro libertate Ecclesiæ; & pro fide & devotione nostra, majora reliquisti, & graviora perpessus es. Et ita vir Apostolicus, Archipræsulem primò paterna severitate objurgans, & maternæ post consolationis dulcedine reparans, tunc dimisit.] Sequitur in Thomæ rebus gestis, Christianæ pietatis, prudentiæ, & humilitatis, singulare exemplum: cum à suis Coepiscopis persuasus, loco, dignitatique suæ cedere, quo Regi satisfieret: cedere noluit. voluit totem ad Alexandri pedes se, pedum, infulamque ponere: consultius existimans Cantuariensem Ecclesiam, hoc est, omnem Anglorum in fide matrem, Ecclesiasticæ manui, quàm Regiæ committere. Quod ita è Quadrilogo refert Baronius.

LII. apud Baron. hic.

ALEXANDER DAT S. THOMÆ ABSOLUTIONEM.

[Postero verò die, in secreto thalamo, cum Domino Papa Cardinalibus residentibus affuit & Archiepiscopus, hæc inquiens: Patres mei, & Domini: mentiri nemini licet alicubi, nedum coram Deo, & vestra præsentia. Unde gemens fateor, quia has Anglicanæ Ecclesiæ molestias mea miserabilis culpa suscitavit. Ascendi in ovile Christi, sed non per Christi ostium: velut quem non Canonica vocavit electio, sed terror publicæ potestatis introduxit. Et licet hoc onus susceperim invitus: tamen ad hoc me induxit humana non divina voluntas. Quid igitur mirum si mihi cessit in contrarium. Verùm si ad Regis comminationem, ut Coepiscopi mei persuasere instantiùs, renuntiassem auctoritatis Episcopalis mihi indulto privilegio; ad Principum votum, & voluntatem, Catholicæ Ecclesiæ perniciosum relinqueretur

LIII. PERORAT S. THOMAS CORAM PAPA ET CARDINALIBUS. Quadrilog. l. 2. c. 11.

exemplum. Distuli igitur usque ad vestri præsentiam. Nunc igitur recognoscens ingressum meum minùs Canonicum: & timens proinde exitum mihi provenire deteriorem: videns & vires meas oneri impares: nè gregi inveniar præesse ad ruinam, cui datus sum qualitercumque in Pastorem:

Obtulit S. Thom. annulũ suum resignaturus Episcopatum

In manu tua, Pater, Archiepiscopatum Cantuariensem resigno. Moxque transumens annulum suum de digito, rogabat Ecclesiæ dignum Pastorem provideri: eò quòd ipse nomen Pastoris habens, officium Pastoris non impleret. Complensque orationem in lacrymis, Dominum Papam, & omnes, qui aderant, flere compulit. Imo & hæc audiens, quis poterit se continere à fletu?

Cardinales aliqui voluere, ut resignaret. Aliorum sententia sanior prævaluit.

LIV. Seorsum igitur sedente Archiepiscopo cum suis, in hoc verbo scandalizatis; nimirum quia jam cœperant desperare: Dominus Papa super his cum Cardinalibus cœpit conferre: Hinc inde varia & diversa est orta sententia. Quibusdam visum est, ablata occasione Regis iram sedari posse faciliùs, dum in alia persona, Ecclesiæ Cantuariensi consuleretur: & Beato Thomæ posset aliàs, & competentiùs provideri. Hi siquidem erant ex Pharisæis. Aliis autem visum est in diversum (qui apertos habebant oculos) Quia si is, qui pro tuenda Ecclesiæ libertate, summo periculo, & discrimini, non solùm divitias, & gloriam, dignitatem, auctoritatem, sed & vitam exposuit: ad Regis libitum deberet suo jure privari: sicut forma fieret aliis in consimili causa Regibus resistendi: si ei justitia servaretur illæsa: sic eo cadente caderent universi Episcopi: ut nullus futuris temporibus auderet obviare Principis voluntati: & sic vacillaret status Ecclesiæ Catholicæ, & Romani Pontificis deperiret auctoritas. Expedit igitur, inquiunt, hunc restitui etiam invitum: & ei, qui pro nobis omnibus dimicat, omnimodè succurrendum. Placuit omnibus hæc sententia præterquam Pharisæis. Vocato igitur B. Thoma cum suis, Dominus Papa hæc ait ex sententia. Nunc demùm, frater, nobis libet, quem habuisti & habes zelum pro domo Dei. propter quam sincera conscientia teipsum statuisti murum ex adverso. De tuo autem ingressu, cum puram feceris Confessionem, resignatione facta, quæ potuit esse, debuit deleri culpa delicti. Ideo jam securè de novo poteris de manu nostra Pontificalis officii curam recipere, dum te in integrum ducimus restituendum; & meritò, quem multiplici genere tentationis virum probatum novimus providum, & discretum, Deo & hominibus charum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ per omnia fidelem. Et sicut nostræ persecutionis factus es particeps, & consors individuus: ita tibi, Deo auctore, in nullo deesse poterimus; quamdiu in hoc corpore vitalis duraverit spiritus. Verùm hactenus deliciis affluens, ut de cætero discas, quòd debeas scilicet pauperum esse consolator: nec id doceri poteris, non docente te matre ipsa paupertate: ideo pauperibus Christi te duximus commendandum.

Abbati Pontiniacensi commendatur.

Huic, inquam, Abbati Pontiniacensi (erat enim ibi præsens ex condicto) non, inquam educandum splendidè; sed simpliciter, ut decet exulem, & Christi athletam. Inter quos cum paucis & necessariis; reliquis sociis per amicos divisis; oportet te ad tempus conversari: donec aspiraverit dies consolationis, & tempus pacis desuper ad nos descenderit. Interim autem forti animo esto: & his qui pacem perturbant resiste viriliter.] Hactenus ad S. Thomam Alexander Papa.

LV. Digressus inde Cantuariensis Præsul, & Pontiniacum ingressus, voluit, quod olim in votis, & occultum erat, publicum esse: & solemni cærimonia monasticem profiteri: quod ita narrant Authores supradicti. [Acceptâ benedictione Beatus Thomas cum paucis familiaribus (alibi destinatis ut dictum est, cæteris) Pontiniacum ingressus judicavit se non dignè cursum Pastoralem, de manu Apostolica accepisse; nisi etiam & habitum religionis reciperet. Nimirum qui Episcopali in Sede primogenitos filios suos monachos haberet regere: & à prima fundatione Cantuariensis Ecclesiæ, Archiepiscopos didicerat ferè omnes, monachos fuisse. Nec secundum veterum historias aliquando regni scissuram, vel translationem accidisse; nisi dum quis alterius professionis, Cantuariensi Ecclesiæ præfuerit.

Induit habitum monachalem S. Thom.

Missis proinde nuntiis, remisit ei Dominus Papa habitum monachalem, quem ipse benedixerat, de laneo panno, grosso, & crudo. Unde & nuntiis injunxit, dicens: Dicito Domino Cantuariensi; quia habitum ei misimus, qualem habuimus, non qualem vellemus. Pontiniacensis verò Abbas dum cum paucis Beatum Thomam illum indueret habitum, seorsum & secretò astans ibidem quidam familiaris, is utique, qui pridie illud problema proposuit apud Clarendonem. scilicet: Quid sibi virtutis remanet, qui conscientiam perdidit? dum vidit in ipso habitu caputium minoris quantitatis, quàm toti congrueret (fuit tamen id seriò factum) Utrum regulariter ait, nescio: liquet tamen Dominum Papam minus congruè adjunxisse cucullæ caputium. Fuit igitur monasterium illud Archipræsuli, & eis, qui cum ipso erant, sicut certaminis palæstra, qua exercitabantur: ita & quædam virtutum schola, qua erudiebantur ad prælium.]

LVI. De Thoma satis: quiescit ille in Pontiniacensi secessu sanctè occupatus: sed non quievit Rex Henricus, immanè in Ecclesiam, in Alexandrum, in Sanctum furens. quod malo ex antiquorum narratione, quàm meis verbis referre. [Rex autem (sic habet Quadripartita historia) cum redeuntibus nuntiis, se in suis petitionibus didicisset repulsum. *Quadr. l. 2. c. 13.*

Amici eius et cognati missi in exilium.

Res omnes Archiepiscopi, suorúmque confiscari præcepit, totámque cognationem ejus, & omnes, qui eum familiaritate; vel quovis titulo contingebant, proscriptos addidit exilio. Non infanti vagienti, non decrepito seni, non in puerperio mulieri decubanti parcebatur. Processit ulteriùs furor immanis, & piis auribus horrenda crudelitas. Nam compulsi sunt adulti jurare, quòd contristandi causa Archiepiscopum, ubicumque repereretur, expeterent. Prohibitúmque est nè pro eo oraret Ecclesia: quod pro hæreticis, & schismaticis, & perfidis Judæis facere consuevit. Quotidie igitur ad eum nova exulum confluebat multitudo: nisi quod plerique à præfato juramento, auctoritate Apostolica absoluti, in Flandria remanserunt: hi præsertim, qui propter ætatis, vel sexus infirmitatem, & multam quæ tunc erat, inclementiam temporis, absque multo sui dispendio, ad Archipræsulem, sicut juraverant, proficisci non poterant. Cæteri verò quotidie glomerati veniebant ad eum ejulantes & plangentes, quòd essent sic à natali solo expulsi,

bonis suis proscripti, & ab amicis & proximis elongati: & ita quotidie virum commovebant. Quanta igitur anxietate putas premebatur? cum assiduè præ oculis haberet, quorum miseriæ causa erat: & quibus, præter compassionem parum, vel nihil conferre poterat. Nimirum inter incudem & malleum versabatur: & tot in se persecutiones excepit, quot pro se percussos accepit. Sic ante martyrium, martyr factus est, ante tunsiones latomorum, angulari lapidi conquadratus: ante fornacem, ex ære, argentum. Vir itaque Apostolicus, & terrarum potentatus, nationes, & regna, audientes hæc, mox obstupuerunt: & sanctum admodum propalantes, Arch præsuli, & tali, ac tantæ ejectorum turbæ totis pietatis visceribus compassi sunt. Unde Archiepiscopus, eò quòd tantam turbam secum ferre non poterat, ipsos per nationes & provincias ad diversas personas, cum suis literis supplicatoriis transmittebat. Qui omnes ab eis ad quos missi sunt, cum tantæ malitiæ odio, cum favore mittentis benignè suscepti sunt. Omnibus itaque (sic præstante Domino) provisum est in brevi: ut inter ipsos egens nullus esset: & plurimi feliciùs in exilio, quam in patria degerent.]

LVII. Omittunt authores isti, quod tamen dignum Annalibus est: quò potissimùm extra Gallias missi; & à quibus benignè accepti sint, qui pro Thomæ constantia extorres à patria, bonisque spoliati sunt. Baronius id non tacuit, ita de Siculorum pietate scribens: [Porro (inquit) quod ipse Thomas tot miserorum calamitatibus consulere non valeret, consilium iniit; ut alendos transmitteret in Siciliam. Quos omnes succepit Margarita, Regina Siciliæ valdè pia. Sed & Siracusanus Archiepiscopus de iisdem bene meritus est, ad quos idem Thomas scribens, plurimas agit gratias.] Sic Henrici Regis impietas longè lateque per Christianum orbem, fidelium mentes ad pietatem in miseros excitavit. Non enim in unum Thomam Regis furor exarserat, sed gradu facto, Alexandrum ipsum, Romanamque Ecclesiam, quam hactenus Anglorum Reges pientissimè coluerant, impetivit. testantur id exotica decreta, quæ per Normanniam servari præcepit, ubi prologus legitur illius tragœdiæ, quam post aliquot sæcula, mirabili catastrophe lusit Henricus Octavus, & Catholicam nobilissimamque Insulam, in errorum, & hæresium discrimen conjecit. Procemium fuerunt, quæ hoc anno secundus Henricus impiè in hunc modum sancivit; consuetudinibus de quibus supra, Constitutiones adjungendo, quæ Normanniæ populum, & subditos ibi à Thoma si posset, & ab Alexandro averteret.

Baron. hic.

Margarita Siciliæ Regina recipit exules.

Hæ sunt Constitutiones quas constituit Rex Henricus in Normannia, & mandavit Justitiis suis Richardo de Lucy, & duobus Archidiaconis G. & R. & omnibus Principibus & populis Angliæ jurandas & servandas. Latores earum fuerunt Guimerus Presbyter, & Galterus de Grimesby.

LVIII. Constitutiones iniquæ Regis.

1 *Si quis inventus fuerit, ferens literas Domini Papæ, vel aliquod mandatum Archiepiscopi Cantuariensis, continens interdictum Christianitatis in Angliam, capiatur. & de eo, sine dilatione, justitia fiat, sicut de Traditore Regis & regni.*

2. *Præterea nullus Clericus, vel monachus, vel conversus, vel alicujus conversionis, permittatur transfretare, vel redire in Angliam; nisi de transitu suo habeat literas Justitiæ; & de reditu suo literas Domini Regis. Si quis aliter inventus fuerit agens capiatur, & incarceretur.*

3. *Ne aliquis appellet ad Papam, vel ad Archiepiscopum.*

4. *Ne aliquod placitum teneatur de mandatis Papæ, vel Archiepiscopi, vel aliquod mandatum eorum in Anglia ab ullo homine recipiatur. Si quis inventus fuerit aliter agens, capiatur, & incarceretur.*

5. *Generaliter quoque interdictum est, quòd nullus ferat aliquod mandatum Clerici vel Laici Domino Papæ, vel Archiepiscopo. Si talis inventus fuerit, capiatur, & incarceretur.*

6. *Si Episcopi, vel Clerici, vel Abbates, vel Laici, sententiam tenere voluerint, sine dilatione de terra ejiciantur, & tota eorum cognatio. ita quod de catallis suis nihil secum ferant.*

7. *Ut catalla omnium Papæ, vel Archiepiscopo faventium, & omnes possessiones eorum, & omnium eis pertinentium, cujuscunque gradus sint aut sexus, vel conditionis, capiantur, & Dominica manu Domini Regis confiscentur.*

8. * *Ut omnes Clerici qui redditus habent in Anglia, sint summoniti per omnes Comitatus, ut infra tres menses veniant in Angliam, ad redditus suos, sicut diligunt redditus suos: & si non venerint ad terminum statutum redditus in manu Regis capiantur.*

9. *Ut Denarii Beati Petri non reddantur ulterius Apostolico, sed diligenter serventur in thesauro Regis, expendanturque ad ejus præceptum.*

10. *Londoniensis & Norwicensis Episcopi, sint in misericordia Regis, & summoneantur per Vicecomites, & Bedellos, ut sint contra justitias Regis, ad rectum faciendum Regi & justitiis ejus: de eo quod contra statuta de Clarendon interdixerunt ex mandato Papæ terram Comitis Hugonis: & excommunicationem quam Dominus Papa in ipsum fecerat, per suas parochias divulgarunt, sine licentia justiciarum Regis.* Hactenus è Vaticano Codice, & Quadripartita historia.

At tempus quod attinet harum Constitutionum licet illas referat Baronius, ad annum præsentem: puto tamen eas posteriùs emanasse. Priùs enim Alexander Londinensi Episcopo scripserat, eum hortatus, qui plurimum cum Henrico poterat, ut Archiepiscopum amando, Ecclesiam ultra persequi desineret, & Petro Apostolorum Principi, Romanæque Ecclesiæ denarios pendi solitos per Angliæ regnum colligeret. Epistola autem est hujusmodi: LIX.

Alexander Papa, Gilberto Londoniensi Episcopo.

Quadrilog. l. 3. c. 9.

Alexander ad Gilbertum Londinen.

A Memoria tua non credimus excidisse: quod dilectus nobis in Christo filius, illustris Anglorum Rex Henricus, præ cæteris, porrectis precibus nos olim sollicitavit, & rogavit, ut ab Herefordensi, cui præsidebas, in Londoniensis Ecclesia translationem se transferri permitteremus. Atque nostrum super hoc assequeretur assensum; necessitatem simul & utilitatem profuturam ostendit. Cum enim urbs illa Londoniensis, quasi caput regni sui sit: cumque te religionis & discretionis virtute pollere intelligeret: te magis propinquum & familiarem habere desiderabat: consilio tuo volens uti super

his

bus, quæ ad salutem animæ suæ, & ad statum regni sui pertinerent. Itaque precibus ejus inclinati, & utilitatis proventu, ex consideratione inducti, voci ejus benignum præbuimus assensum. Et quantò benigniùs favimus petitioni ejus; & tua in simul intendimus exaltationi: tantò diligentiùs, & solicitiùs oporteret te circa illa quæ ad salutem animæ ejus, & honorem regni sui pertineant, invigilare, ut & fructus quem sperabamus, proveniret; & Ecclesia Anglorum diebus ejus, in pace bona, Domino deserviret. Quod autem nunc à devotione Ecclesiæ, ab eo quod solebat, animum mentemq; revocat: & eam in multis: sicut in appellationibus, & visitationibus nostris: & communicando schismaticis, & nominatim excommunicatis, contaminat. Et quod Venerabilem fratrem Cantuariensem Archiepiscopum de terra sua exire, eumq; persequi te non credimus latere.

LX. *Unde rogamus, monemus, mandamus; quod admoto tecum Venerabili Fratre nostro Herfordensi Episcopo, Regem convenias diligenter, & commoneas ut errata derelinquat, excessus istos corrigat: Dominum Deum creatorem suum puro corde diligat: Matrem suam sanctam Romanam Ecclesiam diligenter veneretur. Et quamvis eum ampliore charitatis affectu (licet ipse aliter opinetur) amplectamur: & eum tanquam magnificum Principem, & inclytum Regem; tum pro devotione ejus, & veneratione; tum pro multimodis ejus beneficiis, necessitatibus nostris impensis, plurimùm diligamus. Tamen ei benè proponas; quod nisi hæc maturius corrigat; timendum sibi erit: ne Dominus Deus, has ab eo injurias, & hæc in eum, & in suos severiùs vindicet. Nos quoque hæc in patientia ulteriùs non possumus sustinere. Adhuc de tuæ religionis & devotionis prudentia, pleniùs confidentes Ecclesiæ negotia experientiæ tuæ fiducialiùs committimus erigenda ea, & exequenda. Inde est quod fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus: quòd denarios Beati Petri per totam Angliam fideliter colligi facias, & eos nobis maturiùs mittere non postponas. Si qua de tua pecunia, vel mutuo accepta, citius nobis transmittere posses, gratum haberemus, & quasi de dono tuo acceptum reputaremus.* Hactenus Alexander, quem adhuc in Galliis morantem, Romani infimis precibus in Italiam invitaverunt, & ideo denariorum collectio, & matura transmissio Londinensi injungitur.

LXI. REX VETAT NUMMUM S. PETRI COLLIGI.

Hinc Henricus, qui animum in Thomam Cantuariensem obstinarat: ne Anglorum pecuniæ, opem illi subsidiúmve præberent: severè sanxit, ne Apostolico, sed fisco suo, denarii penderentur. quâ positâ cautione, Gilbertus Londinensis Episcopus, Regio magis genio, quàm Apostolico mandato serviens, noluit colligendæ pecuniæ procurationem suscipere. Hanc igitur provinciam Alexander Papa duobus Prioribus Cisterciensis ordinis videtur commisisse, quod suspicacem Regis animum exasperavit adeo, ut nec illi, aut denarios exigere, nedum transferre sint ausi: donec Deus suscitavit spiritum Petri Blesensis, Henrici Regis tunc domestici, qui Henrico se opponens, pro Ecclesia advocavit. De quo hæc habet Baronius, ubi Regias Constitutiones à me suprà relatas recensuit: Ait enim: Quod verò pertinet ad Denarium Sancti Petri, cujus exactio ab Alexandro Papa commissa erat duobus Prioribus Cisterciensibus. His cedentibus, nec audentibus contradicere prohibenti Regi, domesticus ejusdem Regis Petrus Blesensis, magnis sumptis spiritibus adversatus est Regi, atque ad relinquendam liberam eam exactionem, ipsum adegit. Testatur id ipse in Invectiva, contra depravatorem suorum operum hæc dicens: Non ad jactantiam dico, sed ut impudentiam tuam (frons enim meretricis facta est tibi, complurium Angliæ Magnatum testimonio, & assertione) retundam. Bonæ memoriæ Rex Henricus, pro denario S. Petri quandoque adversus duos Priores ordinis tui inexorabiliter, & irrevocabiliter excanduerat. Nemo præsumebat se opponere ex adverso. Ego steti in confractione proeis: & in tempore iracundiæ factus sum reconciliatio. Ad instantiam meam, inspirante Deo, frequenter Regia manus, in eleëmosynarum gratia munificè & magnificè se effudit, & adhuc eleëmosynas ejus narrat Ecclesia Sanctorum.] Ita Baronius de Petro Blesensi ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum quartum.

NEC AUSI SUNT DUO PRIORES CISTERCIENSES COLLIGERE.

apud Baron. hic.

PETRUS BLESENSIS INDUXIT REGEM, UT COLLIGI PERMITTERET.

LXII. Verùm cum de eodem Petro, frequens deinde facienda sit mentio; quia plura per Angliam Ecclesiastica beneficia; quà merito suo, quà Principum largitione, obtinuit; videndum est, an hoc anno, pro Alexandro Papa, ac proinde pro Denariò Sancti Petri, apud Regem contenderit. Ut certum est eum, licet Blesis in Gallia natum, in Angliam venisse, ibique annos sex & viginti vario munere functum anhelasse postmodum in patria mori: ita quo anno primùm in Angliam venerit, dubitari potest, atque controverti. Cæterùm ipse ab Henrico secundo, se primùm in Angliam invitatum esse, disertè affirmat, Epistola centesima vigesima septima, ad Odonem Parisiensem Episcopum: ubi ait: *Rex Angliæ Henricus secundus, consanguineus vester, me primum in Angliam traxit: cujus munificam, & magnificam manum frequenter expertus; ex ipsius amissione, didici, quanta mihi obvenisset commoditas, ex diuturnitate viventis.* Quod viginti sex annorum curriculum egerit in Angliâ, declarat ipse Epistola centesima sexagesima: ubi ad patriæ solum aspirans, quasi diuturni exilii pertæsus, ait: *Viginti sex annis in Anglia peregrinans, linguam, quam non noveram, audivi. Heu mihi, quia incolatus est prolongatus tanto tempore, & non est qui compatiatur exuli: non est qui commoveatur super contritione Ioseph. Nunquid semper ero vagus & profugus super terram? Nemo finem imponet peregrinationi meæ: ut saltem semel ante supremi spiritus exhalationem, in aere natero mihi liceat respirare?* Hanc Epistolam datam esse, anno millesimo centesimo nonagesimo septimo colligit Joannes Busæus, qui Blesensis opera notis illustravit. A quo anno si retrocesseris, & viginti sex annos peregrinationis in Anglia supputaveris; primus Petri in Angliam appulsus, in septuagesimum hujus sæculi annum, nec priùs, cadet. Unde facilè patet, non potuisse ante adventus sui sexcennium; hoc est, anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, aut Henrici Regis domesticus fuisse, aut pro denarii exactione, cum eo disputasse. Dicendum igitur provinciam illam denarios colligendi, duobus Prioribus Cisterciensibus, non ab Alexandro, sed longè posteriùs commissam esse.

Petr. Blesen. Epist. 127.

BLESENSIS QUANDO VENIT IN ANGLIAM, ET QUANTO TEMPORE IBI MORATUS.

Idem Epist. 160.

LXIII. Scissuram hanc Anglicanæ Ecclesiæ, dum resarcire conantur aliqui, volentes an nolentes nescio, patentiorem fecere. Inter Regi charos eminebat in Normanniâ Arnulphus Lexoviensis Episcopus, vir multæ eruditionis atque facundiæ.

Is hoc

Is hoc anno in Angliam venisse scribitur: cui paulò ante Aleaaoder Anglorum Ecclesiam commendaverat, ita inter cætera ad eum scribens: laudansque quod Henricum ab Octaviani schismate aversum fecerit: *Persolvimus gratias omnium Conditori, laudum præconia referentes, quòd magnificum illum, & serenissimum orbis Principem, Henricum Regem Anglorum, audivimus firmum & stabilem in Catholica unitate Ecclesiæ permanere: & quòd per tuam præsertim inductionem, idem in sancto proposito animus solidavit. Rogamus sanè, ut ita vigil semper circa eum, & sollicitus perseveres: ne per frequentes vexationes Imperatoris, & nuntiorum suorum, à devotione Ecclesiæ & nostra, quod absit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eundem Regem, & Episcopos, atque adjacentes personas: quasi quendam Apostolum & nuntium veritatis in illis partibus experiri. Circumpositos quoque & vicinos Episcopos; & tam Ecclesiasticas, quàm sæculares personas; nobiles præcipuè ac potentes, ad hoc ipsum, efficaci studio, & omni diligentia exhorteris.* Ita scripserat Alexander, sub initium Octaviani schismatis (Baronius refert literas ad annum millesimum centesimum sexagesimum) & nunc nono Schismamate, in Insula pullulante, Arnulphus sui muneris esse putavit, eidem occurrere. Sed qui priùs pro Aleaandro, & Romana Ecclesia optimè laboravit, parùm fælicitee Anglorum Ecclesiia consuluit, cum alios Angliæ Episcopos in Cantuariensem Thomam armavit. De illo, ad hunc annum millesimum centesimum sexagesimum quartum, ita scribit Rogerus Hovedenus: [Deinde (inquit) post multum tempus, Ernulphus Lexoviensis Episcopus venit in Angliam, & sollicitè laboravit die ac nocte, ut pax fieret inter Regem & Aechiepiscopum: sed ad plenum fieri non potuit. Deinde per consilium Leaoviensis Episcopi, Rex separavit Rogerum Archiepiscopum Eboracensem, & Robertum de Melun Episcopum Herefordensem, & Robertum Herefordensem Episcopum, & alios quosdam Ecclesiæ Prælatos à consortio & consilio Cantuariensis Archiepiscopi, ut per illos præfatum Cantuariensem Aechiepiscopum, in suos conatus faciliùs alliceret.] Ita ille. Regis morbum non sanans, sed irritans magis.

Alexandri Epistola ad Arnulphū, inter ejus Epist fo. 465.

Hoveden. hic.

LEXOVIENSIS EPISCOPUS NON ADEO FÆLICITER LABORAVIT IN CAUSA S. THOMÆ.

LXIV. Unde de re gesta non potuit admodum gloriari. Enimvero cum cerneret Alexandrum, à Thoma stare: damnaréque quæ Rex stabilire conatus est, & quos à Thoma separaverat Episcopos, causa cadere. Regem insuper, in Alexandri devotione admodum tepescere, has ad Alexandrum literas dedit, rationem reddens vel legationis, vel villicationis suæ: & inquiens:

Arnulp. Ep. ad Alexand. fol. 472.

APERIT QUERELAS REGIS DE PAPA.

R Egressus ab Anglia ad pedes Vestræ Beatitudinis amplectendos debui cucurrisse: sed expectanda fuit occasio, quæ me magis traxisse necessitas videretur, quàm devotio perduxisse. Animus siquidem Principis nostri, aliquantulum ab ea, quam Sanctitatem Vestram olim complexus est, Charitate descivit: adeo ut inter familiares suos, quandóque conquestus sit, se minorem in vobis, quàm speraverat, gratiam invenisse. Ait in opportunitatibus suis, Vos esse difficilem, in postulationibus scrupulosum, acceptos Vobis esse, & jugiter in curia demorari quosdam, qui mendaciis suis, gloriam Regiæ serenitatis offuscant. Convenire siquidem ad Apostolicam Sedem, ex multis partibus multos; quorum aures illis prava veneno malignitatis inficiunt: ut sic opinionem ejus, quasi transiuisse ad omnes gentes delatione denigrent. Furtivè quidem id agi, ut iniquitatis operante mysterio: quantò magis res silentio premenda dicitur; tantò diffundatur in plures: quantòq; secretiùs agitur, tantò fit efficacior ad nocendum. Non tamen arbitratur, id de Vestra conscientia, vel voluntate procedere: sed eis, de diuturna apud Vos commoratione paratur occasio & audaciam comparat assiduitas impunita fallendi. Addit impetratu facile, quicquid ab ejus æmulis imploratur: vota autem ejus, exquisita subtilitate discuti, vel tadiosa dilatione suspendi. Si quos ergo de suis, viros authoritatis loquor, ad præsentiam vestram venire contingat; hi qui familiariùs ei assistunt, incertum suspicionis in malum, fallaci statim adulatione confirmant. Consuevit enim illud hominis genus, de minimis maxima fabricare. Et sicut inter eos nulla fides est: sic nullus vera charitatis affectus: unius cujusque studium, alium quibus potest modis excludere, ut solitaria sibi familiaritatis privilegium gaudeat adquisisse. Accessurum sibi putant, quicquid alii fuerit derogatum: proventusq; suos reputant aliorum semper utilitatibus obviare.

LXV. *Ego igitur, qui quantum damnosa sit suspicatia Principum; licet innocens, frequentibus detrimentis agnovi; occasionem censui postulandam: qua vel ab eo, *sicut quandoque mitterer, vel aliqua me traheret necessitatis instantia videretur. Quæ quia differebatur; nihil enim onerosum mihi Vestra gratia benignitatis imponit, mittendum duxi, ut diligentis absentiam Legatio suppleat: quæ benè merita Majestati vestræ devotionem meam; tam viva voce, quàm literis repræsentet. Vester sum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam verna, quàm filius: cujus me assiduè teneris, & exultatum gratia, præventum beneficiis, honoribus ampliatum. Nihil unquam par tantæ dignationi referam; nihil dignum tot meritis exhibebo: sed etsi non debitorem operis exhibitio, perfecta tamen Charitas consummata devotionis absolvit.* Hæc Arnulphus, excusans suam ad Alexandrum profectionem, ne suspicacem Regis animum à se averteret: culpans magis, in verborum superficie, Thomæ causam; quàm eorum, qui à Thoma, in defendenda Ecclesiæ prærogativa, desciverunt. Ideo forsan, quia deficiendi consilium dederat, ut supradixit Hovedenus. Quod vel inde satis ostenditur, quia paullò post; Rogeri Eboracensis Archiepiscopi, Gilberti Londinensis, Jocelini Salisberiensis, & aliorum Episcoporum, quos anathemate Thomas percussit, causam defendit, seipsumque ad Aleaandrum literis pro eisdem advocatum egit, ut infra videbimus.

* fortè sicut quando

LXVI. Dum hæc aguntur, Henricus Rex, pro filiis & filiabus sollicitus, Mathildi filiæ, quam ex Eleonora, ante septennium susceperat, nuptias parat, & è Germaniæ Principibus, maritum. de quo Rogerus noster: [Anno gratiæ (inquit) millesimo centesimo sexagesimo quarto, qui erat annus decimus regni Regis Henrici, filii Mathildis; Idem Henricus dedit Henrico Duci Saxoniæ, Mathildem filiam suam in uxorem.] Noluit hæc impuberis virginis sponsalia omittere: quia multam orbi nobilémque prolem dedere. Henricus enim è Mathilde, cum adultioris ætatis esset, Henricum alium genuit Saxonici Ducatus hæredem; genuit Lotharium, non diu superstitem: genuit Othonem, qui eo nomine quartus, Aquisgrani, Romani imperii coronam induit, sub hujus sæculi finem. denique Guilhelmum; qui Wintoniæ in Angliâ natus, Brunswicensium in Germaniâ

MATHILDIS PRIMOGENITA FILIA.

Rogerus hic.

Principum, Princeps fuit. Sic Saxonia transmarina, Saxoniæ veteri, unde processerat, nobile germen hoc anno remisit.

LXVII.

Henrici conatus, & fœdera cum Germanis, orbi cætero argumentum dedit, ipsum cum Friderico Imperatore, cujus hactenus fidissima horruerat, juncturum dextram: id odium in Thomam, & Thomæ fautores; id aversus ab Alexandro animus, de quo supra Arnulphus; id etiam heteroclita nuper statuta testari videbantur. Nec vana suspicio fuit, nam quod modò de Mathilde filia dictum, à Friderico, pro factionis incremento processit: Enimverò Fridericus ab Henrico societatem petiit, matrimonii legibus sanciendam. de quo Appendix ad Sigebertum: [Venerunt ad Henricum Legati Frederici Imperatoris Alemannorum, Raynaldus scilicet Archiepiscopus Coloniensis, Cancellarius ipsius, & multi alii magni potentatus viri, requirentes eum ex parte Imperatoris, ut daret unam filiarum suarum, Henrico Duci Baioariæ, filio Conradi, qui ante Fridericum imperaverat, & aliam filio suo, licet puerulo. Exactis itaque Sacramentis, & datis: Rex postea misit suos in Alemanniam: qui ab Imperatore, & Satrapis suis, eadem Sacramenta de conventionibus, quæ inter eos convenerant, acciperent.] De Mathilde certum est intelligi, quam Fridericus pro Bajoariæ Duce procatur. nam duas tantummodo, ante hunc annum filias ex Eleonora Regina Henricus susceperat, Mathildem primogenitam, natam anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo: & tertio regnantis Henrici. & aliam matri cognominem Eleonoram, Rothomagi in Normanniâ natam anno millesimo centesimo sexagesimo secundo. Hanc Fridericus filio suo adhuc puerulo, postulasse videtur. Sed impuberum sponsalia, quantumvis rata atque confirmata, variis obnoxia casibus, raro adolescunt. Eleonoram Fridericus filio non obtinuit: nam illa longè posteriùs *, Alphonso nono Castellæ Regi, cognomento bono nupsit, pluresque illi liberos genuit, eos inter Henricum, paterni regni successorem, & Blancham, Ludovici octavi Francorum Regis conjugem, matrémque sanctissimam (ita Romanum * Breviarium) Ludovici noni, quem omnis colit Ecclesia: mitto Berengeram, Urracam, Eleonoram; Eleonoræ nunc impuberis, & à Friderico impetratæ filias; quæ omnes Regibus nuptæ; tam Hispanias prole implevere, quàm Germanias implevit primogenita Mathildis: nam prima filiarum Legionensis, altera Lusitaniæ, Eleonora denique Arragoniæ Reginæ, Regibus illis junctæ scribuntur.

Sigeb Chron. an. 1166.

Raynaldus Archiepiscop. Legatus Frederici ad Henricum.

Eleonora secundo genita filia:

Fridericus Imp. petiit hanc pro filio.

* v. an. 1170. n. 74.

Rom. Brev. 25. August.

LXVIII.

Quoniam verò duarum Henrici filiarum, necessariò hoc anno, facta est mentio: hic reliquam ejus prolem compendio recenseo; quæ sanè non Occidentem modò, sed Orientem etiam illustravit. Una solùm restat alterius sexus Joanna nomine, quam anno sequenti, nimirum millesimo centesimo sexagesimo quinto, natam (ita Parisiensis) in Andegavensi agro, Gulielmus eo nomine secundus, Siciliæ Rex, Apuliæ Dux, & Princeps Capuæ, conjugem habuit. & ex ea filium Boamundum. Ditior in filiis Henricus fuit. Sed non felicior: Qui enim hoc anno, in Cantuariensem Thomam ita excanduit (ut supra dictum, & uberiùs infra dicetur) quem ut patrem venerari debuisset, sentiet justissimo Dei judicio, vindices inobedientiæ rebelles filios: & quemadmodum ille; si non author; promotor tamen Thomæ mortis fuit: eâdem à filiis mensurâ, remetietur illi. Sex Henrici filii numerantur legitimi, illegitimi tres. de illis enim occurret postea necessaria mentio, & Rosamundæ matris. De legitimis primò dicendum, quia omni jure potiores sunt.

Joanna tertio genita filia.

LXIX.

Primogenitus inter eos Guilielmus, Henrico & Eleonoræ nascitur, Normanniæ Ducibus, anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo. De eo supra dictum, & pro herede à Proceribus agnitum, & in Rodingensi monasterio sepultum, anno millesimo centesimo quinquagesimo sexto. Henricus secundo-genitus, anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto. priore diutiùs vixit, & sub patre regnavit, in Patrem tandem, ut Pater in Cantuariensem Thomam rebellis, non dimidiavit dies suos, ante patrem mortuus. Felicior tertio-genitus, Richardus, qui natus, ut dictum anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Angliæ regnum à parentis morte adeptus, Orienti terrorem intulit: Quarto-geniti natalea supra omiseram: hic suppleo. Godefridus ab avi nomine dictus, nascitur anno quinquagesimo nono currentis sæculi, uxor illi Constantia Conani Britanniæ Ducis filia, & heres; ex illa Arthurum filium heredemque habuit, & Eleonoram filiam. Sequitur Joannes Henrici filius ultimo-genitus: qui mortuo Godefrido fratre, sub annum millesimum centesimum octogesimum sextum, Henrico adhuc regnante: & mortuo Richardo, sine prole legitima, anno millesimo centesimo nonagesimo nono, in Angliæ regnum successit. Hi omnes ex Eleonora geniti: è quibus, tres qui coronam gestarunt Henricus, Richardus, & Joannes, parentis crimen, in sanctum Thomam, quod revera fuit gravissimum, egregiè ulti sunt: cum Patri perduelles, luctum illi doloremque & citam mortem attulisse putantur. Omisi Philippum, qui inter filios quinto loco numeratur; quia dubius, & brevis ævi non certo asseritur argumento.

Guilielmus Henrici primogenitus. v. an. 1156. n. 12.

Henricus secundo genitus. v. an. 1155. n. 21.

Richardus. v. an. 1157. n. 12.

Godefridus.

Joannes.

LXX.

De altera, & sequiore Henrici prole tacuissem, nisi instituti ratio, & historiæ conditio aliud postularet. maluissem enim cæli nostri illustriora sidera, lucémque, quam inferiori orbi communicant, ob oculos ponere, quàm tenebras errorésque eorundem: sed quia luminaria etiam magna echlipsim interdum patiuntur, lucisque deliquium: non erit Lectori importunum dicere Luminare minus (Regiam potestatem) majori Luminari (pontificiæ potestati) terrenorum affectuum interventu oppositum, amisso splendore, lucéque pristinâ, maculas interim contraxisse. Henrico id contigit; qui uno dato absurdo, commisit inde plurima. Ea inter, cum amorem reverentiámque erga Romanam Sedem exuisset, noluitque adorare in Jerusalem; fecit sibi lucos, statuámque ibi erexit, peregrino prorsus amore, cultúque. Rosamundam loquor, socariam ejus: quæ pulchritudinis miraculo Regem dementavit, prostituitque illi corpus, & pudorem omnem. Ex illa Henrico nascitur Guilielmus, cognomento Longaspata, Salisburiæ Comes, multa prole nobilis. nascitur etiam secundo-genitus Godefridus, qui factus adultior, è Lincolniensi Archidiacono, electus est ejusdem Ecclesiæ Pontifex,

A Rosamunda proles:

Guilielmus Longaspata.

Godefridus.

sedítque

seditque septennio, electione & fructibus contentus, consecrationem non accepit: Inde vale suæ Ecclesiæ dicto, in regni Cancellarium assumitur: Denique patre mortuo, cum Richardus frater coronæ successisset, in Eboracensem Archiepiscopum, de quo infra pluribus. nec alios è Rosamunda liberos norunt historiæ.

LXXI. ROSAMUNDÆ CONCUBINÆ ÆDES. *Camden. in Oxford.*

Henricum puduit violati thori fideique: voluitque amores suos & Regiæ libidinis instrumentum, à mortalium oculis, & Eleonoræ imprimis, remotum, & impervium esse. Ea propter locum in Dobunis occultando crimini extrui mandavit, Rosamundæ incolatu nobilem, ad Wodstocke, de quo hæc Camdenus: [Ædes ad Woodstocke sunt, regiæ magnificentiæ plenæ ab Henrico primo constructæ, qui etiam vivarium amplissimum saxeo muro incinctum adjunxit. quod primum fuisse in Anglia vivarium dicitur. Referunt historici nostri Henricum Secundum cum Rosamundam Cliffordiam (erat Walteri Baronis de Clifford filia).deperiret: quæ forma adeo eximia, & liberali erat, ut ejus pulchritudo omnes ex Principis animo deleret mulieres: & jam Rosa mundi vulgò diceretur. Ad eam ab importuna Junone sua occultandam, Labyrinthum in his ædibus, multis ambagibus, occursu, recursuque inextricabili ædificavit.] Hæc ille. Inibi, Henricus, hoc, inquam, in luco, statuam suam collocavit: quæ zelotypam conjugem, quantavis industria quærentem diu latuit: donec illam eminus aliquando subdio conspectam, fugientemque ad latebras sibi notas, nec ulli, ob mæandros, pervias; glomere è fugientis manu cadente, vestigiaq; ejus indicante, deprehensâ, Eleonora verborum conviciis egregiè castigatam, docuit utrumq; amasium castiùs vivere. Enimvero nec illa diu superfuit: nec potuit aliter, mortuam, fœtentemque ulteriùs amare. Flere potuit, & revera flevit peccatum suum: fleverunt & alii, qui expiando sceleri, & Deo utrique propitiando, sacris Virginibus locum extruere: quæ precibus, castoque vitæ instituto, iratum illis Deum placaret. Est locus non inde procul, qui Godstow, nimirum, Dei-locus dicitur: [Ibi Virginum cœnobiolum (ita Camdenus supra) Ida vidua opulenta extruxit, & Joannes Rex (Henrici secundi filius) instauravit, annuóque censu dotavit: ut Virgines, illæ sacræ suis suffragiis (* religio enim illa jam omnium animos occuparat) Henrici secundi, & Rosamundæ animabus subvenirent. Illa enim ibi cum hoc epitaphio rithmico sepulta est:

MONASTERIUM VIRGINŨ. GODSTOW. *Camd. sup.*

* *superstitio*, est hæreticis

EPITAPHIUM ROSAMUNDÆ.

Hac jacet in tumba, Rosa mundi, non Rosamunda;
Non redolet, sed olet: quæ redolere solet.

LXXII.

Non miror in hoc Lunæ deliquio tenebras, & Henrici crimina inveniri; quia schismate, & Ecclesiarum sacrilegio nihil deterius: miror magis eos, qui Henrici factum, Thomam ejusque Ecclesiam persequentis, aut extenuari, ab aliquibus aut omnino excusari: tales enim in cœlo nostro, in hoc lucis & tenebrarum confinio repertos testatur Joannis Saresberiensis Epistola centesima septuagesima septima, quæ Exoniensi Episcopo inscripta, nec Henrici crimina, nec Episcoporum illi applaudentium impietatem dissimulat: ubi hæc inter cætera leguntur: *Quicquid Episcopi in appellatoriis suis propediem scripserint: quicquid prædicent de pietate, & mansuetudine ejus: de justitia, & affabilitate, de reverentia Sacerdotum: nihil adeò*

Joan Saresb. Epist. 177.

impium est in Deum, in homines inhumanum; quod Franci & Latini de eo faciliùs non credant. Unde plurimùm mirantur & stupent omnes, qui audiunt, quâ conscientiâ, quâ impudentiâ, quâ fronte, ausi fuistis asserere, & Episcopalis authoritatis characteribus confirmare, innocentiam hominis, cujus injustitia sunt omnium fabula: cujus supplantationes, & violentias mundus agnovit. Quomodo in subversionem justitiæ, falsum dedit tot & tantorum Patrum venerabilis universitas, pro malitia testimonium. nam scripti vestri verba sunt hæc pro Rege: cujus causam notatim vester justificare conatur: Rex omnem promittit justitiam: & eam factis implere paratus est: & dulce reputat obsequium, cum monetur; ut corrigat si quid offenderit in Deum: nec solùm satisfacere: sed, & si jus exigat, in hoc satis dare paratus est. & post pauca subjungit. Dividit se judicio, in his quæ sunt Ecclesiæ; nec in modico subtrahentem; sed colla Christi jugo subdentem. & paulò superius: Dominum Regem non quidem nunquam peccasse dicimus: sed Domino semper paratum satisfacere, & confidenter dicimus, & prædicamus.

APERIT VITIA REGIS, ET CULPAT ADULATORIAS COMMENDATIONES EPISCOPORUM.

LXXIII.

O, inquiunt, quàm sana; quàm sancta prædicatio Episcoporum Angliæ! Quàm sincerum & incorruptum pro libertate Ecclesiæ testimonium! Quàm vera est assertio Sacerdotum; qui illud prædicant: quod mimus, aut histrio, sine dispendio verecundiæ non loqueretur. Si fidem, quam non habet, desiderat scriba vester, & si qui ei consentiunt: exeundum est eis de orbe latino: ne quoties hæc prædicaverint, quare peregrinum vicina rauca reclamet: & ne tantum adversùs Ecclesiam, pro consuetudinibus, imò pravitatibus avitis, testimonium daret sapiens ille tabellio, & facundus, & adversus populum testificatus inservit scripto vestro. Rex à Domino constitutus paci per omnia providet subditorum: & ut hanc conservet; de Ecclesiis & commissis sibi populis, dignitates Regibus ante se debitas; & exhibitas sibi vult, & exigit exhiberi. Quod audiens Ecclesia Gallicana: Ita, inquit Dominus, & Evangelii verba adjuvent eos, à quibus, & pro quibus scripta sunt hæc: Providet, fortasse pacem omnibus; sed a longè, quia præsentialiter omnia turbat. Si non nisi debitas exigit consuetudines, sicut vester Demosthenes asserit, illis profectò debuerat esse contentus; quæ non sunt divinis legibus inimica: quæ bonis moribus non adversantur: quæ sacerdotium non dehonestant: quæ periculum non ingerunt animarum: quæ matris Ecclesiæ de cujus manu suscepit gladium, ad ipsam tuendam, & injurias propulsandas; non subruunt libertatem. Sed in votis ipsius, omnia contraria sunt: sicut scriptura ejus, Sanctorum Patrum authoritate, & Summi Pontificis ore damnata testatur: & quotidiana querela Cleri; & populi. Et timeo, ne Pontifices ipsi contra scripta sua venire cogantur: & deprædicare quod prædicant: & quam modò damnant, justificare causam, & quam significant, condemnare. Signata est attestatio eorum, omnium quidem concepta nomine: sed trium duntaxat Episcoporum roborata sigillis: Archisynagogi videlicet Londinensis, & Domini & amici mei; cui interim parco, Episcopi Wintoniensis; *Et æquè doctrina, & eloquio pollentis; veteris quidem scholastici, sed novitii Episcopi Herefordensis: quorum præeminebat authoritas; si non opinioni bonæ, consensit iniquitatis; & manifesta falsitatis attestatio.*

* *gradum*

* Locus emendatus adjectione Et quæ videtur deesse.

LXXIV.

Hinc habemus tres tantùm Episcopos sigilla Consuetudinibus appendisse: Gilbertum Londinensem, Henricum Wintoniensem, & Robertum

* v. an. 1163. n. 25.

Herefordensem, quem nuper * Thomas consecraverat. Hi tantum sigilla; alii Præsules authoritatem addiderunt: quos etiam puduit, notari quod à Cantuariensi recesserant, nolebantque tantam defectionem, in Catholicum orbem prodire: sed qui à Thoma & veritate stabant, instrumenti transcriptum in Urbem miserunt. Sequitur enim in Saresberiensis Epistola: *Pagina illa, etsi vestrorum cessaret opera; nostrorum tamen diligentiâ, ad Romanum defertur Pontificem: qui & mores illius quem justificatis, ex nullis novit indiciis: & facile deprehendet; quâ sinceritate Episcoporum concepta sit hæc attestatio: quæ fuerit intentio scribæ vestri qui quoniam Domino aliter disponente, quod ambiebat, esse non valuit, Cantuariensis archiepiscopus in Anglicana Ecclesia, de consensu, consilio, & authoritate eorum, qui Christum persequuntur, factus est Archisynagogus. Scripsit et nuper Dominus Rex, per Radulfum Dicetensem Archidiaconum suum; quod se, totum regnum suum, & causam, quæ inter eum & Ecclesiam vertitur, ipsius tanquam Patris, & fidissimi amici committit arbitrio: & præcipit, ut officiales sui, ei in omnibus obediant.* Hæc ibi. Sed horum nihil effectum: Rege non tantùm Thomæ infenso, sed iis etiam qui Thomam, consilio, ope, aut opera juverunt. Hinc non modò cum Alexandro rixatum, sed Ludovicum quoque Galliæ Regem, Thomæ patrocinantem, verbo & opere adeo lacessivit, ut nova inde bella, & vetus inimicitiis recruduerit.

Ioan Saresb. Epist. 177.

DE INJUSTO MODO PROCEDENDI CONTRA S. THOMAM.

ANNUS CHRISTI 1165.

ALEXANDRI III. PAPÆ 7.

HENRICI II. REGIS 11.

I. MODUS VIVENDI S. THOMÆ IN PONTINIACENSI MONASTERIO. *Quadrilog. l. 2. c. 15.*

ANNO qui sequitur millesimo centesimo sexagesimo quinto, agebat Thomas Cantuariensis Episcopus, in Gallis: & in Pontiniacensi monasterio, sibi Deoque vacabat. [Ubi tantus divinarum Scripturarum amator erat (loquitur Herbertus in Quadrilogo) ut post horas regulares, quotidie, sacri Codices, vix de manu ejus discederent. Unde ex amore hoc Scripturarum, & operâ, adeo in brevi profecit, ut sæpissimè in scrupulosis & nodosis Scripturarum sententiis, & super docentes se intelligeret. Interim missa est legatio (ita Baronius) à Mathilde Imperatrice, matre Henrici Anglorum Regis, ad Alexandrum Papam: quâ rogavit, ut jungeret fœdere Reges Franciæ atque Angliæ. Quod si faceret, fore etiam ut pax sequeretur ejusdem Regis Angliæ cum S. Thoma. Ista cùm accepisset manens in Curiâ apud Alexandrum Joannes Saresberiensis, suis literis reddidit certiorem S. Thomam, sic ipsarum exordio: *Cum (inquit) Dominum Papam nuper solicitarem, & animarem, & viam illi quam nobis videbar intellexisse ad pacem sibi & vobis reformandam, stud osius intimarem: respondit se spem concepisse pacis ex verbis Imperatricis: quæ Abbatem S. Mariæ de Voto tunc transmiserat, promittens Regem Angliæ facile posse induci, ad quæcunque vellet Dominus, si ipse Papa Reges, ut diu petitum est, vellet confœderare. Ad quod, quia Dominus Papa pronus est, & Rex Francorum facilis inclinari, & colloquio suo, & Regum, certus etiam videbatur. Et jam Regem Francorum evocaverat, ut Purificationis festum ageret secum.* Verùm spes hæc concepta tantùm; nam pessimo animi impetu abortivit. Alexander cum Ludovico egit, qui benè de Henrico sentiens verebatur, ne Alexandro Papa deserto ad Octaviani schisma, factionemque transiret.

IMPERATRIX INTERCEDIT PAPAM, UT CONFÆDERET REGES ANGLIÆ ET GALLIÆ. *Baron. hic*

II. Thomas hac ratione è Sede pulsus, & in Galliâ exul; non ideo, aut Pastoralem curam, aut paterna viscera exuit. Sed Regem imprimis; inde Episcopos monuit, Ecclesiæ libertati, suæque saluti consulerent. Ad Regem in hunc modum scripsit: ut refert Quadrilogus, & ex eo Baronius.

Reverendissimo Domino suo HENRICO Dei gratia, illustri Anglorum Regi, Duci Normannorum, & Aquitanorum, & Comiti Andegavorum: THOMAS eadem gratia, Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister: Salutem, & utinam per omnia benefacere.

S. THOMAS AD REGEM.

Quadrilog. l. 5.

LOqui de Deo, libera & quieta mentis est valde. Inde est quod loquor ad Dominum meum, & utinam ad omnes pacificè. Obsecro, mi Domine, sufferatis cum animi patientia modicum commonitionis conferencis per gratiam Dei, quæ nunquam vacua est, anima vestra, salutem, & mea liberationem. Angustiæ mihi sunt undique. Tribulatio enim & angustia invenerunt me, inter duo gravissima & timenda constitutum. Silentium loquor, & commonitionem. Si autem siluero, more mihi est: nec effugiam manus Domini dicentis. Si non annuntiaveris delinquenti delictum suum, & moriatur in peccato suo: sanguinem suum de manu tua requiram. Si commonuero; timeo ne effugiam Domini mei (quod absit) indignationem. Ne accidat mihi, quod sapiens ille dixit: Cum is qui non placet; ad intercedendum vel commonendum accedit, vel mittitur: verendum est, ne irati animus, ad deteriora provocetur. Quid ergo faciam? loquar, an sileam? Utrobique certè periculum. Veruntamen quoniam tutius est incidere in hominis indignationem; quam in manus Dei viventis, confisus de misericordia altissimi, in cujus manu corda sunt Regum: & quò voluerit inclinabit ea; & utinam in partem meliorem. Loquor ad Dominum meum, quoniam semel cœpi. Multoties enim bona parantur invitis: maximè tamen eorum potiùs utilitati consulitur, quàm voluntati.

III. *In terra vestra, captiva tenetur filia Sion, sponsa Regis Magni, oppressa à multis & afflicta ab his tempore longo, qui oderunt eam: à quibus potiùs honoranda esset, quàm affligenda, & maximè à vobis. Habita igitur à vobis recordatione beneficiorum singulorum, quæ vobis contulit Deus in initio regni vestri, in medio, & usque modo. Solvite eam, & permittite conregnare sponso suo: ut benefaciat vobis Deus, & incipiat statim convalescere regnum vestrum, & auferatur opprobrium de generatione vestra: fiatque pax summa in diebus nostris. Credite mihi, dilectissime Domine, Serenissime Princeps: patiens enim retributor est Dominus, longanimis expectator: sed ultor gravissimus. Audite me, & benefacite: sin autem, verendum est (quod absit) ne accingatur gladio suo super femur suum potentissimus: & ne veniat in manu validâ, cum militia multâ liberare sponsam suam, non sine grandi plagâ, de servitute, & oppressione tribulantis.*

Si vero

Si verò me audieritis; quoniam necesse habet Dominus, in hoc sultantis, obsequium vestrum experiri, tanquam strenui militis sui; benefaciet vobis Deus: & addet gloria vestra, in progenie filiorum, & filiarum vestrarum, usque in tempora longa. Alioquin vereor, quod Deus avertat, nè non deficiat gladius de domo vestra, donec veniat, qui ulciscatur de plano suam, & suorum injuriam altissimus. Sicut nec de domo Salomonis: à quo licet Deus eum elegisset & contulisset ei tantam sapientiam, & pacem, ut diceretur ab hominibus: hic est filius sapientiæ, & pacis: Quoniam recessit à via Dei, & ambulavit in iniquitate super iniquitatem; scidit Deus regnum suum, & dedit illud servo suo: maximè quia non quæsivit illicò post delictum, placare Dominum: sicut & pater suus; qui statim post offensam, humiliavit se Domino, & emendavit culpam, petivit misericordiam, & obtinuit veniam. Utinam & vos similiter cum gratia Dei faciatis. Hoc vobis ad præsens scribo. Cætera in ore latoris præsentium, viri religiosi, & magnæ opinionis, fidelis etiam ut credimus, vobis, posuimus. Quibus si placet, fideliter credatis. Potiùs tamen desidero, cum gratia vestra, benigno vestro uti colloquio. Benè valeat semel, & semper Dominum meum. Hactenus ille.

IV. Qui posteriora tempora, cum harum literarum serie conferet, dicet enimverò, martyrii candidatum egregiè vaticinatum: cum scindendum Henrici regnum, & servo dandum minatur: cum multæ militiæ meminit, quâ Deus rebellem castigabit: denique cum divinam ei ultionem intentat. nam ea omnia, post paucos annos evenisse: filium in Patrem surrexisse, hostilem Francorum, & Scotorum, addo, & Anglorum manum, eundem vexasse: denique Henricum Regem, ad Thomæ Martyris pedes projectum, egregiè castigatum esse, sequentes anni manifestè ostendent. Eodem spiritu, eodémque tempore, ad Robertum, Herefordensem Episcopum, literas dedit: quem eò familiariùs hortatur & corripit, quòd multa eruditione doctrináque excellens, ab eo ad majus sacerdotium assumptus sit, ante sesquiannum, ut supra* dictum. Quoniam verò illum cum primis consecravit, ideò primogenitum appellavit his literis:

* v. an. 1163. n. 25.

V. S. Thomas ad Robertum Hereford increpat illum de neglecto officio. apud Quad. l. 5. c. 31.

THOMAS Cantuariensis Archiepiscopus, ROBERTO, Herefordensi Episcopo.

Literæ nostræ fraternitatis tuæ excitavere sollicitudinem; utinam nec affectu desidem reperissem, nec circa officii suscepti debitum effectu minùs vigilem. Elegi ego abjectus esse anathema pro vobis, opprobrium hominum & abjectio plebis; ne viderem mala Sanctorum, & dissimularem injuriam gentis nostræ, expectans fortè si quis ex omnibus vobis, zelans Legem Dei, Ecclesiæ libertatem saltem affectans exiret post me, ut non daremus cornua peccatoribus. Et ecce tu, quem credebam mihi à Domino datum esse, ut mecum ædificares, evelleres, & plantares; propinas mihi stimulum in ruinam, solatium in desolationem, prædicans humiliationem, imo dejectionem, nuncians bonum, cum undique sit turbatio in perniciem Ecclesiæ Dei & Clericorum. Et cum deberes animi vacillantis firmare constantiam, sustinere mecum congressum ad defendendum patrimonium Crucifixi, ad reprimendos & expugnandos hostes Ecclesiæ, instillare auribus meis, inspicare animo meo, ut obsecrarem instantiùs, arguerem acriùs, increparem duriùs. Quòd si me non audisses, exclamare certè debueras contra me: Exurge quare obdormis, exere gladium Beati Petri, vindica sanguinem servorum Christi, qui effusus est, in injurias Ecclesiæ, quæ in nobis & nostris fiunt tota die. Excidit ne à memoriâ tuâ, quantis sim injuriis afflictus, quibus affectus contumeliis, cum in persona mea contra authoritatem universam; contra omnem juris formam, iterum judicaretur Christus ante tribunal præsidis. Non revoco ad animum propria personæ injuriam, etsi Ecclesiæ. Attende diligentiùs, altiùs in corde tuò repone, quid ageretur ante exitum meum, quid in exitu, quid postea, quid etiam agatur singulis diebus, in terra illa, circa Dei Ecclesiam & ejus ministros. Quæ animi constantia ista dissimulare potes, tu de quo sperabatur quod esses redempturus Israel, liberaturus à serviente Ecclesiam? Et nunc qui tanto tempore tacuisti; doleo super te, Fili mi primogenite, timeo ne succedat tibi, qui tollat primogenita tua, & primogeniti auferat benedictionem (quod absit à te) veruntamen si hactenus nimiùm siluisti, resume vires, Fili charissime; clama, ne cesses, exalta vocem tuam contra eos, immitte eis timorem, incute contritionem, exige satisfactionem; ne ira Dei descendat super eos, & tota gens peccat (quod absit) & præcipuè majores in gente; ultio enim divina immanis est.

Hæc tibi scribo non ad confusionem tuam, sed ad cautelam; ut fultus authoritate divinâ, & nostrâ, de cæterò valeas & velis officii tui necessitates fortiùs & validiùs exercere. Hoc unum in summa scire te volo, per misericordiam Dei, non extorquebitur à me Ecclesiæ confusio. VI.
Præterea gratias tibi ago quòd vel nunc visitasti me, & consolatione tua me confortasti. Quid plura? unum est quod sine multa animi amaritudine sustinere non valeo. Fleo super Dilectissimo equidem Domino nostro Rege: venerunt super me timor & tremor, & contexerunt me tenebræ; eò quod videã Domino meo Regi tribulationem imminere & angustiam; nec mirum, commovit enim Ecclesiam Dei, & conturbavit eam; ostendet Dominus Clero dura, potans eum vino mœroris: propterea dicit ei Dominus, ubi sunt nunc sapientes Consiliarii tui; qui dederunt tibi consilium insipiens, qui dicebant, Filius sapientium tu es, filius Regum antiquorum; quorum consuetudines observandæ sunt in Anglia, quas qui non observaverit, Non est amicus Cæsaris; hostis enim coronæ, reus est judicio; Sed certè magis est amicus Christi Crucis; quoniam væ illis qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperes, in judicio, & vim facerent causæ humilium populi Dei, ut essent & Ecclesiæ viduæ præda eorum, & clericorum aliorumq; diriperent bona. Quid facient in die justificationis & calamitatis venientis? Ad cujus confugient auxilium, & ubi derelinquent glorias suas, ne curventur sub judicio, & cadant cum interfectis? Ubi sunt nunc sapientes ejus? Præcedant, & annuncient, & dicant quid cogitaverit Dominus exercituum super Angliam.

VII. Stulti facti sunt sapientes ejus, emarcuerunt Principes ejus, deceperunt Angliam, angulum populorum, Dominus immiscuit in medio ejus spiritum vertiginis: errare fecerunt Angliam in opere suo, sicut errat ebrius vomens tremensq;, & non erit Angliæ opus. Quis faciet caput, aut caudam; quia comederunt Iacob, & locum ejus desolaverunt, & dixerunt, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, exprobrando Sacerdotibus, & eorum principibus, dicentes: Quomodo effugietis è manibus nostris? Aut in quo est vobis fiducia, quare recessistis & obstitistis præceptis meis? O quàm inanes cogitationes istæ! quàm pessimæ operationes in conspectu

Domini, qui videt quàm vana sunt: Ipse enim irridebit sic cogitantem, sic operantem prospiciens, quod propè veniat dies ejus, & jam in januis sit, & dicet, Ecce homines qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed speraverunt in multitudine divitiarum suarum, & prævaluerunt in vanitate sua. Sed frustra hæc faciunt, non relinquet Dominus Ecclesiam suam, nec Clerum suum sine defensore, sine ultione gravissima. Fundata est enim supra firmam petram, Petra autem ipse est Christus, qui eam proprio Sanguine suo fundavit. Certè si ista non emendaverint, non ferent ea impunè, quoniam conculcaverunt Sancta Sanctorum, domum Dei, Sacerdotes ejus injuriis afficiendo, verbisq; probrosis. Hi sunt quibus Dominus ipse ait, Dixi dii estis, & filii excelsi omnes. & alibi: Qui vos odit, me odit: & qui vos spernit, me spernit; & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Revertantur ad cor; abjiciant mala ista à se: agant pœnitentiam cum summa humilitate. Alioquin verendum est, ne Dominus noster citò, quod absit, veniat: Adducens super eos, & terram eorum, grandem tribulationem, & ultionem retributionis gravissimam. Ecce veniet Dominus noster & non tardabit; & ipse salvabit nos, quoniam nunquam derelinques sperantes in se. Propheta enim dicit, Spera in Domino & fac bonitatem, & pasceris in divitiis ejus. & alibi: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum; citóque liberaberis à laqueo venantium, & à verbo aspero. Et ut cætera omnia debito fine concludam, Quoniam ostendit nobis Dominus, quæ & quanta oporteat nos pati pro nomine suo, & pro defensione sua Ecclesia, necesse habemus, ut ores tu, & tota Ecclesia tibi commissa, instanter pro nobis: ut quod nostris meritis non valemus, tua & sanctorum virorum intercessione, qui in ditione sua sunt, sustinere valeamus, & ob id gratiam sempiternam consequi mereamur. Vale, & confortatus valeat & tota Anglicana Ecclesia, & confortetur in Domino, ut & nos bene valeamus.

VIII. Hæc Sanctus Thomas, è Pontiniacensi recessu, ubi spiritum hauserat, & zelum Apostoli: ad Robertum Herefordensem, qui, ut supra dictum, Consuetudines Regias sigillo firmaverat. Erat ille multæ literaturæ vir, & Thomam aliquando discipulum, sed postea inauguratorem habuit. Unde Thomæ miseriùs compassus, per literas, ut apparet, eum visitavit. an facti pœnitens quòd Regiæ cupiditati suffragatus sit, nescio: videtur tamen non diu superstes, tragœdiæ finem, & Thomæ ultima non vidisse: nam post annum sequentem mortuus, viduam per sex annos Ecclesiam reliquit. Interim hoc anno, ut scribit Parisiensis: [Reginaldus Coloniensis Archiepiscopus, qui schisma Octaviani contra Papam foverat Alexandrum, venit apud Westmonasterium, ad Regem Henricum, accepturus in conjugem Mathildem, filiam Regis primogenitam, Henrico Duci Saxoniæ. Cui cum Magnates Angliæ solenniter occurrissent, Robertus Comes Legecestriæ, & Justitiarius Regis, illum in osculum non recepit: excommunicatus enim erat à Papa, & non absolutus. Unde altaria, supra quæ, ille schismaticus celebravit, passim sunt subversa.] nimirum in odium schismatis, quod optimus quisque detestatus est.

Paris hic.

IX. Dum hæc à Sancto Præsule in Angliam scribuntur: Henricus Rex, probè sciens controversiæ summam, & votorum suorum, ab Alexandri Pontificis ore, manúque pendere; ipsum novis Legatione, vel blanditiis sibi delinire; vel terrore frangere satagit. Quod in tripartita historia, sic recitat Alanus: [Discurrebant interim nuntii hinc inde: & etiam à Domino Papa mittebantur nuntii, ad pacis reformationem. Tandem verò placuit utrobique Dominum Papam, & Regem statuto die, & loco ad invicem convenire: ut per mutuum eorum colloquium, via possit faciliùs inveniri. Rex ait: ad id se venturum: sed in Archiepiscopi absentia: quia eo præsente demandat, nec Domini Papæ faciem se visurum. Domino Papæ Archiepiscopus significat: nulla ratione Regis uti colloquio, sine sui præsentia; cui mores illius noti fuissent. Citiùs enim ait: poterit Apostolica circumveniri religio, ex varietate verborum Regis, si non adesset sedulus interpres, qui Regiæ mentis propositum, ex ipsius animi latebris, possit elicere. Quoniam si Rex infirmiora Domini Papæ prænosset; exitus viarum suarum obstrueret offendiculo. Quo accepto; moderata responsione, Regi renuntiat Dominus Papa: Hoc inauditum à sæculis; Romanam Ecclesiam ad alicujus Principis nutum, quenquam à suo conductu rejicere: & maximè pro justitia exulantem. Sed & id privilegii, & auctoritatis desuper esse indultum Apostolicæ Sedi; ut exulibus, & oppressis subveniat, etiam contra Principum iras, & violentos impetus malignorum. Indignantes igitur nuntii recesserunt hæc Regi nuntiaturi. Dominus verò Papa, Romam revertens iter aggreditur, quem prosequebatur Archiepiscopus usque urbem Bituricam. Ubi accepta benedictione regreditur Pontiniacum, ampliùs Domini Papæ faciem in carne ista non visurus. Ubi in solitudine, inter petras, & monachos, solitarius delitescebat à sæculo jam remotus, eò liberiùs, quò quietiùs: & eò fructuosiùs, quò secretiùs, tota mente spiritualibus intendens.] Ita Quadrilogus.

Quadrilog. l. 2. c. 15.

Henricum Regem non admittit Alexander Papa sine præsentia S. Thomæ.

Moritur hoc anno Malcolmus Scotorum Rex, locúmque in Annalibus suo merito obtinet, adeò pietate, justitia, virtutumque aliarum splendore, nomen memoriámque sui ad posteros transmisit. De illo hæc habet Neoburgensis. [Circa hæc tempora (inquit, & alii cum Gordonio signant hunc annum millesimum centesimum sexagesimum quintum) Christianissimus Rex Scotorum, Malcolinus, cujus supra fecimus mentionem; Christo vocante hominem exuens, Angelis sociandus, regnum non perdidit, sed mutavit. Hominem Angelicæ sinceritatis inter homines, & tanquam terrenum quendam Angelum (quo dignus non erat mundus) cælestes Angeli rapuerunt è mundo. Homo in ætate tenera mirandæ gravitatis, in regni fastigio atque deliciis, & sine exemplo puritatis: ex corpore Virgineo raptus est; & agnum Virginis filium sequuturus cum quocumque ierit. Raptus est planè morte immatura: ne mirandam ejus innocentiam atque munditiam; cum regnantem juvenem, tot in contrarium occasiones & incentiva impellerent; mutaret malitia temporum. Verùm quia mirabili animæ, inter virtutum insignia, non deerant sordeculæ, ex Regiis deliciis; quas tamen tolerabat magis, quàm amabat; contractæ: cælitùs emissa, non immissa visitatio, paterno eum verbere castigavit, & excoxit ad purum. Quippe annis ante exitum aliquot, ita elanguit, & præter alia incommoda gravissimis extremitatum, id est, capitis & pedum laboravit doloribus: ut quilibet peccator pœnitens

X. Moritur Malcolmus Scotorum Rex. *Neoburg. l. 2. c. 19.*

tantis

tantis videretur flagellationibus, ad liquidum posse purgari. Unde manifestum est puerum Dei, non tantùm ad purgationem, verùm etiam ad probationem, & incrementa virtutum, vel augmenta meritorum, severitatem paterni verberis fuisse expertum. Dormivit ergò cum Patribus suis: & sepultus est apud Dunfremelin; locum scilicet in Scotiâ sic dictum, Regum sepulturis insignem.

XI. Guilielmus fratre succedit Malcolmo.

Successit ei frater ejus Guilielmus; fratri quidem, ut videbatur ad usum mundi aptior: sed in regni administratione, fratre felicior non futurus mundo, quo frater simpliciter, ideóque piè & laudabiliter uti voluit: non simpliciter ipse, sed frui intendens: & fratris modum in temporali excellentia multum conatus transcendere; ejus tamen gloriam nunquam potuit, vel in temporali felicitate æquare. Nuptiarum bono, cui frater piæ sanctæque præposuit Virginitatis optimum multo quidem tempore uti, vel ad sobolem, vel pro remedio concupiscentiæ distulit. Tandem verò salubrioris instinctu consilii, de transmarinis, cujusdam primarii filiam duxit uxorem. Et de cætero non solùm vixit correctiùs, verùm etiam regnavit feliciùs.] Hæc omnia Neoburgensis. uxorem non nominans: quam alii Ermengardem vocant. Cæterùm Guilielmus, hoc anno, regnum sibi firmaturus, in Angliam, ad Henricum Regem venit, fidémque de more, & obsequium promisit: & unà Northumbriæ Comitatum, Scotorum olim Regibus obnoxium, sibi concedi postulavit. Verùm Henricus, ut novo Regi nihil negare: sic nobile Regii sui juris membrum, sine totius regni consensu in alios transferre se non posse affirmavit. Duxit secum Guilielmus è Scotia Episcopum, de quo Annales Normannorum apud Usserum in primordiis, ad annum millesimum centesimum sexagesimum quintum. [Venerunt ad Henricum secundum (ita ibi) Regem Angliæ, Guilielmus Rex Scotiæ, & Episcopus Insularum Man, & aliarum triginta unius, quæ sunt inter Scotiam, & Hiberniam, & Angliam.] Intelligit, opinor, author, Joannem Episcopum, Wimundi de quo suprà [a] successorem. Qui Manniæ turbas, & tumultus fugiens, auxilium ab Henrico, contra Insularum prædones videtur quæsivisse.

Venit Guilielmus in Angliam, facit homagium Henrico.

Usser. in Primordiis fol. 644.

[a] v. an 1151. n. 10.

XII.

Enimverò Insulas illas, Britannorum primò, inde Saxonum imperio subditas, Norwegi tandem occuparunt: cùm Normanni Angliam invadentes, operosè satis continendis in officio civibus, laborarent, tuendis remotioribus Insulis impares. [Tunc Rufo nostro regnante, anno 1098. (inquit Chron. Manniæ, & pergit) Magnus Rex Norwegi, filius Olavi, filii Haraldi Harfager; volés explorare incorruptionem S. Olavi Regis & Martyris, præcepit, ut ejus mausolæum aperiretur. Episcopo autem & Clero resistente, ipse Rex audacter accessit; & vi regia aperiri scrinium fecit. Cumque & oculis vidisset, & manibus attrectasset incorruptum corpus; subitò timor magnus irruit super eum, & cum magna festinatione discessit. Sequente nocte Olavus Rex & Martyr, ei per visum apparuit, dicens: Elige tu, unum è duobus: vel vitam cum regno infra triginta dies amittere: vel à Norwegia discedere; & eam ampliùs nunquam videre. Expergefactus Rex à somno; vocavit ad se Principes & majores natu, & exposuit eis visionem. Illi autem conterriti, hoc consilium dederunt ei; ut cum omni festinatione Norwegiâ exiret. Ille sine mora adunari fecit classem centum sexaginta navium, & ad Orcadas Insulas transfretat: quas sibi statim subjugavit. Et transitum faciens per universas Insulas, easque sibi subjiciens, pervenit usque ad Manniam; cúmque applicuisset, ad Insulam S. Patricii venit. Videns autem Insulam pulcherrimam; placuit in oculis ejus: eámque sibi in habitationem elegit, munitiones in ea construxit; quæ usque hodie ex ejus nomine nuncupantur.] Ita ibi.

Chronicon Manniæ apud Camd.

Harfager Rex Norwegiæ pudetur quia aperuit sepulchrum S. Olavi Regis.

Fugiens e Norwegia occupat Manniam Insulam.

XIII.

Exinde Insulæ illæ diu in Norwegiæ Regum jure censebantur: & sæpè Scotorum Regibus terrorem, vel perduellibus Scotis asylum præbuere. Cæterùm quod ad hunc annum attinet, quo Malcolmus moritur: Sumerledus Manniæ Princeps, *colligit classem centum sexaginta navium*, ita narrat Chronic. suprà, *& applicuit ad Rhinfrin, volens totam Scotiam sibi subjugare: sed ultione divinâ à paucis superatus, cum filio suo & innumerabili populo ibidem occisus est.* Ex hac Insulæ, ab Anglorum imperio, distractione, nata est Sodorensis Ecclesiæ (ita Manniæ Episcopi sedes dicebatur, ut supra* dictum) subjectio Norwegiæ Metropolitæ; quæ priùs Eboracensi sedi subdebatur. Mansitque subjectio illa Ecclesiæ, postquam Manniæ regnum ad Scotos translatum est, anno, ut habes dictum Chronicon, 1266. quia necdum Scotiæ regnũ Archiepiscopi prærogativa gaudebat. A Scotis, ad Anglos Manniæ Principatus transfertur, cum Guilielmus de Monte-Acuto, è Mannensium Regum familia oriundus, armis illum, cum jure non potuisset, obtinuit. Sed filius ejus cognominis, Sarisburiæ Comes, Manniam cum corona anno Dñi 1393, Guilielmo Scroope vendidit. de quo Walsinghamus in Hypodig. Neustriæ, ad eum annum: *Sub hoc tempore*, inquit, *Guilielmus Scroope, emit de Domino Guilielmo de Monte-Acuto, Comite Sarum Insulam Eubonia* (ita Gildas Manniam vocat) *cum corona. Nempe Dominus hujus Insulæ Rex vocatur, cui etiam fas est corona aurea coronari.* Ita ille. Guilielmo emptore ob læsam Majestatem proscripto, ad Henricum IV. Insula descendit, qui jus omne in Henricum Percium Northumbriæ Comitem transtulit, eâ lege, ut gladium Angliæ Regibus, cum inaugurantur præferret. Sed eo civili bello cadente Joanni Stanlæo, & posteris Derbiæ Comitatus titulo insignis Mannia cessit, qui etiamnum illa potiuntur, *& Manniæ Reguli appellantur*, inquit Camd.

Sumerledus Manniæ Princeps Scotiam aggressus, occisus est.

Chron. supr.

* v. an. 1171. n. 4.

Walsingham hypod. Neustr. anno 1393

Manniæ quî cessit Henrico.

Derbiæ Comites facti Reguli.

Camden. in Insulis Orc.

XIV.

Robertus moritur.

Moritur hoc anno Robertus Bathoniensis & Wellensis Episcopus, qui anno millesimo centesimo trigesimo sexto consecratus, controversiam de Sede nominanda tandem composuit. de quo ita Godwinus. [Exortâ (inquit) de Sede Episcopali discordiâ; rem per compromissum ad Episcopi arbitrium delatam, ille (Robertus) sic ordinavit, ut illius diœcesis Antistites, nec Wellenses dicerentur, ut olim, nec Bathonienses ut nuper: sed ab utraque Ecclesiâ nomenclaturam mutuantes, nuncuparentur in posterum, Bathonienses & Wellenses Episcopi. Constituit etiam ut Sede vacante, ab utraque Sede pari numero delegati suis suffragiis novum Præsulem designarent: quem oportuit utrobique, Bathoniæ nimirum & Welliæ, installari.] Ita Godwinus, qui plura memorat ab eo in Wellensem Ecclesiam benefacta, correctos Clericorum mores, Ecclesiasticorum bonorum in Ecclesiæ usum distributionem; officialium ordinationem, concludit

Godwin in Bathon. & Wellen.

Idem suprà.

Wellensis Ecclesia ab hoc restaurata.

denique : [Sed nihil libentiùs commemorarim, quàm Ecclesiæ fabricam ab Ina Rege primùm excitatam, jam verò vetustate fatiscentem, ut ruinam quotidie minitaretur, demolitam, partim ab hoc Episcopo, ejúsque liberalitate conditam, partim refectam, & reparatam; ut non solùm sartam tectam : sed multò, & magnitudine latiorem reddiderit, & specie pulchriorem.] De hac Ecclesia ab Ina structa, dixi eo anno quo struitur, septingentesimo quarto. Præfuit Robertus Bathoniensi & Wellensi Ecclesiis annus viginti novem, & successorem non habuit ante annum ejus sæculi septuagesimum quartum, ut ibi.

V. an 704. n. 17.

ANNUS CHRISTI 1166.

ALEXANDRI III. PAPÆ 8.

HENRICI II., REGIS 12.

I. Henricus hæret an Alexandrū vel Antipapam sit observaturus.

NUNQUAM magis periclitata est Anglorum Regum orthodoxa Fides, & in Romanam Sedem observantia, quàm anno millesimo centesimo sexagesimo sexto; cùm Henricus Rex secessionem è Romana sede, & communionem cum Guidone schismatico, quem Fredericus in Octaviani locum suffecerat, comminatus est. Cùm, inquam, ambidextrum agens : hinc legatos ad Alexandrum Papam; hinc ad schismatis antesignanum Coloniensem Archiepiscopum mittens : utrobique protestans; nisi Alexander, Thoma deserto, avitas consuetudines sua authoritate firmaret, se cum Frederico sensurum; & culturum idolum illud, quod novus Nabuchodonosor colendum erexerat. Cùm hæc menti sententia sedisset, has ad Reginaldum Coloniensem, quem superiore anno fideliter Anglia horruerat, literas dictat.

II. Henrici Literæ ad Reginaldum Colonieñ.

apud Baron. hic.

D*Iu desideravi justam habere occasionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus ejus : qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuariensem Archiepiscopum, contra me manutenere præsumunt. Unde cum consilio omnium Baronum meorum, & consensu cleri, magnos viros de regno meo scilicet Eboracensem Archiepiscopum, Londoniensem Episcopum, Archidiaconum Pictaviensem, Joannem de Oxenford, Richardum de Luci Romam missurus sum, qui publicè & manifestè ex parte mea, & totius regni mei, & omnium terrarum aliarum, quas habeo, proponent & denuntiabunt Papæ Alexandro & Cardinalibus suis, ne ulterius proditorem meum manuteneant : sed ita liberent me ab eo; ut alium cum consilio cleri, in Cantuariensi Ecclesia, possim instituere. Denunciabunt etiam, quod quicquid Thomas fecerit in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, quod coram eis Papa jurari faciat publicè : quod ipse, & successores sui; mihi, & omnibus successoribus meis, Regias consuetudines Henrici avi mei, inconcussas, & inviolatas, quantum in se, conservabunt in perpetuum. Quod si fortè alicui petitionum mearum contradicere voluerint : Neque ego, neque Barones mei, nec Clerus meus, aliquam ei ulteriùs servabimus obedientiam. Immò manifestè eum, & omnes suos impugnabimus. Et quicumque in terra mea inventus quis ei post hoc adhærere voluerit, expelletur. Ea propter rogamus vos sicut charissimum amicum : quatenus fratrem Ernoldum, vel fratrem Radulphum hospitalarium, omni occasione remota, citò ad me mittatis : qui ex parte Imperatoris & vestra, prædictis nuntiis meis ducatum præbeat, eundo & redeundo per terras Imperatoris.* Hactenus Regis Epistola.

III.

Terruissent hæc verba arundinem vento agitatam; sed Christi Ecclesiam, Ecclesiæque Rectorem super petram fundatā terrere minimè potuerunt. Sed & Regis ira exarsit tantùm *sicut ignis spinis majori strepitu atque murmure, quam facti pondere.* Nec enim magna illa nomina, non omnes, inquam, quos Epistola jactavit, ad Alexandrum misit, sed duos tantùm. Quinam illi? *Missa est legatio ad Alexandrum Papam* (loquitur Baronius) *functi ea reperiuntur solum Londoniensis, & Oxenefordensis Episcopi.* Non assentior : nam inauditum hactenus nomen Oxoniensis, aut quod idem est, Oxenefordensis Episcopus : Urbs illa non ante sedes Episcopi, quàm Henricus octavus ab avita Fide deficiens, lusit stupente mundo fabulam quam secundus inchoavit : & quia nova sedes spurium vitulamen erat, non dedit radices altas. Non potuit ergo urbis illius Episcopus hoc anno in Urbem mitti. Addo Joannes de Oxenford, cujus in literis mentio, inter clericos quidem, non inter Episcopos nominatur, & familiæ nomen, non Sedis est. Unde Joannes Saresburiensis Epistola 169 vocat eum Magistrum Joannem de Oxenfordia. & addit : *Qui clericus Regis est.* Dico igitur, cum Gilberto Londinensi, missum Bartholomæum Exoniensem Episcopum, virum supra ab eruditione commendatum; & infrà sæpiùs nominandum. Hi duo Alexandrum nuper è Gallia, per Siciliam Romam reversum, super Regis negotio & postulatis convenerunt. [At tantùm abest (inquit Baronius) ut Alexander sive terroribus Regis per literas incussis : sive minis per Legatos nomine Regis expressis commoveretur : ut cùm eos redarguisset; increpationibus plenas Literas ad Regem ipsum Anglorum reddiderit, quibus ille concussus à malo proposito resilierit; & gratias egerit ea monenti Pontifici, eidemque parere in omnibus promptè promiserit. Testantur ista Anglorum Episcopi, in Epistola data anno sequenti, ad Alexandrum, quam nos inferiùs suo loco reddituri sumus.] Hæc Baronius.

Psal. 117. 12.

Baron. hic.

Mittuntur legati a Rege, Londoniensis et Exoniēsis Episcop. non Oxenefordēs.

Baron. hic.

Alexander non monetur minis.

IV.

Redeo ad Henrici Regis literas ad Reginaldum Coloniensem, qui Fredericum Herbipoli in Conciliabulo occupatum de Henrici mente, consilióq; mittendi Romam Legatos certiorem fecit : quid inde factum, Codex Vaticanus ita narrat. [Rescripsit Imperator, voluntati Regis Angliæ esse annuendum : quia quanto solemniùs ista fient; si consenserit Papa Alexander, tanto major sua erit confusio : & fortè in occulto per alium templarium, vel hospitalarium, vel alium à quo caveri non possit, Rex Angliæ pro pecunia sua idem obtineret. Missus itaque est frater Radulphus hospitalarius ad Regem Angliæ qui nuntiis, quos Rex ad Curiam mittere disposuit, ducatum præbuit per terram Imperatoris.] Eodem tempore quo Romam missa legatio, decreti sunt etiam ad Fridericum Oratores, Joannes de Oxenefordia, & Ricius de Juelcestre, qui novi fœderis testes, & mentis Henrici interpretes, apud Imperatorem essent. An illi mandatum transgressi, aut legationis terminos egressi, nescio; disputatum de eo postea. Interim cum aliis Herbipolensis Conciliabuli Episcopis impiè pro Henrico stipulati sunt. Sic

apud Baron. hic.

enim

Quadrilo. l. 2 c. 18.
Mittit Legatos Henricus Imperatori.

enim narrat Quadrilogus. [Henricus dolorem suum vindicaturus, clericos duos, Joannem videlicet de Oxensford, & Ricium Ivelcesta misit ad Imperatorem Alemanniæ, Fredericum, qui congregato concilio, de Pace Romanæ Ecclesiæ tractabat: mandans, quod si nomen & obedientiam Alexandri Papæ abjuraret; participem se schismaris haberet cum Episcopis, & Archiepiscopis suis.] Mandatum hoc, conditione vestitum, conditione nudarunt Regii Oratores: sequitur enim: *Jurantibus itaque cum Imperatore, Optimatibus & Episcopis: quibusdam volentibus; quibusdam obrectantibus, & usque ad lacrymas renitentibus: nuntii quoque Regis, ex persona ipsius, in consimilem formã juraverunt.*

V. Juramenti forma, mentioque Legatorum Regis Angliæ, qui pro Henrico juraverunt, legitur in Literis quas Fredericus hoc anno dedit, de rebus Herbipoli gestis: ubi inter cætera hæc habentur. [Invocatâ igitur Sancti Spiritus gratiâ, universorum qui aderant consilio communicato, ad removendam pro parte nostra, omnem ambiguitatem, prorsus ipsi nos manu propriâ, super Sanctorum Reliquias: juramentum publicè præstitimus; quod Rolandum schismaticum (Alexandrum intelligit) vel ejus successorem, quem pars ipsius elegerit, in Papam nunquam recipiemus: nec ad eum recipiendum, assensum unquam alicui præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam unquam nostram reddemus: nisi ab errore viæ suæ, ad unitatem Ecclesiæ fuerit conversus. Dominum verò Paschalem (ita Guidonem Cremensem schismaticum vocari placuit) manutenebimus semper & promovebimus: eique tanquam Patri Catholico, & universali Pontifici, obedientiam, honorem, & reverentiam exhibebimus. Et ab ipso ejusque parte, vita comite, nunquam recedemus. Electos quoque qui sub eo, aut ejus successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperunt, vel adhuc recipiunt, honore aut ordinibus suis, per ejus obedientiam privari nunquam patiemur, & hujus absolutionem sacramenti, nunquam requiremus, nec oblatam recipiemus.] Et post aliqua de Henrici Legatis eo modo pro Rege jurantibus, hæc habentur. [Adhæc honorabiles Legati; illustris amici nostri, Henrici, gloriosi Regis Anglorum ad nos ab ipso transmissi, & totius Curiæ nostræ præsentia, super Sanctorum Reliquias, ex parte Regis Angliæ publicè juraverunt: quod Rex ipse, cum toto regno suo, in parte nostra fideliter stabit: Dominum Paschalem, quem nos tenemus: nobiscum semper tenebit. De Rolando autem schismatico manutenendo nullatenus se de cætero intromittet.]

Apud Baronium hic.
Juramentum de abjiciendo Alexandro Papa, Legati Angliæ admittunt.

VI. *Baron. hic.*
Juraverunt contra mentem Regis.

Impiè & præter Regis mentem Oratores jurasse probat Baronius argumento literarum Rothomagensis Archiepiscopi: & ita scribit, [Porrò quod fecerunt nuntii Regis Anglorum; jurando Regis nomine inhærere schismatico nequaquam ex præcepto ejus fecisse, excusatum est ab Archiepiscopo Rothomagensi: cujus istæ sunt literæ, ad Henricum tituli Sanctorum Nerei, & Achillei presbyterum Cardinalem.

Pro Domino Rege Anglorum omnem exhibemus securitatem: quod Imperatori, nec per se, nec per nuntios, juramentum præstitit, aut promissionem quòd schismatico adhærere velit Ecclesiam relicturus. Imò certi sumus, quòd in illis qualibuscumque, de matrimonio pactionibus: Licet Teutonici super hoc laborarent per triduum, nihil nunquam concedere voluit: nisi præeunte in omnibus fidelitate Domini Papæ, & Ecclesiæ, & Regis Franciæ. Ipsi verò literis nostris mandavimus, Domina Imperatrix (Mathildem intelligit Henrici parentem) & nos, ut ab hac nota se citiùs excuset. Nos quidem cùm Rothomagi essemus; & illic essent nuntii Imperatoris: de illis quidem audivimus; sed eos non vidimus.] Hactenus de Epistola: tum pergit Baronius Henricum à perfidiæ crimine liberans: [Sic igitur (inquit) Regii nuntii, non ex mandato Regis facere id potuerunt; de quo nullum intercedebat, ut ex recitatis superiùs literis, satis apparet. Porrò ipsos nuntios turpiter lapsos, ipse Sanctus Thomas excommunicasse reperitur, scribens ad omnes suos Suffraganeos anno sequenti.] Interim quid Alexander Pontifex auditâ Henrici Regis legatione ad schismaticum Imperatorem fecerit, videamus.

Excusat Baronius Regem.

VII. *Baron. hic.* [Cùm audisset idem Pontifex Alexander (ita loquitur Baronius) ignominiosam & impiam professionem nuntiorum Regis Angliæ exhibitam in conciliabulo Herbipolensi; quo se, Regemque suum addixerunt schismatico Papæ Paschali; voluit per Sacrum Collegium Cardinalium ipsum Regem moneri literis. Non extant quidem illæ: sed tantùm quas ad eos Apologeticas, ipse Rex Henricus Sacro Collegio Cardinalium rescripsit verbis istis.

Henrici Regis Apologia, ad Cardinales.

Super his quæ Dominus Papa nobis significavit: scilicet quod ab amore & devotione Romanæ Ecclesiæ mentem & animum averteramus: imprimis respondemus, quod prudentia vestra plenissimè cognovit: quàm sincero affectu, & Ecclesiam Romanam, & personam Domini Papæ, semper dilexerimus: & quanta pro eo fecerimus, & sustinuerimus. Siquidem (ut cætera silentio prætereamus) cùm de ipsius susceptione controversia haberetur: ipsum non tantùm recipimus: sed ad eum recipiendum, alios licèt invitos traximus & compulimus. Nec nos animum nostrum à dilectionis elongavimus plenitudine. Sed ipse, qui, ut nobis liquet, à retroactis temporibus, nobis præter modum molestus extitit: sicut operum in quamplurimis declaravit executio: & nunc maximè; verbo, opere, & scripto, & nostram (quod summoperè Principum lædit animos) non desistit infamare personam: cum scripto suo & verbo, nos Ecclesiæ persecutorem nominet, & gravatorem appellet. Attendat autem Dominus Papa, quàm paternè erga nos egerit: qui nobis significavit: quod summa Principum debet esse cautela & sollicitudo, famam suam conservare illæsam. Nec paternum circa nos gerere videtur affectum, qui famæ nostræ adeo opere, & sermone derogat.

VIII. Universitati itaque vestræ constare volumus; quod quidquid honoris, celsitudinis & potestatis habemus: regnum etiam & cætera, quæ nostro commissa sunt regimini: singula à Domino & Creatore nostro nobis collata scimus, & profitemur: & ipsi soli non quantas debemus (quia ad id non sufficimus) sed quas possumus, gratiarum referimus actiones. Et utinam Dominus Papa, Dominum pro nobis deprecetur, ut Domino & Creatori nostro, debitam exhibere possimus, & sciamus devotionem, & reverentiam: & ut ipsi servire, & ipsum diligere interna saltem quâ debemus portione valeamus. Sanè licet quantum ex

debito tenemur, ipsum diligere & venerari noo possumus: affectum tamen & devotionem habemus ipsi, in singulis deservire, in omnibus obsequi, in universis obedire. In integritate autem gratiæ, & dilectionis Domini Papæ, libenter perseverare volumus, & affectamus: si oobis & regno nostro eumdem honorem, & hoooris & dignitatis conservationem observaverit; quam sancti & honesti Romani Pootifices viris nobilibus & potentibus prædecessoribus nostris exhibuetunt. Veruntamen Appellationes quas proponit nos prohibuisse: & ne quis de regno nostro Romanam curiam visitaret, nos asserit inhibuisse; vestram nolumus latere prudentiam: quod nec appellationes, nec visitationes aliquatenus impedivimus: quin eo modo, ea ratione, eo ordine fiant, quo temporibus prædecessotum nostrorum, virotum illustrium; juxta regni nostri consuetudinea, & dignitates, solebant fieri: & sicut antiquiores, & prudentiores regni nostri, tam clerici, quàm laici recolunt & retractant.

IX. EXCUSAT SE REX QUÒD COMMONICAVERIT CUM FRIDERICO, DEDERIT FILIAM FILIO EIUS. QUOD NON EXPULERIT S. THOMAM.

Quòd verò confœderationis factæ, cum excommunicatis, nos arguit, in hoc non existimamus nos Deum offendisse, nec obviasse rationi. Quia sicut ex ore Domini Papæ Accepimus; ipsum Dominum Fridericum, Romanum Imperatorem nunquam pro excommunicato habuit: nec postea ipsum excommunicatum fuisse alicujus relatione cognovimus. Verùm etsi filiam nostram filio Imperatoris in matrimonio coocessetimus; nec in minimo nos deliquisse credimus: sed id licitum nobis esse noo dubitamus. Quoniam (ut à simili sumamus exempla) idem excellentissimo, & potentissimo Regi, Henrico, Avo nostro licuisse recolimus: qui filiam suam Henrico bonæ memoriæ Romano Imperatori matrimonio copulavit. Nos etiam à prædecessoribus nostris sumpta ratione; communicato consilio prudentum, inter filium Imperatoris, & filiam nostram contrahi concessimus. Prætereà, quod nobis scripsit, ut Cantuariensem Archiepiscopum, quem à regno nostro nos asserit expulisse, in statum à quo recessit, revocemus, & ad Sedem suam reducamus: evideotissimè novimus universitati vestræ liquidò constare, quod ipsum nunquam expulimus: nec è regno nostro exire coegimus: sed ipse suæ magis levitatis, & pravitatis impulsu, quàm aliqua ratione ad hoc ipsum inducente, fugam arripuit; intentione ac proposito, adversum malignandi: & nobis & famæ oostræ (quod nequaquam, ut omnibus liquet, promerueramus) malignè derogandi. Si autem idem Archiepiscopus, sicut ex propria voluntate aufugit; eodem modo voluntariè reverti voluerit: & nobis fecerit, quod Domino, & Principi facere debuerit, nos eidem juxta clericorum, & laicorum consilium, tam regni nostri, quàm transmarinorum; quod debebimus exequemur. Verùm ipsum per vos revocandum non censemus, quem à regno nostro exire non coëgimus.

X. Itaque si nobis constiterit, nos in aliquo deliquisse, & excessisse; consilio cleri & Baronum nostrorum, juxta consuetudines, dignitates, & celsitudines regni nostri, quicquid debuerimus, animo libenti faciemus. Si verò aliquis jura, & consuetudines, & dignitates regni nostri impedire attentaverit, sive diminuere: ipsum publicum hostem, & manifestum nominis nostri, & honoris & regni æstimabimus inimicum. Et nos vitâ comite, dignitatum & consuetudinum regni oostri diminutionem nullatenus sustinebimus: quas illustres viri prædecessores oostri habuerũt, & tenuerunt temporibus Sanctotum Romanorum Pontificum. De cætero quod mandavit per vos nobis insinuandum: ne scilicet Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas regni & terræ nostræ gravaremus, vel gravari permitteremus: Deus nobis testis est, & mea conscientia: quod id usque ad hodiernum diem, nec à nobis actum est, noc permissum.] Hactenus Henrici Apologia mirabili fuco sua facta tegens atque dealbans: consuetudines vocans quod militaris Normannorum licentia in Insulam primò invexit cùm inter arma silerent leges, inde gradu facto regni dignitates vocat Ecclesiæ præesse, & ejus bona distrahere. Denique jura sunt; & eo nomine, ceu pro aris & focis, quantumvis contra aras vendicantur. Interim Alexander Henrici fucum non dissimulans, hoc eodem anno has ad Londinensem Episcopum literas dictas, quas recitat Hovedenus noster ita inscriptas.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei: Venerabili fratri GILBERTO Londinensi Episcopo salutem, & Apostolicam Benedictionem. *Rogerus hic*

XI. ALEXANDER GILBERTO LONDONIENSI.

QVod circa ea, quæ tuæ injunximus fraternitati, efficax studium, & diligentiam impendisti: & charissimum in Christo filium nostrum, Henricum Regem Angliæ, super incremento, & exaltatione Ecclesiæ, ac nostra, fideliter sollicitare ac commonere curasti; gratum omnibus & acceptum habemus: & tibi exinde gratias uberrimas exolventes, sollicitudinis tuæ prudentiam, magnificis super hoc laudibus in Domino commendamus. Quoniam verò eundem Regem, tanquam filium charissimum, & inclytum Principem, arctiori charitate diligimus: idcirco per te, & per Venerabiles fratres nostros, Rothomagensem Archiepiscopum, & Herefordensem Episcopum: necnon per charissimam filiam nostram in Christo, illustrem quondam Romanorum Imperatricem, matrem ejus, sæpè ac sæpè ipsum sollicitandum duximus; & ad Ecclesiæ devotionem multimodis provocandum. Gaudemus autem, & exultamus in Domino super ea devotione ejusdem Regis, quam tuis literis nobis significasti. Cæterùm quoniam eum volumus devotum esse Ecclesiæ Dei, & nobis sicut ab ipso principio consuevit existere: rogamus fraternitatem tuam, monemus atque mandamus: quatenus ipsum sollicitè, sæpè, & sæpiùs, per te & alios commoneas, hortetis modis omnibus, & inducas, ut ad ejusdem Ecclesiæ honorem pariter & exaltationem, solito modo intendat; & causam ipsius strenuè foveat, & manuteneat, atque defendat. Ecclesias verò & Ecclesiasticas personas diligat & honoret, & eorum jura conservet. Venerabilem quoque fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum, in amorem & gratiam suam reducat. Nos enim, si eam, quam incipit, Beato Petro, & nobis reverentiam exhibuerit, & honorem, tanquam ferventi affectione diligemus: & ad honorem, & exaltationem ipsius, & conservationem Regni sibi commissi, modis omnibus prout decrevit, intendemus. Malumus enim ipsum in patientia, & mansuetudine vincere; quam eum aliquo modo gravare; quamdiu poterimus sustinere. Datum in gradu Mercurii undecimo Kal. Septemb. Ad has Alexandri literas, Gilbertus Episcopus in hunc modum rescripsit.

Patri

XII. ALEXANDRO PAPÆ GILBERTUS.

Patri suo ac Domino, Summo Pontifici ALEXANDRO, Frater GILEBERTUS Londoniensis Ecclesiæ Minister, debitum sinceræ charitatis, humilisque obedientiæ famulatum.

MAndatum vestrum, Pater in Christo charissime, debitâ veneratione suscipientes: illico filium vestrum, Dominumque nostrum, charissimum illustremque Anglorum Regem, in ipsis jam Galliæ finibus agentem exercitum, adivimus: & adjuncto nobis Venerabili fratre nostro, Roberto Herefordensi Episcopo juxta vestri formam mandati, diligenter & attentè convenimus. Cui singula, quæ vestris nobis sunt expressa literis, ante oculos ponentes; ipsum obsecrando, & quantum Regiam decebat Majestatem, arguendo constanter, & instanter hortati sumus: ut de propositis sibi satisfaceret: & si à rationis tramite deviaverat; ad viam veritatis & justitiæ redire, vestra per nos revocatus admonitione, non tardaret: à Patre piè commonitus, à pravis actibus omnino desisteret: Deum puro corde diligeret; & Matrem suam Sanctam Romanam Ecclesiam, solitâ veneratione respiceret: nec eam visitare volentes inhiberet: appellationes ad eam factas non impediret: & fratrem nostrum Dominum Cantuariensem benignè revocans, & reducens, in Beati Petri & vestra reverentia firmus immobilisque persisteret: & pietatis intendens operibus, Ecclesias & Ecclesiasticas personas, tam regni, quàm terræ suæ, non gravaret: nec per se, nec per alium gravari permitteret: sed ipsas diligens Regia protectione conservaret: ut ille per quem Reges regnant, temporale regnum sibi conservaret in terris, & æternum largiretur in Cælis. Alioquin nisi monitis salutaribus acquiesceret, Sanctitas vestra, quæ hucusque patienter sustinuit, ulterius in patientia sustinere non posset. Ad hæc adjecimus: timendum sibi fore, ne si errata non corrigeret; iram Omnipotentis Dei citò incurreret: ut nec regnum ejus dinstaret, nec suos prosperari permitteret: sed qui humilem exaltaverat, jam jam exaltatum, ab ipso regni culmine, duriùs allidendo dejiceret.

XIII. APOLOGIA, VEL EXCUSATIO HENRICI REGIS.

Ipse verò correptionem vestram, multa gratiarum actione suscipiens, multa animi temperantia, multaque modestia consequenter respondit ad singula: Imprimis asserens: mentem suam se à vobis nullatenus avertisse: nec id unquam proposito mente concepisse: quin dum paternam sibi gratiam exhibueritis; vos ut Patrem diligat, & Sanctam Romanam Ecclesiam, ut Matrem veneretur, & foveat; & sacris jussionibus vestris, salva sibi sua regnique sui dignitate, humiliter obtemperet, & obediat. Quod si vos aliqua jamdiu reverentia non respexit; hanc hujus rei causam asserit: quòd cùm vobis in necessitate toto corde, tota mente, totis viribus astiterit: sibi postmodum per nuntios, in necessitate recurrenti ad vos, dignè pro meritis Sanctitas vestra non respondit: sed in omni fere petitione sua se repulsam sustinuisse conqueritur; & erubescit. De paterna autem confisus gratia; quasi filium cùm volet, exaudiet, vultus sperans, & expectans lætiores: In Beati Petri, & vestra (ut dictum est) fidelitate, immobili constantia perseverat. Inde est quod Sanctitatem vestram visitare volentem, nullum impedit. Sed nec hactenus, ut asseris impedivit. In Appellationibus, ex antiqua sui regni institutione, id sibi vendicat honoris & oneris: ut ob civilem causam nullus clericorum regni sui, ejusdem regni fines exeat, nisi an ipsius auctoritate & mandato, jus suum obtinere queat, priùs experiendo cognoscat. Quòd si nec sic obtinuerit: ad excellentiam vestram, ipso in nullo reclamante, cùm volet, quilibet appellabit. In quo si juri vestro, vel honori præjudicatur in aliquo, id se totius Ecclesiæ regni sui consilio correcturum in proximo, Domino juvante pollicetur. Imperatorem illum, etsi Schismaticum noverit, à vobis tamen excommunicatum esse usque hodie non rescivit. Quod si denuntia nostra rescierit: si fœdus illicitum cum ipso aut aliquo alio quolibet init. Et hoc Ecclesiæ regni sui judicio similiter & consiliose correcturum promittit.* *Imperfectum.

XIV.

Patrem nostrum Dominum Cantuariensem, suo se regno nequaquam expulisse asserit. Unde sicut abscessit ultroneus: sic ad Ecclesiam suam, cùm sibi sederit in animo, plena pace sua revertendi sibi liberum erit: dum tamen in satisfaciendo sibi super his, unde conqueritur, regias sibi & in quas ipse juratus est, velit dignitates integrè conservare. Si qua verò Ecclesia, vel Ecclesiastica persona, ab ipso vel à suis se gravatam ostenderit: satisfactione plenè totius Ecclesiæ judicio paratus erit. Hæc à Domino Rege nostro in responsis accepimus: qui utinam ad omnem voluntatem vestram uberiùs aliquid accepissemus. Eadem vero sublimitati vestræ notificanda duximus; ut ex responsis ipsius advertat discretio vestra, quo negotium hoc fine concludat. Causam namque suam Dominus Rex plurimum sibi justificare videtur, cum in omnibus quæ dicta sunt, Ecclesiæ regni sui consilio simul; & judicio se pariturum, & Patris nostri Domini Cantuariensis reditum, juxta quod dictum est, se nullatenus impediturum pollicetur. Unde vestræ supplicandum existimavimus Excellentiæ: quatenus illud præ oculis habentes: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: zelum illum, qui ad ulciscendam omnem quæ Ecclesiæ Dei irrogatur injuriam, laudabiliter igne divini Spiritus accensus est, si placet ad tempus intra fines modestiæ cohibeatis: ne vel interdicti sententiam, vel ultimum illud præcisionis elogium proferendo, Ecclesias innumeras subverti misere toleretis: & tam Regem ipsum, quàm innumeros, cum eo populos; à vestra quod absit obedientia irrevocabiliter avertatis. Bonum est magis membrum capiti cohærere vel saucium, quàm à corpore projici jam præcisum. Redeunt ad sanitatem saucia, non corpori coalescunt jam præcisa. Adducit desperationem præcisio cùm sanet vulnus sæpissimè cautè medicantis operatio.

GILEBERTUS PRECATUR ALEXANDRUM UT NON EXCOMMUNICET HENRICUM.

XV.

Unde si placet, bonum est, ut sanando vulneri, si quod est, ad præsens operam detis, quam Ecclesiæ Dei partem nobilissimam præsidendo; quæ turbata sunt hoc tempore, longè supra quàm possit exprimi, perturbetis. Quid enim si sermo vester, nondum plenè capit, aut capitur: nunquid divina desperanda est gratia; quia tempore accepto, & capiat, & capiatur? Nunquid abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat? aut auris ejus aggravata, ut non exaudiat? Currens ille sermo velociter, potenter cùm vult, immutat omnia: & dat Sanctorum precibus, etiam insperata. Sanguis Regius tunc scit demum vinci, cùm vicerit: nec erubescit cedere, cùm superaverit. Mansuetudine leniendus est, monitis & patientia superandus. Quid enim, si jacturam quandam temporalium infert, vel exhibita, vel in tempus exhibenda adhuc etiam patientia? nunquid non severitati retrahendum est, cùm strages imminet populorum? nunquid non in mare multa jactanda sunt: cum jam pendet interitum confusio terræ, maris & fluctuum? Insipienter, attamen in charitate non fictâ loquimur: si hic rei finis extiterit, ut amissis suis Dominus Cantuariensis exilium jugi

sustinuit: & vestris, quod absit mandatis ulterius Anglia non obediat: fuisset satius patienter in tempus sustinuisse, quàm tanto zelo severitatis partibus institisse. Quid enim si plures è nobis ab obedientia vestra persecutio separare non possit; non deerit tamen, qui genu curvet ad Baal; & de manu idoli pallium Cantuariæ, non habito religionis & justitiæ delectu, suscipiat. Nec deerunt qui sedes nostras occupantes, & Cathedras insidentes, ipsi tota mentis devotione obediant. Jam multi prævaricant ad talia; optantes ut veniant scandala, & directa ponantur in prava. Unde non propria Pater plangimus, aut ploramus incommoda: Sed nisi his malis occurretis, fœdam Ecclesiæ Dei subversionem imminere cernentes pertimescimus, nostri ut ob vitæ tædium optemus periisse diem, quâ ad spectacula hujusmodi nati sumus. Conservet incolumitatem vestram in tempora longa omnipotens Deus, in Christo dilecte Pater.

XVI. E Gallia dictavit has literas Gilbertus Londinensis Episcopus: eò Henricus Rex hoc anno trajecerat, Normanniam, reliquasque Provincias contra Francorum Regis injurias muniturus. Gliscebat enim inter utrumque Regem animositas, cui dominiorum confinia alimenta ministrabant.
*V. an. 1165. t. Quod Mathildis Henrici Mater *suprà præcavens, Alexandrum, ut pacis sequester esset, oraverat. Ibi igitur Gilbertus, non Thomæ, non Ecclesiæ, aut Alexandri causam, sed Henrici Regis agens; Alexandrum conatur, quà blanditiis, quà terrore, à justitiæ tramite, ad Regiæ cupiditatis arbitrium flectere. Cui si Pontifex accessisset: & Thoma deserto pro Henrico stetisset; quod Regius assentator admodum cupiebat; læsæ Majestatis Ecclesiæ crimen fuisset, nulla hostia expiandum: & posteri Reges conculcandæ pro libidine infulæ, nobile argumentum inde sumpsissent. Demùm è facto quantumvis heteroclito, inter avitarum consuetudinum Canones, de quibus modò controvertitur, illud retulissent. Sed fortior Alexander, qui Gilberti ignaviam in literis legens; Thomæ factus indulgentior, eidem author est, Regem non palpando, sed causam suam strenuè constanterque agendo aggredi; scriptis paternâ pietate literis, eum ad meliora revocando. Quod ille præstitit ita dulcia amaris temperans, & Dei timore omnia miscens; ut quod Gilbertus blandiendo corruperat; ille doctiore manu ad saniora reduceret. Sic ergo literas exorditur.

Domino suo, & amico, HENRICO Dei gratiâ illustri Regi Anglorum, Duci Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegavensi: THOMAS eâdem gratiâ Ecclesiæ Cantuariensis humilis Minister: suus olim temporaliter, nunc autem multo magis; Salutem in Domino, & veram cum emendatione pœnitentiam.

XVII. S. THOMAS HENRICO REGI.

E Xpectans expectavi, ut intenderet vobis Dominus, & conversi ageretis pœnitentiam, recedentes à via perversa, & abscinderetis à vobis latera vestra prava, quorum, ut creditur, instinctu & consilio, tam sæpè lapsi estis in profundum. Sed absit, ut in profundum illud, de quo dicitur: Peccator cùm in profundum venerit, contemnet. Et licet huc usque frustra sustinuerimus, taciti considerantes & expectantes affectuosissimè, si veniret nuntius qui diceret: Filius tuus Rex, & Dominus tuus, jam diu dolo circumventus, tractus in perniciem Ecclesiæ, inspirante divinâ clementia, & abundantia humilitatis magna, festinat ad liberationem Ecclesiæ, ad omnem satisfactionem & emendationem. Sed licet illud non fiat: non tamen Omnipotentem supplici devotione, singulis diebus, interpellare cessamus: ut quod diu voto celebravimus, de vobis, & pro vobis, celeri, & fructuoso consequamur effectu. Et ecce inde est, quòd Ecclesia Cantuariensis, cui Dominus nostrum Sacerdotium, licèt indignum, vobis res humanas hujus regni regentibus, ad præsens deputavit; nos cura constringit eo maximè, quod adhuc exilii incommoditate detineamur, Majestati vestræ commonitorias, exhortatorias, correctorias literas destinare: ne excessuum vestrorum, si qui sunt, qui revera sunt (unde non minimum doleus) illorum maximè dico, qui circa Ecclesiam Dei, & personas Ecclesiasticas, à vobis passim, nulla habita dignitatis seu personarum reverentia aguntur, nimius dissimulator existam: ne nimis negligens, in anima mea discrimen appaream. Facientis procul dubio culpam habet, qui quod debet corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur. Consentiunt quidem, qui cùm possint & debeant, non resistunt, vel saltem redarguunt. Error enim cui non resistitur approbatur: & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. nec caret occulta societatis scrupulo, qui desinit obviare manifesto facinori.

Sicut enim, Serenissime Princeps, parva civitas prærogativam regni præsentis non minuit; sic regia vestra XVIII. AD PRINCIPEM SÆCULAREM, GUBERNATIO ECCLESIÆ NON SPECTAT. *Contra.
*potestas, religiosa dispensationis mensuram minimè concutere debet, vel mutare. Semper verò de jure effectum est, sacerdotali consilia Dei Sacerdotibus judicia provenire. Nam qualescumque Pontifices etsi errore humanitùs accedente; non tamen *conscientia religionem Fidei ullatenus excedentes, ullatenus videntur à potestate seculari posse, vel debere percelli. Boni quidem & religiosi Principis est, Ecclesias contritas, & consissas restaurare, novasq; ædificare; Sacerdotes Dei honorare, & cum summa tueri reverentia, adinstar felicissimæ recordationis, & pii Principis Constantini, dicentis, cum ad eum deferretur quæstio clericorum: Vos à nemine judicari potestis sæcularium judicum, qui solius Dei judicia reservamini. Et Sanctos Apostolos, eorumq; successores, sub divina attestatione constitutos præcepisse legimus: non debere persecutiones fieri, nec invidere laborantibus in agro Dominico, nec à suis sedibus, æterni Regni expelli dispensatores. Quis enim dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum omniumq; fidelium Patres & Magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse dignoscitur; si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare: & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere; à quo credere debet, non solum in terra, sed & in cœlis se ligari posse, & solvi? Si Rex bonus es, & Catholicus, & vis esse, quod credimus, quodq; magis optamus, ut salvâ pace tua dixerim, filius es Ecclesiæ, non Præsul: discere vos convenit à Sacerdotibus, non eos docere. Sequi vos convenit Sacerdotes in Ecclesiasticis, non eos præcedere. Habetis potestatis vestræ privilegia, quæ ad administrandas leges publicas, à Deo consecuti estis; ut ejus beneficiis non ingrati, contra dispositionem cœlestis ordinis nihil usurpetis: sed ut salubriori fruamini ingenio: his quæ contra eam malitioso consilio magis forsitan, quàm animo vestra, minùs benè usurpastis, cum omni humilitate, & multimoda satisfactione, citissimè cedatis: ne manus altissimi adversum vos extenta mittat in vos, quasi ad signum sagittam. Tetendit enim arcum suum altissimus, ut sagittet in aperto vas nolentem pœnitere.*

XIX *Nec erubescatis (quidquid suggerant vobis maligni, quidquid submurmurent proditores, non vestes tantum, sed Dei) humiliare sub potenti manu Dei. Ipse quidem est, qui exaltat humiles, & superbos dejicit: qui in suam & suorum ultionem aufert spiritum Principum: quoniam terribilis est, & quis resistet ei? non debuisset excidisse à memoria vestra, in quo articulo vos Deus repererit quantumq; promoverit, honoraverit, sublimaverit, in liberorum susceptione beatificaverit, soliumq; regni vestri firmaverit, in invidiam omnium inimicorum vestrorum, amplis possessionibus ditaverit: adeò, ut huc usque cum admiratione omnes ferè proclamaverint: Hic est quem elegit Dominus. Et vos quid ei retribuetis, vel retribuere poteritis pro his omnibus, quæ vobis fecit? An ad eorum instinctum, & instantiam qui circa vos persequuntur, Ecclesiam, virosq; Ecclesiasticos, & semper prout potuerunt persequuti sunt, redderetis mala pro bonis, oppressiones, tribulationes, injurias, afflictiones Ecclesiis & Ecclesiasticis personis? Nonne isti sunt de quibus dicit Dominus: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? Certè, etsi relictis omnibus quæ possidetis, tollatis crucem vestram, & sequamini Dominum nostrum Jesum Christum; vix erit, aut non erit, ut fidelis & gratus acceptorum ab eo beneficiorum retributor appareas.*

XX. Reg. 15. 2. Paralep. 26. EXEMPLIS REGUM OZIÆ, AZARIÆ, ET MONET REGEM.

Inquirite Scripturas à scientibus, & invenietis quod Saul licèt electus fuerit à Domino: quoniam à viis ejus recessit, periit ipse, & domus ejus tota. Ozia quoque Regis Juda, cujus nomen latè divulgatum est, & procul egressum, propter crebras sibi à Domino collatas victorias: adeo cor elevatum est in suum interitum, eò quòd ubique auxiliaretur Dominus, & corroboraret illum; ut spretâ Domini reverentiâ, usurpare sibi voluerit, quod sui officii non erat, sed Sacerdotum: id est, adolere incensum super altare Domini. & ob hoc à Domino lepra percussus est, & ejectus per manus sacerdotum à templo Domini. Multiq; alii Reges facti vire immensarum divitiarum, quoniam ambulaverunt super se in mirabilibus mundi, præsumentes rebellare Deo, in suis miseriis perierunt: & ad ultimum nihil invenerunt divitiarum suarum in manibus suis. 4. Reg. 15. *Rex quoque Azarias, quoniam & ipse officium Sacerdotale usurpavit; similiter à Deo lepra percussus est.* 2. Reg. 6. *Oza quoque, etsi Rex non esset, quoniam Arcam Domini tetigit, & tenuit nutantem ad præcipitium, bobus calcitrantibus: quia ad eum non pertinebat, sed ad templi ministros, indignatione Domini percussus, juxta arcam Domini corruit mortuus. Rex, proverbialiter celebre est, castigatus de alterius infortunio, melius sibi prospicit.*

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

XXI *Ad Sacerdotes, Rex dilectissime, suos voluit Deus quæ Ecclesiæ sua sunt disponenda pertinere, non ad potestates sæculi. Quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Non vobis ergo vendicetis jus alienum, & ministerium quod alteri deputatum est: neque contra eum contendatis, à quo omnia sunt constituta: ne contra illius beneficia pugnare videamini, à quo vestram consecuti estis potestatem. Non à legibus publicis, non à sæculi potestatibus: sed à Pontificibus & Sacerdotibus, Omnipotens Deus Christianæ religionis clericos voluit ordinari & discuti. Christiani Reges subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre. Scriptum quippe est, nullum de Sacerdotibus, nisi Ecclesiam, judicare debere: nec esse humanarum legum de talibus ferre sententiam. Obsequi solere Christianos Principes statutis Ecclesiæ, non suam potestatem præponere, Episcopis caput Principes subdere, non de Episcopis judicare. Duo quippe sunt, quibus principaliter regitur mundus, authoritas sacra Pontificis, & Regalis potestas in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum; quantò & de ipsis Regibus sunt in divino reddituri examine rationem. Nosse certè debueratis, ex illorum vos pendere judicio; non illos ad vestram posse redigi voluntatem.*

Plurimi namq; Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicarunt. Etsi speciale aliquid de personis Principum inquiratis: Beatus Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicavit; quia consensit Sanctum Joannem Chrysostomum à sua Sede expelli. Sanctus Ambrosius, pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non adeo videbatur gravis, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicavit, & ab Ecclesia exclusit: qui eandem satisfactione condignâ meruit absolvi. Et multa alia in hunc modum. 2. Reg. 12. *David etiam cum adulterium & homicidium commisisset; missus est ad eum Propheta Nathan à Deo, ut eum redargueret, & corrigeret. Correptus est, & citissimè coercitus. Rex enim deposito Diademate capitis sui, abjectaq; Majestate Imperiali, non erubuit humiliari ante faciem Prophetæ, peccatum suum confiteri, veniam postulare de commisso. Quid plura? Pœnitentia ductus, misericordiam petivit, & obtinuit veniam. Et vos, fili dilectissime, Serenissime Rex, reverentissime Domine, ad exemplum excellentissimi David, Regis piissimi, de quo dixit Dominus.* 1. Reg 13. *Inveni virum secundum cor meum: corde contrito & humili, convertimini ad Dominum Deum vestrum, exactamq; de excessibus vestris agite pœnitentiam. Corruistis enim, & errastis in multis, quæ adhuc taceo, expectans, si fortè inspiraverit vobis Dominus, ut dicatis cum Propheta: Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam: quoniam multum tibi peccavi, & malum coram te feci. Juxta est enim Dominus iis, qui recto sunt corde, & humiles spiritu salvabit.*

XXIII. *Hæc ad præsens, Domine mi Rex, vobis scribo; cætera silentio præteriens, donec videam, utrum sermo meus capiat in vobis. Si reportaverit mihi à vobis fructus dignos pœnitentiæ, & audiam à nuntiantibus, & congaudeam dicentibus: Filius enim Rex mortuus fuerat, sed revixit: perierat, & inventus est. Quòd si me non audieritis: qui solitus sum, ante Majestatem Corporis Christi in abundantia lacrymarum, & gemitibus non minimis orare pro vobis: certè ibidem clamabo contra vos, & dicam: Exurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, & injuriarum, quæ à Rege Anglorum, & suis; tibi, & tuis fiunt tota die. Ne obliviscaris ignominiarum Ecclesiæ tuæ, quam tuo fundasti sanguine. Vindica Domine sanguinem servorum tuorum qui effusus est. Vindica Domine servorum tuorum afflictiones, quarum infinitus est numerus. Superbia eorum, qui te & tuos oderunt, & persequuntur, in tantum ascendit; ut ulteriùs non valeamus eos sustinere. Rex, quicquid agant vestri, hæc omnia de manibus vestris requirentur. Damnum enim dedisse videtur, qui causam damni dedit. Ipse revera filius Altissimi, nisi cessaveritis monitis à conturbatione boni num, ad gemitum compeditorum, ad gemitus clamantium ad se, veniet in virga furoris sui: quoniam jam tempus est judicare adversum vos justitias in æquitate, & severitate spiritus sui. Ipse enim novit auferre spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ.*

XXIV. *Non vobis hæc dicimus, ut faciem vestram confundamus; vel provocemus vos ad majorem indignationem & iram: sicut forsitan maligni, qui circa vos sunt; qui die & nocte insidiantur animæ vestræ, & nituntur avertere animum vestrum à nobis, pravis & iniquis*

suggestionibus submurmurant (det Deus illis secundum opera sua, & secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.) Sed ut vos reddam cautiores, ad provisionem animæ vestræ, & curam, & ad evitandum periculum, quod jam in foribus est. Et quia nostra specialiter interest providere animæ vestræ, utpote cujus cura & sollicitudo nobis commissa est, cujusq; rationem reddituri sumus in examine districto: hæc audite benignè, & intimeni servitio nostro, prout vobis placuerit: dummodo Deum non offendamus, nec operemur agendo & dissimulando, in animæ vestræ dispendium & nostræ. Quid enim vobis proderit totum mundum lucrari, cùm animæ vestræ periculo? Attendite ubi sunt Imperatores, ubi Reges, & alii Principes: ubi archiepiscopi, & Episcopi, qui nos præcesserunt. Ipsi quidem laboraverunt, & alii in eorum labores introierunt. Quid ultra? Sic transit mundus & ejus gloria. Memorare ergo novissima tua, & in æternum non peccabis: & si peccaveris pœnitentiam ages. Valeat mihi chara gratia vestra, si in vera humilitate, & festinata pœnitentia conversi fueritis ad Dominum Deum vestrum. Valeatis sic iterum, & semper. Hactenus ad Henricum Regem Sanctus Thomas.

XXV. Eodem Spiritus ardore, eodemque tempore, ad Ecclesias sibi subditas literas dictat; & Episcopos, ut pro Ecclesiarum unitate laborent, ut emergentia scandala vitent, ut denique pro subditorum salute vigilent, adhortatur. literarum partem è Vaticano Codice recitat Baronius cum hac epigraphe.

Baron. hic.

THOMAS Dei gratiâ Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, Venerabilibus Fratribus Cantiæ provinciæ Episcopis universis, Salutem.

S. THOMAS ECCLESIIS SUIS

Ad Ephes. 4.

SI *curamus esse quod dicimur.* & post aliqua: *In initio nascentis Ecclesiæ, sicut Beatus docet Apostolus; Christus cælos ascendens, ut impleret omnia; quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Magistros ad instructionem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Neque enim omnia uni committenda erant officia: Sed unum quodque membrum suo donandum erat officio: ita tamen, ut caput, in quo, velut in arce, & quodam capitolio, virtutum omnes congeruntur sensus, universis & singulis provideret, & ei vicissim omnia famularentur, pro ratione conditionis suæ. Doctor gentium, qui gloriatur se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse: sed instructum à à Christo: ascendit Hierosolymam, & cum Ecclesiarum Principe, de Fide consulit, ne fortè in vacuum curreret, vel cucurrisset. Et ut plurimis patet exemplis; singula Evangelii flumina, ad mare, unde orta sunt, redeunt, ut iterum fluant. Siquidem fons paradisi unum est, sed in plurima finditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Ecclesiam, caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claves regni cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in Fide & doctrina Petri, totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem Fidei, & agnitionem Filii Dei,* & post aliqua, de Ecclesiæ Hierarchia hæc habet.

XXVI. *Sed quicumque sit, qui rigat, aut plantat; Dominus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in Fide Petri, & doctrinæ ipsius acquiescit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, & dispositi sub eo in atriis Ecclesiæ magistratus: quatenus qui in partem sollicitudinis asciti sunt, creditam exerceant potestatem. Ut Sacerdos quod in plebe sibi commissa expedire non potest, ad Episcopum referat, qui negotia supra se ad Archiepiscopum reducit, aut Primatem; à quibus quicquid maximum fuerit, Romano Pontifici reservatur. Ordinem hunc Petrus docuit, hûc usque modo Catholica servavit Ecclesia: nec unquam auctore Domino, quicquid molitur iniquitas subvertetur. In regno autem Anglorum (quod sine dolore multo ad mentem reducere, aut sine lacrymis dicere non valemus) multum præsumitur adversus Petrum: Sedis Apostolicæ, quantum in perversis potestatibus est, *attenuatur & periclitatur authoritas: dum illi quos necessitas pro compendio pœnitentia, vel remedio* cavere, aut visitationum debito compellit ad Dominum Papam iter arripere: ab itinere suo præpediuntur, spoliantur, exactantur, arcentur, & transfretare prohibentur: vel ab iis qui occasiones quærunt ut faciant mala, vel coacti illicita de præpediendis clericis, & pœnitentibus præstiterunt sacramenta. Manus itaque violentas mittentes in clericos, facto suo, anathematis condemnationem incurrunt. Inde est quod nos S.R.E. auctoritate utentes, fraternitati vestræ, Apostolica authoritate in virtute obedientiæ, in periculo ordinis vestri, præcipiendo mandamus: quatenus de cætero hoc fieri inhibeatis: & eos, qui in clericos manus violentas injiciunt, publicè excommunicatos denuntietis: & per Episcopatum vestrum denuntiari faciatis: & conterminalibus vestris Coepiscopis, ut hoc ipsum in Episcopatibus suis faciant, Domini Papæ, & nostra præcipiatis authoritate.*

**Attenuatur.*

**Animæ.*

DAMNAT QUI MITTUNT MANUS IN CLERICOS.

XXVII. *Ad hoc, eodem modo, & sub eadem interminatione præcipimus, ut iis, qui appellantes, aut pœnitentes, ad Dominum Papam, vel ad nos tendentes impediunt: aut redeuntes à Domino, vel à nobis, denuntietis quoniam sententiam anathematis incurrunt, tam hi qui hoc faciunt in persona propria, quam Regis officiales, qui ad hoc faciendum impellunt alios. Illos autem qui coacti de transeuntibus impediendis juramenta illicita præstiterunt, ab hoc juramento absolvimus: ut a tanta iniquitate desistant postmodum, & pœnitentes de commisso, Deo discant potiùs, quàm hominibus obedire. Si quis Ecclesiæ suæ justitiam promovens, & Apostolicæ sedi fidem servans dispendia reformidat: meminerit quoniam Ecclesia retinet, quam momentaneas opes, longè tutiùs & utiliùs thesaurizat. Christus qui Ecclesiæ Romanæ præsidet, omnes adversarias cohibet potestates. Et qui potentes potenter punict, omnem decrevit puniri inobedientiam: non humiles tantùm adducens in judicium; sed gloriosos terræ humiliat Ecclesiæ ministerio: adversus quam, nec portæ Inferi prævalebunt. Pudeat vos, dilectissimi, iniqua exercere judicia: ut (juxta quod in nos insultant Proceres regni) si pauper offendit in minimo, illicò a vobis, & officialibus vestris ab Ecclesia excludatur: Si dives committit crimina, non conveniatur vel verbo. Ut in sic decernentes, possit illud, & hinc retorqueri.*

Et tantum miseris irasci numina possunt.

Providete vobis & Ecclesiis vestris: ne si hanc Ecclesiæ Romanæ injuriam dissimulaveritis, merito videamini adversus eam, cum impiis conspirasse: & appellantium præclusisse vias: ut de dispendio ejus vestrorum quæratis compendium. Mementote potius quomodo salvi facti sunt Patres nostri: quomodò, & quibus tribulationibus Ecclesia creverit, & dilatata sit: quas procellas evaserit navis Petri, quæ Christum habet Rectorem.

ITEM QUI IMPEDIUNT APPELLANTES.

Hæc

XXVIII. Hæc & plura ad Suffraganeos Episcopus Sanctus Thomas, qui licèt à Sede exul, & Ecclesiæ suæ beneficio privatus, Pastoris tamen officium, quod Sanctis Pontificibus olim familiare fuit, non deposuit, sed miseram Anglicani regni faciem cernens, ex regiæ pietatis deliquio, Ecclesiam, quoad potuit, sartam tectámque servare procurat. Hinc pro clericorum immunitate, pro Ecclesiarum libertate, pro Romanæ Ecclesiæ prærogativâ, quam peccans Henrici impetus infregerat, tam acriter disputat, excitatque Præsules, ut nihil obstante avitarum consuetudinum pallio, quo peccatum Rex texerat, & Episcopi, irreligiosi juramenti religione protexerant, Ecclesiasticæ severitatis aculeum, in antiquorum Canonum violatores exererent. Videbat enim vir Sanctus jam exilii calamitate θεοδίδακτος, ex Ecclesiastici ordinis, & potestatis neglectu, contemptum gigni, & inde nasciturum monstrum illud, quod Anglorum quoque Fidem vitiando, sacerdotium omne depriment, & novo fœtu novam Fidem, novam Ecclesiam, efformaret. nunc hujus anni reliqua legamus.

XXIX. Joannes nascitur Henrico vocatus *Sans terre*.

Henrico Regi nascitur filius, Joannes nomine: quem parens cognomine, *Sans terre*, gallicè vocavit: non quod terræ filius, sed quia sine terrâ filius esset: nam filiorum ultimò genitum, facetè pater, quasi illi nihil superesset, ita nuncupavit. Brevi tamen titulis, & honoribus, & terræ latifundiis eum in Galliâ, Britanniâque nostrâ honestavit. Nam primò Moritonii (vulgò Mortaigne) Comes, inde Cornubiæ, Glocestriæ, Derbiæ, Lancastriæ Comitatum obtinuit; denique post titulos alios, Hiberniæ Dominus, & mortuo Richardo priùs genito fratre, Rex Angliæ appellatus, de quo plura inferiùs. Ejus natales ad hunc annum retulit Florilegus: *Anno gratia* (inquit) *millesimo centesimo sexagesimo sexto, Alienora Regina Angliæ, in fine anni peperit Ioannem.* Cæterùm quod addit de Thoma excommunicante observatores regiarum consuetudinum, & ejusdem Thomæ à Pontiniaco amotione, licèt hoc anno de eisdem tractatum putem, ut velle videntur Parisiensis, & alii, sequenti tamen anno executioni mandatum, eóque referendum censeo. Interim adverto confusè interdum Henrici Regis prolem, & natales ab authoribus consignari. Joannes Spedus, qui disertè affirmat Joannem Henrici Regis filium, hoc anno nasci, cùm filiarum natales recenset, affirmat etiam, Joannam filiam, eodem anno, nimirum, millesimo centesimo sexagesimo sexto, in lucem prodiisse, sequutus opinor Robertum Abbatem in Chronico, ubi ad hunc annum hæc habet: *Regina Alienora, mense Octobri, Andegavis, peperit filiam, & vocata est in baptismate Ioanna.* Sed rectiùs alii, ad superiorem annum, referunt. Sic Florilegus ibi: *Regina Alienora peperit filiam, quam vocavit Ioannam; Post quam peperit filium, quem vocavit Ioannem.* Filia cùm undecim annorum esset, Guilielmo eo nomine secundo, Siciliæ Regi nupta, cùm Boamundum genuisset, eo, maritóque, per mortem sublato, Raimundum Tolosanum Comitem, conjugem habuit, & ex eo prolem diu superstitem.

Westmonast. hic.

Sigeb. Chronicon.

Westmonast. an. 1165.

Moritur, hoc anno, Robertus cognomento Gorham, Albanensis Abbas, & Magnus monasterii, contra potentissimos adversarios, propugnator, de quo hæc refert Parisiensis: *Cùm Abbas Robertus annis quindecim, & quatuor mensibus, & aliquot diebus, Ecclesiam Sancti Albani sibi commissam, nobiliter rexisset, decimo Kal. Novembris pleuri gravatus, quadam nocte Sabbati, oleo infirmorum, à Venerabili Laurentio Abbate Westmonasterii, qui tunc aderat, perunctus, apparente illius diei aurora ab hac luce subtractus est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo sexto. Ad quem sepeliendum affuerunt Gilbertus Foliotb Londinensis Episcopus, Laurentius Abbas Westmonasterii, Simon tunc Prior Ecclesiæ Sancti Albani. Sepultus est in Capitulo, quod à fundamentis decenter extruxerat, ante pedes Pauli Abbatis: qui primus Pontificalibus redimitus (prout in sarcophago suo marmoreo testatur ipsius imago) dignoscitur in hâc Ecclesiâ. Defuncto autem Abbate, tota Abbatia confiscata, ex præcepto Iudicis regii, sed ejus cura omnis Priori, & Fratri Ada Cellario, aliisque fratribus loci, commissa est ab ipso Iudice Roberto Comite Legriæ.* Ita author. nimirum cùm Thomas Ecclesiæ libertatis vindex dormire cogeretur. Tunc enimvero inimicus homo zizania superseminavit; unde lolia creverunt in agro Dominico, & Laici monasteriorum bona invaserunt, fisco quàm Fidei addictiores. Verùm sicut oportet hæreses esse, ut Fides sit illustrior: ita oportuit scandala nasci, & pessimorum morum ulcera: quo Thomæ Martyris constantia probitas, religióque, per omnia quæ sequerentur sæcula eminerent. Moritur etiam hoc anno Ealredus Abbas Rievallensis, & Sanctorum Confessorum numero ascribitur. Vide Seldenum de Scriptoribus nuper impressis, fol. 27.

XXX. Robertus Gorham Albanensis Abbas moritur. *Paris. in vitis Abbatū.*

ANNUS CHRISTI 1167.

ALEXANDRI III. PAPÆ 9.

HENRICI II. REGIS 13.

I. Fridericus capit Romam; tentat Cardinales ut relinquant Alexandrum Papam. Renuunt illi.

Annus Christi millesimus centesimus sexagesimus septimus, novas in Romanam Ecclesiam turbas aperuit Fridericus Imperator, in schismate persistens, & Alexandro Papæ extrema minatus, Italiam ingreditur, ipsámque Urbem milite cingit. Ecclesiam Principis Apostolorum, toto Orbe venerandam occupat; Cardinales, & Romanum Clerum, sub aureo pacis fuco tentat: eâ lege se Guidonem Cremensem deserturum, si illi Alexandrum quoque exauctorarent: sed prudentiores illi, quantumvis de ruinâ Urbis & Ecclesiarum ageretur, responderunt tamen, quod in simili casu constanter asserendum est, primam Sedem à nemine judicari, omniique humano judicio majorem esse,

Quod benè dictum probavit eventus. Nam Alexander, cujus imprimis caput petebatur, ex Urbe subtractus Deo & Apostolorum Principibus illam commendavit: qui pro Alexandro pugnantes, pestem in Friderici militem immittentes, eum cum ingenti damno ab Urbe recedere coëgerunt. *Quæ considerans nobilis hujus temporis scriptor, Ioannes Saresberiensis* (sunt vecba Baronii) *cujus extat Policratisus, dignum ejus ingenii monimentum, ita de eodem Imperatore philosophatur in Epistola hoc anno scripta ad Oxoniensem* (lego Exoniensem) *Episcopum.*

Baron. hic

II. *Ad momentum, turbinis adversus Ecclesiam malitia debacchatur, & adversus Dominum prævalere videntur impii: quibus brevi Christus, quem persequuntur, sic respondebit ad merita, ut præponderare videatur libra vindictæ, & quos potenter puniet, non tam examinare lance æquitatis, quàm mole magnitudinis prægravare. Non quidem quod injuriam inferat: sed quia sine modo & mensurâ peccantibus, immensam & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quisquam me in longa tempora prophetare: licèt Oraculi divini sicut auctoritas, sic & Fides perpetuentur: cùm planum sit jam aliquatenus inchoatum esse judicium, immo executioni mandari sententiam. Nonne Teutonicus tyrannus nominis sui famâ nuper Orbem perculerat, & ferè subegerat regna vicina, & etiam Imperium Græcorum terrore concusserat: ut magis deditionem, quàm confœderationem legationibus missis videretur offerre. Sed ecce, Domino auctore, timetur minùs, & qui tam vicinos, quàm remotissimos solo nuttu terrebat, Principes Teutonicos suos ab injuriis cohibere non potest. Qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat, & bella; nunc à suis, & inter suos, petitis & acceptis treugis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit, ut Regem Francorum, & Gallicanam Ecclesiam separaret à Fide, & in suam hæresim perverteret, ut adorarent idolum suum, successus ejus relapsi sunt: &, quæ eum extulerat, in depressionem ipsius cœpit fortuna fluctuare. Spes autem Fidelium est, quod ad honorem Dei in brevi ampliùs deprimetur: donec eum omnino Christus, cujus sponsam persequitur, conterat sub pedibus suis.* Quod sequitur in eadem Epistolâ, licèt à Baronio minimè referatur: quia tamen Henricum Regem nostrum tangit, & ejus, ut in pietate, sic in prosperitate deliquium, omitti non debet in Annalibus istis. Ita ergo de illo idem Joannes.

Ioannes Saresb. Ep. 140.

FRIDERICI EXERCITUM PESTIS INVADIT.

ORIGO MALORŪ FRIDERICI.

III. *Nonne & apud Vos* (è Normanniâ in Angliam dictavit Epistolam) *jam judicium exercetur adversus * terrores Ecclesiæ? Intuemini quantus erat Rex Anglorum, cùm parvulus videretur in oculis suis, & ad Ecclesiam Domini speciem Fidei & reverentiæ prætendebat, & planè videbitis eum jam nullo frustratum conatu. Sagitta ejus retrorsum non abiit: clypeus non declinavit in bello, & hasta non est aversa. Super prædam accumbebat ut Leo, ut nullus eum excitare præsumeret. Vel visu terrebat hostes: vicini se inclinabant obsequiis; remoti Principes amicitias expetebant: colebatur à suis, honorabatur ab extraneis; prædicabatur à cunctis; à bonis diligebatur: sed maximè à Clero, qui eum colebat supra vires; pro viribus venerabatur; & unanimi proposito diligebat super amorem mulierum. Quid multa? Rerum expetibilium omnium abundantia, quod ad humanum judicium spectabat, fruebatur, sublato timore & sollicitudine ubi eam non necessitas, aut ratio, sed voluntas, aut impetus ingerebat. Sed quo fine hæc universa Dei dona conclusit? si tamen sine pœnitentiâ, & satisfactione subsisterit in finibus istis, ut singularum Ecclesiarum, quas ante per ignorantiam, ut putabatur, aut sui juris prætextu læserat taceamus, Tolosam bello aggressurus, omnibus contra antiquum morem, & debitam libertatem indixit Ecclesiis, ut pro arbitrio ejus, & satraparum suorum conferrent censum: nec permisit, ut Ecclesia saltem Proceribus coæquarentur, in hac contributione, vel magis exactione tam indebitâ, quam injustâ. Nam Ecclesia in deteriore calculo vertebantur; utpote quæ rebus suis, aut honore videbantur indigna. Sed quem successum attulit hæc pecuniarum immensitas, tantis exactionibus & injuriis acquisita? Nonne projecta est in sacculum pertusum, ut hosti suscipienti proficeret, & effundenti non modò esset inutilis, sed damnosa? Nunquid non ab ea die fortuna ejus retrorsum cessit; & successuum ubertas emarcuit.* Intelligit author Epistolæ censum à Rege indictum anno millesimo ecntesimo quinquagesimo nono, cùm Tolosana expeditio parabatur; de quâ suprà dictum, eo anno, numero decimo septimo. Et tunc Ecclesias ad censum quoque condemnatas fuisse conqueritur; & Albanense monasterium suprà Regio fisco addictum, argumentum est. Fridericus itaque Imperator, & Henricus Rex Ecclesiam persequentes, in malorum successuum participio communicant.

* Tortores.

CUR HENRICI RES LAPSÆ IN PEJUS.

GRAVAT ECCLESIAS.

IV. Thomas interim Cantuariensis Archiepiscopus, pro Alexandro & Romanæ Sedis dignitate solicitus, intellecto Deum, tam Pontificis, quàm Ecclesiæ suæ patrocinium suscepisse, & hostem ab Urbe pestilentiâ fugasse; Alexandro scriptis in hunc modum literis sospitatem gratulatur.

AMANTISSIMO DOMINO, ET PATRI SANCTISSIMO, ALEXANDRO Dei gratia Summo Pontifici, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, miser & miserabilis exul, Salutem, & contra sævitiam Principum semper animi constantiam.

SOLLICITI *de statu & prosperitate vestrâ optaveramus jam pridem certum salutis nuntium accidisse de vobis, & de confratribus vestris: quid etiam egerit vobiscum, & cum Ecclesia, Dei magnificentia. Insonuit enim auribus nostris, & toti Galliæ, verbum quod noviter factum dicitur à Domino: videlicet illum Fridericum schismaticum ignominiosè humiliatum factum sine honore coram populo & gente. Verùm quoniam rumoribus credi oportere, & non oportere fas est, Paternitatem vestram affectuosè sollicitamus; ut recurrente cum literis nuntio, per Vos certissimè audiamus, & congaudeamus, si fecerit vobiscum Deus, quod facere consuevit sperantibus in se, non ponentibus carnem brachium suum, non habentibus fiduciam in Principibus, in quibus non est salus. Si egerit vobiscum, sicut egit cum Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipsum, qua moliebatur demoliri ipsum Ezechiam, cum universâ gente suâ. Si sic se res habet eventus, sicut fama divulgavit: Benedictus Deus qui novit*

S. THOMÆ GRATULATORIA ALEXANDRO PAPÆ OB LIBERATAM CIVITATEM.

facere misericordiam cum servis suis. Ecce quanta Dei potentia, quàm magna ipsius miseratio! Nisi enim ipse custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Non est à sæculo audita virtus Dei manifestior, si rectè pensetur quod evenerit: justitia ipsius justior, qua contrivit ipsos fabricatores hujus malitiæ, tantæ persecutionis authores, consumpsit etiam eos morte famosissimâ. Ipsum utinam jam exprincipem viventem dederit in opprobrium omni populo, in derisum omni transeunti, ut ab omnibus digito monstretur: & fiat de ipso quasi celebre proverbium, more vulgi dicentis: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed confisus in potentia sua, defecit in ipsa vanitate sua. Cui satius fuisset, & gloriosius, apud homines, moriendo succubuisse impugnando suos adversarios; quàm vivendo fieri despectui cunctis, & in derisum. Hæc est Dei virtus, & fortitudo brachii ipsius. Quis ergo audeat de cætero, habens Christi vices in terra; obsequi voluntati Principum, in confusionem Ecclesiæ, non puniendo delinquentes? Audeat qui voluerit, non ego: ne transferatur in me pœna delinquentis: ne judicer culpabilis ex dissimulatione vindictæ: ne transeam in culpam, qui culpam non admisi. Hactenus ille.

V. Animatus igitur sanctus Præsul divina in Fridericum vindicta, statuit Anglicanam Ecclesiam perturbantes, bonaque laica manu tractantes, Ecclesiasticis censuris ad saniorem, si posset, mentem reducere, ratus omnino Deum sibi, ut Alexandro, adfuturum. Nec defuit Alexander pii Præsulis voto: sed quo integriùs constantiùsque quod animo volvebat, perficeret: eum nova Apostolicæ Legationis prærogativa munivit, & hoc rescripto:

ALEXANDER Servus servorum Dei, dilecto fratri THOMÆ Archiepiscopo Cantuariensi; Salutem, & Apostolicam benedictionem.

ALEXANDER PAPA AD S. THOMAM. *apud Baron. hic.*

SAcro-sancta Romana Ecclesia digniores personas, & eas maximè, quas honestate, prudentia, & literatura, & eminentia virtutum præfulgere cognoscit, ampliori consuevit charitate complecti, gloria & honore prævenire. Attendentes itaque devotionis ac fidei constantiam: quâ pro Ecclesia Dei, sicut columna immobilis perstitisti, honestatis ac literaturæ, ac discretionis prudentiam, quâ præeminere dignosceris, nihilominùs considerantes, dignum duximus personam tuam tantarum virtutum insignibus decoratam, quodam speciali privilegio, & singulari prærogativa diligere, & honorare: tuæq; utilitati solita benignitate prospicere, & attentiore sollicitudine providere. Inde est, quod nos tibi legationem totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, benigno favore concedimus: Ut tibi vice nostra corrigas, quæ inveneris corrigenda: & ad honorem Dei, & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint, & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus; quatenus cuncta, cum prudentia & discretione, secundum quod Deus tibi administraverit, agas, vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini studeas complantare. Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.

VI. Monuit etiam aliis literis idem Alexander omnes Angliæ Episcopos de concessa Thomæ Cantuariensi Apostolicæ legationis plenitudine: jussitque Suffraganeos omnes eidem obedire: præcepit insuper denarios S. Petri per provincias colligi, mittique in Urbem: & quoniam Gilberti Londinensis Episcopi, amplissima apud Regem potestas erat, eidem literæ inscribuntur. Testatur hoc ille, scriptis ad Regem literis, quæ in Vaticano Codice ita recitantur:

HENRICO Regi Angliæ, GILBERTUS Londoniensis Episcopus.

GILBERTUS LONDINENSIS AD HENRICUM.

TAnta nos Domine mandatorum moles ad præsens opprimit: tanta se nobis authoritas opponit: ut consilium pariter & auxilium à vobis expetere, summa compellamur necessitate. Nam quod authoritas Apostolica præcipit, hoc appellatio non suspendit; nec adversus ejus mandatum, ullum potest esse remedium: cum quod præcipitur, implere necesse sit, aut inobedientiæ reatum incurrere. Die namque Beati Pauli, cum Londoniis ad altare consisteremus, literas Domini Papæ de manu cujusdam nobis penitùs ignoti suscepimus: quibus legatio in totam Angliam, excepto Eboracensi Episcopatu, Domino Cantuariensi conceditur, & authoritate confirmatur. Omnibus etiam nobis regni ipsius Episcopis, ejusdem auctoritate injungitur; quatenus ei tanquam Apostolicæ Sedis Legato humiliter obediamus: & ad ejus vocationem, absque contradictione conveniamus, & super eis, quæ ad nostrum spectant officium, ei planè respondeamus: & quæ statuerit, firmiter observanda suscipiamus. Adjicitur etiam, ut omnes, qui beneficia clericorum Archiepiscopi, in eorum absentia, mandato vestro perceperunt, ad plenam eorum infra duos menses restitutionem, anathematis sententia, omni appellatione remota, compellamus.

Denarium etiam B. Petri, à fratribus, & Coëpiscopis nostris præcipimur exigere, & nuntiis designandis ad nos integrè consignare. Literas etiam legationis jam dictæ; & literas Archiepiscopi, quas ad plures transmittit Episcopos, ipsis aut mittere, aut præsentare præcipimur, si in nostri status, & ordinis integritate ulteriùs perseverare curamus. Ad pedes itaque sublimitatis vestræ corde prostrati deposcimus, nè ob magna negotia, quæ cura Regia subministrat, respicere desinatis ad nos: sed nè in summam nostri ignominiam, ex toto redigamur in nihilum, pietate Regia provideatis. Quod quidem benè facietis, si mandatis Apostolicis, pace vestra obedire concesseritis: & reddito denario B. Petri; & clericis quæ sua sunt, in misericordia vestra restitutis, Episcopis omnibus mandaveritis, ut si in literis Archiepiscopi, adversus regni consuetudinem gravamen aliquod intellexerint; ad Dominum Papam statim, vel ad Legatos qui diriguntur ad nos, confidenter appellent. Sic enim opus misericordiæ perficietis, & nos ab inobedientiæ reatu conservabitis: & causa nostra, ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione providebitis. Doceat vos Dominus facere voluntatem suam, & eam sublevare moneat, quam ad præsens experimur angustiam. Valeat Dominus meus in Christo charissimus. VII. Ita Londinensis, obediens scilicet mandatis Apostolicis, cum ea, interposita appellatione, declinanda suadet.

Sed Thomam non fugit Londinensis tergiversatio: & causæ bonitate fisus, quamvis exul, & procul à Sede, in Sedis contemptores, bonorúmque Ecclesiæ invasores, excommunicationis sententiam solenni cærimonia tulerat anno superiori. VIII. de quo Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo sexto: Rex Henricus in initio Quadragesimæ, in Normanniam transfretavit.

Paris an. 1166.

S. THOMAS EXCOMMUNICAT MALORŪ INCENTORES.

Quod audiens Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, de Pontiniaco venit Vizeliacum, & in die Dominicæ Aſcenſionis, videntibus cunctis, qui ad diem feſtum convenerant, & populo civitatis, repentè in pulpitum aſcendens, conſuetudinum, quas in regno Anglorum avitas appellant, obſervatores, defenſores, & incentores, candelis excommunicavit accenſis. Et inter cæteros nominatim Richardum de Lucy, Richardum Pictavienſem, Jocelinum de Balul, Alanum de Nevilla, & alios complures.] Cæterùm quod in Gallia factum, nè Epiſcopos Anglorum lateret, Thomas miſſis eò literis, publici juris vim habere voluit: ſic Epiſcopos ad ſecum laborandum, & zizania è medio tollenda exhortans:

THOMAS Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis, Venerabilibus Fratribus ſuis, cæteriſque totius Cantiæ provinciæ Epiſcopis: ſic tranſire per bona temporalia, ut non amittant æterna.

IX. *apud Rogerum fol. 498*

FRatres mei dilectiſſimi, quare non conſurgitis mecum adverſus malignantes? ut quid non ſtatis mecum adverſus operantes iniquitatem? An ignoratis quoniam diſſipabit Dominus oſſa eorum, qui hominibus placent: confundentur quoniam Deus ſprevit eos. Satis novit diſcretio veſtra, quoniam error cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas cum minimè defenditur, opprimitur: videturq́ue, teſte Gregorio, conſentire erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Inde eſt, quod Dominum Regem Angliæ ſatis ſuperq́ue ſuſtinuimus; nec ullum ex eo ſuſtinentia noſtra aſſecuta eſt Eccleſia Dei compendium. Periculoſum & intolerabile de cætero nobis viſum eſt; tantos illius, officialiumq́ue ſuorum, circa Eccleſiam Dei, & eccleſiaſticas perſonas exceſſus, ut hactenus impunitos relinquere: præſertim cùm ſæpiſſimè nuntiis & literis, modiſq́ue aliis, prout decuit, ſtuduerimus eum à perverſo propoſito ſuo revocare. Et quoniam vix ab eo auditi ſumus, nullatenus tamen exauditi, ſcriptum illud, in quo illæ non conſuetudines; ſed pravitates potiùs, quibus perturbatur, & confunditur Anglicana Eccleſia, continentur; ipſiuſq́ue ſcripti auctoritatem, invocata Spiritus Sancti gratia, publicè condemnavimus & caſſavimus: univerſos etiam obſervatores, exactores, conſiliarios, adjutores, ſeu defenſores earum excommunicavimus: omneſq́ue vos Epiſcopos, à promiſſione, qua contra Conſtitutionem Eccleſiaſticam ad earum obſervationem tenebamini, auctoritate Dei, & noſtra abſolvimus.

X. *Quis enim dubitat, Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, & omnium fidelium Patres & Magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, ſi filius Patrem, diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubjugare? & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubjicere; à quo credit, non ſolum in terra, ſed & in cœlis ligari poſſe, & ſolvi? Proinde ne in hujus ſententiæ commiſſum incidatis; auctoritatem ipſius ſcripti, ipſumq́ue ſcriptum, cum pravitatibus, quæ in eo continentur, irritum duximus & caſſavimus, præſertim in his:*

QUAS CONSUETUDINES REGIAS CASSAVIT S. THOMAS.

1. Quòd non appelletur ad Sedem Apoſtolicam ſuper aliqua cauſa, niſi licentia Regis.

2. Quòd non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, exire de regno, & venire ad vocationem Domini Papæ, ſine licentia Regis.

3. Quòd non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege, in capite, ſine licentia Regis: vel terram ipſius, vel officialium ſuorum ſub interdicto ponere.

4. Quòd non liceat Epiſcopo coërcere aliquem de perjurio, vel læſa fide.

5. Quòd Clerici teneantur ad ſecularia judicia.

6. Quòd Laici, ſive Rex, ſive alii tractent cauſas de Eccleſiis, vel Decimis, & alia in hunc modum.

QUOS EXCOMMUNICAVIT S. THOMAS.

Denuntiavimus etiam excommunicatum, & ex nomine excommunicavimus Joannem de Oxeneford, qui in hæreſim damnatam incidit, præſtando juramentum ſchiſmaticis, qui ſchiſma jam ferè emortuum in Alemannia revixit: excommunicando illi nominatiſſimo ſchiſmatico Reginaldo Coloniæ Archiepiſcopo. Et quia contra mandatum Domini Papæ, & noſtrum, Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ ſibi uſurpavit. Quod quidem factum, tum juri contrarium, tum Eccleſiæ Dei exemplo pernicioſum, penitùs caſſavimus, & reddidimus irritum, præcipientes Epiſcopo Sareſberienſi, & Capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis ſui: ne cæterò viſis literis noſtris, ex eo facto eum Decanum haberent.

Similiter Richardum de Iveceſtre denunciavimus excommunicatum & excommunicavimus, ex eo quòd in eandem hæreſim damnatam inciderit, communicando cum Reginaldo Colonienſi Schiſmatico, machinando etiam & fabricando omnia mala cum Schiſmaticis & Teutonicis illis in perniciem Dei, & Eccleſiæ, & præſertim Eccleſiæ Romanæ, ex pacto inter Dominum Regem & ipſum. Excommunicavimus etiam Richardum de Lucy & Jocelinum de Baliol, qui pravitatum illarum auctores & fabricatores extiterunt. Ranulphum etiam de Broc, qui bona Eccleſiæ Cantuarienſis, quæ de jure alimenta ſunt pauperum, occupavit, & detinet: hominesq́ue noſtros tam Eccleſiaſticos, quàm laicos cepit, & in captione detinet. Hugonem quoque de S. Claro, & Thomam filium Bernardi, qui ejuſdem quoque Eccleſiæ Cantuarienſis bona, & poſſeſſiones, abſque noſtra conniventia occupaverunt, & tenent: omneſq́ue etiam qui de cætero, in poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuarienſis, contra voluntatem noſtram & conſenſum, manus violentas extenderint, eadem excommunicationis ſententia innodavimus. XI. Cum huc uſque ſanctus Epiſcopus excommunicatorum nomina, & crimina retexiſſet, ſubdit in Epiſtola Romanorum Pontificum decreta, latam à ſe ſententiam confirmantia: & demum ita concludit: *Tibi autem Frater Epiſcope Londonienſis in virtute obedientiæ injungimus; quatenus literas præſentes aliis Venerabilibus Fratribus Coepiſcopis noſtris omnibus, de provincia noſtra manifeſtes & oſtendas. Valete in Chriſto, & pro nobis orate inſtanter.*

XII. Suprà ſæpè dixi Apoſtolicis viris, & Apoſtolica legatione fungentibus, familiare omni ſæculo fuiſſe, Romanæ Sedi facti, dictique rationem reddere, quò certiùs, ſecuriùſque aut currerent, aut cucurriſſent. Ita Thomas eodem anno Alexandro ſcripſit; quid pro Eccleſiarum libertate egerit, in quos, & quorum anathematis ſententiam intorſerit: Henrici Regis impietatem, odiumque explicat: & ei quidem hactenus pepercitum, proceſſurum tamen ſe ad eandem in illum, niſi reſipiſcat, ſententiam fulminandam, minatur, atque ita loquitur:

Amantissimo Domino, & Patri, Alexandro Dei gratia Summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister, debitam & devotam obedientiam.

S. Thomas ad Alexandrum Papam.

Satis superque satis sustinui, Pater amantissime, correctionem Regis Angliæ, expectans: nec ullum omnino patientia mea fructum obtinui: quinpotius detrimentum & exterminium auctoritatis & libertatis Ecclesiæ Dei, dum incautè sustineo, cumulavi. Conveni eum multoties per nuntios religiosos, & idoneos, & ad debitam satisfactionem frequenter invitavi. Literis etiam, quarum transcripta vobis misi, divinam ei severitatem, & ultionem, nisi resipisceret, intimavi. Ipse verò magis ac magis procedit in deterius, conculcans & deprimens Ecclesiam Dei. Sed & personam meam, & eos qui mecum exulant, adeo persequens, ut etiam beneficia servorum Dei, qui nobis Dei & vestri causa victualia provident, minis & terroribus suis auferre conetur. Scripsit etiam Abbati Cisterciensi: quod sicut Abbatias Ordinis, quæ in ipsius potestate sunt, diligit: ita nos à beneficio, & familiaritate ordinis faciat alienos. Quid multis? Eousque sub patientia nostra, tam ipsius Regis, quam officialium suorum profecit duritia; ut si multitudo virorum, quantumlibet religiosorum, rem vobis, ut est, interpositis etiam juramentis assereret: mirer, si eorum assertioni credulitatem aliquam Vestra Sanctitas adhiberet.

XIII. *Hæc igitur cum anxietate mentis attendens, & periculum tam Regis, quàm vestrum considerans; perniciosas illas, non tam consuetudines, quàm perversitates, vel pravitates, quibus perturbatur, & confunditur Anglicana Ecclesia, scriptum, & auctoritatem scripti, quo fuerant confirmata, publicè condemnavi, tam observatores, quam exactores, & patronos earum, fautores etiam & consiliarios, seu adjutores, quicumque fuerint; sive Clerici, sive laici, generaliter excommunicans: & Episcopos nostros à juramento, quo ad earum observantiam, violenter astricti fuerant, absolvens. Sunt autem hæc, quæ in scripto illo specialiter condemnavi:*

1. *Quòd non appelletur ad Sedem Apostolicam, qualicumque de causa, absque assensu Regis.*
2. *Quòd non liceat Episcopo coërcere aliquem de perjurio, vel fide læsa.*
3. *Quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui tenet aliquid de Rege, in capite: vel terram ejus, vel officialium suorum, sub interdicto ponere, absque licentia Regis.*
4. *Quòd Clerici, vel viri religiosi trahantur ad sæcularia judicia.*
5. *Quòd Laici, sive Rex, sive alii tractent causas de Ecclesiis, vel Decimis.*
6. *Quòd non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo, exire de regno, & venire ad vocationem Domini Papæ, sine licentia Regis: & alia in hunc modum.*

XIV. Quos excommunicavit S. Thomas.

Nominatim autem excommunicavi Ioannem de Oxeneford, qui communicavit schismatico, & excommunicato illi Reginaldo Coloniensi, quique contra mandatum Domini Papæ, & nostrum, usurpavit sibi Decanatum Saresberiensis Ecclesiæ; & in curia Imperatoris pro schismate renovando præstitit juramentum. Similiter & Richardum de Ivecestre denuntiavimus, & excommunicavimus; eò quòd inciderit in eandem hæresim damnatam, communicando famosissimo illi schismatico Coloniensi; machinando, & fabricando omnia mala, cum schismaticis & Teutonicis illis, in perniciem Ecclesiæ Dei, maximè Ecclesiæ Romanæ, ex pactis contractis, inter Regem Angliæ, & ipsos, & Richardum de Lucy, & Iocelinum de Baliol, qui Regiæ tyrannidis fautores, & hæreticorum pravitatum illarum fabricatores extiterunt. Ranulphum etiam de Broc, & Hugonem de S. Claro, & Thomam, filium Bernardi, qui possessiones, & bona Ecclesiæ Cantuariæ, absque licentia, & consensu nostro sibi usurpaverunt. Excommunicavimus etiam omnes, qui in possessiones, & bona Ecclesiæ Cantuariæ, manus contra voluntatem & assensum nostrum extendunt. Ipsum tamen Regem, nondum personaliter excommunicavimus, adhuc expectantes correctionem ejus: quem tamen excommunicare non differemus; nisi celeriter resipuerit; & ex his quæ fecerit, apprehenderit disciplinam. Vt ergo, Beatissime Pater, apostolicæ Sedis auctoritas, & Ecclesiæ Dei libertas, quæ in partibus nostris, tota ferè deperiit, utcumque valeat instaurari: necesse est, & modis omnibus expedit; ut quod à nobis gestum est, ratum omnimodis habeatis, & literis vestris confirmetis. Valeat, & vigeat Sanctitas Vestra. Hæc S. Thomas.

Nondum excommunicavit Regem.

Quod supra dixit scripsisse Henricum Cisterciensibus, ut se à Pontiniaco monasterio, & omni cum eo incolatu, amoverent: ad hunc annum puto referendum. Cum enim integro biennio, cum monachis ibi conversatus, recedere inde coactus est, ut narrat in hunc modum Quadrilogus. [Direxit Rex Anglorum literas ad Generale Capitulum Cistercii: ordini eorum plurimum comminatus, si ulteriùs adversarium suum, apud se retinerent. Quod cùm Archipræsuli nuntiatum fuisset, habito cum suis consilio, mox respondit: nulla ratione se velle; quod sui occasione, ordo læsionem ullam pateretur, vel modicum aliquid damni hospitibus suis eveniret; qui in tam arcto sibi & suis tantam exhibuissent humanitatem. Misit ergò ad gloriosum illum Regem Francorum Ludovicum nuntium, qui de recessu suo à Pontiniaco, & causam recessus ejus, nuntiaret. Quod cùm audisset Rex, plurimum admiratus est: & mox suis, qui aderant, totum retulit quod audierat: & iterando, sic omnibus audientibus: O, inquit, Religio: O Religio, ubi es: Ecce enim quos credebamus sæculo mortuos; & rebus caducis, quas se propter Deum contempsisse profitentur: à Dei opere, quod ceperant convertuntur retrorsum, Dei causam, & pro Dei causa exulantem ejicientes à se: convertens sermonem ad eum qui missus fuerat: Saluta, inquit, Dominum tuum Archipræsulem, & fiducialiter ipsi, nomine meo, nuntia: quod si mundus, & etiam qui videntur mundo mortui, eum deserant: ego tamen eum non deseram. Sed quantumcumque Rex Anglorum, etiamsi Dominicus homo meus sit, adversus eum moliatur, & exerceat ultionem, ego tamen suscipiam propter Deum, & propter justitiam patienter. Nuntiet ergò nobis, ad quemcumque dominationis nostræ locum divertere maluerit, & paratum inveniet. In brevi ergò reverso eo, qui missus fuerat, Archipræsuli, nomine Regis reportata sunt hæc. Qui ad complendum cum suis, peregrinationis suæ tempus residuum; præclaram illam & Regiam civitatem Senonis, à Pontiniaco duodecim milliaribus distantem elegit, tum propter loci plurimam commoditatem; tum propter civium

XV.

Quadrilog. l. 2. c. 16.

Pontiniaco discedit ob minas Henrici.

Ludovicus non probat Pontiniacorum monachorum timiditatem.

laudabilem moralitatem, & devotam præsertim advenis dapsilitatem, dulcémque affabilitatem, & jocundam socialitatem.]

XVI. Sequitur in eodem Authore, quid Thomæ contigerit priùs, quàm à Pontiniaco discederet: quid etiam posteriùs in itinere: & utrobique Deus vario prodigio coronam illi martyrii pollicetur. Sic ergò pergit: [Biennio peregrinationis suæ, Pontiniaci jam expleto, à Pontiniaco discessit. Sed antequam inde progrederetur, divina revelatione confortatus est, cælitùs sibi ostenso indicio, quod ad Ecclesiam suam rediturus erat cum gloria: & inde per martyrii triumphum migraturus ad Dominum. nam quadam die, expletis divinis, aliis recedentibus, cùm juxta altare, in quo divina celebraverat, prostratus proliziùs & devotiùs, more solito, gemitibus & fletibus, preces ad Dominum fudisset: vox de cælo elapsa, sic contestata est: O Thoma, Thoma, Ecclesia mea gloriabitur in sanguine tuo. Sanctus verò respondit: Quis es Domine? Dicit ei Dominus: Ego sum JESUS CHRISTUS, Filius Dei vivi, frater tuus. O utinam Domine glorificeris in sanguine meo: & ait Dominus. Ecclesia mea glorificabitur in sanguine tuo: & tu verè glorificaberis. Ab illâ ergò die firmior in fide, constantior in spe, ferventior in charitate, de tantæ revelationis dignatione effectus, nihil nisi martyrium sitivit, nihil nisi delicias fastidivit. Cúmque territorium Senonense petens, vale jam se deducentibus facturus erupit in lacrymas. quem increpans Venerabilis Abbas loci: Quid agis? inquit: miror virum invictæ constantiæ, fœmineam in mollitiem degenerare. Nunquam rei familiaris necessitas majores expensas exposcit? An comitatus rarior, & famulatus minor lacrymas istas excutiunt? Sed quid poscit tua indigentia, quid nostra facultas supplere possit, ostendatur; & fiet. Respondit Archiepiscopus: Nihil istorum est: Sed quæ de me sunt, finem habent. Dominus servo suo vitæ finem, finisque modum, in visu præteritæ noctis præostendere dignatus est. gladium spiculatoris subterfugere non potero. Ergò, inquit, Abbas subridens, martyrio interibis? Quid esculento, & temulento, & Martyri? Non benè conveniunt, nec in una Sede morantur, calia vini quem potas: & calia martyrii. Fateor (inquit Archiepiscopus) corporis voluptatibus indulgeo. Bonus tamen Dominus, qui justificat impium, & impio dignatus est revelare mysterium.

Quadrilog. l. 2. c. 16.

S. THOMAS HABET REVELATIONEM DE MARTYRIO.

Idem supra. c. 17.

XVII. Cum instaret Abbas, ut seriatim prosequeretur, sic intulit. Domine Abbas, etsi familiaris meus sis; non priùs edisseram, nisi eo pacto, ut secretum teneas, quoad vixero ego. Et Abbas mox pepigit. Et ipse, nocte hac visum est mihi quod in Ecclesiâ (nescio tamen quâ) contra Dominum Regem Anglorum in audientia Domini Papæ, & Cardinalium, pro Ecclesiæ causa contenderim; Domino quidem Papa, parti meæ favente; sed Cardinalibus adversantibus pro Rege contra me: Cum ecce subitò quatuor supervenerunt milites, qui mox rapientes me ab auditorio, in eadem Ecclesia, capitis mei summitatem, ubi coronæ meæ locus erat, excoriarunt: adeóque ut mihi videbatur, angustiabar quod videbar mihi defecisse. Per hanc, ni fallor, revelationem Dei, credo quòd dura morte, sed spero pretiosa, de hoc mundo sum transiturus. Non tamen propter revelationem, pro qua potiùs altissimo quantas valeo gratias ago, sic contristor: sed propter eos doleo, qui secuti sunt me, & tot & tanta sustinuerunt contraria propter me. Certissimè enim scio; quod me percusso, dispergentur quasi oves non habentes pastorem. Hanc eandem Visionem idem retulit Abbati de valle lucenti, amico, & familiari suo; pacto simili, ne videlicet eam cuiquam, donec visionis videret exitum, revelaret. Visionem itaque duobus his Abbatibus retulit, ut ita, ipso eo modo, quo ex revelatione præmonitus fuerat, ex hoc mundo sublato, in ore duorum staret verbum revelationis hoc. Dicti verò Abbates, relatam sibi visionem, omni tempore siluerunt, donec ipsam in cursus sui fine finis confirmaret.

ENISSARET ABBATE REVALATIONEM.

XVIII. Profectus igitur à Pontiniaco Senonas venit, à piæ memoriæ Hugone, tunc Senonensi Archiepiscopo, & à Clero, & populo civitatis, in omni gaudio, & alacritate susceptus, de fisco ad usum necessaria percipiens amplissimè. Rex verò omni tempore, quo ad civitatem veniebat: sicut ubique moris sui erat; primò quidem ad Ecclesiam: & confestim, nisi major detineret causa ad Archipræsulem videndum accelerare consueverat: cujus tunc proliziori eloquio, & consilio, tanquam viri exercitati, & experti negotia Regia tractabantur.] Hæc omnia Quadrilogus: quæ Parisiensis noster ad superiorem annum, paucis & paulò aliter referens, locum, ubi Thomas in Senonensi urbe domicilium fixit, in hunc modum nominat. [Eodem tempore (inquit) Ludovicus Rex Francorum, venit Pontiniacum; & ne quid à Rege Anglorum fieret in Cisterciensis ordinis perniciem; Thomam Cantuariensem Archiepiscopum; cui jam per biennium Pontiniacenses monachi omnem exhibuerant humanitatem, secum Senonas duxit, & apud Sanctam Columbam, ei per annos quatuor sufficientiam in expensis dedit.] De hac Thomæ ad S. Columbam mora dixi tomo secundo, ad annum septingentesimum septuagesimum, occasione Columbæ Anglicanæ Virginis, quam alio nomine Rictrudem appellavi, & à Senonensi Columba Virgine & Martyre differentem dixi. Gallicanum Martyrologium, ad trigesimum primum Decembris, affirmat Cantuariensem Thomam Columbæ Senonensis patrocinio adjutum, ad martyrii agonem inde properasse: Sic enim ibi. [Columba nitore Virginitatis, & martyrii coccino, tota conspicua, ad aquarum vitæ, quæ superuos axes irrigant, fluenta, læta, ovansque evolavit. Ad cujus tumulum cum divinæ gloriæ mirabilia coruscarent, &c. Rodulphus Rex moriens, spolia suæ mortalitatis voluit deponi. Apud quam itidem, ceu potentissimam tutelarem, Sanctus Thomas Cantuariensis, dum cogeretur abesse à diœcesi, quatuor annos in omni pietatis exercitatione commoratus: hinc adjutus faustis ejus præsidiis, ad agonem gloriosum properavit.] Mansit ergò in Senonensi urbe ab hoc anno millesimo centesimo sexagesimo septimo, ad finem prope anni millesimi centesimi septuagesimi, quando, ut dicetur, in Angliam regressus, inde statim Angelorum sodalitio, & Martyrum consortio donatur.

SENONENSES HUMANITER EXCIPIUNT S. THOMAM.

Paris an. 1166.

v. an. 770. n. 14.

Mart. Gall. 31. Decemb.

S. COLUMBA.

XIX. Henricus Rex adhuc in Normanniâ morabatur, cùm Thomas in Ecclesiæ perduelles Anathema

fulmina-

fulminaret: idémque Regi minaretur, scriptis ad eum, & Mathildem Augustam, parentem ejus literis. Timuit meritò Henricus Rex à Christi corpore, & fidelium communione separari: necaliter ictum declinare potuit, nisi communicato cum proceribus consilio, quid facto opus, quæsivisset: nec quæsito potuit satisfieri, nisi avitas consuetudines, quæ turbas moverant, quàsque figere conabatur, primus refigendo infringeret. Quid actum in Procerum congressu, Joannes Saresberiensis in Epistola ad Exoniensem Episcopum, ita declarat: [Accitis nuper ad colloquium Chinonense Magnatibus suis, cum familiaribus, qui rerum malarum industriam habere dignoscuntur, & usum: & sapientes sunt, ut dicant & faciant mala: studiosiùs inquisivit, cum præmissis minis, & obtestatione quamplurimâ: quonam consilio sibi utendum esset adversus Ecclesiam, & Cantuariensi Archiepiscopo gravissimè conquerens, non sine gemitibus, & suspiriis multis: & (ut tunc præsentes postea retulerunt) lacrymatus est dicens; quòd idem Cantuariensis et corpus & animam pariter auferret. Tandem dixit, quòd omnes proditores erant, qui eum adhibitâ operâ & diligentiâ, ab unius hominis infestatione nolebant expedire. Ad hæc Dominus Rothomagensis aliquantulùm excanduit, adversus hæc corripiens eum: mitiùs tamen, more suo, in spiritu lenitatis; cum causa Dei magis exigeret, severitatem & auctoritatem Pontificis, morbo languescentis rationis & fidei fuisse adhibitam. Erat autem dolor acerbior, urgente metu, quem conceperat ex literis, quas dictus Cantuariensis illi, & matri suæ transmiserat. Timebat quidem, & meritò, nè in terram ejus, interdicti, & in personam ejus anathematis sententia citissimè ferretur: & auctoritate, & mandato Summi Pontificis.

Ioan Saresb. Epist. 159.

HENRICUS TIMET EXCOMMUNICATIONEM.

XX. Cum igitur his angustiis premeretur, Lexoviensis Episcopus unum dixit esse remedium, imminentem sententiam appellationis obstaculò præpedire. Et ita nescio quo pacto (nisi quia veritas ventilata plus pollet, & justitia quò magis concutitur, eò ampliùs convalescit) dum Rex per avitas consuetudines Appellationum jus evacuare conatur, magis confirmat: dum ipsemet pro capite suo ad appellandi refugium cogitur evolare. Ab illo ergò consiliò egressi sunt à facie Dei, & Regis sui, Lexoviensis, & Sagiensis Episcopi, ad sæpè dictum Cantuariensem properantes: ut appellatione interpositâ, usque ad octavas Paschæ suspenderent sententiam ejus. Rothomagensis quoque cum eis profectus est, non quidem appellaturus, ut ait: sed de pace, quam desiderabat, tractaturus. Archiepiscopus verò noster in procinctu ferendæ sententiæ constitutus, iter arripuit ad urbem Suessionum, orationis causa, ut Beatæ Virgini; cujus ibi memoria celebris est; & Beato Dransio (ita legitur in magna Patrum Bibliothecâ: Baronius Dransium vocat) sed veriùs Drausio, ad quem confugiunt pugnaturi: & Beato Gregorio Anglicanæ Ecclesiæ fundatori, agonem suum precibus commendaret. Est autem Beatus Dransius gloriosissimus Confessor, qui sicut Franci, & Lotharingi credunt, pugiles qui ad memoriam ejus pernoctant, reddit invictos: ut & de Burgundia, & Italia in tali necessitate confugiatur ad ipsum. nam & Robertus de Munsort ibi pernoctavit adversus Henricum de Essexa dimicaturus. Sic ergò Domino faciente, elusa est sollicitudo Regalium Episcoporum: quia cum venissent Pontiniacum, Archiepiscopum, quem appellarent, non invenerunt: sed frustrati à proposito suo reversi sunt: queruli quod sua consumpserant; laborarant, & non profecerant.]

S. DRAUSIUS.

XXI. Meminit hujus piæ peregrinationis ad S. Drausium, Andræas Saussaius, in suo Martyrologio ad quintum Martii, ubi Drausii festivitas consignatur. & cum dixisset, miraculis eum cælitùs editis refulsisse, quæ perennem excitavere fidelium ad ejus tumulum concursum, mox addit: [Ad quem & Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis martyrium sitiens, jámque extremam adornans pro assertione libertatis Ecclesiæ pugnam, legitur accessisse, orationis causâ; ut suum ei agonem commendaret. morem sequutus eorum, qui pugnaturi, ad tanti opitulatoris patrocinium confugiebant, docente experientia eos, qui ad memoriam ejus devotè pernoctarent, victores semper evadere. Cujus piæ fiduciæ optatam coronidem, egregium Christi athletam recepisse, ostendit gloriosus, quem exinde revexit, suo ex certamine, triumphus.] Ita ille. Sequitur in Joannis Saresberiensis Epistola, ut corroboratus ea oratione Thomas Archiepiscopus; & excommunicationis sententiam in Regem dictaturus; adversam ejusdem Regis valetudinem intellexit, & afflictionem afflicto addere distulit. Sic enim ille: [Archiepiscopus verò, cum in præfatis Sanctorum memoriis triduo pernoctasset: die primâ post Ascensionem, versus Vizelliacum properabat, ut ibi in die Pentecostes, in Regem & suos anathematis sententiam daret. Sed nutu divino contigit, ut dum esset in Ecclesia Reginatensi, sexta feria jam dictam præcedente solemnitatem; nuntiatum ei esset certissimè, & verissimè, quòd Rex Angliæ gravissima laborabat infirmitate: qui & ad colloquium Regis Francorum, quod miro desiderio, & magnis muneribus expetierat, non venerit; sed miserit excusatores Richardum Pictaviensem, & R. de Humez, qui hanc causam absentiæ ejus, præstito juramento, volebant astruere. Hac ergò ratione, cum hoc per nuntium Regis Franciæ innotuisset Archiepiscopo, in Regem ferre sententiam distulit.]

Mart. Gall. 5. Martii.

S. THOMAS PEREGRINATUR AD S. DRAUSIUM.

Ioan Saresb. Epist. 159.

DIFFERT FERRE SENTENTIAM IN INFIRMUM REGEM.

Excommunicavit tamen eo tempore, & die præfixo, Joannem de Oxenford, & alios, de quibus supra: unde magnus fuit animorum motus, missique sunt à Rege in Angliam nuntii, qui Episcopos ad appellandum à Thoma Archiepiscopo commoverent. Testatur hoc idem Joannes Saresberiensis, alia Epistola ad Exoniensem Episcopum, ubi inter cætera: [Quod ad publicum (inquit) statum, hæc multorum assertione vulgata sunt, simul omnes Episcopos ea mandato Regis convenisse: & ne sententia, quam Dominus Papa dictaverat, locum haberet, appellasse contra Archiepiscopum suum: qui pro salute eorum, & libertate Ecclesiæ, facultates raptoribus, fortunam periculis, famam ludibrio, & caput hostilibus gladiis, si res exegerit, objectare non formidat, non erubescit, aut timet. Venerunt ad eum nuper clerici duo, hoc publicantes; & appellantes: unus ex parte Domini Saresberiensis Episcopi, alter ex parte Decani sui, inficiantis omnino se juramentum aliquod præstitisse Imperatori, vel Reginaldo Coloniensi schismatico, in aliquo

EXCOMMUNICAVIT ALIOS.

Idem supra.

XXII.

EPISCOPI APPELLANT A SENTENTIA.

aliquo communicasse. Idem etiam confitens se clericum familiarem de mensa M. Joannis de Oxenefordia, qui clericus Regis est; se Regis ad Archiepiscopum, verbum habere dixit: appellans ex parte, & nomine Regis, & mandato ejus, ut aiebat, eundem Archiepiscopum ad audientiam Domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens qua cantabitur: *Ego sum Pastor bonus.* Archiepiscopus verò ei in hæc verba respondit. Tu cum ignotus nobis sis, nec mandatum, nec literas Regis habeas, & ex communione Domini tui Joannis de Oxeneford, quem excommunicatum esse constat, per literas Domini Papæ excommunicatus sis, appellantis officium implere non potes. Nos autem mandatum Apostolicum exequemur, & Domino authore implebimus.]

XXIII. ARNULPHUS LEXOVIENSIS SUGGESSIT HANC APPELLATIONEM.

Catholicus orbis admiratus est hunc Episcoporum solœcismum, qui è Chinonensi congressu profectus, infecit quoque Anglicanam Ecclesiam. Cæterùm qui in Gallia prudentiores erant, eundem detestati, nescio, cur culpam omnem in Angliæ Clerum conjecerint; cum Arnulphus Lexoviensis, & Sagiensis Gallorum Episcopi, consilium primi non suggesserint modò, sed ut supra visum, executioni mandaverint, ad Thomam, super eo, Pontiniacum profecti. Itaque Joannes Saresberiensis sanctiorem Franciam intellexit tantummodò, cum ait: [Istud Episcoporum (factum) tota Francia miratur, dicens eos oportuisse convenire, ut tractarent de salute Regis sui; quem sicut Imperatorem ex causa schismatis, ita propter Clerum & Ecclesiam, quam collidit, quotidie labefactari conspiciunt. Oportebat quoque eos de liberatione Ecclesiæ & pace solicitari, & operam dare & intelligentiam, quomodo reformaretur pax Clero; non quomodo se & sua sumptibus, laboribus & periculis exponerent, & famam suam deturpantes, imposterum Ecclesiam subjicerent servituti.] Ita conqueritur, qui Thomam in exilium sequutus Joannes Saresberiensis. & meritò. nam qui ab Archiepiscopo suo moniti, ut semuros opponerent, pro domo Dei, & Regi, ut saperet, persuaderent. ipsi contra Præsulem suum versi, pro Rege disputarunt, Anglicanam Ecclesiam, quam Thomas liberam esse cupiebat, servam facientes. & Regiæ voluntatis ancillam. Non hic omnes Ecclesiæ Episcopos pungo: fuerunt enim, qui immunes à factione, pro Thoma dixere, fecerêque. Gilbertum tamen Londinensem non absolvo, qui nomine cæterorum ejusdem suæ factionis, hanc scripsit Epistolam, quam Rogerus noster ita recitat.

Ioan. Saresb. Epist. 169.

XXIV. GILBERTUS LONDINENSIS NOMINE ALIORUM EPISCOP. AD S. THOMAM

Hoved. part. post fol. 509.

Venerabili Patri, & Domino THOMÆ, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, Suffraganei ejusdem Ecclesiæ Episcopi, & personæ per eorundem diœceses locis variis constitutæ debitam subjectionem & obedientiam.

QUa vestro Pater discessu in longinqua, inopinata res ipsius novitate turbata sunt; vestra sperabamus humilitate & prudentiâ, in patis pristina serenitatem, cooperante gratiâ revocari. Erat quidem nobis solatio; quod post discessum vestrum, ad omnes, famâ divulgante, pervenit: Vos scilicet in transmarinis agentem, nil altum sapere: vos in Dominum nostrum Regem, aut regnum ejus, nulla machinatione insurgere: sed sponte susceptum paupertatis onus, cum modestiâ sustinere, lectioni & orationi insistere, præteritorumq́; jacturam temporum, jejuniis, vigiliis, lacrymisq́; redimere; & spiritualibus occupatum studiis, ad perfectum beatitudinis virtutum incrementis ascendere. Ad pacis bona reformanda nos studiis hujusmodi gaudebamus insistere. Ex quibus spes erat, vos in cor Domini Regis nostri hanc posse gratiam desuper evocare. ut vobis iram suam, Regiâ pietate remitteret: & illatas in discessu, & ex discessu vestro injurias, ad cor de cætero non revocaret. Erat amicis vestris & benevolis ad ipsum aliquis accessus, dum hæc de vobis audirentur; & ob conciliandam vobis gratiam supplicantes benignè quemque sustinuit. Iam verò quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxiè revocamus, vos scilicet in eum commonitorium emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ consilium, precesve porrigitis: quo non amicum quid sentitis, aut scribitis, sed intentatis minis interdictum, aut præcisionis elogium, in eum jam dicendum fore, multa severitate proponitis. Quod si quàm durè dictum est, tam fuerit severè completum: quæ turbata sunt, non jam speramus ad pacem redigi: sed in perenne quoddam odium, & inexorabile pertimescimus inflammari. Rerum verò finem prudentia sancta consideret; dans operam sollicitè ut quod prudenter inchoat, bono quoque fine concludat.

XXV. RATIONES, QUIBUS SUADET S. THOMÆ UT DESISTAT AB HOC MODO PROCEDENDI.

Advertat itaque si placet discretio vestra, quò tendat, an conatibus hujusmodi finem queat obtinere, quem optat. Nos quidem his ausis à spe magna cecidimus, & qui pacis obtinenda spem quandoque concepimus, ab ipsis jam spei liminibus gravi quadam desperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conseritur, pro vobis supplicandi locus utique non invenitur. Unde Patri scribimus ex charitate consilium; nè labores laboribus, injurias superaddatis injuriis: sed omissis minis, patientia, & humilitati inserviat: causam suam divinæ clementiæ, Domini sui gratiæ & misericordiæ committat: & sic agendo carbones ignis in multorum capita coacervet & congerat. Accenderetur hoc modo charitas: & quod minæ non poterant, inspirante Domino, bonorumq́; consilio suadente, sola fortasse pietas obtineret. Bonum magis erat de paupertate voluntaria gloriosè laudari: quàm de beneficii ingratitudine, ab omnibus in commune notari. Insedit altè cunctorum mentibus, quàm benignus Dominus noster Rex vobis extiterit: in quam vos gloriam ab exili provexerit; & in familiarem gratiam tam læta vos mente susceperit, ut dominationis suæ loca, quæ à Boreali oceano, Pyreneum usque porrecta sunt, adeò potestati vestræ cuncta subjecerit: ut in his solum hos beatos reputaret opinio; qui in vestris oculis poterant complacere. Et ne vestram gloriam mobilitas posset mundana conterere: vos in his, quæ Dei sunt, voluit immobiliter radicare. Et dissuadente matre sua, regno reclamante, Ecclesia Dei, quoad licuit, suspirante, & ingemiscente: vos in eam, qua præestis, dignitatem modis omnibus studuit sublimare: sperans se de cætero regnare feliciter, & ope vestra, & consilio, summa securitate gaudere. Si ergo securim accipit, unde securitatem sperabat, quæ de vobis erit, in cunctorum ore narratio? Quæ retributionis hactenus inaudita remuneratio, vel rememoratio? Parcatis ergo, si placet, famæ vestræ, parcatis & gloriæ, & humilitate Dominum nostrum, filiumq́; vestrum, charitate vincere studeatis. Ad quod si nostra vos monita, movere nequeunt; debet saltem

Summi

Summi Pontificis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dilectio & fidelitas inclinare. Vobis enim suadere debet è facili; ne quid attentare velitis, quod laborantis jam diu matri vestræ labores augeat: quæ ut multorum inobedientiam deplorantis, in eorum qui obediunt, amissione dolor accrescat.

XXVI. *Quod enim si vestra, quod absit, exacerbatione, vel opera, Dominus noster, quem largitate Domino, populi sequuntur, & regna; à Domino Papa recesserit; ipsumque fortassis adversum vos solatia quærentem, sequi de cætero declinaverit? Ipsum namque in hoc, quæ supplicationes, quæ dona, quot quantáque promissa sollicitant? In Petra, tum hucusque firmus persistit, & totum, quod mundus offerre potest, victor alta mente calcavit. Unum nobis timori est: ut quem oblata divitiæ, & totum quod in hominem gloriæ, pretiosum est, flectere nequiverunt, animi sui valeat indignatio sola subvertere. Quod si per vos acciderit, in threnos Ieremiæ totus ira, & lacrymarum fontem oculis vestris, de cætero negare, nulla quidem ratione poteritis. Revocetis itaque, si placet sublimitatis vestræ, consilium, Domino quidem Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vobis etiam, si placet advertere, modis omnibus, si processerit ob futurum. Sed qui penes vos alta sapiunt, vos fortè hac viæ progredi non permittunt. Hoc tantùm experiri in Dominum nostrum Regem, quis sitis: & in omnia quæ sua sunt, potestatem exercere, quà præcelsis. Quæ nimirum potestas peccanti timenda est, satisfacere volenti formidanda. Dominum verò Regem, non quidem peccasse nunquam dicimus: sed semper Domino paratum satisfacere, dicimus, & prædicamus. Rex à Domino constitutus, paci providere subjectorum per omnia: Ut hanc conservet Ecclesiis & commissis sibi populis, dignitates Regibus ante debitas, & exhibitas sibi vult exhiberi, & exigit. In quo si inter ipsum & vos aliqua oborta est contentio; à Summo super hoc Pontifice, paterna gratia per Venerabiles Fratres nostros, Londoniensem, & Herefordensem Episcopos conventus, & commonitus, non in cælum os suum posuit: sed de omnibus, in quibus Ecclesia, vel Ecclesiastica persona quæcumque se gravatam ostenderit; se non alienum quærere; sed Ecclesiæ regni sui parentum judicio, humiliter & mansuetè respondit. Quod quidem & factis implere paratus est: & dulci repulsat obsequium cum monetur, ut corrigat, si quid offenderit in Deum. Nec solum satisfacere: sed etsi jus exigit, in hoc satis dare paratus est. Sed & satisdare, & satisfacere volentem, Ecclesia se judicio in his, quæ Ecclesiæ sunt, nec in modico subtrahentem, colla Christi jugo subdentem: quo jure, quâ lege, quóve Canone, aut interdicto gravabitis, aut securi, quod absit, Evangelica præcidetis? Non impetu quidem ferri, sed judicio prudenter regi, laudabile est. Unde nostrum omnium una est in commune petitio, ne consilio præcipiti mactare pergatis, & perdere: sed commissis ovibus, ut vitam, ut pacem, ut securitatem habeant, paterna studeatis gratia providere.*

XXVII. *Meret quidem nos omnes, quod in Fratrem nostrum, Dominum Saresberiensem Episcopum, & Decanum ejus, præposterè, ut quidam æstimant, nuper actum audivimus: in quos suspensionis aut damnationis pœnam, ante motam de culpa controversiam, talerem, ut videtur, iracundia, plusquam justitia secuti tramitem, intorsistis. Ordo judiciorum novus hic est, hucusque Legibus & Canonibus, ut speramus, incognitus, damnare primùm, & de culpa postremo cognoscere. Quem ne in Dominum nostrum Regem, & regnum ejus, nec in nos, & commissas nobis Ecclesias, & parochias, in Domini Papæ damnum, & S. R. E. dedecus & detrimentum, vestraque confusionis argumentum non modicum exercere tentetis, & extendere: remedium vobis appellationis opponimus: & qui contra metum gravaminum, in facie Ecclesiæ, viva jam dudum voce, ad Dominum Papam appellavimus; iterato jam nunc ad ipsum scripto etiam appellamus: & appellationi terminum, diem Dominicæ Ascensionis designamus: quanta quidem possumus devotione supplicantes: ut inito salubriori consilio, vestris ac nostris laboribus expensisque, parcatis: causamque vestram, in hoc, ut remedium habere queat, ponere studeatis. Valere vos optamus in Domino Pater.* Hæc omnia Londinensis Episcopus comprovincialium suorum collegarum nomine. Ad quæ sanctus Thomas, Apostolico prorsus spiritu: non Regis, ut illi; sed Dei & Ecclesiæ causam agens respondit in hunc modum:

THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister: GILBERTO Episcopo Londoniensi: Quod semel, hoc iterum: Sic transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.

MIrandum & vehementer stupendum est, virum prudentem, sacris literis eruditum, præsertim religionem habitu præferentem; adeo manifestè, ne dicam irreverenter, & timore Dei postposito, adversari veritati, justitiæ resistere, & ad omne fas, nefásque contundendum, statum sanctæ Ecclesiæ, quam ipse fundavit altissimus, velle evertere. Veritas enim est, quæ dicit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Non sani igitur capitis esse dignoscitur, qui intendat ei ruinam; & homini similis, montem magnum fune circumligatum, tentanti dejicere. Sed nunquid ira vel odio deferbui, ut exacerbatus jaculari compellar hujusmodi verba, in fratrem meum, & collegam, & Coepiscopum meum? Absit. Sed de literis tuis, quas per Archidiaconum tuum destinatas accepi, talia collegi. Neque enim de spinis uvas, aut de tribulis ficus colligere potui. Ut clareat, an ita sit, proponamus eas; & continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio, similitudinem scorpionis conformat. Illud blandiens ad nos ingreditur: ille pungens nos acerbè, silentium nobis imponere machinatur. Quid enim aliud est, primò recognoscere debitam nobis subjectionem, & subjectioni cohærentem obedientiam promittere: demùm nè obedire debeas, ad appellationem convolare? Nunquid apud me sunt, est, & non dicit Apostolus? Sed neque apud Apostoli deberent esse discipulum. Necessariò acceperunt discipuli à Domino potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones. Habitat Ezechiel * & hodie cum scorpionibus.

XXVIII. S. THOMAS GILBERTO LONDINEN. RESPONDET. *apud Hoved. par. post. fol. 507.*

CULPAT EUM, QUÒD OBEDIENTIAM PRÆTENDAT, ET FUGIAT AD APPELLATIONEM.

Ezechiel. 1.

XXIX. Et illud vide quo sensu dixeris: Ad appellationis remedium confugimus. Christi sequelam te dicis: in hoc dicto secùs inveniris. Omnium enim malórum nostrorum efficax, immo efficacissimum remedium, commendavit nobis Christus, obedientiam; non solùm verbo, sed evidentissimo exemplo, factus obediens Patri suo, usque ad mortem; & tu quâ fronte appellas remedium, obedientiæ impedimentum? Quod non remedium, sed detrimentum rectiùs habet nomi-

nari. Sed & hoc quâ fiduciâ præſumis? Sperâſne te habiturum defenſorem, ad non obediendum illi, qui vindicandi in omnem inobedientiam, & officium accepit, & præceptum? Malè hoc eſt ſperare de eo, & in ipſum graviter offendere. Poterant & retardare ab hujuſmodi præſumptione, quas jam paſſus es, prima & ſecunda repulſio. Viva quippe vox tua primùm, & deinde literæ tuæ ad perſuadendum compoſitæ, expertæ ſunt, quàm firmiter ſtet; quàm veraciter ſit Vicarius Petri: quem non precibus, non donis, non commonitionibus vel promiſſis, movere potuiſti. Sed tertiò attentandus eſt ut Domini ſui exemplo tertiâ attentatione triumphum reportet. Porrò ut nihil deeſſet gravaminis, defixiſti terminum tuæ appellationi, anni ferè ſpatium. Nec miſertus es noſtri exilii, vel laboris ſanctæ Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, quam ipſe ſuo ſanguine acquiſivit. Et ut hæc mittam (non omittenda tamen) providere debueras, cui te favere dicis, Domino noſtro Regi: qui quamdiu ſic aget in nos, vel in Eccleſiam Chriſti; nec ad bella procedere, nec in pace degere, ſine periculo animæ ſuæ poterit. Ad reliqua tranſeamus.

XXX. Reſpondet S. Thomas de fuga ſua comminatorio.

Quædam turbata eſſe commemoras in diſceſſu, & ex diſceſſu noſtro. Timeant hujus perturbationis auctores, & conſiliarii, nè & ipſi perturbentur. Magnis me laudibus extollis, quaſi de bono principio meæ peregrinationis. Et quidem ſapientis eſt, famam non negligere: ſed diſcreti eſt, nulli magis de ſe, quàm ſibi credere. De injuriis inſimulor, quaſi illatis Domino noſtro Regi. Sed quia nullam deſignas ex nomine: nec ego ſcio, cui reſpondere debeam. Quia ergo ſuperficie-tenùs accuſor, ſuperficie-tenùs in hac parte me excuſo. Hoc tamen interim accipe reſponſum: quia nullius mihi conſcius ſum, nec propterea juſtificatus ſum. De comminatorio miraris, quod nos in eum emiſimus. Quis pater videt filium aberrare, & tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Deſperat Pater de filio, quem comminatione non corripit, vel flagello. Abſit autem, ut tecum ſentiamus, Dominum noſtrum impatientem correptionis, ad exterminationem apoſtaſiæ lapſurum. Non enim Patris cæleſtis plantatio eradicabitur. Navem concutit ſæviſſima tempeſtas; clavum teneo, & ad ſummum me vocas? Congeris & ſtatuis ante oculos noſtros beneficia nobis à Domino noſtro Rege collata: & de exili me commemoras ad ſumma provectum. Ut autem hinc aliquantiſper reſpondeam: in inſipientia mea tamen, de quam exili putas? Si tempus, quo miniſterio ſuo me præſtituit, reſpicias:

Genealogiam ſuam oſtendit.

Archidiaconatus Cantuarienſis, Præpoſitura Beverlaci, plurimæ Eccleſiæ, Præbendæ nonnullæ, alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant poſſeſſio, tunc temporis, adeo tenuem, ut dicis, quantum ad ea quæ mundi ſunt, contradicunt me fuiſſe. Quod ſi ad generis mei radicem, & progenitores meos intenderis, cives quidem fuerunt Londoniæ, in medio concivium ſuorum habitantes ſine querelâ, nec omnino infimi. Sed ut aliquando mundi tenebris ſemotis judicemur à lumine veritatis: Quid glorioſius, naſci de mediocribus, vel etiam infimis; an de mundi magnatibus, & honoratis? cum dicat Apoſtolus: *Inhoneſtiora corporis noſtri membra, abundantiori circumdamus honore.* **1. Cor. 12.** Stemmata quid faciunt? ait gentilis Poëta. Quid habet dicere Chriſtianus Epiſcopus, literatus & religioſus?

XXXI. Gratiam Regis æſtimat, ſalvo jure Dei.

Sed fortaſſis de exiguitatis meæ memoriâ notam confuſionis mihi objicere voluiſti. Confundere autem Patrem, quantum cedat in reatum, ipſe videris ex præcepto Domini, quod de honorando Patre accepiſti. Pro gratiâ verò Regis nobis commendandâ, commemoratione beneficiorum ejus, non multum fuit laborandum. Teſtem enim Dominum invoco: nihil ſub Sole me gratiæ ipſius, & ſaluti præponere: tantum ſalva ſint, quæ Dei ſunt, & ſanctæ Eccleſiæ. Non enim aliter feliciter regnare poterit, vel ſecurè. Eſto, quia ita eſt. multò ſunt plura & ampliora, quàm tua explicet oratio, beneficia ejus erga me. Debuine pro his omnibus, vel etiam ſi conduplicarentur, Eccleſiæ Dei libertatem exponere? Quantò minùs pro famæ meæ, quæ ſæpiùs à vero deviat, conſervatione. Si mitiùs in alios egi: in hoc, nec tibi, nec aliis parco, neque Angelo, ſi deſcenderit de cælo. Sed ſtatim ut audiero talia commonentem audiet ex me: Vade retro Satana: non ſapis quæ Dei ſunt. Abſit à me iſta dementia: avertat à me Dominus amentiam iſtam: ut aliquatenus perſuadeat aliquibus tergiverſationibus inire commercium de corpore Chriſti: Unde ego Judæ venditori, & Dominus meus Judæis aſſimiletur, emptoribus Chriſti. De Promotione verò meâ, quam ſcribis factam, matre Domini noſtri diſſuadente, regno reclamante, Eccleſia Dei, quoad licuit, ſuſpirante, hæc tibi reſpondeo. Quod ad regni reclamationem, non audivimus, ſed potiùs acclamationem. Diſſuaſio verò genitricis Domini noſtri ſi fuit, uſque ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri, aliquas Eccleſiaſticas perſonas ad eandem promotionem, ut ſolet, aſpirantes ſuſpiraſſe: cum ſe ſentirent ab eâ, quam conceperant, ſpe decidere. Qui & hodie in ultionem ſui caſus, præſentis diſſenſionis auctores ſunt, & conſiliarii. Sed væ illi per quem ſcandalum venit. Prætaxatis verò obſtaculis, & aliis, ſi quæ fuerunt, divina prævaluit diſpenſatio, ut eſt hodie cernere. Exigat itaque ab eo, qui eſt ipſa juſtitia, nulli omnino eum poſtponere; qui me ſtatuit in gradu iſto, ſua miſeratione. Illud etiam qood ad juſtificandum Dominum Regem videris propoſuiſſe, judicavimus non prætereundum leviter, vel abſque diſcuſſione. Et utinam à juſtitia non diſſentiret, & noſtra adverſus eum minùs juſta appareret querela.

XXXII. Oſtendit Regem non eſſe paratum ad ſatisfaciendum.

Dicis enim ipſum eſſe ad ſatisfaciendum, & ſemper fuiſſe, paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te aſſeris prædicare. Suſtine igitur pauliſper, & ad interrogata reſponde. Illud quod dicis paratum eſſe ad ſatisfaciendum, quo ſenſo intelligis? Illos, quorum ſe Deus dicit patrem, & judicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes, & omnino hujus, quæ nos movet, controverſiæ ignaros, vides proſcribi, & taces. Clericos exterminari, & non reclamas. Alios bonis ſuis ſpoliari, & contumeliis affici: & non contradicis. Servientes meos in vincula conjici, & teneri: & obmuteſcis. Matris tuæ Cantuarienſis Eccleſiæ bona diripi: & non reſiſtis: me Patrem tuum gladios cervici meæ jamjam imminentes vix evaſiſſe: & non doles. Sed quod deterius eſt, cum perſecutoribus meis, & in me, Deo, & Eccleſiæ ipſius, & hoc non in occulto, ſtare non erubeſcis.

erubescis. Estne hoc satisfacere, perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adjicere? Sed fortassis illud in contrarium intelligis: ut sit hoc satisfacere, voluntati impiorum deservire, secundùm illud: Inebriabo sagittas meas sanguine. Sed dicis mihi: Pater mi, de quibus me calumniaris: absolvo me paucis: tunicæ meæ timeo. Verum est, mi Fili, & nimis verum, quod respondes, & ideo gladium non habes. Quod enim scribis ipsum paratum stare judicio regni sui, quasi condigna satisfactio sit hæc: Quis est in terra, vel etiam in cælo, qui de divina dispensatione præsumat judicare. Humana judicentur; divina penitùs inconcussa remaneant, & relinquantur. Quantò meliùs, Frater mi, illi salubriùs, tibi securiùs, intimare ei, persuadere omnibus modis elaborares, voluntatem Dei, de conservanda pace Ecclesiæ suæ, de non appetendis his, quæ concessa non sunt ejus administrationi, de honorandis Sacerdotibus Dei, nec qui sunt, attendat; sed cujus servi sunt.

XXXIII. In Saresberiensem Episcopum, & Joannem Oxenefordensem, non Decanum, ut dicis, sed Decanatus invasorem, me præjudicio abusum calumniaris; sed meminisse debuisti, quædam manifesta præcedere ad judicium. Et motum te dicis; Quidni? Ucalegon trepidat, paries cum proximus ardet. Et utinam benè movearis ab eo, in quo non benè stetisti. Sciat ergò, & intelligat, te intimante, Dominus meus: quod qui dominatur in regno hominum, sed & Angelorum; duas sub se potestates ordinavit, Principes & Sacerdotes. Unam terrenam, alteram spiritualem: unam ministrantem; alteram præeminentem: unam cui potentiam concessit; alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui verò his, vel illis, de suo jure subtrahit, Dei ordinationi resistit. Non indignetur itaque Dominus noster deferre illis, quibus omnium summus deferre non dedignatur, Deos appellans eos sæpiùs in sacris literis. Sic enim dicit: *Ego dixi, Dii estis.* & iterum: *Constitui te Deum Pharaonis.* &: *Diis non detrahes*, id est, *Sacerdotibus*. Et de eo qui juraturus erat, loquens per Moysen ait: *Applica illum ad Deos*, id est, *Sacerdotes*. Nec præsumat Dominus noster Judices suos velle judicare: terrenis enim potestatibus non sunt commissæ claves regni cælorum, sed Sacerdotibus. Ideo scriptum est: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini est.* Et Paulus etiam dicit: *Nonne Angelos judicabimus, quantò magis homines?*

Psalm. 81.
Exodi 9.
Exodi 22.
Ibidem.
Malach. 2.

XXXIV. Illud etiam, te suggerente, commemoretur Domino nostro, dignum memoria, & imitatione, quod in Ecclesiastica legimus historia, de Constantino Imperatore; cui cùm oblatæ fuissent scripto accusationes, contra Episcopos; accusationis quidem libellos accepit: & accusatos convocans, in eorum conspectu eosdem incendit, dicens: Vos Dii estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est, ut nos homines judicemus Deos. O Magnum Imperatorem! O discretè regnantem in terra, quæ aliena sunt, fraude non usurpantem, & regnum æternum in cælo promerentem! Studeat itaque Dominus noster tantum, tam discretum, tam felicem imitari Principem: cujus & memoria laudabilis frequentatur in terris; & vita perpetua, & gloriosa habetur in cælis. Alioquin timeat, quod in Deuteronomio Dominus minatus est, dicens: *Homo quicumque fecerit in superbiâ, ut non exaudiat Sacerdotem, ante Judicem morietur.* Ad hoc enim vocatus est, & in hoc ipsum temporalis regni pax, & magnificentia, de quâ nos commones, ministratur ei de cælo. Alioquin non salvatur Rex per multam virtutem; etsi subdantur ei regna, & inclinentur nationes. Sed hæc hactenus. Quoscumque autem prætaxatarum habuisti conscriptores literarum, quod tibi responsum est, noverint sibi esse responsum. De cætero, fratres commoneo vos, rogo, & obsecro, ut nos non separent schismata, nec obnubilent simultates: sed sit nobis in Domino cor unum, & anima una: & audiamus illum, qui dixit: *Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem certa pro justitiâ, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Non obliviscamur illum districtum Judicem, ante cujus tribunal constitutos sola nos veritas judicabit, amoto timore, & fiduciâ, omnis terrenæ potestatis. Valeat in Domino fraternitas vestra.] Hæc S. Thomas ad Londinensem Episcopum, qui præ cæteris meritò arguendus erat. Licet plures in factionem illam, Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico perniciosissimam coiverint. Quique sub idem tempus, Appellationem prosequentes, has Alexandro Papæ literas porrexerunt.

CŌSTANTINI FACTUM IN ACCUSATIONIBUS EPISCOPI.

Deut. 17.
Eccli. 4.

Patri suo, & Domino, Summo Pontifici ALEXANDRO, Provinciæ Cantuariensis Episcopi, & Personæ, per eorundem diœceses, locis plurimis constitutæ, Domino Patrique debitum Charitatis, & obedientiæ famulatum.

apud Hoveden. f. 511.

XXXV. EPISCOPI AD ALEXANDRŪ PAPAM: REGEM DEFENDUNT.

VEstram, Pater, meminisse credimus excellentiam, vos devotum Filium vestrum, Dominumque nostrum charissimum, Illustremque Regem Anglorum per Venerabiles Fratres nostros Londoniensem, & Herefordensem Episcopos, directis jamdudum literis convenisse, & de corrigendis quibusdam, quæ Sanctitati vestræ in ipsius regno corrigenda videbantur, Paternâ gratiâ commonuisse. Qui mandatum vestrum debitâ reverentiâ suscipiens, ut satis notum est, ad Vestra quidem mandata, non iratus intumuit, non elatus obedire contempsit; verùm gratias agens paternæ correptioni, Ecclesiæ se statim submisit examini: asserens de singulis quæ juxta vestri formam mandati, sibi diligenter expressa fuerunt, Ecclesiæ regni sui se pariturum judicio: & quæ corrigenda decerneret, ipsius se consilio, laudabili quidem, & in Principe dignè commendabili devotione correcturum. Ab hoc verò non recedit proposito, nec mentem revocat à promisso: sed qui sedeat, qui cognoscat, & judicet. Ipse divini reverentia timoris, non majestatem præferens, sed ut Filius obediens judicio sistere, legitiméque parere sententiæ, seque legibus alligatum Principem præsto est in omnibus exhibere filium obedientem. Unde nec interdicto, nec minis, nec maledictionum aculeis ad satisfactionem urgere necesse est, divinarum se legum examini subdentem. Ejus enim opera, nequaquam se luci substrahunt: nec occultari tenebris aliquâ ratione deposcunt. Rex namque fide Christianissimus, in copulâ castimoniæ conjugalis honestissimus, pacis & justitiæ conservator, & dilatator incomparabiliter strenuissimus, hoc votis agit totis,

in his fervet desideriis, ut de regno suo tollantur scandala, cum spurcitiis suis eliminentur peccata, pax eorum obtineat atque justitia, & altâ securitate, & quiete placitâ, sub ipso gaudeant, & refloreant universa.

XXXVI. *Qui cum pacem regni sui, enormi insolentium quorundam Clericorum excessu non mediocriter turbari aliquando cognosceret: Clero debitam exhibens reverentiam, eorundem excessus, ad Ecclesiæ judices retulit Episcopos; ut gladius gladio subveniret: & pacem, quam regebat, & fovebat in populo, spiritualis potestas fundaret, & solidaret in Clero. Quâ in re partis utrinsque zelus innotuit: Episcoporum in hoc stante judicio; ut homicidium, & si quod hujusmodi est, exauctoratione solâ puniretur in Clero. Rege verò existimante pœnam hanc non condignè respondere flagitio; nec stabiliendæ paci benè prospici, si Lector, aut Acoluthus perimat, quàm præclara nitentem virum religione, vel dignitate, ut sola jam dicti ordinis amissione tutus existat. Clero itaque statuto cœlitus ordine deferente; Domino Rege peccatum justo (ut sperat) odio persequente: & pacem altiùs radicare intendente: sancta quædam oborta est contentio, quàm excusat (ut credimus) apud Dominum simplex utriusque partis intuitio. Hinc non dominationis ambitu, non opprimendæ Ecclesiasticæ libertatis intuitu; sed solidandæ pacis affectu, eò progressus est, ut regni sui consuetudines, & dignitates Regibus ante se, in regno Angliæ, à personis Ecclesiasticis observatas, & pacificè, & reverenter exhibitas, Dominus noster Rex deduci vellet in medium: & ne super his contentionis funis traheretur in posterum, notitia publica delegari. Adjurati itaque per fidem, & per eam quæ in Deum spes est, majoribus natu Episcopis, aliisq; regni majoribus retroacti temporis insinuato statu, dignitates requisitæ palam prolatæ sunt, & summorum in regno virorum testimoniis propalatæ. Hæc est Domini nostri Regis in Ecclesiam Dei, toto orbe declamata crudelitas: hæc ab eo persecutio: hæc opera ejus inter nos, vel undique divulgata malignitas.*

XXXVII. *In his tamen omnibus, si quid periculosum animæ, si quid ignominiosum Ecclesiæ continetur, id vestra monitus atque motus auctoritate, ob reverentiam Christi, ob Ecclesiæ sanctæ, quam sibi matrem profitetur, honorificentiam, ob animæ suæ remedium, Ecclesiæ regni sui consilio se correcturum devotione sanctissimâ jam diu pollicitus est, & constantissimè pollicetur. Et quidem pacis optatum finem, nostra, Pater, ut speramus, obtinuisset jam postulatio; si non iras jam sopitas, & ferè prorsus extinctas, Patris nostri Domini Cantuariensis de novo suscitasset exacerbatio. Verùm hic, de cujus patientia pacem, de cujus modestia redintegrationem hucusque gratiæ sperabamus: ipsum quem monitu emollire, quem meritis & mansuetudine superare debuerat, per tristes & terribiles literas, devotionem Patris, aut Pontificis patientiam minimè redolentes; cum in pacis perturbatores exercitum nuper ageret, durè satis & irreverenter aggressus est. In ipsum excommunicationis sententiam, in regnum ejus interdicti pœnam acerrimè comminando: cujus si sic remuneratur humilitas; quid in contumacem statuetur? Si sic æstimatur obediendi prompta devotio, in obstinatam perversitatem, quonam modo vindicabitur. Minis quoque gravibus superaddita sunt graviora. Quosdam namque fideles, & familiares Domini Regis, primarios regni proceres, regiis specialiter assistentes secretis, in quorum manu consilia Regis, & regni negotia disponuntur; non citatos, non defensos, non, ut aiunt, culpæ sibi conscios, non convictos, aut confessos, excommunicationis innodavit sententiâ, & excommunicatos publicè denuntiavit.*

XXXVIII. *Adjecit etiam, ut Venerabilem Fratrem nostrum Salesberiensem Episcopum absentem & indefensum, non confessum, aut convictum, Sacerdotali prius, & Episcopali suspenderet officio; quam suspensionis ejus causa, comprovincialium, aut aliquorum etiam fuisset arbitrio comprobata. Si hic ergo judiciorum ordo circa Regem, circa regnum, tam præposterè, ne dicamus inordinatè, processerit, quidnam consequi posse putabimus? Dies enim mali sunt, & occasionem habentes malignandi quamplurimam: nisi ut tenor pacis, & gratiæ, quo Regnum & Sacerdotium, usque modo cohærent, abrumpatur: & nos commisso nobis Clero in dispersionem abeamus exilii, aut à vestra, quod absit, fidelitate recedentes ad schismatis malum, in abyssum iniquitatis & inobedientiæ pervolvamur. Compendiosissima quippe via hæc est ad omne religionis dispendium, ad Cleri pariter populiq; subversionem, & interitum. Unde ne Apostolatus vestri tempore, tam miserè subvertatur Ecclesia: ne Dominus noster Rex, & serviens ei populus, à vestrâ quod absit avertantur obedientia: ne totum, quod privatorum consilio machinatur, possit nos Dominus Cantuariensis iracundia adversum eum, & ejus mandata, Domino nostro Regi, aut regno ejus, nobis, aut commissis nobis Ecclesiis gravamen aliquod importantia: ad sublimitatem vestram voce & scripto appellavimus: & appellationi terminum diem Ascensionis Dominicæ designavimus: eligentes apud Vos, in omne quod Sanctitati Vestræ placuerit humiliari; quàm ad sublimes ipsius animi motus, nostris non id exigentibus meritis, de die in diem tædiosissimè prægravari. Conservet incolumitatem vestram Ecclesiæ suæ in longa tempora profuturam Omnipotens Dominus, in Christo dilecte Pater.*

XXXIX. Ita Thomæ causam denigrantes, suam Episcopi dealbaverunt. fefellisset incautos hæc verborum superficies, primisque oculis Regis innocentia, Episcoporum Regi studentium pietas, & stabiliendæ pacis cupiditas arrideret. Sed qui penitiùs rem inspiceret, Regi regnóque, quàm Ecclesiæ, studiosiores Episcopos facilè advertet. Quòd si viderit (& quis non videt?) causam omnem ad Anglicanæ Ecclesiæ tribunal trahi; ubi factiosissimus quisque, & Regiæ voluntatis asseclæ sessuri erant; atque ita Romanæ Ecclesiæ authoritatem declinari. timebit enimverò prologum esse, ad miserrimam illam Ecclesiæ servitutem, quam Henrico ultimo regnante servivit Insula: cum avitarum consuetudinum prætextu, & applaudentium consiliariorum assensu, Rex fieri voluit Anglicanæ Caput Ecclesiæ. Vidit hoc Alexander, oculatus Pontifex, & noluit Thomæ causam ad inimicum tribunal sisti; aut gravissimam Ecclesiæ causam, ab eorum ore pendere, qui Regi regnique omnem, nullum sacerdotio famulatum exhiberent. Admissa tamen est appellatio: expectavitque Alexander appellationis terminum, & præsentiam appellantium Episcoporum: quibus ad diem non comparentibus, Thomæ Archiepiscopi latam supra excommunicationis sententiam confirmavit. Id enim affirmat Joannes Saresberiensis in Epistola ad S. Thomam: ubi inter cætera scribit. [Sicut mihi ab Urbe significatum est, & ego vobis scripsisse me memini: Dominus Papa jam vestram sententiam consumavit; immò suam vindicavit injuriam.]

Hæc fuerunt præludia ad Henricum VIII.

Alexander confirmat excommunicationem latam a S. Thoma.

Cæterùm

XL. Qui invidebant S. Thomæ Primatui.

Cæterùm quod supradictis Episcoporum literis inscribitur, omnium Cantuariensis provinciæ Episcoporum nomine, & personarum per eorundem diœceses variis in locis constitutarum, datas esse; Hedera est, quâ veritas nunquam indiget, nec venustate sua, & sine fuco venale est. Licet enim Gilbertus Londinensis, qui in Galliâ olim docuerat: licet Jocelinus Saresberiensis, patria Longobardus, licet Robertus de Melun, externus homo, Herefordensis Episcopus, & alii pauci horum authoritate ducti, passim è Normanniâ ad Anglorum Ecclesiam consecrati; Thomæ, natione Anglo, & primo inter Anglos Cantuariensi Archiepiscopo, primatum fortè inviderent: Alii tamen, & plures fuerunt, qui Anglicanæ Ecclesiæ libertati consulentes, & pro Thoma stantes; tristissimam servitutem horruerunt: & licet pro veritate loqui importunum illis videretur, silentio tamen adversariam factionem damnaverunt. Sic literarum inscriptionem intellexit Joannes Saresberiensis in Epistola centesima octogesima sexta, ubi Sanctum Thomam, inter alia, sic alloquitur,

Joan Saresb. Epist. 186.

[Non tamen arbitror omnes Episcopos, sicut nec personas in diœcesibus constitutas, quas fallax claudit inscriptio, huic* militiæ consentire. cùm certum sit, aut saltem videatur esse probabile. in tantâ Ecclesiâ octodecim Episcopatuum, adhuc inveniri vel illos decem, quorum contemplatione Dominus Insulæ parcit: nè cum sororibus suis, quarum imitatur luxuriam & impietatem, funditùs deleatur. Licet enim aliqui plus justo taceant, & quacumque consideratione dissimulent. Credo tamen aliquos in Episcopis, & multas personas, de puritate fidei, & conscientia bonorum operum sperare, & expectare regnum Dei.] Ita ille.

XLI. Interim Alexander Papa, Thomam pro Ecclesiâ pugnantem suis literis consolatur: anathematis sententiam; quam in Saresberiensem Episcopum tulerat, probat, & omnes Angliæ Episcopos monet pro Cantuariensis Ecclesiæ dignitate vigilare. Ad Thomam ita scribit:

Alexander ad S. Thomam. *apud Baron. hic.*

E*x tuis jam pridem, & certa multorum relatione cognovimus, quod tu in Iocelinum Saresberiensem Episcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti sententiam protulisti. Ipse verò licet super hoc ad nostram audientiam appellasset, & Dominicam quâ cantatur:* Ego sum Pastor bonus. *proximè tunc venturam, appellationi suæ terminum præfixisset; eodem instante, nec venit, nec ad nos aliquem pro se responsalem transmisit. Quocirca nos eum in contumaciâ, & rebellione sua contra te fovere nolentes, sententiam, quam in eum propter hoc tuleris, auctore Domino, ratam & firmam habebimus, & totam causam ejus, tuæ discretionis arbitrio duximus relinquendam. Quod inde canonice feceris, ratum, cessante appellationis obstaculo habituri.* Ita ibi. Porro ad omnes Angliæ Episcopos, pro Cantuariensis Ecclesiæ indemnitate, has apud Baronium literas dedit.

XLII. Alexander ad Episcopos de tuendis juribus S. Thom.

Q*Vanquam ex injuncto nobis officio, de universorum jure in sua integritate servando, curam tenemur & sollicitudinem gerere ad illorum justitias, qui in parte sollicitudinis nobis commissa, a Domino sunt vocati, quanto in gradu sublimiori existunt, tanto frequentius retorquere debemus; & super his majorem diligentiam, & curam propensiorem habere. Hac siquidem consideratione inducti, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus; & in vi obedientiæ injungimus, quatenus super his, quæ ad Ecclesiæ Cantuariensis jura, dignitates, aut etiam libertates spectare noscuntur, vos sine conscientia & assensu Venerabilis Fratris nostri Thomæ ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi intromittere nullatenus præsumatis: nec occasione appellationis, quam contra eum ad nos fecistis, id aliquatenus attentetis. Quod si aliquis vestrum, contra hoc præceptum nostrum, quolibet ausu venire præsumpserit, ita in eo excessum istum studebimus, Domino auctore, graviter vindicare, quod pœna docente cognoscet, quàm periculosum fuerit Apostolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kal. Februarii.* Ita scripsit Alexander, cum Cantuariensis Ecclesiæ bona sciret ad Regis arbitrium distrahi, & Thomæ Archiepiscopi hostibus in prædam dari. Qui in eundem ferè sensum, sub idem tempus ad Henricum Regem, plenas obsequii literas misit, rogavitque Ecclesiæ suæ bona restitui, quæ avara & inimica manus, injuste usurparat. Literæ autem fuerunt hujusmodi:

Dilectissimo Domino suo Henrico, Dei gratia, Regi Anglorum, Duci Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegavensi; Thomas eadem gratia, sanctæ Ecclesiæ Cantuariensis minister humilis, Salutem: omnique tempore perseverare in bono, ac reniti viriliter suggestionibus malignis.

XLIII. S. Thomas ad Henricum Reg. ut velit bona Ecclesiæ restituere.

B*Reviloquio utimur ad Vos, nè in multitudine sermonis efficiamur amplius tædiosi, qui utinam essemus vobis magis accepti, sicut ad Dominum nostrum dilectissimum. Novit hoc ille, qui scrutator est cordium, quisquid inimici vestri aliter ac falsò murmurent, & susurrent. & certe, ut veriùs dicam, magis vestri quàm nostri. Hortamur itaque vos adhuc ex parte Omnipotentis Dei, & in virtute Spiritus sancti, adjuramus: & in remissionem peccatorum vestrorum à vobis requirimus, gratiæ vestræ, & pacis veræ, & securitatis bona, nobis & nostris sine malo ingenio restitutionem: & similiter Ecclesiæ Cantuariensi in ea plenitudine & libertate, in qua eam meliùs, & pleniùs habuerunt decessores nostri, & nos postquam facti sumus Archiepiscopus, & possessionum, & Ecclesiarum, & Præbendarum ad eandem Ecclesiam pertinentium, quæ vocaverunt, postquam orta est dissensio ista inter vos & nos, & similiter nostros: ut sub Dominio vestro ita liberè eis valeamus frui & uti; sicut meliùs & liberiùs usi sunt eis antecessores nostri, & nos post nostram promotionem, & gaudere debeat Ecclesia, de nostra reversione, quæ multis ex causis periculo animæ vestræ, & nostræ (sicut credimus) tanto tempore caruit præsentia nostra, & dolere potuit, de absentiæ incommodo. Hoc facite, benigne Domine mi, corde jucundo & hilari: quatenus concedat vobis Deus, & heredibus vestris, & restituat illam pacem, quam desiderat cor vestrum, ad salutem animæ vestræ, & populi à Domino vobis commissi. Et nos profectò parati sumus, & erimus ad omne obsequium vestrum, ferventiùs & devotiùs, quàm unquam ante fuerimus: dummodo non offendamus Deum, neque ordinem nostrum.*

XLIV. *De mobilibus autem ablatis Ecclesiæ Cantuariensi, & nobis, & nostris, securè vobis affirmamus coram Deo, & toto mundo, etiam si præsens esset;*

quia nullo modo, nulla ratione dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si habuerit, qui abstulit, vel auferri fecit, unde restituat. Unde Beatus Augustinus: si res ablata, cum reddi possit, non redditur: non agitur pœnitentia, sed simulatur, & alibi. Illud prudentissimè dixerim, eum qui pro homine, ad hoc intervenit, ne ablata restituat: & eum qui ad se confugientem, quantum honestè poterit, ad restitutionem non compellit, socium esse fraudis, & criminis. nam hujusmodi hominibus misericordius opem nostram subtrahimus, quam impendimus. Hoc certum tenete, hoc nulla ratione dubitate. Et si quis vobis contrarium prædicaverit, etiam Angelus de cœlo, Anathema sit, & erit, quamdiu in hac sententia perseveraverit. Videte ergo, Domine mi, quomodo in hac parte cautè ambuletis; ne detentio rei male acquisitæ quæ non est, nisi cinis & vermis, impellat vos, quod absit, in impœnitentiam, & subjiciat discrimini, quod à vobis purgari non potest, nec oratione, neque jejunio.

NON REMITTITUR PECCATUM, NISI RESTITUATUR ABLATUM.

XLV. *Præterea nosse debet vestra discretio: quoniam etsi omnes Episcopi sancti non sunt; locum tamen Sanctorum obtinent: qui etsi vitæ merito non elucescunt, esse tamen debent eorum imitatores, quatenus eis divina contulerit clementia. Inde igitur quondam sancti viri pro lege Dei certaverunt usque ad mortem, & a verbis, & minis persequentium non timuerunt (ille enim amplius timendus est, qui potest animam & corpus mittere in gehennam) necesse habemus, & nos, prout Dominus inspiraverit, leges sanctas custodire, fovere, & defendere. Nec hoc nobis imputandum est ad superbiam, vel malignitatem; sed ad nostri necessitatem officii. Sic enim Dominus ait: Leges meas custodite. & iterum in Evangelio. Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* (Matth. 5.) *Satis credimus te Dominum esse sapientem, & idcirco postulamus a vobis, sicut à Domino charissimo, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, audiri & exaudiri benignè: quatenus audiat & exaudiat vos Deus, in districto examine, & recipiat inter electos suos. Quandoquidem neque fortitudo, neque potentia, neque imperium, nec divitiæ, nec leges sæculares, vel consuetudines poterunt juvare quemquam, nec aliud quicquam, nisi Divina clementia, & præcedentium operum fructus: quod utinam omni die firmissime resideat in animo vestro, nec unquam mentem vestram excedat. Hujus rei consiliarios libenter admittat, & audiat Dominus noster, & exaudiat semper, ut benefaciat ei Dominus, & augeat sibi & heredibus suis, vitam, & pacem in tempora longa. Nec prætereant temporaliter impuniti; qui dolis suis, & fraudibus exquisitis, usi sunt bonum Domini mei propositum pervertere, & perturbare: quod usque septem annos regni sui, de exhibendo honore exclesiæ, & Ecclesiasticis viris, justa ut credimus animi devotione conceperat. Valeat Dominus meus in æternum; & ut melius sit inde Ecclesiæ Dei, & nobis vivat in tempora longa.*

XLVI. REX OBSTINATUS IN S. THOMÆ PERSECUTIONE MITTIT ROMAM.

Nihil Sancti Præsulis monita Regi profuerunt, qui in Thoma persequendo obstinatus, omnem in eo exauctorando lapidem movit. Quod quia Regiæ potestatis vires excedens, per unum Alexandrum, Romanum Pontificem fieri poterat: eum nova legatione aggredi, & munerum largitione Romanam Curiam ad se trahere conatur. Legationem ex Urbe in Angliam decerni postulat, mittique ab ea Sede Guilielmum Papiensem, Presbyterum Cardinalem, sibi multis nominibus addictissimum, quia motam hactenus controversiam, Apostolica authoritate determinet. Eum in finem, ad impetrandam, inquam, ex Urbe legationem, Joannes Oxeneford, Decanatus Saresberiensis invasor; quem nuper Archiepiscopus Thomas, à fidelium communione removerat, Romam hoc anno ab Henrico Rege mittitur: quod novorum motuum, & multorum obloquiorum causa extitit. Contra Regis consilium, aliud Thomæ suggeritur, ut authoritate qua pollebat, Anglorum Episcopos, ad se vocatos, num vera esset eorum de Rege prædicatio, & de satisfaciendi voluntate, quod toties jactaverat interrogaret. Ita nuper suggesserat Joannes Saresberiensis Epistola centesima septuagesima sexta illis verbis: [Cæterum, quia Episcopi vestri scribunt, & confidenter prædicant, Regem ad omnem justitiam & debitam satisfactionem esse comparatum, & satis dare volentem. Si ratio exegerit, mihi, & quibusdam aliis amicis vestris videtur consilium, ut evocetis Episcopos, & nominatim illos, qui literas signaverunt, & Saresberiensem, qui de injustâ suspensione conqueritur; & Wigorniensem, qui est principium generationis vestræ in Domino: & si qui alii sunt, quorum utilem credatis esse præsentiam; & experiamini, an fida sit testificatio, prædicatio, & scriptura eorum. Vocati autem in virtute obedientiæ, fortasse non venient; licet inobedientiam, nulla unquam appellatio tuetur, sed causa vestra liquidior erit, si falsitas & malitia eorum fuerit revelata.]

JOANNES OXENEFORD MITTITUR A REGE LEGATUS.

Ioan Saresb. Epist 176. S. THOMAS INVITAT EPISCOPOS AD COLLOQUIUM.

Fecit Thomas quod amici consuluerant, Londinensem, & Herefordensem Episcopos in Gallias vocavit: & illi videntur vocantem audivisse. Sed reversus ex Urbe Joannes Oxenford, & multa mentitus, profectionem impedivit, ut infra Thomas conqueretur. Enimvero Alexander, cum Henrici oratorem excepisset, cum Apostolicæ legationis munus Guilielmo Papiensi, ita credidisset; ut ei socium addidisset Ottonem, Diaconum Cardinalem, incorruptæ fidei, famæque virum: cum denique in omnibus Regiæ voluntati satisfecisse, à Joanne jactaretur: & plura ab eodem dicerentur, in Thomæ Archiepiscopi præjudicium: concussus est importuno rumore Christianus orbis: & ipse Præsul, dolore plenus, querulas super eo literas Joanni Cantuariensi, qui ejus causam Romæ agebat, in hunc modum scripsit:

XLVII. JOANNES IMPEDIT ILLORUM ACCESSUM.

THOMAS Dei gratia, Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister; JOANNI Cantuariensi, Salutem.

S. THOMAS AD JOANNEM CANTUARIENSEM. apud Baron. hic.

QUomodo de novo facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio iis, non modo qui in circuitu nostro sunt: verum etiam omnibus ferè gentilibus, utriusque regni, & Francorum, & Anglorum, & fortè Imperii: qualisque fama, ne dicamus infamia, & scandalum circumvolat, per aures & ora omnium, in Dominum Papam. Unde magis dolemus (Deus novit) quàm de propriâ personâ: & in totam Curiam graviter frementium, & insultantium, & improperia inexpiabilia improperantium, ex subscriptis poteris aliquatenus perpendere: & Domino Papæ, & amicis (si qui tamen sunt) secretius intimare. Ecce Ioannes de Oxeneford, & alii Regis nuntii à Curia redierunt, extollentes se super id omne, quod dicitur, aut quod colitur Deus: dicentes se impetrasse à Curiâ, quicquid desideraverunt. Videlicet quod Rex exemptus

fit à

LEGATI REGIS IACTANTES OMNIA ROMÆ OBTINUISSE.

fit à potestate omnium Episcoporum, præterquam Domini Papæ, quo ad excommunicationis innodationem. Et quod habiturus sit Legatum, quem petivit, Willelmum scilicet Papiensem, qui inimicus noster est plusquam manifestus, cum plenitudine potestatis in omnem terram Regis: ut ædificet, & plantet: & præsertim eradicet & evellat, omni remedio appellationis sublato; & maxime ad decidendam principalem, quæ inter Regem & nos vertitur, causam, & omnia incidentia, omni exceptioni, & omni de cætero, ut dicitur præjudicium allaturum. Et cum hac pompa, & cum hoc fastu, rediit Ioannes de Oxeneford in Angliam. Et cum applicuisset in portu quodam, invenit ibi fratrem nostrum Herefordensem Episcopum, auram prosperam ad transfretandum, furtim fatem, expectantem; quia palam non poterat, prohibitus à ministralibus Regis, ex parte Regis, & literis. Quo invento inhibuit ei primo ex parte Regis, ne transiret, deinde ex parte Domini Papæ. Episcopo autem quærente (sicut nuntius suus, qui ad nos postea venit, Dominum suum excusaturus, nobis retulit.) Vtrum super hoc Domini Papæ literas haberet? Dixit se habere quibus inhibebat Dominus Papa, & ei, & omnibus Episcopis Angliæ, ne venirent ad vocationem nostram, atque in aliquo obedirent, quousque veniret Legatus de Latere Domini Papæ, à Rege impetratus: qui & causam super appellationem, quam fecerunt, & causam etiam principalem, inter Regem, & nos, & omnes alias incidentes, cum plenitudine potestatis, amoto omni appellationis obstaculo, terminaret.

XLVIII. Cum instaret Episcopus, ut literas inspiceret: dixit se non habere præ manibus, quia miserat eas cum expedimento suo usque Wintoniam, quæ distat à portu Hamtona per duodecim milliaria. Misit Episcopus, habito consilio cum suis, Wintoniam, cum Ioanne, Magistrum Eduardum, clericum suum, virum probum (ut credimus) & fidelem, qui vidit literas, una cum Londoniensi Episcopo, similiter transfretare volente. Qui Londoniensis, visis literis, prorupit in vocem gratulabundus, dicens: De cætero Thomas, meus non erit Archiepiscopus. Adjecit etiam Ioannes, quia ipse privilegiata erat persona, nec de cætero posset à nobis excommunicari, nec etiam conveniri, nisi in præsentia Domini Papæ, & liberam se habere potestatem donandi Decanatum Saresbersensis Ecclesiæ, cui vellet: & in omnibus imminutam nostram dignitatem, usque ad adventum Legati venturi. Hæc omnia mandavit nobis Episcopus, per capellanum suum, Canonicum Regularem, virum religiosum, quem misit ad nos excusaturum, quare non venerit ad vocationem nostram. Vocaveramus enim eum semel, & secundò, & tandem tertiò, cum peremptorio edicto, quatenus infra Purificationem exhiberet nobis præsentiam suam, tanquam vir magnæ auctoritatis, & familiaris Regis, tractaturus de pace inter Regem & nos, si quomodo fieri posset. Hæc omnia paratus erat Canonicus jurare, se ita accepisse, ab ore Episcopi, nobis ex parte ipsius significanda.

XLIX. Quæ si vera sunt, tunc proculdubio suffocavit, & strangulavit Dominus Papa non modò personam nostram, sed & se, & omnes Ecclesiasticas personas utriusque regni; imò etiam utramque Ecclesiam, tam Gallicanam, quàm Anglicanam. Quid enim exemplo hoc pessimo, non audebunt cæteri Principes terrarum adversus Ecclesiasticas personas? Ad quem recurrent? Quomodo confidere poterunt, de Ecclesiâ Romanâ, quæ nos pro ipsâ stantes, & usque ad sanguinem decertantes, ita deseruit, & destituit? Quid erit, si manentibus his inauditis & detestandis privilegiis, & emancipationibus, tam personæ Regis, quàm aliorum (sub quocumque prætextu contingat (quod Deus avertat) ut decedat Papa, vel ut in Vrbe turbata fuerint omnia? Transferentur hæc in heredes: nec poterunt avelli a manibus eorum. Et quod deterius est, alii Principes hoc exemplo similia extorquebunt privilegia, & mancipationes ab Ecclesia; velit, nolit ipsa: & sic peribit omnis Ecclesiæ libertas, & Episcoporum jurisdictio, atque potestas: cum non sit qui cohibere possit, & coercere tyrannorum flagitia: quorum tota intentio est hodie, grassari in Ecclesiam Dei, & ejus ministros: nec desistent, quousque eos sicut & alios, in servitutem redegerint. Quis tandem erit finis adhuc nescimus. Verum id scimus, quia supra modum gravamur, sive vera sint, sive non, quæ proponuntur. Non enim obediunt nobis, nec respiciunt nos in aliquo, sicut solent, vel Episcopi, vel Abbates, vel alii de Clero Angliæ, jam quasi certi de depositione nostra. Verùm securus sit Dominus Papa, quod nulla ratione, intrabimus terram Regis litigaturi; nec stabimus judicio inimicorum nostrorum, & præsertim Papiensis, qui non sitit nisi sanguinem nostrum; ut obtineat Sedem nostram; quæ revera (ut accepimus) ei promissa est, dummodo a nobis Rex possit liberari. Est aliud in quo gravamur: quia nobiles viri, tam Proceres, quàm Episcopi, & alii Prælati, de regno Francorum, jam quasi desperati de nobis, coëxules nostros, quos misericorditer sustentabant, nobis remiserunt. Qui frigore, & fame de cætero peribunt, sicut & quidam jam perierunt. Hæc omnia Domino Papæ diligenter insinua; ut remedium aliquod, contra hæc mala provideat, sicut petimus; si quid zeli Dei in eo remansit: quod adhuc speramus: & utinam spes non confundat. Vale & quàm citius poteris, nuntium nobis istum remitte, per quem de his & aliis certioremur, utpote in arcto constituti, si vera sunt, quæ proponuntur.

L. Hanc magnam Ecclesiasticæ (ut ferebatur) libertatis echlipsim, non unus Thomas, sed ceu communem omnium calamitatem, plures iique doctissimi defleverunt. Eos inter Lombardus Apostolicæ Sedis Subdiaconus (fortè Petrus ille sententiarum Magister, nam hoc tempore floruit) has è Galliis Alexandro literas, & querulas voces misit, quæ in Vaticano Codice ita inscribuntur:

LOMBARDUS AD ALEXANDRUM P. OB MALIS QUÆ ORIRI POSSENT A PRÆTENSA IPSIUS INDULGENTIA HENRICO REGI. apud Baron. hic.

Reverendo Patri, ac Domino ALEXANDRO, Dei gratia Summo Pontifici, LOMBARDUS ejus clericus, fidelis obedientiæ famulatum.

CVm Vestra Sanctitatis puer, & vestrarum manuum opus in Christo sim: quam in vestra fama sugillationem, atque vestri nominis derogationem celebriter dicuntur; quæq; in totius Ecclesiæ detrimentum callidè struuntur, dissimulare nec possum nec debeo. Ioannes siquidem Oxenefordensis, cum Decanatus honore, & gratia Vestra plenitudine, Roma rediisse insolenter se jactat: nihilominus arroganter adjiciens, se privilegio fore munitum, adversus Dominum Cantuariensem, & omnem Episcopum: & quasi paulò minùs a Cardinalium ordine constitutum, vobis soli, & Apostolatui vestro se subjectum asserit. Præterea quod regnum nullum obtinere valuit unquam, pro Rege obtinuisse, gloriando superbè loquitur: scilicet inter Regis filium, & filiam Comitis Britanniæ, in tertio gradu consanguineos, matrimonium vestra auctoritate firmatum. Addens quoque à Rege Legatos specialiter postulatos destinari:

qui appellationis remedio sublato, audiant, & definiant, quicquid Regi adversus Dominum Archiepiscopum placuerit proponere. Hæc, Sanctissime Pater, Ioanne Roma redeunte divulgata sunt. Quæ quantò magis inusitata, quantò rariùs fieri solent, tanto vehementiùs audientium animos perculerunt. Quibus auditis Francorum Rex, vester & Ecclesiæ filius devotus, ita vehementer turbatus est: ut confestim se velle nuntios dirigere; qui vestris Legatis, regni sui ingressum inhiberent, diceret. Plus aliquid fecit, quod in ore lateris posui. Convocare etiam Archiepiscopos & Episcopos se velle dixit: quatenus eis exponeret, atque proponeret: quomodo Romana Ecclesia, adversus se, & eam malignantes, exaltat: cum autem deprimere quærit, dicens: An non laborat me inhonorare, qui sanguinem Cantuariensis Archiepiscopi viri innocentis, pro justitiâ, & Ecclesiæ libertate exulantis, callidè effundere quærit, impiè tradens ipsum in manus inimicorum, & persecutorum ejus, quem non obsequiorum obtentu . . . . Cum nobis magis injurias intulerit, obsequendo tamen ei, qui nunc ipsum persequitur: sed potiùs justissima causa, quam fovet intuitu, ejus probitatis contemplatione, amore etiam Domini Papæ, qui satis instanter me pro eo rogavit, exhibere honorificè, & decenter, quamdiu in exilio fuerit: & quasi in sinu meo confovere constanter disposui, sicut & jam cœpi. Denuntians etiam & manifeste protestans; non esse sibi minus molestum, quod pro hac causa Legatos mittitis; quam si ad coronam sibi auferendam eos destinaretis. Ejus animum adeò concitatum, non defuerunt qui magis accenderent.

LI. *Data est occasio adversus nos & Dei Ecclesiam malignandi, atque plurima moliendi iis, quibus ab initio animus, & nocendi vobis conatus fuit: quorum malevolum propositum vestra non mutavit indulgentia; etsi horum conatum repressisset auctoritas. Hæc per quendam clericum vobis fidelem, & devotum præsentem, dum agerentur, mihi ea privatim referentem didici. Illud unum Pater Sanctissime, verissimè scribo (quod tamen absque lacrymis non scribo) quia vestri nominis odor ex aliqua parte offuscatur: quoniam fama vestra derogatio, quasi cibus est, & potus detrahentium, & maledicorum: qui velut vino potati, & inebriati, vestram famam discerpunt; & quasi vos totum maledictionis dentibus corrodunt; tam faventes Domino Cantuariensi, quàm eum odio persequentes: maxime cum propè esset dies victoria ejus, & vestra; sicut a multis credebatur. Timebat enim Rex adeo, die appellationis elapso, excommunicari, universamq́; terram suam interdici: ut manifestè diceret, se Episcopis appellare nec persuasisse, nec compulisse; ideoq́; partes suas in eare non esset interpositurus. Episcopi vero in tantum angebantur, & interdicti metuebant: ut quidam ad Dominum Cantuariensem nuntios mitterent: quidam ad ejus vocationem parati essent. Cum Ioannes de Oxenford, velut Legatus vester, universos Episcopos convocans, ex auctoritate vestra; sicut fama est in Gallia, ne ad Domini Cantuariensis vocationem venirent, præcepit. Qua occasione, magister Robertus Herefordensis Episcopus, cum jam ad mare venisset, transfretaturus, revocatus est: sicut ipse coram Domino Cantuariensi, per nuntios suos, viros religiosos, & benè notos, me præsente, se excusavit.*

LII. *Propterea tanta est in multorum animis perturbatio. Verentur enim Regis versutias; & ex his Anglicanæ atque omnium Ecclesiarum terra sua ruinam, & libertatis subversionem, ac prolixiorem vehementioremq́; Archiepiscopi persecutionem. Quippe cum à multis, & sæpè, quod Rex in adversa fortuna, & obitu vestro (quem Deus suâ benignissimâ clementiâ in longa tempora differat) omnem spem suam locasse dicatur, firmissime asserens (sicut à plurimis fertur) Successorem vestrum nequaquam suscepturum; nisi priùs omnes dignitates, & consuetudines regni sui confirmaverit. Ea propter dolosè, & fraudulenter creditur Legatos postulasse, ad suam voluntatem, non solùm adversus Dominum Cantuariensem, verùm etiam adversus omnes Episcopos terræ suæ complendam: velut saltem sic ejus excommunicatio, & terræ interdictum differatur. Quatenus hoc modo frustrando tempora, Domini Cantuariensis auctoritatem evacuare possit: Ut si fortè vestro tempore non ligetur, à successore vestro ligari non metuat: cum nec facilè (sicut à multis dicitur) proposuerit eum suscepturum. Itaque prudentissime Pater, qui spiritum Dei habent, & pacem Ecclesiæ desiderant: spiritum Danielis in vobis excitari, ad Beli astutias deprehendendas, & draconem interficiendum, summo animi affectu optant. Super quo Deum assiduis & cumulatis precibus exorant. Valeat Sanctitas Vestra in tempora multa.* Ita Lombardus, qui si postea fuit (ut creditur) Parisiensis Episcopus, doctè pro Cleri libertate, pro Thomæ jure tuendo, denique pro Ecclesia potuit stipulari.

Non caruerunt fundamento hæ justæ doctorum querelæ, cum Henricus Rex à reditu Joannis oratoris sui, animosior in Thomam, ea jactaverit, quæ Alexandri nomen, & totius Romanæ Curiæ, in contemptum traherent. refert illa Joannes Saresberiensis, in Epistola ad Joannem Episcopum Pictariensem, ubi ait: [Ipse quoque Rex dixit Episcopo Wigorniensi, quod ipse, & omnes alii Episcopi exempti sunt à potestate Domini Cantuariensis: præcepitque non timere minas aliquas: quia nunc Dominum Papam, & omnes Cardinales habet in bursa sua: adeóque gloriatur, ut palam dicat se nunc demum avi sui consecutum privilegium; quia in terra sua erat Rex, Legatus Apostolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia quæ volebat: & ferè (quod ad Ecclesiam Romanam) probabile est, quod dicit. Quid enim ei ampliùs contulisset Octavianus, vel Cremensis hæresiarcha? Quid aliud fecissent Cardinales eorum, quàm præfati illi Domini Alexandri Cardinales, qui exacuerunt linguas Angliæ, & ignem, & venenum fecerunt evomere, ut terrerent Dominum Papam, & inclinarent ad libitum suum? Quod ad petitionem & comminationem Regis Angliæ, cujus intolerabiles excessus tanto tempore sustinuerat, præconem veritatis, libertatis assertorem, prædicatorem justitiæ, pro causa Domini, cum infinita multitudine innocentum jam quadriennio exulantem, neglecto rationis & juris ordine, velut criminosum, officii sui potestate privavit: non quidem quia ille meruerit, sed quia placuit tyranno. Et tamen patentibus literis, quæ apud nos sunt, concesserat, ut officii sui potestate pleno jure uteretur. In quibus hoc expressit; quod ipsum Regem excommunicandi, nec mandatum dabat; nec prohibebat. Deus bone, quid novitatis accidit? Dicit Spiritus Sanctus in lege sua: *Clama ne cesses.* Et ecce, nescio quis spiritus, ab Urbe in orbem exiens, prædicatoribus dicit: Tace, ne clames. Præcipit Apostolus Episcopum instituens: Ministerium tuum imple: & ecce Apostolicus præcipit: Ab officii tui ministerio desiste.] LIII. HENRICUS JACTAVIT SE PAPAM, ET OMNES CARDINALES HABERE IN BURSA. *Ioan Saresb. apud Baron. hoc.*

Hæc

Hæc & plura Joannes, ad Pictaviensem Episcopum.

LIV. Ad ipsum Alexandrum etiam Romanum Pontificem, licet paulò modestiùs: in spiritu tamen vehementi ista dictavit Annalibus digna, idem Joannes.

Joan Saresb. Epist 193. Ad Alexandrum. *Si de exilio clamamus ad Patrem, pro quo jugiter clamamus ad Dominum, pro cujus fide & honore, contra persecutores Ecclesiæ clamavimus semper, & clamabimus, Deo auctore, quoad vita fuerit Comes: Vestra Paternitas admirari non debet; cum inopinatâ rerum novitate clamorem extorqueat vis doloris, & importuna, & amarissima necessitatis acerbitas. Clamamus ergò ad Successorem Petri, Vicarium Crucifixi: & utinam clamor noster introeat in aures vestras, ut super calamitate Ecclesiæ, & filiorum afflictionibus & gemitibus, Patris viscera commoveantur ad miserationem. Et licet miseriæ nostræ de recenti injuria sint super numerum, & excreverint supra modum: tamen, Deo teste, acerbiùs dolemus, & ingemiscimus magis de diminutione gloriæ vestræ, & fama Romanæ Ecclesiæ denigrata: quàm de damnis, injuriis, & oppressionibus nostris. Imo est, Pater, imo est, veras exprimere voces: præsertim apud eum, qui est amator, & patronus veritatis: & cujus ministerio Spiritus Sanctus, totius falsitatis figmenta condemnat. Viduam impatienter conquerentem, propheta habuit excusatam: eò quòd in amaritudine erat anima ejus, ob recentem filii mortem. Et nos quid patienter queri possumus, inter tot mortes, carceres, vincula, flagra, contumelias, terrores, esuriem, sitim, nuditatem, & multimodæ calamitatis angustias? Si ergò justæ amaritudini debetur venia; quorum querela patientiùs audienda est; quorum gemitibus magis compatiendum; quorum preces benigniùs audiendæ à Romano Pontifice, quàm exulum Cantuariensium, qui pro tuenda libertate Ecclesiæ, pro astruendis privilegiis Apostolicæ Sedis proscripti esse noscuntur? Utinam, Pater, essent aures vestræ, ad ora Regis, & Optimatum Franciæ. Utinam audiretis, quomodo insultant vobis hostes Ecclesiæ, & ferò universi detrahunt vobis. Et si vera sunt quæ prædicantur in compitis, non video quomodo Majestas vestra probabiliter valeat excusari.*

LV. Accusat Oxeneforoensem ob superbo modo procedendi. *Præterea, quod insignis ille jurator, qui à re benè gesta, de manu vestra Decanatum accepit, & curam multarum animarum, vir probatæ religionis, & famæ hilaris, qui nec uno mense, Ecclesiasticum addidicit ritum. Sed nunquid eximendus erat à jurisdictione omnium Episcoporum; ut ei (sicut fautores sui gloriantur) auctoritate Apostolica sævire liceat in subjectos, non reservato eis Appellationis remedio? nunquid tantis erat privilegiis extollendus; ut in introitu suo, vestra auctoritate, convocatis Episcopis & Clero Angliæ, mandaret, ne Cantuariensi Archiepiscopo obedirent, vel ad ipsum vocati accederent: & ut jure excommunicati sine satisfactione, & cautione omni absolverentur in sacrilegiis perseverantes? Os meum in cælum ponere non præsumo. Fateor, & verum est, omnia Romano licere Pontifici; sed ea duntaxat, quæ de jure divino, Ecclesiasticæ concessa sunt potestati. Liceat ei jura nova condere, vetera abrogare; dum tamen illa, quæ à Dei verbo in Evangelio, vel lege perpetuam causam habent, mutare non possit. Ausim dicere, quod nec Petrus ipse perseverantem in scelere quenquam, & voluntate peccandi, posset absolvere; nec claves accepit, quibus regni januam possit impœnitentibus aperire. Unde ergò illi hæc potestas? Adhuc dicitur, quod Rex Angliæ omnium Episcoporum jurisdictioni subtractus* est privilegio novo; quod profectò si obtinuit: ecce ei collata est auctoritas licitum libito coæquandi. Non tamen facilè crediderim, quod hæc omnia tam facilè contra Ecclesiam Dei impetrata sint. Sed hoc fiducialiter dixerim; quod antequam hæc essent apud nos divulgata: de diuturno naufragio veneramus in portum: à quo nos rejecerunt in pelagus, qui cum triumpho à Sede Apostolica redierunt. Nec aliquo modo persuaderi potest: quod Legati, qui venire dicuntur procuraturi voluntates Domini Regis, conditionem nostram reformare possint, in eum calculum, in quo erat, quando verbum hoc omnium corda concussit. Dubium tamen est, an velint: si tamen dubium, cum alterum eorum audierimus à multis, in perniciem nostram, aut potius in dispendium & ignominiam Ecclesiæ, consensisse Domino Regi, & operatum esse, quantum in eo fuit exterminium. Eum ergò misisse, sicut adversarii jactitant; nihil aliud est, quàm nobis ministrasse calicem passionis & mortis. Quod si proponit: dissipat Deus viam ascendentis & venientis, spinis, ut præcipitentur in foveam, quam innocentibus paraverunt.*

LVI. Item quòd exilium sit prolongatum. *Adjiciunt malis nostris, qui contra nos, & magis contra vos gloriantur: quòd exilium nostrum prolongastis in annum; ut vobis Rex Anglorum interim confœderetur. Sed meminerítis fœderis Benadab, quod Regi Israel fuit in scandalum, & populo in ruinam; quia ultionem divinitùs procuratam, in publicæ religionis hostem, noluit exercere. Procul dubio & iste, si stetissetis ad modicum, jam ad deditionem compulsus erat; ut se traderet manibus vestris, & Ecclesia sub eo debita libertate gauderet. Sed quis de unius anni vitâ potest esse securus? An nescitis, quicumque oderunt Ecclesiæ libertatem; sive schismatico Imperatori confœderati sint; vitæ vestræ, quam Deus in multa protendat tempora, terminum optant. Patet ergò quàm periculosa sit ista dilatio: per quam temeritas ampliùs insolescit; & Ecclesiæ conditio tristior, & durior, malitiosiùs expectatur. Mala facienda non sunt, ut proveniant bona: nec salubris est dispensatio, per quam sacrilegorum perpetuatur audacia. Excessi modum: & qui vix loquerentur, minùs attendi: sed exulceratæ mentis impetum nequaquam potui cohibere: Videns quod occasione verbi hujus crudescunt ampliùs adversarii nostri, immo vestri: & benefactorum nostrorum liberalitas tepescit: aut omninò extincta est, præterquam in Rege Francorum, & paucis aliis, qui nobis compatiuntur ampliùs, & unde dolemus plurimùm, queruntur de vobis. Placeat itaque miserationi vestræ Cantuariensibus vestris aliquod præstare solatium; & vestri nominis gloriam reformare, reprimendo hostes Ecclesiæ, & retribuendo circumventoribus vestris pro merito. Unum pro certo noveritis: quod si Rex semel in una petitione repulsam sustinuerit, omnium meritorum vestrorum evacuabitur fructus. Necesse autem est ut patiatur repulsam, qui in petitionibus modestiam nescit.*

LVII. Alexandri offensio. Audisti, Lector, quæ in Alexandri opprobrium jactata, piorum hominum aures offenderant: sed quoniam pleraque à vitioso fonte processerant, benè dixit supra Joannes, se non facilè omnia credidisse. nam quod ad Thomam spectat, & causæ illius æquitatem: licet Alexander Gulielmum Papiensem, cognitorem nominaverit, virum fidei, & virtutis suspectæ; socium tamen illi addidit, antiqui moris, & incorrupti. de quo Episcopus Pictaviensis ad Thomam scribens: [Huic (inquit) Willelmo Papiensi adjunctus esse narratur Dominus Oddo Diaconus Cardinalis de Carcere Tulliano, & utinam. Stellæ námque unius ma- (Codex Vat. apud Baron.)

* subjectus irrale

liciam,

litiam, si non extinguat, temperat tamen & attenuat, sibi adjuncta magis propitia Stella, & benevola.] Addo: Limitavit Alexander Papiensis legationem: & ita ad pacem reconciliandam misit; ut disertè caverit, nihil in Thomam Archiepiscopum statui, aut decerni voluerit. testatur hoc ipse Alexander, ita scribens ad Sanctum: [Verum in jam dictos Cardinales potes omninò confidere: nec de memorato Willelmo oportet te quomodolibet dubitare: Quoniam nos ei, ut ad pacem tuam totis viribus intenderet, firmiter & districtè injunximus: & ipse in tantum nobis promisit, quod nos inde nullatenus dubitemus.] Cæterùm quod summè caverit Alexander, ne quid Ecclesia detrimenti pateretur, videtur postea intellexisse Joannes Sarefberiensis, Epistola illa, quam ad eundem Guilielmum misit in hæc verba:

Vbi supra.

LVIII. *Ioan Saresb. Epist. 123.* AD GUILIELMUM CARDINALEM.

Famâ vulgante didicimus, vos, & Dominum Ottonem, sancta Romana Ecclesia Diaconum Cardinalem, ad preces illustris Domini nostri Regis Anglorum, ex mandato Domini Papa, in partes Aquitania descendisse: ut auctore Deo, si fieri potest, Anglicana Ecclesia debitam reddatis libertatem. Et inter Dominum Regem, & Cantuariensem Archiepiscopum, pacem & concordiam reformetis. A magnis etiam, & à Venerabilibus viris auditum est; quòd prefatus Dominus noster Rex adeò de amore vestro confidit, ut consilio vestro in omnibus obtemperare decreverit. Vnde vehementer exhilaratus, consilium vestrum, & auxilium mihi censui implorandum, vobis in omnibus pariturus, salvâ indemnitate conscientia, & honestate persona. Confido enim in Domino, quòd tanti apud vos non erit acceptio personarum, & munerum, ut aliquid committatis unde ladatur Ecclesia, scandalum generetur in mundo, offuscetur claritas nominis vestri. Hac enim sunt opera eorum, qui aut legem nesciunt, aut legis Dominum non verentur. Vos autem non sic: cujus & prudentiam adeo Dominus approbavit, ut vos in capite mundi, super candelabrum aureum septem lampadarum, tanquam lucernam eximiam collocaret, ut qui ingrediuntur, lumen videant. In vos ergò omnium oculi diriguntur: timentq; plurimi, ne Lucifer denuò tentatus extinguatur & corruat: veriti, ne familiaritas, quam cum Rege, ut dicitur, ulterius contraxistis, vobis fit occasio delinquendi. Et profectò omne animi vitium, tantò conspectiùs in se crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Caterùm ego interim spero quòd hac vestri & Domini Regis familiaritas, qua multis adeo suspecta est, fructuosa erit Ecclesia, necessaria nobis, salubris illi, & vobis gloriosa. Si enim vos audierit, in eo quod juris necessitas cogit, & quod sine salutis sua dispendio vitare non potest; procul dubio pœnitebit, confitebitur culpam & humiliter satisfaciens. Ecclesia pacem, & libertatem nobis omnibus, ablata nobis omnibus cum integritate restituet, & fraternum odium de corde prorsùs avellet: alioqui in quis enim eripere potest à laqueo mortis?

LIX. IMPÆNITENTES NON POSSUNT ABSOLVI.

Scio utique quoniam indubitanter verum est, & notissimum: quod nec Petrus ipse hanc accepit à Domino potestatem, ut impœnitentes possit absolvere: & proculdubio constat; quia si res ablata reddi potest, & non redditur: non agitur pœnitentia, sed fingitur. Vbi autem Principis Apostolorum cohibetur authoritas, nulla ratione crediderim convalescere posse cujusquam hominis potestatem. Fateor autem, & verum esse Domino Regi, nepote gloriosissimo Principi, quamplurimum deferendum sed ita ut Deus nec in minimo offendatur. Alioquin species idololatria est, sub cujuscumque utilitatis pratextu, creaturam creatori praponere: sicut Beatus docet Apostolus. Mala enim facienda non sunt, ut proveniant bona: Nec licet alicui dispensare contra praceptum Domini, quod in Lege, vel Evangelio perpetuam habet causam. Vt autem mihi possitis commodiùs providere; ut clamor pauperis introeat in aures vestras, quartus exilii mihi annus elapsus est; cum tamen Domino Regi per me, & per alios sape obtulerim: quòd licet conscientia teste, non meruerim iram ejus tamen pro recuperandâ gratiâ ejus, libenter facerem, quicquid ei placebit, salvâ conscientiâ, & fama integritate. Actum est autem mecum per quosdam mediatores; ut recederem à fidelitate & obsequio Domini Cantuariensis, & jurarem fidelitatem Regi, & observantiam consuetudinum regni. Quod quia facere nequeo, nec volo: quoniam contra conscientiam est, & honestatem, proscriptus exulo, & exulabo libenter, dum Deo placuerit. Nunquid enim obediendi necessitatem rumpens, in periculo Ecclesia, in causa Dei Patrem & Dominum deseram, & in consuetudines jurabo, quas sacri Canones reprobant? & Dominus Papa, de consilio Fratrum apud Senonas, vobis ipsis (ut opinor) audientibus condemnavit? Certè observantiam Canonum, aut etiam ipsius Evangelii non jurarem: quoniam ut Apostolus ingemiscit, in multis offendimus omnes. Et minus malum est simpliciter pravaricari, quam pravaricationem cumulare perjurio. Scio autem quòd perjurii, aut inobedientia, aut cujusquam turpitudinis, nemo vos habebit auctores. Sed quia timeo ne vos tadeat verbositatis mea, verbi hunc facio finem: supplicans ut vos Ecclesia diutius naufragantis studeatis finire miseriam: & qua nobis jugiter inferuntur propulsare injurias. Valeat semper Dominus meus, & proscriptorum Christi misereatur. Intercedo enim vice omnium coexulantium. Et si mihi non fuerit exhibita cōsolatio: mihi tamen reputabo impensum, quicquid aliis proscriptis Christi per Vos novero esse exhibitum.

JOANNES SARESB. EXUL OB S. THOM. DEFENSIONEM.

Hinc datur intelligi, non omnia quæ vulgò, de Alexandro jactabantur: quæque Oxeofordensis ambitiosiùs, quàm veriùs, de sua legatione fabulatus sparserat, constanter accepta fuisse. Multa enim ille à veritate prorsùs aliena, ad Regis & Regiorum gratiam aucupandam finxerat. quæ si vera, Alexandri famam sine dubio læsissent. ut illud de Episcoporum à Thoma excommunicatorum absolutione: quos Alexander non nisi in mortis periculo constitutos absolvi mandaverat præstitâ tunc juratoriâ cautione, de stando judicio Ecclesiæ; quod exile admodum privilegium, nullum Thomæ Archiepiscopi præjudicium fuit. [Sed nec etiam verum (inquit Baronius) quod summa jactantia idem mentitus Oxenfordensis sparserat in vulgus, Regem exemptum fuisse ab Archiepiscopi potestate: sed ejusdem auctoritatem in eum ad tempus dumtaxat fuisse suspensam, dum per legatos, pacis causa tractaretur: quo tempore etiam ab inimicis exercitibus suspensio fit armorum. Cæterùm pace non secutâ, ut in Regem suo utatur jure sanctus Thomas, idem Alexander literis ad eum datis ita expresè demonstrat: Cæterùm si fortè, quod Deus avertat, Rex in sua duxerit obstinatione, indurato animo persistendum. neque hac saltem vice, in reconciliatione tua, & tuorum, atque Ecclesiæ pace, voluntati divinæ, admonitioni nostræ, & honori suo deferre voluerit. Ex tunc si in regnum, & Regis personas, tuæ jurisdictioni, vel Metropolis, aut Legationis jure subditas, ultionis debitæ severitatem duxeris exercendam: & tuas, & Ecclesiæ tuæ injurias, Pontificali gravitate,

LX. OXENEFORDENSIS MULTA FALSA SPARSERAT DE ALEXANDRO.

Baron. hic.

ac ma-

ac maturitate servata, prout expedire noveris, vindicabis.] Ita Pontifex, qui dictum Oxenfordensem, in eo fingendi genere sæpiùs peccantem, sequenti anno ad Legatos scribens, castigari præcepit, ut infrà.

LXI. Alexander potuit multò rectiùs à culpâ absolvi, quàm purpurati fratres, filiique ejus: nam auro Regio corruptos aliquos, si ego tacerem, conquererentur illi, quibus nocuit Regis largitio. De quo ita Baronius: [Per eundem legatum suum (Joannem Oxenfordensem intelligit) nonnullas auri libras Romam Rex Anglorum misit erogandas in Cardinales. Acceperunt complures turpiter: alii autem laudabiliter abstinuerunt omninò, quod ejusmodi munera Regum in ignominiam cederent Apostolicæ Sedis. Quod & contigit. Ejus enim rei causa, gravissima illata sunt scandala, & denigrata valdè facies sponsæ Christi, Ecclesiæ sanctæ. nam audi quæso S. Thomæ justas de his querelas, scriptas ad Archiepiscopum Moguntinum: Ego, inquit, dolendo dico rem dolendam nimis. Capta est Urbs inclyta, quæ jam ferè totum subegerat orbem, subversa humanæ gratiæ cupiditate: & quæ gladio perire non poterat, Occidentali veneno infecta succumbit. Proh dolor! ipsius occasu fit undique dispendium libertatis Ecclesiæ, compendio temporalium. Itur in ipsius ruinam per anfractus divitiarum: prostituta est ut fornicaria, quæ multorum libidini patet in plateis: Fornicantur cum ea quilibet potentum. Hæc & alia, magna animi amaritudine sanctus Thomas jam martyrii candidatus, in amici fideles aures infudit: occasione utique missi auri ab Anglorum Rege, ad corrumpendam Romanam Ecclesiam. De quo audi etiam querelas Pictaviensis Episcopi, ita scribentis ad Lombardum: Gloriatus est etiam Rex se tales amicos habere in curiâ, qui omnes conatus Archiepiscopi Cantuariensis evacuabunt: & ita seduli sunt, in promovendis negotiis ejus: ut nec unam petitionem porrigere possit, vel aliquid impetrare, quod per amicos non mittatur ad ipsum. Scimus & nomina eorum quorum consilio utitur, & qui nuper egerunt in Curiâ, ut causa Dei, & pauperes Christi vili pretio venderentur. Neque enim fuit multitudo in commutationibus eorum. Nunquid fuissent illæ unciæ auri, quibus impulsi sunt ut caderent, quos Ecclesiæ columnas oportuit esse? Adeoque de triumpho suo elatus est Rex, ut in domo sua taceri non possit, qui Cardinales de illo pestifero & infami auro nihil acceperint: quive procuraverint quomodo dispensaretur, aliis plus, aliis minus; secundùm quod magis, aut minus quis promoverat ad justitiæ subversionem.] Ita de Cardinalibus Cardinalis Baronius.

Baron. hoc.

Nonnulli corrupti auro Regis in Curia Ro.

Gloriatus est Rex de amicis suis in curia Ro.

LXII. Pergit etiam immunes, & auro non venales in sequentibus laudare. [Ex iis, inquit, qui accipere noluerunt, fuere inter alios Humbaldus & Hyacinthus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales laudatissimi, S. Thomæ fautores, de quibus extat ejusdem Sancti Thomæ Epistola, ubi de auro ab ipsis contempto ingeritur honorifica mentio, cùm ipsi non solùm ab auro Angliæ Regis se laudabiliter abstinuerint: sed suum quod haberent, profuderint, in Anglos ipsos, pauperes exules, causâ Ecclesiæ laborantes. Ait enim S. Thomas. Nos alii verbis, sed vestra rebus & operibus benignitas consolatur. Doluistis vicem nostram, & calamitatem Ecclesiæ, & pauperum Christi coexulantium angustias hic habuistis, ut vestras. Præmia fraternæ charitatis, & veræ compassionis fructum vobis in illa die tribuat justus Judex, qui misericordibus, in gratia uberi misericordiam pollicetur. Non abiistis post aurum quo nuper ad læsionem nostram, & Apostolicæ sedis confusionem capti sunt quidam, quorum patrocinio, receptis literis Apostolicis, quas lectitari facit, in utriusque regni compitis Rex Anglorum, se de Romana Ecclesia gloriatus est triumphasse. Nec immeritò. voti siquidem compos effectus est. Et nunc in Ecclesia Dei, nemine contradicente, pro libito debacchatur: sperant, quod Deus avertat Dominum Papam, aut me, pro voto suo interim moriturum. Et inferiùs post ærumnas suas recensitas, hæc rursum de auro Romæ erogato: Novit utique Dominus, qui sunt ejus; & Ecclesia jam scivit ex parte, qui non sunt ejus. Nam Rex Anglorum prædicat qui sui sunt: nec tacitum est, quot & quibus erogatum est, aurum: sed numerata ejus spolia nostra, spolia pauperum Crucifixi; imò ipsius Christi spolia sunt, imò minima porti-uncula spoliorum.] Hæc idcirco (inquit Baronius) quod reditus Cantuariensis Archiepiscopatus amplissimos ipse Rex sacrilegè caperet. Hæc satis de rebus in Thomam exulem gestis hoc anno. restat, ut si quæ sint reliqua videamus.

Baron. hoc

Qui Cardinales non corrupti auro, sed S. Thomæ adhæserunt et suis.

LXIII. Cùm Henricus Rex sub finem hujus anni, quartumdecimum regni annum inchoasset, moritur Robertus Lincolniensis Episcopus, sexto idus Januarii, inquit, Hovedenus. Parisiensis paulò aliter. [Robertus (inquit) vir magnæ humilitatis migravit ad Dominum, 7. Kal. Februarii.] Tunc in Regium fiscum cessit Ecclesia, diuque cessura credebatur; de quo Gulielmus Neoburgensis. [Anno regni Henrici II. quarto decimo, qui fuit à partu Virginis millesimus centesimus sexagesimus septimus, mortuus est Robertus Lincolniensis Antistes, Alexandri successor: redactoque in fiscum Episcopatu, vacavit pastorali providentiâ eadem Ecclesia per annos ferè decem & septem: id est, ab anno ejusdem Regis quarto decimo usque ad tricesimum: ita ut aliquis in ea Pontificatus futurus ulteriùs tepidè crederetur, maximè propter verbum cujusdam conversi de Tama, à decessu prænominati Episcopi constanter affirmantis, nullum ulterius fore Ecclesiæ Lincolniensis Episcopum. Is enim (ut dicitur) cùm propter religiosæ conversationis meritum, & multorum, quæ similiter prædixerat, eventum spiritu prophetico pollere videretur, à pluribus in fidem receptum est, quod nec in ea re falleretur. At hæc post modicum fides nutare visa est, Galfrido Regis filio naturali, in gratiam ejusdem Regis, ad memoratæ Ecclesiæ pontificatum electo.] Sed electo tantùm, nam consecrationis munus non accepit, ut dicam anno millesimo centesimo octogesimo tertio. Siquidem ad eum usque annum, ad sedem illam nemo eligitur.

Robertus Lincolniensis Episc. moritur

Paris. hoc. Neoburg l. 2. c. 22.

LXIV. Mathildis etiam Henrici regnantis parens, & Henrici primi filia, quæ olim Henrico Imperatori nupta, in Annalibus nostris Augusta & Imperatrix audit, hoc anno millesimo centesimo sexagesimo septimo vivendi finem fecit, multæ ætatis, & multarum Virtutum fœmina. quæ Regiam Normannorum & Anglorum Fidem (nam ab utrisque descendit) egregiis factis ornavit. Hæc est illa cujus munificentiæ in Ecclesias argumenta plu-

rima dedi ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum octavum : quæ cùm post quinquennium graviter è partu periclitaretur, enixè petiit in Beccensi monasterio sepeliri. An parens (tunc enim Henricus primus in vivis erat) id concesserit, nescio. Joannes Spedus, Mathildem in Normannia & Rothomagensi urbe ægram, ac in Beccensi monasterio sepultam scribit. Idem affirmat appendix ad Sigeberti Chronicon anno 1168. Camdenus è privata Radingensis Ecclesiæ historia, ibi, Radingæ nimirum, conditam asserit. [Qua de re (inquit) accipe distichon tumulo inscriptum, & illud meo sanè judicio non malè natum.

Spedus in Henrico 2.

Camdenus in Barkeshire.

Ortu magna, viro major, sed maxima prole :
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens.

LAUDATUR AB ARNULPHO LEXOVIENSI.

Laudavit quoque mortuam Arnulphus Lexoviensis Episcopus, & mortis diem tumulo inscripsit epitaphio illo quod inter Epistolas ejus in hunc modum legitur.

Regum mater erat, & Regibus orta Mathildis.
Extuleratq; thoro nobiliore genus.
Sed magis egregia virtutum laude coruscans
Fortunam generis vicerat, atque thori
Septembris decimo sub prima transiit hora
De nostra ad verum nocte revecta diem.

LXV. EIUS PIA OPERA.

Præter illustria pietatis opera quæ sparsim supra recensui, in urbe Huntindoniensi Canonicis Regularibus monasterium posuit, templum Deiparæ sacrum : ita Catalogus ædium destructarum: Aliud etiam in agro Warwicensi ad Stonles oppidum Cisterciensibus monachis quod etiam in Henrici filii laudibus ponitur. Sed & Angliam egressa Mathildis pietas latè per Gallias diffudit se testis appendix ad Sigebertum, ubi hæc habentur : Thesauros infinitos pius filius distribuit Ecclesiis, monasteriis, leprosis, & aliis pauperibus pro anima illius. Fecit autem prædicta Imperatrix monasterium de Vote, in Coletensi pago juxta Juliam bonam, & posuit ibi monachos cistercienses. Fecit & monasteria Canonicorum. Unum juxta Cæsaris burgum, & aliud in silua de Gonfer ad pontem etiam lapideum super Sequanam faciẽdum Rothomagi, à se multam summam pecuniæ dimisit.] Plura non addo de Mathildis munificentia, quam *supra è Gemiticensi commendavi : quia transeundi tempus est in annum sequentem : nisi cum Godwino placet Roberti Herefordensis Episcopi mortem ad hunc annum referre, ut *suprà etiam, cùm consecratus est, dixisse me memini. Vacavit Sedes per sexennium, & tunc Robertus Folioth (quem Harpesfeldus incautè Balæum, & Lelandum sequutus, cum Roberto Melunensi confundit) Gilberti Folioth consanguineus, ex Archidiacono Oxoniensi, eligitur Herefordensis Episcopus, ut *infra.

V. an. 1128. 8.

MORITUR ROBERTUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS.

**V. an. 1131. 25.*

Harpesfeldus sec. 12. c. 33

ANNUS CHRISTI 1168.
ALEXANDRI III. PAPÆ 10.
HENRICI II. REGIS 14.

I. AUSPICAMUR annum Domini millesimum centesimum sexagesimum octavum ab Apostolica legatione, quæ superiori anno ab Henrico postulata, & ab Alexandro decreta, nunc demum ex Urbe missa, Romani Pontificis sollicitudinem commendat. Nam ita voluit Henrici precibus locum dare : ut locum Sedemque suam, pace compositâ Cantuariensis Episcopus, postliminii saltem jure obtineret. Quoniam verò è multorum relatione literisque cognoverat, multa in Romanæ sedis ignominiam à vulgo spargi, quibus exulum animi exasperati, de legationis eventu formidabant, scriptis ad Thomam exulantium Principum literis ita eum hoc anno consolatur.

II. *Apud Baronium hoc.*

ALEXANDER S. THOMÆ.

*Quod personam tuam literis nostris non sæpiùs visitamus, inde provenire cognoscas : quod per nuntios tuos, ea quæ non duximus scriptis committere, cognitioni tuæ, viva voce, curavimus frequentiùs intimare. Nunc autem ad tuæ discretionis notitiam volumus pervenire : quòd nos pacem tuam votivis cordis affectibus exoptantes : dilectos filios nostros Willelmum tituli Sancti Petri ad vincula Presbyterum, & *Oddonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum Cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum, illustrem Anglorum Regem, ut legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisimus : & specialiter, ut inter te & eundem Regem concordiam & pacem reforment : & cooperante Domino, amicabilem faciant compositionem. Unde quoniam nos pacem tuam, & Ecclesiæ, omnimode unam reputamus : nec magis, nisi quia ipsam majorem Ecclesiæ universali collaturam credimus utilitatem, optamus. Fraternitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus & mandamus : quatenus quàm periculosus præsentis temporis status existat : & quantum Ecclesia tibi commissa, præsentia, & consilio tuo indigeat, consideres diligentius ; & attendas ad pacem, & concordiam inter te, & memoratum Regem fundandam: quantumcumque salvâ tuâ, & Ecclesiæ honestate fieri possit, animum & voluntatem tuam inclines.*

**Ostiensem.*

III. *Etsi tibi in his non omnia secundùm beneplacitum tuum succedant ; ad præsens dissimules : quæ corrigenda fuerint, ad statum pristinum, processu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo charissimo filio nostro, illustri Francorum Regi secundùm petitionem tuam significamus, te à pace, & concordia bono, quoquo modo retardes : aut ab his animum & voluntatem tuam avertas; dummodò in conventione, tuam & Ecclesiæ (sicut diximus) honestatem valeas conservare. Quoniam multa poteris imposterum paulatim, habitâ discretione avellere ; quæ si modò exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verùm in jam dictos Cardinales potes omnino confidere: nec de memorato Guilielmo oportet te quomodolibet dubitare : quoniam nos ei ut ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & distinctè injunximus : & ipse tantum nobis promisit, quod nos inde nullatenus dubitamus. De cætero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus ; ut dilectum filium nobilem virum Comitem Flandrensem, ex parte nostra diligenter convenias, & instantiùs exhorteris : ut nostra, & Ecclesiæ necessitate inspectâ, nobis in aliquo liberaliter studeat subvenire. Non enim credimus, quod acceptiorem Deo eleemosynam possit facere : quam si nobis ad præsens, ad tuendam Ecclesiæ libertatem, dignæ subventionis solatium satagat exhibere.* Hactenus Alexander.

MONET UT NON DIFFIDAT DE GUILIELMO CARDINALI.

IV. Porrò quod spectat ad Verbum illud, Francorum Regi ab Alexandro suggestum, de quo supra : illud opinor est, quod sub idem tempus, de

legatione Galliarum Thomæ committenda (casu quo pax & concordia stabiliri non possit) Alexander ad Francorum Regem in hæc verba scripserat.

ALEXANDER REGI FRANCORUM. COMMENDAT SANCTUM THOMAM.

INter magnificentia tua, & devotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit: quod Venerabilem Fratrem nostrum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum, discretum pariter, & honestum, & nobis & universæ Ecclesiæ Dei charum omnimodis & acceptum; & tot, & tantis honoribus prævenisti: & ei tam ampla, & tam magnifica humanitatis beneficia, regiâ munificentiâ dignatus es largiùs erogare. Super quo utique serenitati tuæ, quantas, & quas possumus gratias exhibemus: & clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus: id sicut Deo, cui hoc potiùs in persona illius fecisti gratissimum: ita nobis acceptum putantes; tanquam si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam ejusdem Archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exoptamus: dilectos filios nostros Willielmum tituli Sancti Petri ad Vincula, & Oddonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum, illustrem Anglorum Regem duximus destinandos: ut inter eundem Regem, & præfatum Archiepiscopum ad utriusque honorem pariter, & perfectam concordiam & pacem, Domino cooperante, reforment: & in ipsius Regis terrâ transmarinâ causas emergentes audiant, & cognoscant: & ibidem Apostolicæ sedis legatione fungantur.

V. HORTATUR UT FACIAT PACEM INTER REGEM ET S. THOMAM.

Ea propter magnificentiam tuam per Apostolica scripta rogando monemus, & exhortamur in Domino: quatenus pro Ecclesiæ Dei reverentia, & honore Beati Petri, & nostro, apud jam dictum Regem, & Archiepiscopum, partes tuas efficaciter interponas & studiosiùs elabores, quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & sui etiam commodum, & augmentum, amicabiliter inter se, & pacificè conveniant: & ad hoc animos & voluntates suas, salvâ ipsius Archiepiscopi, & Ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium jam dictorum Cardinalium, & laborem & operam tuam, pax inter eos & concordia poterit reformari: Ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adjutorio fulta; non modicum inde suscipiet incrementum: & tu ab omnipotente Deo, in illa felici retributione justorum, speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus avertat) convenire non possint: dummodò Regiæ voluntati sederet, & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret, & acceptum: quod si absque gravi scandalo personarum regni tui fieri posset, ut nos prænominatum Archiepiscopum speciali honoris prærogativâ inter cæteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Unde serenitatem tuam, quantâ possumus prece rogamus: ut si pacem, salvâ honestate suâ, & Ecclesiæ quod omnimodis optaremus, habere non possit: nobis super his voluntatem tuam, sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omninò secretum. Ita Alexander: qui postea veritus (ut opinor) ne nova prærogativa, componendæ paci obstaculum foret; animosque Thomæ adderet, in pacis sequestros, scripsit monuitque, ne verbi illius intuitu quicquam statueret. Unde pro Alexandri in Thomam pietate, amorisque constantia, contra superiùs obloquentium suspiciones magnum ducitur argumentum.

VI. Sed quopiam potissimus in Thomæ causa scopulus, Henricus erat, & ejus imprimis animositas superanda: ad eum Alexander Pontifex per Legatos Cardinales in hunc modum scripsit.

ALEXANDER HENRICO

MAgnificentiæ tuæ petitionibus gratanter admissis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum tamen Deo & justitia possumus) satisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre: dilectos filios nostros Willielmum tituli S. Petri ad Vincula presbyterum, & Oddonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, viros siquidem literatos, discretos pariter, & honestos, & magnum in Ecclesia Dei locum habentes: & tibi, & regno tuo devotos: quos nos inter alios fratres nostros, charos admodum acceptosque, tenemus, cum plenitudine potestatis, causas quas tibi in aliis literis expressimus; & alias quas expedire viderint, cognoscendi in terram tuam Cismarinam, Excellentiæ tuæ Legatos duximus destinandos: Quibus vices nostras in omnibus ita plene commisimus exequendas; sicut illis, vel aliis Apostolicæ sedis Legatis Ecclesia Romana committere consuevit. Ea propter serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino: quatenus ipsos, sicut tantos viros & Apostolicæ sedis decet Legatos, honorificè & benignè recipias: & mansuetè, prout congruit honori Regio, pertractes: ut antiquam devotionem tuam in filiis suis Sancta Romana Ecclesia recognoscat: ac Excellentiæ tuæ, & toti terræ tuæ gubernationi commissæ incrementum inde non modicum valeat, cooperante Domino, provenire. Ea verò quæ sublimitati tuæ ex parte nostra proponent; ita graviter admittas, & prompto animo acquiescas: quod Dominus in his, & Ecclesia sua dignis præveniatur honoribus: & tu ipse, ac universa terra tuæ gubernationi commissa, fructum inde multiplicem, & a Deo præmium, & coram hominibus laudem & gloriam suscipere valeas. Hoc verò transcriptum nulli mortalium reveles, nisi solum Magistro Guntero: quia fidem meam super Magistro Galtero, ita strictè, ut voluit dedi.

Cùm Apostolicæ sedis Legati, his muniti literis, in Gallias descendissent, datis ad Thomam Cantuariensem literis, ad pacem cum Rege ineundam, ipsum in hæc verba invitarunt. & imprimis Guilielmus Papiensis ita scripsit. VII.

CARDINALES LEGATI S. THOMÆ.

LIcèt temporum qualitate variatâ, nè Romana Ecclesia schismate laberaus, graviora detrimenta incurreret, in varia erga vos, juxta quorundam opinionē, videamur declinasse proposita: novit tamen qui inspector est cordium, dilectionem vestræ nostro in pectore continuè resedisse. Sicut autem vigilantia vestra sæpè nos recolimus intimasse, suspicionem Domini Regis Angliæ, quatenus licuit, vitare curavimus, ut procedente tempore, inter vos, & ipsum, amica interventione, efficaciùs mediare possimus: & tanti Principis devotionem sedi Apostolicæ conservare. Nunc autem ad quæstiones, quæ inter vos & ipsum vertuntur (sicut Ecclesiæ Dei magis expedire viderimus) terminandas, in terram suam, unà cum Venerabili fratre nostro Oddone Cardinali diacono destinati: vigilantiam vestram exhortamur, & suademus attentius, his quæ ampliores desidii causas generare solent, quantum in vobis est, evitatis, ad ea quæ concordiæ cooperari valeant studiosius curetis attendere. Nos enim & paci & profectibus vestris, quatenus gratia divina indulserit, remota personarum acceptione, studebimus cooperari, nihil studii relicturi; sicut auctore Domino, rerum argumenta monstrabunt; quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ valeamus impendere. Ita ille.

Thomas, lecto, quod scribebatur, Guilielmum VIII.

ad terminandas inter se & Henricum Regem destinari ab Apostolica sede, ad novitatem vocis expalluit, cùm sciret non ad definiendum, sed ad interloquendum tantummodò Legatum esse: ad pacem, inquam, inter se arbitrio, non judicio firmandam: rescripsit ergo animo subirato, rescriptumq; priùsquam mitteretur, ad Joannem Saresberiensem, quo familiariùs utebatur, ejus calculo probandum misit. Scripsit autem in hanc sententiam.

S. THOMAS LEGATIS APOSTOLICIS.

*Literas Celsitudinis vestræ nuper accepimus, speciem mellis in initio propinantes, venenum in medio: oleum in fine. In quibus continetur. * Vos ad partes illas hujus temporis descendisse, ad terminandas quæstiones, inter Dominum Regem Angliæ, & nos; prout expedire videbitis. Non credimus vos ad hoc venisse: nec certè vos ad hoc suscipimus, multis ex causis, quas late, & tempore opportuno manifestabimus. Veruntamen si quid boni, & pacis, per manum vestram nobis acciderit, Deo gratias & vobis. Valeat Celsitudo vestra, ut nobis inde sit melius.* Ubi has literas recensuit Joannes Sarisberiensis, ita magna animi libertate rescripsit.

IX. JOANNES SARESBERIENSIS S. THOMÆ DAT JUDICIUM DE LITERIS EIUS.

INspectis literis, quas Domino Willelmo Papiensi mittere decrevisti; etsi mentem scribentis judicare non audeam, styli tamen formam probare non possum. Non enim sonare videntur humilitatem, aut processisse de mente hominis, qui Apostolum audierit exhortantem Discipulos Christi. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est. Si enim literarum vestrarum, & ipsi articuli singuli considerantur, ex amaritudine potius, & rancore animi, quam ex charitatis sinceritate videbitur processisse responsio. Quid autem scripsit; ut leodorias, & scommata, id est, patentes morsus, & figuratos taceam; ut eum dicatis in medio literarum vestrarum velis propinare venenum. Nunquid vobis visus est Cardinalis Presbyter, imo & Apostolicæ sedis Legatus in prima salutatione suspicionibus inurendus, & gratis exacerbandus contra consilium Domini Papæ, & contra Romanæ Ecclesiæ reverentiam dehonestandus convitiis? Profectò nec Dominus Papa Cursorem sic alloquendum esse arbitror. Si suas, & vestras Domino Papæ remiseris literas: Regis causam justificasse videbitur attestatio scripti vestri, & propriam contumaciam convicisse. Esto quod fuerit, & sit adhuc Willelmus inimicus: dissimulandum puto, donec opera ejus in lucem prodeant. & paulo post: Si se dixit missum ad terminandas quæstiones prout Ecclesiæ Dei viderit expedire. in quo vos læsit? nonne possunt, sicut per sententiam, ita & per compositionis benignitatem terminari? Si exhortatus est, ut evitetis, quantum in vobis est, ea quæ solent ampliores dissidii causas generare, non video quid peccavit; cùm hoc ipsum sapientissimi, & sanctissimi consulant: monentes, ut quatenus salvâ honestate Ecclesiæ, & personæ vestræ licuerit, paci diligentiùs intendatis.

X. Sequutus est monentis consilium S. Thomas, amicorum potiùs quàm suo judicio fisus. literas illas amaritudinem & aculeos redolentes, retinuit: & earum vice, istas misit, Guilielmo Papiensi sic inscriptas

Venerabili Domino, & amico de meritis diligendo WILLELMO Dei gratiâ tituli S. Petri ad vincula, Presbytero Cardinali, & Apostolicæ sedis Legato. THOMAS eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, Salutem, & contra Principum insolentiam fortitudinem.

S. THOMAS GUILELMO CARDINALI.

GRatias habemus dilectioni vestræ, quod literis Celsitudinis vestræ parvitatem nostram nunc tandem visitare dignati estis: quæ quidem ex præsentis temporis statu pensatur à multis, non ex præterito, quam Deus in futuro, de misericordia sua, cùm voluerit, & dignum judicaverit, erigere poterit in meliorem. Quod dicitis (sicut videtur multis, vos in varia proposita circa dilectionem nostram esse distractam: hoc fuisse utilitatis nostræ causâ, ut haberemini suspecti à Rege quamvis fieret devotus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, minusq; benignum ad faciendam nobiscum pacem. Novit Dominus qui inspector est cordium, ipseq; rei manifestabit effectum. Si verò nunc temporis descenderitis in terram suam (prout literarum vestrarum habet continentia) ad decidendas quæstiones quæ inter nos & ipsum vertuntur, sicut magis expedire videritis Ecclesiæ, hoc certè possibile est. Veruntamen credimus nos pro certo nosse, ad quid veneritis, & ad quid debeamus suscipere. Unde est, quod discretionem vestram, quamplurimùm exhortatam esse cupimus in Domino: ut sic vos in hoc negotio habeatis: ut inde sit honor Deo, relevamen Ecclesiæ, gloria nobis in populo, & gente. Si verò aliquid boni, & pacis nobis & Anglicanæ Ecclesiæ per operam vestram & industriam acciderit, gratias Deo & vestræ solicitudini. Et utinam pio compassionis attendatis affectu: quanta nos & Anglicana Ecclesia sustinuerimus gravamina, & adhuc sustineamus: quantumq; lædatur universalis Ecclesia in nostro gravamine. Ad hoc quidem negotium universorum respiciunt oculi, ipsiusq; finem expectant in quo sumet sibi cornua Principum insolentia; vel (quod dignius est) sustinebit defectum. Et utinam magis patiatur defectum, quam ex adventu vestro resumat vires. Valete & ut sit nobis melius & Ecclesiæ, Valete semper.

XI. Scripsit etiam sub idem tempus ad Alexandrum Papam Sanctus Thomas, questusque de Guilielmo Papiensi, quod se causæ judicem jactitaret. Meminit harum literarum Baronius, sed integras è Vaticano Codice non recitat, ea tantùm delibans, quæ Thomas in Guilielmum scribit, ut illud: [Præterea noscat Sanctitas vestra, accidisse nobis quod verebamur, quod prædicabamus, lucidum esse de præsumptione & insolentia Domini Willelmi Papiensis: sicut ex literis nobis statim in ipso adventu suo transmissis potestis perpendere. à quo magis sperabamus, juxta tenorem mandati vestri ad Dominum Regem Francorum, & ad nos emissi; solatium de consolatione pacis, quàm confusionem de quæstionum decisione, inter Regem Anglorum, & nos. Non enim ipse est talis, cujus in hac causa subdi debeamus ditioni: præsertim cum instantia Regis magis coegerit vos ad eum mittendum, quàm ipse coactus, & missus venerit à vobis. Credimus quidem non esse juri consentaneum; nos ejus subire judicium, vel examen: qui quærit commercium sibi facere de sanguine nostro, de pretio utinam non iniquitatis, quærat sibi nomen & gloriam.]

Apud Baronium hoc. S. THOMAS ALEXANDRO PAP. CONTRA GUILIELMUM PAPIENSEM.

Hanc

Hanc literarum clausulam Baronius in hunc modum commentatur. [Hæc id circò, quòd ut apparet ex aliis literis pro constanti habebatur, Regem ipsum Anglorum pollicitum esse eidem Willelmo Archiepiscopatum Cantuariensem, si eo privaret Thomam ipsum.]. Pergit verò. [Proinde supplicamus Paternitati vestræ affectuosè (si ei cura est de nobis) ut evacuetur potestas ejus: si quam tamen habet circa nos, & negotia nostra. Transferatur malleus iste à nobis, qui potiùs elegit esse malleator clericorum, obsequendo Principi, quam Regum offensor consequendo gratiam Divinam.] Ita ille.

Omitti non debent alterius Legati ad Thomam Archiepiscopum literæ, quibus itineris sui rationem reddit, & alia mittit secretò referenda. Literarum series est hujusmodi:

Amabili Patri, & Fratri charissimo Thomæ Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo: Oddo eadem gratia S. Ro. Ecclesiæ Diaconus, & Apostolicæ sedis Legatus Salutem.

XII. Oddo Cardinalis Legatus S. Thomæ.

Notificamus charissimæ dilectioni vestræ, quod ex mandato Domini Papæ procedentes, per insidiosa, & plurimùm periculosa, usque ad Venetiam Domino ducente pervenimus; inimicis nostris (schismaticis scilicet) undique in insidiis excubantibus, quorum laquei, Domino favente, contriti sunt, & nos liberati sumus. A Venetia autem non clam, sed manifestè, cum plurimo gaudio, & amicorum nostrorum multo fole per Marchiam, & per Veronam, & per patriam nostram Brixiam (ubi plurimùm fuimus commorati) per Bergamum, per Mediolanum, juxta Novariam per Vercellas, juxta Taurinum transeuntes, usque ad Sanctum Michaelem de Clusa & exinde per provinciam, usque ad Sanctum Ægidium incolumes & illæsi pervenimus: inde ad montem Pessulanum transituri. Veniente Domino Willelmo amico nostro per alias partes, sicut credimus, prout vos nostis: Quem Dominus Papa destinavit, profecturis. Mittimus ad vos clericum nostrum præsentium latorem: cui super his, quæ vobis ex parte nostra dixerit, tanquam nobis ipsis firmiter credatis: quod nobis significare volueritis, tanquam per vosmetipsos indubitanter renuntietis. Hæc Oddo: ad quem Thomas, priùs quàm dictas literas recepisset, officii plenas literas in hunc modum dictaverat.

XIII. S. Thomas Oddoni.

Audito adventu Magnitudinis vestræ, proscriptorum Christi coexulantium nobis exhilaratus est cœtus: & quasi ad consolationem Ecclesiæ, & Cleri liberationem de cœlo missus sit Angelus, exultavit, & gratias egit omnis Ecclesia Sanctorum. Et licet multis suspectus sit Collega vester, dicentibus, quod acceptor est personarum, & munerum Domini Regis intimus fautor, & ei velit in omnibus patrocinari: & nos, imo Ecclesiam Dei confodere, & jugulare spoliis nostris: nominis tamen vestri, Virtutum (rectiùs dixerim) clarescit opinio: ut Angelum Domini cum Moyse, id est, Spiritum Sanctum in lege prævium habeatis, qui custodiat vos semper, & Deum recentem habere non patiatur, ut verbo, aut munus, aut personam proferatis aut causam. & paulo infra de Gulielmo ejus Collega subdit. *Insultant nobis plurimi, & præcipuè nostri, imo Ecclesiæ adversarii, dicentes rectè contra nos missum esse Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, ut ministerio ejus Petrus denuò vinculetur.*

XIV.

Turbarunt Apostolicum novæ turbæ; motusque inter Anglorum, & Gallorum Reges; qui & componendæ paci, & conveniendo, obstaculo fuerunt; gliscere cœperunt superiori anno, sed in majus hoc anno incendium eruperunt. Parisiensis ergo ad annum millesimum centesimum sexagesimum septimum. [Eodem (inquit) tempore effecti sunt discordes Reges Francorum, & Anglorum. Unde Calvus mons Gizortio vicinus succensus est à Normannis, capti sunt milites multi, & cives. Sed in illius rei ultionem Rex Francorum, villam Andeliaci combussit, & ipsa die reversus in Franciam plusquàm mille de suis in itinere amisit. Et non multò post, in pago Perticensi, milites multi de gente Francorum capti sunt à Normannis] Ita ille: Originem causasque hujus discordiæ refert Neoburgensis in hunc modum: [Rege olim Stephano, tumultibus Anglicis occupato, Comes Andegavensis, invasit obtinuitque Normanniam, præter Gisonium, & duo alia quasi appendicia castella, quæ in potestatem Regis Francorum cesserunt. Hanc juris Normannici diminutionem, processu temporis, ejusdem Comitis filius, Rex scilicet Anglorum Henricus secundus non patiens, arte magis, quàm viribus vidit utendum. Denique per virum industrium, Thomam scilicet Cancellarium suum, egit apud Regem Francorum: ut filia ejus, ex filia Regis Hispanici, quæ nupserat ei post Alienoram, primogenito suo Henrico daretur in conjugem, munitionibus illis in dotem cedentibus: quæ tamen à templariis tanquam in sequestro custodirentur: donec pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, suo tempore nuptialiter convenirent: Rege Anglorum interim utriusque pueri habente custodiam. Verùm idem Rex aliquot annis elapsis, productioris moræ impatiens: inter eosdem pueros, nuptias celebravit præmaturas & à templariis castella recepit. Quamobrem sævientibus Francis: & ipsum prævaricationis, Templarios verò proditionis accusantibus, ad lites & bella ventum est.] Hæc author. de præmaturis his nuptiis, dictum est eo anno quo celebratæ, nimirum Christi millesimo centesimo sexagesimo. A quo tempore Regum iræ, & animorum motus fuere: nunc demum in bellum erumpentes, cùm Thomæ qui nuptias conciliaverat, causa controverti deberet.

Parif. anno 1167.

Neoburg. l. 2. c. 24.

Dissidia inter Henricum II. et Ludovicum Francorum Regem.

V. an. 1160 25

XV.

Auxit Gallici regni calamitatem civile bellum in urbe Remensi, quod pugnantibus inter se Regibus hoc anno contigit. Tunc enim Joannes Saresberiensis, ad Joannem Pictaviensem Episcopum, inter alia scripsit: [Regnorum collisiones, & terræ motus magni imminentium populorum, me calamum suspendere diutiùs coegerunt, & commodiora scribendi tempora expectare: Bellici namque tumultus æstate ferè tota ferventes, intermeandi facultatem portitoribus præcluserunt, & in urbe Rhemensi orta seditio, sic turbavit provinciam, ut vix tutum fuerit ingredi civitatem.] Hæ turbæ Alexandrum moverunt, has ad legatos suos literas & mandata in Gallias mittere.

Joannes Epist. 214.

Seditio Remensis.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis WILLELMO S. Petri ad vincula presbytero, & ODDONI Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Diacono, Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

ALEXANDER LEGATIS SUIS, UT PACEM INTER REGES CONCILIENT.

Quanta universæ Dei Ecclesiæ, & præsertim Romanæ, & Orientali detrimenta, & incommoda, ex discordia & dissensione, quæ inter charissimos in Christo filios nostros illustres Francorum, & Anglorum Reges, per humani generis contigit inimicum, potuerint evenisse, nostram decet discretionem advertere: & tantò diligentiùs ad ea extinguenda intendere, quanto exinde majora (quod Deus avertat) pericula formidamus. Quocirca discretionem vestram per Apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus: quatenus ad pacem inter eos, & concordiam reformandam, modis omnibus per vos, & alios religiosos, & discretos viros utriusque regni intendere studeatis: & ad hoc totâ diligentiâ, & totis viribus laboretis: vobis omnimodis præcaventes ne ad petitionem, vel favorem unius aliquid statuatis, unde alter scandalizari debeat, aut quoquo modo turbari: Ad hæc vobis districtius prohibemus: ne uterque vestrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis ejusdem regni tractare, & præsertim de consecrationibus Episcoporum aliquid unquam efficere, vel ordinare præsumat: nisi priùs Venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis Archiepiscopus jam dicto Anglorum Regi ex integro reconcilietur. Quod per studium & operam vestram, operante Domino, ad effectum posse perduci, confidimus, & omnino speramus. Sicut enim ex literis multorum discretorum virorum accepimus, nihil est unde præfatus Francorum Rex, & tota terra ipsius ampliùs commota fuerit, vel turbata, quam ex iis quæ Joannes Saresberiensis Decanus à nobis, rediens, in partibus illis dicitur disseminasse. Datum Beneventi undecimo Kal. Septembris.

XVI. Quid inter Reges à Cardinalibus actum non reperio: Proceres tamen utriusque Regni pro pace intercessisse, legesque servandæ pacis in Suessionensi conventu sanxisse authores infra citandi affirmant. Sed solida constansque concordia firmari vix unquam potuit; Henrico nostro, omnem cum Thoma pacem respuente, nolenteque Deo illum in Regia dignitate quiescere: qui Ecclesiam sua dignitate spoliabat. Franci quidem ad pacis conditiones nimio tardiores erant: [Sed crebris experimentis edocti (loquitur Neoburgensis) se Regis Angliæ potentiæ vim inferre non posse, ira paulatim defervescente, tandem pacis quibusdam mediantibus adquieverunt; ut fieret pax, & facta est pax; non quidem solida: sed temporalis, ut postea claruit. Nempè memorati duo Reges, nunquam diu inter se quievisse noscuntur: populis hinc inde plecti assuetis, quicquid illi per superbiam delirassent.] Ita ille. Porrò qui pacis fuerint sequestri, & quæ conditiones appositæ, Joannes Saresberiensis Epistola ducentesima trigesima quarta; quæ, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, in magna Patrum Bibliotheca, inscribitur (licèt Baronius Epistolam sexagesimam primè Vaticano opinor codice nominet, & Archidiacono Exoniensi inscriptam.) affirmat in hunc modum.

Neoburg. l. 2. c. 24.

PAX HAUD SOLIDA INTER DUOS REGES.

XVII. [Illustres viri Henricus Campanorum, & Philippus Flandrensium Comites procuraverunt in Conventu Suessionensi causam Regis Angliæ apud Christianissimum Regem: & juxta tandem preces memorati Regis Anglorum, in hanc formam pacis decursum est. Rex Angliæ debebat redire in hominium Regis Franciæ, & fide corporaliter, & publicè datâ, coram omnibus profiteri, quod ei tanquam Domino suo de Ducatu Normanniæ serviet: sicut prædecessores sui Duces consueverunt servire Francorum Regibus. Comitatum verò Cenomanensem, & Andegavensem, & fidelitatem procerum ad memoratos honores pertinentium cedere tenebatur Domino Henrico filio suo: qui inde hominium & fidelitatem Regi Francorum, Contra omnes homines facturus erat; nec aliquid debiturus Patri, vel Fratribus, nisi quod exigit ratio meriti, vel naturæ. Ducatum verò Aquitaniæ, lege simili, Francus Richardo filio Regis Angliæ concedebat, dans ei in matrimonium filiam suam, sed sine dote, quæ tamen erat pro libitu parentis donationem propter nuptias acceptura. De Tolosa, nec mentio habita est. Milites qui altrinsecùs capti erant, debebant liberari: & sic consolidari pax & concordia Regum. Cùm verò Rex Angliæ voti cōpos audisset Comitem Henricum ad se venire: ut hæc ineundæ concordiæ forma confirmaretur: demandavit ei, ne progrederetur, proficiscens in Pictaviam, ut Liziniacum castrum auferret Proceribus: qui illud reædificare convenerunt, & munire. Causam verò, quam cum Francis tractabat, commisit Archiepiscopo Rothomagensi, & Richardo de Humez, & R. de Luci finiendam vice suâ. Quorum juramenta contra voluntatem Domini sui, Franci nostri non appretiantur vel obolum. Unde Rex Francus, ratus se delusum esse dolo partis alterius, Bituricas indignans profectus est: ibique à partibus Pictavorum juramenta recepit & obsides, quod nullam sine consilio, & voluntate ejus, cum Rege Angliæ faciet pacem, eis auxilium mutuum repromittens: & juramento Petri Fratris sui, & Comitis Stephani, & Willermi militis Carnotensis, firmans, quod nec ipse faciet pacem, nisi factâ pace eorum: & nisi ei restituantur ablata.] Hæc Joannes.

Joannes Saresb. Ep. 234.

BARTHOLOMÆO EXONIEN. EPISC.

PACIS CONDITIONES.

XVIII. Verè non est pax impio, dicit Dominus: & qui nuper Ecclesiam persecutus, factus est elatior, & Thomam Archiepiscopum audire noluit: nunc pacem infimis conditionibus emendicare cogitur; & creaturæ se submittere, qui humiliter astare noluit Creatori. Sed ecce vix nata pax, Henrici ambitione denascitur, & Ludovicum magis quàm antea aversum & alienum Anglus habet. Nam sequitur in Joanne. [Jurato itaque sed diligentiùs per antedictos Comites Campanum & Flandrensem egit Rex Angliæ, ut alterius Regis haberet colloquium: & pacem pro forma, in quam convenerant, reformaret. Et quidem in octavis Paschæ colloquium obtinuit optimatum Francorum: sed faciem Regis videre non meruit: nisi ante securitatem præstiterit, quod Pictaviensibus, & omnibus qui Regi adhæserunt, pacem, & universa ablata cum integritate restituet: excepto quod non tenetur Pictaviensibus: sicut nec ei Pictavienses mortuos suscitare, & casas reædificare combustas. Hanc ergo fide corporaliter datâ, præstitit cautionem. Et quidem alios articu-

HENRICUS COGITUR AD INIQUIORES CONDITIONES PACIS.

los pacis apud Suessionem dispositæ, fideliter observavit. Hoc ipsum simili modo cautum est à Proceribus ejus. Proceres autem Franciæ obligaverunt: quod Rex Francorum, si sibi pacta superiùs posita & suis servata fuerint, præmonstratam pacis observabit conditionem: excepto quod filiam suam non cōsentit Richardo destinatu Duci Aquitaniæ, in matrimonium collocare. Hoc tamen de Tholosa expressum est. quod si Richardus de Comite Sancti Ægidii petierit justitiam exhiberi: Rex causam tractabit judicio curiæ suæ. Quæ cùm Regi Francorum relata fuissent ex ordine, consensit, ut cum Rege Anglorum loquatur Dominicâ proximâ post Ascensionem: & secundùm prædictas conditiones faciat pacem. Sed Pictavienses ei postea conquesti sunt, quod Rex Angliæ eos transmisso exercitu expugnabat dum verba concordiæ tractarentur. Exercitum tamen confeceerant, sed inviti. Unde Rex Francus plurimum motus est. Sed an hoc impedire pacem possit, ignoro, licet eum pœniteat sic consensisse.] Hæc Author de altera Rep.

XIX Ad sanctiorem quod attinet: Guilielmus Papiensis Apostolicæ Sedis Legatus, qui Reges primò inter se & inde Thomam, Anglorum Regi in nullam partem pronior, conciliare debuisset: utrobique notatur, uni parti, plus quàm par erat, addictior, ita apertiorem inter partes scissuram fecit. Ægrè tulit Ludovicus; Legatum apud Henricum Regem gloriari, se Roma rescriptum impetrasse, quo Thomæ Archiepiscopi potestas de ipso excommunicando suspensa, durante legatione suâ esset. quod quomodo factum narrat Joannes Saresberiensis apud Baronium, ita scribens. [Literas illas de quibus Rex gloriatur, Domini Cantuariensis potestatem cohibentes, donec redeat in gratiam ejus: constat hac arte fuisse impetratas: Noverat memoratus Papiensis Dominum Cantuariensem ab Apostolica sede; ut ei liceret in caput Regis, anathematis, & in Regnum interdicti promulgare sententiam: nisi Rex infra terminum literis comprehensum, Ecclesiis ablata, cum integritate restitueret, & condignè satisfaceret. Scripsit ergo Domino Papæ, lacrymabili supplicatione deposcens, ut cum Rege mitiùs ageretur: ne tam ipsum, quàm Oddonem Collegam suum, ad ignominiam & opprobrium sempiternum Ecclesiæ Romanæ idem Rex (sicut jam disposuerat, si in ipsum asperiùs ageretur) conjiceret in vincula, & carcerem: ubi morte ipsâ duriorem, miseram & brevem transigerent vitam. Cùm ergo Regem hoc facturum esse persuasisset: obtinuit ad consolationem Regis, & quasi suam, & socii liberationem: quo faciliùs egrederentur, rescriptum Apostolicum, quod tam vestram, quàm omnium Fidelium mentes exulceravit.] Ita ille: Quàm ægrè tulerit Francorum Rex diminutam ab Alexandro, Thomæ potestatem, Guilielmus electus Cantuariensis Episcopus testatur ita scribens ad eundem Alexandrum.

Apud Baronium hic fol. 561.

GUILIELMUS PAPIENSIS IMPETRAT SUSPENSIONEM SENTENTIÆ CONTRA REGEM.

XX. [Supplicaverunt vobis Ecclesia Gallicana, & Rex, pro Domino Cantuariensi, qui pro libertate Ecclesiæ, & Majestatis vestræ dignitate tuenda, exul, & proscriptus jam quartum explet annum. Agit apud vos contra vos tyrannus Ecclesiæ persecutor, manifestus hostis regni Francorum: cujus iniquitas omnibus nota est. Et tamen (quod dicere verecundor, & doleo accidisse) prævaluit hactenus malitia in vanitate sua. Siquidem nuper, cùm ad colloquium Christianissimi Regis accederet, & per Comitem Flandrensem, qui illuc Dominum Cantuariensem traxerat, de pace Ecclesiæ reformandâ sollicitaret: Literas Apostolicas in audientia Episcoporum suorum, & Procerum, legi fecit: quibus statuebatur; nè præfatus Cantuariensis in ipsum, aut terram suam, sententiam ferre possit: aut aliquod gravamen alicui personæ in terra sua inferre, donec redeat in gratiam ejus. Quo audito Christianissimus Rex confusus est, & totum regnum, omnesque filii Ecclesiæ doluerunt, virum justum, Pontificem reverendum, sine causa suspendi; & ab Apostolica sede manasse scriptum tam perniciosum exemplo. At ista quidem de suspensione (loquitur Baronius) concesserat Alexander Papa antequam rescisset fraudes Joannis de Oxenford de quibus superiùs dictum est. Quibus compertis; adeo zelo læsæ veritatis excanduit, ut ipsorum Legatorum suspenderit adventum: ipsum verò Sanctum Thomam literis sit consolatus. Testatur id quidem Joannes Saresberiensis in Epistola ad Silvestrum: in qua illa primùm habet de munificentissimo Regis Francorum officio, quo prosequeretur Sanctum Thomam. Ait enim.

Baron fol. 566.

XXI Dominum Cantuariensem Christianissimus Rex Francorum Senonis excepit Regia magnificentiâ, in Ecclesia Beatæ Columbæ: eumque in omnibus sic veneratur & colit, ut Christum Domini decet à Christianissimo honorari. Eidem quoque fidelissimo Principi (sicut ipse fatetur) pauci videntur esse dies, & parvi sumptus pro amoris magnitudine, quos Sacerdotis Christi, & Apostolici viri impendit obsequiis. Sed & Fidem ejus (quod satis humiliter recolit) condigna mercede remunerat Deus. Cujus muneris est, ut sine cruore & tumultu, in medio hostium degens, & prosperetur in omnibus: & quod maximum reputat, ametur, & honoretur à subitis. Sicut Obededom Gethæus Arca Domini recepta, in ancillarum fœcunditate & gregum, & totius possessionis multiplicatione, divinæ benedictionis expertus est fructum. Et Olda per ejusdem Arcæ receptionem quando eam impius Achaz ejecerat è templo Domini, assecuta est in sileotio Pontificum & Sacerdotum gratiam prophetiæ. Hic Rex Christianissimus, receptâ in regno suo Ecclesiâ Romanâ, in Alexandro Pontifice scilicet: de uxore suscepit filium, Fidei, auctore Domino, & Regni hæredem, quem data sibi omnium expetibilium optione, fuerat petiturus. Nunc pro humanitate Ecclesiæ exhibitæ Anglicanæ, novam quam pro arbitrio suo dabit Dominus gratiam confidenter expectat. Dominus Papa Cantuariensem Archiepiscopum verbis, & scriptis nuper consolatus est: & utinam omnibus innotescat: quibus pactionibus, & cautionibus obtinuerit ille jurator insignis ea, de quibus adversarii Ecclesiæ gloriantur, & paulò post: Silentur hæc interim necessitate obedientiæ, sed spes est in brevi omnia propalanda esse. Quia pro certo didicimus, Legatorum qui sperabatur adventus suspensus est: aut omninò sublatus juratoris (Oxenefordensis scilicet) fraude compertâ.] Hæc ibi, quæ clarius probantur è literarum serie quas Alexander ad Legatos dedit in hæc verba.

LUDOVICUS OB BENEFICENTIAM IN S. THOMAM PROSPERATUR.

2. Reg 6.
2. Paral 34. 35.

Post

XXII. Parsliteratum Alexandri Legatis suis. *fortè Depositionis.

*Post discessum vestrum graves ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum scilicet filium nostrum Joannem, Saresberiensem Decanum publicè proposuisse; quod cum Episcopo, & alias personas Ecclesiasticas, & Saeculares de regno Anglorum, a jurisdictione & potestate Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi exemerimus, juxta beneplacitum, & voluntatem Regis Anglorum, ad ejus *dispositionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re specialiter mittere deberemus. Aliud quoque nobis insinuatum est: quod Joannes Cumin de Oxenford, omnia rescripta literarum nostrarum, quas à nobis obtinuit, Guidoni Cremensi (Antipapæ) monstravit, & ipsi secreta nostra detexit. Unde idem Archiepiscopus erubescentiâ & dolore confunditur, & charissimus in Christo filius noster Ludovicus illustris Rex Francia, & Principes ejus, non parum sunt de ejusmodi rumoribus perturbati & vehementius commoti. Licet autem à pluribus, nobis proponatur, & quodammodo credibile videatur, quod prædictus Joannes, pro honore & exaltatione prædicti Archiepiscopi & Ecclesiæ suæ, & pro libertate Ecclesiæ tantum & ita fideliter laboraverit; quod studio & sollicitudine sua, postquam adpropriavedut, viros Ecclesiasticos, qui Regia captione detinebantur, ab ergastulo carceris fecerit liberari. Et etiam idem Joannes per literas suas nobis significaverit: Regem publicè cum multis dixisse se velle clericis sua terra illam libertatem, quam habebant tempore Henrici avi sui, servare. Quia tamen hujusmodi fama usque adeo crevit: quod in partibus illis opinionem nostram sinistrâ faciat æstimatione corrodi: discretionem vestram monemus, atque mandamus: quatenus continuo per literas vestras, prædictum Archiepiscopum consolari curetis, & omnem ab animo ejus amaritudinem, & suspicionem tollentes, eum cum prædicto Rege imprimis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis: & quanta poteritis ad hoc sollicitudine, & diligentiâ elaboretis: ita quòd sibi, & Ecclesiæ suæ antiqua jura & libertates, integrè, & illibatè servetis. Nec in terra ipsius Regis aliquid, quod magnum sit, faciatis: & in regnum ejus, si vos intrare vellet, nulla ratione intretis, nisi Archiepiscopum sibi primitùs integrè reconcilietur. Quia super his nobis & vobis detraheretur plurimum: & communis vox omnium honestatem vestram sinistris detractionibus laceraret. De Joanne vero Cumin, si ita esse inveneritis: districtam justitiam faciatis; ita quod alii debeant à similibus deterreri. Volumus autem ut in omnibus actibus & operationibus vestris circumspectè & maturè, & providè vos habeatis; ita quòd adversus vos nulla possit detractionis materia subrogari: & devotio utriusque regni per studium & conversationem vestram, circa nos, & Ecclesiam, debeat incessanter augeri: & vobis exinde perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Lateran. Nonis Maii. Hæc Alexander ad Legatos: quorum authorem è literis infrà citandis eundem Alexandum restrinxisse constabit.

XXIII. Quoniam verò non obstantibus Summi Pontificis moniris atque mandatis, pergebat Papiensis legatus, Regi in omnibus connivere, eum in causa superiorem probare, & Thomam passim in rebus controversis premere? Idem Thomas sequiorem impetum retundere, cum aliqua styli acrimonia putavit esse pretium operæ: literas ergo illi ita inscripsit.

Venerabili Domino suo, & Fratri, Willelmo Dei gratiâ S. R. E. Cardinali Presbytero: Thomas eâdem gratiâ Ecclesiæ Cantuariensis Minister humilis & miserabilis exul, Salutem & sic agere ut vivat in Domino.

Apud Baron fol. 107. S. Thomas Guilelmo Papiensi, ne nimis cedat Principibus.

*Non credebam me tibi venalem proponendum emptoribus, ut de sanguine meo compararet tibi nomen & gloriam. alius tibi procurandus esset proventus, si honestatis tui nimis periculosè oblitus, fortuna indolvia pensares dissimiliter. Sed fortè ut id ageres efficacius, fortunam meam præsentem in consilio habuisti, cujus dum tristia spectas, lætiora quoque sperare debueras. Alterna enim sunt rerum vicissitudines: & sicut de successoribus prosperis lapsus est facilis, sic & in contrarium. Nec prudentiam tuam latere credo, licet hoc experimento non senseris, nihil esse tam firmum; cui non sit periculum è vicino; sic & versâ vice. Hæc idcirco tibi scribo, ut subitos fortunæ casus diligentiùs de cætero examines, examinatos observes, observatis indulgeas. Hic certè exponenda non fuerat Petri navicula, quæ & sæpius concussa, convelli non novit, ut quæ etsi pluries jactata fluctibus, non submersa consurgit. Hujus itaque si veri Piscatoris, si optimi gubernatoris, verus vis esse discipulus, nauta bonus: sicut serenitatis gratiam multoties tibi fecit aura serena: sic impetuoso turbine, invalescente tempestate, omnes ingenii tui vires, teipsum etiam animo forti, sub omni discrimine opposuisse debueras. Si enim de manu ejus gratanter suscepisti pacifica, cur non patienter tolerabis adversa, forte ad momentum expiratura? Sic & magister ille tuus Princeps Apostolorum resistendo principibus, non cedendo, sed dissipando pacem iniquitatis, sanguine suo nomen meruit in terris, & in cœlis gloriam. Sic crevit vigor Ecclesiæ, cùm crederetur extingui. Hæc etiam in summâ tibi opto: sic agas feliciter, ut vivas in Domino. Valete, ut & inde melius valeam. Ita vir Sanctus in amaritudine animi sui.

XXIV. Interim Alexander Thomæ Luctum moderaturus, & animum mœrore depressum erecturus, his literis illum consolatur.

Alexander S. Thomæ.

*Etsi adversitatum & laborum angustia tibi acriùs incumbere, & invalescere videatur: plurima tamen Sanctorum Patrum tibi exempla proponas: qui sicut tu, multas zelo justitiæ calamitates, & angustias passi, immarcessibilem coronam, & cœleste regnum meruerunt feliciter adipisci. Quapropter rogamus prudentiam tuam atque monemus: quatenus semper illud præ oculis habens: Beati, scilicet, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: tuum nullis adversis animum frangas, nec ulla tribulatione deponas: sed cum fortitudinis & constantiæ virtute confirmes. Ubi verò justitiam & libertatem Ecclesiæ deperire cognoveris: cum Rege Anglorum in depressionem & diminutionem Ecclesiæ dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Veruntamen quantum salvo honore officii tui, & libertate Ecclesiæ fieri poterit: teipsum humilies, & ad gratiam, & amorem suum recuperandum modis omnibus enitaris. Neque plus justo de eo timeas: neque majores quam oporteat, securitates requiras: quia (sicut credimus) ex quo se tibi reconciliaverit, minimè te offenderet: nec à quoquam pateretur offendi. Nos enim, sicut tibi sæpè

Hortatur ad pacem cum Rege.

vivâ

viva voce et literis proposuimus, te tanquam charissimum sincera charitate diligere volumus; & ad conservationem honoris, libertatis & dignitatis tuæ augmentum, quantum divina gratia concesserit aspirare.

XXV. Dum literæ ultrò citróque vicariâ relatione perferuntur, tumultus in Galliâ, qui Legatorum cum Rege congressum tardavere, quieverunt: & sub autumnum, uterque Legatus ad Henricum Regem in Normannia morantem accessit. Quid inde factum, Guilielmi Papiensis literæ produnt, ejusque in Thomam Cantuariensem alienum satis animum. Sic enim loquuntur:

Beatissimo Patri, ac Domino ALEXANDRO, Dei gratia, Summo Pontifici; WILLELMUS & ODDO, eadem gratia Cardinales, Salutem: & subjectionis obsequia, tam devota, quàm debita.

GUILIELMUS PAPIENSIS AD ALEXANDRŪ.

VEnientes ad terram Illustrissimi Regis Anglorum; controversiam, quæ inter ipsum & Cantuariensem vertitur; vehementiùs quam vellemus, credo, invenimus aggravatam. Asserebat enim Rex, & suorum pars melior, quod idem Archiepiscopus Serenissimum Regem Francorum in eum graviter incitaverat, & Comitem Flandrensem, consanguineum suum, qui nullum priùs gerebat rancorem, ad ipsum subitò diffidendum, & guerram pro posse faciendam induxerat: sicut sibi pro certo constabat, & evidentibus apparebat indiciis. Siquidem cum idem Comes ab ipso Rege amicabiliter recessisset; Archiepiscopus in propriâ provincia ad loca guerrarum accedens, tam Regem Franciæ, quam memoratum Comitem, ad guerram, pro viribus incitavit. Cum igitur apud Cadomum primò jam dicti Regis Angliæ colloquio frueremur: Paternitatis vestræ literas (sicut decuit) manibus Regis reddidimus. Quibus diligenter consideratis, & perlectis in medio, cum ab aliis, quas pro eodem negotio priùs à vobis receperat, minùs convenientes, & aliquatenus dissentire viderentur: Rex acris cœpit indignatione peruri, & eò graviùs, quòd se procul dubio scire dicebat, præfatum Archiepiscopum, postquam à vobis divertimus, literas recepisse: quibus à nostro penitùs fuerat exemptus judicio: ut in nullo cogeretur respondere. Affirmabat insuper, quòd ea, quæ vobis de antiquis Consuetudinibus Angliæ fuerant intimata, falsitati potiùs subjacebant, quàm veritati possent inniti: quod utique vivâ voce attestabantur Episcopi. Offerebat etiam, quòd si tempore suo Consuetudines in regno Angliæ viderentur adjectæ, quæ statutis Ecclesiasticis obviarent, vestro libenter arbitrio in irritum revocaret.

ACCUSATUR S. THOMAS QUOD COMITEM FLANDRENSEM ANIMAVIT IN REGEM.

XXVI. *Nos verò Archiepiscopis, & Episcopis, & Abbatibus terræ suæ nobis adjunctis, cum omni diligentia studuimus facere, nè Rex nobis spem pacis omninò subtraheret: sed ad id potiùs se permitteret inclinari: ut cum Archiepiscopo, tam de pace, quam de judicio loqueremur. Sic proprios Clericos nostros, ad eum cum literis dirigentes, certum locum, & tutum indiximus; ut in festo S. Martini secum possemus committere sermonem. Ipse tamen quasdam excusationes prætendens, diem festi transtulit in octavas: quod utique in cor Regis altiùs, quàm crederemus ascendit. Cum autem sæpedictus Archiepiscopus (licet nos ei offeremus ducatum) in exitu terræ Regis Angliæ versus Franciam, nullatenus vellet occurrere: nos sibi deferre cupientes, in terram Regis Franciæ, ad locum, quem ipse mandavit, accessimus: nè per nos staret, quod in suum debeat redundare profectum. Cúmque jam nuntiatum esset colloquium: imprimis eicum multa sedulitate cœpimus suadere, & attentiùs exhortari: quatenus erga Dominum Regem, quippe qui multa in eum congesserat beneficia, eam humilitatis ostenderet speciem, quæ nobis quærendæ pacis opportunam materiam ministraret. Ad hæc autem, ipso cum suis, in partem recedens; habito tandem consilio, nobis proposuit: quòd se satis apud Regem humiliaret, salvo honore Dei, & Ecclesiæ libertate: & salvâ etiam honestate personæ suæ, & possessionibus Ecclesiarum; & ampliùs suâ & suorum salvâ justitiâ. Quibus taliter enumeratis, nos ei diligentiùs suadentes, quod necessarium erat, ad specialia descendere, cum ipse, nec certum aliquid, nec speciale proferret: subsequenter ab eo quæsivimus: Utrum super rationibus, quæ vestris erant literis annotata, nostrum vellet subire judicium; sicut Rex & Episcopi priùs promiserant se facturos? Ad quod ipse nobis quærentibus in promptu respondit: se non à vobis inde recepisse mandatum. Sed si priùs ipse, cum omnibus suis integrè restitueretur: tunc secundùm quod ab Apostolica Sede reciperet in mandatis, in hac parte procederet.*

Sic ergò à Colloquio redeuntes; cum verba ipsius, nec ad judicium provenirent, nec ad concordiam, nec aliqua ratione vellet causam intrare; ea quæ nobis innotuerant, Regi manifestare curavimus: plura quidem (prout decuit) reticentes, & temperanter audita. Nobis itaque locutioni finem facientibus; Rex, & Magnates, qui secum erant, cœperunt asserere: quòd esset deinceps absolutus, ex quo Archiepiscopus recusabat judicium. Cum ergò post multam Regis turbationem, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates regni Angliæ, cum non paucis etiam Clericis, instanter perquirerent, utrum prænotatum Archiepiscopum, seu ex aliquo speciali mandato, seu ratione Legationis ad judicium possemus distringere: & tum in hac parte nobis facultatem deesse cognoscerent: timentes ne prætaxatus Archiepiscopus, abjecto judiciario ordine, sicut alia vice fecerat, aliquibus regni personis gravamen inferret: quoniam nostra sibi taliter inutilis erat præsentia: & ad tutelam contra Archiepiscopum minùs sufficiens, unanimi sumpto consilio, ad vestram pariter audientiam appellarunt: appellationis terminum præfigentes in hyemali festo Sancti Martini (sequentis anni) interim se, & sua sub Apostolica protectione ponentes: & quaslibet regni personas, necnon & universum regnum sub ejusdem appellationis includentes edicto. Denique nos negotium istud, in maximum Ecclesiæ detrimentum vergere cognoscentes, supradicto Archiepiscopo, auctoritate vestrâ & nostrâ prohibendo mandavimus; ne de cætero (tum quia vestris erat inhibitum literis; tum quia fuerat solenniter appellatum) in præscriptum regnum, vel personas, vel Ecclesias regni aliquid gravaminis attentaret. Apostolicæ itaque circumspectionis erit, attentiùs providere; ne idem negotium in grave damnum Ecclesiæ vertatur: sicut ii qui attendunt profectus Ecclesiæ verentur & timent. XXVII.

Hactenus Legatorum relatio.

Cæterùm quia Thomæ innocentia, in literarum exordio, lacerari, vel premi saltem videtur: non erit Lectori grave, Annalibus certè opportunum erit ejusdem relationem, quam de rebus in congressu gestis ad Alexandrum misit, prædictis attexere: quæ sic se habet: XXVIII.

Relatio rerum gestarum data Alexandro per S. Thomam

Miſeriarum cumulus, & dolorum acerbitas noſtrorum, & coëxulantium nobis corda perculerat: & Chriſtianiſſimum Regem, & Optimates regni Francorum compaſſione Eccleſiæ, datæ (ut videbatur) in adventu Joannis de Oxenford, in manus eorum qui quærunt animam ejus, ut auferant eam: graviſſimo læſerat ſcandalo, ut exulceratus quereretur, fidem, & veritatem ſublatas eſſe de terra. Sed quod pietati veſtræ retribuat Pater miſericordiarum, ſanctiſſime Judex, amantiſſime Pater, & Eccleſiæ Dei fideliſſimè cuſtos, ſecundùm multitudinem dolorum in cordibus noſtris, conſolationes veſtræ lætificaverunt animas noſtras. Jam enim ſpe ſalvi facti ſumus: & Chriſtianiſſimus Rex, & regnum ejus, Apoſtolatui veſtro, quem Deus Optimum faciat, & in tempora longa protendat, innumeras agentes gratias, totam indignationem ſuam retorquent in illos, qui ſe de Majeſtate veſtra, juramentis ſuis triumphaſſe gloriabantur. Rex enim ipſe poſtquam dignationis veſtræ excuſatorias recepit literas, prudentiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, & beatitudinis veſtræ gratiam prædicat, & extollit: & malitiam & fraudes eorum, qui falſis rumoribus ſcandalizaverant Eccleſiam Gallicanam, obloquenter gaudenter exponit, & interdum, invitis adverſæ partis (ſi fortè adſunt) ingerit auribus. Ampliùs tamen lætatus eſt, poſt veſtrorum colloquium Legatorum, quos reverenter admittens, ab eis (ſicut ipſe fatetur) didicit: ſe non veniſſe, ut libertati Eccleſiæ præjudicent, aut nobis: ſed componant inter Regem Angliæ, & nos: & ſi fieri poteſt, inter ipſum & Eccleſiam faciant pacem. Et utinam, Deo auctore, proſperentur in via iſta: in qua nos promptiſſimos, ad honorem Dei, & libertatem Eccleſiæ habebunt adjutores.

XXIX. Vocati ab eis ad colloquium, ad diem decimam in terrarum confiniis: cùm tunc (ut ex conſcientia loquimur) non niſi tres equos in domo noſtra haberemus; obtinuimus nobis adjici ſeptem dies: quibus coëxules miſeros, qui miſerabiliter diſperſi ſunt, poſſemus convocare: utpote neceſſarios ad ſolatium itineris peragendi, & conſilium verbi tractandi. Quibus vix tam brevi termino, & tantâ rerum penuriâ convenire valentibus: in octavâ B. Martini, Dominis noſtris Legatis occurrimus inter Giſortium & terram ..... Chriſtianiſſimo Rege deſtinatis ad hoc miniſtris (quod ei in miſericordia uberi retribuat Deus, nos & proſcriptos Chriſti, coëxules noſtros undique confluentes liberaliter, & benigniſſimè excipiente. Et ſicut nobis ab aliquibus intimatum eſt: perſecutores noſtri

Adverſarii nituntur vexare S. Thom. et ſuos.

ſedulò procurant, ut itineribus, & ſumptibus vexemur, & expenſarum onere, & tædio, Regi Francorum, qui nobis inter alios pauperes Chriſti, eleëmoſynam ſuam erogat, oneroſi reddamur, & odioſi. Viderentur enim magnum malitiæ ſuæ recepiſſe compendium, ſi nos exturbare poſſent de habitaculo cœlitùs præparato: & præriperent ſolatium eleëmoſynæ Principis, ſicut excuſſerunt ſubſidium Ordinis Ciſtercienſis. Venit cum Dominis noſtris ſolus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Epiſcopis & Abbatibus provinciæ noſtræ, quos Rex evocaſſe voluerat, retentis Rothomagi.

XXX. Proponunt indignationem Regis.

Propoſuerunt ergo nobis ab initio duritiam Regis, malitiam temporis, neceſſitates & calamitates Eccleſiæ: quæ ferè ubique terrarum, excepta Francia, impugnatur, & vix tolerabilibus colliditur procellis: adjicientes multa de magnitudine Principis, & potentiâ, de amore & honore, quem Eccleſiæ Romanæ exhibuit: de familiaritate & gratiâ, & beneficiis quæ in nos exercuit: exaggerantes etiam querelas & injurias, quibus ſe à nobis, & noſtris læſum eſſe conqueritur: dicens, quod ei procuravimus guerram Regis Franciæ, & Comitis Flandrenſis. Suaſerunt, ut multâ humilitate, & plenæ devotionis, & moderationis exhibitione ſtuderemus placare indignationem ejus: ſi fortè aliqua ratione poſſit tanta feritas manſueſcere, & immoderata aſperitas mitigari. Quæſiverunt, & conſilium à nobis, qui eum cognovimus noſſe pleniùs: qualiter poſſent ejus duritiem emollire. Nam & ad illos ſe exhibuit duriorem: ex quo didicit: quod non licebat eis, juxta promiſſiones Joannis de Oxenford, in nos pro voluntate ejus, contra Deum & jura omnia, condemnationis ferre ſententiam. Quid autem Epiſcopis ſuis audientibus dixerit, verbo nuntii, Deo propitiante, quàm ſcripto commodiùs intimabitur auribus veſtris. Nos verò gratias agimus dignationi veſtræ quæ adeo de pace Eccleſiæ, & noſtrâ, quæ eſt Eccleſia Dei, & veſtra ſollicitatur.

XXXI. S. Thom. defendit innocentiam ſuam.

Suſpiciones quibus nos Rex notare moliretur, rationibus veris, & probabilibus enervavimus. Et ipſe Rex Franciæ, die ſequenti (quatenus ad ipſum ſpectat) in præſentiâ Cardinalium, ſub religione juramenti purgavit innocentiam noſtram. Qui, ſicut inſpector cordium, & Judex novit, ab hac culpâ immunis eſt. Neque enim adeo hebetes ſumus, & tardiores ad credendum Legi, & Prophetis, & Evangelio: ut in articulo tantæ neceſſitatis, relictis ſpiritualibus telis, & munimentis Apoſtolicæ diſciplinæ, carnalia credamus arma, præſertim ſacerdotibus, corripienda. Novimus enim non eſſe in Principibus confidendum: & quod maledictus eſt, qui ponit carnem brachium ſuum. Et nè tale quid de nobis probabiliter fingi poſſet; à colloquio Regis nos ipſos diu ſuſpendimus: donec tandem ab ipſo evocati accederemus; ut ei præſentaremus excuſationis noſtræ literas, & Domino Ottoni Legato, qui ob hanc cauſam, nobis Papiam clericum ſuum miſerat ut impetraremus tranſitum, & conductum. Habebat enim Rex Angliæ, & impetraverat: tum quia meminerat (ut dicit) ſe alia vice læſum ab eis: quando vos nuper in Patrem, & Dominum receperat: tum quia glorificationem Joannis de Oxenford, & ſimilium moleſtiſſimè audiebat. Excuſatione autem noſtra gratanter admiſſâ, & tranſitu impetrato, reverſi ſumus ad habitatiunculam paupertatis noſtræ in patientiâ præſtolantes ſalutare Domini.

XXXII. Quid obtulit ad placandum Regem.

Et quia humilitatem, & moderationis exhibitionem, quibus tantus Princeps placaretur, à nobis Domini noſtri Legati exigebant: reſpondimus nos libentiſſimè, & devotiſſimè, & tanquam Domino, & Regi noſtro, omnem humilitatem, & obſequium, & devotionem, ad illorum conſilium exhibituros, ſalvo honore Dei, & Apoſtolicæ Sedis, & libertate Eccleſiæ, & honeſtate perſonæ noſtræ, & poſſeſſionibus Eccleſiarum. Et ſi iis videretur aliquid adjiciendum eis, aut demendum, aut immutandum: rogavimus, ut dicerent nobis: quia in noſtra voluntate erat illis obtemperare, quatenus conditionis & profeſſionis noſtræ neceſſitas pateretur. Dicentes autem ſe ſuper hoc

non

non habere conſilium: nec veniſſe tunc, ut nobis, ſed ut nos conſulerent. Tentando quæſiverunt (ut verbis Domini Willelmi utamur) quia non ſumus meliores quàm Patres noſtri: Ao vellemus in præſentia eorum, Regi promittere nos obſervaturos omnes conſuetudines, quibus uſi fuerant anteceſſores ejus temporibus deceſſorum noſtrorum, & ita ſopitis hinc inde querelis omnibus (ſi tamen hoc impetrare poſſent quod facilè non credebant) recipere Sedem noſtram, & redire in gratiam ejus. Nos verò reſpondimus, neminem deceſſorum noſtrorum, ad hanc profeſſionem ab aliquo Regum fuiſſe arctatum: neque nos, Deo auctore, unquam profitebimur obſervantiam illarum conſuetudinum, quæ Eccleſiæ Dei perimunt libertatem, Sedis Apoſtolicæ convellunt privilegium, & Legi Dei patenter adverſantur: à quibus nos Senonis, in eorum, & multorum præſentiâ, per veſtram miſericordiam abſolviſtis: adjecto (quod à memoria noſtra, Deo miſerante non excidet verbum Apoſtolico ore dignum) quia antea deberemus cervices ſpiculatori feriendas exponere, quam talibus pravitatibus conſentire, & turpi commercio rerum temporalium, aut aviditate vivendi, curam relinquere paſtoralem. Lectæ ſunt in præſentia eorum; reprobæ illæ conſuetudines, quarum aliquas condemnaveramus, imò & ante nos, ab initio, cum obſervatoribus ſuis, Catholica Eccleſia in multis Conciliis anathemate condemnavit. Quæſivimus ergo, an non modò eas obſervare, ſed etiam diſſimulare liceat Sacerdoti, ſine periculo ordinis, & ſalutis?

Petunt a S. Thoma ut velit obſervare omnes conſuetudines Regis.

XXXIII. Perſuaſerunt S. Thomæ ut cederet. Cur noluit cedere?

Ad hæc adjecimus, nos Regi feciſſe fidelitatem, ſalvo ordine noſtro, & eam ſibi libentor ſervabimus; ita quod fidem Deo debitam irritam non faciemus. Intulit ergò unus, quem ab initio, ut ſcitis, habuimus, & debuimus habere ſuſpectum: quòd melius eſſet nobis omnino cedere, quàm Eccleſiam ſic vexari: & circa hoc ſuaſorii ſermones multiplicati ſunt, quos viva vox commodiùs referet. Retulimus itaque inferenti, quod ob hanc cauſam non cedemus; quia & exemplo perniciosum eſſet, & proficeret in ruinam Eccleſiaſticæ libertatis, & fortaſſe in fidei Chriſtianæ diſpendium. Quis enim auderet mutire de cætero? Quis Paſtoribus ſimili modo cedentibus, aſcender ex adverſo, ut ſe murum opponat pro domo Iſraël? Addidimus, nec vos, nec aliquos Apoſtolicos viros, Eccleſiam Dei talibus exemplis informaſſe. Nonne Paſtoribus fugientibus, ſicut hiſtoriarum fide celebre eſt, tota Ægyptus ad idololatriam redit: ubi ab initio maximè religio vigebat? Hinc aliò progreſſi quæſierunt. An illorum vellemus ſtare judicio ſuper iis, quæ vertuntur inter nos, & Regem? Et quidem ſi refugeremus judicium, cauſam Regis juſtificare videremur: & noſtra fortaſſe apud pleroſque læderetur opinio: cum tamen illum, qui adverſarius extitit, non debeamus, ſi placet, habere Judicem: nec alicubi ad hoc tuti eſſe poſſimus, niſi in præſentia veſtra. Noſtra ſiquidem & noſtrorum proſcriptione, & aliorum vexatione, & damnis, ſi Rex ille terruit, & territat univerſos: ut nullus, co ſciente, audeat noſtri meminiſſe in bonum. Habitâ horum omnium contemplatione; ſic temperavimus reſponſionem, ut nec diceremus nos detrectare judicium, nec tam diſcriminoſo nos immergeremus litigio. Diximus enim nos, & noſtros, ſede, adminiſtratione, & bonis omnibus ſpoliatos, cum ad omnia fuerimus reſtituti, libenter, ubi & quando debebimus, veſtram, aut cujus, aut quorum de mandato veſtro oportuerit, judicium ſubituros. Juſtitiam enim nec poſſumus, nec volumus declinare. Interim nulla nos ad litigandum ratione compelli: nec paupertatem noſtram ad hoc ſufficere: nec liberalitatem Sereniſſimi Regis ſine moleſtiâ ad hoc poſſe protendi: ut nos, & coexulantes pauperes Chriſti nummis ſuis, quibus ad præſens indiget, exhibeat diu in domibus alienis. Nam ubi victualibus abundat, expenſæ noſtræ faciliùs tolerantur.

XXXIV. Petunt, an velit excipere litem appellantiũ Epiſcoporum ſua ets judiciaus. Renoit.

Proceſſerunt ad tertiam quæſtionem, ſciſcitantes, an Epiſcoporum, qui appellaverunt, contra nos, litem, ſub eis judicibus vellemus excipere? Sic reſpondimus: Nos veſtrum ſuper hoc non recepiſſe mandatum: nec inopiam noſtram. ad tantos ſumptus, & lites eſſe idoneam. Hoc autem agebatur ab adverſariis noſtris (ſicut didicimus ab iis quos res latere non poterat) ut ſub quacumque occaſione, noſtram poſſent in præſentiá Legatorum notare perſonam, & ſic quamcumque læſionem ingerere. Conjiciunt enim, quòd nullus provincialium nobis auderet aſſiſtere contra Regem: & ſic viderentur noſtram procuraſſe ruinam. Rex autem ſolos illos evocavit, qui nobis ab initio hujus turbinis adverſantes, inventores tantæ malitiæ eſſe noſcuntur. Videlicet Eboracenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopos Londonienſem, & Ciceſtrenſem: accito cum eis & Wigornienſe; ut velamento ejus, aliorum malitia pallietur. Cæterum ſicut veſtra poteſt meminiſſe diſcretio: iſti, qui nunc Regis voluntati acclamant: & præ cæteris ſicut publicè notum eſt, ſitiunt ſanguinem noſtrum: literis ſuis impetrationem pallii noſtri, & electionis formam, & perſonam noſtram multis laudum præconiis extulerunt. Nunc autem veritati contradicentes, & ſibi: ſeipſos mentiendi, & adulandi audaciâ contemptibiles reddiderunt: dum ad nutum Principis, velut ſervi Comici, modò aiunt, modò negant. Hi ſunt, Pater, qui dant corona peccatori: & ſi non ſatis inſanit, inſtigant illum ſubjicientes pulvinar cubito: & caput vitiis languidum in cervicalis mollitie faciunt obdormire.

XXXV. Cur noluit ſubire judicium illorum.

Cum itaque etiam illi, qui debebant eſſe columnæ Eccleſiæ, conſilio, auxilio, auctoritate, obſequiis, & ſumptibus contra eam & nos animent & arment divinæ legis, & parvitatis noſtræ perſecutores: non eſt nobis tutum aut poſſibile ſubire judicium, niſi in præſentiá Sanctitatis Veſtræ, & ſub veſtro ipſius examine. Licet enim de ſinceritate alterius Legatorum ſperare debeat Eccleſia, & nos de eo confidamus, præſertim in his, quæ Dei ſunt: tamen non eſt homo, præter vos, cui hanc cauſam Domini committere audeamus. Alterum verò Legatum, talem faciat Deus, qualem ſaluti ſuæ eſſe expedit: & qualem decet eſſe Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum Cardinalem. Veremur autem ne contingat, quod (ſi meminiſſe placet) præmonuimus eventurum, ſi fortè prudentiam, eloquentiam, & auctoritatem Domini Willelmi, cum poteſtate & voluntate dura Regis Angliæ accideret convenire: veremur, inquam, ne tales nobis, formato conſilio, porrigantur petitiones, quarum vobis moleſtus ſit auditus, effectus impoſſibilis, aut diſpli-

Guilielmum Legatum culpat.

cens Deo, & mundo odioſus. Et quia vobis omnium Eccleſiarum ſollicitudo incumbit: circumferte, ſi placet, oculos in Occidentem. Attendite & videte, qualiter ibi tractetur Eccleſia; indicet vobis Dominus Otto, quem ſpiritu Dei agi credimus; quid viderit, & cognoverit de Eccleſiâ, & provinciâ Turonenſium: quid de Anglicanâ audierit, quid expertus ſit in Normanniâ: & credimus vos dicturos cum lacrymis: Quia non eſt dolor, ſicut dolor iſte. Ut enim de Cantuarienſi, & Turonenſi taceamus Eccleſiis, quas territat, ut audiſtis, & utinam pleniùs ſciretis, ſeptem Epiſcopatus vacantes in provinciâ noſtrâ, & Rothomagenſi, jam multo tempore, tenet in manu ſua: nec aliquando ibi patitur ordinari Paſtores. Clerus regni datus eſt ſatellitibus ſuis, in conculcationem, & prædam. Si iſta, Pater optime, diſſimulamus: quid in die judicii reſpondebimus Chriſto? Quis Antichriſto reſiſtet venienti, ſi tantam patientiam vitiorum & criminum, jam accommodamus præambulis ejus? Talibus enim diſſimulationibus inſoleſcunt poteſtates, Reges gentium tranſeunt in tyrannos: ut Eccleſiæ nullum jus, nullum privilegium, niſi de eorum arbitrio, cenſeant relinquendum. Sed beatus qui tenebit, & allidet parvulos eorum ad petram. Nam ſi Judas ex mandato Legis, non exterminat Chananæum: ei in hoſtem, & ſtimulum perpetuò coaleſcit. Confortare, Pater, & eſto robuſtus: plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Contrivit Dominus malleum impiorum, Fridericum, percuſſurus & alios in brevi, niſi reſipiſcant, & cum Eccleſia Dei pacem habeant.

Ottonem Legatum laudant

XXXVI. Expectat et implorat iudicium Pontificis.

Et ut tandem verbis faciamus finem, veſtri oris duntaxat expectamus judicium, aut illius, qui ſpiritum Principum auferre conſuevit, & liberare pauperem à potente. Nuntiorum vox plura ſupplebit, quæ ſcripto non credidimus committenda. Hoc certum habeat veſtra ſerenitas, quia ſi voluiſſemus à principio pravis conſuetudinibus acquieſcere, non eſſet alicujus Cardinalis, imò verò hominis alicujus neceſſarius interventus. fruſtráque nobis, auctore Domino, Siculorum aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die judicii minimè excuſarent, ſi Tyrannorum barbariem præferremus Apoſtolicis inſtitutis, & ſæcularium inſolentiam poteſtatum crederemus potiùs formam eſſe vivendi; quàm teſtamentum æternum confirmatum ſanguine, morte filii Dei. Ut igitur prædicta omnia ſine lacrymabili concludam: attendat Sanctitas veſtra, ſi iſte debet eſſe fructus laboris, & operis, ac exilii noſtri: ut judicemur nudi, miſeri, privati omnibus bonis, ac ſubeamus cauſarum anguſtias; eò quòd auſi ſumus nos opponere ferociſſimo oppreſſori Eccleſiæ in defenſionem libertatis ipſius; qui expectabamus indies de deſolatione noſtra ſolatium: de exactâ miſeriâ gaudium, de injuriâ Chriſti dignam à Deo, & à vobis, in oppreſſores Eccleſiæ ultionem. Nonne ſufficere poterat iis, qui quærunt animas noſtras, quod quoſdam morte affecerunt ex noſtris? Paupertas quoque & calamitas noſtra, in qua vix agimus vitam, alienis eleëmoſynis viventes; niſi auctoritate Legationis iſtius, quæ nunquam fuiſſet, fruſtra trahamur, & protrahamur per annos & annos, à dolore in dolorem, à miſeriâ in confuſionem: jus etiam noſtrum, & juſtitia convertatur in ruinam noſtram, & miſerorum noſtrorum? Deus bone, quis erit hujus doloris finis? Exurge Deus, judica cauſam tuam: vindica ſanguinem ſervorum tuorum, qui nequiter extincti ſunt, & aliorum, qui intolerabiliter afflicti deficiunt: cùm ſit nemo, qui de manu inimicorum noſtrorum, præter Dominum Papam, & perpaucos ſecum, velint nos eripere. Vivat & valeat Sanctitas Veſtra in tempora longa: ut vivamus, & convaleſcamus nos, & miſeri noſtri.]

XXXVII.

Cum ita Thomas literarum commercio cum Alexandro ageret; Legati Cardinales ad Regem referunt, Conciliumque ejus, Archiepiſcopum nolle ad tribunal ſuum Anglicanæ Eccleſiæ cauſam judicari. Quid inde ſequutum ex eorundem Cardinalium literis, quæ à Baronio recitantur, accipe:

Venerabili, & dilectiſſimo Fratri, Cantuarienſi Archiepiſcopo: Willelmus & Oddo Cardinales. Salutem.

Cardinales Legati ad S. Thomam

INnotuit Regi, quid ſuper concordiâ, quid etiam ſuper cauſâ, ſi contra vos agere vellet, reſpondiſtis. Et cum prius, ſatis (ſicut aiebat) ex præcedentibus actibus veſtris, & ſupra quam ſatis, fuiſſet commotus: ampliori, & vehementiori fuit nunc indignatione permotus, veſtri cordis altitudinem, & Domini Papæ incuriam erga ipſum indubitanter accuſans. Epiſcopi verò & Abbates regni Anglorum, audientes, quia vos nihil cum eis agere, neque noſtro judicio vos ſupponere velletis; in noſtra præſentia, literas Domini Papæ, quibus vobis mandaſſe ſe dicit, ne vos regnum Anglorum interdicto ſupponatis, coram perlegerunt. Requiſierunt etiam à nobis, ſi ab utroque noſtrum, vel altero, accepta legatione in Angliâ, poſſent à veſtris gravaminibus defendi. Cum autem reſpondiſſemus; nos de negotiis regni Anglorum nullatenus habere poteſtatem: ibidem in continenti, tam pro ſeipſis, quàm pro toto regno ad Dominum Papam appellaverunt, & in protectione Domini Papæ, & noſtra ſeipſos, & regnum ponentes, diem quoque ad feſtum ſancti Martini conſtituentes. Unde mandamus dilectioni veſtræ, & ex parte Domini Papæ & noſtra præcipimus: quatenus deferentes appellationi prædictæ, inhibitionem etiam, quam Dominus Papa ſe vobis feciſſe teſtatur, attendentes: nullum interdictum, nullam excommunicationem in regnum Anglorum intendatis, quouſque præſentia Apoſtolica adeatur: & quid Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ ſuper his placeat, cognoſcatur. Ipſi quoque Epiſcopi, & Abbates, nuntios proprios ad vos, qui appellationem in noſtra præſentia factam, & diem vobis denuntient.

XXXVIII.

Viſis his literis, Thomas, ad Alexandrum Papam iſta dictavit, exaſperati animi argumenta.

Amantiſſimo Domino, & Patri ſanctiſſimo Alexandro Dei gratia, Summo Pontifici, Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis, miſer, & miſerabilis exul, cum ſuis exulibus, Salutem, & omne bonum.

S. Thomas ad Alexandrum. Refert miserias suas, at suorum.

MIttimus Sanctitati Veſtræ latores præſentium fideles noſtros, duos, videlicet, de miſeris & coëxulibus noſtris, quos tamen ad præſens poſſumus, & ſicut poſſumus, ut per eos audiatis, & intelligatis, certiori

& miſerabili

& misrabili relatione, qua circa nos noviter acta sunt his diebus. Miseriarum etiam nostrarum, & nostrorum angustias, qua quidem immanes sunt: & suscipiamus à Sanctitate Vestra, si placet, celeriter debitam, & diu dilatam oppressionis Ecclesia, & nostra liberationem. Dolorum etiam nostrorum per manum misericordia vestra levamen accipiamus; ne immaniter & multipliciter depressi deficiamus in tribulatione, qua non fuit à diebus dolorum districtior. Protracti enim sumus, jam diu est, sicut novit excellentia vestra: trahimur etiam & protrahimur, non minùs crudeliter, quàm iniquè, per tempus & tempora, in miseriâ & dolore: ut vel sic infra longi temporis metas, afflictione deficiat anima nostra, extinguamur attriti, deficiamus penitùs exacti miseriarum angustiis, expiret interim auctoritas vestra, quod absit, qua per Dei misericordiam, contra iniquorum desiderium, contra malignantium fraudem relevatura est miseriam nostram, & aliorum antequam finiatur. Inclina igitur Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide, si fuit iniquitas sicut ista. Attende diligentiùs, si est dolor, sicut dolor noster & nostrorum, qui dati sumus in direptionem, nisi subitò subveniat nobis per manum vestram Dei misericordia. Facti sumus in subsannationem & derisum, his, qui in circuitu nostro sunt, auctoritate Legatorum vestrorum: qui utique non magis enormiter, quàm præsumptuose egissent circa nos, & Ecclesia negotia. Si enim hæc facta sunt nobis ab ipsis, in viridi, quid fiet in arido, si duratura est illa Legatio, qua nunquam fuisset. Suspenderunt ipsi nos, quantum in eis est, ab omni auctoritate, quam habebamus in Ecclesia Anglia, & personis: quod nunquam gratia Dei, & vestri, ad alicujus Principis, vel alterius instantiam factum est à vobis: nec fiet per Dei misericordiam: sicut ex certa promissione indulsit nobis vestra sublimitas. Vt quid Domine tribuisti Legationem hominis, de cujus introitu attendisse debuerat Dominus meus (ut salva pace ejus loquar) quis deberet esse futurus legationis hujus fructus: pensasse etiam ejusdem exitum, cujus anima tota effusa fuit ab initio, & est in ruinam Ecclesiastica dignitatis, & vestram: ut vel sic fiat Principi gratus?

XXXIX. *Domine, Domine, ad te sunt oculi nostri ne pereamus. Adjuva nos Domine, & fac nobiscum secundùm promissiones tuas: qua utinam non in vanum latificaverint animas nostras. Sustinuimus enim ad vestra Celsitudinis mandatum: sustinuimus, inquam, pacem, & non venit: expectavimus per manuum opera Legatorum vestrorum, bonum; & ecce nobis major afflictio, turbatio ferventior. Miserere ergo nostri Domine, miserere nostri: cum sit nemo post Deum, qui pugnet pro nobis, nisi tu solus cum fidelibus tuis. Miserere, inquam, nostri; ut misereatur vestri Deus in districto examine; cum redditurus fueritis rationem villicationis vestra. Non est enim ad quem habeamus refugium, post Deum; nisi ad te. Cum etiam ipsi opponant se nobis favore hominum, qui intuitu pietatis, & justitia, ob reverentiam etiam sacro-sancta Ecclesia Romana nobiscum stare debuerant, & pugnare pro nobis. Exhaustis siquidem sumptibus, & vexationibus innumeris urgentibus, non est nobis certè de cætero, quomodo prosequamur vexationum istarum vel minimam partem. Succurrat itaque nobis, & Ecclesia nostra, si placet, celeriter tua sublimitas, & imponat finem huic malitia, ne protrahatur ulterius: quoniam jam tempus est. Vix enim est, ut etiam pra nimiis angustiis spirare valeamus. Accelera ergo, ut sentiamus gratia tua beneficium, antequam moriamur. Valeat, & vivat in tempora longa, dilecta nobis, & super omnia, post Dei amorem, necessaria tua sancta benignitas, ut tuâ munificentiâ incipiamus & nos reviviscere, qui jam incepimus mori.*

Praterea noscat discretio vestra, quod tribus diebus antequam supervenirent nobis mala ista: exierant nuntii à nobis cum literis nostris, quibus nuntiabamus Sanctitati vestra, qualiter à Legatis vestris discesseramus. Scribebat enim vobis Rex Francorum Christianissimus, & Regina, & quidam de Principibus, & Episcopis regni sui; quidámque minores amici vestri, latantes, & glorificantes Deum, gratiasq; Deo, & vobis agentes; eò quòd manifestum erat, ex adventu Legatorum vestrorum: sicut id ipsi Domino Regi, ore ad os insinuaverant; falsa esse, ac mendacissima, qua Ioannes ille jurator de Oxenford, & alii nuntii Regis pradicaverant de gravamine, & dejectione nostrâ futurâ per Legatos, unde scandalum ineffabile ortum erat in toto regno Francorum, & apud omnes ad quos rumor ille pervenerat, pratequam adversarios Ecclesia & nostros. Sed versa est cythara ista in luctum, & letitia ista in mœrorem: factúmq; est error iste pejor priore. Petimus itaque ut placeat Sanctitati vestra, superorienti morbo celerem adhibere medicinam: quatenus fiat omnibus in manifesto (sicut res veritas se habet; citra conscientiam vestram & mandatum, ista fuisse prasumpta. Valeat iterum Sanctitas vestra; & in aternum. XL.

Hæc S. Thomas, qui etiam eodem tempore, querimoniam apud omnes S. R. E. Cardinales scriptis literis deposuit, quas in Baronio leges, & insignem illam, & Thomâ Martyre, & pro Ecclesiæ libertate pugnante, dignam sententiam: *Non simulatione, non ingenio, Regenda est Ecclesia; sed justitia & veritate, qua se observantem liberat ab omni periculo.* qua pungit omnes, qui in regendo Ecclesiam ponunt carnem brachium suum: & Principibus potius quàm justitiæ blandiuntur.

Verberarunt hæ voces Alexandri aures, Cardinales puduit, pugnanti Thomæ in justissima causa defuisse. Nec aliud malo querelisque aptius remedium: quàm Legatos exauctorando, Thomam sibi causæque suæ reddere. Quod factum ab Alexandro: Revocavit ille Cardinales, inhibuitque porrò cum Legativâ potestate procedere: quod malè Henricum Regem habuit adeò, ut scripserit Joannes Saresberiensis de ultimo eorum cum Rege congressu: [Cardinales adeò turbatum Regem invenerunt, ut palàm quereretur, se proditum esse à Domino Papa: & minaretur se ab eo recessurum: nisi de Cantuariensi Archiepiscopo justitiam faceret exhiberi.] Priùs tamen quàm Cardinales recederent; Rex mollior factus, qui priùs Cardinalium & ipse judicium vel verè declinaverat, vel saltem declinasse visus fuerat, quo Thomam falleret: nunc mutato consilio, omnia polliceri. Sic enim Author qui supra in Epistola ad Pictaviensem Episcopum. [Deinde multis consiliis ultrò citroque habitis: & Rege nunc Proceres, nunc Episcopos, & Abbates, nunc familiares suos, nunc Cardinales simul, nec alterum sine altero consulente: tandem se ad justitiam obtulit: dicens se paratum esse per omnia stare judicio, & mandato eorum super omnibus querelis, quæ vertuntur inter ipsum, & Dominum Cantuariensem: adjiciens se præstiturum in initio omnem cautionem, tam juratoriam, quàm fidejussoriam, & ampliorem si Cardinales vellent: quod de verbis eorum, nec iota, nec

XLI. ALEXANDER LEGATOS EXAUTORAVIT.

Ioan Saresb. Epist. 224.

Idem suprà.

HENRICUS VERTIT SE IN OMNEM PARTEM.

apicem præteriret inobservatum dummodo illi, quod minimo debetur homini, id est, justitiam exhiberent. Cui cum Cardinales respondissent, se non accepisse potestatem super Cantuariensem judicandi, sed compoocndi: Rex ab iis petiit, & obtinuit, ut hanc humilitatem ejus scriberent Domino Papæ, & sinceritatem causæ ejus, sicut didicerant à sapientibus & religiosis viris, Eboracensi Archiepiscopo, & Episcopis Lundoniensi, Cicestrensi, & Wigorniensi transmarinis: & item Cismarinis Rothomagensi, Lexoviensi, & Bajocensi. Post processit Episcopus Londoniensis, & cum in Archiepiscopum suum veneni multum evomuisset, obtulit causam suam & aliorum Episcoporum, qui contra memoratum Cantuariensem appellaverant, instans oomine regni, & sacerdotii ut audiretur, & finiretur: Legatis verò dicentibua, itidem se non posse compellere Cantuariensem, & illum nolle contendere: prorupit Episcopus, & alii, qui aderant, nomine regni, & sacerdotii in appellationem, inhibentes ne Cantuariensis contra alterutrum aliquid innovaret: ponentes utrumque sub protectione Domini Papæ, usque ad diem appellationis, quam prorogaverunt in annum alterum, scilicet ad festum Sancti Martini. Londonensis tamen speciales causas pro se posuit, impugnans libertatem Ecclesiarum, quas Cantuariensis Archiepiscopus habuit, in Episcopatu illius.

XLII. Congressum a Cardinalibus missorum, recusat S. Thomas.

Quo facto direxerunt Cardinales duos nuntios ad Cantuariensem, qui ei proximâ die post festum Sanctæ Luciæ porrexerunt literas, quibus continebatur ex parte series horum, &c. Episcopi quoque duos nuntios miserunt, Walterum Cantorem Saresberiensem, & magistrum Jocelinum Cancellarium Cicestrensem, ot factam denunciarent Appellationem, & eam coram Archiepiscopo innovarent. Sed Archiepiscopus Episcoporum nuntios ad colloquium non admisit: eò quòd inter alios Episcopi Londoniensis nomine venirent, quem Archiepiscopus excommunicatum habet, & Cardinalibus denuntiaverat: quod qui Legatione fungebantur, communicaverant excommunicatis ejus, etsi in fraudem Apostolici mandati viderentur minùs prudentibus absoluti. Hoc enim tandem, & tantum indulserat Dominus Papa, ut si essent in periculo mortis absolverentur, præstito antea juramento, quòd starent mandato Domini Papæ, si convalescerent. Illi autem simulantea se in periculo mortis constitutos: quia oportebat eos ex mandato Domini Regis nunc transfretare; nunc in Walliam proficisci a quodam Episcopo Gualensi, utriusque juris prorsùs, aut ferè ignaro, Lanceluensi scilicet; qui monasterium Abendoniæ, utpote quæstuosiùs pro Episcopatu receperat de manu Regis, absolutionem impetraveruot. Et ne de mandato Domini Papæ possit ambigi, literas Apostolicas misit Archiepiscopus Legatis: quibus districtè præciperentur illos sic absolutos, reponere in anteriorem excommunicationis sententiam: nisi possessiones Archiepiscopi, & suorum, & omnia ablata, cum integritate restituant, nullius appellationis obstaculo, Apostolicum hoc impediente mandatum.]

XLIII. Quod dicitur de Gualensi Episcopo, qui excommunicatoa absolverat: quærendum hic esset, quis ille, & cujus Sedis Episcopus. Sed qui Anglorum Annales, & historiam digessere: vel parcè admodum Britannorum Remp. exponunt: vel illam omninu transeunt silentio. Hinc nec Sedis quidem Lanceluensis hodie mentio in Authoribus nostris. Quare suspicari quis poterit mendum in Saresberiensis Epistolis (& revera menda non desunt) hoc loco irrepsisse: legendúmque esse Landavensis, quæ notissima Sedes est. Sed conjecturæ cedere debet sanior ratio. nam supra ad annum Domini quingentesimum quadagesimum tertium; quando Kentigernus, Glascuensis, apud Scotos, Episcopus, suorum injuriâ pulsus, Meneviam venit, sanctissimi Davidis fama eò tractus: dixi eum ad Elgu flumen monasterium primò, inde Sedem fixisse. *Unde Sedes a nonnullis Elguensis, ab aliis Eluensis, & Lanelwensis nuncupata, à fluvio Elwe, prope quam sita est*, inquit Godvinus. Cum Kenogernus in patriam & priorem Sedem revocatur sub annum quingentesimum sexagesimum. *Admonitione Angelica* (ita legitur in ejus vitâ) *sanctum Asaph Successorem suum constituit*. Ab illo Sedes inde dicta (obliterato alio nomine) Assaphensis. mansit tamen oomen illud obscurius, quia ab Assaphi morte, neminem invenio Sedem intrasse, ante annum millesimum centesimum quinquagesimum primum: quo Galfridus Moumetensis consecratus est. & ille post paucos annos [Episcopatum suum deseruit (inquit Hovedenus) paupertate, & infestatione Wallensium compulsus, veniensque in Angliam, à Christianissimo Rege Henrico, benignè & honorificè susceptus est, cui tradidit Abbatiam Abendonæ vacantem in custodiâ; donec ad propriam Sedem liberum haberet regressum.] Hic ergò Galfridus in jure Canonico notatur parùm peritus, quia excommunicatis à Thomâ, facilè manum imposuit, solvitque quos ille ligaverat, Londinensem imprimis Episcopum: quem Thomas licet exul, miser, ut ipse scribit, & miserabilis, authoritate tamen quâ valuit, à fidelium communione sub hoc tempus removerat: causam refert Matthæus Parisiensis: [Fuerat enim sæpè ab eodem Archiepiscopo commonitus, ut Clericis suis, Ecclesias & beneficia, quæ in manu sua, ex traditione Regis tenebat, restitueret, cum bonis inde perceptis. Sed quoniam in his, & aliis præceptis Canonicis inobediens perseveravit: Archiepiscopus in die Palmarum, ipsum, ut Regiis iniquis Consuetudinibus faventem, apud Claramvallem solenniter excommunicavit. & literas ei sequentes direxit.]

v. an 543. n. 8.

v. an 560. n. 1. & 2.

Hoveden. an. 1175.

Galfridus incautè absolvit excommunicatos a S. Thoma.

Paris an. 1169.

Thomas, Dei gratia, Cantuariensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus: Gilberto Londinensi Episcopo, utinam vero Fratri, declinare à malo, & facere bonum.

XLIV. S. Thomas ad Gilbertum Londinen.

Excessus vestros, dum licuit, supportavimus, & utinam mansuetudo patientiæ nostræ, quæ nobis supra modum damnosa extitit, in totius Ecclesiæ perniciem non redundet. Sed quia patientia nostra semper abusi estis: & neque Dominum Papam, nec nos, in verbo salutis vestræ voluistis audire: sed obduratio vestra in deteriora semper crevit: vos urgente necessitate officii, & ratione juris persuadente, ex justis & manifestis causis, anathematis sententiâ percellentes excommunicavimus, & à corpore Christi, quod est

Ecclesia

Ecclesia, donec satisfaciatis, amputavimus. Præcipimus igitur in virtute obedientiæ, in periculo salutis, dignitatis, & ordinis; quatenus prout forma Ecclesiæ præscribit, ab omnium communione fidelium abstineatis: ne vestra participatio Dominicum contaminet gregem ad ruinam, qui vestrâ doctrinâ erudiendus, & exemplis informandus erat ad vitam. Ita refert Matthæus, & addit: *Episcopus verò Londonensis, post appellationem, sententiam in ipsum latam humiliter perferens, ab ingressu Ecclesiæ abstinuit patienter. Archiepiscopus verò, Decano & Clero Londonensi Ecclesiæ literas dirigens, præcepit in virtute obedientiæ, ut à communione sui Episcopi penitus abstinerent.* Has ad Londinensem Clerum literas, quas Matthæus omittit, Hovedenus ita recitat.

THOMAS, Dei gratia, Cantuariensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus: Decano, & Archidiacono, & Clero Londoniensis Ecclesiæ; Salutem, & à communione excommunicatorum fideliter abstinere.

XLV. S. Thomas ad Clerum Londinensem.

*VEstram non debet latere prudentiam, quod ferè totus Latinus orbis agnovit: quàm iniquè sumptâ opportunitate, ex causâ schismatis generalis, Gillebertus Londoniensis Episcopus, frater noster, utinam verus, in causa Ecclesiæ versatus sit, & pacem ejus studuerit perturbare. Supportavimus eum in multâ patientiâ hactenus; quâ ille semper abutens, jugi inobedientiæ crimen, multiplicatis excessibus incorrigibiliter cumulavit. Nos ergò quibus ultra dissimulare non licuit: eum urgente necessitate officii, & ratione juris persuadente publicè excommunicavimus, & vobis, præcipimus in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis & salutis; ut à communione ejus, sicut Christi fideles decet; prorsùs abstineatis. Similiter, & alios sub eadem interminatione præcipimus evitare: quorum nomina inferiùs scripta sunt, simili quoque sententiâ, Deo auctore, eos, qui à nobis solenniter citati sunt, nisi interim satisfecerint, condemnabimus in die Ascensionis, scilicet & Gillebertum Cantuariensem Archidiaconum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Ivecestre, Richardum de Luci, Willemum Giffardum, Adam de Chernges, & eos, qui ex mandato Regis, vel propriâ temeritate, nostra, vel Clericorum nostrorum occupaverunt bona: & eos qui ope, vel consilio Domini Regis, animum adversùs libertatem Ecclesiæ, & innocentum proscriptionem, & depopulationem instigasse noscuntur: & qui nuntios Domini Papæ, & nostros, ne persequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt. non turbetur cor vestrum, neque formidet; quia contra tergiversationes malignantium, & appellationum subterfugia, Deo propitio, Apostolica Sedis munimine tuti sumus. Hæc sunt nomina excommunicatorum: Iocelinus * Saresbiriensis Episcopus; Comes Hugo, Ranulphus de Broc, Thomas filius Bernardi, Robertus clericus de Broc, Hugo de Sancto Claro, Hugo clericus de Norflicta, Nigellus de Saccavilla, Richardus frater Willielmi de Hastius, qui Ecclesiam nostram de novo Cotona occupavit, Valete.*

* v. an. 1161. n. 20.

XLVI. Gilbertus Londinensis à Thoma excommunicationis sententia castigatus, apud Henricum Regem querelam deponit: & ille scriptis ad eum literis mœrentem consolatur, injuriam non tam illi, quàm sibi factam interpretatus: Sic enim Parisiensis loquitur: [Per idem tempus, cum rumor de excommunicatione Gilberti, Londonensis Episcopi, ad aures Henrici Regis Anglorum, eodem Episcopo eidem significante, pervenisset; scripsit ei literas consolatorias in hæc verba: Audivi gravamen, quod ille Thomas proditor, & adversarius meus intulit in te, & in alias personas regni mei: quod non minùs ægrè fero, de personâ tuâ, quàm si in meam propriam personam virus suum evomuisset. Et ideò pro certo scias, quòd ego omnem operam dabo, per Dominum Papam, & per Regem Francorum, & per omnea amicos meos: quod de cætero non poterit nobis, nec regno nostro nocere. Unde volo & consulo; quòd tu interim nullo modo in animo turberis: pro certo sciens, quòd si Romam adire volueris, omnia necessaria ad viam, de meo, tibi honorabiliter & sufficienter te inventurum.] Ita Rex. Quæ dicta, scripta, factáque priùs sunt, quàm Legati in Gallias descenderent. Ad quos, cùm venissent, evocati ea Anglia Episcopi, cæteriqne absolutionis beneficium à Galfrido Asaphensi Episcopo, vel fictæ ægritudinis, vel necessariæ navigationis titulo consecuti sunt: Sed Thoma refragante, & Alexandro Papa priorem sententiam confirmante, excommunicati nihilominùs declarantur: Henrico nequicquam contra pro viribus nitente.

Paris an. 1169. Rex acerbius in S. Thomam solatur Gilbertum Londinen.

Scripserat contra excommunicatos ad Alexandrum Joannes Saresberiensis, & benè probat ligatos ab Archiepiscopo, licet eaterni fortè fori beneficio frui possint, revera tamen absolutos non esse. Sic enim ille: [Convocatis Episcopis in adventu ejus (Joannis de Oxenford) excommunicati Domini Cantuariensis, absoluti sunt impœnitentes, & ipsius evacuatæ sententiæ. De facto, inquam, absoluti, certè adhuc ligati sunt ante oculos Domini, qui criminosos nunquam absolvit. Constat autem de impœnitentia; quia nec satisfaciunt cum possunt, nec aliquid restituunt ablatorum. Profectò si res ablata reddi potest, & non redditur: non agitur pœnitentiâ, sed fingitur. Vana sunt hæc, si non adhuc Cantuariensis Ecclesiæ possessionibus incubant; si alicui nostrum*, de tot, & tantis ablatis vel obolus restitutus est; nisi illis qui retrò abierunt: & juramento præstito firmaverunt sibi jure Regis esse vivendum. Nec tamen est, quo Sanctitati vestræ illa non absolutio, sed juris illusio, debeat imputari: cum in fraudem mandati vestri non tam præstita sit, quàm commissa. Indulseratis enim, ut si quem eorum ægritudine laborare contingeret, mortis imminente periculo, præstito juramento secundùm morem Ecclesiæ, quod vestro mandato pareret tunc demum absolveretur. In quo Ecclesiæ Dei, & nobis prospectum esse voluit dignatio vestra. Illi autem absolvi doli patrocinio meruerunt, simulantes se in mortis periculo versari; quia eis de mandato Domini Regis imminebat necessitas transfretandi. Unde quia ille qui absolvit, nec ordinariã habebat potestatem, nec à vobis præscriptam servavit formam: credo, si vobis aliter non videretur, collatam absolutionem de jure non tenere: & illos Ecclesiæ pervasores in anteriore manere sententia.] Hæc ille: & causam habes cur Thomas supra Episcoporum nuntios ad colloquium non admiserit.

XLVII.

Ioan Saresb. Epist 220. De excommunicatis ad Alexandrum.

* vestrum

XLVIII. Guilielmus Papiensis cum audisset excommunicationis sententiam ideo stare, quia de absolventis potestate controversum erat: suo & collegæ no-

mine

Guilielmus Papiensis facultatem dat absolvendi excommunicatos.

apud Baron. hic.

mine de iisdem denuo absolvendis literas dedit ad Episcopos Angliæ, quibus nimirum absolvendi facultatem commisit: ad Norwicensem nimirum & Cicestrensem: in hæc verba: *Discretioni vestræ præsenti significatione mandamus: quatenus personas illas, quæ à Cantuariensi Archiepiscopo excommunicationis vinculo dictæ sunt innodatæ, in manu vestra, promissione recepta, quod nostro debeant stare mandato, postquam istas videritis literas absolvatis. Quod vobis moderatum videbitur. Hac autem occasione postposita prosequi studeat & adimplere, quicumque vestrûm apices istos primus recepit. Ex quo vestrum receperint mandatum, significetis eos juramento præstito absolutos.* Meminit harum literarum Joannes Saresberiensis, ubi ait: *Recepturus est, si nondum recepit literas legatorum, præcipientes ut absolvat excommunicatos Domini Cantuariensis. Cum tamen ipsi præcipiendi nullam habeant potestatem: sed inhibiti sint literis Apostolicis Angliam ingredi, vel se de regni negotiis intromittere, nisi priùs pax plenissima reformetur.*

Idem suprà.

Indignè etiam tulit Alexander Pontifex Legatos præsumpsisse, quod vetitum illis: præsertim cum nulla satisfactionis, vel restitutionis mentio esset: & ita ad illos scripsit:

XLVIII. Alexander culpat Legatos.

Suggestum est nobis, quòd quidam eorum, quos Venerabilis frater noster Thomas Archiepiscopus Cantuariensis excommunicationi subjecerat, Ecclesiæ sua, necnon & Clericorum ejus bona & possessiones detinere, & iisdem incubare præsumunt. Unde quoniam indignum est, ut bonis & possessionibus illis detentis, à vinculo debeant, quo tenentur, absolvi: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus: quatenus si jam, sicut audivimus, per aliquos sunt absoluti, ipsis ex parte nostra, virtute juramenti, firmiter injungatis, quòd præsumptas possessiones, & bona personis, & Ecclesiis, de quarum jure existunt, in continenti relinquant: nec eas tenere, aut se in his de cætero intromittere, quâlibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint: vos eos omni dilatione, & appellatione cessante, in priorem excommunicationis sententiam, usque ad satisfactionem plenariam reducatis. Si verò à vobis fuerint absoluti, id nihilominus, sicut prædiximus, efficiatis. Ita Pontifex scripsit anno sequenti, cum Legati à Rege discessissent: priùs tamen quàm discederent, Odo, Legatorum alter, fortiter pro Thoma, cum Rege egisse dicitur. de quo Joannes Saresberiensis in Epistola ad Archidiacnnum Exoniensem: cum dixisset: *Cardinales redeunt revocati, non sine confusione, pœnitentes, & conquerentes se ad Regis voluntatem nimis causam Ecclesiæ depressisse. Alter enim illorum, videlicet Papiensis, ei in omnibus astitit: altero quoque remissiùs agente, quàm tanta expectationis & spei hominum decuisset.* Cum hæc, inquam, scripsisset, mox post aliqua addit:

apud Baron. fol. 579.

XLIX. Oodo Legatus Papæ serius pro S. Thom. agit.

Præterieram, quod minimè esset prætereundum: scilicet Dominum Oddonem, paucis diebus antequam recederet à Rege, ipsum diligentiùs convenisse, ut pacem cum Archiepiscopo reformaret. Ille verò respondit; se amore Domini Papæ, & Cardinalium permissurum, ut Archiepiscopus in pace redeat ad Sedem suam, & disponat Ecclesiæ, & rebus suis. Et quia de consuetudinibus jurgia diutiùs protraxerunt: dixit se & liberos suos illis solis esse contentos, quas Antecessores suos habuisse constiterit juramento centum hominum de Angliâ, & centum de Normanniâ, & centum de Andegaviâ, & aliis terris suis. Si verò hac conditione pacis Archiepiscopo displicuerit: se paratum esse dixit stare arbitrio, tum Episcoporum Angliæ, tum Cismarinorum, videlicet Rothomagensis, Bajocensis, & Cenomanensis. Quod si nec istud sufficeret, Domini Papæ judicio stabit, eo salvo, ut non exhæredarentur liberi ejus. nam in diebus suis facilè sustinebit, ut Dominus Papa, quod voluerit, reprobet. Quæsitum est ab eo, quidnam Archiepiscopo, & suis facturus erat de restitutione, quæ ab ipso petitur, & debetur. At ille respondit, jurans multis & exquisitis juramentis: quod omnia quæ inde perceperat, solis Ecclesiis & pauperibus erogavit. Sed hoc credat Iudæus apella, non ego. Cardinalis autem submulit: quod nisi alio utatur consilio, & cum Ecclesia Dei mitiùs agat, omnia districtiùs, & citiùs quàm credit, ab ipso requiret Deus, & Ecclesia ejus: & sic accepta licentia recessit ab eo. Deinde convenit eum Willelmus Papiensis eodem ferè modo. Sed semen verbi ejus cecidit super arenam. facientes autem transitum per Christianissimum Regem Franciæ, redierunt in gratiam ejus, intervenientibus pactis, quæ vobis harum literarum bajulus intimabit. Hactenus Joannes, qui aliis literis spem propinquæ pacis videtur ostendere, cum dicit: *Quintus annus exilii mei evolvitur: & ecce, cum mihi nihil antè defuerit, solatii cumulus est: quod Ecclesiæ libertas videtur astare pro foribus: & pro parte jam pedem fixit in Insulâ. Renuntiavit enim Rex (sicut nuntii Cardinalium attestantur) quibusdam consuetudinibus pessimis, quas tamen ante consueverat vendicare: enim juramento detestans illas, & auctores earum; consentiens, ut liberum sit ad Sedem Apostolicam appellare. ut Clerici ad sæcularia judicia non trahantur: & quædam alia; quæ sic utinam probaret facto, sicut firmat eloquio.*

apud Baron. suprà.

L.

Sed quia verba dare consueverat Rex, factis potiùs credendum pendentiores censuerunt. Misit ergo Rex alios ad Alexandrum nuntios. Unde in Henrici mentem faciliùs descendimus. Misit etiam Thomas, ad Alexandrum, qui Regii oratoribus opponerent se. de utrisque Joannes noster hæc habet: *Prosperatur adhuc Beneventi Alexander: ubi nuntii Regis Angliæ, & nuntii Domini Cantuariensis in ipsius præsentiâ convenerunt. Et quidem utrique benignè, & honorificè recepti sunt. Sed Regalium nuntiorum sicut justitia minor, sic pompa, & ostentatio divitiarum major. Cum autem Dominum Papam blanditiis & promissis dejicere non prævalerent: ad minas conversi sunt; mentientes quod Rex eorum Norandini citiùs sequeretur errores (erat Princeps Mahometanorum) & profanæ religionis iniret consortium: quàm in Ecclesia Cantuariensi pateretur Thomam diutiùs Episcopari. At vir Dei, nec terrore concuti, nec seduci potuit blandimentis, eis, duas proponens vias; alteram vitæ, alteram mortis: respondit eos (ut ceperant) facilè posse, contemptâ gratiâ & patientiâ Dei, pereuntium eligere viam. Sed se, Domino propitiante, non recessurum à viâ rectâ. Deminuit ergo in brevi spes eorum, & videntes se hac via, contra justitiam non posse proficere: Miserunt in Siciliam nuntios, & literas Regis sui, quibus nimirum venerant, ut ope saltem Regis, & Reginæ, possent aliquid à Domino Papa, adversus Ecclesiam impetrare. Sed Christianissimus Rex Francorum, præsagiens hanc versutiam malignantium, Panormitano electo causam Ecclesiæ, & Domini Cantuariensis commendavit ut propriam.* Hæc ille, qui subdit de Jocelino Satcsberiensi Episcopo, quem Thomas anathemate percusserat, ita ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum (Baronius Archidiaconum Exoniensem vocat) scribens:

apud Baron. Ioan Saresb. Epist. 234.

Nuntii S. Thomæ et Regis cum Alexandro. Hi agunt minis.

Supplicatum

LI. *Ioan. Saresb. Epist. 134.* De Jocelino Saresberiensi Episcopo

Supplicatum est, inquit, *ex parte Regis, & Legatorum, adhibitis multis intercessoribus, Domino Papa pro Episcopo Saresberiense. Et tandem obtentum est, ut ei Summus Pontifex suam remitteret injuriam & offensam: & Domino Cantuariensi scriberet, rogat & consulens, ut ei dimitteret injuriam suam: & ipsum à suspensionis sententia relaxans, in gratiam reciperet, & amorem: si tamen ei in propriâ personâ de satisfactione sufficientem præstiterit cautionem, aut duos de majoribus Clericis Ecclesiæ suæ, excepto Decano, transmiserit; qui jurent: quoniam Episcopus eis mandaverit præstare hoc juramentum, quod ipsius Episcopi nomine & vice jurabunt, quòd Archiepiscopo de injuriâ, & contumaciâ satisfaciet. Ex quo probabiliter colligi potest, quòd Dominus Papa sententiam Legatorum, quâ jam dictum Episcopum absolverant, aut ignoravit, aut ratam habendam esse non credidit. Obtinuerat autem idem Episcopus antea literas consimiles, quæ tamen ipsum & suos non onerabant aliquo juramento: sed eis nondum usus est; vel quia Regi displicuerunt; vel quia minoris efficaciæ reputata sunt. Dominus Papa rescripsit Christianissimo Regi, se Ecclesiæ Dei, & suo Cantuariensi non defuturum quamdiu partem ejus, justitia Comite, poterit sublevare.* Potuit enimverò hoc tempore Alexander, multò quàm antea fortiùs pro Cantuariensi suo, cum Henrico Rege disputare: quia Fridericus schismaticus Imperator, cum idolo quod erexerat, Guidone Cremensi (Paschalis dici voluit) in pejus semper proficiens, omni Italiâ cedere cogitur: & Alexander Pontifex securiùs imperare: cum plures illi, quàm antea, provinciæ subderentur. crevit etiam ejus nominis gloria, cum villa, quæ Rovereta olim dicebatur, ob Summi Pontificis reverentiam, aucto plurimum pomærio, in Alexandriæ nomen hoc anno transiret, æternum ejus constantiæ, & pietatis argumentum.

LII. Ludovicus Rex sequester pro pace inter Regem et S. Thom. *Quadrilog. l. 2. c. 23.*

Quod Apostolicæ Sedis Legati perficere minimè potuerunt, Ludovicus Francorum Rex ad effectum perducere Regiâ pietate conatus est: sed conatus tantùm. nam Alexandri Pontificis oraculo, ad pacem componendam animatus, inter Henricum Regem, & Cantuariensem Thomam, sequestrum se exhibuit. Quid inde actum, quadripartita historia narrat in hunc modum: [Dominus Rex Francorum, videns Dominum Papam, de pace esse sollicitum; tanquam filius pacis, & obediens viro Apostolico, operosè & attentè partes suas interposuit. Unde post pleraque colloquia, quæ inter ipsum & Regem Anglorum erant, Archiepiscopum vocavit, pacis inter eos se mediatorem interponens. Inter quæ unum colloquium fuit, in quo suggestum est Regi Angliæ Archipræsulem suo se arbitrio velle committere: ideoque gratiùs ejus præsentiam acceptabat. multis igitur utrimque ad id convenientibus, ad pedes Regis Angliæ procidit Archiepiscopus, dicens: Domine Rex totam causam, unde inter nos orta est dissensio, tuo committo arbitrio, *Salvo honore Dei.* Tali adjectione auditâ, Rex vehementer scandalizatus est, multis ipsum contumeliis afficiens, multa improperans, multa exprobans: arguens eum tanquam superbum, & elatum, & Regiæ munificentiæ circa ipsum impensæ immemorem & ingratum. Et ait Regi Franciæ: Domine mi attende si placet. Quicquid ipsi displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium: & sic sua & mea omnia sibi vendicabit. Sed ne videar honori Dei, vel sibi in aliquo velle resistere, hæc offero. Multi fuerunt Reges Angliæ ante me: majoris vel minoris auctoritatis, quàm sum ego: multi fuerunt ante eum Archiepiscopi Cantuariæ magni, & sancti viri. Quod igitur Antecessorum suorum major & sanctior fecit antecessorum meorum minimo, hoc mihi faciat: & quiesco. Acclamabatur undique; satis Rex se humiliat. Dumque Archiepiscopus aliquantulùm subticuisset: Rex Franciæ adjecit. Domine Archiepiscope, vis major esse sanctis viris, vel major Petro? Quid dubitas? Ecce pax pro foribus. Ad hæc Archiepiscopus: Verum est, ait: Antecessores nostri multò meliores me fuerunt, & majores: singuli autem suis temporibus: etsi non omnia se adversus Dominum extollentia, quædam tamen resecuerunt. nam si omnia radicitùs tunc extirpassent: quis nunc adversus nos ignem tentationis hujusmodi excitaret. Qui cum illis probati digni inveniamur etiam cum illis laude & gloria, multò meliùs nobis Deo consulente, actum est: ut sicut in eorum sorte & merito laboravimus; ita & illorum laboris, & præmii simus participes. Nec si aliquis eorum tepuit, vel excessit in aliquo; ejus in hoc torporis vel excessus exemplum sequi tenemur. Petrum enim Christum negantem arguimus: sed Petrum usque ad capitis sui periculum, Neronis impetum arguentem modis omnibus commendamus. Sanè quia Petrus ei consentire noluit in eo, quod dissimulare sine animæ suæ periculo non potuit: idcirco inimicorum victor in carne occubuit: & talibus pressuris Catholica surrexit & crevit Ecclesia. Patres nostri passi sunt, quia nomen Christi subjicere; & ego, ut hominis mihi gratia restituatur, Christi honorem deberem supprimere? Absit, ait, absit.

LIII. Magnates utriusque regni subinfensi S. Thomæ. *Quadrilog. l. 2. c. 24.*

Insurrexerunt itaque Magnates utriusque regni in eum, imputantes arrogantiæ Archiepiscopi impedimentum pacis. Uno inter alios Comite palam protestante: quia Archiepiscopus utriusque regni consilio & voluntati resistit: de cætero neutrius erit dignus auxilio. Sed ejectum ab Anglia non recipiat Francia. Soluto colloquio non sine multorum murmure reditur ad propria, coexulibus Archiepiscopi in summa desperatione positis. Et Reges quidem festinantissimè in equis (mox quippe diremerant colloquium) recesserunt: nec salutantes, nec ab Archiepiscopo salutati. Quin potiùs Rex Anglorum adhuc in recessu, etsi non in facie, à convitiis Archiepiscopi non cessavit, insultando, & dicens inter alia: quòd ea die, de suo, se ultus fuisset proditore. Pariter & aulici, qui pacis mediatores extiterant, in recessu multa etiam in faciem Archipræsuli objecerunt: quòd videlicet fuisset semper superbus, elatus, sapiens in oculis suis, propriæ semper sectator voluntatis, & sententiæ; adjicientes grande fuisse hoc malum, & enorme Ecclesiæ damnum, & periculum, quod ipse Rector Ecclesiæ constitutus fuisset; & quod per ipsum ex parte jam destructa penitus citò destrueretur Ecclesia. Sed Archipræsul ponens ori suo custodiam, cùm consisterent peccatores adversus eum, factus est ad exprobrantes & insultantes sibi, quasi non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: nisi quod uni de destructione Ecclesiæ, humiliter quidem & mansuetè respondit: Frater, inquiens, cave ne destruatur Ecclesia Dei per te: per me, favente Domino non destructur.

Et his erat Joannes, natione Anglus, Episcopus tunc Pictaviensis, Archiepiscopo ex diuturna conversatione & societate, familiaris admodum, charus, & acceptus. Ab aliis verò conviciatus non reconviciabatur: illius profectò discipulus, qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. Sic igitur recessit à colloquio nunc in Francia, sicut priùs in Angliâ apud Northamtunam, factus opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Et recedens sic cum suis, Dominum Regem Francorum sequebatur: cujus erant præparata hospitia in castro, quod Mons-mirabilis dicitur. Erat & Archiepiscopus in castro hoc pariter hospitatus cum Rege: ipso semper per aulicos abundanter ei viaticum ministrante. Rex autem tunc non declinavit, quemadmodum in aliis colloquiis consueverat, ut Archipræsulem in hospitio suo videret. Unde & mox conjiciebatur, cor Regis non ita cum Archiepiscopo esse, sicut heri, & nudiustertius. Nihilominus tamen Archiepiscopus hilarem & jucundum se exhibuit: nec deprehendi potuit vultus ejus in diversa mutatus ob hoc. In quo adverti potest magni viri constantia, fortitudo animi invincibilis: qui mundo jam sibi contrario, nullam, vel etiam modicam turbationem ex his, vel saltem solliciti ostendit speciem.

LIV. In crastino à præfato castro recedens, & ea die Carnotum veniens, plerique, ut mos est, populi occurrerunt, ut transeuntes viderent: & quærebant, quis esset qui transiret. Et cùm cognovissent, quòd Archipræsul hic esset Cantuariensis: ipsum mox digito notarunt, aliis qui ignorabant indicantes, & dicentes invicem, murmurando tamen: Ecce Archipræsul ille, qui in hesterno colloquio Dominum propter Reges negare noluit: nec Dei honorem subjicere. Postea etiam sæpissimè, cum iter per Franciam faceret, multi in populo eadem de illo prædicabant. A Carnoto verò recedens, quantociùs potuit Senonas venit: ubi per dies salutare Dei præstolabatur. Una verò dierum sedente Archiepiscopo cum suis in hospitio; dum fabularentur ad invicem super his quæ acciderant: & secum quærerent, quò possent divertere. Dominus Cantuariensis jucundo vultu, quasi nihil adversitatis habens, & ad omnes fortunæ impetus immutabilis, moderato risu condolentibus allusit, dicens: Solus impetor, & me cedente, non erit qui vos persequatur acriùs, nec ademptis amicorum beneficiis, qui vos destituat ampliùs. Confortamini igitur, & nolite expavescere. Cui inquiunt: Miseremur tui magis, dum nescimus quò possis divertere, vir tantæ auctoritatis, à summis & ultimis derelictus amicis. Deo (inquit Cantuariensis) nostri curam committimus. & ex quo utriusque regni nobis præcluditur aditus, nec ad Romanos latrones, consolationis gratiâ, quis consulit nos revertere, qui miserorum spolia sine delectu diripiunt (Romam tunc Guido Cremensis Antipapa occupabat, Alexandro apud Beneventum morante) alia est nobis via procedendum. Audivimus siquidem circa Ararim fluvium Burgundiæ, usque ad partes Provinciæ, liberaliores esse homines. Ad hos ego, & vos mecum pedites ibimus: qui visâ afflictione nostrâ, fortasse nostri miserebuntur, victualia ministrantes ad tempus; donec nos Dominus visitaverit. Potens est Deus, & in ultimo miseriæ calculo suis adesse. Infideli deterior est, qui de Dei desperat misericordia.

POPULUS VIRTUTEM S. THOMÆ PRÆDICAT.

LV. Et statim affuit pro foribus misericordia. Accurrit enim quidam serviens Regi Franciæ, qui diceret: Dominus Rex vos ad Curiam vocat. Ad hæc ait unus eorum: Ut ejiciamur è regno. Non es propheta (inquit Cantuariensis) nec filius prophetæ: noli vaticinari sinistra. Venientes ergò invenerunt Dominum Regem, cum tristi vultu sedentem, & non assurgentem pro solito Domino Cantuariensi. Quod factum est in principio triste præsagium. Considentibus illis, & adhuc tepidè vocatis, diutiùs facto silentio: Rex inclinato capite, quasi dolens & invitus cogitaret, ut eos è regno ejiceret: & illis idipsum timentibus; obortis lacrymis, prosiliens cum singultu, projecit se ad pedes Domini Cantuariensis, obstupentibus iis qui aderant. Et Domino Cantuariense inclinante ad erigendum Regem: vix tandem ad se reversus Rex præ angustiâ, Verè, ait, Domine mi Pater, tu solus vidisti: & suspiria præ mœrore congeminante; Verè ait, Pater tu solus vidisti. Nos enim cæci fuimus: qui contra Dominum dedimus tibi consilium; ut in causâ tuâ, imo Dei, ad nutum hominis honorem Dei remitteres: pœnitet nos, Pater, & graviter pœnitet. Ignosce, rogo, & ab hac culpâ me miserum absolve. Sed & Deo, & tibi meipsum & regnum meum expono: & ab hac horâ promitto, quòd tibi, vel tuis non deero quamdiu, Deo auctore, vixero. Rege itaque absoluto, datâque ei benedictione, Dominus Cantuariensis Senonas regressus est cum suis in gaudio. Ubi Rex Franciæ victum regaliter exhibuit, usque ad reditum in Angliam.

LUDOVICUS PROJICIT SE AD PEDES S. THOMÆ, ET VENIAM PETIT.

LVI. Quo audito Rex Angliæ, Regi Franciæ demandat: se mirari plurimùm quomodo, vel qua ratione, de jure, posset contra eum fovere Cantuariensem; cum in ipsius Regis præsentiâ Rex Angliæ ita se humiliaret, ad omnem paratus justitiam: nec per ipsum steterit, quominùs Cantuariensis pacem haberet: quam ipse arroganter & contumeliosè rejecit. Quocirca ait, Regem Franciæ tali de cætero, in regno suo, non debere præstare subsidium, in sui fidelis ignominiam, & ruborem. Ad hæc Rex Franciæ. Ite, inquit nuntiis, Regi vestro nuntiantes: quia si Rex Angliæ avitas quas vocat consuetudines, licet minùs, ut aiunt, legi divinæ congruas, tamen ut ad Regiam dignitatem spectantes non sustinet abrogari: multò minùs mihi licèt, jus illius liberalitatis subvertere, quod cum corona regni mihi jure competit hæreditario. Consuevit siquidem Francia, ab antiquis temporibus, omnes miseros, & afflictos, & maximè pro justitiâ exulantes, recipere: & donec pacem habuerint, fovere, tueri, & defendere. Cujus honoris & excellentiæ gratia, Deo propitio, me vivente ad nullius personæ suggestionem, Cantuariensi exuli derogabitur. Erant itaque deinceps Rex & Archipræsul familiares & amici multò plùs, quàm priùs.] Hæc omnia Quadrilogus: quæ in hunc annum à Baronio congeruntur. Quò etiam referri debet Anglorum in Hiberniam ingressus; illi non absimilis, qui Saxonem è Germania in subsidium traxit; qui primò pro Britannis militare, inde Britannis imperare, cœperunt, & demum omni Insula potiri: id quomodo Hiberniæ acciderit, nunc videndum.

RESPONSUM LUDOVICI NUNTIIS HENRICI.

Hoveden. loc.

Invadunt Angli Hiberniam.

Principio quod ad tempus spectat expeditionis primæ, Rogerus Hovedenus in Annalibus ita illud designat: [Anno gratiæ (inquit) millesimo centesimo sexagesimo octavo, qui erat annus decimus quartus regni Henrici Regis, filii Mathildis Imperatricis, Richardus Comes de Striguil, (nunc Pembrochiæ Comitem dicimus) magno congregato exercitu, invasit Hiberniam, & maximam illius partem subjugavit sibi; auxiliante ei Milone de Coggeham, viro bellicoso: & factâ concordiâ cum Rege Diviliniæ, filiam illius in uxorem duxit, cum regno Diviliniæ.] Ita ille. multa in unum miscens, & tacitè expeditionis hujus causâ, quam alii tamen fusiùs referunt, & Anglorum jus ad Insulam illam: quod quamvis antiquum minimè fuerit, & belli tantum lege partum, si de totâ Insulâ loquimur: olim tamen, non minimam partem, imo maximam ejus ab Edgaro subactam, & à Saxone possessam ostendi tomo superiore ad annum Domini nongentesimum sexagesimum quartum. (*v. an. 964. n. 8.*) Cæterùm omnis Insula, externam dominationem hactenus non admisit Britanniâ nostrâ felicior, quæ sæpiùs domita. Unde Neubrigensis. [Hoc quoque, inquit, de Hiberniæ Insula mirabile est, quod cum major Britannia, æquè Oceani Insula, nec spacio longiori sejuncta, tantos bellorum casus experta sit, toties exteris gentibus præda fuerit: toties externam dominationem incurrerit expugnata, & possessa, primò à Romanis, deinde à Germanis, consequenter à Danis: postremò à Normannis: Hibernia, Romanis etiam Orchadum Insularum dominium tenentibus, inaccessa, rarò, & tepide ab ullo unquam expugnata, & subacta est, nunquam externæ subjacuit ditioni usque ad annum à partu Virginis millesimum centesimum septuagesimum primum, qui fuit Regis Anglorum Henrici secundi octavus decimus.] Tunc enim, ut infra dicam Rex ipse Henricus Hibernia potitus est. Cæterùm hoc anno millesimo centesimo sexagesimo octavo, cœpta expugnatio, eo modo quem statim referam.

Neubrig. l. 2. c. 26.

Hibernia raro dominationi externæ subacta.

LVIII. Hibernia non est passa Diocletiani persecutionem.

Error interim tollendus eorum, qui putant Hiberniam, sub Romanorum imperio gemuisse, Diocletianææ persecutionis tyrannidem passam. quo ferè fundamento duo statuunt: nimirum Christianam Insulam faciunt, ante sæculum Patricii; qui tamen primus dicitur Christi fidem in Hiberniâ prædicasse: & natam ibi Ursulam, passamque anno Christi ducentesimo trigesimo septimo. Everti supra fundamentum hoc, & iterum convellitur, si Hiberniam dixeris (quod omnino dicendum est) externam dominationem, unde ubique per orbem porrecta fides, Hibernos non admisisse, nec Insulam à Romanis subactam. Corruit ergò illud quod Hermannus Crombach pro Ursulâ Vindicatâ asserit; & nullo modo probabile est, quod ipse: [Est (inquit) admodum probabile, Romanos circa annum ducentesimum nonagesimum secundum, Constantio Cæsare creato, tandem Hiberniam armato milite penetrasse, & edictis Diocletianæis, imperio toto promulgatis, hanc etiam Hiberniam Martyrum esse sanguine purpuratam.] Ita ille pro Ursulæ patriâ disputans. Sed duo sunt multo certiora: primùm, Hiberniam omni sæculo Romanæ servitutis expertem: iterum, Constantio Cæsare, cui Britannia, & Gallis parebat, nullum eo imperante fusum Christianum sanguinem, quod è Latinis, Græcisque Authoribus fusè probatum est supra, ubi Albanum nostrum, ejúsque martyrium, ad priora tempora retuli. (*v. an. 286.*) nunc de Hiberniâ ab Anglis expugnatâ, & causa expugnandi, quam Giraldus Cambrensis, qui hoc tempore scripsit, ita narrat, in libro cui titulum fecit: Hibernia expugnata: inscripsitque Pictaviensium Comiti, & Duci Normannorum, Regique Anglorum mox futuro: Henricum opinor, intelligens secundi Henrici filium, quem parens, sequenti anno coronabit. Ita igitur ibi Giraldus.

Hermann. Crombach. to. 2. l. 3. c. 3.

LIX. *Girald. Cambr. Hibern. Expugn. 1.*

Dermitius Lageniensiũ Princeps in Hibernia, rapit uxorem Ororicii Medensiũ Principis.

[Dermitius Murchardi filius Lageniensium Princeps, & quintæ portionis Hiberniæ Rector, Orientalia Insulæ maritima, majori Britanniæ, mari tantum interluente, contermina, nostris temporibus possidebat. Qui ab ineunte ætate, regnique sui novitate nobilitatis oppressor existens, in terræ suæ Magnates, gravi, & intolerabili tyrannide sæviebat. Accessit & aliud incommodum. Ororicio namque Medensium Principe, in remotas partes, expeditionis causâ, profecto: uxor ipsius Omachla-cherlini filia, quam in Insula quadam Mediæ reliquerat, à prædicto Dermitio, ejusdem igne dudum accenso captatâ viri absentiâ, rapta nimirum fuit, quia & rapi voluit. Et quoniam varium & mutabile semper fœmina: ut prædoni præda fieret, ipsa procuravit. Rex Ororicius graviter utroque permotus: longè tamen graviùs, decoris, quàm damni dolore perculsus, totum in vindictam virus evomuit. Convocans igitur, & conflans, tam proprias, quàm vicinarum gentium vires, Connactiensium quoque Principem, & totius Hiberniæ tunc monarcham, ad idem animavit Rodericum. Considerantes autem Lagenienses, Principem in acto jam positum, & hostium cuneis omni ex latere circumseptum: dissimulatas diu injurias, altáque mente repostas ad vindicem animum revocantes: cum hostibus unanimes effecti Murchardi filium majores in hac gente simul cum fortunâ reliquerunt. Videns itaque Dermitius, se viribus undique destitui; & aversâ penitus fatorum facie, fortunæque favore, jam desperanter affligi: post multos & graves, impari certamine, cum hoste conflictus; tanquam ad ultimum confugiens salutis remedium: tandem tamen fugæ præsidium navigio destinavit. Fortunam igitur fugitivam sequens, & rotæ volubilitati multum confidens Murchardi filius, velis sulcantibus æquora, ventoque ad vota spirante, ad Anglorum Regem, Henricum secundum, auxilium obnixè postulaturus accessit. Qui licet in remotis & transmarinis Aquitaniæ Galliæ partibus, principali more negotiosus existens: ipsum tamen innatæ liberalitatis, & humanitatis officio, piè satis & benignè excepit. Auditâ ergo seriatim, tam exilii, quàm adventus causâ: susceptusque ab ipso, tam subjectionis vinculo, quàm fidelitatis sacramento; Literas ei sub hoc tenore patentes indulsit.]

Henricus Rex Angliæ, Dux Normandiæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, universis fidelibus suis Anglis, Normannis, Gwalensibus, & Scotis, cunctisque nationibus suæ ditionis subditis. Salutem.

LX. *Cum presentes ad vos literas pervenerint; noveritis nos Dermitium Lageniensium Principem in gratia*

nostra, & benevolentia sinum suscepisse. Unde & quisquis es de amplitudinis nostra finibus, tanquam homini, & fideli nostro restitutionis auxilium impendere voluerit; se nostram ad hoc, tam gratiam noverit, quàm licentiam obtinere.

Henricus suis subditis in gratiam Dermitii.

Rediens igitur per majorem Britanniam Dermitius, & licet Regia munificentia donatiis honoratus plurimum & oneratus: spe tamen quam re longè abundantiùs exhilaratus, ad nobilis oppidi Bristolli partes se contulit. Ubi etiam occasione navium, quæ de Hibernia, eo in portu crebris applicationibus suscipi consueverant (à quibus terræ suæ gentisque statum audire gestiebat) fiscalibus stipendiis decenter exhibitis, est aliquamdiu conversatus. Cumque ibidem multoties literas Regias in multorum audientia legi fecisset: multaque promissiones, tam terrarum, quàm stipendiorum, multis inaniter emisisset: tandem Comes Strigalensis, Richardus Guiliberti Comitis filius, dictus Strongbow, fortis arcus, cum eo locuturus advenit. Ubi & eousque demum productum est colloquium: ut & Comes ei in proximo vernali tempore, restitutionis auxilium: & Dermitius Comiti, cum regni successione filiam suam primogenitam firmiter pepigisset. His itaque seriatim ordine completis, Dermitius desiderio visendæ patriæ plurimùm accensus, eáque dulcedine, qua natale solum cunctos ducere solet, ampliùs allectus, ad Australis Cambriæ, Meneviaque partes incunctanter accessit. Quas à Lagenia, uno transfretabile die, humanoque, terras non subtrahens aspectui, solum interfluens mare disterminat, Ryso videlicet Gryphini filio illis in finibus sub Rege principante: Davidque, secundo Meneviæ præsidente, & exulantis calamitatem satis humaniter utroque miserante.

LXI. Hic David qui dicitur Menevensis Episcopus, Urbano successit anno 1148. ut dictum ibi n. 31. cognomento Fitzgerald: & patruus fuisse putatur Cambrensis Giraldi, quem jam de Hiberniâ expugnatâ scribentem, præ manibus habeo: quod ideo difficultatem habet, quia Giraldus supra jejunè satis illum nominat: quod tractans argumentum Godwinus non immeritò dubitat de rei veritate. Sic enim ille: [David Fitzgerald Urbano successit Menevensi Episcopo: Cardigavēsis Archidiaconus: patruus ut accepi Silvestri Fitzgeraldi historici, quem Giraldum Cambrensem vulgò nominamus, qui illius in hac Sede postmodum fuit successor. Hoc verò me anxium habet: quod Episcoporum sui temporis faciens mentionem, illum tam leniter pertransit, *Davidem* solummodo *secundum* appellans, nec cognomentum adjiciens, aut de cognationis vicissitudine memorans quicquam: id quod nunquam sine dubio neglexisset, si patruus ejus revera extitisset.] Ita ille. Porrò Davidem hunc Dermitio favisse argumentum est aliquorum Fitzgeraldorum post eum in Hiberniam profectio: quæ quia in sequentem annum incidit, ibi opportuniùs, reliqua quæ Hiberniæ expugnationem spectant, exponentur. Cæterum Dermitius hoc anno, cum variis fœdere, pactisque multorum animos, & Roberti imprimis, quem Stephanū deinde vocant, ad expeditionem excitasset; ipse nullo adhuc facto apparatu bellico, sed plenus spe magni subsidii, in Hiberniam solvit: ubi eum sequenti anno revisemus.

Godwin. in Meneven. Episcop.

ANNUS CHRISTI 1169.
ALEXANDRI III. PAPÆ 11.
HENRICI II. REGIS 15.

I. SEquitur Christi annus millesimus centesimus sexagesimus nonus, Henrici Regis odium in Thomæ Cantuariensis dejectionem: & Alexandri pietatem constantiamque in eo defendendo manifestans. Quæ ut clariùs elucescant, è Vaticano Codice, apud Baronium, petenda narratio est: ubi è secretis literis hæc habentur: *Ventum erat ad Summum, cum ille* (Henricum Regem intelligit) *qui sollicitando tam Curiam, quàm schismaticos, Fridericum videlicet, & complices suos, videns se hac viâ non posse proficere, adversus Dominum, & adversus Christum ejus: transmissâ Legatione, confugit ad Italiæ civitates, promittens Mediolanensibus tria millia marcarum, ad murorum suorum validissimam reparationem, ut cum aliis civitatibus, quas corrumpere moliebatur, impetrarent à Papa, & Romana Ecclesia, dejectionem vel translationem Cantuariensis Archiepiscopi. Nam ob eandem causam Cremonensibus duo millia marcarum promiserat, Parmensibus mille, & totidem Bononiensibus. Domino verò Papæ obtulit, quod datâ pecuniâ liberaret eum ab exactionibus omnium Romanorum, & decem millia marcarum adjiceret: concedens etiam, ut tam in Ecclesiâ Cantuariensi, quàm in aliis vacantibus in Angliâ, Pastores ordinaret ad libitum. Sed quia fidem multa promissa levabant: & in precibus manifesta convincebatur iniquitas, repulsam passus est. At quod per se impetrare non poterat Regis Siculi viribus extorquere conatus est. Sed nec sic; licet ad hoc toto nisu Syracusanus Episcopus, & Robertus Comes de Bassavilla, multiplicatis intercessoribus laboraverunt, exauditus est pro suâ reverentiâ, vel potentiâ, vel gratiâ: quamvis eam in Ecclesia Romana plurimam habeat. Dimissi sunt ergo nuntii Regis impotes voti: hoc solùm impetrato: ut Dominus Papa mitteret nuntios, qui pacem procurarent: Gratianum scilicet Subdiaconum, & Magistrum Vivianum, Urbis Veteris Archidiaconum, qui munere advocationis fungi solet in curia.* Hactenus è Codice.

Henricus sollicitat civitates Italiæ et ipsum Alexandrum in S. Thom.

apud Baron. hic.

II. Quæ omnia cum Thomas suorum qui Romæ relatione cognovisset, indignè ferens se per primas Italiæ urbes venalem exponi, appensâ tot millium marcarum hederâ, commercium illud detestatus, ad Humbaldum Cardinalem Ostiensem Episcopum literas dedit, ubi inter cætera: *Quia legem Dei* (inquit) *transferre nolumus, ut ei succedat iniquitas tyrannorum: quærit ut nos citra necessitatem, præter utilitatem, contra auctoritatem, ad aliam Ecclesiam transferamur. Quia verò vocantem ad iniquitatis consortium sequi nolumus: petit nos evocari à vobis; ut in transitu possit nostri sanguinis, cum iniquitatis suæ consortibus qualecumque exercere commercium. Quid enim aliud sibi vult, quod Mediolanenses, Cremonenses; & Parmenses in exterminium nostrum mercede corruptos sollicitat? Quid Papiensibus, aut aliis Italiæ civitatibus nocuimus unquam, ut nostrum exilium procurarent? In quo læsimus sapientes Bononiæ: qui sollicitati precibus, & promissis, perniciei causæ nostræ, quam audierant, noluerunt dare consensum? Certè nos Robertum de Bassavilla non proscripseramus? & tamen sollicitationibus inductus est, ut nostram apud vos procuraret proscriptionem. Dolo tamen postea*

apud Baron. hic.

S. Thomas ad Humbaldum Cardinalem.

Quos Italiæ excitavit Henricus in S. Thom.

cognito,

cognito, pœnitentiâ ductus rogavit, ne ipsius injusta petitio audiretur: Richardus Syracusanus Episcopus electus, corruptus accepto Lincolniensis Episcopatus, persecutores nostros juvit opibus, armavit consilio, viribus roboravit. Nam & ipsi Regi Siculo, intra cujus fines modo consistitis, ut eum caperet in perniciem Ecclesiæ, & nostram, filiam regis Angliæ copulandam in matrimonium promiserunt. Joannam sanctus intelligit, quæ nata sub annum Domini 1165. duodennis in Siciliam ducta, Guilielmo secundo Regi Siciliæ nupsit.

III. Narrat, quam parum securus sit futurus transitus ipsius in Italiam.

Nonne Frangentes panem (prosequitur querimoniam Thomas) *& familiam Leonium, & gentem Latronum, & alios Romanos potentissimos, quasi conductitios adduxerunt, ut non tam flecterent, quàm frangerent Ecclesiam Romanam? Sed & patem Imperatoris, & Saxonum repromittunt: & quod omnes Romanos datâ pecuniâ inducent, ut faciant fidelitatem Domino Papæ; dummodo in nostra dejectione Regis Angliæ satisfaciat voluntati. Patet quam securum transitum, quam jucundum commeatum nobis diligentia hominis præparabat. Profectò non satis curabat, unde satisfieret creditoribus vestris, unde sociis: si quis tamen inveniri posset: ad procinctum itineris necessaria ministrarentur, unde sumptus itineris procederent, & solatia proscriptæ multitudinis; quæ post quinquennis exilium egens & afflicta, erat in tantis calamitatibus deserenda. Eadem sane diligentia proximatum hæc (quoniam Regis nomen in hanc suspicionem deducendum esse non credimus) poterant hospitum utensilia toxicari: & difficile est vitam servare incolumem, cui insidiatur is, qui jus habet in familiam totam. Et nèin hac parte schedula protrahatur, & verba. Quoad vita comes fuerit, nos pro nullâ unquam vocatione, tot & tantis periculis ingeremus. Nam si quis ex quacumque causa mortem non detrectat: vitam facilius poterit ferro vel laqueo terminare.* Cum ita scripsisset sanctus Antistes, pergit Humbaldo Cardinali exponere, quæ superiori anno Henricus cum Ludovico Rege, de se proscribendo è Galliis tractaverit: & pientissimum apponit Gallici Regis responsum: quod licet suprà è Quadrilogo retulerim, juvat tamen illud ipsum è loquentis ore, aut scribentis manu excipere. Sic ergo ille:

IV. Rex mittit Legatos ad Ludovicum Galliæ.

[Nuper autem misit idem Rex nuntios suos, Episcopum videlicet Sagiensem & G. Cantuariensem Archidiaconum, ad Christianissimum Regem, sollicitans eum precibus, ut nos ejiceret de terrâ suâ. Sed vir Deo plenus respondit: se hoc jus hereditarium ab Antecessoribus contraxisse, & semper fuisse consuetudinis regni Francorum; ut omnes pro justitiâ exulantes benignè recipiat, & eis debita humanitatis solatia impendat. Et dixit se nunquam tam laudabilem hereditatem, & Deo gratam, ex causâ qualibet deserturum. Adjecit etiam, quod nos receperat de manu Domini Papæ: quem solum Dominum in terris habet: & ideo nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua mundi potestate dimissurum: quin foveat nos, & causam nostram, quamdiu necesse fuerit: quoniam Deus nobiscum est, & pro tuendâ lege ipsius tot injurias, & damna sustinemus. Hoc responso Legatos confusos dimisit; & nobis (quod ei Deus retribuat) solito benignior & liberalior est: licet benignus & liberalis semper extiterit. Dicit autem se probaturum in causâ nostrâ sinceritatem & vigorem Ecclesiæ Romanæ, & virtutem Domini Papæ, eujus fidem & constantiam in eo commendat plurimùm, quod Regem Angliæ in petitionibus injustis ab eo gaudet esse repulsum.] Hæc S. Thomas.

Dimisit Ludovicus Legatos.

& reverâ hoc anno patuit Alexandri constantia: qui & eos delegit ad Regem oratores, qui pietate prudentiâque eminebant: & eisdem ea solum indulsit, quæ Ecclesiarum utilitati justitiæque servirent: præcépit etiam ab omni munere, & Regiâ largitione abstinere, nisi priùs Thomam Regi obligasset. Scripsit autem per eosdem Legatos, ad Archiepiscopum Thomam, & Henricum Regem literas, memoria posterorum, & Annalibus dignas. Ad Thomam ita.

V. Alexander ad S. Thom. quid fecerit cũ Rege. *apud Baron. hic.*

Illustris Regis Anglorum literas, & nuntios accepimus: & cum à nobis per eosdem nuntios quædam magna, & difficilia postulasset: & super iis obtinendis apud nos nuntii ejus vehementer & fortiter institissent: animum nostrum ad voluntatem suam usquaquam flectere potuerunt. Sed ne possent habere ullam materiam, & occasionem de nostrâ duritiâ conquerendi, & quòd sibi nollemus in aliquo deferre; sequentes vestigia, & exempla prædecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus; prædictum Regem, cum omni benignitate, modestiâ, & mansuetudine, à suo revocare proposito, & ejus mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Inde utique fuit, quòd nos (sicut de consilio, & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros, Gratianum Subdiaconum, & notarium nostrum, virum honestum, & literatum; quem ob memoriam sanctæ recordationis Patris, & prædecessoris nostri, Eugenii Papæ, & intuitu sincerissimæ Fidei, & obsequii sui charum omnimodis acceptúmque tenemus: & Magistrum Vivianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam, & literaturam ejus sincero cordis affectu diligimus, ad præfati Regis præsentiam duximus destinandos. Per quos, & per literas nostras, ipsum cum omni studio & sollicitudine districtius quàm possumus commonemus: ut tibi pacem, & gratiam suam restituens; te ad Ecclesiam tuam honorificè revocet, & tam tibi, quàm eidem Ecclesiæ, antiqua jura & libertates & honores integrè, & illibatè conservet: & se, & tua, cum omni pace, & tranquillitate esse permittat.

VI. Monet; ut satagat mitigare animum Regis.

Quapropter rogamus fraternitatem tuam, atque monemus, quatenus malitiam & angustiam temporis diligenter considerans, & attendens quomodo majores nostri tempora redemerunt, propter dierum malitiam: ad recuperandam gratiam & amorem supradicti Regis, omnibus modis, quantum salvo ordine, & officio tuo fieri potest, elabores: & ejus satagas animum mitigare; illam patientiam, mansuetudinem, & benignitatem ostendens, quod à nullo, meritò dici possit, per te remansisse, quo minùs gratiam, & bonam voluntatem illius plenius debeas adipisci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus: ut usque ad discessum nuntiorum nostrorum, nec in Regem, nec in personas regni, aut regnum, aliquam sententiam proferas: Et si fortè (quod non credimus) jam protulisti; ipsam usque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideo dicimus: ut illi omnem conquerendi occasionem & materiam tollamus; & ejus duritiam, tali modo vincamus. Si enim secùs (quod absit) contigerit: nos tibi auctoritatem tuam subtrahere nullatenus volumus: sed potius conservare, & auxilium, & consilium nostrum diligenter conferre. Cætera verò in ore nuntiorum nostrorum posuimus: quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis & exhortationibus acquiescas. Ita Alexander ad S. Thomam: ad Regem autem per eosdem Legatos scripsit in hæc verba:

VII. ALEXANDER AD HENRICUM.

* Landavensem.

*Magnificentia tua literas, quas nobis per dilectos filios nostros, primò Reginaldum Saresberiensem, & deinde Randulfum * Lavensem Archidiaconum, viros providos & discretos, & in commisso sibi negotio studiosos, atque sollicitos, transmisisti; paterná benignitate suscepimus: & earum continentiam diligenter curavimus & studiosè audire. Cum autem Excellentia tua petitiones nobis tam ex serie literarum, quàm ex nuntiorum tuorum vivâ voce plenius innotuissent: & nos cum fratribus nostris exinde diutiùs deliberassemus: non fuit nobis visum, quod aliquam earum, juxta quod rogasti, cum honestate nostrâ. & Ecclesia possemus effectui mancipare. Veruntamen ut sublimitati tua, in omnibus, quantum cum honore Dei, & Ecclesia fieri poterit, deferamus: & ne nos potiùs ex voluntate, quàm de necessitate credas aliqua ratione fecisse: dilectos filios nostros, Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, & magistros Vivianum, viros quidem providos & discretos, & nobis ac toti Ecclesia charos pariter & acceptos, ad Regia Celsitudinis præsentiam destinavimus: per quos magnificentia tua, voluntatem, & animum nostrum, & talia, qua ad honorem & exaltationem tuam spectabunt, & qua Serenitati tua meritò placere debebunt, pleniùs significamus.*

VIII. *Quod autem (sicut ex magnificentia tua literis intelleximus) in tantum voluntatem tuam, & animum tuum, circa negotium Venerabilis fratris nostri Thoma Cantuariensis Archiepiscopi, inclinasti; quòd eum ob reverentiam Ecclesia, & nostram, permitteres adpropria remeare, & Ecclesiam in pace tenere: dummodo quod tibi debet, impendere velit: gratum admodum acceptumq; tenemus: & divina clementia, qua hac cordi tuo procul dubio inspiravit, quantas possumus laudes & gratias exhibemus. Serenitatem tuam attentè rogantes, & tibi in delictorum tuorum pœnitentiam injungentes: quod Deo potiùs quàm homini, in præscripto negotio deferas: & ad hoc solummodò, divina pietatis respectu, animum tuum inclines. Super eo verò, quod magnificentia tua, de nobis, & nostra voluntatis mutatione significatum fuisse dicebas; non oportet discretam prudentiam tuam omni spiritui credere: cum multi detractores, & corrosores existant; quorum dictis quibuslibet non est fides adhibenda aliquatenus. Nos autem voluntatem, & desiderium habemus, personam tuam, sicut charissimi in Christo filii nostri, toto cordis affectu diligere: nec eam in aliquo (nisi fortè quod Deus avertat, nos ad hoc tu ipse compelleres) volumus aggravare. Datum Beneventi pridiè Kalendas Martii.*

IX. JOANNES SALESBERIENSIS CONVENIT NUNTIOS. *apud Baron. hic.*

Nuntiorum ad Regem missorum fama; cum illi in Gallias venissent; excivit Joannem Saresberiensem, ut illis occurreret: ita enim ille ad Exoniensem Archidiaconum (ita legit Baronius) scribens: [Nuper (inquit) in festo B. Mariæ Magdalenæ, Vizeliacum profectus sum, occurrens ibi Nuntiis Domini Papæ, sicut videbatur, addiscendi, quid Cantuarienses timere oporteat, vel sperare. Nam hæc fabula omnem penè linguam, & aurea utriusq; regni (quod ad Clerum spectat, & certè ex magna parte ad populum) creditur occupare. Desiderabam reverà meum videre cognomen *, & quod magis est, compatriotam, & quodammodo fratrem, Gratianum: cujus tu (ut meminisse potes) à sanctæ recordationis Papa Eugenio Ferentini decretus es institutor. Illum fratrem dixerim confideoter; cum quo mihi fidei & societatis sunt jura communia. Licet nos non ediderit una civitas: patriam tamen nobis esse unam, non ambigit, qui patriam fortium, quæ nobis individua est, & quam charitas ostendit, reducit ad animum. Ab illo ergo, & socio ejus Viviano, amicè & reverenter exceptus, familiariùs didici: quod Dominus Papa, & Ecclesia Romana Cantuariensi plurimùm favent: adeo quidem, ut nisi Rex nunc eidem Domino Cantuariensi, juxta consilium Domini Papæ, fecerit pacem; & denuntiaturi sint: quod non modo in manus Archiepiscopi dabitur: sed & ipse Romanus Pontifex in eum aggravaturus est manum suam. Et quidem illis forma præscripta est, cujus finea excedere non audebunt; quia ad hæc juramento arctati sunt: adeo quidem, ut jussi sint, nisi pace firmatâ, in tantum à Regiis mœnibus abstinere, ut nec sumptus ab eo accipere permittantur.] Hæc Joannes.

*Joannes, & gratia (unde Gratianus) cognomina.

X. BLESENSIS UT PUTATUR, AMICO DE REGIA NUNTIOS P. CONVENIENTIA.

Cæterùm quomodò prædicti Nuntii ab Henrico Rege excepti sint, docet secreta narratio amici ad amicum, quam Baronius putat, à Petro Blesensi conscriptam: ubi hæc habentur: [In die Assumptionis B. Mariæ apud Argenthcon, perlatæ sunt literæ Domini Papæ, ex parte nuntiorum: & perlectis illis, satis turbatus est Rex. Crastina die misit obviam nuntiis Joannem Decanũ Saresberiensem, & Reginaldum. In vigilia B. Bartholomæi venerunt nuntii ad Danfront, adventum quorum cum audissent G. Rider, & Nigellus de Succavilla, exierunt de Danfront, cum subitâ festinatione. Quare exierunt, vobis satis notum est. Ipsa die, cum jam serò factum esset; venit Rex de nemore, & divertit ad nuntiorum hospitium priusquam ad suum: & eos cum multo honore, & reverentiâ suscepit, & salutavit. Et dum stans adhuc cum eis loqueretur: ecce ad ostium ejusdẽ hospitii venit Dominus Henricus, filius Regis, & multi Principum cum eo: unusquisque cum cornu venatorio buccinantes (sicut solet) de captione cervi: quem totum eis donavit. quod fecerunt, ut audiret hospes, & ad populum phaleras. Crastinâ autem die circa horam primam, venit Rex ad hospitium nuntiorum: & intraverunt cum eo Cameram Sagiensis, & Rhedonensis Episcopi. Post aliquam moram admissi sunt, Joannes Decanus Saresberiensis, & Reginaldus Archidiaconus, & paulò post Archidiaconus Landavensis: & stantea usque ad horam nonam, colloquebantur aliquando in pace, aliquando autẽ in irâ & tumultu. Intentio Domini Regis fuit: quod clerici excommunicati non jurarent. Aliquantulum ante occasum solis exiit Rex multum iratus. conquerens graviter de Domino Papa; quod nunquam in aliquo audiret eum, & cum quadam contumaciâ dixit Rex: Per oculos Dei ego faciam aliud. & Gratianus gratiosè respondit: Domine noli minari: Nos enim nullas minas timemus: Quia de tali Curiâ sumus quæ cõsuevit imperare Imperatoribus, & Regibus.

RESPONSUM GRATIANI REGI MINANTI.

XI. Tunc convocati sunt omnes Barones, & Monachi albi (nempe Cistercienses) qui præsentes erant, & omnes ferè de capella. Et Dominus Rex rogavit, ut tempore opportuno testificarentur pro eo, quanta & qualia obtulerat, restitutionem scilicet Archiepiscopatus & pacis. In fine visus est aliquantulùm pacificatus ab his discedere: & certæ responsionis diem assignavit octavam. Ad quam diem convocati Episcopi venerunt Rothomagensis, Burdegalensis, Cenomanensis, & omnes Episcopi de Normanniâ. Wigorniensis die, qua hæc agebatur, & quæ dicenda sunt, non venerat; sed crastinâ die venturus sperabatur, & venit. Pictaviensis,

Synodi quam tenebat, occasionem prætendebat
non veniendi, sed post Synodum se venturum mandavit.
Pridiè Kalendas Septembris Bajocis obtulerunt nuntii Domino Regi literas Domini Papæ,
precatorias de restitutione vestrâ, & pace. Dominus verò Rex, propositâ narratione omnium rerum,
quas adversus vos solet proponere, dixit:
Si quid de homine isto fecero, pro precibus Domini Papæ, multas mihi debet habere gratias.
Crastinâ die cum nuntiis, convenerunt omnes
Episcopi ad locum quendam, qui vocatur Le bur:
(* Loci nomen fortè Parcum.)
& statim ex quo venerunt, intravit Dominus Rex
Parcum*, & omnes Episcopi cum eo: & illi tantummodo, qui vocati erant ex nomine. Et statim
habuit Dominus Rex consilium cum nuntiis solis,
(Nuntii Rege irato ad preces Prælatorum absolvunt excommunicatos sine juramento.)
petens ab eis, quod clericos suos absolverent sine
juramento. Quod cum Nuntii se facturos instanter negarent: Dominus Rex ad equum suum cucurrit, & ascendit: & audientibus omnibus juravit;
quod nunquam in vitâ suâ audiret neque Dominum
Papam, neque alium de pace, & restitutione vestra.
Quo audito, Archiepiscopi, & Episcopi, quotquot
erant, ad nuntios venerunt, & supplicaverunt eis,
quod pro amore Dei hoc facerent. Ipsi verò cum
summâ difficultate concesserunt. Quo facto descendit Dominus Rex, & iterum cum eis habuit
consilium. Et citò, post, convocatis omnibus,
(* fortè in parco)
quotquot in *pace erant, incepit Rex narrationem
suam, & dixit, quod volebat eos scire: quod vos
per eum de Angliâ non extitis, & quod vos multoties revocaverat, ut veniretis satisfacere super his,
quæ adversus vos habuit, & noluistis. Sed modò
ita se habet res: quod ipse prece & præcepto Domini Papæ, Archiepiscopatum vobis integrè reddit, & pacem omnibus qui de terra sua pro vobis
exierunt. Istam pacis concessionem circa horam
nonam fecit Dominus Rex: & post hæc valdè lætus remansit: & quasdam alias causas in præsentiâ
suâ tractari fecit.

XII. Quibus pertractatis iterùm venit ad nuntios,
petens ab eis, quòd irent Episcopi in Angliam,
causâ absolvendi excommunicatos, qui ibi sunt.
Quod cum instanter negarent se facturos: iratus
est Rex. Et petiit iterum, vel quòd alter eorum
saltem iret, alter remaneret. Vel quòd unum suorum clericorum mitterent: & ipse illi clerico redditus daret antequam rediret. Quod cum iterum
Gratianus, qui (ut speramus) filius est gratiæ denegaret: Dominus ab eis iratissimus recessit, &
audientibus illis dixit: Facite quod vultis; Ego
neque vos, neque excommunicationes vestras appretior vel* .... unum ovum. Et post illud verbum
(* vel dubito)
equum ascendit, ut recederet. Sed sequiti sunt
eum Archiepiscopi, & Episcopi quotquot erant:
(Rex iratus multa minatur.)
& dixerunt ei quod malè loquutus erat. Postea
verò descendit, & cum eis verbum habuit. Cujus
consilii summa fuit: quod Episcopi omnes scriberent Domino Papæ, quòd audientibus illis, obtulerat vobis pacem, & quòd per Nuntios stetit, quò
minùs fieret. Deinde cum in faciendis literis, non
nihil temporis perdidissent; cum multoties, quasi
iratissimus ab eis discessisset: accesserunt ad eum
Episcopi dicentes, quid isti nuntii haberent. Et
cum ostendissent jam mandatum Domini Papæ:
quod omnes facerent quicquid ipsi nuntii præceperint: respondit Rex: Scio, scio. Interdicent terram meam. Sed nunquid ergo, qui possum capere
singulis diebus castrum fortissimum, potero capere
Clericum unum, si interdixerit terram meam?
Veruntamen cum aliqua ad voluntatem suam se
facturos promisissent: cessavit omnino tempestas,
& ipse rediit ad cor, & dixit: Nisi hac nocte pacem
feceritis, nunquam de cæterò ad hunc punctum
(Paratior redit.)
venietis. Postea cùm aliquantùm in hoc verbo laborassent, convocatis omnibus dixit: Oportet me
facere multum pro prece Domini Papæ: qui Dominus & Pater noster est: & ideo reddo ei Episcopatum, & pacem meam, & omnibus, qui pro
eo extra terram sunt. Tunc nuntii, & omnes alii
gratias egere. Et tunc Rex adjunxit: Si quid
modo minus feci, cras consilio vestro supplebo.

Crastinâ die, idest, Kalendis Septembris, convenerunt ad eundem locum circa horam meridianam. XIII.
Et cum de absolutione excommunicatorum
diutiùs esset tractatum, ut scilicet, non jurarent:
eò decursum est, quod G. Ridel, & Nigellus de
Saccavilla, & Thomas filius Bernardi, extenta mano ad Evangelia coram posita dixerunt: in verbo
veritatis se facturos mandatum nuntiorum. Tunc
petitum est à nuntiis, quod omnes, quotquot Ecclesiæ vestræ Dominus Rex interim donavit penes
eos residerent, quibus à Rege donatæ sunt: sed sicut audivimus, eo decursum est, ut liberè ad vestram
redeunt donationem. Postea hoc actum est, ut formam pacis, quam concesserat Rex, Episcopi scriberent. Et ista intentione agebat hæc Dominus
Rex, quod alter nuntiorum in Angliam transfretaret, ad absolvendum excommunicatos. Et cum
(Gratianus Nuntius non admittit Regis clausulam.)
discessissent jam tertiâ horâ noctis ferè elapsâ, Rex
dixit, quod in formâ pacis scriberentur *Salvâ dignitate regni sui.* Sed Gratianus (ut audivimus) instanter negavit, se ullâ concessurum ratione. Et in isto
verbo stant adhuc, redituri die Nativitatis B. Mariæ
Virginis apud Cadomum, ut hoc ipsum pleniùs
confirment.] Hactenus de congressu nuntiorum
cum Rege. Hæsit non immeritò Gratianus ad illam
clausulam, quæ pacem omnem veneno inficeret: &
sanè videtur mentita iniquitas sibi: cum Rex,
controversiæ cardinem vertit, invertit, & evertit.
Displicebat enimverò illi Thomæ Cantuariensis
clausula, *Salvo ordine suo*: & illam immanè persecutus est, nè novarum irarum ansa foret: nunc illam suaviatur, ambitioni suæ famulantem. Hoc
vidit Gratianus, & pientissimè restitit ceu portæ ad
consuetudines avitas (de quibus erat quæstio) introducendas nimiùm patenti. Benè ergo Joannes
(Ioan Saresb. Epist. 281.)
Saresb. ad Pictaviensem Episcopum scribens, ait:
(Judicium ipsius de Regis clausula.)
*Si Rex obtinuerit, ut pallio inseratur, Regni dignitates
salvas fore: consuetudines evicit, mutato duntaxat
nomine, & omnem Ecclesiæ Romanæ dignitatem eliminavit ex Angliâ. Sed absit, ut aliquid istorum fiat.
Et certus sum quod Dominus Cantuariensis praelegit
exulare perpetuo, quàm ut propter pacem ejus lædatur
Ecclesia, & Sedis Apostolicæ privilegium convellatur:
Suadete igitur Domino Gratiano, ut in omnibus, præsertim in his articulis, caveat sibi: nè eum (quod Deus
avertat) decipiant animi sub vulpe latentes. Iam enim
ni fallor, expertus esse potest, quoniam verba præcipitationis diligit lingua dolosa. Nulla, inquit Sapiens,
securitas est, vicino serpente dormire: & in sede Satanæ certum est habitare struthiones & scorpiones, cum
his qui tenent doctrinam Balaam.* Hæc Joannes,
licet patriam, & suos revisere anxiè cuperet.

XIV. Episcopi, quibus formandæ pacis diploma, à
Rege commissum; cum à Nuntiis impetrare nullo
modo possent adjectionem clausulæ, aliam pacis

formam

formam consignarunt, de qua, per Rothomagensem Episcopum, ad Regem ita scripsere:

EPISCOPI PER ROTHOMAGENSEM AD HENRICUM. *apud Baron. hic.*

FOrmam verborum, quam reliquistis nobis, à Legatis nequivimus impetrare, propter determinationes, quæ tam à vobis, quàm ab ipsis, hinc inde multiplices, & ambigua ponebantur. Eos autem abruptè, & sine pacis spe recedere, nec honori vestro, nec utilitati congruere videbatur. Cum igitur inter nos plurima tractarentur: Verbum incidit, in quo, dignitati vestra, & honori vestro non derogatur in aliquo: nec Cantuariensi aliqua in futurum litigii materia comparatur. Est autem verbum hujusmodi: Ut concedatis pro amore Dei, & Domini Papa, Archiepiscopum redire in Angliam; & Archiepiscopatum suum ita integrè habere faciatis: sicut habuit antequam exiret; & illis qui cum eo, vel propter eum egressi sunt, similiter sua reddatis. Placuit autem nobis brevi, & simplicitas hujus verbi, quia nullis artibus, vel suspicionibus videtur involutum. Unde vobis consulimus, & suademus, ut vestrum ad hoc non dubitetis accommodare assensum. Ita Episcopi.

XV. Displicuit Regi omissio clausulæ, & conceptam ab Episcopis formam non admisit: sed missis ad Alexandrum nuntiis, literas querimoniâ plenas unà dedit. Gratianus interim re infectâ, Romam perrexit; manente in Gallia Viviano Legationis socio; operâ industriaque, ut videtur, Henrici Regis, ut uni faciliùs quàm duobus illabi posset. Sic enim scripsit S. Thomas: *Peracto expectationis tempore ab Alexandro Papa præfixo; non Gratianus tantum; sed Senonensis Archiepiscopus, qui & ipse vocatus fuerat ad ineundam pacem; inter Regem & Archiepiscopum interventor, pariter à Rege recessit. Quod haud levem Regia existimationi notam inussit. Ad quam redimendam inops consilii Rex, eò confugit, ut Vivianum certâ promissione pacis factâ, in iisdem negotiis retineret. Qui nihil doli, vel fraudis in Rege remanere putans, adhibens omnem fidem, jam tanquam de pace securus de ea congratulabatur amicis.* Ita è scriptis S. Thomæ Baronius colligit, & subdit Viviani literas ad eundem Thomam, post Gratiani recessum datas, cum nuntium à Rege de sua ad Curiam revocatione accepisset.

Idem suprà.

THOMÆ Archiepiscopo Cantuariensi, Magister VIVIANUS Salutem, & de instanti negotio, ad honorem Dei, & Ecclesiæ Victoriam.

VIVIANUS AD S. THOMAM

VT cum Domino Turonensi, vel ejus nuntiis ad Curiam, auctore Deo, festinantissimè reverteremur, Turonis declinavimus, & quarto Kalendas Novembris literas Regis Angliæ, Archiepiscopi Rothomagensis, & Cantuariensis Archidiaconi, per Priorem Abbatiæ Beccensis, & quendam alium nobilem virum recepimus, quarum transcriptum beatitudini vestra mittemus: supplicantes, ut non acquiescatis suggestioni alicujus Clerici, etiamsi primariè fulgeret dignitate praclara sine apertis literis Regis: quod honori vestro expediat (prout sæpenumero propositum est) recipiatis. Et rogamus, ut festinantissimè cursorem, vel clericum aliquem ad nos usque mittatis: per quem voluntatem vestram nobis, si placet, aperiatis. Nec tantum deferatis Magistro Gratiano, ut honorem charissimi amici vestri pracipui defensoris, in Ecclesiâ Romanâ penitus in persona nostra conculcetis.

XVI. Ita scripsit Vivianus priusquam ad Henricum accessit. Ad quem cum venisset, remque omnem, ut ipse putabat confecisset; ita demum ad Sanctum secundò literas, & pacis spem dedit in hæc verba:

IDEM AD S. THOM.

BEnedictus Deus, & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui disjunctos parietes suggestione pravorum, indissolubili jam charitatis vinculo unire contra multorum opinionem paratus est. Ad præsentiam Regis revocati accessimus: & ea, divinâ operante gratiâ, invenimus; in quibus honor Dei, & Ecclesiæ, in nullo violatur. Si ergo nuntium Christianissimi Regis Francorum, & Domini Rothomagensis jam recepistis, sicut indubitanter credimus, gaudemus. ita enim fuit statutum. Et si Magister Ioannes Saresberiensis, clericus vester, charissimus socius noster, ad vos rediit, sicut speramus, quoniam nuntium recepit, lætamur. Quicquid tamen, Reverende Pater, fuerit, rogamus, & ex parte Domini Papæ, & Romanæ Ecclesiæ consulimus: ut omninò, cautione postpositâ, ad colloquium, quod inter duos Reges, apud S. Dionysium, primâ Dominicâ post S. Martinum, celebrabitur; desiderantissime occurratis. Quoniam illic, auctore Deo Angelicum occinetis hymnum Gloria in Excelsis Deo, *& in terra pax Domino Cantuariensi, &c.* Ad has literas Thomas, Viviano oculatior, & dolum meritò suspicatus, ita rescripsit:

THOMAS, Dei gratia, Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, & Apostolicæ Sedis Legatus; Magistro VIVIANO fideli suo, & S. R. E. Advocato, Salutem; & per omnia rectè sapere, & intelligere.

XXII. S. THOMAS AD VIVIANUM NUNCIUM.

HAbitâ ratione Legationis tibi commissæ, & negotii crediti, ex accessu tuo ad Dominum Regem Angliæ, nihil deperisset de substantiâ negotii, in nullo derogatum fuisset auctoritati te mittentis, nihil attentatum actum & dictum dispendio nostro. Quatenus enim in hoc facto partes se extenderint; cum semel functus sis officio tibi commisso, sive benè, sive malè; præstituti temporis præfinitio ad Legationem explendam, te scientem jura, professum legibus, satis per omnia cautum reddere debuerat. Vide ergo ut prudenter sapias, & prudenter incedas; ne fias in fabulam, & magnatibus in derisum. Verùm si auctoritate propriâ, novum sortitus es ac recens Legationis officium; pareat, cujus interest: & inde sustineat onus, ad quem spectat emolumentum: me autem in nullo obligat jurisdictio. Cæterum quod hortaris nos ut descendamus ad colloquium Regum, quod habituri sunt die Dominicâ proxima apud S. Dionysium: quâ certitudine, quâ ratione, quâ spe pacis, cum tantâ instantiâ hoc feceris, sicut ex mandato tuo intelligere non possumus: sic et ad nostri vocationem tam facilem fuisse, plurimum miramur. Verum ob reverentiam S. R. E. & tui dilectionem (licet in incertum, ut timemus) ad tuam instantiam, die Veneris, per Dei misericordiam, apud castrum Curbulii tibi occurremus: ut citiùs audiamus per os tuum, quem laboris, & operis tui fructum consequi debeamus: & tu quid honoris & gratiæ. Vale, & provideat sibi Deus, ne captus muscipulâ, quam secum contrahentium vix aliquis potuit evadere. Hæc S. Thomas in eo nullo modo falsus, quod Viviano ne falleretur cavit.

Porrò

Porrò quid sequutum sit, cùm Thomas ad Curbulium castrum, & inde Parisios venit declarat vir sanctus in Epistola ad Gulielmum Archiepiscopum Senonensem, qui unà cum Gratiano Romam profectus, non levem Henrico Regi timorem incusserat; ne utriusque relatione, æquior Thomæ causa ejus iniquior Alexandro videretur: Ita ergo ad Senonensem, Cantuariensis scribit.

Reverendo Patri, & amico charissimo WILLELMO Dei gratiâ Senonensi Archiepiscopo, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, quicquid devotio potest exulis, & proscripti.

XVIII. S. THOMAS SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

IMpossibile est, ut animus quiescat impii quem conscientiæ stimulus semper exagitat, perpetuumq; timorem incutit: ne per singula momenta recipiat, quod meretur. Sic æstuantem jugiter sollicitudo premit: & dum omnes homines benè promeritos, etiam amicissimos suspicionibus lacerat, ex proprio culpa perfidia, putat aliis deesse, quam in conscientia non habet fidem. Sic Rex Anglorum, auditâ profectione vestrâ, suo conscius iniquitatis, & veritus zelum legis, & perseverantiam virtutis, quam habetis, & exercetis in Domino supra modum timet, ne in terram ejus Cismarinam Sanctitati vestra Legatio committatur: quia in tota Ecclesia Gallicana alius ei non occurrit, per quem malitia ejus reprimi possit, aut conteri. Sed nec in Romano Ecclesia veretur aliquem (sicut sui testantur) præter Dominum Gratianum. Quia si gloriatio ejus vera est: quotquot olim ad ipsum ex quacunque causa accesserunt ad nutum ejus, & interdum non sine nota sinistræ opinionis, convertibiles inventi sunt. Quia ergo D. Gratianum in Comitatu vestro redire didicit: adeo turbatus est, ut animi motum dissimulare nequiverit, dicens, quod per vos cogendus erat ad pacem, aut magno suo suorumq; dispendio perpetuam ignominiam subiturus.

REX TIMERAT GRATIANUM.

Evocavit itaque Magistrum Vivianum, per suas & Domini Rothomagensis, & G. Ridel literas: eique (sicut idem Vivianus in publica plurimorum audientia confessus est) corporaliter fidem dedit; quod in pace Ecclesiæ reformanda, Domini Papa mandatum, & ipsius consilium sequeretur. Fecit & literas signari suo sigillo, quas ostendit, quibus voluit, promittens in illis: quod pro amore Domini Papa nobis redderet Cantuariensem Ecclesiam, & possessiones ablatas nobis & nostris, & pacem & securitatem, ut ad tractandum potius verbum, quam vestro, & Domini Gratiani metu (quicquid alius glorietur) quærere videbatur, præfatum Vivianum validiùs perurgeret. Sed de ablatis non faciebat aliquam mentionem, nisi quod innuebat; quia si illius in reformatione pacis, sequeremur arbitrium, nos collocaret in capite regni, & nulla ratione pateretur egere.

XIX. HENRICUS CONVENIT LUDOVICUM APUD S. DIONYSIUM.

Revocato autem Magistro Viviano, & verbis ejus habente fidem, simulata devotione profectus est ad Sanctum Dionysium: re autem vera, ut faceret quod penè fecit: id est, ut Regem Christianissimum circumveniret. Convenit enim inter eos in colloquio apud Sanctum Dionysium, ut ei alendum & instruendum traderet Richardum filium suum: & ut Comitem Sancti Ægidii Turonas evocet, eidem Richardo responsurum super Comitatu Tolosano. Siquidem locus ille prudenter commodissimus visus est, ubi subsidiarii partium tutissimè conveniant, & litigantium natales liberè protestentur: & qui judicaturi sunt: quam partem ratio exegerit, sine trepidatione, vel aliquâ cunctatione condemnarent. Nos ad illud colloquium compulerunt accedere Dominus Rex Francia, & Magister Vivianus, & alii sapientes, ut nobis Parisiis constitutis, & illo apud S. Dionysium existente, posset de vicino pax nostra commodiùs tractari. Ubi cùm illum sæpè dictus Vivianus instantiùs & diligentiùs conveniret, ut impleret promissionis fidem: resiliit more suo, & talem se Viviano exhibuit, ut ad nos rediens, pluribus assidentibus palam dixerit: quod hominem adeo mendacem se vidisse, vel audisse non poterat recordari. Sed & ipsi præsenti, multis audientibus (sicut ab eis postea accepimus) quæ fuerunt dicenda non tacuit. Imo duplicitatem ejus patenter arguens, ex magno parte, quàm prius læserat, redemit famam suam: conquerens quod adeo captus fuerit dolo ejus. Quod quidem vobis ideo intimamus; ut si ad Ecclesiam Romanam redicus partes illusoris fovere præsumpserit, aut fraudes occulere; rei veritatem Domino Papa & Cardinalibus vestra devotio possit fideliùs intimare. Nam sicut nutu divino contigit, ut re strenuè gesta, rediret Dominus Gratianus, & ut vos, quem Deus firmissimam columnam (prospere loquimur) in Ecclesia sua posuit, & qui mores hominis pleniùs nostis, ad sedem Apostolicam arriperetis iter: sic ejusdem intuitu creditur accidisse: ut Vivianus præter quod haberet in animo, ad illustrandam justitiam Ecclesiæ, ad dilatandam gloriam remanserit in Francia: ut Rex Anglorum per sophismata sua, hominibus, quos decipere consuevit, ampliùs innotescat, & fallacia verborum Dominum Papam, & Curiam, ei hucusque nimis credulam, de cætero minùs solito circumscribat.

VIVIANUS CONQUERITUR DE REGIS FRAUDE.

Cùm verò præfatus Anglorum Rex, à Sancto Dionysio recedens, prope Montem Martyrum transitum faceret, illuc occurrimus: petentes ab ipso per Venerabiles viros Dominum Rotomagensem, & Episcopum Sagiensem, & alios quosdam, qui se verbo ingesserant: quatenus nobis pacem pro amore Dei, & Domini Papa, & nostris, gratiam suam, pacem, securitatem, possessiones, & ablata restitueret: offerentes nos paratos esse exhibere illi quicquid Archiepiscopus Principi debet. Ille autem respondit: se ex animo libenter remittere ex parte sua offensas & querelas, si quas contra nos habuerat: & de hiis quæ proponere vellemus adversus eum, paratum esse stare dicto Curiæ Domini sui Regis Francorum, vel judicio Ecclesiæ Gallicanæ, aut scholarium Parisiensium. Quo audito respondimus, nos Curiæ Domini Regis, si ei placeret, aut Ecclesiæ Gallicanæ non refutare judicium: malle tamen, si illius sederet animo, cum illo amicabiliter componere, quam litigare. Et si Ecclesiam, & possessiones nobis & nostris oblatas vellet restituere, & gratiam, & pacem, & securitatem præstare nobis in osculo pacis, parati eramus hæc recipere: postulantes, ut mobilium ablatorum medietatem Ecclesiæ redderet, ad solvenda nostra, & nostrorum debita, ad sarta tecta reficienda, & reparandas varias Ecclesiæ necessitates; quæ ad summam calamitatis officialium suorum depopulatione, & fraude perducta est. Et ne voto nostra modum viderentur excedere; & ut pacta, ad declinandam lubricitatem hominis, in scripturam redacta fideliùs tenerentur, ei petitionem, quam vobis scriptam mittimus, ad nunciorum suorum arbitrium castigatam, & temperatam fecimus offerri: ut omnibus innotesceret; nos nullam pacis, quæ Ecclesiæ Dei tolerabilis sit, detrectare conditionem. Sed illo audito scripto, & ab omnibus propter nimiam modestiam approbato, Maternâ respondit linguâ: Sic anfractus verborum (quod familiare habet) invertens; ut simplicioribus videretur universa concedere: cautioribus autem, prolixas, & non ferendas immiscere conditiones. In uno tamen consentiunt uni-

XX. S. THOMAS CONVENIT REGEM PARATUS AD PACEM.

versi, quod nos in osculo pacis recipere non acquievit. Submittit ergo Christianissimus Princeps, quod pro tanta quantitate auri, quantus ipso est, non consuleret; ut terram ipsius, nisi priùs accepto pacis osculo, ingrederemur. Et Comes Theobaldus adjecit, quod stultissima esset præsumptio, multis circumstantium sibi invicem dicentibus, & reducentibus ad animum, quid Roberto de Silliaco acciderit; quia nec ipsum osculum, ad pacis & securitatis custodiam, satis firma cautio videretur. Sed nec illud responsum suum, nobis per præfatos Episcopos, pacis, (ut sperabamus) mediatores, aut per alios significare curavit: imo nobis præstolantibus responsionem, versùs Medontam deflexit iter. Allatum est autem ei in via Philippum, Benedictus filius Christianissimi Regis: quem, ut aiunt, qui attulerant, subtristis vidit, tenuiter allocutus est, & cum festinatione dimisit.

REX DAT PARVAM SPEM PACIS.

XXI. *Nos sine responso, ad loca consolationis nobis divinitùs provisa reversi sumus; spem nostram projicientes in eum, qui non deserit sperantes in se, & dilectionis vestræ solatium præstolantes. Rex autem Angliæ ad magistrum Vivianum postea nuntium misit, & viginti Marcas: rogans ut se iterum intromitteret ad pacem reformandam. Sed ille (sicut pro certo accepimus) & pecuniam respuit, & respondit ei literis, quarum dilectioni vestræ exemplum mittimus. Nec est, quod ad pacem ipsum tantopere urgeat; quantum metus ille, quem de vestra, & Domini Gratiani profectione concepit. Nec Vivianum captat ob aliud, nisi in vestras & Gratiani non incidat manus. Nobis enim relatum est quod Ægidium Rothomagensem Archidiaconum, & Joannem de Oxenford, & Joannem Sagiensem misit ad Curiam, ut impediat, ne nobis in terram suam Legatio concedatur; aut aliud quod ei, vel Comiti Flandrensi possit esse molestum. Vos Nuntiorum personas ex parte novistis: sed fortasse plenius nostris, qui vestri gratia nobiscum sunt. Cùm ergo de vestra sinceritate, & Domini Gratiani, quam expertus fide est, tantum hominem illum (Regem Anglorum) timor invaserit: luce clarius est, quod si eum Dominus Papa ab initio terruisset, auctoritate Summi Pontificis potiùs, quàm sustineret mansuetudine Patris: jam Ecclesia Dei à multis diebus serenata fuisset: & dei minuisset furor hominis, qui fugientes & imbelles sine miseratione persequitur, & viriliter resistentibus cedit.* Hæc & plura Sanctus Thomas; qui unà cum his literis, exemplum (ut supra literarum Viviani ad Henricum Regem missarum, ad Senonensem Archiepiscopum misit: quarum hæc est series.

XXII. Serenissimo Domino HENRICO, Dei gratiâ Anglorum Regi, Magister VIVIANUS S. R. E. Advocatus Salutem, & salubri consilio acquiescere.

VIVIANUS CARDINALIS HENRICO REGI.

QUantum pro honore vestro laboraverim, quantam diligentiam adhibuerim, ut ad gloriam Dei & vestram, pacem cum Ecclesia faceretis, novit Deus, & prudentia vestra ignorare non debet. Nam tantùm pro vobis institi, quod multorum, & magnorum amisi gratiam, & fabula factus sum detractorum. Unde miror, quòd me, quem in vestra utilitate, & honore voluistis audire: quasi pecunia corruptum reddere voluistis infamem. Sed quia vos obsequiis cœpi colere, & ab amicis nec facilè recedere consuevi: precor, & modis omnibus consulo, ut redeatis ad cor; & petitionem quam vobis scriptam misit Dominus Cantuariensis, charta vestra confirmetis, hoc adjecto, ut eum recipiatis in osculo pacis, eique mittatis, & revocetis ipsum; antequam terra vestra subjiciatur interdicto: & illi feriantur anathemate: quorum nomina in libro damnationis eorum concepta sunt. Nam & plurimi sunt, & vobis pernecessarii, & tempus breve est. Ita Vivianus.

XXIII. Inter enormia Henrici Regis crimina, Anglorum plures Ecclesiæ, Pastoribus viduatæ lugebant: nec ille permisit eligi Antistites: nec erat in Insula, qui Regem, Thomæ iratum, moneret officii. Alexander itaque incepit duriùs, quia lenia respuerat, cum illo agere. [Commonitorias, inquit Baronius, ad Regem literas dedit, & graves admodum: ad quarum finem hanc commonitionem apposuit. Et quidem si ea, quæ monentes in spiritu mansuetudinis, & cum omni humilitate prædiximus: effectui, sicut debes mancipare curaveris: & tuæ procul dubio gloriæ, & saluti consules: & Deo, & nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin; quantumcumque te sicut filium charissimum, & Christianissimum Principem diligere, & tuæ magnitudini deferre velimus: Manus Beati Petri, & nostras, à tuo non poterimus gravamine continere. Et plùs Deum, quàm homines, sicut dignum est, metuentes, Ecclesiæ jura pariter & honorem, concessa nobis divinitùs potestate, integrè curabimus & inviolabiliter conservare. Datum Beneventi septima Idus Octobris.] Ita Alexander, qui eodem anno, & paulò priùs pravam in Anglicana Ecclesia consuetudinem, quæ inter turbas emerserat, correcturus, ad omnes Angliæ Episcopos, mandatum misit his literis expressum.

Baron. hoc. fol 598.

ALEXANDER INCIPIT DURIÙS AGERE CUM HENRICO

XXIV. *AD audientiam nostram, famâ referente, & multorum etiam relatione pervenit: quod post instantem turbationem, quæ inter charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem, & Venerabilem Fratrem nostrum, Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, exigentibus peccatis emersit, quædam prava consuetudo in illis partibus inolevit, scilicet, quod Laici Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia soleant passim in regno Anglorum, quibus vellent, conferre: & auctoritate sua, clericos investire. Unde quoniam id Sanctorum Patrum constitutionibus adeo cognoscitur contradicere, ut danti, & accipienti de manu Laica, sit anathema, & hoc in Ecclesiastica libertatis perniciem non est dubium graviter redundare: Nos universas donationes à Laicis, de Ecclesiis quibuslibet, hujus turbationis tempore, quibuscumque factas, auctoritate Beati Petri, ac nostra omninò cassamus, & irritas esse decernimus. Quapropter universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenus universos illos, qui Ecclesias, Præbendas, vel alia Ecclesiastica beneficia, ubicumque in Anglia, de manu laica, maximè hujus turbationis tempore susceperunt, diligentiùs admoneatis, & instantiùs exhortari curetis quod Ecclesias ipsas, Præbendas, vel beneficia cum fructibus inde perceptis in manus vestras, omni contradictione & appellatione cessante resignent, & eis, ad quorum ordinationem, jure Ecclesiastico spectant, disponendas relinquant. quod si ad commonitionem nostram, infra quadraginta dies, post harum susceptionem non fecerint, vos eos auctoritate nostra, sublato appellationis remedio, cujuslibet timore, gratiâ, & prohibitione postpositâ, excommunicationis sententiâ feriatis: & ab omnibus faciatis per parochias vestras, sicut excommunicatos vitari: donec Ecclesias præscriptas, & alia Ecclesiastica beneficia liberè resignaverint iis, ad quorum donationem, & ordinationem spectant: & in pace dimiserint: & de fructibus inde perceptis, dignam*

ALEXANDER EPISCOPIS, CONTRÀ LAICOS ECCLESIASTICA BENEFICIA CONFERENTES.

Ecclesiæ exhibuerint satisfactionem. Sin autem in his exequendis negligentes fuerint, aut remissi: Nos omnes illos, qui Ecclesias, vel cætera beneficia Ecclesiastica, præter assensum Episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu laica (prout superiùs dictum est) accepisse noscuntur; nisi præceptis nostris, infra terminum præscriptum paruerint, excommunicationis sententiæ, auctoritate, qua fungimur decernimus subjacere: & eos sicut à nobis excommunicatos, præcipimus ab omnibus evitari. Datum Beneventi 14. Kal. Junii.

XXV. Benè vidit Alexander pessimam Laicorum se rebus Ecclesiasticis immiscentium consuetudinem, si diutiùs aut ipse, aut Episcopi tacerent; facilè in mores irrepere; & temporis tractu adeo firmari posse; ut tandem inter avitas consuetudines censeri, & ita de jure usurpari à Laicis passim, contentiosissimè probaretur. Nec enim alio modo, zizania in Ecclesia Anglorum creverant, quæ Thomas divino spiritu plenus evellere satagebat, nam à Normannorum ingressu; cum tumultibus, & militari licentiâ Insula ferveret, nec poterat Pater familias agrum pro dignitate excolere: tunc enimverò inimicus homo, tritico viliora superinduxit; quæ modò Henricus suaviatur, satagens inter regias dignitates illa censeri: sed brevi patebit, dedecere Reges, quæ ipse regum ornamenta putavit. Et quoniam non antiquam Saxonum, aut Anglorum Ecclesiam urget in argumentum factionis, sed avi tantùm ætatem jactat: inde omninò sequitur, priùs consuetudines illas, de quibus tam immanè controvertitur, non fuisse. Et tunc, quis non videt, antiquissima Ecclesiæ privilegia, à viris Augustis, à Christianissimis Regibus, plurium sæculorum suffragio, ratu probata, usurpata: unius hominis & hesterni Principis arbitrio cadere non debere. In eo tamen cardine omnis, de qua agimus, controversia vertitur: Curaturus igitur Alexander hunc Regium morbum; medicâ planè manu medicinam parat: suaviter primò monet: inde monitioni, si non acquiescit, minas adjungit: suaviter fortiterque disponens omnia: ratus frustrà inferiora corporis membra curari, sub ægro capite. Nuntios itaque, qui pharmaca porrigerent Alexander nominat Belicensem Episcopum, & Carthusiani ordinis Priorem: ad illos monitorias, & minatorias seorsum literas mittit opportunè, importunè tradendas: Et quia periculum erat, ne in commissa legatione tepescerent: duos adhuc nuntios Simonem Priorem de monte Dei, & Bernardum de Corilo selegit, qui defectum supplerent.

A Normannorum ingressu zizania pullularant.

XXVI. Ad hos ultimò nominatos extant Alexandri literæ, quibus instructio datur qua arte, qua methodo, in curatione procedendum: ubi inter cætera: [Literas nostras (inquit Pontifex) commonitorias eidem (Henrico Regi) reddatis, & comminationem nostram in spiritu fortitudinis, & lenitatis adjungere studeatis. Quod si vos nec sic audire voluerit; sed in sua potiùs duritia, & obstinatione duxerit persistendum: eidem literas nostras commonitorias porrigatis, ex nostra parte constanter addentes, quod nos prænominato Archiepiscopo (Thomam intelligit) os de cætero nulla ratione claudemus: nec ipsi nisi idem Rex ante initium Quadragesimæ, quæ jam quasi instare videtur, ea quæ sæpiùs diximus, implere voluerit, ulteriùs inhibitionem aliquam faciemus: quin suas, & Ecclesiæ sibi commissæ, nec non & suorum injurias, Ecclesiasticæ severitatis gladio, pro sui officii debito, graviùs ulciscatur. Non enim credere debet, aut in mente habere; quia dormiens dominus non aliquando excitetur: & quod Beati Petri gladium ita rubigo consumpserit, quin educi valeat, & vindictam debitam exercere. Volumus autem, ut hæc sicut prædiximus, diligentiùs exequamini: nisi Venerabilis Frater noster Bellicensis Episcopus, & dilectus filius Prior Carthusiensis, ea prout illis mandavimus exequuntur. Datum Beneventi octavo Kal. Junii.]

Apud Baronium f. 599.
Literæ comminatoriæ Alexandri tradendæ Henrico

XXVII. Commonitorias Alexandri ad Henricum literas non invenio: Comminatorias ex parte recitat Parisiensis, ita hunc annum exorsus: [Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo nono Papa Alexander Regi Anglorum, pro negotio Cantuariensis Ecclesiæ inscripsit in hæc verba. Quam Paternè, &c.] Rogerus in Annalibus, & post eum Baronius pleniùs eas recitant in hunc modum.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei: Dilecto filio Henrico illustri Anglorum Regi, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quam paternè, & quàm benignè, Regiam sæpiùs excellentiam conveneriмus, & per literas & nuntios frequentiùs exhortati fuerimus, ut Venerabilem Fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum tibi reconciliari deberes, & sibi ac suis Ecclesias cum cæteris ablatis restituere, sublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat: cùm id toti ferè Christianitati publicum, ac manifestum existat. Unde quoniam in hoc huc usque proficere minimè potuimus: nec animi tui motum, blandis & lenibus emollire, tristes & dolentes efficimur. & nos spe ac fiduciâ nostrâ frustrati dolemus, præsertim cum te sicut charissimum filium sinceriùs in Domino diligamus: cui, in hoc, grave periculum imminere videmus. Et quoniam scriptum est: Clama, ne cesses: exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum: & alibi: Nisi annuntiaveris impio impietatem suam, sanguinem ipsius de manu tua requiram. & alias per Salomonem. Piger homo de stercore boum lapidari jubetur: Duritiam tuam sicut hactenus, contra justitiam, & salutem nostram, non duximus ulteriùs supportandam. Nec præfato Archiepiscopo, os de cætero aliqua ratione claudemus; quin officii sui debitum liberè prosequatur: & suam, & Ecclesiæ suæ injuriam, Ecclesiasticæ severitatis gladio ulciscatur. Quæ autem in literis istis, tam de his, quàm de aliis, minus continentur. dilecti filii nostri, Prior de monte Dei, & Frater Bernardus de Corilo, viri siquidem plùs Deum, quàm homines reverentes, serenitati tuæ, latiùs vivâ voce proponent. Quorum admonitioni ille, cui servire regnare est: & in cujus manu corda Regum consistunt, animum & voluntatem tuam inclinet, ut potius flecti velis, quàm contra Deum, & salutem tuam, in tanta obstinationis proposito diutiùs permanere. Quod si nos nullis nec sic audire volueris, ea quæ tibi ex parte nostra proposuerint procul dubio venturam potetu divinam ultionem in proximo timere.

Alexander Henrico

Isai 58.
Non ducit amplius supportandam duritiam Henrici.

XXVIII. His nuntii muniti literis, ad Henricum Regem profecti, cùm leniter primò egissent, vidissentque morbum graviorem esse, quàm qui pre-

Apud Baronium f. 600

Alexandro Simon Prior de Monte Dei.

cibus curaretur, minas tandem, & duriora prompserunt. Sed præstat ex eorundem ore, quæ gesta sunt, audire. De quibus ita ad Alexandrum scripsit Simon. [Ad illustrem Regem Angliæ cum Fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, ut auctoritate mandati vestri, inter ipsum, & Dominum Cantuariensem, pax & concordia confirmaretur. Et quò faciliùs tractaretur hoc verbum, Dominum Cantuariensem traximus ad locum, ubi Reges, auctore Deo, reconciliati sunt (nuper enim sub infenso animo discesserant ut suprà) Traditis commonitoriis vestris Regi Angliæ, & adhibitâ diligentiâ, quam apud eum credidimus expedire; monuimus & consuluimus Domino Cantuariensi, ut se coram Rege humiliaret: & rigorem ejus humilitate precum, & sedulitate obsequendi studeret emollire. Hoc ipsum Christianissimus Rex Franciæ, Archiepiscopi, Episcopi, & magni viri qui aderant, unanimiter suadebant. Arctatus Regis consiliò, & omnium Archiepiscoporum, & Baronum, acquievit Archiepiscopus: & coram omnibus accessit ad Regem Angliæ, & genibus flexis posuit se in Deo & Rege, ad honorem Dei & Regis, utens hac forma verborum Ad honorem Dei. ut sic posset pacem, & gratiam ejus promereri. Rex autem propter hoc verbum: Ad honorem Dei, noluit eum recipere: coram omnibus dicens publicè, ne videretur quod Archiepiscopus Dei honorem vellet servare, & Rex minimè. Sed post multa (quæ utinam siluisset) dixit, quod ab Archiepiscopo, nihil aliud quærebat; nisi ut ei tanquam presbyter, & Episcopus coram omnibus promitteret in verbo veritatis, se sine omni malo ingenio servaturum consuetudines, quas Sancti Archiepiscopi Cantuarienses observaverant Regibus suis: & quas ipse Archiepiscopus sibi aliâ vice promiserat: Archiepiscopus autem respondit, quod Regi fecerat fidelitatem, quam ei præstito juramento tenebatur servare, vitam, membrum & honorem terrenum, salvo ordine suo, & hoc fidelissimè paratus erat implere: nec ab aliquo Antecessorum suorum aliquid ulteriùs exactum est, vel ab aliquo exigendùm. Et cùm Rex super hoc articulo plurimùm institisset, Dominus Cantuariensis adjecit. Licèt nullus antecessorum hoc fecisset, vel promisisset, nec ipse ullatenus de jure facere deberet; tamen dixit: quod pro pace Ecclesiæ, & gratiâ ejus, promitteret se consuetudines illas, quas Sancti Antecessores sui Regibus suis servaverant, salvo ordine suo, servaturum, quatenus secundùm Deum posset. & faceret pro amore ejus recuperando quicquid posset, salvo honore Dei: asserens quod nunquàm libentiùs ei serviret, quàm ut hæc faceret, si ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere: sed ut præcisè, & absolutè sub juramento ei promitteret observantiam consuetudinum, quia nihil ulteriùs ab eo exigebat. Quod quia Archiepiscopus, licèt multi instarent, facere noluit, Rex discessit, pace infectâ.

Qui S. Thomas submisit se Regi? quare Rex recusauit.

XXIX. Cùm verò Regem exhortaremur, ut juxta mandatum vestrum, revocaret Archiepiscopum in gratiam suam, & ei pacem, & Ecclesiam suam restitueret, respondit, quod fortasse consilium amicorum erit, ut Ecclesiam quandoque restituat: sed dixit se gratiam non restiturum: quia tunc evacuaretur privilegium quod ei dedistis, & quo potestatem Archiepiscopi suspendistis, donec redeat in gratiam ejus. Et quia præceperatis eum primò convenire in spiritu lenitatis, per commonitorias vestras: comminatorias vestras in aliud tempus dare distulimus. Interim verò Deum oramus, in cujus manu corda sunt Regum, ut animam ejus emolliat, & ad honorem suum, & Ecclesiæ utilitatem, pacem faciat reformari. Quod verò de mandato vestro reliquum est, accepto tempore, per gratiam Dei, cum omni diligentia exequemur: & exitum negotii, quem Deus dederit, Majestati vestræ significare curabimus.] Hactenus de primo colloquio Simon, Prior de Monte Dei, qui collegam excusat, quod Alexandro non scripserit: quod scilicet in ordine ejus inhibitum sit: *ne quis Fratrum pro aliquo negotio, aut Romano Pontifici, aut aliis scriberet*: quæ clausula eget interprete. Cæterùm, quæ secuta sunt in colloquio altero, cùm urgente Alexandro, comminatoriæ literæ porrectæ sunt, idem author narrat his verbis.

Quare Henricus noluit restituere S. Thomam in gratiam.

[Expectavimus diu, sperantes & orantes ut Deus emolliret animum ejus. Sed cùm non proficeremus expectantes, urgente mandato vestro, in colloquio Regum secundo ei comminatorias vestras præsentavimus. Quas cùm ille tandem vix recepisset ad instantiam nostram, & magnorum virorum qui aderant, hoc post multa quæ referre longum est, responsum dedit. Ego Dominum Cantuariensem de regno non expuli: & tamen pro reverentia Domini Papæ; si voluerit mihi facere quod debet, & servare mihi quod antecessores sui meis observaverunt, & ea quæ ipse promisit, redire potest in Angliam, & pacem habere. & post varietates responsionum tandem dixit evocaturum se Episcopos Angliæ, & usurum consilio eorum: sed nec diem aliquem præfixit, aliquid aliud ab eo reportavimus, unde possimus de pace Domini Cantuariensis, & mandati vestri executione certiorari. Et quia responsa frequenter mutabat, interrogavimus eum, an liceret Archiepiscopo redire in Sedem suam, & frui pace sua? Ille verò respondit, quod Archiepiscopus nunquã ingredietur terram, antequã faciat ei, quod debet, & promittat se servaturum, quod alii servaverunt, & quod ipse promisit. Deinde rogavimus eum, ut scriberet, & signaret patentibus literis responsum suum; quia oporteret nobis rem certam vobis referre, quam nondum habebamus; quia tam frequenter responsa variabat. Ille verò noluit acquiescere. Archiepiscopus verò respondit, dum hoc ei retulissemus: se paratum esse parere Regi quicquid debet, & servare quod ab antecessoribus suis servatum est, quatenus possit, salvo ordine suo. Sed novas inire obligationes, quæ decessoribus suis præstitæ non sunt; & promittere aliquid hujusmodi, nisi salvo ordine suo, sibi esse illicitum sine authoritate Domini Papæ. Tum quia novam formam in Ecclesiam inducere, perniciosum esset: tum quia à vobis inhibitus est, ne aliquid unquam tale promittat, nisi salvo honore Dei, & ordine suo. Et adjecit, quod eum increpando dixistis: quòd nec pro capite suo debuisset se talium consuetudinum observantiam obligasse, nisi salvo ordine suo. Sed si Rex (prout mandastis) ei gratiam & & pacem, & Ecclesiam, & ablata sibi & suis restituat: quicquid secundùm Deum, & salvo ordine suo poterit, libenter faceret ad voluntatem ejus, & ei diligentissimè & devotissimè totis viribus servire studebit. Placeat itaque Sanctitati vestræ XXX.

Responsum Regis.

opem

opem ferre Ecclesiæ laboranti, & perseverare in eo quod laudabiliter cœpistis. Quia (sicut à multis audivimus & credimus) si perseveraveritis, Ecclesiæ pax & salus in januis est.] Hæc omnia Simon, Alexandro suadens gladium exerere.

XXXI. Hoc veritus Rex iterum supplex Romam literas & nuntios misit, multa promittens, si Thomæ in eum potestas aut omninò tolleretur, aut suspensa penderet. Alexander Regis supplicio capitur, precibus cedit, & versuti principis pectus non inspiciens, illum à Thomæ jurisdictione eximium facit: quo Sancti Pontificis fama multorum magnorumque virorum sermonibus obnoxia, non leviter læsa est. Enimvero literas ad Henricum dedit, secretas illas quidem, & procul à luce hominum jubens servari; sed Rex; ceu innocentiæ suæ testes, illas passim & ubique propalavit. Unde Rogerus noster illas Annalibus suis ad hunc annum inseruit, hoc modo inscriptas.

Alexander eximit Regem a potestate S. Thomæ quod ei nocuit.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Illustri Anglorum Regi Henrico, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Alexander Henrico

Magnificentiæ tuæ nuntios, scilicet dilectos filios nostros, Joannem Cumin, & Radulphum de Tamewerde, nobis & Ecclesiæ Dei devotos, & Regiæ sublimitatis (sicut credimus) per omnia fidelissimos; & literas quas Excellentia tua nobis per eosdem transmisit; tanto benigniore mente suscepimus, & tantò eos majori gratia prævenimus, & honore: quantò plenius scivimus ipsos a magnifico Principe, & Rege Christianissimo fuisse transmissos: cui utique omnem, quam cum Deo possumus gloriam cupimus & honorem; & ad cujus incrementum modis omnibus, quibus honestè poterimus nos & fratres nostri, ac tota Ecclesia, quantò devotissimæ sinceritatis tuæ affectum in majore sumus necessitate experti, tantò ardentius intendimus aspirare. Non enim tuæ devotionis insignia nobis tempore tam opportuno exhibita, à nostra imposterum memoria, ulla poterit ratione divelli, vel in conspectu Ecclesiæ aliqua desuetudine inumbrari.

XXXII. *Petitiones quoque tuas, quas nobis jam per dictos nuntios in fide, in quibus cum Deo, & honestate nostra potuimus, sicut iidem magnificentiæ tuæ nuntii viva voce plenius enarrabunt, curavimus executioni mandare. Personas siquidem de latere nostro, juxta quod rogasti; licet nobis gravissimum, ac difficillimum hoc tempore maxime videatur, aliquos à nobis emittere, cum fratrum nostrorum, & eorum præsertim, quos tu desideras, præsentiâ, & consilio opus habeamus: illius tamen recolenda ac magnifica devotionis tuæ, ut diximus non immemores existentes, ad sublimitatis tuæ præsentiam duximus destinandas, cum plenitudine potestatis, Ecclesiasticas causas, quæ inter Te, & Venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum, hinc inde vertuntur, & illam, quæ inter eundem Archiepiscopum, & Episcopos regni tui super appellatione ad nos facta movetur: nec non alias causas terræ, quas noverint expedire, cognoscendi judicandiq; & prout sibi Dominus ministraverit, Canonicè terminandi. Eidem quoque Archiepiscopo; ne Te, aut tuos, seu regnum gubernationi tuæ commissum, donec causa illa debitum sortiantur effectum, in aliquo gravare, vel turbare, aut inquietare attentet, omnimodis inhibemus. Verum si præfatus Archiepiscopus in Te, aut regnum tuum, vel personas regni interim aliquam sententiam tulerit; nos eam irritam esse, & non te teneri censemus. Ad indicationem autem hujus rei, & argumentum nostræ voluntatis, literas præsentes, si articulus ingruerit necessitatis ostendas. Alioquin serenitatem tuam rogamus, & attentiùs commonemus, ut literas ipsas aut earum tenorem, à nullo sciri permittas: sed eas habeas omninò secretas. Illos autem familiares, & consiliarios tuos, quos jam dictus archiepiscopus sententia excommunicationis subjecit, persona de latere nostro transmissa, Domino auctore, absolvent. Si autem aliquis eorum interim metu mortis laboraverit, præstito secundum Ecclesiæ consuetudinem juramento, quod nostro, si convaluerit, debeat parere judicio, ipsum ab aliquo Episcopo, vel religioso, & discreto viro, absolvi concedimus.*

Has literas voluit Alexander secretas teneri.

XXXIII. Putassem ego hasce Alexandri literas, ad priora tempora referendas, nisi Annalium conditor Baronius, Rogerum nostrum sequutus, earundem hoc anno mentionem faceret. Nisi etiam Henricus Rex, vel ideò solùm, in primo Regum colloquio pacem distulerit, ne perderet privilegium, quod a Papa se accepisse dicebat, nimirum ut auctoritas Archiepiscopi ad controversiæ finem suspensa maneret. Quod indultum, ut Rex accepit, sed secretum, ut jussit Pontifex, publici juris fecit; adeo ut Alexandri nomen apud plures qui pridem constantiam ejus in Archiepiscopi causa probaverint, viderantque nuper comminatorias literas, obscurari cœperit, desiderantes scilicet in Ecclesiæ Capite majorem animi firmitatem. Ipse Thomas, in cujus caput hæc tuba cudebatur, non immeritò queritur, è publica indulti notitia, opprobrium sibi parari. Sic enim ad Conradum Moguntinum Archiepiscopum scribens loquitur. [Suspensionem nostram, in universisque regni compitis, quasi voce præconia jactat Rex Angliæ, & in testimonium confusionis meæ: & quo me reddat magis onerosum, & odiosum hominibus, literas Apostolicas profert. Gloriatur & terminum sibi datum, donec me velit recipere in gratiam. Quod si licuerit, facturus est ad Kalendas Græcas, idest, nunquam.] Addit Baronius: [Hac de causa adversus Alexandrum declamatum est non ab ipso tantùm Archiepiscopo, sed & à Francorum Rege, & Regina, ab aliisplerisque, quibus justitiæ actus inerat.] Itaque cùm passim solœcismus ille Alexandro objiceretur, quod gladium non in Regem, ut minatus fuerat, & rebellem Principem, ac Ecclesiæ libertatis oppugnatorem, sed in Thomam propugnatorem acuisset, has ad eundem Thomam factum excusans literas misit.

Hæ literæ ad hunc annum spectant.

Literas publicavit Rex, quod cessit in infamiam Alexandri.

XXXIV. *Ad discretionis tuæ notitiam credimus pervenisse, qualiter illustris Rex Anglorum Henricus nobis nuntios suos direxit: & quam dura, & aspera, & quæ nostrum animum plurimum affligebant, per eos à nobis petierit, terribiles minas prætendens, nisi voluntati ejus condescenderemus. Nos verò, quia nondum persecutio Ecclesiæ cessavit nec temporis serenitas adhuc nobis, sicut expediret, arrisit: impetum & motum animi sui, etsi non exaudivimus petitiones suas, mitigare curavimus, & temperare: illo nempe timore perculsi, ne ad impediendam, & disturbandam pacem Ecclesiæ se (prout fertur) tyranno, & flagitioso inimico Ecclesiæ (Fridericum intelligit) aliquo fœdere societatis adjungeret, vel materiam haberet ab Ecclesia, & nostra devotione recedendi. Inde est, quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum*

Alexander S. Thomæ.

Fridericus inimicus Ecclesiæ.

conſilio Fraternitati tuæ, ſub certa quaſi ſpe & fiducia, quod eum in gratiã ſuam recipiat, & Cantuarienſem Eccleſiam in tua libera diſpoſitione dimittat, per Apoſtolica ſcripta mandavimus: ut nec in ipſum, nec in perſonas regni, aut regnum, interdicti, ſeu excommunicationis, vel ſuſpenſionis ſententiam debeas promulgare; niſi alias literas noſtras reciperes, in quibus, ſi idem Rex nollet tibi gratiam ſuam reddere, facultatem habeas in eum, & ſuos, officium tuum exercendi. Quapropter, quia tibi, tanquam Fratri chariſſimo, & Eccleſiæ tuæ proprium honorem, & libertatem, cupimus omnibus modis conſervare: niſi (quod ſperamus, & ei propoſuimus) uſque ad initium proxima Quadrageſima effectui mancipaverit: ſed fuerit obſtinatione induratus, tibi ex tunc authoritatem tuam reſtituimus: ut tam in perſonas, quàm etiam in regnum, & in ipſum Regem: Si tibi & Eccleſiæ tuæ congruere, & expedire cognoveris, facultatem liberam habeas, debitum officii tui ceſſante omni Appellationis obſtaculo, exercenai, gravitate, ac maturitate Pontificali adhibita, quam convenit adhiberi. Hactenus Alexander Pontifex: qui eodem argumento, ad Regem Francorum ſcripſit. Quid poſt hæc in Cantuarienſis Eccleſiæ cauſa contigerit, dicendum eſt anno ſequenti. Interim in Angliam redeo.

Girald. Hibern expug. c. 3.

ANGLI PROGREDIUNTUR IN HIBERNIAM

Ibi expeditio in Hiberniam ſuperiori anno pacta promiſſaque, hoc anno perficitur: [Cùm Robertus Stephani filius nec promiſſionis immemor (ita Giraldus Cambren.) nec Fidei contemptor cenium triginta militibus, de proximis & alumnis ſuis ſe præparans: nec non & aliis ſexaginta loricatis; ſagittariis quoque pedeſtribus quaſi trecentis, de electa Gwalliæ juventute. circa Kalendas Maii Banuam applicuit (locus eſt in Hibernia, quem Angli Bagg, & Bun vocant). In eodem Comitatu Herveius de monte Mauriſco, vir quoque fugitivus à facie fortunæ, inermis & inops ex parte Richardi Comitis (de quo anno ſuperiori) cujus patruus erat, explorator potiùs, quàm expugnator advenit. In craſtino verò vir probus, & ſtrenuus Mauritius de Prendelgaſt, Stephanidem ſequens, in Dermitii auxilium, de Roſenſi Walliæ Demetiæ provincia, & portu Milnordico, cum decem militibus, & ſagittariis plurimis, ibidem in duabus navibus applicuit.

MAURITIUS DE PANDEGAST VENIT IN HIBERNIAM CŪ DUABUS NAVIBUS.

Cùm igitur in Inſula Banvenſi omni ex parte parum ſecuri, ſubductis ſe navibus recepiſſent: nuntiis ad Dermitium directis, famâque (ut aſſolet) adventum divulgante, ex partibus maritimis nonnulli, qui olim à Dermitio, unà cum fortuna diſceſſerant, ad eundem ſtatim, eadem revertente, confluxerunt. Murchardides autem (Dermitium intelligit Murchardi filium) audito eorum adventu, cum viris quaſi quingentis (præmiſſo tamen Dunaldo naturali ejuſdem filio, in ſua tamen gente prævalido) ad eos ſtatim ovanter acceſſit.

OCCURRIT EIS DERMITII FILIUS

XXXV. Renovatis itaque fœderibus, ſacramentis quoque multipliciter, ad utriuſque partis ſecuritatem, utrinque præſtitis, junctiſque catervis; & de diſſimilium populorum facta intentione jam ſimili, unanimique concordiâ; ad urbem Gueſefordiæ per milliaria quaſi duodecim, à Banua diſtantem tam armorum, quàm animorum acies convertuntur. Quo audito plebs exiens urbis hactenus indomitæ, priſtinæque fortunæ plurimum confiſa, numero virorum circa duo millia, non procul à caſtris obviam venire, & viribus dimicare diſpoſuit. Videns autem ordinatas præter ſolitum acies, & equeſtrem turmam loricis & galeis, clypeiſque fulgentibus inſignem: novis ſuper caſibus novo fungens conſilio: ſuburbio toto igne ſuccenſo, ſe ſtatim intra muros reverſa ſuſcepit. Stephanides verò cum ſuis, ſe ad inſultum acriter præparantes, viris armatis foſſata replentibus, propugnacula verò ſagittariis eminùs obſervãtibus. magno cum impetu & clamore, muros unanimiter invaſerunt. Cives autem ad defenſionem promptiſſimi; robora ſtatim tam lignea, quàm ſaxea projiciẽtes, non ſine magna multorum læſione, eos aliquantulum repulerunt.

GUESEFORDIA CIVITAS RESISTIT, CAPITUR.

In craſtino verò Miſſis per exercitum ſolenniter auditis, conſultiùs, & inſtructius ad inſultum procedentes, & tam ingenii, quàm virium ope ſuffulti: tam arte ſcilicet quàm Marte confiſi, cùm muris jam appropiaſſent: cives de defenſione diffidentes, ſuoque ſe Principi injuſtè reſiſtere conſiderantes: nuntiis ad ipſos tranſmiſſis, quæ pacis erant tractare potiùs ſatagebant. Intervenientibus ergo in Urbe Epiſcopis, qui tunc ibi ſorte fuerant, duobus, aliiſque viris bonis & pacificis: pace reformata, cives demum ſe Dermitio dedentes quatuor obſides electos, de fidelitate ſibi de cætero ſervandâ tradiderunt. Ipſe verò ſuos ampliùs animare jam cupiens: & in primis ſucceſſibus, primos remunerare diſponens: Urbem ſtatim, cum territorio toto, Stephanide & Mauritio juxta priſtinæ conventionis debitum aſſignavit. Herveio quoque de monte Mauritii duos cantaredos, inter Urbes duas, Gweſefordiam ſcilicet & Waterfordiam mari conterminos in feodum dedit.]

XXXVI. Hæc expugnatæ per Anglos Hiberniæ primordia fuere, quæ tandem Richardum Pembrochiæ Comitem, cum majori manu eò traxerunt: & demum ſequenti tempore Henricum Regem nobili prædâ invitatum. Enimvero cùm cerneret Rex ſuorum in Hibernia ſucceſſus, & Richardum Dubliniæ Dominum, Dermitii generum, & totius Inſulæ potiundæ ſpe tumeſcentem: primò nè porro in victoria pergeret ſeverè edicto inhibet: inde pergentem, & felici ſucceſſu, Hiberniæ imperio incumbantem, patrimonii quod in Anglia habuit confiſcatione terruit adeo, ut Regi tandem parta ceſſerit. de quo author qui ſupra. [Auditis intereà iſtarum rerum eventibus, famâ de magnis ſemper majora vulgante; & quoniam Comes non tantùm Lageniam, ſed & alia quædam, nec ſibi, nec uxori ſuæ ullo jure competentia jam invaſerat: ab Anglorum Rege edictum emanavit: ut ab univerſis terris ſuæ ditioni ſubditis, nulla de cætero navis in Hiberniam quicquam advectare præſumat: Et ut omnes omnino de terris ſuis illuc advecti, aut infra proximum Paſcha redeant, aut exhæreditati prorſus exules à regno in perpetuum fiant.

Cambren. Hiber. expug. c. 19.

REX REVOCAT COMITEM PEMBROCHIÆ EX HIBERNIA.

Videns autem Comes ſe ſuoſque in arcto jam poſitos, & tam ſuorum amiſſione, quàm neceſſariorum defectu deſperanter afflictos: communicato conſilio, ad Anglorum Regem, licèt in remotis Aquitanicæ Galliæ partibus agentem Reymundum deſtinavit, ita ſcribens: Licentiâ veſtrâ (mi Domine) ſi benè recordor, in Hiberniã transfretavi, fideli veſtro Dermitio reſtitutionis auxilium impendere deſiderans. Unde & quicquid in ea, vel ejus, vel alterius patrimonio mihi fortunæ favor adjecit, ſicut ex veſtræ benignitatis munificentia totum provenit: ſic ad eandem pro libito veſtro nutuque redibit.] Ut Henricus hoc jure Hiber-

niam

niam intraverit, & è pentarchia in Hibernia in monarchiam transiit, dicam inferiùs.

XXXVII. Monasterium ad Gerondon Cisterciensium.
Catalogus, apud Sped.

Hoc anno ponitur fundatio monasterii ad Gerondon in Coritanis & agro Lecestrensi: quod Robertus cognomento Bossu, id est Gibbosus, Cisterciensibus monachis dedit, decimo quinto anno Regis Henrici, & Christi Domini millesimo centesimo sexagesimo nono, ut habet Catalogus ædium destructarum: cùm priùs (ut vult Spedus) vel cùm eodem tempore (ut Camdenus) aliud nobile monasterium de pratis nuncupatum, & Virgini Deiparæ sacrum, in urbe principe Leycestria, nigris Canonicis erexisset; de quo Henricus Knightonus: [Robertus de Bossu (inquit) Leycestriæ Comes fundavit monasterium Beatæ Mariæ de Pratis Leicestriæ, terris possessionibus & redditibus luculenter dotavit; & ipse in eodem monasterio, consensu Amiciæ uxoris, Canonicus Regularis factus quindecim annos in habitu regulari, Deo ibidem militavit, & Canonicus in Domino obdormivit.] Addit Camdenus religiosum institutum à Roberto susceptum: [ut scilicet (inquit) canonicali habitu pœnitendo corrigeret, quod in Principem hostili animo insurgendo deliquerat.] Quod quia posteriùs factum; nimirum sub annum Domini millesimum centesimum septuagesimum tertium, ut ibi dicam; horum monasteriorum fundatio, multò rectiùs ad Henrici Regis tempora, & annum præsentem; quàm ad Stephani Regnum, & Christi annum millesimum centesimum quadragesimum tertium (quod de Pratensi monasterio habet Catalogus) referenda. Adde cùm Robertus alter Legræ sive Leycestriæ Comes. [Summus Angliæ justitianus superiori anno mortuus sit], ut expressit ibi Hovedenus: non potuit ejus filius cognomento de Bossu posse tam diu anteà, aut fundasse monasterium, aut Lecestriæ Comes scribi.

Apud Camdenum in Leycestr.
Monasterium B. Mariæ de Pratis Canonicorum Regul. Robert9 de Bossu fundavit utrumque.

XXXVIII Nigell9 Eliensis Episcop9 moritur.
V. an. 1132. 15.
Godwin in Eliensi.

Nigellus Eliensis Episcopus, quem anno millesimo centesimo trigesimo secundo ad sedem illam electum dixi; hoc anno sedem vacuam fecit, cùm triginta sex annos illam implesset. Unde mendum sine dubio in Godwini catalogum irrepsit, ubi scribitur: Nigellus in Eliensi Sede collocatus, anno millesimo centesimo 33. (quod de consecrato intelligendum: postea additur: [Præfuit Nigellus huic sedi quadraginta sex, & mortem obiit Maii vigesimo nono, anni millesimi centesimi sexagesimi noni.] Intercedunt enim anni tantùm 36. Sequitur in Godwino: [Per triennium antequàm moreretur cùm paralysi conflictatus, & grabato perpetuo affixus nusquã nisi famulis bajulantibus processit. Sepultus dicitur ante Altare Sanctæ Crucis: quod ubi loci situm fuerit me latet.] Ita est Godwine: cùm Fides orthodoxa Angliam illustravit, Altaria & Cruces semper patebant: nunc fides illa te latet, & cum Fide Altaria Crucesque non mirum est quod lateãt. Nigello mortuo Rogerus Hovedenus alium cõjungit, virum sanctitate & miraculorum gloria illustrem, Godricum Eremitam: sic enim scribit

Hoved. hic.

[Anno gratiæ millesimo centesimo sexagesimo nono, qui erat annus decimus quintus regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis, obiit Nigellus Eliensis Episcopus. Venerabilis eremita, & monachus Sanctus Godridus de Finchale migravit ad Dominum.] Ita ille. Sed quoniam authores qui amplissimè de Godrico scripserunt, Parisiensis, Harpesfeldus, Capgravius, sequentem annum exprimunt: hiuncq; sexaginta annos eremum coluisse; & ego ejus monachatus exordia, retuli ad annum decimum hujus sæculi, sequenti anno illum cum dictis authoribus sepeliam, licèt non illo, sed illum sequenti mortuum ostendam ibi.

ANNUS CHRISTI 1170.

ALEXANDRI III. PAPÆ 12.

HENRICI II. REGIS 16.

I.

Sequitur Catholico orbi lugendus Christi annus millesimus centesimus septuagesimus: in cujus exitu horrendum facinus & nulla hostia expiandum invictus Christi & Ecclesiæ pugil, Ecclesiasticæ libertatis unicus & singularis defensor, ab impurissimis hominibus, & vilibus aulæ mancipiis, nulla loci temporis, personæ reverentiâ trucidatus, Martyrii coronâ donatur. Præcesserunt hoc anno tragædiam illam quæ pacem prima facie præferre videbantur: sed quia, non est pax impiis dicit Dominus: pacis titulo immane odium tegitur: & iterum Christus Judæ osculo traditus à perfidis occiditur. Etenim cùm Alexander pro Thomæ libertate, & Cantuariensis Ecclesiæ dignitate pientissimè laboraret: & pacem quà precibus, quà minis extorsisset. Thomas quidem Angliam, & Sedem suam redire permittitur: Sed ibi aulicorum furiis, regiæ indignationis victima, ad altare, ubi sæpè incruentum sacrificium obtulerat, cruenta immolatur.

II. Alexander destinat Nuntios Henrico Regi.

Cùm sextum Thomas annum in exilio ageret, Alexander Papa, controversiæ finem impositurus novam ad Henricum Regem legationem decrevit: qua Regis animum, vel ad Pristinam gratiam, vel ad Archiepiscopi in suam sedem reditum componeret. Delecti sunt ad munus illud obeundum Rothrocus Rothomagensis Archiepiscopus, & Bernardus Episcopus Nivernensis: quibus postea accessit integerrimæ Fidei ac probitatis Guilhelmus Senonensis Archiepiscopus. His injunctum, ut omni ope conatuque laborarent pro Thomæ ad Cantuariensem reditu, pro omnium bonorum tam ipsi quàm aliis ejus ablatorum restitutione: denique pro procuranda Thomæ Regis gratia, in osculo sancto. Ad quæ præstanda, si durior Rex foret, quia sacramento se astrinxerat non facturum: permitteret saltem Henrico filio dictorum executionem. Ceterùm consuetudines pravas, & Ecclesiasticæ libertati repugnãtes aboleret ipse penitùsque condemnaret. Jussit insuper Pontifex Episcopos qui earum observantiam promiserant, à promissione per Legatos absolvi: & si pax sequutura putaretur, eâ lege excommunicatos absolverent, ut pace non sequutâ excommunicationi denuò obnoxii forent. Præfixit etiam conditionibus adimplendis dierum terminum: quo elapso, Cismarina provincia, in qua Henricus Rex morabatur, interdicto subjaceret, nisi supradictis omnibus satisfactum foret. Consignata sunt hæc Apostolicis literis, hoc anno dum Alexander Beneventi degeret ad decimum quartum Kalen. Februarii.

Quinam erant destinati Nuntii.

Conditiones legationis.

Dum ista prudenter molitur Romanus Pontifex,

HENRICUS STATUIT CORONARE FILIUM PER EBORACENSEM.

sex, iterùm inimicus homo superseminat zizania, novasque turbas excitat. Henricus Rex primogenitum filium, adultum jam, & Regiæ dignitatis capacem, regni coronæque consortem cupit: mandatque Eboracensi Archiepiscopo, coronationis solennia peragere: quæ per unum Cantuariensem Antistitem fieri debuissent. Sensit hanc primæ sedis injuriam optimus quisque, sensit Thomas in cujus caput hæc laba cudebatur: sensit denique Alexander Pontifex, mandavitque Rogero Eboracensi, & omnibus Angliæ Episcopis: ne tale Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium fieret. Mandati verba Parisiensis noster recitat ad hunc annum.

Paris. hic.

[Universitati vestræ auctoritate Apostolicâ penitus inhibemus, ne quisquam vestrum novo Regi coronando, si fortè casus emerserit, absque assensu Cantuariensis Archiepiscopi, & Ecclesiæ Cantuariensis conniventiâ, contra antiquum jus, consuetudinem, & dignitatem, manum apponere, qualibet occasione præsumat, aut id aliquatenus attentare.] Sed author omisso literarum exordio (quod in Quadrilogo reperitur, datum Laterani 4. nonas Aprilis) Pontificiæ potiùs mentis interprea, quàm literarum & mandati relator est, nisi duplices fuisse literas dixerimus, & renovatum mandatum. nam literas ab Alexandro ad Eboracensem scriptas, & cæteros Episcopos, ex alio fonte Baronius ita recitat.

IV.

Baron. hic.

ALEXANDER JUBET FILII CORONATIONEM ALIIS EPISCOPIS.

[Quoniam ad audientiam nostram, multorum jam pridem relatione pervenit, quod coronatio Regum Angliæ, & inunctio, ad Cantuariensem Archiepiscopum de antiquâ Ecclesiæ suæ consuetudine, & dignitate pertineat: fraternitati præsentibus literis auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibemus: ut si illustris Rex Anglorum filium suum, dum Venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in exilio fuerit, coronare voluerit, & in Regem inungi, nullus vestrum ei manus imponere præsumat: aut se exinde aliquatenus intromittere audeat. Quod si quis vestrum attentare præsumpserit; id in periculum officii & ordinis sui noverit procul dubio graviter redundare. In his verò appellationis remedium volumus denegari & omnem malignandi occasionem excludi. Datum apud Cisvinarium quarto Kal, Martii.] Cùm ista Henricus Rex constanti fama rescivisset, crederetque cupiditati suæ, in filio coronando frenum fore: festinus in Angliam è Normannia solvit: nec quantumvis immani infortunio territus à proposito destitit: infelicem casum ita narrat Rogerus:

Hoved. hic.

[Anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo, qui erat annus decimus sextus regni Regis Henrici filii Mathildis Imperatricis. Idem Henricus in prima hebdomada mensis Martii transfretavit de Normannia in Angliam inter Barbeflet, & Portsmouth. In qua transfretatione, sævissimâ tempestate quassatus, à media noctis hora usque ad crastinæ diei horam nonam vix applicuit in Anglia apud Portsmouth. Cæteræ autem naves ferè omnes, quæ cum eo erant, fractæ sunt, & comminutæ, quæ applicuerunt in diversis portubus Angliæ prout vis venti eas tulit. Una tamen illarum, quæ melior & recentior cæteris omnibus erat, sed infelicior, submersa est: cum Henrico de Agnellia, & cum duobus filiis suis, & cum Gilleberto de Sullemni, & cum Magistro Rodulfo de Bealmunt, medico, & familiari Regis, & cum aliis numero quadringentis viris & fæminis.

V.

Henricus Rex defunctus periculo, cùm Davidem Scotorum Regis fratrem militari cingulo de more adornasset in solennitate Paschali: [Deinde in festo Sancti Barnabæ Apostoli (prosequitur author qui supra) idem Rex magnum celebravit concilium Londoniis cum Principibus & magnatibus terræ suæ, de coronatione Henrici filii sui, & Dominicâ sequenti, quæ evenit decimo septimo Kalendarum Julii, Clero, & Populo consentientibus, & assentientibus, fecit ipse prædictum Henricum filium suum coronari, & in Regem consecrari apud Westmonasterium, à Rogero Archiepiscopo Eboracensi, ministrantibus ei in illo officio Hugone Dunelmensi Episcopo, & Waltero Roffensi Episcopo, Gilleberto Londoniensi Episcopo: nulla mentione facta de Beato Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, ad quem coronatio illa, & consecratio de jure Ecclesiæ suæ spectabat: & in crastino coronationis illius fecit Rex Pater Willielmum Regem Scotorum, & David fratrem suum, & Comites, & Barones regni devenire homines novi Regis, & jurare ei fidelitates contra omnes homines salvâ fidelitate suâ.] Meminit hujus fidei à Scotis datæ novo Principi, Thomas Walsingamus in Edoardo primo: ubi ait. [Item Rex Scotorum Willelmus pro regno Scotiæ, & David frater ejus, & Comites & Barones regni Scotiæ, devenerunt homines Regis Henrici filii Henrici secundi, Patre vivente, & fidelitatem ei juraverunt contra omnes homines, salvâ fidelitate Patri viventi.] Venerat enimvero Scotorum Rex Guilielmus cum Davide fratre, Henrico reduci gratulatum, de rebus in Normannia feliciter gestis, à quo cum honore suscepti. Regiis etiam muneribus aucti novi Regis encænia celebrarunt: quæ malis orta principiis, licet cælo nostro serenitatem adserre viderentur, tristissimo tamen fine concludentur.

VI.

Polydo. l. 13. histo.

FILIUS HENRICO PROBAT NATALIA

Infelicitatis præsagium novus Rex inter festiva gaudia Patri exhibuit, cum corona factus elatior, parenti natales visus est exprobasse, Dicat id Polydorus Vergilius: [Dedit (inquit) eo ipso die Rex quo filius Regia insignia accepit, epulum, in quo honoris gratiâ, primum ferculum ipsemet filio discumbenti apposuit. Ex quo facto, juvenis aliquantò superbior effectus; cùm insolentiùs solito circumstantes intueretur: Eboracensis Antistes, qui assidebat, joci causa, ad eum conversus: Gaude, inquit, optime fili; non est enim alter in toto orbe Princeps, qui talem habeat in mensa administrum. Ad ea juvenis dedignabundus respondit. Quid miraris, non putas Pater, id facere suæ minùs esse dignitatis: quandoquidem ille materno tantùm genere clarus mihi administrat; qui & Patre Rege, & Matre Reginâ natus sum: Ita juvenis malo pravoque ingenio præditus, in Patrem ex tempore cavillatus est. At Pater Henricus hæc audiens ingenti affectus dolore, Antistiti dimissâ voce ait: Pœnitet, pœnitet, inquam, extulisse hominem. Jam inde prospexit futurum, ut filius sibi adversaretur. Veruntamen etsi se malè fecisse cruciabatur: cùm factum, infectum reddi non posse videret, curavit ut omnes Principes regni unà cum Rege Scotorum in verba ejus, more majorum jurarint: sed noluit illos solutos sacramento, quo se jam pridem ei obligarant.] Hæc Polydorus. Quæ turbæ hæc coronationis solennia sequutæ sint: seu quia Margarita novi

Regis

gis uxor, in coronæ consortium nou admittitur: seu quia Eboracensis indebitè ministerium præsumpsit: seu quia oovus Rex io Parentem rebellis Insulam Normanniamque turbavit, dicam paulò inferiùs. interim ad Alexandrum pro Thoma laborantem redeo: qui intellecto Henricum in Angliam è Normannia discessisse, ad Legatos quos ex Urbe miserat ita scripsit, ut refert Quadrilogus.

Alexander Papa Rothomagensi Archiepiscopo, & Joanni Nivernensi Episcopo.

VII. Alexander Legatis. *Quadrilo. l. 3, c. 28.*

Quoniam de vestra devotionis ac sinceritatis fervore, dilectione quoque, maturitate, & prudentia vestra, plenam in omnibus spem fiduciamque tenemus, vos ad executionem pacis Venerabilis fratris nostri Cantuariensis Archiepiscopi, pra cateris regni Francorum personis eligimus: & ad Regem Anglorum per hoc duximus transmittendos. Unde quia eundem Regem postmodum audivimus transfretasse, ne fortè negotium Archiepiscopi possit impediri quolibet modo, sive protendi: Fraternitati vestra per Apostolica scripta mandamus: & in virtute obedientia injungimus, quatenùs sicut gratiam Beati Petri, & nostram, caram habetis: & nos, & Ecclesiam Romanam, sic de honestate, & constantiâ volueritis aliquâ de catero parte confidere: ut in unum pariter convenientes, ad memoratum Regem, infra viginti dies post harum susceptionem literarum, omni occasione, & dilatione postpositis, iter arripiatis: & ad eum festinare curetis. Vos ipsi, ea qua vobis in aliis literis expressimus, sicut viros Pontificalis constantia, de catero, omni dubitatione, & timore semotis, instantissimè proponatis: & eundem ad illarum executionem ex parte nostra studeatis modis omnibus invitare. Quod si Rex ea qua nobis promisit, & maximè de integra possessionum restitutione, & plenâ pace Archiepiscopo, & suis reddendâ, necnon super osculo velit esse contentus infra quadraginta dies post commonitionem nostram adimplere noluerit, aut arte aliqua seu ingenio per se, vel per suos effecerit, quo minùs, ad eum juxta praceptum nostrum positis accedere: & ipsi, ea qua a nobis super his vestra sollicitudini sunt injuncta cum libertate, & securitate proponere. Vos in totam terram ejus Cismarinam, auctoritate Beati Petri & nostrâ, omni contradictione appellationum remotâ, interdicti sententiam proferatis: & in ea omnia divina, prater baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium, prohibeatis officia celebrari: quomodo in literis, quas eidem Regi direximus, constat esse expressum. Literas quoque nostras, quas super observatione interdicti Archiepiscopis, & Episcopis terra sua qua citra mare consistit, transmittimus, eisdem omni occasione postpositâ destinetis, & ipsis ex parte vestra firmiter injungatis, quod interdictum nostrum, nullius timoris prohibitione, vel appellatione obstante per parochias irrefragabiliter servent, ne contra hoc aliquo modo prasumant venire. Quod si aliquis Archiepiscopus vel Episcopus, vel aliqua persona interdictum nostrum observare contempserit: vos eum ab officii sui executione, sublato appellationis remedio suspendetis. Si nec sic resipuerit, in eum excommunicationis sententiam promulgetis. Sapè dicto quoque Regi prater ea qua scripta sunt, viva voce, vel literis vestris constantissimè proponatis: quod si nec sic resipuerit, persona sua, sicut nec Friderico Regi, Imperatori dicto fecimus, nequaquam parcemus: sed in eum excommunicationis sententiam proferemus. Volumus autem, & sub obtentu gratia Dei injungimus vobis districtè, ut in his, qua vobis pracipimus, exequendum, omnem quam convenit, & oportet, diligentiam & studium habeatis. Et si uterque vestrum adesse non poterit, vel noluerit: quod tamen non credimus, nec conveniens, aut tolerabile esset; alter non minus ea qua dicta sunt, omni dubitatione & timore sublato jus adimpleat. Datum sexto Idus Maii.

Mandat ut Legati conveniant Regem.

Jubet ut terras Regis interdicto feriant si resipiat obedire.

VIII. Henricus jubet subditos evitare obedientiam Alexandri.

Hæc justissima Alexandri imperia, cum Henrico Regi innotuissent, ut juvenculus indomitus, omne obedientiæ jugum solvit, & dixit, non ultra serviam. Jussit etiam, quod tamen Aonales præ pudore tacent. Alexandri potestatem, quam vel primus, vel inter primos veneratus est, à subditos ejurari. Sed sanctissimum Ecclesiæ Præsulem id malè habuerit: cùm noo omnem primæ Sedis obedientiam, sed eam tantùm quæ in eum regnumque ejus fulminanda erat sententiam, ejuraverint. Sic enim Sanctus ad eos, qui Regis jussa secuti, conscientiam juramento læserant.

Quadrilo. l. 5 c. 44 S. Thomas Clero deplorans inobedientiam Regis.

[Sciatis charissimi, quod in multa tribulatione & angustiâ cordis scripsimus, non quidem ut vos contristemus: sed ut intelligatis, quam charitatem habeamus abundantiùs in vobis. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Christi Iesu. Unde cognitis, quæ tam corporis proximè, quàm animæ vestræ periculo, & ad ipsius quidem injuriam, nostris inaudita temporibus gesta sunt, oon modicum contristamur, & confundimur propter vos. Patet siquidem famâ vulgante, qualiter Dominum Papam, qui ipsius Christi imaginem gerit; & me pariter qui licet indignus, Pater tamen & Episcopus animarum vestrarum constitutus sum, abjuraveritis. Hoc & præ cæteris, quæ in exemplum justi judicii magni Dei jam pluribus annis sustinuimus, nobis ad incredibile pressuræ nostræ augmentum accessit. Illud quippe tam detestabile, tam flagitiosum juramentum, quantum jam generat scandalum mundo, offensam Deo, vobis culpam, nobis afflictionem! Præpositos siquidem à Deo abjurare, ipsius qui Præpositos constituit injuria est; & nostra, qui præficimur, sed potiùs ejus qui præfecit inhonoratur potestas, evacuatur obedientia.

IX. Conqueritur de Clero.

Quod profectò vitium (vobis confidenter dico, sed lacrymabiliter propter vos) idololatriæ par, & simile est. Nam ait Propheta. Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. Unde statuto veteris legis tales tanquam verè idolatriæ, corporalis mortis reportabant sententiam. Vos autem nunc fecisse videmini, quod deterius est: quod noo solùm repugnatis, sed etiam repugnaturos vos juramento firmatis. Illud quoque quale est: oves pastores abjicere? Profectò qui Pastores suos deserunt, jam lupus invasit: & nisi Pastor quem abjuraverunt, nunc protegat, depascet eas in finem. Multa scripturarum testimonia, & Sanctorum exempla, io vestri detestationem delicti possent adduci: Verùm tantæ excessus enormitatis, extremæ intelligentiæ hominibus claret. Si tamen non spontanei, sed invio tracti accessistis, ex parte quidem excusatur peccatum; sed non excusatur omninò. Satius fuisset corpus ipsum perdere, quàm juramentum execrabile perpetrasse: unde filii mortis universi vos: quia (juxta quod Propheta ait de populo suo) & vos plaga inimici percussi estis, castigatione crudeli. Verùm ad manifestandam sollicitudinem, quam pro vobis habemus ad

Deum; vulneri tam sævo fomentum, quod solùm nunc superest, adhibere curavimus: & de tam illicito juramento pœnitentes, illos præsertim qui noo spontanei, sed coacti juraverunt, vice Beati Petri Apostolorum Principis, & Romani Pontificis, & nostra absolvimus. Venerabilibus fratribus nostris Diœcesanis Episcopis, & etiam minoribus Sacerdotibus, ubi sedes Episcopalis vacare contigit, vices nostras, in exteriori satisfactione, jam dictis pœnitentibus injungenda committentes, omnes id scire volentes vos tali juramento nequaquam esse obnoxios: nec ut pareatis obligari: ne instar Herodis sub prætextu pietatis efficiamini impii, & juramento excusetis scelus ipso deterius juxta quod quidam ait: Non est observandum juramentum, quo malum incautè promittitur. Et item: In malis promissis rescinde fidem, dirumpe votum, immuta decretum. Quod incautè vovisti nè facias: & multa nimis, quibus nunc supersedeo, his consonantia sunt.

S. THOMAS ABSOLVIT, QUI VEL INCAUTE VEL COACTE IURARUNT.

X.
HORTATUR CLERUM, UT DIGNE AMBULET VOCATIONE.

In fine autem obsecro vos, ego vinctus in Domino: obsecro quidem vos, tanquam filios, mihi semper in Christo amplectendos; ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis: ut ipsius Christi primùm Fidem, postea ipsius obediatis Præpositis, subjacentes eis. Ipsi enim pro vobis invigilant; quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Scire autem vos volo fratres; quia & juramenta illicita, & cætera enormia multa, quæ paucis suggestionibus, in oppressione justitiæ & veritatis, circa vos facta sunt, ipsa favente veritate, magis evenient ad ipsius profectum. Veritas enim claudi & ligari potest; vinci verò non potest: quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hominum non tenetur. Spiritus autem consilii & sapientiæ, det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut unanimes, uno ore honorificetis Pastores & Episcopos animarum vestrarum quos constituit ille magnus Pastor ovium in sanguine æterni testamenti Jesus Christus, & per charitatem Sancti Spiritus, ut patri vestro, jam naufraganti orationis vestræ manus porrigatis, ut liberer ab infidelibus, prohibentibus etiam ne in Ecclesiis pro me in carcere, fiat oratio; quæ tam commune fidelium & infidelium suffragium est. Gratia Domini nostri Jesu Christi, sit cum omnibus vobis, qui à malè præstito juramento resipueritis, & condignè, & humiliter pœnitueritis. Cæteros verò, aut Deus citò convertat, aut temporaliter affligat, quousque resipuerint, & condignam pœnitentiam egerint.] Hæc omnia Sanctus Thomas, & refert Quadrilogus cum hac epigraphe: [Thomas Cantuariensis Archiepiscopus universis Christi fidelibus per Angliam constitutis, qui contra Dominum Papam juraverunt.]

XI.

Cæterùm non omnes sacrilegium illud commisisse, sequuta in Ecclesia Anglicana persequutio, argumentum est. Quantumvis enim infideles aliqui Ecclesiæ filii in utrumque parentem impii, & Patri, & matri maledixerint. Plures tamen Episcopi, plures è clero, juramentum detrectarunt. Unde illud Joannis Saresberiensis apud Baronium;

Baron. hic.

[Fama celebris est (inquit) quod Cantuariensis Archidiaconus Regi persuasit, in Angliam transfretare: ut Episcopos torqueat & clerum, qui contra Dominum Papam, & Matrem suam Cantuariensem Ecclesiam jurare noluerunt. Undique metus, & angustiæ undique.] Inter has angustias, non levis fuit illa, quæ Thomam valdè pupugit: fama vel rumor potius ad eum perlatus, Londinensem, & Saresberiensem Episcopos, quos excommunicationis vinculo innodarat, ab Alexandro solutos esse. Unde acris illa Thomæ querimonia in literis ad Albertum Cardinalem, in quarum exordio hæc habentur. [Utinam, dilecte mi, aures vestræ sint ad ora nostratum: & audiant illa, quæ in ignominiam Ecclesiæ Romanæ cantitantur in compitis Ascalonis. Aliquid consolationis nuntii nostri novissimi videbantur à sede Apostolica retulisse in literis Domini Papæ: sed earum auctoritas evacuata est, missis à latere literis, ut in vituperationem Ecclesiæ, Satanas absolveretur. Soluti sunt Apostolico mandato, Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi: quorum alter incentor schismatis, & totius malitiæ artifex, ab initio dignoscitur extitisse: & tam Saresberiensem, quàm omnes quos potuit, in crimen inobedientiæ impegisse. Nescio quo pacto pars Domini semper tractatur in Curia, ut Barabbas evadat, & Christus occidatur. Auctoritate Curiæ, jam ad finem sexti anni, proscriptio nostra, & Ecclesiæ calamitas protracta est, &c.] Intelligit Sanctus literas *suprà citatas, quas ad Henricum Regem Alexander dedit, pro excommunicatorum, certis conditionibus, absolutione. Quam ægrè etiam ferens Senonensis Episcopus ita Alexandrum alloquitur.

S. THOMAS ALBERTO CARDINALI.
Apud Baron. supra.

V. an. 1169. 32.

XII.
Baron. hic.
SENONEN. EPISCOPUS ALEXANDRO.

[Audiat, Sanctissime Pater, excellentia vestra patienter quod loquimur, quia in amaritudine moratur anima nostra: & tam devotus filius vester, Christianissimus Rex Francorum, quàm tota Gallicana Ecclesia turbatur, à scandalis, quæ in diebus Apostolatus vestri manant ab Apostolica sede. Siquidem (ut nostrates aiunt) ibi solvitur Satanas in perniciem totius Ecclesiæ. Iteratò crucifigitur Christus: & qui manifestus sacrilegus est, & homicida dimittitur. Procuravimus apud vos causam Ecclesiæ Anglicanæ; & in discessu nostro, ei credebamus aliquatenus esse subventum. Verùm ubi Londoniensem Episcopum, nobis ignorantibus fecistis absolvi, res in contrarium lapsa est, & cornua data sunt peccatori. Ecce enim Rex ille, cui nimis fuisti propitius, filium suum consecrari fecit in Regem: si tamen consecratio est, quæ ab excommunicatis, & Spiritui Sancto invisis, & Ecclesiæ impugnatoribus datur, & hoc in injuriam Cantuariensis Ecclesiæ, & Domini Regis Franciæ: cujus filiam noluit ille Deo & hominibus inimicus consecrationis hujus esse participem. Hanc consecrationem seu potiùs execrationem fecit ille Eboracensis, vestra, ut dicunt, auctoritate, assistentibus sibi Londoniensi, & quibusdam aliis, nomine tenùs Episcopis: quorum memoria in benedictione est. Vos ergo, Pater, de cætero providete Ecclesiæ illi; quæ petit in manibus nostris; ne sanguis ejus requiratur à vobis. Quod aliter fieri posse non credimus, ad redimendam famam, & conscientiam vestram, nisi præfatos malefactores virtute Apostolicâ conteratis.] Ita ille contra Rothomagensem Archiepiscopum, qui in Paschali solennitate hujus anni Londinensem à vinculo solverat, quod illi Thomas injecerat. Alexander ad Senonensis Episcopi querelas, quæ vel falso, vel verosimili, probabilique fundamento nitebantur, ita respondit.

XIII.

[Literas quas nobis super negotio Venerabilis

Alexander Senonensi excusat factum suum.

Fratris nostri Cantuariensis Archiepiscopi devotio tua transmisit, gratanter admisimus: & eas diligenter curavimus ac studiosè audire. Verùm quoniam Londoniensis Episcopus ad nos nequaquam accessit; nihil de causa statuimus. Sed si ad nos venisset, nos jam dicto Archiepiscopo, quantum salvâ conscientiâ nostrâ fieri posset, suam justitiam studeremus conservare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei jam ex parte nec non ex charissimo in Christo filio nostro Illustri Francorum Regi Ludovico, sicut tibi viva voce injunximus, satis credimus innotuisse. Nos enim nihil aliud post discessum tuum mutavimus, nec in posterum duximus immutandum: licet præfatus Anglorum Rex nos exinde per consules Lombardiæ, qui unà cum Nuntio coram nobis præsentes erant: nec non & per Nuntios Charissimi in Christo filii nostri Manuelis, illustris Constantinopolitani Imperatoris instantissimè sollicitaret; ut ei tempus deberemus aliquantulum prolongare. Et quoniam ipsius Archiepiscopi causam nostram, & Ecclesiæ reputamus; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus: quatenus Venerabiles fratres nostros Rothomagensem Archiepiscopum, & Nivernensem Episcopum, super diligenti, ac festinanti executione præcepti nostri studiosè commoneas: & vivâ voce, vel literis, si utrumque non poteris præsentem habere, instantiùs exhorteris. Quòd si adhuc in negotio illo nullatenus processerunt; tu ipse ex parte nostra duriùs increpes, & graviùs redarguere non omittas. Si autem eos in prælibati Regis terram, sententiam interdicti juxta præceptum nostrum proferre contigerit: Tu eam per ejusdem Regis terram, quam in tua Provincia habere dignoscitur, omni excusatione, & appellatione remotâ firmam & inconcussam observes; & ab omnibus facias (quàntum in te est) irrefragabiliter observari.] Porrò quod ait Alexander, Londinensem Episcopum nequaquam ad se accessisse: Mathæus de eo ita scribit.

Paris. hic.

[Anno millesimo centesimo septuagesimo Gilebertus Londoniensis Antistes, dum Alpibus transcensis Romam tenderet, apud Mediolanum veniens, Literas Domini Papæ in hæc verba suscepit, Rothomagensi Archiepiscopo, & Episcopo Exoniensi (sed legendum, scribendumque Nivernensi) dedimus in mandatis: ut recepto abs te sacramento; quo nostro stares judicio, super his pro quibus in te lata erat sententia, nostra te vice absolvat; itaquidem, ut pro eo, quod excommunicatus fueras, nullum ordinis, aut dignitatis periculum, aut infamiæ notam debeas sustinere. Episcopus igitur ad absolutionem aspirans, apud Rothomagum in die Paschæ est solenniter absolutus.] Et hæc causa querelarum, satis probabilis: probabiliter autem Alexander à culpa excusatur, quod ideo Londinensem absolvi fecerit, quòd pacis inter Regem & Thomam sequestrum esse voluerit. Cæterùm ejus auctoritate Eboracensis Henricum juniorem consecraverit, ut Senonensis conqueritur: constat à veritate alienum esse. Nam ita ad Thomam scripsit Alexander.

XIV. Alexander S. Thomæ conqueritur quod Eboracensis contra ius Cantuariensis coronarit filium Regis.

[Virtutis & Fidei constantiam, & fortitudinis animum, quem pro libertate Ecclesiæ tuæ conservandæ induisse cognosceris, studiosiùs attendentes, tibi tanquam patri charissimo, super his, quæ ad conservationem & augmentum Ecclesiæ tuæ spectare noscuntur, libenti animo consilium & auxilium impendimus: & contra eos qui jura & dignitatem ejusdem Ecclesiæ minuere, vel perturbare nituntur Apostolicæ tuitionis præsidium diligenti studio volumus ministrare. Audivimus autem & certâ relatione comperimus, quod Eboracensis Archiepiscopus, contra prohibitionem, & interdictum nostrum Henrico filio, illustris Anglorum Regis, in provincia tua coronam imposuit. Quia verò ex hoc juri & dignitati Ecclesiæ tuæ, immodaratè asseris, & enormiter derogatum: nos in hac parte, tam tibi quàm Ecclesiæ providere volentes, auctoritate Apostolicâ statuimus, ut factum prædicti Archiepiscopi vobis nulla ratione præjudicium possit in posterum generare, quo minùs jus coronationis, & inunctionis Regum Angliæ possessionaliter habeatis sicut antecessores tui, & eadem Ecclesia à quadraginta annis retrò habuisse noscuntur.] Ita Alexander. qui non plenè pro Cantuariensis prærogativâ disputat, cùm quadraginta tantùm annos in jure Reges coronandi numerat: cùm constet ante Normannorum ingressum jus illud primæ sedis fuisse, & centum jam anni ab eorum ingressu computantur. Nam licet Guilhelmus primus ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo coronam unctionemque acceperit: id tamen nec aliter nec priùs factum, quàm Stigandus tunc Cantuariensis, de crimine, quod injuriâ sedem invaserit postulatus fuisset, ut dictum *supra.

A quo tempore fuit ius in Cantuariensi coronanoi Reges.

*V an 1066 12.

Cæterùm quòd in hac nupera Henrici coronatione, Eboracensi Episcopo minimè faverit Alexander Pontifex, testantur literæ ad Eboracensem & Dunelmensem Antistites datæ.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Rogero Eboracensi Archiepiscopo, & Hugoni Dunelmensi Episcopo, Salutem, & benedictionem Apostolicam

XV. Baron. hic. Alexander per Eboracensi

Licèt commendabiles, & grati nobis in plurimis existatis, & sincera vos complectamur brachiis charitatis: propter hoc tamen non debemus omittere, quin ea quæ perpetrata, & incorrecta generant mortem, & requiramus in vobis, & zelo rectitudinis corrigamus: dicente Domino per Prophetam: Si loquente me ad impium, morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris: ipse quidem in peccato suo morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Depressio siquidem Anglicanæ Ecclesiæ, & diminutio libertatis illius, quæ per Regem vestrum: sive proprio motu, sive potiùs aliis suggerentibus facta dignoscitur, plurimùm jam pridem animum nostrum afflixit, & non modicum nobis solicitudinis, & doloris ingessit. Cùm enim oportuerit eum de corrigendis his, quæ ab Antecessoribus suis male commissa fuerant, cogitare: ipse potiùs prævaricationibus prævaricationes adjiciens, tam iniqua constituta, sub Regiæ dignitatis obtentu, & posuit, & firmavit: sub quibus & libertas perit Ecclesiæ, & Apostolicorum virorum statuta, quantum in eo est, suo robore vacuantur. Nec credidit debere sufficere; si sub eo divinæ leges in regno Angliæ silentium & vacationem susciperent; nisi peccatum transmitteret ad heredes: & longo tempore faceret suum regnum, sine Ephod, & sine superhumerali sedere. Inde fuit, quod illas iniquas usurpationes, absque ulla exceptione, vestro, & aliorum

Conqueritur de Rege.

fratrum, & Coëpiscoporum vestrorum juramento fecerit firmare, & plectendum judicavit ut hostem, quicumque vellet ab iniquis illis constitutionibus dissentire. Indicat hoc Venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi exilium, demonstrat & hoc Clericorum & consanguineorum ejus, illorum etiam, qui adhuc pendentes ab uberibus matris vagiebant in cunis miseranda proscriptio: & metus mortis incutitur, si ad hoc cujusquam animus erigatur, ut contra statuta illa, divinis velit legibus obedire. Nos ipsi, quorum judicio prævaricationes illæ corrigendæ fuerant, aut plectendæ, ad confirmationem illarum sub occasione temporis impetrati, multâ sumus instantiâ provocati, & laboratum est, exactione non modicâ, ut usurpationibus illis, cùm nondum nobis expressæ fuissent, auctoritatis conferremus Apostolicæ confirmationem: & hoc quidem a principio.

XVI. *Processu verò temporis, exulante pro debito Pastoralis officii jam dicto Archiepiscopo, & consuetum Romana Ecclesia subsidium ab officio nostro sæpiùs requirente, misimus ad jam dictum Regem, de melioribus, & majoribus Fratribus nostris: misimus & alias Ecclesiasticas personas, & putavimus, quod duritia ejus in nostra humilitate & mansuetudine frangeretur: & fieret, quod Salomon dicit: Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis frangit iram. Ipse verò sufferentiam nostram multiplici Legatorum arte deludens, usque adeo videtur contra monita nostra animum obdurasse: ut nec contra prænominatum Archiepiscopum defferveat, nec de perversis statutis illis quidquam minui patiatur. Imo & ipsam Cantuariensem Ecclesiam plurimo detrimento possessionum suarum afficiat, & in ipso eam Ecclesiastico ministerio, antiqua spoliet dignitate. Nuper enim cùm filium suum coronari voluit, contempto eodem Archiepiscopo, ad cujus hoc officium, de antiquo jure, dicitur pertinere, per manum tuam, frater Archiepiscope, et in aliena provincia diadema regni fecit imponi.* CONQUERITUR QUOD EBORACEN. CORONARIT FILIUM REGIS. *In coronatione autem illius, nulla, ex more, de conservanda Ecclesiæ libertate cautio est præstita, vel sicut aiunt exacta; sed juramento potiùs asseritur confirmatum: ut regni consuetudines, quas avitas vocant, sub quibus dignitas periclitatur Ecclesiæ, illibatas debeat omni tempore conservare. In quo etsi multùm prænominati Regis vehementia contristabat: ampliùs tamen de vestra, & aliorum Coëpiscoporum vestrorum possumus infirmitate moveri; qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequentis. Etsi enim hoc tibi licere forté, Frater Archiepiscope, in propriá provinciá potuisset: quomodo tamen hoc in provincia aliena, & illius præcipuè, qui exulare pro justitia, & ferè solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuit: nec de ratione possumus, nec de Sanctorum Patrum constitutionibus invenire.*

XVII. NULLUM REGNUM IN MAIOREM CONTEMPTUM LEGIS DIVINÆ INCIDIT QUAM ANGLIA. *Quod si ad excusationem tantæ prævaricationis, quisquam objiciat, in aliis quoque regnis gravia plurima, & enormia perpetrari: in veritate possumus respondere, quod nullũ adhuc regnum in tantùm divinæ legis contemptum invenimus corruisse, ut scriptis & juramentis Episcoporum tam manifestas enormitates fecerit communiri. Nisi quisquam illud impudenter alleget, quod schismatici postmodum à fidelium communione præcisi, manifestá & damnabili superbia commiserunt. Unde quia juxta verbum Prophetæ: A vobis judicium egressum est perversum, in vobis factum est perversum: quid ultra omnes provincias alias, in usurpationibus suis, & post iniquas consuetudines juramento firmatas, non adjecistis resumere scutum fidei, ut staretis pro domo Domini in die prælii: sed prostravistis corpora vestra in terram, ut per vos fieret via transeuntis? Et nè si diutius tacuerimus, una vobiscum in die judicii damnationis sententiâ involvamur: auctoritate sacrosanctæ Romanæ, cui auctore Domino, ministramus Ecclesiæ, ab omni officio Episcopalis vos suspendimus dignitatis: sperantes quod sub disciplina saltem, & paterno verbere constituti, redire tandem ad cor, & de tuendâ debeatis Ecclesiæ libertate satagere. Si verò nec sic zelum Episcopalis officii resumpseritis: nos adhuc auctore Domino, quod nobis imminet, faciemus. Vos videte, ne vobis illud dicatur, quod cuidam olim per Prophetam dicitur. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Nos enim quia locum illius tenere, (Deo prout ipsi placuit, disponente) conspicimur, qui à prædicatione verbi Dei nec verberibus poterat, nec vinculis coerceri; non debemus sub ambigua expectatione pacis, creditam nobis divini verbi pecuniam in sudario reponere, & alligatum eum tam diu conservare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbè nos conveniat ratione.* Ita Pontifex.

Venerat sub hoc tempus in Angliam Petrus Blesensis, & visa sibi Ecclesiæ calamitate, & multorum exilio, qui pro ejusdem Ecclesiæ libertate certabant & rerum difficultate pressi ægrè cum miseriis luctabantur, ad Joannem Saresberiensem, qui Thomæ coexul & comes assiduus erat, hanc misit Epistolam, Baronio teste, auctore planè dignam.

Charissimo amico suo Magistro JOANNI DE SARESBERIIS, PETRUS BLESENSIS Bathoniensis Archidiaconus, Salutem in auctore Salutis.

Quoties communes Ecclesiæ Anglicanæ pressuras, Dominiq́; vestri Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis exilium diligenter attendo, plurimum mihi cedit ad solatium, quod pro justitia Dei, & pro Ecclesiæ libertate se murum opponit, & ex ipsa persecutione hac finem merebitur gloriosum. XVIII. Pet. Blesen. Ep. 22. *Video quia positi estis inter malleum & incudem, & assiduè supra dorsum vestrum fabricant peccatores. Veruntamen si Christo, & pro Christo pugnatis: ipse non permittet vos tentari supra id quod potestis ferre; sed faciet cum tentatione proventum, tolletq́; Dominus virgam peccatorum desuper sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Si veritas non mentitur, vestræ persecutionis exitus beatitudo interminabilis erit. Beati (inquit) qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Matth. 5. *Petrus Apostolus dicit: Nemo ex vobis patiatur quasi homicida,* Petri 1. 4. *aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Martyrium enim facit, non pœna, sed causa, sicut Apostolus ait: Sed & si quid patimini propter justitiam, Beati.* ibi. 3. *Donum quidem Dei est in eum credere: sed & Donum optimum, pro Christo contumelias sustinere. Vobis, inquit Apostolus, donatum est pro Christo, non solùm ut in illum credatis; sed etiam ut pro illo patiamini.* ad Philip. 1. *Vobis itaque congratulor, quia justitiam in judicium convertistis. Quia quorundam rebellionem atque contumaciam suspensionis animadversione reprimitis: si tamen hoc faciatis, rationis & justitiæ motu, non zelo ultionis, aut alienæ injuriæ appetitu. Nihil quæso faciatis ex rancore vel odio: sed omnia vestra in charitate fiant. Nec enim ex persecutione hac, salutis manipulos*

pulos colligetis, nisi tota intentio vestra procedat ex intimo charitatis. Porrò cùm per clibanum tracundia sive persecutio in sacra pagina designetur: in Levitico docemur sacrificium, quod in clibano coquendum est, prius aspergere oleo charitatis, ne comburatur. Illius enim animus, qui ad tolerantiã persecutionis se præparat, prius est demulcendus oleo charitatis: ut nec in adversis à charitate deficiat: nec adversus fratrem suum zelo ultionis, aut odio inardescat. Meritorium igitur vobis est, atque

Psal. 105.

apud Deum & homines cõmendabile; si inobedientiã subjectorum, justitia mediante, compescitis. Beati enim, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam omni tempore.

XIX. In executione justitiæ non debet esse acceptio pe-

In executione quidem justitiæ, non debet esse personarum acceptio; aut delectus, si sit frater aut filius: si sit Prelatus aut subditus: semper quæratur fructus justitiæ, semper justè judicent, qui judicant orbem terræ. Nam cum levitæ occiderent fratres, & filios suos, ulti essent peccatum idolatriæ, ait illis Moyses: Consecrastis manus vestras hodie, unusquisque in filio suo, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.

Exod. 32. Prov. 24.

Salomon quoque dicit. Qui arguunt, laudabuntur: & super eos veniet benedictio. Plurimùm quidem commendabile est in Domino vestro quod sic solus ascendit ex adverso, quod opponit se murum pro domo Israel, & agnus pro mansueto terræ. Justum habemus hodie singularem & unicum, inter filios excussorum. Pro Patribus nostris natus est nobis filius, qui exemplo Apostolorum solus hodie facit vindictam in nationibus, increpationes in populis. Et sicut illi Principes populorum, qui modo congregati sunt cum Deo Abraham, pro justitia Christi tanquam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt; sic & honor istius si in exhibitione justitiæ perseveraverit, elevabitur in immensum. Quod enim nunc exulat, quod multa in ejus contumeliam attentantur; id totum hoc in gloriam, beneficio patientiæ convertetur. Quod leve est & momentaneum tribulationis nostræ, dicit Apostolus, immensum gloriæ pondus operatur in nobis. Exhibeatis vosmetipsos, tanquam Dei ministros, in multa patientia. Nam vidua est virtus, quam non patientia firmat. Et quis à primitivis Ecclesiæ cunabulis, sine patientia triumphavit? Sanè licet plurimum habeat de spiritu fortitudinis Dominus vester: dicitur tamen, quod propter coronationem novi Regis Anglorum ab Eboracensi factam, atque ob quædam privilegia (sicut dicunt) contra ipsum subreptivè impetrata, adeo turbatus est; quòd à pusillanimitate spiritus, & tempestate, penè moti sunt pedes ejus, penè effusi sunt gressus sui. Veruntamen vos qui estis manus Archiepiscopi, & oculus ejus, sanctis exhortationibus vestris, confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Non est mirum si turbetur tribulationibus, & pressuris. Veruntamen si totus innitatur & inhæreat ei qui in electis suis mittit radices, omnem ventum tentationis & turbinis securus excipiet.

hic plura omittuntur

XX.

Per Legatos Sedis Apostolicæ intellexi, cum quibus à Romana Curia usque ad Bononiam veni. Quod vel Anglorum Regi in proximo firmissimè reconciliabitur, vel ad majoris Patriarchatus eminentiam transferetur. Sane qualitercumque voluerit Dominus negotium ejus disponere: si talis perseverat, qualis est hodie, securus expectet exitum hujus pugnæ. Ideoq; voces palpantium non attendat, sed sequatur spiritum Dei, qui in eo est: & quocumque ibit spiritus, & rota pariter gradiantur. Scio enim quòd gloriosus erit sui certaminis cursus si tantummodo perseveret in eo, quem caput fortitudinis & constantiæ casu: Qui enim legitimè certaverit, coronabitur. Cùmq; omnes Virtutes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur. Rogo autem vos, tanquam Dominum & Magistrum meum, ut me de vestro, & ipsius statu frequentius instruatis. Nam cùm aliud non possim, oro jugiter pro vobis, ut præveniente Altissimi gratiâ, Regis Anglorum gratiam, vestrorum etiam liberam administrationem obtinere possitis. Librum vestrum de nugis Curialibus legi; & mirabiliter me refecit. Nam & ibi optima forma eruditionis est, & propter artificiosam sententiarum varietatem inæstimabilis materia voluptatis. Benè valete. Ita Petrus Blesensis qui anno superiori Angliam ingressus Bathoniensi Archidiaconatu donatus est.

Hic meminit Baronius literarum ab Alexandro scriptarum, quibus Friderici exemplo illum terruit excommunicationis sententia, ni statim cum Thoma in pacis fœdera consentiret: dicit desiderari literas, in Codice Vaticano: ego tamen earum summam *supra retuli ex Alexandri literis ad Rothomagensem & Nivernensem Antistites. Profuit Pontificis comminatio, & stimulus Henrico fuit. ad iram vel ponendam, vel differendam saltem. Unde ad dictos Apostolicæ sedis Legatos qui pacem suggesserant, cum adhuc in Anglia moraretur ita scripsit. [De vestro aliorumque fidelium Baronum meorum consilio, pacis reformandæ, inter Me, & Archiepiscopum Cantoariensem susceptam formam Domino Papæ Nunciis & literis meis insinuavi. Ipse, sicut per suas mihi literas significavit eam cum tenore, quo à vestro prodiit consilio, eique à parte vestra fuerat significata, suscepit cum gratiarum actione, palàm mandans, monens, & supplicans & suadens attentiùs, ut illam exequar mediatione vestrâ, & Nivernensis Episcopi. Illam itaque vobis mediantibus, plenè & libenter complebo, nulla tenus declinaturus à formam, vestro consilio propositam: Teste Richardo de Lucy apud Westmonasterium.] Interim Thomas, interdicti sententiam quam paraverat post paucos, nisi pax sequeretur, ferendam, suspendit, & ad pacis sequestros, ne Henrici dolo circumvenirentur, scripsit in hunc modum.

XXI.

*hic n. 7.

Apud Baronium hic, & Quadril. l. 5. c. 38.

Henricus acribit Legatis, se paratum esse ad pacem cum S. Thoma.

XXII. S. Thomas sequestris pacis ut caute procedant, nec nimis sint creduli.

[Dirigat Dominus gressus vestros, ut in causa Ecclesiæ, cujus executio vobis pro parte est commissa, non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram, sed viâ regiâ incedatis: ut nec pollicitationibus, nec minis, nec exquisitis dolis prævaleat adversus prudentiam & sinceritatem vestram. Cujus tendiculas nullus unquam evasit, qui cum ipso contraxerit: & nisi fallat, nobis pugnandum erit ad bestias, cùm ipse Episcopos, Abbates, & viros discretos producturus sit, ut per eos expugnet constantiam vestram; si persenserit, quod vos promissis, & blandiloquio circumvenire non possit. Quia igitur multiplices illius prodigii fucos non est facile deprehendere: quicquid dixerit, quamcumque figuram induat; tamen omnia ejus vobis suspecta sint, & fallaciæ plena esse credantur; nisi quorum fidem manifesta operum exhibitio comprobabit. Si verò senserit, quod vos aut promissis corrumpere valeat aut minis deterrere, aut aliquid obtineat contra honestatem vestram, & causæ indemnitatem: illico vestra apud eum prorsùs evanescet authoritas, & eritis tam illi, quàm suis in contemptum, in fabulam, in derisum. Sin autem viderit quod vos à proposito flectere nequeat, furorem simulabit. In primis jurabit, & dejerabit: ut Proteus mutabitur: & tandem revertetur in se. nisi per vos steterit: exinde semper eritis in Deum Pharaoni.]

XXIV. Profuit Thomæ consilium, & Legati cum Rege cautiùs egerunt, compuleruntque tandem Alexandri monitis obedire. Quid factum exinde, & quomodo irâ positâ Henricus ad pacem cum Thoma ineundam descenderit, ipse Thomas in literis ad Alexandrum datis, quarum exordium est: [Miserationis oculo respexit Deus Ecclesiam suam;] declarat ut infra. nam priùs dicendum *Baron. hic,* quid Henricum denuo in Gallias traxerit, qui hoc ipso anno coronationis solennia in Anglis vidit, filiumque ibi Regem salutavit: & quæ firmatam pacem lites præcesserint. Ludovicus Francorum Rex cùm generum coronâ Regiâ & sacrâ unctione auctum accepisset, filiamque Margaritam, in Normannis relictam sine corona ingloriam esse, injuriam sibi filiæque factam interpretatus; Henrico absente; Normanniæ contermina vexarat, ad quæ tuenda, & sarta tectaque servanda, Henricus festinavit, & Ludovicus porro non est progressus, sed *Paris. hic.* ad pacem pro Thoma firmam se composuit. Unde ad hunc annum Parisiensis: [Rex (inquit) statim post coronationem filii sui mare transiens convenit ad colloquium Archiepiscopi Cantuariensis apud Montmizail: ubi præsens erat Rex Francorum; & post diutinum de pace tractatum inter eos; cùm perventum fuisset ad osculum: quia Archiepiscopus dixit ad Regem: In honore Dei vos osculor; Rex recessit ab osculo, quasi conditionaliter involutus. Nam Rex semper in verbis Archiepiscopi conscientiam habentis purissimam, quasdam clausulas causabatur: videlicet nunc salvo honore Dei: nunc salvo ordine meo: nunc salva fide Dei. Archiepiscopus verò Regis cautelas semper habuit suspectas: nè si concordiam absolutè iniret, iniquas Angliæ consuetudines Regi concedere videretur.] Ita pax hoc primo congressu, propter verborum involucra cæmentari non potuit.

XXV. Paulò post, cùm plores pro pace intercessores accepissent, serenior Henricus, & sanior factus, ad pacem descendit: de quo Quadrilogus ita: [Igitur Rotomagensis Archiepiscopus, & Nivernensis Episcopus, secundùm Apostolicum *Quadrilo. l. 3. c. 2.* mandatum Regem pro pace sæpè, & sæpiùs convenerunt: & nisi interveniret pax, censuram Ecclesiasticam sibi & terræ suæ imminere in brevi asserebant, Domino Papa sic præcipiente: adjicientes nec minis, nec blanditiis, nec aliquibus verborum ambagibus, seu tergiversationibus se ullatenus audere, à Romano Pontifice statutum terminum prætereire, qui mandatam sibi coercitionem exequerentur, nisi pax interveniret. Erant enim congregati apud Froteville (fractam vallem, vallem vocat Parisiensis) hujusmodi causa: & etiam *Paris. hic.* cum ipsis Rex Francorum & Remensis & Senonensis Episcopi, Episcopus Pictaviensis, & Abbas de Grosso-Monte, loco Domini Papæ: & ferè omnes Episcopi Normanniæ: Comites & Magnates ferè omnes Galliæ ad pacem reformandam. Videns itaque Rex rem jam in tam arcto positam, certissimè promisit pacem. Unde in quodam Regum colloquio, per magnos quidem mediatores, quibus Dominus Rex Franciæ Archiepiscopum in recessu suo commiserat, ut de pace illius tractarent pax inter Regem & Archipræsulem reformata est. Facta est pax hæc die Beatæ Mariæ Magdalenæ in prato amœnissimo, quod sicut post innotuit, ab incolis dicebatur ab antiquo Pratum proditorum. Rex verò & Archipræsul soli duo seorsum in equis in quandam planiciem se deflexerant, secretò colloquentes. Ubi Archiepiscopus inter alia Regi supplicavit: ut injuriam, quam sibi & Ecclesiæ suæ, Suffraganei sui Episcopi, unà cum Eboracensi Archiepiscopo, in coronatione filii sui fecerant, secundùm censuram Ecclesiasticam, sine ipsius offensa, punire liceret sibi. Et annuit Rex. Unde Archipræsul gratias agens de concesso: confestim in oculis omnium se ab equo dimisit, & humiliter se ad pedes Regis inclinavit. Cùm verò Archipræsul equum suum reascenderet: Rex ascendenti ascensorium aptavit, & tenuit: omnibus qui aderant cernentibus & mirantibus, causamque nescientibus, donec Archipræsul suis secretiùs hoc retulisset.] Ita Quadrilogus.

Pax pacta inter Henricum Regem et S. Thomam.

XXVI. Sed paulò pleniùs ipse Thomas ad Alexandrum scribens tractatum hunc explicat in literis supra memoratis: ubi hæc leguntur. [Ecce enim ad *Baron. hic.* novissimas literas vestras, quibus denuò Regi Anglorum innotuit, quòd ei ulterius non parceretis; sicut nec pepercisti Friderico dicto Imperatori: cùm intellexisset terram ejus, amotis omnibus subterfugiis, interdicto subjiciendam esse: & Episcopos, si qui fortè non obedirent, suspendendos & excommunicandos: illico nobiscum pacem fecit, ad honorem Dei, & maximam (ut speramus) Ecclesiæ utilitatem. Nam de consuetudinibus, quas tantâ pertinaciâ vendicare consueverat, nec mutire præsumpsit: nullum à nobis, vel ab aliquo nostrorum, juramentum exegit: Possessiones, quas occasione dissensionis hujus, Ecclesiæ nostræ abstulerat, prout eas in chartula expresseramus nobis concessit: pacem & securitatem omnibus nostris promisit, & osculum: si tamen vellemus eum catenus perurgere; ut non modò in omnibus articulis victus appareret; sed ut perjurus diceretur ab his, qui audierant ipsum jurasse ea die, quod non erat nos osculo excepturus. nos autem habito plurimorũ sapientum consilio, & maximè Domini Senonensis, qui pacem nostram cæteris sollicitiùs, & efficaciùs procurabat, cum ipso ad colloquium Regia accessimus. Quem Deo faciente (qui omnes amoverat, qui Sanctitatem vestram variis dolis circumvenire soliti sunt) adeò immutatum invenimus; ut (quod sine circumstantium admiratione non contigit) animus ejus, in nullo videretur à quietis consiliis abhorrere. Nam ut nos procul venientes conspexit, à circumfusa turba exiliens accurrit properus, & capite detecto, nos in salutationis verba prorumpere gestientes, salutatione prævenit: & habitis paucis sermonibus, solis nobis præsentibus cum Domino Senonensi, nos illo divertente, stupentibus universis traxit in partem: & diu tantâ familiaritate allocutus est; ut videri posset nunquã inter nos aliquando fuisse discordiã. Omnes ferè quotquot aderant lætissimâ admiratione stupentes, plurimorum genis lacrymarum inundatione madentibus glorificabant Deum, & benedicebant B. Magdalenam, in cujus solennitate Rex conversus est à viis pristinis, ut toti terræ suæ lætitiam reformaret, & Ecclesiæ redderet pacem.

S. Thomas Alexandro de pace facta.

Qui Henricus se gessit.

XXVII. Corripuimus eum, adhibitâ moderatione, quam oportuit adhiberi, vias quibus incesserat, & pericula quæ undique imminebant, patenter ostendimus. Rogavimus & monuimus, ut rediret ad cor, ut dignos fructus, pœnitentiæ faciens & Ecclesiæ, quam non mediocriter læserat, manifestâ boni compensatione satisfaciens purgaret consci-

Quæ proposuit S. Thomas.

tiam, ut redimeret famam. Nam ab iniquis consiliariis potiùs, quàm propriæ voluntatis instinctu graue utrinsque dispendium patiebatur. Cùm autem hæc omnia, non modo patienter, sed & benignè audiret, & emendationem promitteret, adjecimus sibi necessarium esse ad salutem, & liberis suis ad incolumitatem, & indemnitatem concessæ divinitùs potestatis: ut in eo Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ satisfaceret, in quo eam nuper gravissimè læserat. Nam filium suum contra jus antiquissimum Ecclesiæ nostræ fecerat enormiter coronari?

Quæ proposuit S. Thomas Henrico de emendatione

subjicit prolixam de his habitam cum Rege disceptationem, (sunt verba Baronii) quem tandem eò redegerit, ut polliceretur, consecrationem ab excommunicatis à Papa habitam cum Eboracensi irritam reddere, iteratamque faciendam Canonicam consecrationem filii, quem unà cum Regina conjuge ipsius, idem Cantuariensis consecraret. Pergit autem de cæteris singulis, quæ in eo congressu fieri contigerunt. Cùm ergo ego equo desiliens, me humiliarem ad pedes ejus: illo accepto scansili, me coegit ascendere, & visus lacrymari, ait. Quid multa? Domine Archiepiscope, restituamus nobis invicem veteres affectiones: & alter alteri, quod potuerit, bonum exhibeat: & præcedentia odii prorsus simus immemores. Sed mihi quæso coram illis, qui procul aspiciunt, honorem exhibeatis. Et transiens ad illos ait: Si Ego cum Archiepiscopum ad omne bonum paratum inveniam; ei vicissim bonus non fuero; tunc ero nequior hominibus: & mala quæ de me dicuntur, vera esse probabo. Nec aliud consilium honestius, aut utilius crediderim, quàm ut ipsum studeam benignitate præcedere: & tam charitate, quàm beneficiis superare. Sermonem Regis, cum summa gratulatione, ferè quotquot aderant exceperunt. Misit ergo ad nos Episcopos suos, qui monerent, ut petitionem nostram coram omnibus faceremus. Et si quorundam ex eis consilio credidissemus; in arbitrium ejus contulissemus, & nos prorsùs, & totam causam Ecclesiæ. Nam ab initio, usque nunc, à Scribis & Pharisæis suis egressa est iniquitas, & de auctoritate seniorum invaluit, qui debuerant regere populum. Sed benedictus Deus qui non permisit, ut in consilium eorum transiret anima nostra, nec Ecclesiæ libertatem & justitiam Dei exponeremus uniuscujusq; hominis voluntati.

XXVIII. Cur S. Thomas non urserit ablatorum restitutionem.

Illis autem dimissis, habitâ deliberatione cum Domino Senonensi, & Christi pauperibus, sociis peregrinationis nostræ; in eo firmavimus propositum, ut nec quæstionem consuetudinum, nec damnorum, quæ Ecclesiæ nostræ intulerat, nec usurpatæ consecrationis querelam; nec Ecclesiasticæ libertatis, aut honoris nostri dispendium aliquo modò conferremus in arbitrium ejus. Et sic accedentes ad Regem, & suos cum omni humilitate rogavimus per os Domini Senonensis, qui verbi nostri bajulus erat, ut nobis gratiam suam restitueret, & pacem, & securitatem, tam nobis, quàm nostris, & Cantuariensem Ecclesiam, & possessiones Ecclesiæ, quas in charta positas legerat; & ut misericorditer emendaret, quod contra nos & Ecclesiam nostram fuerat in filii sui consecratione præsumptum: promittentes ei amorem & honorem, & quidquid obsequii Regi, & Principi potest ab Archiepiscopo exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans, annuit: & nos, & nostros qui aderant, recepit in gratiam suam. Et quia non præceperatis ut ipse nobis, & nostris ablata restitueret; neque à nobis poterat impetrari, aut poterit Deo auctore, ut ea remittamus; juxta mandatum repetitio eorum dilata est, non sublata. Nam si præcepissetis eo vigore, quem in novissimis literis expressistis, ut restituerentur; haud dubium quin satisfecisset, & posteris dedisset exemplum, toti Ecclesiæ Dei, & maximè Apostolicæ sedi perpetuò profuturum. Tandem itaque nobiscum multa, & diu conferens: cùm nos duo soli, ferè usque ad vesperam collocuti essemus, secundùm morem familiaritatis antiquæ: in hoc convenimus: ut eo discedente, rediremus gratias acturi Christianissimo Regi, & aliis benefactoribus nostris, reversuri ad ipsum rebus compositis, & aliquamdiu moraturi circa eum, antequam rediremus in Angliam, ut omnibus innotescat, in quantam familiaritatem, & gratiam nos receperit. Expectabimus autem in Francia, donec redeant Nuntii nostri, quos ad accipiendas possessiones nostras destinabimus: quia non est in animo, ut redeamus ad ipsum, quandiu de terra Ecclesiæ passum pedis abstulerit. Nam in restitutione possessionum facilè advertemus, quâ sinceritate agatur nobiscum.] Hæc omnia ad Alexandrum S. Thomas.

Henricus et S. Thomas colloquuntur amice.

XXIX.

Henricus quod ore verbisque promisit, scriptis in Angliam literis confirmat, de quo Parisiensis: Pace confirmatâ scripsit Henricus Rex Henrico filio suo Regi literas in hæc verba. [Sciatis quod Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pacem mecum fecit ad voluntatem meam. Et ideo præcipio, quod ipse, & omnes sui, pacem habeant, & faciatis haberi ipsi Archiepiscopo, & omnibus suis, qui cum exierunt ab Angliâ, res suas benè, & in pace, & honorificè, sicut habuerunt tribus mensibus antequam ipse Archiepiscopus recessisset ab Anglia. Et faciatis venire coram vobis, de legalioribus, & antiquioribus militibus de Saltwode: & eorum sacramento faciatis recognosci, quid ibi habeatur de feudo Archiepiscopatus Cantuariensis: & quod recognitum fuerit de feudo ejus esse, ipsi Archiepiscopo habere faciatis.] Has literas Thomas præmisit in Angliam, tunc demum, nec priùs secuturus quàm quod literæ præcipiunt obtineret. & quoniam calliditatem principis multò doctus argumento noverat, iterum Nuntios in Angliam præmittit, de quibus omnibus hæc habet Quadrilogus: [Post dies paucos (nimirum à pace firmata) nuntii Archiepiscopi, cum literis Regis in Angliam missi sunt: quibus Rex justiciariis suis de pace facta mandavit, præcipiens ut Archiepiscopum & suos, & sua in omni pace, & securitate, restituerent. Decrevit tamen Archiepiscopus (utpote vir summæ prudentiæ) alios adhuc priusquàm ipse in Angliam intraret, nuntios à præmissis majores, & plus industrios in Angliam mittere: qui testimonio famæ cautè explorarent; qui starent pro eo, & qui contra eum: & si quæ occulta molirentur adversus eum. Et quoniam Rex pepigerat quædam prædia de fundo Cantuariensis Ecclesiæ se redditurum, misit ad eum Archipræsul sanctæ recordationis Magistrum Joannem Salesberiensem, postea Carnotensem Episcopum, & Magistrum Herbertum de Wosham; injungens eis, ut in Angliam ob dictam causam præcederent: si tamen Rex promissam restitutionem compleret: aliàs non; sed ad ipsum maturè reverterentur. Illi autem profecti Regem in

Henricus filio de pace facta.

Quadrilo. l. 3. c. 2. Henricus suis Justiciariis.

Normannia

Normannia repererunt: & cum datâ copiâ super dictorum promissâ restitutione convenerunt. Quos cum more suo aliquamdiu distulisset audire: tandem ad instantiam eorum, ad Magistrum Joannem qui loquebatur, specialiter sermonem dirigens. ô Joannes, inquit, nullatenus vobis quæ petitis faciam: nisi videro vos priùs aliter gerere erga me, quàm hucusque gessistis. Et illi quidem non intelligentes se minimè tunc posse proficere; infecto negotio, ad Dominum suum Archiepiscopum in Franciam reversi sunt, narrantes quid à Rege audierint. Audiens autem Archiepiscopus plurimùm motus est, vanas semper & deceptorias hominis promissiones detestans.] Hactenus ibi.

XXX. *Apud Baronium hic.* S. Thomas Alexandro de hac tergiversatione.

Scripsit de his omnibus ad Alexandrum Pontificem S. Thomas. [Ex quo Pater (inquit) in auribus Regis Anglorum comminationis Apostolicæ tuba personuit: & tam sibi, quàm terræ suæ serenitatem Ecclesiæ credidit imminere, nobiscum pacem fecit; promittens firmiter, quod de tota mandati vestri continentiâ, non iota præteriret, aut apicem; quin eam penitus adimpleret. Cùm autem sic declinasset turbinem sententiæ imminentis: in quibusdam articulis, à pactione resilit: subtrahens nobis adhuc quasdam possessiones Ecclesiæ, quas decessor noster omnibus diebus vitæ suæ inconcussè possedit, & nos exinde: donec in Anglicanam Ecclesiam tempestatis hujus procella surrexit, &c. Captabimus autem gratiam hominis, quantumcumq; salva libertate & honestate Ecclesiæ poterimus: & testimonio conscientiæ nostræ experimentum facturi; an vel sic valeat ad mansuetudinem revocari. Misit nobis clementia vestra literas ad correctionem & correptionem tam Eboracensis Archiepiscopi, quàm Coëpiscoporũ nostrorum: quas certum est, & dictatas, & conceptatas à Spiritu S. & quæ Regis excessus, auctoritate, quam successorẽ Petri & Vicarium Christi decet, redarguat.] Ita ad Alexandrum scripsit S. Thomas, cùm ille Benevento recedẽs, Verulas venisset: unde ad Archiepiscopum literas dedit, in quibus inter cætera hæc habet.

Apud Baron Alexander Papa Sancto Thomæ.

[Unde frater charissime, si nos in causa tua, & Ecclesiæ Anglicanæ remissiùs egisse videmur: nec ad petitiones tuas pro tua voluntate respondimus: non ex eo processit, quòd causam ipsam nobis tecum & cum Anglicana Ecclesia, non credamus esse communem: aut quòd tibi deesse, ulla ratione velimus: sed quia patientia utendum esse credidimus, ut in bono malum superare possemus. Timuimus etiam, ne si major scissura fieret in Ecclesia, nostræ posset duritiæ deputari.

XXXI

Nunc autem, quia turbatores pacis, & libertatis Ecclesiasticæ depressores, ad corrigenda mala præterita, nulla videntur compunctione moveri: imo trahentes peccata, sicut vestem longam, tam in gravamen tuum, quàm in depressionem Ecclesiæ Cantuariensis, magis ac magis exæstuant: ut omnem vobis ferè spem videantur pœnitentiæ præcidisse. Nos in fratrem vestrum Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, & reliquos Episcopos, qui juramentum conservandis consuetudinibus præstiterunt, & tantæ sunt malitiæ incentores, sententiam canonicam jaculamur: & ab Apostolica eos suspendimus dignitate. Saresberiensem autem, & Londoniensem Episcopos, qui majoris videbantur gratiæ debitores, & pro gratia dicuntur ingratitudinem rependisse: si coronando novo Regi, contra Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, præsentiam tuam, & ministerium præbuerunt: in sententiam anathematis, de qua soluti fuerant, revocamus, &c. Datum Verulis quartò idus Septembris.] Hæc scripsit Pontifex, nihil adhuc de inita pace per literas aut nuntios inaudiens. Qui Verulis discedens, & Ferentinum profectus, ibi excommunicationis literas, misitque ad Londinensem, & Saresberiensem Episcopos, quos sententiâ illâ percussit: & videntur illæ literæ, quas Thomas supra, dictante Spiritu Sancto scriptas dicit. Tum Pontifex Alexander, Ferentino Anagniam veniens, ad Rothomagensem & Senonensem Episcopos ea scripsit quæ *supra posui è Quadrilogo. Sed quia illa non Senonensi, sed Nivernensi inscribuntur, dataque sunt sexto Idus Maii, hæc autem ad Senonensem Anagniæ septimo Idus Octobris: diversas fuisse literas, sed in eandem sententiam conspirasse dicendum est. Triduò post, cùm Anagnia discedens Signiam venisset, de pace inita per postremas Thomæ literas resciuisse videtur, & quod à pactis Henricus recederet. Nam inde ita scripsit.

XXXII Alia epistola Alexandri S. Thomæ.

ANxietate cordis, & amaritudine premimur, cum angustias, onera & gravamina, quæ zelo justitiæ, & pro libertate Ecclesiæ manutenenda, æquo animo, & invicta fortitudine tolerasti, ad memoriam nostram reducimus, & sedula meditatione cogitamus. Veruntamen quod inte virtutis perfectionem adimpleret, non potuisti, frangi in adversis, nec à tua constantia proposito removerit: tuam super hoc commendamus admirandam virtutem: & tibi super tanta patientia in Domino congaudemus. Cæterùm quoniam dilectum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem diutiùs in patientia, & benignitate exspectavimus: & blandis & dulcibus verbis; interdum duris & asperis, ut ad seipsum rediret, sæpè monuimus: si pacem quam tecum fecit, executione operis non adimpleverit: & tibi ac tuis, & Ecclesiæ tuæ, possessiones & honores ablatos non restituerit: tibi plenam auctoritatem concedimus, in personas, & loca quæ ad tuam legationem pertinent, exceptâ persona Regis, uxoris quoque ac filiorum suorum, Ecclesiasticam justitiam, secundum officii tui debitum, nullius obstante appellationis obstaculo, exercendi: prudentia tamen, & circumspectione adhibitâ, quam modestia sacerdotalis requirit. Datum Signiæ tertio Idus Octobris. Has refert Alexandri literas Boronius Parisiensis noster paulò aliter, nec enim Regis personam eximiam facit, nec uxorem aut filios. quos tamen Alexander videtur exemisse. Nam Regis ubique benevolentiam Romanæ nimirum Ecclesiæ in illa præsertim tempestate, utilem conservare enixè laboravit. Testantur id literæ ad eum datæ, cùm ad pacis osculũ descendisse intellexit. nam ait.

Apud Baro Alexander Papa eahortatur Regem] ad restitutionem integram.

COgnito ex literis Venerabilis Fratris Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, quod ei omni turbatione, & rancore deposito gratiam & amorem tuum restituisses: tantò lætitiam & gaudium concepimus, quantò id Deo gratum, & magis acceptum existere, & tibi amplius honorificum, & tuæ consideramus fructuosum saluti. Tantâ enim eundem Archiepiscopum religione, prudentiâ, & honestate, & fidei virtute præeminere cognoscimus, quòd ipsum tibi, & regno tuo fidelem & devotum existere; honori & incremento tuo pro viribus, & posse, & animo se intendere; & pro augmento gloriæ, & exaltationis tuæ fideliter, & sollicitè vigilare non dubitamus. Cæterùm, quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: Et licet idem Archiepiscopus, pro patientiâ, ac dilectione, quam

erga te habet, hoc facere subtiiceſias: Nos tamen, qui ſalutem tuam ſummoperè cupimus; id minimè reticere debemus: nec enim decet magnificentiam quem Dominus ita magnum, & potentem conſtituit, jura & bona Cantuarienſis Eccleſiæ retinere: Regiæ ſerenitatis clementiam, rogando monemus, exhortamur attentius; quatenus exemplo Zachæi, de quo legitur in Evangelio: Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum; prædicto Archiepiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ ablata reſtituere, damna & detrimenta, quæ illis intuliſti, in brevi ſtudeas emendare; ut in eo quod deliquiſti, Deum ſic poſſis placare, & nos tibi tantam offenſam dignè indulgere poſſimus: & idem Archiepiſcopus ad obſequium, & devotionem tuam, ad augmentum honoris tui, & beneplacitorum debeat promptiſſimum inveniri. Volentibus autem inter te, & ipſum pacem reformari, benigno favore acquieſcas. Quos vero hujus diſſenſionis noveris hactenus fuiſſe incentores, de cætero non exaudias. Nihilominus, & filium tuum ſuper articulo juramenti, quod prætermiſit, de ſervando jure, & libertate Cantuarienſis Eccleſiæ, ſecundum quod Reges & Principes Angliæ feciſſe noſcuntur. eidem Archiepiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ condignè ſatisfacere moneas, & horteris, & quod prætermiſſum eſt facias adimplere. Ordinationes quoque Eccleſiarum, & alia quæ ad viros Eccleſiaſticos pertinent, prædicto Archiepiſcopo, & aliis viris Eccleſiaſticis, tam tu, quàm filius tuus liberè & pacificè relinquatis. Ut ſic agendo, hoſtiam laudis Domino dignè immolare poſſitis, & vobis regnum comparare æternum. Hucuſque ad Henricum Regem Alexander Papa: qui ad Angliæ quoque Clerum literas dedit, monitóque caſtigari qui pacem turbaſſent.

XXXIV. Convenit S. Thomas cum Rege, qui illum parum amicè excepit.

Et verò id oppidò neceſſarium fuit. nam quantumvis ſerenari videretur Angliæ cælum: nubes tamen aliquando fuerunt, quæ ingentem pluviam, oculatis hominibus portenderent, quam Clerus ſi integrè cum Thoma ſenſiſſet, avertere nullo negotio potuiſſet. Thomas interim cum ſciret Henricum Regem in bonorum reſtitutione, moras nectere, hærere, ac difficilem eſſe, ut ei, quos miſerat nuntii ſuggeſſerant, cum datâ occaſione, quam refert Quadrilogus adire ſtatuit.

Quadrilog. l. 3. c. 3.

[Archiepiſcopus audiens (inquit Author) inter Regem, & nobilem virum Bleſenſem Comitem Theobaldum colloquium futurum in proximo, pridie ante colloquium Turonis ad Regem proceſſit. Audiens autem Rex Archipræſulis adventum, quoſdam de aulicis in occurſum præmiſit: & ipſemet civitatem exiit, & occurrit. At cum convenirent, non oculi, ſed vultus Regis (ſicut notari poterat) erat ſuper eum. Unde (quod multi notabant, qui cum Archiepiſcopo erant) nocte illa Archiepiſcopum in hoſpitio ſuo, nec Rex reſpexit, nec ſuorum aliquis. Quin potiùs ſummo manè Rex in capella ſua celebrari Miſſam fecit pro defunctis: ſuſpicans (ut dicebatur) nè ſi fortè Archipræſul illi Miſſæ intereſſet, in Miſſa oſculum pacis ſibi offerret: & quod ibi negare, non eſſet Chriſtiani, ſed planè inimici Chriſti. Et Miſsâ celebratâ, mox Rex civitatem exiit ad colloquium properans. Archipræſul pariter, ſed tardiùs ſecutus eſt. & ante colloquii locum conſecutus eſt Regem: qui inter viandum mutuò ſe objurgantes; uterque viciſſim, alter alteri pridem collata beneficia & exhibita obſequia, improperavit.

XXXV.

Cum autem veniſſent ad colloquium, poſt diem multum decurſam, tandem propter quæ ad colloquium venerant, inter Regem & Comitem, ſedatis omnibus, Archipræſul etiam inter ipſos, ſedulò cum aliis & efficaci mediatore, tandem Archipræſul Regem ſuper dictarum poſſeſſionum promiſſa, ſed non adimpleta reſtitutione, acriter quidem, & conſtanter convenit. frequenter tamen, & ex obliquo, aſſuetam Regis arguens levitatem in verbo, & uſitatas deceptiones in promiſſis. Quid multa? Jam dicto Comite, & aliis nobilibus interponentibus ſe, a Rege iterum reſtitutio jam ſæpedictorum, certiſſimè repromiſſa eſt. Volebat tamen Rex, ut ante reſtitutionem, ad Eccleſiam ſuam reverteretur Archiepiſcopus: prius (ſicut aiebat) videre deſiderans, qualem ſe in regno exhiberet. Poſt aliquot verò dies, Archipræſul in caſtro, quod Calvus mons dicitur, propè Bleſis, Regem, qui illò tunc venerat, inviſere profectus eſt. Non quidem, ut quicquam exigeret, vel repeteret: ſed ſolùm ut Regem videret: & ſi poſſet fieri, ſic antiquam familiaritatem, & amicitiam, quatenus Dominus permitteret, repararet. Et quidem Rex ipſum venientem, tunc (ut decuit) honorificè nimis, & ut videri poterat, gratanter plurimùm, & affectuosè excepit. Qui cum familiariùs loqueretur, & jocundiùs, inter alia dicebat Rex Archiepiſcopo: O, inquiens quidem, cur voluntatem meam non facis? Et certè omnia traderem in manus tuas, ſi te meæ ſubderes voluntati. Et poſt dies aliquot Archipræſul hoc Regis verbum magiſtro Herberto de Woſcham retulit, adjiciens: Et cum Rex, inquit, mihi ſic dixiſſet; recordatus ſum verbi illius in Evangelio: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.*] Sequitur in auctore, ut Thomas Archiepiſcopus, ſe ad iter accinxerit: & quo ardore ad martyrium properaverit. nam motus in fine velocior. Ideò ſectabor, quoad potero ejus veſtigia, quæ comites ejus impreſſa nobis reliquerunt. Sic ergò illi in Quadrilogo, ſive Quadripartita hiſtoria, conſequenter ad ſupradicta.

S. Thomas urget reſtitutionem bonorum.

[In craſtino verò (Thomas) licentiatus à Rege, a caſtro illo recedens, cum ſuis ad civitatem peregrinationis ſuæ Senonis remeavit: & mature prout adhuc pauperes & exules poterant, iter ad repatriandum maturabant. In receſſu ſuo Nobiles Galliarum, ipſum, & ſuos, equis, veſtibus, & omnibus neceſſariis ſufficientiſſimè inſtruxerunt: ut quos foverant exules, cum honore remitterent repatriantes. Regi autem Francorum, in accipiendo ab eo licentiam, dulciſſimè, & affectuoſiſſimè cum omni gratiarum actione, inter cætera dixit: Nos imus in Angliam ludere pro capitibus. Rex Francorum ait: Ita mihi videtur: & ſi mihi crederes, non dato pacis oſculo, Regi tuo non crederes. Remane: Rege Ludovico vivente, non tibi tibi Galliæ, nec opulentia deerit. Et ille: Fiat voluntas Dei. Similiter & Epiſcopo Pariſienſi inter cætera dixit: Vado in Angliam mori. Igitur Domino Rege Francorum, & Principibus terræ, qui eum tam benignè, támque magnificè ſuſceperant, cum lacrymis ſalutatis, licentiati ab eis ad portum, qui dicitur Witſand, devenerunt.] Expectaſſe videtur aliquamdiu Archiepiſcopus, pro apparatu nautico, & comitatu ſuo: quò etiam tempore Epiſcopi ſtatim nominandi, & ipſi transfretaturi accedunt. ſententiam quam meruerant pro viatico accepturi: nam ſequitur in auctore.

XXXVI. *Quadrilog. l. 3. c. 4.*

Amicè cum lacrymis dimittitur a Ludovico et ſuis.

PRÆMITTIT LITERAS DE QUORUNDAM EPISCOPORŪ SUSPENSIONE. *Idem suprà.*

XXXVII. [Archipræsul verò hic antequam naves ascenderet, Domini Papæ literas, quæ, ut supra diximus, erant de generali Episcoporum per Angliam suspensione, & quorundam anathemate, præmisit. Quorum aliqui, Rogerus videlicet Eboracensis, & Gilbertus Londoniensis, & Jocelinus Saresberiensis, transfretare volentes, in ipso portu, suspensionis suæ, & anathematis literas susceperunt. Una verò dierum, deambulans Archiepiscopus in litore maris, cum suis, dum qualitatem elementorum, sicut transituris moris est, consideraret: Milonem quendam Bononiæ Decanum advenientem prospexit. Quem tanquam ad naulum exigendum properantem, subridendo prior in salutatione occupavit. Non (inquit Milo) ad naulum exigendum, sed admandatum deferendum festinamus. Hæc enim mandat tibi Dominus meus Comes Bononiensis: Providè tibi: parati sunt, qui quærunt animam tuam, portus transmarinos obsidentes; ut exeuntem te à navi rapiant, & trucident; vel in vincula retrudant. Cui Archiepiscopus: Crede, fili, etiamsi membratim serpendus essem, ab incepto itinere non desisterem. Non metus, non vis, non cruciatus degenerem revocabit ulteriùs. Sufficiat Dominicum gregem, Pastoris sui absentiam luxisse septennem. Hanc verò extremam petitionem à meis obtinere votis omnibus exposco. Nihil est enim quod magis hominibus debeatur; quàm ut suprema voluntas, postquam aliud velle non possunt, adimpleatur. Quatenus ad Ecclesiam à qua arceor vivens, vel mortuum ferre non graventur. Dum hæc diceret (ita scribit Herbertus comes itineris) ecce navis ab Anglia ad portum velificans: quæ cum citò applicuisset; quæsitum est à nautis quid in Angliâ de reditu Archipræsulis diceretur. Et responderunt: hoc quidem foret gratum valdè, & toti terræ acceptum. Verùm unus eorum (sciscitantibus Archiepiscopi sociis) respondit: Miseri (inquiens) quid quæritis? Quid agitis? Quid properatis? Certè in mortem vestram: sic dicunt, qui noverunt. Convenerunt enim milites multi in portu, quò applicare quæritis: certè, ut dicitur, ut in Archipræsulem, & suos, mox ut applicuerit, manus injiciant. Commota est siquidem terra & exasperata adversum vos: & præsertim Regis fideles; eò quòd in advento vestro terram commovistis, & conturbastis eam anathematizando Episcopos terræ, & suspendendo. Conspiraverant siquidem adversus Archiepiscopum, vel ex alienâ voluntate, vel ex propriâ malignitate, cum prædictis Episcopis, Reginaldus de Warenna, Vicecomesque Gervasius, & Ranulfus de Brock, quem pridem anathematizaverat; & cum armata manu littus obsidebant.

CONSTANTIA S. THOMÆ IN ITINERE IN ANGLIAM.

XXXVIII. Quibus auditis, cœperunt quidam dissuadere Archiepiscopo, ne transfretare præsumeret, donec pax firmaretur certior. Quibus ille respondit: Terram inquit, Angliæ video, & favente Domino, terram intrabo, sciens benè certissimè, quòd immineat passio.] Hactenus qui Thomam comitati sunt Guilielmus Cantuariensis, & Herbertus de Woscam: qui pergunt dicere, & notare tempus, quo Archiepiscopus navim ascendit. Priùs tamen quàm ascenderet, scripsisse videtur ad Henricum Regem literas, quas è Vaticano Codice hic recitat Baronius.

S. THOMAS AD REGEM. *apud Baron. hic.*

Novit inspector cordium, animarum judex, & vindex culparum, Christus, quantâ animi puritate, & sinceritate amoris vobiscum fecerimus pacem: credentes, quod simpliciter & bona fide nobiscum ageretur. Quid enim, Serenissime Domine, aliud concipere debebamus, ex verbis vestris, quæ vel arguendo, vel mulcendo nobis vestræ benignitatis communicabat humanitas? Literæ vestræ, quas ad Dominum nostrum Regem, filium vestrum, destinastis: ut nobis & nostris omnia quæ habueramus, antequam recederemus ab Angliâ, restituerentur: quid aliud quàm benevolentiam, pacem, & securitatem omnimodam prætendebant? Sed ecce, quod Deus novit, nobis pro honoris vestri periculo, quàm pro utilitatis nostræ dispendio gravius reputamus; rerum exhibitio non simplicitatem prætendit, aut bonam fidem. Nam restitutio, quam nobis, & nostris fieri præcepistis, dilata est in diem decimum, sub obtentu Ranulphi, quem consiliarium Domini nostri, filii vestri, interim conveniendum, ut mandatum vestrum impleretur, censuerunt. Qui sint illi, & quomodo, & quâ fide res gesta sit, vos, cum placuerit requiretis. Nobis autem persuasum est, hæc fieri in dispendium Ecclesiæ, & salutis vestræ, & honoris, nisi diligentiùs corrigantur a vobis.

XXXIX. *Nam præfatus Ranulphus interim in bona Ecclesiæ debacchatur, & victualia nostra in castrum de Salizde etiam nunc palàm congerit, sicut accepimus ab his, qui (si id vobis placuerit) probare parati sunt. Multis audientibus gloriatus est, quod non diu gaudebimus de pace vestra; quia non comedemus panem integrum in Angliâ, antequam (ut ille minatur) nobis auferat vitam. Scitis autem Serenissime Domine, quia culpæ particeps est, qui cum possit corrigere, negligit emendare. Et quid præfatus Ranulphus posset, nisi vestræ voluntatis fretus, & armatus sit auctoritate? Quid literis Domini Regis, filii vestri responderit, super hoc negotio scribentis ad ipsum, audiet & judicabit beneplacito suo discretio vestra. Et quia; sicut nunc ex perspicuis apparet indiciis; Sancta Cantuariensis Ecclesia, Britanniarum mater, in ipso perit odio capitis nostri: ne illa pereat, sed evadat, tam prædicto Ranulpho, quàm complicibus suis, Ecclesiæ persecutoribus, caput pro ipsa, Deo propitio, exponemus: parati pro Christo, non modò mori; sed & mille mortes, & omnia tormenta excipere: si ille per gratiam suam dignatus fuerit patientiæ largiri vires. Ad vos, Domine, redire proposueram: sed me miserum, ad miseram Ecclesiam necessitas trahit, ad illam vestrâ licentiâ, & gratiâ rediturus: & fortasse ne illa pereat, periturus: nisi vestra pietas aliam consolationem nobis celeriùs præstare dignetur. Sed sive vivimus, sive morimur, vestri sumus, & erimus semper in Domino: & quicquid nobis contingat, & nostris, benefaciat vobis Deus, & liberis vestris.* [Hactenus Pastor bonus (ita Baronius) positurus animam pro ovibus suis, ex corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, imitator Christi, Christiana mansuetudine, ea deprompsit, quæ mansuescere potuissent durissimum cor Pharaonis.]

XL. Præmiserat in Angliam Thomas (ut dictum est) Joannem Saresberiensem, qui viam Domino pararet, ab exilio reverenti. Et ille impiger, cum Archiepiscopum de periculo monuisset, Cantuarienses, ut Præsuli redeunti subsidio, & auxilio occurrant, his excitat literis:

Ioan Saresb. Epist. 279.

JOANNES SARESBERIENSIS AD CLERUM CANTUARIENSEM, UT ASSISTAT S. THOMÆ.

Amicis & Fratribus charissimis GUILIELMO Subpriori, & ROBERTO Sacristæ, & aliis qui sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ curam gerunt: suus JOANNES, Salutem: & dirige prudenter, in futura prospectum.

*Preces vestras, & vota fidelium tandem misericors & miserator Dominus exaudivit ad honorem suum, ut ex multis & certis indiciis patet: Anglicana Ecclesia restituent pacem, & ab exilio revocant Patrem vestrum. Utinam fuissent aures vestræ, ad os Domini Regis, quando in colloquio Regum nuper habito, inter castrum Blesense, & Ambasiam, dimisit Dominum Archiepiscopum, ut à Francis, à quibus tenebatur, licentiam maturè reciperet, sub omne celeritate rediturus ad ipsum, inde in Angliam transiturus. Igitur ut condictum est, Deo propitio in festo omnium Sanctorum Senonis valefaciet ex proposito, & condicto, redeuntus ad propria: & quàm citò poterit, Sanctorum Urbem reditu suo Cantuariam illustrabit. Vos itaque sicut honori, & Ecclesiæ vestræ prospectum esse vultis inposterum: Patri vestro occurrite, & in partibus Cismarinis, si quid fidei, si quid amicitiæ, si quid devotionis, aut consilii est, transmittere non differatis: unde se possit exonerare, & vobis perpetuò teneatur obnoxius. Redimite vel nunc moram, ne fortè ad se inevitabile jactura rerum & famæ periculum trahat. In historiâ * novorum reperi decessores vestros primos occurrisse revertenti ab exilio Patri Anselmo. Nunquid vos degeneres eritis, ut nihil solatii, aut minimum, & non secundum vos, revertentibus Patri, & fratribus conferatis? Absit hoc semper à primâ Britanniarum Sede Cantuariâ: ne tam fœdum temporis nostri, tam inhumanum, & indevotum, & indisciplinatum exemplum transmittat ad posteros. Dolor & cordis angustia me vobis compatientem, & timentem, ne ex pusillanimitate, & tenacia quorundam (quod Deus avertat) Ecclesia Dei contrahat opprobrium sempiternum, scribere non patiuntur omnia, quæ locus & causa ingerit. Sed ut arbitror Deum timentibus & sapientibus, & amantibus honestatem, satis dictum est. Nec dubito quin amantibus charitatis reddantur fructus, & in surdos, ut veteri proverbio dici solet, faba cudatur. Valete vestri, & nostri memores in charitate.*

* *v. an. 1106. n. 20.*

XLI. S. THOMAS TRANSFRETAT. *Quadrilog. l. 3. c. 5.*

In Gallias redeo, reducturus inde Thomam, cum trajiciendi tempus, & aura permittunt. Quod ad tempus spectat, Herebertus in Quadrilogo ita illud consignat. [Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, exilii verò sui septimo, secundo, tertióve die in Domini adventu, gloriosus Dei amicus, & propugnator Ecclesiæ constantissimus, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, nocte cum suis mare intravit, & ad votum aurâ prosperâ, propter insidiarum (quæ sibi, ut audierat præparabantur) suspicionem, non in sinu maris Doroberniæ, ut putabatur, sed in alio sinu maris, qui vocatur Sandwic prosperè applicuit. In nave tamen Archiepiscopi, vexillo Crucis (quod Archiepiscopi Cantuarienses tanquam totius Angliæ Primates coram se semper bajulare consueverunt) erecto, per quod navis ejus ab aliis discerni poterat.] Hæc ibi de tempore appulsus: quod licet Herebertus referat in annum septuagesimum primum, multò rectiùs in septuagesimum referretur, ut Baronius Herebertum loquentem facit, nactus forte castigatiorem Codicem. Scio Thomæ martyrium, quod mox sequutum est, passim ab Authoribus nostris ad annum septuagesimum primum consignari, juxta decantatum illum versiculum.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas.

Sed Authores illi, annum semper à Christi Natalitiis ordiuntur: & eo modo Archiepiscopi appulsus in Angliam, in hunc annum: martyrium verò in sequentem rejicitur. Ego communem hodie supputandi morem sequutus, & à Kalendis Januarii annum ferè auspicari solitus, martyrii annum ab appulsu non separo. Quod etiam ex antiquioribus Matthæus Westmonasteriensis fecisse notatur. Pergo igitur ad ea, quæ appulsum sequuta martyrium præcesserunt. Et quia nihil omittendum est, quod Angliæ statum, & martyrii circumstantias spectat, dabo quæ Joannes Saresberiensis Thomæ præcursor, ad Petrum Abbatem Sancti Remigii scripsit, de suo in Angliam ingressu, & rebus tunc ibi gestis. Ita ergò ille:

XLII. *Ioan Saresb. Epist. 280.* JOANNES SARESB. AD PETRUM ABBATEM. QUALITER RES IN ANGLIA REPERIT PRO REDITU S. THOMÆ.

Mora mea rectissimè poterat accusari, si non necessitas tam excusaret. Debueram enim ex quo primùm in Anglia pedem posui, nuntium remisisse, per quem vestra dilectio de alumnorum suorum statu posset certiorari. Sed quia mihi ex ipso navis egressu, nova & stupenda rerum facies occurrit; alium certiorare non potui, qui ex variis opinionibus & verbis hominum reddebar incertus. Nam triduo antequam applicarem, omnia bona Domini Cantuariensis, & suorum annotata fuerant; procuratoribus suis ab administratione submotis: & in portubus edicto publico inhibitum est sub interminatione exilii, & proscriptionis: ne quis nostrorum, si fortè Angliam vellet exire, transveheretur: piissimi tamen Domini Regis officiales, providâ nimis cautelâ, & perniciosâ nobis circumspectione præcaverant, ut Archiepiscopus & sui ab exilio redeuntes, nihil prorsùs aut minimum invenirent præter domos vacuas, ex magnâ parte consumptas, & horrea demolita, & areas nudas, & hoc ad consolationem diutinæ proscriptionis, & emendationem sacrilegii perpetrati. Et cum pax nostra nobis in festo Beatæ Magdalenæ fuisset reformata, & Serenissimus Dominus noster Rex filio suo novo Regi literis patentibus præcepisset, ut Archiepiscopo, & suis omnia restituerentur in integrum, prout fuerat tribus mensibus antequam Angliam egrederentur: omnes tamen redditus, nomine ejus percepti sunt, qui usque ad Natale Domini percipi potuerunt. Plures possessiones & Ecclesias, quas ipso jure, & ratione pacti conventi restitui oportebat Ecclesiæ Cantuariensi, adhuc publicæ potestatis auctoritate occupant Curiales. Ego inter cæteros una Ecclesia privatus sum, quæ quadraginta marcas annuas solvebat antecessori meo.

XLIII.

Contigit autem me triduo applicare, ante octavas Beati Martini, & in octavis erat Cantuariæ Synodus celebranda, in qua me vices absentis Archiepiscopi gerere oportebat. Cum itaque præter spem, & contra bonam opinionem, & bonas promissiones Domini Regis, sic omnia turbata reperissem: ut de pace nostrâ, & de reditu Archiepiscopi desperaretur ab omnibus: & me tanquam in carcere positum agnovissem; vultu hilari, & animo constanti Cantuariam petii: ubi à Clero & populo cum magno honore, & quasi Angelus Domini receptus sum. fidelibus jam ex adventu meo meliora sperantibus: eo quòd eis persuasum erat, quòd me nullo modo Archiepiscopus præmisisset, si non esset in brevi

secuturus. Inde Synodo celebratâ, ad novum Regem provectus sum, & satis humanè receptus. Et licet custodes sui, aliquid timoris prætenderunt, suspicantes pacem nobiscum non simpliciter factam esse, sed cancoris palam remissi firmiùs hærere radices. Quod etsi ex variis signis patenter adverterem; sic egi, ac si omnia ad votum procedere arbitrarer. Interim illi veteres amici Domini Cantuariensis, & Ecclesiasticæ libertatis propugnatores, Dominus Eboracensis, Episcopus Londonia, & complices eorum, consilium inierunt cum publicanis, legatione præmissa ad Dominum Regem, ne præfatum Cantuariensem in Angliam redire pateretur, antequam renuntiaret legationis officio, & restitueret ei universas literas, quas emeruerat ab Apostolica Sede: & repromitteret, se regni jura inviolabiliter servaturum: ut sub obtentu cautionis hujus, ad observantiam consuetudinum arctaretur. Dicebant enim quod reditus ejus Domino Regi damnosus & probrosus futurus erat, nisi ista præcederent. Fecerant etiam de singulis vacantibus Ecclesiis sines evocari personas, in quas de Pastore eligendo universitatis arbitria conferrentur, ut electiones de Ecclesia in aliud & regnum & palatium protracta celebrarentur ad nutum Regis. Vbi si D. Cantuariensis ob reverentiam Canonum pro officii sui debito obloqueretur, Regiam offenderet Majestatem; si consentiret, reus esset in Deum, & convinceretur in Constitutiones Ecclesiasticas incidisse. Sæpedictus autem Dominus Cantuariensis ex mandato Domini Regis Rothomagum venerat, inde ex promisso liberandus ab obligatione Creditorum, & cum honore in patriam remittendus. Sed fefellit eum opinio, Ioanne de Oxenford afferente literas Domini Regis, quibus rogabat, & monebat, ut sine mora rediret ad Ecclesiam suam, & antedicti Ioannis conductu, & solatio, in itinere frueretur. Paruit Archiepiscopus, in redeundo, æmulorum, per amicos machinamenta cognovit, qui jam ad mare profecti ventum commodum expectabant: Archiepiscopo nostro in litore opposito similiter expectante.

EPISCOPI ALIQUI VOLEBANT IMPEDIRE REGRESSUM, S. THOMÆ.

XLIV.

MILITES MACHINABANTUR IN S. THOMAM, SED PLEBEM TIMEBANT.

Ubi enim de transitu eorum, & machinationibus certior fieret, conatus eorum, viâ quâ potuit, elisit, mittens Archiepiscopo Eboracensi literas apostolicas, quibus ipse & Dunelmensis Episcopus, propter usurpatam novi Regis coronationem ab Episcopali officio suspenduntur. Alias quoque porrexit nuntius Londoniensi & Saresberiensi Episcopis, quibus in sententiam anathematis revocantur, & suspenduntur omnes Episcopi, qui præfatæ coronationi interfuerunt: quo facto prosperior aura spirans à Flandria Dominum Archiepiscopum in Angliam felici navigatione reduxit; venientem que ad portum, cui Sandwicus nomen est, regii satellites exceperunt: custodes per litora dispositi, ut creditur, ad nocendum: & armatis prosilientibus, antefatus Ioannes Oxenford cohibuit, & compulit arma deponere: non tam ut putatur favore nostrorum, quam ne temeritas eorum Dominum Regem, & ubique suos nota proditionis inureret. Exegerunt tamen ut alienigenæ, qui cum Archiepiscopo venerant, sacramentum præstarent, de servanda fidelitate Regi, & regno. Nec apparebat quisquam alienigena, præter Simonem Senonensem Archidiaconum; qui ad præstandum juramentum facilè fuisset inductus, si Archiepiscopus permisisset: qui exempli perniciem veritus, respondit lenes mortibus hoc peccasse contrarium, ut inauditâ barbarie compellerentur hospites & peregrini ad hujusmodi juramenta. Et fortasse satellites vim parassent, nisi eos compescuisset tumultus popularis, ruentes plebis in portum; quæ sic de recepto Pastore gavisa est, ac si de cœlo

Christus inter homines ipse descenderet. Hæc & plura præcursor Joannes, de reditu sui Præsulis. Quæ omnia confirmantur è literis ad Alexandrum Papam postremò datis: de quibus Quadrilogus illas recitans: *Vltima Epistola quam sanctissimus Thomas post reditum suum scripsit Alexandro Papa, ante horam martyrii sui, in qua mortem suam prædixit.*

Quadrilog. l. 3. c. 43.

Venerando Patri, & Domino in Christo Charissimo, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, Salutem, & omnimodam cum summa devotione obedientiam.

apud Baron. hic.

XLV.

S. THOMAS AD ALEXANDRUM ANTE MORTEM: DAT RATIONEM SUÆ TRANSFRETATIONIS.

Quam justis & honestis conditionibus cum Domino nostro Rege Anglorum pacem fecerimus, ad Vestram notitiam, tam ex nostrâ, quam multorum itinerantium relatione credimus pervenisse: & qualiter idem Dominus noster resilierit à pactis & promissionibus suis. Quod tamen non tam illi credimus imputandum, quam Sacerdotibus Baal, & falsorum filiis Prophetarum: qui totius discordiæ incensores ab initio extiterunt. Sed horum omnium præcipui sunt Eboracensis ille, & Londoniensis Episcopus, qui quondam cum effetis Senonis, à vobis redeuntes, Domino Rege nondum adito, vel audito, nos in Curia clementia Vestra pedibus assistentes, possessionibus nostris spoliare non timuerunt: cum illis indubitanter constaret, nos duarum Appellationum causas apud Vos exercere, utpote qui appellati. Cum ergo ii Baalamitarum signiferi nos cum Domino Rege pacem fecisse audissent: accitis sibi Saresberiensi, & aliis complicibus suis; circuierunt mare & aridam, ut unitam pacis rescinderent unitatem: per se, & per alios, Domino Regi & suis suadentes; concordiam regno inutilem, & inhonestam esse; nisi donationes Ecclesiarum nostrarum, quas Rex fecerat, stabiles permanerent, & nos cogeremur regni consuetudines, super quibus inter nos est orta contentio, observare; adeoque profecerunt in perversitatibus suis: ut eorum instinctu Dominus Rex, omnes redditus nostros, & nostrorum, post pacem in festo Beatæ Magdalenæ factam, usque ad festum Beati Martini abstulerit: tum demum cedens nobis domos vacuas, & horrea demolita, Clericis tamen suis, scilicet Gaufridum Ridel Archidiaconum nostrum, & Nigellum de Saccavilla duas Ecclesias nostras, quas de manu laicâ receperunt, adhuc detinent occupatas. Et ipse plures Ecclesiæ nostræ possessiones, quas in pacis reformatione se promiserat redditurum; nobis & Ecclesiæ nostræ reddere contradicit. Et licet aliter quam ipsum deceret, contra pacta sua, ut pluribus notum est, versaretur: nos tamen enormia damna Ecclesiæ, & irreparabilia videntes, & præcaventes graviora, nostro, & Dominorum Cardinalium præeunte Consilio, ad Ecclesiam nostram laceratam, & conculcatam redire decrevimus: & si eam non possimus erigere & reformare: saltem cum ipsa pereuntes, confidentiùs pro ipsa præsentes spiritum redderemus. Quod cum illi inimici nostri, certiùs didicissent: ambiguum est, quid veriti, consilium inierunt cum officialibus Regis, & sceleratissimo illo filio perditionis Ranulpho de Broc, qui in Ecclesiam Dei publicæ potestatis abutens viribus, jam per septem annos licentiùs debacchatus est.

XLVI.

Disterruerunt ergo ut armatâ manu portus maris, ad quos nos venturos suspicabantur, militum & satellitum custodiâ, & diligentiâ observarent: ne terram possemus intrare; quin omnem supellectilem nostram

*curiosiùs perscrutarentur, & omnes literas, quas impetravimus à Majestate vestrâ, nobis auferrent. Sed nutu divino contigit, ut machinamenta eorum nobis per amicos innotescerent: qui impudentiam eorum, ex nimiâ præsumptione, non paterentur esse absconditam. Nam satellites, quos prædiximus, armati litora circuibant, gressus suos dirigentes, prout eis jam dicti Eboracensis, Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi dictabant. Elegerant enim ad executionem hujus malitiæ, quos nobis noverant maximè esse infestos, Ranulphum de Broc, Reginaldum de Warenne, *Gervasium Cantiæ Vice-comitem: qui palam minabantur, se si fortè præsumeremus applicare, nobis caput amputaturos. Sæpè verò Episcopi Cantuariam venerunt ut si satellites publicâ potestatis non satis insanirent, eos ampliùs instigarent. Itaque consiliis eorum diligentiùs exploratis; una die antequam mare ingrederemur, præmissæ sunt literæ vestræ: sed & illæ quibus Eboracensis suspendebatur, & Londoniensis, & Saresberiensis revocabantur in sententiam anathematis, eis traditæ sunt. Die sequenti navem ascendimus, & in Angliam pervenimus navigatione felici: adducto nobiscum, ex mandato Domini Regis, Ioanne Decano Saresberiensi. Qui armatos, quos diximus, vidit non sine dolore, & rubore, accelerantes ad navigium nostrum ut advenientibus vim inferrent. Præfatus ergo Decanus, timens, ne si quid nobis aut nostris mali inferretur, in Domini Regis redundaret infamiam: obviam processit armatis, denuntians eis, ex parte Domini Regis, ne nos aut nostros læderent, quia hoc contra ipsum Regem, cum quo pacem feceramus, notam proditionis inureret: persuasitque eis, ut ad nos accederent inarmati. Illi tamen, quia Simonem Senonensem Archidiaconum nobiscum adduxeramus, qui amicos quos habet in Angliâ, decrevit visitare, exegerunt ab eo juramentum fidelitatis, quo se *Regibus nostris, contra omnes homines obligaret: nec nos excipientes nec alium. Sed nos non permisimus, ut talis obligatio præstaretur; veriti ne clerus regni ad simile juramentum cogeretur auctoritate exempli, si domestici nostri obligationes hujusmodi præstitissent. Quod utique in dispendium Sedis Apostolicæ, ut auctoritas ejus evacuaretur, aut minueretur in regno, moliuntur sæpè dicti Eboracensis, Londoniensis, Saresberienses, & complices sui. Officiales verò, qui juramentum exegerant, pauciores erant, quam ut possent contra voluntatem nostram, in eo loco, ad aliquid cogere, eo quod populus de reditu nostro gaudens, si vires pararentur, fortior erat.*

* Gerardum

* legibus eorum.

XLVII. *Inde ad Ecclesiam nostram venientes, cum magnâ devotione à Clero, & populo excepti sumus: licet intrusi adhuc violenter incubent Ecclesiis nostris. In quibus in omni peste, & vexatione Ecclesiæ præcipui sunt Gaufridus Ridel, Archidiaconus noster, & Nigellus de Saccavilla, clericus ejus. Quorum alter, scilicet Gaufredus occupat Ecclesiam de *Otteforde: alter videlicet N. de Saccavilla Ecclesiam de *Herges, quas cum fructibus perceptis, nobis & Clericis nostris, quorum sunt, ex mandato vestro reddere debuerant. Præcepistis enim Domino Rothomagensi, & Episcopo Nivernensi, ut eos absolverent, accepto secundum morem Ecclesiæ Sacramento, & præciperent auctoritate vestra nobis Ecclesias cum fructibus resignari. Postquam verò ad Ecclesiam nostram venimus: incontinenti nos adierunt officiales Regis, denuntiantes ex parte ipsius (sicut eos Dominus Eboracensis, & Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi informaverant) ut suspensos Episcopos, & excommunicatos absolveremus: quia quod contra eos factum fuerat, in Regis injuriam redundabat, & in eversionem consuetudinum regni: promittentes Episcopos provinciæ nostræ, post absolutionem venturos esse ad nos: & jussi, salvo honore Regis, libenter parituros. Nos autem respondimus: non esse judicis inferioris, ut superioris sententiam solvat: & quod nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decrevit. Quia tamen illi instantiùs perurgebant, & minabantur, Dominum Regem, nisi eis acquiesceremus, mira, & stupenda facturum: diximus eis: Si Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi jurarent coram nobis in forma Ecclesiæ, se vestro mandato parituros: nos pro pace Ecclesiæ, & reverentia Domini Regis, cum consilio ipsius, & Domini Wintoniensis, & aliorum fratrum nostrorum, subjiceremus periculo, & faceremus inde quicquid possemus, salvâ Reverentiâ vestrâ, & eos tanquam fratres charissimos diligeremus, & omni mansuetudine, & humanitate tractaremus. Quod cum Episcopis abstinerantibus referretur: respondit Eboracensis, quæ eius seditionis occasiones, & schismatis inventores: juramentum hujusmodi, nisi de voluntate Regis non debere præstare, præsertim ab Episcopis: quia erat contra dignitatem Principis, & consuetudines regni. Et verò ex parte nostra responsum est; quod iidem Episcopi antea à nobis excommunicati fuerant, & non nisi præstito juramento, cum nos multis sollicitationibus interpellassent, absolvi meruerunt. Et si nostra sententia, sine juramento ipsorum solvi non debuit: multò minùs vestra, quæ longè fortior est, & incomparabili nobis, & mortalibus cunctis, auctoritate subnixa.*

* Oxeford.

* Berges.

Ad quam responsionem (sicut nobis retulere qui præsentes aderant) Episcopi adeo moti sunt, ut decreverint venire ad nos, & secundùm morem Ecclesiæ, recipere absolutionem: non ducentes tutum, ut pro conservandis regni consuetudinibus Ecclesiæ se opponerent, & impugnarent Apostolicas sanctiones. Sed homo pacis inimicus, & Ecclesiæ turbator Eboracensis dissuasit; consulens, ut potiùs adirent Regem, qui eis semper patrocinatus est: & nuntios mitterent ad novum Regem; qui persuaderent ei, quòd eum deponere volumus: cum nos, Deo teste, si ipsi Ecclesiæ profuturus est, mallemus eum non unde unum possidere, sed amplissima & plura regna terrarum. Hujus verò legationis signifer est Archidiaconus noster. nam Eboracensis, & duo præfati Episcopi, citius transfretaverunt, ut (quod Deus avertat) circumveniant Dominum Regem, & adversus Ecclesiam exacerbent iram ejus. Fecerunt autem evocari senas personas vacantium Ecclesiarum, ut consilio eorum, contra Canones, coram Rege, in alieno regno, fratribus suis absentibus, celebrent electionem Episcoporum provinciæ nostræ. Quod si sic electos noluerimus consecrare; videntur sibi habere causam seminandi discordiam inter nos & Dominum Regem. Nihil est enim quod magis timeant, quàm pacem Ecclesiæ: ne fortè videantur opera eorum, & corrigantur excessus. Cætera plura supplebit nuntius, quæ ne tædium parerent, schedulæ non censuimus inferenda. Vos si placet, preces nostras clementer audite. Valeat in æternum Sanctitas Vestra, Charissime Pater. XLVIII.

Hæc omnia S. Thomas.

Quis qualisque fuerit Eboracensis iste, Thomæ, pacis, & Ecclesiæ hostis, dicam inferiùs, cum completa fuerit malitia ejus. Interim audi quàm perverso impetu in Thomam insurrexerit, cum duo alii Episcopi ad pacem ferè flecterentur. In Quadrilogo ita narrat Guilielmus: [Fertur enim dixisse Eboracensis: Octo millia librarum numeratæ pecuniæ (Deo gratias) adhuc apotheca nostra reservat: quæ si tanta dispendia necessitas exigat,

XLIX. Eboracensis ex asse pecuniam suam promittit impendere ut impediat S. Thom.

Quadrilog. l. 3. c. 7.

ex asse demolienda erit, ad reprimendam contumaciam Thomæ, dissipandámque arrogantiam, quæ major est, quàm fortitudo ejus. nè quæso fratres religionem vestram circumveniat: adeamus potiùs Dominum Regem, qui usque in hodiernum diem, causam, quæ inter nos & illum diutiùs vertitur, fideli patrocinio prosecutus est: de cætero nisi per vos steterit, expediet. Si resilieritis, adhærentes ei, quem Rex habet adversarium. Nunquam enim post tantas inimicitias, & inexorabiles redintegrabitur.] Hæc & plura Eboracensis: quibus Londinensis & Saresberiensis moti, Henricum Regem, in Gallus morantem adierunt. Quid ibi factum, dicam si priùs, quid Thomas in Anglia, pro sua suorúmque & Ecclesiæ pace præstiterit, aperio. nam cum inimici contra illum Henricum Patrem appellant, ille filium prensare omni humanitatis officio laborat. Sed juvenis spuria creatione factus Rex, legitimi Pastoris nec vocem, nec vultum admisit. Cum enim Albanensis monasterii Abbatem ad Henricum Juniorem præmisisset, & frigidè ille admissus, & cum ignominia dimissus est. Narrat id Matthæus Parisiensis in vitâ Simonis Abbatis, qui pro Thoma interpretis munus suscepit.

L. *Paris in vita Simonis Abb. 19.*

[Contigit (inquit ille) ut in adventu Domini, circa festum S. Luciæ, Archiepiscopus Sanctus Thomas veniens ad manerium suum de Harwes, ipsum Abbatem Simonem vocavit ut ad ipsum veniret, colloquium familiare cum ipso habiturus. & solamina mutua, cum amico præcordiali suo, post longa pericula impensurum, & accepturum. Et addidit in Epistolâ, quam misit, in fine: Quod nunquam tanta consolatione indiguit, ut tunc. Super quo verbo multum obstupuit Abbas. Venit igitur Abbas tam festinanter, quàm libenter ad eum: qui ab ipso strictis amplexibus & osculis receptus est multiplicatis: nec sese à lacrymis continere potuerunt. & sub compendio, cùm seriatim, tùm dictus Archiepiscopus Abbati, pericula, tædia, & labores retulisset, quos in transmarinis partibus, procurante Henrico Rege, pertulisset: ait Abbas: omnia per Dei gratiam fine læto jam complentur: At Archiepiscopus suspirans, & manum Abbatis attrahens sub pallio, & constringens, ait: O amice, amice, tibi revelabo, quasi alteri mihi causam meam. multò aliter est de me, quàm multi opinantur. Jamjam nova insurgunt persecutionis molimina: Jam enim Dominus Rex, Pater cum filio (in cujus sinu reposita fuit spes mea tota) novas machinatur injurias & damna rediviva. At Abbas attonitus ait: Quomodo hoc Pater sancte? At ipse suspiciens, & ab alto trahens suspirium, dixit: Benè erit, benè: Scio ad quem finem res vadit & tendit. Cui Abbas: O Pater Sancte, si in aliquo vos consolari, servire, vel juvare potero; peto ut particeps vestri agonis fiam: & mihi confidenter velitis imperare. Et Archiepiscopus: multùm pertimesco vexare amicum meum. Veruntamen placeat vobis, ad præsens, charitatis intuitu, Regem adire juniorem; & ipsum mihi eloquentiâ quâ polletis, reddere mitiorem. Addens, quòd ipsius erga eum commotio, quasi venas cordis mei interrumpit, & ossium medullas penetrat interiores. Cui Abbas hilari vultu annuens, statim ad iter se accinxit; immò quasi ad agonem.

S. THOMAS SIMONEM ABBATEM PRECATUR UT VELIT ADIRE JUNIOREM REGEM.

LI. INJURIOSE EXCIPITUR SENIOR ABBAS A REGE JUNIORI HENRICO ET SUIS.

Et cùm ad Curiam dicti Regis junioris advenisset; & ipsi Regi innotuisset, quòd faceret verba pro Archiepiscopo, ab ipso destinatus, verbis contumeliosis (turpiùs quàm enarrari, vel scribi deceat) appetitus, cum quodam Monacho Cantuariensi, misso cum eo (scilicet Richardo Archiepiscopi Capellano, qui postea successit ei in Archiepiscopatum) nihil nisi jurgia cum minis atrocibus reportavit. Et erant, qui pugnis contortis; alii, qui cultellis semitractis jurarent horribiliter, quod parvo obice impediebantur, quin eosdem nuntios, qui ex tam manifesto proditore mittebantur, vel eviscerarent, vel ementularent. & vix eorum qui in Curia erant discretiores, eorum insania refrenabantur. Et sic infecto super hoc negotio, immò vix erepti à mortis discrimine, ad Archiepiscopum eos in spiritu suspenso præstolantem, sunt reversi. Et cum audisset ab ore Abbatis omnia, quæ dicta, & facta sunt, in castigatum & modicum risum resolutus Archipræsul, ait: Ferè subarrati martyris particeps effectus es manifestus. Nec tamen penitùs immunis es. Pro me enim laborem hunc suscepisti, & tanto viro indigna opprobria. O quàm susurro murmure, quàm fascinanti oculo, quàm crispanti naso, objurgando respondisset, si alicui Suffraganeorum meorum hoc fecisse persuasissem: quod me exhortante obedienter complevisti, Abbas charissime, scire potest hujus rei exitum. Vade nunc cum Dei, & mea benedictione: Instat Dominicæ Nativitatis solennitas, quam prosperam & jocundam, Dominus & Martyr ejus (Albanus) efficiant in domo tuâ, quam Deus conservet. Non potes abesse. Ora pro me Beatum Martyrem, Patronum tuum, & nos pro vobis orabimus: & ego, quale quale festum, in mihi commissâ Ecclesiâ Dominus providebit, celebrabo. Et sic vale dicto ad invicem, non sese iterum in hac vita visuri recesserunt, unus scilicet ab altero.] Ita Parisiensis: & ita juvenis Rex sui regni exordia infeliciter auspicatus. Videndum nunc, quid apud alium Regem fecerint interim adversantes Thomæ tres Episcopi, de quibus Quadripartita historia hæc narrat.

LII. *Quadrilog. l. 3. c. 8.*

QUERELÆ EBORACENSIS ET ALIORŨ APUD REGEM.

[Confestim transfretantes Regem adierunt, quem in Normannia reperientes, paucis diebus ante Natale Domini, salutato eo, ad pedes ejus mox se prostraverunt, pro regno, pro sacerdotio, pro semetipsis, Regiam clementiam & justitiam pariter interpellantes: subventionem contestantes ipsum debere læsis lædenti mulctam. Querulo itaque sermone, & exacerbativo mox enarrantes, quàm præcipitanter, quàm temerè, quàm superbè Archiepiscopus, in adventus sui initio regnum turbaverit, & sacerdotium: pace de Regia miseratione concessa sibi, & suis, abutens. Et ait Eboracensis: Domine Rex mihi soli mutire permittitur, & duobus sociis meis his, quibus aqua & igni uti interdictum est. Nemo confabulari potest nobiscum, nisi sententiâ damnationis eâdem, quâ ferimur, & ipse colloquens involvatur: quam ingratus iste permissæ reversionis immemor, in illos, & in omnes Coronationi filii tui consentientes effudit. Nunc autem primâ potitus, præcavens ne de cætero proscribatur, multo comitatu equitum, peditúmque præeuntium, & subsequentium stipatus incedens, circuiens, & quærens, ut in præsidia recipiatur. non nos Domine Rex usque adeò

vexationes movent assiduæ, non labores pungunt, non damna enormia sollicitant, quæ pro minimo ducimus: dummodo tibi Domino Regi (fide servatâ) placeamus.] Ita calumniatores Episcopi, crimina fingentes; & pietatem populi, Archiepiscopum suum cum gaudio recipientis, quasi læsam à Thomâ majestatem arguentes. Juvat ergò calumniam quâ Sanctus oneratur, sed reverà Londinensium civium devotionem, exponere. Quod Herebertus ita refert in Quadrilogo.

LIII. Londoniæ excipitur S. Thomas cùm magno gaudio. *Quadrilog. l. 3. c. 9.*

[Itaque post paucos dies à Cantuariâ profectus, multo comitatu Archiepiscopus Londonias venit. Cùm verò civitati appropinquaret, universa civitas commota est præ gaudio: civesque universi Archipræsuli occurrerunt, ipsum cum gaudio & exultatione multâ suscipientes. Sed & infinita multitudo ab urbe exierat in occursum ejus, Clericorum, virorum, ac mulierum in lætitiâ magnâ laudantium Deum, & benedicentium de ipsius desideratâ repatriatione. Per se verò congregati pauperes scholares, & Clerici Ecclesiarum Londoniensium ei obviam (præter alterius conditionis viros circiter ad tria millia) egressi sunt ab Urbe. Archiepiscopóque viso, & appropinquante ad eos, cœperunt canere voce canorâ: *Te Deum laudamus*. ut & ipsi præ gaudio flentes ferè omnes auditores ad pietatis lacrymas provocarent, Quorum devotioni, & exultationi plurimùm in Domino congaudens, ad Canonicalem Ecclesiam in Southwerke (ubi in domibus Episcopi Wintoniensis recipiendus erat) divertit. Ubi cùm venisset; Canonici cum omni gaudio, factâ processione ei obviantes, ipsorum & multorum prius erumpentibus lacrymis, canere cœperunt Responsorium: *Benedictus Dominus Deus Israël* Et infinita ibi multitudo Cleri, populi, omnis ætas, omnis caro, gaudio uberiore, & voce sonora, Canticum gratiarum & lætitiæ communis, prosecuta est.] Hæc nimirùm eximiæ pietatis argumenta, in adversantium oculis, sudes fuerunt, invidiæ fomenta, & ad martyrium via. Londinentium gaudia Londinensis Episcopi aures verberarunt: & musica hæc in ejus luctu importuna narratio, imò opportuna admodum ad senioris Henrici odium acuendum.

LIV. Junior Rex inhibet S. Thomam progredi per civitates.

Sed & junior Henricus, aulicorum susurro excitatus, turbavit musicam. nam sequitur in Hereberto. [In crastino verò cùm Archipræsul præpararet se ad procedendum: Ecce mane nuntius Regis minoris Jocelinus videlicet, frater Reginæ, de nomine Regis, Archipræsuli inhibuit, nè procederet: Neque per Urbes, aut castra regni iret; sed ad Ecclesiam suam reverteretur, nec inde exiret. Archipræsul verò tanquam spiritu fervens mox respondit: Se nullatenus propter inhibitionem hanc regressurum; nisi quia tunc tam solennis urgebat dies, videlicet Natale Domini, quo Ecclesiæ suæ abesse noluit.] Sequitur in auctore, ut aulicorum perfidia postulati sint cives, accusati Clerici, tractique ad tribunalia, qui Thomam, ut supra, venerati sunt. Unde patet tam fictam fuisse supradictam inter Regem, & Thomam pacem, quàm veram fuisse consecutam inde Archiepiscopi mortem. quam sine dubio accelerarunt tres illi, quos pudet Episcopos nominare, qui cum sæpiùs Henricum Patrem querimoniis vexassent; ille non dubiis argumentis, nec nequiorem impetum cohibere valens, Thomam iracundiæ suæ victimam designavit. Quod quia martyrio ansam dedit, est clarius è Quadrilogo exponendum. Ita ergò ibi.

LV. Henricus maledicit suis, qui nolunt vindictam sumere de uno Sacerdote. *Quadrilog. l. 3. c. 12.*

[Rex à tribus memoratis Episcopis, eum instigantibus, in furorem, omnibus post futuris sæculis detestandum accensus est adeò, ut flammam jam continere non valens, manifestè córam omnibus de Archipræsule, tanquam de hoste conquereretur. Et sæpè, & sæpiùs ex irâ inflammatus, in funestam vocem erumpens: Omnes quos nutrierat, qui familiaritatis gratiâ, & beneficiorum collatione sibi obnoxii fuerant, maledixit; quod ipsum de Sacerdote uno non vindicarent, qui ipsum, & suum regnum sic perturbabat, & suis dignitatibus exauctorare, & exheredare quærebat. & adjecit: Unus homo qui manducavit panem meum, levavit contra me calcaneum suum: Unus homo beneficiis meis insultans, dehonestat totum genus Regium, totum sine vindice conculcat regnum. Unus homo qui in mutilato * jumento, & claudo, primò prorupit in Curiam, depulso Regum stemmate, videntibus nobis fortunæ comitibus, triumphans exultat in solio.]

* *mansicato*

Non desunt in Regum aulis vitia, viles animæ, servi Principum tenebrarum harum; qui Regum cupiditatibus famulantes, bibunt sicut aquam iniquitatem, ad omne, quantumvis immane & horrendum, facinus projecti. Uterque Henricus hos alumnos habuit, viros sanguinum, qui nullâ loci, nullâ temporis, nullâ sacræ personæ habitâ ratione, nullis hostiis expiandum crimen commiserunt, de quibus Author. [Quod sæpiùs in furore suo replicantem Regem, de aulicis & cubicularis suis quatuor milites audientes, de verbis auditis votum conceperunt; certissimè arbitrantes gratissimum se in hoc Regi præstituros obsequium, si Archipræsulem interficerent: & ita conspiraverunt in Archipræsulis necem. Quorum nomina hæc sunt: Primus Reginaldus filius Ursi, nullius, sicut asseverabatur, sceleris metuens, & ab ipso Patre belluinam feritatem trahens. Secundus, Hugo de Morevilla, mortis scilicet, vel mortuorum villa, quocumque modo dicatur virum mortis exprimit. Hujus mater ut fertur, cum juvenem quendam Liculphum nomine ardenter amaret, & ille stuprum recusaret, exquisitâ muliebri versutiâ petiit ut educto gladio coram se, ludentis speciem agens, dimitteret equum suum; quod cùm faceret, exclamavit: Hugo de Morevilla, Cave, cave, Liculphus educit gladium suum. Quamobrem juvenis innoxius, tanquam qui ad effundendum sanguinem Domini sui manum extendisset, morti addictus, & aquâ fervente decoctus, martyrium complevit. Quid ergò de germine viperarum speremus? Nunquid de tribulis uvam, aut de spinis ficum colligimus? si arbor mala fructus bonos facere non potest, teste veritate: consequens est, ut ex radice malâ germen nocivum surgat Tertius Willelmus de Thracy: qui quamvis in congressu militari sæpè fortiter fecerit; tamen ejus conversationis fuit, ut exigentibus peccatis, ad parricidium, vel ad aliud flagitium devolvi meruerit. Quartus Richardus Brito, qui ob pravitatem vitæ, ex Britone Brutus effectus, dum præliaretur in Ecclesiâ, pro nomine Tironis, notam thrasonis incurrit. Egressi igitur à facie Regis, instigante, & conducente diabolo, cui se totos devoverant, sub

Quatuor milites ab his Henrici verbis concipiunt votum de morte S. Thomæ.

Quinam illi?

arbore

arbore quâdam convenerunt, conjurantes, & invicem se confœderantes, ut Christum Domini interficerent.]

LVI. Thomas interea propinquæ mortis, vel variâ conjecturâ, vel divino oraculo conscius, ad illam se magno animo, & majori virtutum exercitio parat; tunc præsertim cum se undique injuriis & contumeliis pulsari vidit. [Sic Beatus Thomas (ita Rogerus in Annalibus) Cantuariam reversus. Ergo damnis iterùm, & atrocioribus injuriis supra modum & numerum Athleta Christi affectus est, & edicto publico præceptus Ecclesiæ suæ septa non exire. Quisquis ei, vel alicui suorum faciem hilarem prætendebat, hostis publicus censebatur. Sed hæc omnia vir Dei cum multâ patientiâ sufferebat, & familiariter inter suos commorans, conversatione suâ, & exhortationis verbo omnes ædificabat. Residebatque in suâ Pontifex Ecclesiâ intrepidus, expectans horam quâ à Deo acciperet martyrii coronam. Præmonitus siquidem à multis sciebat, quòd brevis foret vita ejus, & mors in januis. Ibi, quasi tunc cœpisset vivere, exactum vitæ tempus, spiritualibus exercitiis redimere satagebat. Sciensque quod vita præsens, via est, & militia: ut esset Sanctus corpore, & spiritu, vitiis expeditus, succinxit se ad cursum, virtutibus armatus, accinxit se ad pugnæ conflictum. Cursum ergò consummando, cucurrit non quasi in incertum: benè certando pugnavit non quasi aerem verberans. Prodibat tunc ferè omnis ejus cogitatio, & sermo, de fine hujus vitæ, & vitæ miseria. Aliquando etiam in sermone suo, quem faciebat ad fratres suos Cantuariensis Ecclesiæ monachos, & ad Clerum civitatisque populum, dicebat: Veni ad vos, mori inter vos. Aliquando autem dicebat: In Ecclesiâ istâ sunt Martyres, & in proximo augebit Deus numerum illorum. Hæc dicebat, significans quâ morte clarificaturus erat Dominum.] Hæc Rogerus de Thomæ præludio ad martyrium. articulatiùs paulò Herebertus quomodo idem Christi Natalitia celebrarit, hæc addit.

Hoveden. fol. 321.

Hostia habetur qui hilarem vultum in S. Th. ostendit.

Eius præparatio ad mortem.

LVII. [Nocte verò Dominicæ Nativitatis ad Matutinas legit Evangelicam lectionem: *Liber generationis* & Missam de nocte celebravit. Die verò Natalis Domini, qui ab adventu suo in Angliam vigesimus erat, Archipræsul ascendens pulpitum, sermonem fecit ad populum, sumptâ materiâ, circa quam plurimùm versatus est: quod in terra est pax hominibus bonæ voluntatis: Prædicans post alia in calce sermonis, quod instaret tempus resolutionis suæ: & in brevi se migraturum ab eis. Et quidem cum hæc de excessu suo prædicaret, lacrymæ magis erumpebant, quàm verba: pariter & auditorum corda supra modum commota sunt, & contrita; ita ut cerneres & audires per totam Ecclesiam ejulatus, & lacrymarum exitus emanare, & inter se submurmurare, & dicere: Cur nos tam citò deseris Pater; aut cui nos desolatos relinquis?] Sciens ergò Pontifex, quia ex hoc mundo transiturus erat: ut benedictionem suam præsentibus impertivit, bonis etiam omnibus, probisque absentibus: ita improbis, & Ecclesiæ hostibus non pepercit. nam sequitur in auctore: [In cervicosos terræ, & spurios invehitur: plerosque de aulicis Regi Patri magis familiaribus, & præsertim domum illam exasperantem, in spiritu judicii, & spiritu ardoris anathemate percussit: & nominatim Ranulfum de Broc, & Robertum, qui in contemptum Archipræsulis jumentum mutilaverat, perpetuò anathemati tradidit, &c. Peractis itaque quæ ad tantam solennitatem pertinebant, per totam reliquam diem; Archipræsul, sicut in mensâ Dei, se devotum: ita post in mensâ sæculi, more suo se jocundum exhibuit, ita etiam post, eâ die, quæ sexta feria erat, & Natalis Domini dies, carnibus, sicut alii, vescebatur: eas tali die sumere, quàm abstinere, religiosiùs judicans.]

Quadrilog. l. 3. c. 10.

Concione sua omnes movet ad lacrymas.

Quad. suprà

Dat benedictionem bonis,

Excommunicat cervicosos.

LVIII. Interea quatuorviri iniquitatis in Angliam appellunt, & die insequenti, qui inter Natalitios quartus numeratur, Cantuariam veniunt, tragœdiam acturi, quam in Normanniâ composuerant. Hic horret calamus, & verba non suppetunt, quæ criminis patrandi atrocitatem pro dignitate explicent. Dicant ergò alii quid factum sit a viris sanguinum, cum triplex sacrilegium, in diem, in locum, in Sacerdotem committitur. fusiùs quidem illi rem gestam narrant, sed Lectoris patientiam pietas impetrabit. [Die igitur Natalis Domini quinto (ita narrat historia Quadripartita) sedente Archipræsule in thalamo suo, circa horam diei undecimam, considentibus hinc & inde Clericis & Monachis nonnullis, de negotiis & utilitatibus, cum Archiepiscopo agentibus: Ecce satellites quatuor prænominati, cum patre suo Satana, à facie Domini egressi, thalamum Archipræsulis ingressi sunt: salutati ut moris est, à nonnullis in introitu considentibus: non resalutatis eis, sed voce submissâ, usque ad Archiepiscopum progrediuntur: & considentes ante pedes ejus in terrâ: ipsum nec suo nec Regis nomine salutantes: utpote à quibus longè erat salus, mors, & perditio propè: venenum verò aspidum, quod sub labiis gerebant, ut postea impetuosiùs erumperet, per moram aliquantulam compresserunt silentio, innocentissimo Christo Domini nihilominus tacente. Cumque ita sub silentio (non sine considentium admiratione) modicum temporis intervallum attrivissent: Reginaldus filius Ursi, mente potiùs Ursinus quàm genere, sic Archiepiscopum affatus est. A Domino nostro Rege, de partibus transmarinis ad te directi, Regia tibi mandata deferimus. Volumus ergò scire, utrùm ea mavis secretiùs, an publicè dici? At vir Dei, nec prospera mundi desperans, nec adversa formidans, simplici, & supplici voce respondens dixit: Hoc vestro arbitrio, vestræ relinquo voluntati. Secretiùs ergo dicantur, ait Reginaldus: his qui præsentes sunt, interim absentatis. Sanctus verò nec suorum multitudine confisus, nec solitudinem veritus, omnibus suis edixit egressum. Quibus egressis, & solis illis quatuor satellitibus, in thalamo cum Archiepiscopo remanentibus, accurrens ostiarius, ostium patefactum dimisit: ut qui extra consederant, ad Dominum suum, Christum Domini oculos reflectentes, tam ipsum, quàm illos inimicos possent intueri. Cumque Reginaldus regia quædam explicuisset mandata, & vir Domini prudentissimus luce clariùs perpendisset; quod nec pacis, nec alicujus boni spem prætenderet: recolens & illius Evangelici, Jesus *non credebat semetipsum eis, eò quòd nosset omnes*: accersito ostiario, tam Clericos suos, quàm monachos, qui fortè ibi erant, laicis omnibus exclusis adesse præcepit. Quibus

Quadrilog. l. 3. c. 13.

Coniuratores necis ingressi Angliam veniunt ad conclave S. Th.

S. Thomas admittit solos in conclave.

ingressa, ait Sanctus ad satellites: Ecce, Domini, quæ vestræ placent voluntati, potestis his præsentibus loqui. Reginaldus ad hæc. Ex quo ea in publicum potiùs venire elegisti, quàm secreta teneri: & nos nihilominùs ea tuæ super hoc satisfacientes voluntati, publicabimus.

LIX. *Quadrilog. l. 1. c. 14.*

Mandatum tibi à Domino Rege deferimus, qui in partibus commoratur transmarinis, ut ad filium suum novum Regem cismarinum pergas, facturus ei quod Domino & Regi facere debes. Et quid est, ait Sanctus, quod ei facere debeo? & Reginaldus: * hoc in tuam potiùs, quàm nostram debet venisse notitiam. Et ille, si illud, inquit, scirem, me profectò nullatenùs id ignorare negarem: Verùm æstimo me prorsùs fecisse, quicquid facere debeo. Reginaldus è contrà. Nequaquam: multa adhuc facienda, multa sunt corrigenda. Asserente igitur Archiepiscopo se nescire, quid erga majestatem Regiam emendare deberet: nisi illud eorum benevolentia (quæ utique nulla erat) ediceret; ait Reginaldus: Cùm cunctæ rei hujus te penitùs confitearis ignarum: nos tibi quid agere debeas, explicabimus. Mandat tibi Dominus Rex noster, ut filium suum Regem in finibus cismarinis commorantem, quantociùs adeás, fidelitatem ei interposito Sacramento facturus, & quod in Regiam peccasti majestatem emendaturus. Respondit vir Domini, & ait: Unde ei fidelitatem tactis sacrosanctis debeo confirmare: aut in quo majestatis Regiæ reus effectus sum? Satellites autem posteriore quæstionis parte, quam solvere nullatenùs poterant, omissâ; sic denodaverunt anteriorem. De Baroniâ, quam de Domino Rege tenes, exigitur à te cum juramento confirmata fidelitas. Et de Clericis, quos in terram suam adduxisti, si in terrâ suâ remanere voluerint, securitatis juramentum nihilominùs exigitur. Archiepiscopus ad hæc: De Baroniâ, Domino meo Regi, quicquid jubet, aut ratio dictaverit facere, paratus sum facere. Verùm omni ambiguitate remotâ, pro certo teneat; quod nec à me, nec ab aliquo Clericorum meorum juramentum aliquod poterit extorquere. Multa supra modum extorta sunt: & jam perjuri & excommunicati numerum videntur excedere. Sed jam plurimos (Deo gratias) cum alacritate, tam perjurii, quàm anathematis vinculo colligatos absolvi: reliquos, cum Dominus annuerit, ab eisdem periculis laxaturus.

Reginaldus Ursi exigit, quid velit Rex.

LX.

Intelligimus, inquit Reginaldus, quod nihil eorum quæ tibi proposuimus, facturus sis. Propterea præcipit tibi Dominus Rex, ut Episcopos suos, à te, absque licentiâ suâ, vel excommunicatos, vel suspensos, tam à damnationis, quàm à silentii absolvas sententia: tam super his, quàm super aliis, quæ tibi volet objicere, pariturus. Et Archiepiscopus; Episcopos quidem nec suspendi, nec anathematizavi: sed Dominus Papa, cui dignoscitur esse à Domino collata potestas. Si super his, causam volueritis instaurare: inter eos, & ipsum causa versetur. meâ nihil interest super his vobis respondere. Reginaldus dixit: Et si id in propriâ personâ non feceris; per te tamen, & tuorum factum est instinctu. Et Sanctus: Si Dominus Papa, inquit, nimiam Ecclesiæ meæ, mihique illatam injuriam respiciens, vindicarit, fateor non mihi displicet. Impietatis autem filius, qui totis institerat viribus, ut captiosè loquens prudentissimum agnum Dei, vel in sermone caperet; vel contra Dei, & Ecclesiæ (cujus propugnator erat invincibilis) honorem, à statu rectitudinis averteret: cum vidisset, quod ante oculos pennati frustrà rete jecisset; conviciosis eum insultationibus aggreditur, dicens: Hoc tibi placere, manifestis probas indiciis: qui in Regiæ majestatis dedecus atque despectum, Episcopos suos ab Episcopalibus arces, & à sanctæ Matris Ecclesiæ sequestras liminibus: eò quòd Dominum nostrum, novum Regem, ad quem de jure spectat hereditas, utpote Regis filium & Reginæ, signum etiam in humero ferentem imperii, ausi fuerint coronare. Et cum adversus hanc ejus exaltationem insurgens, rem talem præsumpseris; credibile est satis, verique simillimum, quod coronam suam velis surripere, & regno invaso, Rex terræ nominari. Sed annuente Deo, nequaquam usque ad dignitatis Regiæ nomen proficies. Sanctus autem non immemor sententiæ qua dicitur: Vir iracundus provocat rixas, sapiens autem mitigat suscitatas; amaricato satellitis animo, mitis responsi apposuit medicinam, dicens: Nequaquam, Reginalde, nequaquam ad Regis dignitatem vel nomen aspiro, nec coronam suam ab eo evellere cupio: tres ei potiùs, vel quatuor coronas tales (si mihi pro voluntate facultas responderet) libenter impositurus: nec existimo quemquam, solo Patre suo, Domino meo Rege excepto, in mundo esse, qui me teneriùs, illum diligat: vel plus ei boni exoptet: & hoc ei, vita comite, si Dominus annuerit, opere comprobabo.

Urget absolutionem Episcoporum.

LXI.

Porrò super Episcopis, quos à me, vel per me suspensos asseritis, vel excommunicatos, pro certo noverit vestra discretio, quicquid actum est, consensu, & consilio Regis actum est. Cum enim in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ, reformata inter nos pace, in pristinam gratiam me recepisset Dominus Rex; & super injuriis, & violentiis mihi meisque illatis; maximè verò super Episcopis, qui in matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ despectum, quod mei erat officii, usurpare non timuerunt, querimoniam apud ipsum deposuissem, ipse sui gratiâ, ut à Domino Papa, juris & æqui vindictam qualemcumque possem impetrare concessit adeò; ut non solùm ad consensum inclinari, sed spondere mihi dignaretur auxilium. Exclamans autem Reginaldus, tam facetæ curialitatis vacuus, quàm furore plenus, ait mox: Quid est, inquit, quod dicis? Regi imponis tam inauditam proditionem: videlicet, quod Episcopos suos excommunicandi, vel suspendendi tibi contulerit licentiam, qui præcepto suo coronationi filii sui interfuere. Quod nunquam ei in mentem venit. Te verò immensi mali noveris auctorem, qui Dominum nostrum Regem tali proditione insimulas Reginalde, Reginalde, inquit Archiepiscopus: Nequaquam proditionis Regem accuso. Veruntamen firmatâ inter nos concordiâ, & habitæ inter nos conventiones, nequaquam ita latenter factæ sunt: quin Archiepiscopi, Episcopi, viri multi sublimes, viri valdè religiosi, quingenti etiam & eo ampliùs milites eis interfuerunt: sed & tu Domine Reginalde interfuisti. Respondit inimicus veritatis, & dixit: Verè, neque si præsens affui, neque hæc vidi, nec audivi. Sanctus autem, utpote tam verbo, quàm voce temperatissimus, suppliciter & simpliciter ait: Imò Deus scit. certus

S. Thomas ait quoad Episcopos suspensos, omnia acta esse consensu Regis.

ſum enim quòd te viderim ibi. At ille rurſùs, quod ibi non fuiſſet pejerando affirmans; mirum eſt ait & inauditum, quod Domino noſtro Regi tantæ proditionis notam imponis. Nec poterit hæc de te ullatenus ſuſtinere: nec nos, qui homines ejus ſumus fideles ulteriùs ſuſtinebimus.

LXII. Exclamaverunt autem & alii milites, in minas eaſdem prorumpentes: Per plagas Dei iterùm jurantes, quod eum ſupra modum ſuſtinuiſſent. Turbati ſunt igitur inſipientes corde, & iniquitatem in excelſo locuti, convitia conviitiis, minas minis accumulant. Vir autem Domini, qui non ſolùm minis, & convitiis venerat affligi: ſed caput gladiis, pro tuenda libertate Eccleſiæ libenter exponere (juxta Ethnici dictum:

Ovidius. *Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.*)

Mitiùs reſpondit dicens: Ex quo in fines iſtos, cum Dei Regiſque plenariâ poteſtate, per ipſius conductum perveni, multas ſatis comminationes, multa opprobria, multa damna ſuſtinui: ut de hominibus meis captis, & rebus eorum violenter ablatis, de equis meis, quos Robertus de Broc caudâ mutilavit, & vinis meis quæ Radulfus de Broc detinuit, quæ & Dominus Rex per medium terræ ſuæ tranſmarinæ deduci fecit in Angliam. Aliis injuriis & opprobriis multis affectus ſum: cum Dominus noſter filio ſuo Regi, tam per brevia, quàm nuntiorum viva voce mandaverit, ac præceperit mihi meiſque firmam pacem haberi: & ſuper hæc omnia mihi comminari veniſtis. Reginaldus ad hæc: Si quis aliquid fortè præſumpſerit, quod in tuam videatur redundare injuriam: quare illud non expoſuiſti, ut quicquid jus dictaret, aut ratio, reportares. Apud quem (inquit Archiepiſcopus) querelam meam deponerem? Et ſatellites: Apud Regem Ciſmarinum. Amice, inquit, Archiepiſcopus, ſatis conqueſtus ſum: ſatis mihi illatas injurias expoſui: ſatis ad ſatisfactionem impetrandam incaſſum laboravi: propterea tot mihi indies cumulantur injuriæ, & tot & tantis tædioſis malis affligor, tot in auribus meis, tam diebus, quàm noctibus, pauperum meorum hominum reſonant querimoniæ, quòd ad ſingulas neceſſitates ſingulos nequeam nuntios invenire. Sed & injurias meas quamvis expoſuero, juris mihi & rationis beneficium denegabitur: unde & malè nimis mecum agitur. Verùm ex quo neque hinc, neque illinc recti quicquam ſeu juſtitiæ invenio: ego qualem poteſt & debet Archiepiſcopus, exercebo, pro nullo mortalium id dimiſſurus.

INJURIAS SIBI ILLATAS NARRAT S. THOMAS ET NON REPARATAS.

LXIII. Ad hanc vocem unus eorum exclamavit: Minæ, Minæ: Etiamne totam terram interdicti ſententiæ ſubjicies, & nos omnes excommunicabis? Et alius ſic: Mihi Deus ſit propitius, nequaquam id efficiet: multos ultra modum in anathematis vinculum injecit. Accedentes verò propiùs: Tibi, inquiunt, denuntiamus, quod in Capitis tui periculum locutus es. Et Archiepiſcopus: Nunquid me, ait, veniſtis occidere? univerſorum judici cauſam meam commiſi: Unde nec minis veſtris moveor, neque enim gladii veſtri promptiores ſunt ad feriendum, quàm animus meus ad martyrium. Quærite qui vos fugiat: me enim pede ad pedem in prælio Domini reperietis. Illis ergò exilientibus, & iræ, & convitiis frena laxantibus, chirothecas contorquentibus, brachia furiosè jactantibus: & tam geſtibus corporum, quàm vehementiâ clamorum manifeſtè inſaniæ indicia dantibus, Archiepiſcopus etiam ſurrexit. Jam verò præ nimietate tumultus, & vocum confuſione, facilè non erat diſcernere verborum venena, quæ quiſque illorum in Chriſtum Domini ſpargeret. Tandem verò filii Belial, ad monachos qui fortaſsè aderant, converſi, his eos verbis, in proprium & totius patriæ Patrem armare, caſſo licet labore, conati ſunt. Ex parte Domini Regis, præcipimus vobis, ut hunc hominem, ne quoquam divertat, diligenter cuſtodiatis: rurſùs illum Regi (cum ei beneplacitum fuerit) repræſentaturi: ne fugâ lapſus evadat: donec Rex de corpore ſuo plenam juſtitiam fuerit conſecutus. Eundemque ſermonem iterum, iterumque replicantibus, reſpondit pius Pater pro filiis: Quid eſt hoc? Nunquid me fugâ labi velle putatis? Neque pro Rege, neque pro aliquo vivente fugam inibo: Non veni ut fugerem, ſed graſſantium rabiem, & impiorum malitiam expecto. Verè, inquiunt ſatellites, verè volente Deo non effugies. Nec miniſtraverat verbum illud viro ſanctiſſimo, in Regis deſpectum inflata ſuperbia: ſed in virtutis exemplum, fundata in Chriſto perfecta conſtantia.

MINANTIBUS MILITIBUS S. THOM. CŌSTANTER ET INTREPIDE RESPONDET.

LXIV. Illis itaque cum tumultu maximo & contumeliis egredientibus, plurimùm quoque comminantibus, ſecutus eſt eos Archiepiſcopus, uſque ad oſtium thalami exclamans, Hîc, Hîc, Hîc me reperietis, poſitâ ſuper cervicem manu: eis præmonſtrans ubi fuerant percuſſuri. Hugonem de Morevilla, qui ſicut cæteris nobilitate generis, ita & virtute rationis debebat præeminere, ut ſecum reverſus loqueretur inclamitans. Verùm illo reliquiſque, ut pote, qui jam ſeipſos præ furore capere non poterant, cum ſuperbiâ, & indignatione abeuntibus: reverſus vir Domini reſedit, & de hujuſmodi Regis mandatis, & ſatellitum contumelioſis verbis coram ſuis conqueſtus eſt. Et ut vobis inſinuem, qui adfuimus: ita imperterritus reſidebat, qui ſolus quærebatur perimendus, tanquam ad nuptias illum invitatum veniſſent. Unus autem clericorum ſuorum, videlicet Magiſter Joannes Saleſberienſis, vir literarum multarum, eloquentiæ magnæ, magnique conſilii: quod his majus eſt, in Dei amore, & timore fundatus, conquerenti tale dedit reſponſum. Domine, inquit, res nimis admirabilis eſt, quod nullius admittis conſilium. Et quæ neceſſitas fuit, tantæ excellentiæ viro, ad ampliorem malignorum illorum exacerbationem ſurgere, & poſt eos uſque ad oſtium procedere? Nonne ſatius eſſet communicato cum his qui præſentes ſunt conſilio, ut mitius eis dediſſes reſponſum, qui tibi quicquid poſſunt, machinantur mali, ut te ad iracundiam provocatum, in ſermone ſaltem capiant. Sanctus autem qui pro juſtitiâ, & libertate Eccleſiæ, ad mortis anguſtias, tanquam ad quietis delicias ſuſpirabat. Conſilium, inquit, jam totum acceptum eſt. Novi ſatis quid facere debeam. Et Magiſter Joannes, utinam annuente Domino bonum ſit.

INTREPIDUM RESPONSUM S. THOMÆ.

LXV. *Quadrilog. l. 3. c. 15.* Egreſſi milites prophani, & ad ſocios & complices ſuos in Curiam accelerantes, & ſe velociùs armantes, reverſi ſunt in loricis, cum gladiis & ſecuribus, arcubus, & ſagittis biſacutis, & cæteris inſtrumentis, vel ad ſeras & oſtia demolienda; vel ad cogitatum flagitium* anticipandum proniores effecti. Præcurrentes verò aliqui ad Archiepiſcopum clamabant: Domine, Domine, armant ſe. Reſp. Quæ cura? Sinite armare. Erat enim in

** mancipandum*

deteſtan-

detestandâ illorum societate perditionis ille filius, Robertus de Broc, quem propter scelerum suorum enormitatem, die Natalis Domini, anathematizatum à communione fidelium diciderat: qui introitus & exitus Curiæ noverat universos. Utpotè qui dum exularet Archiepiscopus, sub Domino suo Ranulfo de Broc, totius Archiepiscopatus habebat custodiam. Dum igitur ostium aulæ occupare festinarent, præcaventibus famulis exclusi sunt. Cumque ostio clauso, & objectis obicibus prorsus eis denegatus esset introitus: ducatu præfati Roberti, ad gradus quosdam secretiores; per quos de thalamo exteriori in pomerium erat descensus, quantociùs diverterunt: proximáque fenestrâ demolitâ, ostium reserarunt. Cumque fortissimo Dei athletæ, à præcurrentibus famulis, undique acclamatum esset, ut fugeret: ille, cui nihil vilius fuit, quàm mortem timere pro Christo, nec loco, nec animo motus est. Instantibus etiam, tam clericis, quàm monachis, & oppidò illum ad fugam hortantibus: Memor ille promissi prioris, metu videlicet mortis se non fugiturum carnis interfectores, nihilo minùs sedebat intrepidus, nesciens, cum his qui ad tempus credunt, in tempore tentationis recedere.

Irrumpunt milites per fenestras ductu Roberti de Broc.

LXVI. Monachi verò, qui fortè pauci aderant, seram ostii, quod ad Ecclesiam per claustrum ducebat confringentes, Patrem suum licet invitum educere satagebant; honestiorem ei discedendi causam proponentes, horam videlicet, quâ cum Ecclesia vespertinas laudes oporteret exolvere. Alii cum injectis manibus erigunt & vim ei faciunt. Tunc Sanctus dominicum illud præceptum, etiam ad literam non immemor observare. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Crucem suam sibi præferri præcepit. Egressus autem cum à comitantibus accelerare cogeretur, quasi fugam erubescens gradum hait. Instantibus autem nihilo minùs Monachis, & ut procederet oppidò compellentibus: sive quia irreverentiùs solito se haberent, sive ut suos confirmaret, & consolaretur, hæc verba sæpius replicabat: Quid est hoc Domini? Quid formidatis. Cumque ad ostium claustri appropinquassent, & neque illud confringere possent, neque clavem præ manibus haberent: ecce Cellarii duo Cantuariensis Ecclesiæ, Richardus & Willelmus, qui audito tumultu, & collisione armorum per viam claustri illuc properabant: ostium idem, avulsâ serâ, venienti Archiepiscopo patefecerunt. In claustro igitur cum venisset, voluerunt Monachi eum ostium claudere. Ille ægrè ferens non sustinuit, sed lento passu postremo vadit, omnes agens ante se, quasi oves ante se pastor bonus. Tanta erat ei libertatis Ecclesiasticæ charitas: quod timor nec in ejus gestu, nec incessu poterat notari. Tam procul enim abierat ab omni ejus continentiâ exteriori, quàm à mentis arce interiori. Præcurrebant etiam per medium fratrum Vesperas cantantium duo pueri, plus terrore, quàm voce hostilem invasionem nuntiantes.

S. Thomas difficile adducitur, ut fugiat.

LXVII. Audito igitur armatorum superventu, quidam è fratribus, ad orationem adhuc persistebant: quidam timentes diverticula petebant. Quibusdam verò subvenire volentibus, exiit quidam è fratribus, dicens: Ingredere, Pater, manè nobiscum, ut si necesse est, una compatiamur, & glorificemur: exanimatos absentiâ tuâ, præsentia consoletur. Respondit: Ite, divinæ* impensum servitutis implete. Et subsistens ad ostium: Quamdiu, inquit, tenebitis introitum, non introibo. Cedentibus illis ingressus monasterium substitit in limine: repellensque populares circa se, quasi ad spectaculum conslipatos, dixit: Quidnam metuit gens ista? Responsum est: armatos in claustro. Ad ipsos, inquit, exeo. Prohibentibus autem fratribus eum exire, cœpere circa limen observari. Et cum procedere moneretur, & ad Sancta Sanctorum se conferre, ut deferretur ei ex reverentiâ loci, non acquievit. Tumultuantibus intereà clericis quibusdam, & fratribus vectem ferreum obducentibus. Abite, inquit, pusillanimes: sinite cæcos, & miseros delirare. Præcipimus in virtute Obedientiæ, ne ostium claudatis: non enim decet Ecclesiam incastellare. Omissis igitur Vesperis, accurrerunt quidam Monachorum, pastoremque suum, licet renitentem, introducentes: clausis Ecclesiæ valvis, hostes festinant excludere. Regressus autem Pater sanctus quantociùs increpabat eos, dicens: Dimittite illos intrare. Et accurrens ostium aperuit: & hos, & illos à valvis removens, suos qui de foris luporum morsibus relicti fuerant, sacratissimis manibus suis trahebat in Ecclesiam, dicens: Introite, introite, citius: ut dicere posset cum Domino: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Tandem verò filiorum suorum instantiâ inde violenter abstractus hostibus jam propè positis ostia patefacta reliquit: ne impedito illorum itinere ejus impediretur martyrium, quo se sciverat, & prædixerat futurum esse beatum. In finibus enim transmarinis duobus Abbatibus, passurum se esse martyrium, & in Ecclesiâ occidendum manifestè prædixerat. Utique etiam prædixerat, in Angliam se esse iturum, non tam propter Domini Papæ præceptum, quàm propter martyrii sui revelationem.

**pensum*

S. Thomas voluit valvas Ecclesiæ aperiri, ingressui militum si vellent.

LXVIII. Valvis igitur apertis, ecce Lictores perscrutato palatio, conglobati per claustra ruunt. E quibus tres in lævis secures, unus bisacutam deferebat: omnes verò in dextris strictos gladios vibrabant. Et cum vir Domini illam mortis horam facilè declinare potuisset, si vellet: intrantibus monasterium prædictis satellitibus, & aliis, ubi est ille proditor? aliis ubi est Archiepiscopus vociferantibus: Sciens Sanctus in spiritu omnia quæ ventura erant super eum, occurrit eis è gradibus, quorum aliquos jam conscenderat, vultu intrepido, dicens. Ecce ego, non proditor, sed Archiepiscopus. Dominum videlicet imitatus, qui quærentibus se Judæis processit obviam dicens: Ego sum. Magister verò Joannes Salesberiensis, & alii ejus clerici; præter Robertum Canonicum, & Willelmum filium Stephani, & Edwardum Grimum, præsidia captantes, & se in tuto collocare curantes; relicto ipso, alii altaria; alii latibula petierunt. Accedens autem primus ille dicit Sancto: Fuge, mortuus es. At Sanctus: Nequaquam fugiam. Sacrilegus autem satelles, manu in eum conjectâ, pileumque mucrone dejiciens: Veni huc, inquit, captus es. At Beatus: Non veniam (inquit) Hic mihi facietis, quæ facere vultis, palliique sui laciniam de manu ejus excussit. Quibus verbis sicarius repercussus, duos vel tres passus resilit. Similis factus illis, qui in passione Domini; dicente Domino; Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in faciem suam.

Militibus ingressis et clamantibus: Ubi est proditor, intrepide respondet Sanctus, Ecce ego.

Resilit ad vocem S. Thomæ qui primo est aggressus.

Reginaldo mite responsum.

Et ad alium loricatum, quem gladio nudato appropinquare videbat, conversus dixit: Quid est Reginalde? multa tibi contuli beneficia, & ad me in Ecclesia armatus accedis? Nonne his verbis videbatur Christi imitator, Christum exprimere Judæis dicentem: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me?* Qui satelles, spiritu furoris plenus, Jam scies, inquit, mortuus es: impossibile est ut amplius vivas. Respondit Archiepiscopus non minori constantiâ verbi, quàm animi: quod omnium Martyrum salvâ pace dixerim: nullus videtur isto constantior fuisse. Et ego pro Deo meo paratus sum, & pro assertione justitiæ, & Ecclesiæ libertate. Sed si caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & sub anathemate, ne alicui sive monacho, sive clerico, vel laico majori, vel minori, in aliquo noceatis: sed sint immunes à pœnâ sicut exstiterunt à causâ. Non enim illis imputandum est, sed mihi, qui laborantis Ecclesiæ causam suscepi, propter quam, mortem libenter amplector: dummodo Ecclesia in effusione sanguinis mei, pacem consequatur, & libertatem. Alterum militem, qui priùs appropinquaverat, manum apprehendens per loricam, tam validè excussit, quod ipsum ferè ad pavimenta usque prostravit. Willelmus de Tracy hic erat, sicut ipse postea confessus est.

S. Thomas deprecatur pro incolumitate suorum.

LXIX. Videns autem vir Dei mortem sibi jam imminere: in modum orantis inclinavit caput, hæc novissima proferens verba: Deo & Beatæ Mariæ, & Sanctis hujus Ecclesiæ patronis, & Beato Martyri Dionysio commendo meipsum, & Ecclesiæ causam. Accelerans igitur unus ex eis, de primo ictu volens referre trophæum, & de festinâ perditione suum luctum, prosiliit, & toto conamine suo, capiti protenso vulnus inferre nitens, clerico cuidam in brachio, gladio grave vulnus inflixit: cujus memoria in benedictione sit, dictus videlicet Edwardus Grinus, castello in Angliâ quod dicitur Cantebrige oriundus. Veruntamen cum se cæsum sentiret, & pondus ictus sustinere non posset, confestim brachium suum retraxit, & reliquum ictus, caput Pontificis recepit. Et jam sacer ille sanguis cœpit emanare per faciem. Is autem qui percussit, exclamavit, tanquam de victo hoste triumphans: Percutite, Percutite. Timens autem clericus ille post vulnus vulnera, post gravia graviora, ad altare proximum divertit: quò plures è fratribus vitæ metuentes profugerunt, nesciens à quo percussus fuerat. Tunc attollens Sanctus oculos in cælum, genu flexo, manibusque junctis ante altare, obtulit seipsum hostiam vivam Deo. Secundo verò vulnere capiti ejus inflicto, quasi ad orationem prostratus in terram corruit. Tertius testæ portionem amputando, vulnus præcedens horribiliter ampliavit. Quartus cùm ferire tardaret, correptus, in idem vulnus gladium vibravit: gladioque in pavimento marmoreo confracto, tam cuspidem, quàm gladii capulum reliquit Ecclesiæ. Nec satanæ filio tantum suffecit perpetrasse flagitium; nisi quod dictu horribile est; injecto in caput gladio, cerebrum ejiceret, & per pavimentum spargens exclamaret: Mortuus est. Ab horâ verò quâ vir Dei primum vulnus accepit, nec verbum protulit, nec clamorem emisit, nec gemitum edidit, nec manum ferienti opposuit: sed caput inclinatum, donec consummaretur, immobile tenuit. Et sic athleta Dei quarto Kalendas Januarii migrans Victor cælos intravit. Exeuntes autem milites, equos, aurum, & argentum, & quicquid in palatio Archiepiscopi repertum est, inter se diviserunt. Scripta quoque & privilegia Ranulfo de Broc tradita sunt ad Regem deferenda. Cum autem duo viderent cilicia, consternati sunt, & stupefacti, quod tam evidens obumbratæ religionis cernerent argumentum. Exuentes autem Monachi Sanctum Martyrem vestibus suis, corpus ejus cilicio involutum, ipsa etiam femoralia usque ad poplites cilicina, habitúmque superinductum monachalem: staminam videlicet, & cucullam repererunt. Passus est autem anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo, vitæ verò suæ anno quinquagesimo tertio.]

Edoardus Grinus clericus S. Thomæ læsus in brachio

S. Thom. percussus a quatuor militibus obiit.

M[illegible] spolia dividūt.

Repertus est cilicii indutus

LXX. Ita postrema verba colligit Author vitæ Sancti Thomæ apud Capgravium, qui Quadrilogum multis omissis sequutus, eundem compendio retulit. Nec refert, quod annum Domini referat hujus sæculi septuagesimum: Quadrilogus verò septuagesimum primum, quia uterque hujus anni finem sine dubio notat, ut supra*. Cæterum cum addat Quadrilogus martyrii diem & annum; nimirùm feriam tertiam, & horam vesperarum, planè significat natum eo anno Christum feriâ sextâ, quâ fideles pientissima consuetudine, ob memoriam Dominicæ Incarnationis, carnibus vescebantur: quam etiam ut audisti Thomas observavit. [Sic, sic, Martyr Thomas virtute constantiæ adamantinus, cælestis ædificii lapis pretiosus (ita loquitur Rogerus noster) gladiorum quadratus ictibus angulari lapidi Christo in cælis est conjunctus. Consummatus ergò noster Abel in martyrii gloria, in brevi explevit tempora multa. Itaque inchoante septimo anno exilii sui præfatus Martyr Thomas, pro lege Dei, & Ecclesiæ libertate, quæ tota ferè deperierat in Anglicanâ Ecclesiâ, certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit. Fundatus enim supra firmam Petram, id est Christum, pro nomine Christi, in Ecclesiâ Christi gladiis prophanorum, quintâ die Natalis Domini, id est, in crastino Innocentum, ipse innocens occubuit. Cujus vitam innocentem, & mortem, causæ merito, in conspectu pretiosam, innumera prædicant miracula; quæ non solùm loco requietionis ejus, sed & in diversis nationibus & regnis mirificè exhibentur. Eodem die passio B. Thomæ revelata est B. Godrico anachoretæ per Spiritum Sanctum apud Finchale, qui locus distat a Cantuaria plusquam per centum & sexaginta milliaria. Monachi autem Cantuariensis Ecclesiæ, clauserunt ostia Ecclesiæ, & ita permansit Ecclesia suspensa celebratione Missæ per annum unum, quousque receperunt reconciliationem Ecclesiæ per Dominum Papam Alexandrum. Monachi verò detulerunt Martyrem suum, & posuerunt nocte primâ in choro, agentes circa illum exequias defunctorum. Et veraciter dicitur, quod expletis circa corpus obsequiis humanitatis, cum jam in choro jaceret super feretrum, circa auroram, levatâ manu dextrâ, dedit benedictionem: deinde sepelierunt eum in cryptâ.] Hæc omnia è Rogero recitat Baronius; & addit: [Hic tandem finis præstantissimi Martyris, qui vicit sanguine, suique triumphavit occisione, & gloriosissima insignitus palmâ martyrii,

* v. hic

Howeden, fol. [illegible]

B. Godrico revelatur S. Thom. qui distabat 130. mil.

apud Baron. hic.

cœli

cæli intima penetravit: summæ constantiæ posteris omnibus relinquens exemplum certandi usque ad mortem pro libertate Ecclesiæ vendicandâ.]

LXXI. De miraculis à morte factis, de gemitu Christiani orbis, de Principum virorum querelis, de Henrici Regis pœnitentiâ, & sacrilegorum multum miseriis, dicam anno sequenti. Interim trium Poetarum brevissima epitaphia coronidis loco apponam: quia Godwinum ultimæ editionis Episcopum, & Thomæ ubique infensissimum, non piguit Cantuariensium Archiepiscoporum Catalogo intexere. Ita præfatus: [Hæc Thomæ cædes, quæ vigesimo octavo (fallitur, & repone vigesimo nono) Decembris anno millesimo centesimo septuagesimo patrata fertur, à tribus Poetis totidem distichis, quàm verè non pronuntio, certè non ineleganter descripta est: iis nimirùm quæ sequuntur.

Carmina de æde S. Thomæ.

Pro Christi Sponsa, Christi sub tempore, Christi
In templo, Christi verus amator obit.

Aliud.

Quinta dies Natalis erat, flos orbis, ab orbe
Carpitur, & fructus incipit esse poli.

Aliud.

Quis moritur? Præsul. Cur? Pro grege. Qualiter? Ense.
Quando? Natali. Quis locus? Ara Dei.

LXXII. Quod supra dixit Rogerus, Passionem S. Thomæ eodem die S. Godrico revelatam esse; satis significat, Godricum adhuc in vivis esse: unde corrigi debent, qui mortuum scripsere anno superiori, & imprimis Rogerus ipse, quem suprà * ad eum annum nominavi. (* 1169.) Dixi etiam eo loco, me mortem ejus ad hunc annum, quia nimirum Authores passim ita consignant, relaturum: licèt probabilius putem, non hoc anno, sed sequenti potius ponendam. Enimverò si S. Martyris obitus, qui sub finem hujus anni moritur, Godrico ostensus est, qui mortuus ponitur duodecimo Kalendas Junii, ut dicetur ad sequentem annum, sine dubio, Godrici mors collocanda, sanctissimum sine dubio virum fuisse, & Authores passim Parisiensis, Hovedenus, Harpesfeldus, & nostrum denique Martyrologium ingeminant; & ejus exordia quæ supra * retuli satis declarant, (* an. 1110. n. 4.) denique miracula ejus, quæ per plures paginas referunt, author ejus vitæ apud Capgravium, Neoburgensis, Parisiensis, Harpesfeldus, & alii, id manifestè confirmant. Cæterùm narrandis mirabilibus ejus quæ in vita gessit ego non insistam: de obitu ejus ita scribit ad hunc annum Parisiensis: [Sanctus Eremita, & amicus Dei Godricus, cum annos sexaginta in eremo apud Finchale strenuè peregisset, morbo confectus & senio, ad transitum propinquabat. Nam per octo ferè annos in lecto languidus decubuerat nec unquam nisi alienæ manus auxilio, se in latus aliquod declinabat. Quo utique tempore tot sustinuit ægritudinum, tentationumque molestias, quot nec linguâ possent, nec calamo comprehendi.] & infrà: [Obiit autem Venerabilis Pater Godricus duodecimo Kalendas Junii, in Octavis scilicet Dominicæ Ascensionis. Cujus vita & virtutes super homines esse, & impossibilia videntur. Sepultus est autem in oratorio suo, ad plagam septentrionalem, ante gradus Altaris sancti Joannis Baptistæ. Cujus sepulchrum usque in diem hodiernum coruscat miraculis gloriosum.] Ita ille. Est autem Finchale, locus hujus unius viri sanctitate

(Margin: …ms hic. Mors S. Godrici et laudes.)

percelebris, ad Vedram fluvium in agro Dunelmense, non procul ab urbe principe. de quo & Godrico hæc habet Camdenus: [Ad Finchale, Henrico secundo regnante, Godricus vir antiqua & Christiana simplicitate, totus Deo deditus solitariam vitam egit, & peregit, eodem loco sepultus, quo ut habet Gulielmus Neoburgensis, vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere consueverat. Qui tantam sui admirationem, hanc sancta simplicitate excitavit, ut ejus memoriam Ecclesiola R. frater opulenti illius Episcopi Hugonis de Puteaco honorarit.] Hæc ille. (Camden in Durham.)

LXXIII. Cæterum non sola viri simplicitas excitandæ Ecclesiæ fundamentum fuit; sed vita diu, & innocenter acta; monasticæ perfectionis æmulatio, variarum virtutum continua exercitia, sanctitas denique multis in vita miraculis illustris. An statim a morte miraculis claruerit, dubitare facit illa Dunelmensium puerorum admiratio, Godrici mortem consequuta; quando nimirum Cantuariensis Thomas, omnem Angliam, rerum supra naturæ ordinem gestarum fama implevit. De quo in vita S. Godrici hæc leguntur: [Scholares Dunelmi admirantes loquebantur in scholâ de sanctis Thoma, & Godrico ad invicem in hunc modum: Ecce quàm brevi tempore Beatus Thomas, tam excellentem gloriam promeruit: & sanctus Eremita Godricus qui 101 annos, Deo militans, tot, & tanta sustinuit, nihil virtutis ostendit. Nocte sequente sanctus Godricus dormienti magistro scholarium astitit, ita dicens: Heri multa dixistis de me sanctóque collega meo Thoma: quoniam pro ipso magna fiunt miracula, pro me nulla. Revera cum ipse fuerit Archiepiscopus, & multarum custos animarum, pro quibus etiam libenter occubuit, decet ut multis opem conferat & salutem: Godrico autem qui fuit animæ tantum suæ præpositus sufficit esse cum Deo: ut quemadmodum vixit ignotus, ita nec post obitum fiat notus. Et tamen sanctus Thomas, & beatus Cuthbertus, & ego, veniemus in Finkale, ut indigentibus & infirmis auxilium conferamus. Post hæc dicta disparuit, & Magister ille discipulis suis, visionem in crastino propalavit.] Ita ibi. (apud Capg. in S. Godrico. — S. Godricus apparet et rationem dat cur S. Thomas facit miracula, non ille.)

LXXIV. Eleonora Henrici Regis filia, quam è cognomine Regina conjuge susceperat anno Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo, hoc anno impubes licet, Alfonso Castellæ Regi sponsa traditur, eo apparatu, quem Hispanicarum rerum Authores, & ex eis Mariana noster describit libro Historiæ undecimo, ubi hæc habentur: [Alfonsus Castellæ Rex ineunte salutis anno millesimo centesimo septuagesimo Burgos abiit, ubi Castellæ conventus habiti sunt.] & infra: [Actum præterea in Burgensi Concilio de Regis nuptiis: quoniam ætas matura, & sobolis Regiæ procreandæ potissima cura erat. Henricus eo nomine secundus, Angliæ Rex potentissimus, imperio Andegavos, & Normannos in Galliâ, & Angliam universam complectebatur, dotisque nomine Eleonora uxor Aquitanos & Pictavos ad imperium adjunxerunt. Hujus filia Eleonora, lectissima puella, Regiis nuptiis, si patri placuisset, destinabatur. Inde Legatio honorifica in Galliam missa ad uxorem petendam. Legationis princeps Cerebrunus Præsul Toletanus erat. Comitabantur Raymundus Palentinus, alii Præsules & Proceres magno numero. Hi Burdigalam appulsi, (* an. 1164. n. 67. — Eleonora filia Henrici sponsa traditur Castellæ Regi. — Mariana de Reb. Hispan. l. 11.)

FÆDUS INTER HENRICUM REGEM ET REGEM CASTELLÆ.

ubi Regina Angliæ cum filia erat, facilè rem pro qua venerant, impetrarunt. Stipulatæ nuptiæ, puella missa in Hispaniam, deducentibus non modò Proceribus, qui ab Alfonso Rege missi sunt: sed etiam ad Comitatum adjuncti sunt Bernardus Burdigalensis Præsul, aliique viri Principes è Galliâ. Interea inter utrumque Regem (Castellæ & Aragoniæ Reges Author intelligit) fœdus sancitum est. Quo ex fœdere vires utriusque regni jungebantur adversus omnium Principum arma, uno Angliæ regno excepto: novæ id affinitati datum. Puella Regi desponsa Tyrasonem deducta: quâ in urbe, ut ante convenerat, auspice Aragonio Rege, sponsalia mense Septembri festâ lætitia confecta. Arrhæ nomine, magna Castellæ pars sponsæ data, Burgi, Medina Campestris, aliáque magno numero oppida: præterea quæcumque Mauris ablata essent, media ex parte. Rex puellæ pulchritudine captus erat: & ætate nondum maturâ, profusæ liberalitatis laude, priores Reges superare velle videbatur.] Hæc Mariana, qui mox de celebratis nuptiis hæc habet: [Digresso Aragonio Rege, Alfonsi Regis nuptiæ Burgi, incredibili apparatu, & concursu hominum celebratæ sunt.] Sed satis de nuptiis, quæ meliùs ad hunc annum (ut Mariana) quàm ad superiorem (ut Westmonasteriensis) referuntur: nam novennem, quàm octennem nubere, est verosimiliùs. Sed pergo ad annum sequentem: quia sanguis Abel justi clamat de terra, & Europam implevit enormis flagitiis constans fama.

Westmonast. an. 1169.

ANNUS CHRISTI 1171.

ALEXANDRI III. PAPÆ 13.

HENRICI II. REGIS 17.

I. DICTURUS de sensu Christiani orbis, cum Sancti Thomæ martyrium innotuit, eo utar exordio, quo Annalium Conditor Baronius annum auspicatur. Ita enim ille. [Sequitur annus salutis millesimus centesimus septuagesimus primus, Indictione quarta: quo pervulgatâ dirâ nece Sanctissimi Martyris Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, universus planè Occidentalis concussus est orbis, plurimúmque nimium auditus fuit gemitus, literæque imprimis frequentes, eædemque lugubres datæ ad Alexandrum Pontificem à diversis: Atque id generis; ut quot fuerint ipsæ; tot dixeris esse gloriosa elogia, & præclara epitaphia sepulturæ Martyris præstantissimi. ex quibus primo loco accipe quæ Rex Francorum, de his ad ipsum scripsit:

apud Baron. hic.

ALEXANDRO Dei gratia Summo Pontifici, LUDOVICUS eadem gratia Francorum Rex, Salutem & debitam reverentiam.

LUDOVICUS AD ALEXANDRUM P. DE MORTE S. TH.

*AB humana pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat: Neque Creatoris beneficii reminiscuntur; qui sancta Ecclesia illata turpitudine non tristantur. Unde specialius est condolendum: & novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis. Quoniam in sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillam Christi gladium infixit, & lucernam tantam Ecclesiæ, non tam crudeliter, quàm turpiter jugulavit. Exsurgat ergo exquisita genus justitiæ, denudetur gladius Petri, in ultionem Cantuariensis Martyris: quia sanguis ejus pro universali clamat Ecclesia: non tam sibi, quàm universa Ecclesia conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum agonistæ (ut revelatum est nobis) divina miraculis revelatur * gratia: & divinitus demonstratur, ubi humatus requiescit, pro cujus nomine decertavit. Latores verò præsentium Patre orbati pietati Vestræ seriem indicabunt. Et testimonio veritatis aurem mitissimam adhibete: & tam de isto negotio, quàm de aliis tamquam nobis credite. Valete.* Ita è Vaticano Codice Baronius. easdem recitat Rogerus noster, & paulò aliter literas claudens: *Valeat*, inquit, *pietas & fraternitas Vestra in Domino.*

* *gloria Hoveden.*

II. Meminit aliarum literarum è Vaticano Codice Annalium Conditor, sed noluit illas exscribere quia tamen Dei & Martyris nostri gloriam eloquuntur, & magnorum virorum probationibus firmantur, mihi Anglorum Annales, & Ecclesiæ gesta scribenti nefas erit illas omittere Ita ergo Guilielmus Senonensis Archiepiscopus qui vi ventem Thomam hospitio excepit, & plures cum eo annos conversatus, justissimam pro qua exularat, causam, pro viribus defenderat, & demum mortuo hisce literis parentavit.

Sanctissimo Patri, ac Domino ALEXANDRO Dei gratia Summo Pontifici, WILLIELMUS Senonensis Ecclesiæ humilis minister, Salutem & debitam cum omni devotione obedientiam.

apud Hoveden.

GUILIELMUS SENONENSIS EPISCOPUS AD ALEXANDRUM P. DE MORTE S. THOMÆ.

VEstro Apostolatui, Pater Sancte, data est omnis potestas in cælo, & in terra, Gladius anceps in manibus vestris. Super regna, & gentes constituti estis ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vide ergo, Domine, & considera, quem vindemiaverunt ita. Vineam namque Domini Sabaoth exterminavit aper de silvâ, & singularis ferus depastus est eam: Ecclesia siquidem Cantuariensis, imò universalis Ecclesia, sanguineas rorantes lacrymas, & amaritudine aspersas a finibus terra in conspectu vestro effundit quia posita est quasi signum ad sagittam, facta est opprobrium vicinis suis. Et qui videns eam, movent capita sua super eam dicentes: Ubi est Deus eorum? Ipsa autem gemens, & conversa retrorsum, clamat in auribus Domini exercituum: Vindicta, Domine, sanguinem servi tui, & Martyris, Cantuariensis Archiepiscopi, qui occisus est, imo pro libertate Ecclesiæ crucifixus.

III. *Pater Sancte, verbum horrendum, facinus flagitiosum, & enorme flagitium factum est in diebus vestris: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Non est auditum in Theman, non est visum in Chanaan. Alter siquidem Herodes semen Chanaan, & non Iuda, progenies viperarum, missis a latere suo Lictoribus, signum Dominica Passionis, quod desuper in vertice gerebat, nequaquam exhorruit, profundis exarare vulneribus, & notis turpibus cælestem deturpare imaginem. Propter hoc sicut omnis Ecclesia asserit, ipsum facit Martyrem, causa pariter & pœna. Pœna, dolor passionis illata: Causa rigor Ecclesiastica censuræ; quia pro lege Dei sui certavit usque ad mortem. Vestra ergo interest (Pater clementissime, Custos murorum*

Ierusalem)

Ierusalem) remedium adhibere præteritis, & providentiam futuris. Quis enim locus poterit esse tutus; si rabies tyrannica Sancta sanctorum cruentat? & Vicarios Christi alumnos Ecclesiæ, impunè dilacerat? Insurgant ergo Ecclesiasticæ leges, armentur jura Ecclesiastica. Introeat in conspectu vestro ultio sanguinis gloriosi Martyris, qui de Angliâ clamat. Clamabit siquidem, & commovebit non solùm terram sed & cœlum: & sic nostro consulite dolori, ut & honestati Vestræ pariter consulatis, & libertati Ecclesiæ.

IV. *De cætero sanctæ Paternitati vestræ insinuare dignum duximus: quod cum Domino Rothomagensi, & nobis, in mandatum dederitis, ut terram Regis Angliæ Cismarinam, si pacem, quam gloriosæ memoriæ Domino Cantuariensi promiserat, non observaret, sub interdicto poneremus: adjicientes etiam, quod si uterque nostrum ei executioni non posset, aut nollet interesse: alter nihilominùs mandatum vestrum exequeretur. Prædictus verò Rothomagensis, postquam literas vestras ei præsentari fecimus, significavit nobis, quod ad Senonensem civitatem veniret, & juxta formam mandati vestri procederet. Cum autem illuc venisset unà cum Lexoviensi, & Ebroicensi, & Wigorniensi Episcopis, & aliis quàmplurimis tam clericis, quàm laicis, de familia prædicti Regis: Post tergiversationes, & excusationes verborum inde deductas, respondit se ad præsentiam vestram iter arripuisse: & prædicto Regi exacerbationem se nolle infundere acerbiorem. Nos verò scientes, quod vitium paganitatis incurrit, quisquis mandatis Apostolicis obedire contemnit; juxta seriem mandati vestri, de communi consilio fratrum nostrorum omnium Episcoporum; & sancti Dionysii, & S. Germani de Pratis, & Ponti-magni Waleellensis, & Cenmensis Abbatum, & aliorum quam plurium religiosorum virorum, & sapientum: in terram ejus Cismarinam, sententiam tulimus, & memorato Archiepiscopo, & Episcopis, ut eam observari facerent, ex parte vestra injunximus. Scimus enim, quod nec possessiones, sicut promiserat, restituit: nec securitatem, sicut mos ejus indicat, mittit. Per Cantuariensem quoque quem ad eum miseramus nobis significavit quòd causam mortis ejus dederat, & quòd eum occiderat. Inde est, quod Clementiæ vestræ supplicamus: quatenus prædictam sententiam ratam habeatis: & sicut Majestatem vestram decet, & incolumitati expedit Ecclesiæ, eam taliter faciatis observari, ut honor Dei, & vester conservetur. Et nos, qui vestram Sanctitatem, ea qua scitis devotione amplectimur, minimè propter hæc possimus illudi. Valete, & sicut decet Majestatem, & Sanctitatem vestram, facite.*

V. Quoniam verò non defuerunt aulæ vitia, & aliqui etiam epicæni generis homines, qui Regi, quàm Ecclesiæ faventiores, qui nimirùm Thomæ fervorem & importunum in Episcopos quos percusserat zelum impetúmque, & præter Henrici Regis conscientiam, accusant. Illi nimirùm, qui juranti, & pejeranti Principi, & Reginaldo sicario crediderunt, ita præclarissimi martyrii gloriam obscurantes: & apud Alexandrum pro Rege eo argumento stipulantes, Thebaldus Blesensis Comes, & vir in Galliæ regno Princeps, qui conventis inter Regem & Martyrem pactis, interfuit: scriptis ad Alexandrum literis rei gestæ veritatem aperit, pro Sancto in hunc modum advocans.

Reverendissimo Domino, & Patri suo Alexandro, Dei gratia, Summo Pontifici, Theobaldus Comes Blesensis, & regni Francorum procurator, Salutem & debitam cum filiali subjectione reverentiam. *apud Hoveden f. 524.*

THEOBALDUS COMES BLESENSIS IN CAUSA S. THOMÆ AD ALEXANDRUM PAPAM.

Vestræ placuit Majestati, ut inter Dominum Cantuariensem, & Regem Angliæ pax reformaretur, & integra firmaretur concordia. Itaque juxta vestri tenorem mandati, illum Rex Angliæ hilari vultu, & fronte læta, & pacem spondente, & gratiam sibi referente, recepit. Huic paci, & concordiæ affui. & me præsente Dominus Cantuariensis apud Regem de coronatione filii sui conquestus est, quem voto festinante, & ardenti desiderio in culmen Regiæ dignitatis fecerat promoveri. Hujus autem injuriæ reus, & sibi mali conscius Rex Angliæ, juris, & satisfactionis ipsi Cantuariensi pignus dedit. Conquestus etiam de Episcopis, qui contra jus & decus Cantuariensis Ecclesiæ, novum Regem in sedem Regiam præsumpserunt intrudere: non zelo justitiæ, non ut Deo placerent: sed ut tyrannum placarent. De illis verò liberam & licentem Rex ei concessit potestatem, ut ad vestræ, & suæ potestatis arbitrium, in eos sententiam promulgaret. Hæc siquidem vobis, vel juramento, vel alio quo libuerit modo attestari paratus sum & sancire. Sic itaque pace factâ, vir Dei nihil metuens, recessit, ut gladio jugulum subderet, & cervicem ferientis exponeret. Passus est ergo martyrium agnus innocens crastinâ Sanctorum Innocentium die. Effusus est sanguis justi, ubi nostra viaticum salutis, sanguis Christi solebat immolari. Canes aulici, Regis familiares, & domestici, se ministros Regis præbuerunt, & nocentes, sanguinem innocentem hauserunt. Hujus prodigii modum detestabilem vobis verbo significarem: sed vereor ne mihi in odio ascribatur, & latores præsentium patenter, & plenius evolvent. Ex eorum relatione discetis, quantus mœroris cumulus, quanta sit universæ Ecclesiæ, & Martyris Cantuariæ calamitas. Hanc calamitatem salvo pudore, non potest dissimulare Romana mater Ecclesia. Quicquid enim in filiam præsumitur unicam redundat in parentem: nec sine matris injuriâ filia captivatur. Ad Vos itaque clamat sanguis justi, & flagitat ultionem. Vobis ergo, Pater sancte, adsit, & consulat Pater Omnipotens; qui filii sui cruorem mundo impendit, ut mundi noxas detergeret, & deleret maculas peccatorum. Ille vobis vindictæ voluntatem insinuet, & suggeret facultatem, ut Ecclesia inauditi sceleris confusa magnitudine, districtâ hilarescat ultione. Hæc Comes.

Interim ex Angliâ, Galliâque volant utrimque nuntii, pro Henrico Rege, & in Henricum acturi. Et Regii quidem oratores, quæsito undique fuco, vel crimen falsâ rerum narratione extenuant: vel invicti Martyris elatum & præcipitem impetum accusant. Hoc veritus Senonensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, iterum ad Alexandrum scribens, Martyris modum & circumstantias, contra omnes calumniantium injurias, aperit. VI.

Amantissimo Patri, ac Domino ALEXANDRO, Dei gratia, Summo Pontifici, WILLIELMUS Senonensis Ecclesiæ humilis minister, spiritum consilii & fortitudinis, cum omni obedientiæ famulatu.

SENONENSIS ARCHIEPISC. AD ALEXANDRUM APERIT MARTYRIS S. TH. MODUM.

INter scribendum hæc, imò priusquàm scriberem, mox fleti, & hasi dubius admodum, quo dictaminis genere, nuper patrati sceleris atrocitatem, & supplicii recenter illati immanitatem, Clementiæ vestræ oculis præsentarem. Et profectò arbitror clamorem mundi jam Vestræ Sanctitatis aures implevisse; utpote qui in mundi specula residetis; qualiter ille, non Rex Anglorum; sed Anglorum potius, & totius corporis Christi inimicus proximè sic malignatus in sancto, in filio dexteræ tuæ, quem confirmasti tibi. Cujus ex hoc mundo excessum, & excessus modum, etsi fortasse ex aliquorum diverso sive adverso relatu acceperitis, quod mihi innotuit ab his qui interfuerant, conscius fidelis intimo, & patrati sceleris ordinem paucis explico. Cujus tamen immanitas excogitari non potest. In Natali Domini, proximo post festum Innocentium die, occidente jam Sole, circa horam Vesperarum, intromissi speculatores, tres duntaxat, qui primi fuerant, ad fortem illum athletam Christi terribiliter admodum & fastuosè accesserunt. Quorum memoria, ut in maledictione perpetua sit, intersero nomina, Hugo de Morevilla. Willielmus de Traci, Reginaldus filius Ursi, qui in primo accessu, à viro Dei salutati non resalutaverunt: utpote qui jam vias perditionis ingressi manifestè respuebant salutem. Qui potiùs contumeliosè, & asperè minas intonuerunt: nisi Episcopos suspensos, sive excommunicatos ad Regis absolveret mandatum. Quo manifestè respondente, id ad singularis primatus vestri spectare censuram; nec aliquid sibi vindicaret, ubi tanta intervenisset authoritas. Mox ipsum ex parte Regis diffiduciaverunt: & continuò exierunt ad cohortem. Militibus qui de familiâ hominis Dei erant, super periculo vitæ, & honorum omnium proscriptione, in exitu suo præcipientes ex parte Regis, ut ipsi pariter exirent, & rei eventum taciti, & patientes expectarent. publicè per civitatem simile Regis edictum exivit.

VIII. *Singularis verò ille Christi athleta, in nostris diebus, minas Principum sprevit: & de loco ipso, ubi jam velut mortis acceperat initium, ad militum instantiam vix egredi compulsus est. Et hæc quidem ne videretur consummari invitum. Deo itaque dispensante, Metropolitanam Ecclesiam in ipsius Christi honore dedicatam ingressus, idem Christus Domini, pro nomine Christi meruit immolari, ubi quotidie immolatur & Christus. Et Sacerdos ille altissimi, stans ante altare, & Crucem, quam ante se gestare consueverat, brachiis suis amplectens, & orans, voluntariè seipsum inter Crucis & altaris cornua, pacificam Deo hostiam obtulit. Nam appropinquante horâ passionis, ipse flexis genibus, extento collo, & curvata cervice, calicem salutaris accepit, & a tribus prænominatis spiculatoribus decalvatus est: prius tamen contumeliis & probris multis affectus: ut nec ipse passionis Domini sui titulo fraudaretur. Cujus ut ipso adhuc magis forma clarescceret: eâdem horâ pro occisoribus suis exoravit, adjiciens, & devotè supplicans, ut a malis præsentibus ejus familia servaretur illæsa. Solus itaque Pontifex non sine sanguine intravit in sancta. Et quia post viri Sancti transitum operante Domino, memoranda quædam ex multorum crebrâ relatione accidisse audivimus, omninò præteriri non debent. Dicitur namq; & constanter asseritur, post passionem suam in visu apparuisse multis: quibus perhibet se non mortuum esse, sed vivere: & non vulnera, sed vulnerum tantùm cicatrices ostentat. Inter quos veterano cuidam monacho nomine Neel, manifestè apparuisse dicitur: sed qualiter hoc non edissero, ut vitetur longitudo sermonis: sed horum bajuli fideliter & patenter exponent. De cæco verò quodam; qui mox passione consummatâ, crudo adhuc sanguine oculos perlinivit, oculos & visum recepit, omninò auditum est. De cereis etiam circa corpus positis & extinctis, sed postea per se reaccensis, non infida multorum relatio est. Et quod majus est adhuc gaudium, & miraculum habet: expletis omnibus circa corpus humanitatis obsequiis: cum jam in choro jaceret supra feretrum, circa auroram, levata manu dextera benedictionem dedit.*

MIRACULA S. TH. STATIM A MORTE.

IX. *Age ergò homo Dei, & quorum tenes Sedem, indue fortitudinem. Excutere fili excussorum: hinc miseratio; inde verò indignatio moveat. Unam filio debes: tyranno alteram: & hujus in terris auge gloriam, quem de cœlis tam mirabiliter glorificat Deus. Illi verò para ignominiam, qui in terris tam horribiliter persecutus est Deum, & proprii veneris tui percussit latera, excussit viscera, & conculcavit in terra. Qui etiam filium tuum, quem sicut mater unicum diligebas, nescio per quos incircumcisos & immundos tam perfidè, tam inhumanè mactavit: Patris non veritus offensam, nec miseratus ætatem. Quorum ergo sortitus es ministerium, sortiaris & zelum. Et quia cernis Achab scelus, Eliæ te apprehendat æmulatio. Occidit Achab, & possedit: Sed Achab quidem totius patrati sceleris facie operosè perpensâ, Achab ab ipso justificatus est. Illud siquidem est, quod inter omnia quæ leguntur, seu referuntur sceleratorum scelera longè primum obtinet locum. Quod omnem Neronis nequitiam, Iuliani perfidiam, sacrilegam etiam Iudæ proditionem excedit. Vide siquidem, & attende: qualis persona, in quali Ecclesiâ: quale etiam tempus patrandi sceleris elegerit. Natale scilicet Domini, proximum post Sanctorum Innocentium diem: ut novus ex veteri nostris diebus suscitaretur Herodes. Pax etiam publicè data proditorem nihilo minùs revocavit à scelere. Qui tanquam per se satis non insaniret, instigatores habuit, dantes cornua peccatori: falsos videlicet illos, & ab omni Ecclesiarum orbe perpetuò detestandos fratres; Rogerum videlicet Archiepiscopum Eboracensem, diabolum illum Lundoniensem Episcopum Gillebertum, & Iocelinum Salesberiensem Episcopum; non Episcopos sed apostaticos. Qui filium tuum fratrem suum, non mysticè vendiderunt: sed in veritate occiderunt: patris jam senis, nec maledictionem metuentes, nec dolori vel ætati parcentes. Quorum vita præsens, ut in perpetuâ amaritudine sit, & memoria in maledictione æternâ; vestra (Pater Sancte) authoritas pariter, & austeritas efficiat. Valeat Sanctitas vestra, Pater Sancte.*

EXAGGERAT FACINUS HENRICI IN NECE S. THOM.

X. Hunc sensum de Thomæ Martyris passione, & pessimorum hominum carnificina sanctissimi Præsules, & pientissimi Principes habuerunt. Sequitur videndum quid Henricus Rex auditâ sub hujus anni initium Archiepiscopi morte, cujus erat primus princepsque author, fecerit: quid etiam Romanus Pontifex Alexander. quid denique apud ipsum Regii oratores, culpam pro viribus elevantes, & pœnam quam causæ æquitas, & Christianus orbis flagitabat, deprecantes. Principio

Henricus

Quadrilo. l. 4. c. 1.

Rex visus est vel agere vel fingere pœnitentiam

Henricus, in Angliam nuntiis literisque missis pœnitentiam vel egisse vel finxisse videri voluit. Nam ita narrat Quadripartita historia. [Cùm audisset Rex Anglorum gladiis suorum occubuisse Beatum Thomam: post paucos dies, misit clericos suos literas deferentes. Qui Cantuariam venientes, congregatis fratribus dixerunt: Infortunium, fratres, quod penes vos accidit, eatenus Dominum Regem contristavit, ut ab introitu Ecclesiæ per triduum abstinuerit. Cibum à die qua audivit, usque in tertiam, præter lac amygdalarum non sumpserit: consolationem non admiserit, non in publicum prodierit; sciens in suam redundare infamiam, quod suorum factum est sævitiâ: nec facile posse suaderi, quin videatur animam ejus quæsisse, quem toties doluit suis obviasse decretis, quem solum senserit in regno suo sibi impedimento fuisse, quominus res Ecclesiasticas ordinaret. Res quidem detestanda peracta est, & facinus insuditum: tantòque minùs ejusmodi conscius fuisse credendus est, quantò magis eum innocentiam servasse credendus est. Unum est, quod mordet eum conscientia. Cùm enim ipse, omnes qui coronationi filii sui interfuerunt excommunicatos accepisset; dolorem suum dissimulare non poterat: quia jam fomitem omnem irarum, & inimicitiarum, intrà pace sopitum putabat, vocatisque necessariis suis, de resuscitata injuria querimoniam deposuit. Qui ejus compassi sunt dolori, eoque vehementiùs moti sunt quod eum persequebatur ille quem promoverat. Unde eo nesciente, vindicaturi ejus injurias, se per hoc placere ei putantes, à Curia latenter recesserunt quatuor illi qui flagitium perpetraverunt. Quod cùm audisset, sciens eos ferocissimos, omniumque nequissimos qui infra terminum Regni sui continerentur: veritus nè quid ageretur quod in Regiam redundaret infamiam; evestigio misit expeditissimos, qui prorsus præoccupantes, filiorum Belial insaniam prohiberent. At illi velut aspirantium obsequio ventorum transierant in vestram metetiam, præter conscientiam ejus, explentes quod in perpetuum oblivioni non tradetur. Die enim qua facinus expletum est, eos apud se præsentes esse putabat. Hoc, fratres, missi sumus vobis intimare, nè de tanti Principis severitate, sinistrum suspicemini. Sed si quid culpæ contraxit in eo quòd aliquid dixisse videtur, quod ad facinus aggrediendum, grassatores invitaverat, vestris orationibus convenit expiari. Et nunc corpus jubet honestæ tradi sepulturæ, ut apponatur ad patres suos. Non enim mortuum prosequitur quamvis viventem infestum habuerit. si quid in se deliquerit, nunc dimittit. Non enim retrò vexationes attendit, non irrogatarum sibi reminiscitur injuriarum.]

XI. Monachi Cantuarienses non admiserunt has excusationes Regias

Hæc Regis excusatio, vel Martyris potiùs accusatio, à monachis quidem audita, sed non exaudita est: & Regem immane in Sanctum peccasse, Sanctumque in Regiam dignitatem nullatenus deliquisse, non solùm Christianus orbis, sed Deus ipse brevi testabitur. Et qualis culpa, Thomas Regi impedimento fuit, ne res Ecclesiasticas ordinaret? Quid Regi cum ordinibus Ecclesiæ? ubi sunt Episcopi qui hujusmodi ordinationi subscripserunt? Thomas qui Regi obstitit, cum Ecclesiæ regimen affectavit; Regi plus profuit, & Ecclesiam illustravit: [Et nunc Reges intelligite erudimini qui judicatis terram.] & servent sidera orbem suum: quia omnis se exaltans, omni procul dubio erit humilior. ut statim Henricus Rex erit in exemplum, cùm nudis pedibus ad Martyris sepulchrum accedens, nudato dorso disciplinam apprehendet, nè porrò irascatur Dominus, & pereat de via justa. Interim videamus, ut laboret orbi persuadere innocentiam suam: & Alexandrum inprimis qui quo tepidiùs videbatur pro Thoma agere, cùm spes esset Regem, mitiùs agendo, lucrari posse: nunc visâ Regis insaniâ perfidiâque eò ardentiùs surgit in vindictam: quàm Rex missis in Urbem Nuntiis, literis & muneribus, deprecari summis infimisque precibus, conatur.

XXII.

Bis hoc anno in Urbem missi Oratores, qui Henrici Regis negotia apud Alexandrum procurarent. Primò qui pro excommunicatis Episcopis Eboracensi, Londinensi, Saresberiensi loquerentur. qui Romam priùs venerunt, quàm fama martyrii Alexandri aures verberasset: quinam illi fuerint, & quomodo in Urbe excepti, priùs & posteriùs, quàm Thomæ cædes innotuit, ita è Vaticano Codice colligit Baronius. [Primò, inquit, missi sunt Joannes Cumin, & Magister N ad petendam absolutionem Episcoporum. Sed Joannes Cumin prius venit ad Curiam, quindecim diebus, antequam N. veniret, & post multam instantiam suam, priùs factâ promissione quingentarum marcharum, auditus est. astantibus cum eo, & plurimum allegantibus ad excusationem Episcoporum, clericis Eboracensis Archiepiscopi, & Nuntio Dunelmensis. Et credo quod reportassent absolutionem, nisi pervenisset rumor de morte Archiepiscopi, qui omnia denigravit. Ita enim perturbatus est Dominus Papa: quod nec etiam sui per octo dies cum eo potuere habere colloquium. Et generaliter interdictum est ne Anglici ad eum haberent accessum: & suspensa sunt omnia eorum negotia.] Hæc ibi. Cùm Anglorum qui in Urbe erant ora clauderentur: alii à Rege supervenient nuntii, quos tamen Cantuariensium monachorum querelæ prævenerant; & omnium Romanorum vultus à se latis aversos, imò adversos invenerunt.

Baron. hic.

Joannes Cumin et alii non obtinuerunt absolutionem pro Episcopis audita morte S. Thomæ. Papa eius morte turbatus.

XIII.

[Interea (inquit Rogerus) Rothrodus Rothomagensis Archiepiscopus, & Ægidius Eboracensis Episcopus, & Rogerus Wigorniensis Episcopus, & Richardus Barre, & quidam alii de Clericis & familiaribus Regis Angliæ, iter arripuerunt ad Romanum Pontificem, pro ipso Rege, & regno ejus.] Alii clericos & familiares Regis nominant Abbatem de Wallscia, Archidiaconos Lexoviensem, & Saresberiensem, Robertum de novo Burgo, & Henricum Pichim, cum templario quodam: quos omnes Arnulphus Lexoviensis Episcopus, ne inviti apparerent, his ad Alexandrum Papam munivit literis.

Baron. hic.

Lexoviensis Ep. Alexandro. Pp. ubi mitigat factum Henrici.

Cum apud Regem nostrum (Henricum) pariter congregati, de magnis Ecclesiæ regniq; tractatus crederemur: subitus nos de Domino Cantuariensi rumor lamentabilis mærore perfudit: adeo ut in momento serenitas in stuporem, & consultationes in suspiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglia revertentes, certâ relatione didicimus: quod quidam inimici ejus, crebris, ut aiunt, exacerbationibus ad iracundiam & amentiam provocati; temerè in eum eruptione factâ (quod sine dolore dicere non possumus, nec debemus) per-

sonantes agredi, & trucidare crudeliter persisterunt. Ad Regis denique notitiam rumor infaustus, quibusdam perferentibus pervenit: quoniam ei non licuit ignorare, quod ad ejus vindictam jure potestatis & gladii videbatur specialius pertinere. Qui statim in primo nefandi sermonis initio, ad omnia lamentationum & miserationum genera conversus, Regiam prorsus Majestatem, quasi cilicio immutans, & in cinere, in isto fortius amicum exhibuit, quàm Principem stupens interdum, & post stupores ad gemitus acriores, & acerbiores amaritudines revolutus, tribus ferè diebus reclusus in cubiculo, nec cibum capere, nec consolatores admittere sustinuit: sed mœstitiâ perniciosiore voluntariam sibi perniciem inducere pertinaciter videbatur. Miserabilis erat malorum facies, & anxia necessitudo dolorum: quoniam, qui sacerdotem lamentabamur primitùs, de Regis salute consequenter cœpimus desperare & in alterius nece miserabiliter utrumque credebamus intersisse. Porrò quærentibus amicis, & Episcopis maximè, quod eum ad se redire non permitteret, respondit, se metuere ne sceleris auctores, & complices, veteris rancoris confidentiâ, impunitatem sibi criminis promisissent: licèt ipse novas inimicitias recentibus injuriis & frequentibus maleficiis compararet: arbitrans se nominis sui famam & gloriam, maledictis æmulorum respergi posse, & confingi id ex ejus conscientia processisse. Sed Omnipotentem Deum se testem invocare maximam suam, quod opus nefandum nec sua voluntate, nec conscientia commissum est, nec artificio perquisitum, nisi fortè in hoc delictum sit, quod adhuc minus diligere credebatur. Super hoc quoque se judicio Ecclesiæ prorsus exponere, & humiliter suscepturum quicquid in eo fuerit salubriter statuendum.

Expli-cat signa doloris in Henrico

XIV. *Communicato igitur consilio, in hoc consultatio omnium conquievit, ut sedis Apostolicæ sapientiam, & auctoritatem consuleret; quam spiritu sapientia, & potestatis plenitudine Christiana fides prædicat abundantius redundare: & apud eam, suam studeat innocentiam, modis legitimis & Canonicis approbare. Supplicamus ergo quatenus secundum datum a Deo vobis spiritum consilii & fortitudinis, tanti sceleris auctoribus secundum facti immanitatem, severitas vestra retribuat, & suam innocentiam Regi pietas Apostolica in statu suo velis affectuosius conservare.* Hactenus Lexoviensis Episcopus, nomine omnium Episcoporum qui convenerunt, inquit Baronius, & addit: [Cum his autem literis missi sunt Nuntii ab Episcopis ad Alexandrum Papam: alii verò a Rege ipso. [Ego è dictis literis noto, quod dudum adverteram, Arnulphum, Thomæ parùm benevolum, morbo, cum aliis Episcopis, Regio laborasse: quod hisce quoque literis prodit: cùm authores quidem parricidii castigari, Henricum verò innocentiam ferè declarari petit, & nullam patrati sceleris conscientiam, nec artificio quidem perquisitam, habuisse, Alexandro judici persuadere conatur, cùm Gallorum Rex, Blesensis Comes, Senonensis Archiepiscopus & Apostolicæ sedis Legatus, omnem in Henricum culpam derivent. Sed & Deus ipse post paucos annos, ipsum & filii Regis rebellione, & aliorum Regum invasione tam immanè castigabit, ut facilè judicabit prudens quisque ipsum non criminis conscientiam habuisse, sed patrati parricidii fuisse authorem, & principem. Sed ad Nuntios Romam pergentes.

Arnulphus Lexoviensis parum benevolus S. Thom.

XV. Literarum bajulus Lexoviensis Archidiaconus fuit, & Princeps legationis Rothrodus Rothomagensis Episcopus, qui tamen Alpes non videtur transivisse. [Nam senio & infirmitate laborans (ita Rogerus) cùm jam ferè mediam peregisset viam, ulteriùs procedere non potuit, sed reversus est in Normanniam ad sedem suam, & prædicti Episcopi cum clericis Regis processerunt. Quid inde sequutum, qua difficultate iter confecerint, quomodo a Romana Curia excepti, narrent qui missi sunt, quique ad Henricum Regem ita rescripserunt in hunc modum: quem Vaticanus Codex & inde Hovedenus & Baronius referunt.

Hoved. 526

Charissimo Domino suo Henrico illustri Anglorum Regi, Duci Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegavensi, R. Abbas Wallatiæ R. Saresberiensis Archidiaconus, R. Lexoviensis Archidiaconus, Richardus Barre, & Magister Henricus, Salutem, & fidele in omnibus, & ubique obsequium.

NOverit vestra Majestas, quod cùm Richardus Barre nos præcessisset, & cum multo periculo & gravamine nos ad Curiam Domini Papæ prævenisset: nos quatuor cum duobus Episcopis, & Decano Ebroicensi, & Magistro Henrico cum multa difficultate venimus Senas. Ibique diebus aliquot detenti fuimus. Comes enim Macarius sic ex omni parte vias obsidebat, quod nulli patebat egressus. Cùm verò nos quatuor cum Episcopis, qui plurimum exire desiderabant, non potuissemus: in maxima animi angustia positi, & communi consilio mediâ nocte, & latenter exivimus; & sic per abrupta montium, per loca ferè invia, sub magno timore & periculo, tandem venimus in Tusculanum.

Henri[illegible] Ri[illegible] Le[illegible] quod [illegible] grat[illegible] Romæ fu[illegible] ri[illegible]

XVI. *Ibi Richardum Barre de vestro honore, sicut decebat, sollicitum, & ad vestram utilitatem prudenter & instanter laborantem invenimus: nimium tamen conturbatum, & confusum, quia nec Dominus Papa eum receperat, nec alii benignos & humanos se illi exhibuerant. Nos autem venientes Dominus Papa, nec videre, nec ad osculum, nec ad pedes voluit recipere. Vix enim plerique Cardinalium dignati sunt nos recipere, nec in verbo. Diu ergo in amaritudine spirituum nostrorum anxiè conturbati, iis qui vos fideliùs diligebant, omnimodè supplicavimus, ut eorum interventu Dominus Papa nobis quocumque modo audientiam indulgeret. Ad audientiam recepti sunt Dominus Abbas de Wallacia, & Richardus Archidiaconus Lexoviensis, qui minus habebantur suspecti. Ipsi autem cùm nomen vestrum tanquam devotissimi filii Romanæ Ecclesiæ in salutatione ex vestra parte proponerent, acclamavit tota Curia: Sustinete, sustinete, tanquam Domino Papæ abbominabile esset audire nomen vestrum. Sic à curia venientes, serò redierunt ad Dominum Papam; et de nostro communi consilio exponentes, quod nobis fuerat a vestra Majestate injunctum: referentes etiam seriatim singula beneficia, quæ contuleratis Cantuariensi: & singulos excessus & importunitates, quas contra vestram commiserat dignitatem. totumque hoc primò secretò, postea coram Domino Papa & omnibus Cardinalibus, contendentibus etiam contra vos Alexandro Wallensi, Gunterio Flandrensi clericis Cantuariensis Ecclesiæ.*

Nec Papa, nec Cardinales dignantur excipere Legatos Henr[illegible]

XVII. *Instante verò feriâ quintâ ante Pascha; in qua de consuetudine Romanæ Ecclesiæ solet Dominus Papa publicè absolvere, vel publicè excommunicare. cùm certi essemus quod de vestro, & Regni vestri gravamine tanquam ad hoc pronis diutissimè tractassent. consuluimus eos quos vestra Majestati fideliores cognovimus:*

Di[illegible] c[illegible] l[illegible] as audientiæ apud Pontificem.

scilicet

scilicet Dominum Portuensem, Dominum Hyacinthum, Dominum Papiensem, Dominum Tusculanum, Dominum Petrum de Mirlo (Dominus Joannes Neapolitanus aberat) cum omni studio & instantia exorantes; ut nobis animum Domini Papæ, & quid circa vos statuere proponeret, aperirent. Ipsis verò nihil nisi sinistrum, & vestræ Celsitudini ignominiosum reportantibus: ex singultuosa eorum, & fratris Franci, fidelis vestri, relatione: præsensimus quòd ea immutabiliter disposuerat Dominus Papa, in vos nominatim & in totam terram vestram Cismarinam, & Transmarinam de communi fratrum consilio interdicti ferre sententiam, & eam quæ in Episcopos lata fuerat, confirmare. Positi ergo in arctissimo omni studio attentavimus per Cardinales, & per illos de socios nostros, qui ad illum habebant accessum, & per familiares suos, ut cessaret ab hoc proposito, vel saltem differret usque ad adventum Episcoporum vestrorum. Quod cùm nullo modo fieri posset: nos sicut decet, & sicut debitores vobis sumus, personæ vestræ dedecus, & totius terræ vestræ gravamen sustinere non valentes, nec debentes, tandem convocatis sociis nostris coram quibusdam Cardinalibus, viam invenimus salutis vestræ & honoris bonam & securam, & universæ terræ vestræ utilem, & Episcopis quoque necessariam, per quam à vobis, & à terra vestra, & ab Episcopis vestris, dedecus, & periculum quod imminebat avertimus: & nos ipsos pro hac liberatione totos periculo exposuimus, credentes & certam spem habentes, quod totum negotium procederet secundum quod credimus vos velle debere. Timore namq; perterriti, iisdem Cardinalibus intercedentibus, significavimus Domino Papæ, nos accepisse in mandatis à vobis, quod juraremus in præsentia ejus, quod vos stabitis mandato suo, & hoc jurabitis in propria persona.

Quam viam inierunt Legati ad placandum Papam.

XVIII. *Eadem verò die Jovis circa horam nonam vocati sunt Nuntii, tam vestri, quam Episcoporum: & in generali consistorio juravimus, Abbas scilicet de Wallacia, & Saresberiensis, & Lexoviensis Archidiaconi, & Magister Henricus, & Richardus Barre, quod vos stabitis mandato Papæ, & ad præceptum ejus hoc jurabitis. Nuntii verò Archiepiscopi Eboracensis, & Landonensis, & Saresberiensis Episcoporum juraverunt similiter, quòd Domini sui stabunt præcepto ejus, & hoc jurabunt. Ipsa die tamen generaliter excommunicavit interfectores Cantuariensis, & omnes qui consilium, vel auxilium, vel assensum præbuerunt; & omnes qui in terram suam eos scienter receperint aut foverint. Dominus Eboracensis, & Dominus Wigorniensis Episcopi, & Robertus de Novo burgo Ebroicensis, & Magister Henricus in proximo venturi erant. Et eos quidem dimisimus ultra modum anxios & turbatos; quia pro explendo negotio vestro, pro velle suo venire non poterant. Fuitq; de consilio eorum, quòd nos quocumque modo præcederemus eos, ut dedecus & malum, quod parabant vobis adversarii vestri, impedire possimus. Certi enim eramus, quòd vestrum gravamen in Curia præparabatur, & imminens illum diem consuetudinem. Valeat, & diu vigeat sublimitas vestra. Confortamini in Domino, & exultet cor vestrum: quoniam præsens nubilum, ad gloriam vestram sequetur serenum. Die Sabbati ante Ramos ad Curiam venimus, & latet præsentium die Paschæ recessit à nobis.*

Excommunicavit Papa interfectores S. Thomæ.

XIX. Priùs quàm hæc in Curia agerentur, aut Thomæ martyrium Alexandro innotesceret, legationem ad Henricum Regem, qui pacis conditiones servasse neglexerat, miserat idem Pontifex, injunxeratque ut Regem ad pacta servanda Ecclesiasticis censuris compelleret. Quinam illi fuerint ab Apostolica sede Legati, Rogerus in Annalibus ita declarat, & quomodo Rex eorum authoritatem nova appellatione eluserit. [Interim venerunt (inquit author) in Normanniam duo Legati Cardinales à latere Alexandri Summi Pontificis missi (qui aliàs functi sunt eo munere) Gratianus scilicet, & Vivianus, qui magnis & diversis vexationibus Regem Angliæ angariaverunt, volentes eum & terram suam sub interdicto ponere. Sed Rex Angliæ inde præmunitus, ante illorum ingressum, ad præsentiam Summi Pontificis appellavit. Et sic se, & terram à gravamine illorum custodivit illæsos. At tum Apostolicam timens severitatem, ad mare properavit, & de Normannia in Angliam transfretavit: præcipiens, quod brevis latoe cujuscumque fuerit conditionis vel ordinis permitteretur, neque de Normannia in Angliam; neque de Anglia in Normanniam: nisi priùs data securitate, quòd nullum malum, vel gravamen quæreret Regi, nec regno suo.] Nimirum Parricidii conscientia, & famâ Martyrii, quæ certò certiùs Romanam Curiam jam pervaserat, Regem terruit adeo, ut sententiæ fulmen quod meruerat formidans, non ultra in Normannia, sed nec in Anglia (utramque sceleri obnoxiam norat) moram sustinuerit. Vix enim Angliam intraverat, cùm iter in Hiberniam parat, de quo dicam paulò posteriùs. Nam urgent Oratores Regii in Romana Curia Henrici clusum, propulsantes quidem ab ejus nominatim capite, quam meritus est, pœnam: non potuere tamen omnino illam avertere. Enimvero in generali sententia, Henricus in crimine Princeps (quis dubitat?) fuit, & quia notorius Clerici percussor excommunicationis sententiâ ligabatur: à supremo orbis tribunali, solvi nec aliter potuit; nec solvi quidem, nisi factâ criminis confessione, nec valet confessio, nisi facti enormitas dolorem excusserit. ideo in Quadripartita historia, Herebertus ita Henrici Regis pœnitentiam, & pœnitentiæ remedium expressit.

Hoved. fol. 527.

Legati ad Regem antequam innotesceret mors S. Thomæ, ut Rex pacta servaret.

XX. [Divulgato ergo tam lætali facto (Thomæ mortem intelligit) undique mox ut ad Regem Angliæ pervenit afflictus est, ut supra diximus, afflictione magna, & innominatissimo illo Normanniæ oppido, quod Argentolium dicitur, per quadraginta dies sedit: mæsensque toto illo pœnitentiali dierum numero acerbiorem multò plùs quàm mortuorum luctum fecit. Lugentium cibos comedit: equum non ascendit; nulla jurgantium causa, nulla agentium consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi causa proponebatur, omnia tunc quasi postponens præ dolore. Sedebat quippe solitarius super hoc quod acciderat, ingemiscens semper & dolens. & sæpè ac sæpiùs iterans Heu! Heu accidisse sic! Et quidem pœnitentia Regis hæc erat salutis providentia. mox enim in primo sacrilegii auditu, viros magnos & industrios ad Romanum Pontificem Alexandrum misit ab ipso, tanquam Ecclesiæ Summo Patrono & Patre omnium, consilium quærens quid agendum. Et (sicut credibile est) humiliter in quo excesserit confitens.] Ita ibi. Opinor, intelligit author, quos suprà nominavi, Oratores Regios. Nam illi pro Rege stipulati sunt: quod Romanæ Curiæ, & tribunali illi caput verticemque submitteret, & omnem obedientiam juramento firmaret. Urgent insuper, quia generali saltem excommunicationis

Quadrila. l. 4 c. 5.

Signa doloris in Rege.

ſententia involutum Regem ſciebant, illius vinculi ſolutionem: viroſque in Angliam ad Henricum miſit, qui reſervatum Apoſtolicæ ſedi crimen Apoſtolicâ authoritate eluerent. Ideo ad ſuperiora hæc addit Herebertus.

XXI. MISIT PONTIFEX QUI EXCOMMUNICATOS ABSOLVERENT. [Verùm quia Confeſſio, nec per ſcripta, nec per interpoſitas perſonas, fieri ſolet, aut debet: ſed viva vox confitentis, quò plùs auget devotionem, eò plùs habet Virtutis; Vir Apoſtolicus de latere ſuo duos Cardinales miſit, piæ memoriæ Magiſtrum Theodinum Portuenſem Epiſcopum, & Albertum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, viros certè omnis religionis, ſanctitate, & ſcientiâ præditos: qui & Epiſcopos regni ob prædictas cauſas anathematizatos, vel ſuſpenſos, Canonicè abſolverent, & Regis poſtulantis ſaluti providerent.] Decreta hoc anno Legatio, non niſi anno ſequenti in Gallias deſcendit: quid tunc actum, dicemus ibi. Interim quid de Sicariis factum videamus, quia nominatim ſine dubio anathematis, quam merebantur ſententiam incurrerunt: & quotquot illis, aut ſedem figere permitterent aut obſequia præſtare præſumerent, ſacrilegii complices habebantur. Hoc Regem ſupra modum anxium præ cæteris torſit. Si enim homines vitæ indigniſſimos vivere ſineret, probaſſe factum convinceretur: ſi reos ſciſceret; reus ipſe & familiaribus ſuis infidelis, contemptui foret. Breviter fama, quam dudum è rerum geſtarum gloria collegerat, ingenti & inevitabili maculâ fœdaretur. Hinc Neoburgenſis ex Henrici Regis pœnitentia, & gemitu totius orbis, Thomæ Martyris nomen inclaruiſſe, Henrici autem denigratum deplorat in hunc modum.

XXII. *Neoburg. l. 2. c. 22.* HENRICUS DUBIUS, QUID AGERET DE HOMICIDIS, PEPERCIT. [Sanè tanti piaculi fama brevi per omnes Latini orbis fines diſperſa, illuſtrem Anglorum Regem infamavit, & præclaram ejus inter Reges Chriſtianos gloriam ita denigravit; ut quoniam vix credi poterat, illud abſque ejus voluntate & mandato fuiſſe attentatum, ferè omnium imprecationibus impeteretur, & publicis inſectandus odiis cenſeretur. Ipſe quoque audito quod à ſuis actum fuerat, intelligens claram eſſe maculam in gloriam ſuam, & vix expiabilem ſibi nævum inuſtum, ita doluit; ut diebus aliquot perhibeatur nihil guſtaſſe. ſive autem parceret homicidis illis, ſive non, conſiderabat proclives eſſe homines ad malè ſentiendum de eo. Nam ſi parceret ſceleratiſſimis, tanti mali auſum vel auctoritatem præſtitiſſe videretur. Si verò in eis plecteret, quod abſque ejus mandato non attentaſſe putabantur, utrobique nequiſſimus diceretur. Idcirco parcendum duxit; & tam famæ ſuæ, quàm illorum ſaluti proſpiciens: ſedi eos Apoſtolicæ, ad ſuſcipiendam ſolemnem pœnitentiam præſentari præcepit. Quod & factum eſt. Nam ſtimulante conſcientiâ Romam

HIEROSOLYMAM IN EXILIUM MITTUNTUR A PAPA. profecti, ad agendam pœnitentiam à Summo Pontifice Hieroſolymam ſunt directi, ubi annis aliquot, indictum ſatisfactionis modum, non ſegniter (ut dicitur) exequentes, vitam omnes finiere.] Ita ille. Statim tamen à patrato crimine, cum quò ſe verterent, aliquantum hæſitaſſent, relicto Cantio & auſtralibus Angliæ ad Septentrionem

Parif. hic. perrexerunt: ibique [moram fecerunt in caſtello Regis apud Knaresburck per annum] inquit Pariſienſis. Inde juſſu Regis Romam profecti, triennalem pœnitentiam egiſſe videntur, nam ultra ſuperſtites non fuerunt. Harpesfeldus tres tantùm in Palæſtinam profectos, quartum in Siciliâ ſubſtitiſſe affirmat, ita ſcribens. [Carnifices intra triennium extra patriam omnes periere. *Harpesfeld. ſæc. 12. c. 17.* quorum nomina ad perpetuam illorum ignominiam nobilitata iſta fuiſſe traduntur; Hugo Morvilla, Guilielmus Tracius, Richardus Brito, Reginaldus Urſius. Et reliqui quidem três, ad tanti delicti expiationem, pœnitentiæque gratia Hieroſolymam profecti ſunt. Guilielmus autem qui primus gladium, in ſacrum Martyris caput vibra- GUILIELMUS TRACIUS MISERE PERIIT IN SICILIA. vit, in Sicilia ſubſtitit: ibique terribili quodam mortis genere, carne ipſi à nervis & oſſibus ſtillatim, & horribiliter, miſerabili quadam tabe diſſiliente, interiit.] Hæc ille: Sic viri ſanguinum non dimidiarunt dies ſuos. & diſcant aulæ viris modeſtiùs inſanire; nec Regibus, cum famæ, animæ & corporis præjudicio, abblandiri. nam maledictus Homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

XXIII. Henricus pœnam quam ab Alexandro infligendam timebat, fugiens è Normannia, ut dictum eſt, in Angliam ſolvit. Quò cùm veniſſet, animo in Hiberniam expeditionem parandi, Henricum Wintonienſem Epiſcopum annis gravem & morti proximum inviſit. qui viſo Rege, memor q; parricidii, Regem ut Epiſcopum decuit, excepit. de quo ita Godwinus: [Henricum Wintonienſem Epiſcopum conſecrationis ſuæ *anno quadrageſimo ſecundo, lethali morbo correptum inviſit benignè Henricus Rex; quem ille vultu parùm blando excipiens, increpavit acriter pro nece Thomæ Becket: cui cauſam illius iracundiam præbuiſſe credebat. Eâ tamen manſuetudine Rex præditus eſt, ut non ſolùm æquiſſimè id tulerit, ſed viri graviſſimi ultimum illud colloquium ſæpè poſtea grato animo recoluerit. Obiit Auguſti ſexto anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi primi ſed ubinam loci tumulatus fuerit, nemo, quantum reperi, tradidit.] Ita ille. Ultimum revera colloquium fuit: nam eodem die, quo Regem arguit, mortuus dicitur. Pariſienſis de illo ita ſcribit. *Godwin. in Winton.* *V. an. 1129. 6.*

Parif. hic. [Rex Anglorum Henricus in Angliam rediens, octavo Idus Auguſti: viſitavit Henricum Wintonienſem Epiſcopum jam in extremis agentem: qui pro morte Thomæ Martyris glorioſi duriſſimè ipſum increpans, multa ipſum prædixit adverſa paſſurum. Epiſcopus autem plenus dierum octavo Idus Auguſti (legendum VI. Idus Auguſti) migravit ad Dominum.] Hic eſt ille Adelæ *Filius, Stephani Regis frater, qui è Monacho Cluniacenſi factus Glaſtonienſis Abbas *anno milleſimo centeſimo ſexto, & poſt triennium Wintonienſis Epiſcopus, inde ab Eugenio Papa III. Apoſtolicæ ſedis Legatus, multa præclarè geſſit, quæ ſuprà memoravi. vir domi fortiſque illuſtriſſimus, quem Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus ita verſu ornavit. legiturque in Magna Patrum Bibliotheca. *V. an. 1013. 12.* *V. an. 1115. 2.* WINTONIENSIS EPISCOPUS ADELÆ FILIUS. *Biblio. to. 12 pars 2. inter Arnulphi Epiſt. ſ. 416* IN LAUDES WINTONIEN. EPISC.

Quod per multiplices diſpenſat gratia formas
Hoc in te totum contulit illa ſimul
Contulit illa ſimul, quicquid virtutis habere
Humanum corpus menſq; moderna poteſt.
Non aliud corpus hoc dignum mente: nec iſta
Mens alio fuerat corpore digna tegi.
Sic animus membris, animo ſe membra coaptant
Ut nulla ſeſe diſparitate gravent.
Namq; in Regali mens Regia corpore regnat
Magnanimumq; decent fortia membra virum.

Compositi mores habitum faciemq́, venustant.
Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos, & acuti luminis, ignit
Excellens sensus, ingenii q́, vigor
Informat mentem ratio, facundia linguam.
Fœcundamq́, probat rivulus uber aquam.
Fulget Rhetorico celebris sententia cultu,
Alt. is hæc animos, auribus ille placet
Res pretium verbis, rebus dant verba decorem
Nescio plus placeat, proficiatve magis.

XXV. Ad sepulchrum quod Godwinus non potuit reperire. sunt qui Wintoniæ sepultum asserunt. id disertè affirmant Antiquitates Glastonienses, quas post Guilielmum Malmesberiensem (qui suas Henrico Blesensi, sive Episcopo Wintoniensi dedicavit) continuarunt Adamus de Domesham, & Joannes Monachus. Ubi hæc habentur. [Annis quadraginta & quinque post susceptionem curæ pastoralis in Ecclesia Glastoniensi decursis: idem Præsul (Henricus) plenus annorum actuumq́; bonorum, sexto Idus Augusti, anno Domini millesimi centesimi septuagesimi primi, viam universæ carnis ingressus, Wintoniæ est sepultus.] Quod si ibi (ut videtur) parva aut nulla tanti viri memoria est sepulchri: Cur non putem inde in Gallias & Cluniacensem à morte translatum corpus. Constat sanè quo amore, quà devotione locum illum vivens coluerit: id suprà è Petri Abbatis Cluniacensis, cognomine Venerabilis, literis elicui: & constat eundem Petrum infimis precibus ab Henrico petiisse, ut ubi habitum religiosum sumpserat, ibi corpus deponeret, sic illum per literas allocutus.

Wintoniæ Henricus Episcopus sepultus.

Venerabili Domino, & Patri Charissimo
Henrico Wintoniensi Episcopo,
Frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas:
Salutem, & se
totum.

XXVI. *Volenti mihi sæpè scribere vobis, & cor meum hoc saltem remedio, amico communicare: occurrit quod alibi nusquam. Impatiens enim animus, & verbis indicare gestiens loqui æstuat, & veretur. Æstuat ut se aperiat: veretur ut displiceat. Timet, nè si multum taceat, alienus; si multum loquatur videatur importunus. Ita fit, ut & loqui, & tacere pariter reformidem. Sed malo quandoq́, in verbis excedere; quam quæ dicenda sunt, reticere. Hæc dixi, ut frequentibus, quas mitto, literis, viam faciam. Et ad eas sæpè legendas, etiam pigritantem amicum oculum vestrum aperiam. Eligo magis verbosus amicus permanere quàm taciturnus sensim ab amore languere. Et ne ultra vel me scribentem, vel vos legentem suspendam: illud unum, illud singulariter, illud præ omnibus, & super omnia, hac vice omnium rogo: & per eam salutis vestræ spem, quam in vestra Cluniaco habetis, obsecro; ut Ecclesia illi vestra, cui post Deum, animam vestram commisistis, corpus etiam non negetis. Erit hoc largitatis vestræ donum, omnibus nobis muneris charius, quod omnibus Anglicis thesauris gratius accipiemus, si in hoc vos munificum senserimus. Debet Cluniacum corpus vestrum, saltem post spiritum possidere: ut cui vos in monachatu vovistis, ei post functum sacerdotium vos reddatis. Congruum est, ut locus ille carnis vestræ sepulturam provideat, qui toto mundo devotiùs, animæ vestræ perpetuis requiem precibus providebit. Super his communae rescriptum instanter postulamus, & nobis & Capitulo mitti rogamus. De cætero fratrem Dusanum, & ejus universa negotia vestræ magnificentiæ commendamus. Quem quia gratiam totam vobis invenisse audivimus, tum ad præsens ad Angliam destinamus. Specialiter autem de Maurerio centum Marcarum vos rogamus: ut sicut illud dono quidem Regis, sed maximè vestrâ benevolentiâ & studio Cluniacus possidet: ita qualiter in pace semper possidere valeat, provideatis.*

Pet. Ven. lib. 2. Epist. 24. Abbas Cluniacensis invitat Henricum Wintoniensem ut eligat sepulturam Cluniaci.

XXVII. Dudùm hæ literæ scriptæ fuerunt, nec enim earum author vixit ad Henricum in sepulchro condendum. sed contrà Petrum Venerabilē Henricus senesivit. ut habet Petrus alter Pictaviensis monachus in Panegyrico Venerabilis Petri operibus præfixo. [Anno, inquit, Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo septimo, prima ipsius anni die, Reverendus & cum multo amore colendus Dominus Petrus viam universæ carnis ingressus est: & illâ horâ, sancta anima ejus discessit, quà credimus verbum Dei natum de Virgine Matre.] & paulò infrà: [Sepultus est itaque B. Petrus Venerabilis Petrus Cluniacensis, in capite majoris & novæ Basilicæ, cum magno honore, & grandi dolore filiorum suorum, ab illustri & Reverentissimo viro Wintoniensi Episcopo.] Ita ille. An idem Wintoniensis hoc anno mortuus, ibidem sepultus sit, hæreo. nec affirmo, quia idem Pictaviensis Petrus cùm è Chronico Cluniacensi Henrici Wintoniensis eleemosynas Cluniacensi monasterio collatas anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, ut dictum est *ibi. mox de ejus morte loquitur, nulla de sepulchro facta mentione [Anno, inquit, Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, præfatus Dominus Henricus Wintoniensis V. Idus Augusti obiit.] Non omisisset Chronicon, depositi ibi corporis, quod omnibus Anglicis thesauris gratius excepissent, mentionem: Nec item invenio Glastoniæ sepultum, licèt illius monasterii Abbas, & benefactor admodum munificus fuerit. Maneat ergo Wintoniæ sepultus, ut Glastonienses Antiquitates affirmant: & anni hujus reliqua prosequamur. Nam Henricus Rex, prædæ avidus, in Hiberniam festinat.

Panegyri Petri Pictavien. ex Chronico Cluniacensi. Petrus Abbas Cluniacensis moritur.

**V. an. 1155. 10 Auctor qui supra.*

XXVIII. Suprà dictum est, Richardum Pembrochiæ Comitem, Hiberniam intrasse: & Urbem ibi principem, suam fecisse: coactum tamen Henrico Regi cedere. Ille proferendi pomerii cupidissimus, & nova regna suo adjungendi, cùm Comitem ad sua vota flexisset, in Hiberniam parat exercitum. Quod ad tempus attinet, Parisiensis ad hunc annum ita scribit. [Per idem tempus Rex Anglorum Henricus, decimo quinto Kalendas Novembris, hostiliter Hiberniam intravit. Ubi Archiepiscopi & Episcopi ipsum in Regem & Dominum receperunt, & ei fidelitatem juraverunt.] Eundem annum consignant Rogerus noster, & ex eo Baronius, qui compendio refert, quod alter fusiùs narrat. Ego Rogerum exscribo, missis Giraldo Cambrensi, & Neoburgensi, aliisque qui de Hiberniæ acquisitione dixerunt. Itaque Rogerus cùm Henricum in Angliam è Normannia reduxisset, mox addit: [Deinde Rex magna classe navium comparatâ, fecit eas onerari victo, & armis, & congregari præcepit in portu Milford, qui prope est Pembroc. Ipse autem interim magnum congregavit exercitum equestrem, & pedestrem,

V. an. 1169. 10.

Paris. hoc. Henricus transit in Hiberniam.

Hoved. fol. 527.

ASCENDIT NAVES HENRICUS IN PORTU MILFORD, ITURUS IN HIBERNIAM CUM EXERCITU.

& venit usque ad Pembroc obviam navibus suis. Quibus congregatis & omnibus ritè peractis, ipse cum exercitu suo naves ascendit in portu Milford Sabbato decimo septimo Kalendas Novembris, & in crastino feliciter, & cum gaudio applicuit in Hibernia, in loco qui dicitur Croc, qui distat à Civitate de Waterford per octo milliaria, horâ die nonâ, cum quadringentis magnis navibus, onustis viris bellicosis, & equis & armis, & victu. Cùmque ipse de navi in terram (descendisset) quidam lepus albus prosilivit de vepribus, & statim captus, & ei oblatus est, in signum Victoriæ.] De Regis in Hiberniam appulsu ita breviter Giraldus: [Die videlicet Sancti Lucæ, transmenso maris spatio, apud Guatefordiam, Rex animosus applicuit: applicuit ergo anno regni sui decimo septimo, ætatis suæ quadragesimo primo, ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo: Præsidente, imperante, regnante, Alexandro III. Frederico, Ludovico.] Sed fallitur in anno Christi: nec enim annus ille est regni decimus septimus; qui Stephanum Regem mortuum excepit anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, sub finem anni. Unde præsentem annum millesimum centesimum septuagesimum primum, plerique numerant decimum octavum regnantis Henrici. Iterum qui nascitur anno Christi millesimo centesimo trigesimo secundo (ut *ibi dictum) superasse debuit ætatis annum quadragesimum primum, anno Christi millesimo centesimo septuagesimo secundo.

Giraldus Hiber. Exp c. 30.

APPLICAT IN HIBERNIAM.

*V an. 1132. 15.

XXIX. *Hoved. sup.* MAGNATES HIBERNIÆ EXCEPTO REGE CONACIÆ IURANT HENRICO FIDELITATEM UT DOMINO.

[In crastino adventus (pergit Rogerus) Regis Angliæ in Hiberniam, Scilicet decimo quinto Kalendas Novembris feria secundâ, Festo S. Lucæ Evangelistæ, ipse & omnes exercitus ejus profecti sunt, usque Waterford civitatem Episcopalem, & invenit ibi Willielmum Dapiferum suum, Robertum filium Bernardi, & alios quosdam de familia sua quos ipse ab Anglia præmiserat. Et ibi moram fecit per quindecim dies. Et ibi venerunt ad eum per mandatum ipsius Rex Corcensis, & Rex de Limerick, & Rex de Oxerie, & Rex de Mida, & Reginaldus de Waterford, & ferè omnes potentes de Hibernia, præter Regem de Conacta, qui dicebat se de jure esse Dominum Hiberniæ totius. Prætereà venerunt ibidem ad Regem Hiberniæ omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates totius Hiberniæ, & receperunt eum in Regem, & Dominum Hiberniæ: jurantes ei, & hæredibus ejus fidelitatem, & regnandi super eos potestatem in perpetuum; & inde dederunt ei chartas suas. Exemplo autem clericorum prædicti Reges, & Principes Hiberniæ, receperunt simili modo Henricum Regem Angliæ, in Dominum & Regem Hiberniæ, & homines sui devenerunt: & ei, & hæredibus suis fidelitatem juraverunt contra omnes homines. Quo facto Rex Angliæ misit Nicolaum Capellanum, & Radulphum Archidiaconum de Landaf, Clericos suos, unà cum Archiepiscopis, & Episcopis Hiberniæ, usque ad Cassilensem civitatem, ad celebrandum Concilium de statutis Ecclesiæ. In Concilio autem illo statutum est: ut pueri deferrentur ad Ecclesiam, & ibi baptizentur in aqua munda sub trina mersione: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et hoc à Sacerdotibus fiat; nisi metu mortis impediente, ab alio, & alias oportuerit fieri. Et tunc a quolibet fiat, sine exceptione sexus aut ordinis. Et ut decimæ dentur Ecclesiis, de omnibus quæ possidentur. Et ut omnes Laici qui uxores habere velint, eas secundùm jus Ecclesiasticum habeant.] Hæc Author.

Cogendi Concilii, ad reformandos Hibernorum mores, laus prima in Henricum refert Giraldus Cambrensis: qui pietatis & religionis studio ductus Hibernorum ruditatem polire, Apostolicæ sedis Legati auctoritate satagebat. Ita enim Cambrensis: [Silente igitur Insulâ, in conspectu Regis, & tranquillâ pace gaudente, Ecclesiæ Dei decus, Christique cultum in partibus illis magnificandi, ampliori desiderio Rex accensus: totius Cleri Hiberniæ Concilium apud Cassiliam convocavit. Ubi requisitis & auditis publicè totius terræ illius, & gentis tam enormitatibus, quàm spurcitiis: & in scriptum, & sub sigillo legati Lesmoriensis (qui cæteris ibidem dignitate tunc præerat) ex industria redactis: constitutiones sacras, quæ adhuc extant, de matrimoniis contrahendis, de decimis dandis, de Ecclesiis debitâ devotione venerandis, & frequentandis, quamplures emisit. Quas Constitutiones sub eisdem verbis quibus & promulgatæ sunt, hic interserere, non superfluum reputavi. XXX.

Idem supra l. 1. c. 33

Constitutiones Cassiliensis Concilii.

CONSTITUTIONES CONCILII.

ANNO Dominica Incarnationis 1172. (sed corrige ut suprà 1171.) *primo autem anno, quo illustrissimus Anglorum Rex, & Hiberniæ triumphator ipsam Insulam acquisivit: Christianus Lismoriensis Episcopus, & Apostolicæ sedis Legatus, Donatus Cassiliensis, Laurentius Dublinensis, & Catholicus Tuomensis Archiepiscopi, cum suffraganeis suis, & Coepiscopis, Abbatibus quoque Archidiaconis, Prioribus, & Decanis, & multis aliis Hiberniensis Ecclesiæ Prælatis: ex ipsius Triumphatoris mandato, in civitate Cassiliensi convenerunt, & de utilitate Ecclesiæ, & statu ejus in meliorem formam producendo, ibidem Concilium celebrarunt. Huic Concilio interfuerunt isti, à Rege missi, Venerabilis vir Radulphus Abbas de Buldewas, Radulfus Archidiaconus de Landaf, Nicolaus Capellanus, & alii clerici, & Nuntii Domini Regis. Concilii autem statuta subscripta sunt, & Regia sublimitatis authoritate firmata.*

XXXI. *Primò statutum est, quòd universi fideles per Hiberniam constituti, repudiato cognatorum & affinium contubernio, legitima matrimonia contrahant, & observent.*

Secundò, quòd infantes ante fores Ecclesiæ catechizentur, & in sacro fonte, in ipsis Baptismalibus Ecclesiis baptizentur.

Tertiò, quòd universi fideles Christi decimas animalium, frugum cæterarumque proventionum, Ecclesiæ cujus fuerant parochiani persolvant.

Quartò, quòd omnes terræ Ecclesiasticæ, & earum possessiones ab omnium sæcularium hominum exactione penitùs sint immunes. Et specialiter, quod nec Reguli, nec Comites, nec aliqui potentes viri Hiberniæ, nec eorum filii cum familiis suis, cibaria, & hospitalitates in territoriis Ecclesiasticis, secundùm consuetudinem, exigant. Nec amodò violenter extorquere præsumant. Et quod de villis Ecclesiarum cibus ille detestabilis, qui quater in anno a vicinis Comitibus exigitur, de cætero nullatenus exigatur.

In quinto: quod pro homicidio à Laicis perpetrato; quoties inde, cum suis inimicis componunt, clerici vi-

delicet eorum cognati nihil inde persolvant. Sed sicut in homicidio perpetratione, sic in pecunia solutione sint immunes.

*Sextò, quod universi fideles in infirmitate positi; Confessore suo, & vicinis astantibus, cum debita solemnitate testamentum condant, bona sua mobilia, dummodo uxores, & liberos habeant (ære alieno, & servientium mercede excepto) in tres partes dividant: unam liberis, alteram uxori legitimæ, tertiam propriis exequiis relinquentes. Et si fortè prolem legitimam non habuerint, bona ipsa, inter *ipsam & uxorem, in duo media dividuntur. Et si legitima uxor decesserit, inter ipsum & liberos bipartiri debent.*

*Ipsum.

Septimò & tum bona Confessione decedentibus, & Missarum, & vigiliarum exhibitione, & more sepeliendi obsequium debitum persolvatur.

XXXII. Hibernia omnia divina Ecclesiæ ipsa quod Anglicana observat Ecclesia admittit. *Itaq; omnia divina, adinstar sacrosanctæ Ecclesiæ, juxta quod Anglicana, observat Ecclesia in omnibus partibus Ecclesiæ, amodò tractentur. Dignum etenim & justissimum est ut sicut Dominum, & Regem ex Anglia, sortita est divinitus Hibernia; sic etiam exinde vivendi formam accipiant meliorem. Ipsi namq; Regi magnifico, tam Ecclesiam, quam regnum Hiberniæ debent quicquid de bono pacis & incremento religionis hactenus est assecuta. Nam ante ipsius adventum in Hiberniam, multimoda malorum genera, à multis retrò temporibus ibidem emerserant: quæ ipsius potentia, & munere, in desuetudinem abiere. Armachiensis verò Primas ob corporis imbecillitatem, & grandævitatem tunc præsens non fuerat. Sed postea Dublinam venit, Regia dispositioni per omnia favorem præbens, vulgi opinione vir sacer. Vaccam candidam cujus solum lacte vescebatur, secum, quocunque venerat, circumducens.* Hactenus Cassiliensis Synodi statuta. ubi Hiberniæ Archiepiscopi, & Episcopi humiliter & ingenuè fatentur, justum & dignissimum esse, Insulam suam ab Anglia doceri mores Ecclesiæ, quæ Rempublicam alteram componere suscepisset. Quemadmodum ergo Britannia primos Christianæ fidei radios Hiberniæ porrexit, Patritio docente, & primo Apostolo: dignum quoque & justum erat ab eadem in fidei & humanitatis constantia confirmari.

XXXIII. Dum ista in Synodo* tractantur Henricus confirmaturus sibi Insulam, cujus imperium, cessione Principum, & totius cleri oraculo susceperat; non aliud ad juris sui æternitatem deerat, quàm ut Romanus Pontifex tam Anglorum, quam Hibernorum votis accedens, suum quoque suffragium daret. ideo quod Hiberniæ Reges Archiepiscopi, & Episcopi dixerant, sigilloque firmaverant, ad Alexandrum misit, exponit Rudes popularium mores, Principum factiones, Ecclesiasticorum Canonum inscitiam. promittit se utramque Rempublicam religiosiùs suorum opera compositurum, si Insulæ Dominium, ipsi hæredibusque Romana quoque Majestas concederet. Missus in eam rem Joannes Salesberiensis, Pontifici notus, qui nuper in Angliam cum Cantuariensi Martyre venerat. De hac legatione ita Rogerus: [Rex Angliæ misit transcriptum chartarum universorum Episcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam, & ipse authoritate Apostolicâ confirmavit ipsi & hæredibus ejus regnum Hiberniæ, secundùm formam chartarum Archiepiscoporum & Episcoporum Hiberniæ,] Ita ipse. falluntur ergo qui Adrianum Pontificem natione Anglum pro Alexandro nominarunt, cùm pro Anglorum jure in Hiberniam disputatur. Unde factiosis ansa datur satis opportuna, ad calumniandum diploma illud, quod Giraldus Cambrensis Adriano affixit (cùm viso quod hujus sæculi scriptoribus in more positum) unico nominis initiali charactere A. & sciens ex Anglia Adrianum oriundum, illum non alium diplomatis authorem intellexit. Sciolus aliquis qui seriem temporum non inspectâ, & ad pauca respiciens facilè pronuntiat. Nec enim Cambrensis adeo excutivit, qui centies Alexandrum Pontificem in superioribus nominavit: Nec potuit (ut imprimitur) Adrianum intellexisse. Cùm enim Henrici in hibernia facinora retulisset, subdit.

Henricus mittit ad Alexandrum quæ egerat in Hibernia.

Hovd. fol.

Malebrunt

Hadrianum pro Alexandro.

[Interea quamquam Martiis plurimum intentus & detentus exercitiis Anglorum Rex: suæ tamen inter agendum Hiberniæ non immemor, cum prænotatis spurcitiarum literis, in Synodo Cassiliensi per industriam quæsitis; directis ad Curiam Romanam nuntiis ab Adriano Papa de Anglia oriundo, tunc præsidente privilegium impetravit, ejusdem auctoritate, & assensu Hibernico populo tam dominandi, quàm ipsum in fidei rudimentis incultissimum, Ecclesiasticis normis & disciplinis juxta Anglicanæ Ecclesiæ mores informandi. In Hiberniam itaque privilegio transmisso per Nicolaum Wallingfordem tunc Priorem Malmesburiensem quoque postmodum Abbatem, tam positum quàm depositum, necnon Gulielmum Aldelmi filium: Convocata statim apud Guaterfordiam Episcoporum Synodo, in publica audientia, ejusdem privilegii cum universitatis assensu solennis recitatio facta fuit per Joannem Saresberiensem, postmodum Episcopum Carnotensem, Romam ad hoc destinatum: per quem etiam idem Papa annulum aureum in investituræ signum præsentavit. Qui statim simul cum privilegio in Archivis Wintoniæ repositus fuerat. Unde & ejusdem privilegii tenorem hic inserere non superfluum reputavi. Erat itaque tenor hic.

Girald. Hibern. expug. l. 2. c. 6.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei, Charissimo in Christo filio Anglorum Regi Salutem & Apostolicam benedictionem.

XXXIV. Adriani diploma Henrico pro regno Hiberniæ.

Laudabiliter & fructuosè de glorioso nomine propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis tua magnificentia cogitat: cùm ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declarandam indoctis & rudibus populis Christianæ Fidei veritatem, & vitiorum plantaria, de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps intendis. Ad id convenientiùs exequendum, consilium Apostolicæ sedis exigis & favorem. In quo facto, quanto altiori consilio, & majori discretione procedis, tanto in eo feliciorem progressum, te præstante Domino confidimus habituram. Eò quod amplius ad bonum exitum & finem soleant attingere: quæ de ardore Fidei, & religionis amore, principium acceperunt. Sanè Hiberniam, & omnes Insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta Fidei acceperunt; ad jus B. Petri, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tantò in eis libentiùs plantationem fidelem, & germen gratum Deo inserimus; quantò id à nobis interno examine, distinctiùs prospicimus exigendum. Significasti siquidem nobis fili in Christo charissime, te Hiberniæ Insulam, ad subdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, &

de

de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem, & jura Ecclesiarum illius terræ illibata, & integra conservare. Nos itaque pium & laudabile desiderium tuum, cum favore congruo prosequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum velle, & acceptũ habemus; ut pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus, inserendis, pro Christianæ religionis augmento; Insulam illam ingrediaris & quæ ad honorem Dei, & salutem illius terræ spectaverint, exequaris. & illius terræ populus honorificè te recipiat, & sicut DOMINVM veneretur. Jure nimirum illibato, & integro permanente, & salvâ B. Petro & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, de singulis domibus, annuâ unius denarii pensione. Sic ergo, quod concepisti animo, effectu duxeris prosequente complendum: stude gentem illam bonis moribus informare. & agas, tam per te, quàm per illos quos ad hæc, Fide, verbo, & vita, idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi Ecclesia, plantetur, & crescat Fidei Christianæ religio: & quæ ad honorem, & salutem pertinent animarum per te taliter ordinentur: ut à Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi merearis, & in terris gloriosum nomen valeas in sæculis obtinere.

PONTIFEX VOLT UT HIBERNI EXCIPIANT HENRICUM, UT DOMINUM.

XXXVI. DISCUTITUR DIPLOMA.

Non sum is qui judicium de diplomatis hujus integritate audeam proferre, aut dicam illi, aut advocationem intendere: aliquid tamen, quia illud protuli Lectori exponere, ejusque judicio permittere debeo: Guilielmus Neoburgensis & qui hoc sæculo vixerunt, Gambrensi priores Rogerus Hovedenus, & alii quantumvis Hiberniam ab Anglis hoc tempore possessam narrent, modumque acquisiti dominii: nullam tamen impetrati diplomatis, sed implorati tantùm Pontificiæ potestatis suffragii mentionem ingerunt. Sequenti sæculo Parisiensis scripsit, & Hiberniam hoc anno ab Henrico expugnatam. fuisset historicæ veritati & Anglorum juri ingens momentum, aut diploma Annalibus intexere, aut ejus saltem, pro juris assertione, meminisse. Omissum id tamen. sicut & à Matthæo Westmonasterio, qui post Parisiensem vixit. Thomas Walsingamus, qui anno millesimo quadringentesimo quadragesimo claruit, in Hypodigmate Neustriæ, Hiberniam Henrico Regi subditam, & subjectionem juramento firmatam narrat: de diplomate nihil: denique Harpesfeldus, Polydorus & alii posteriores, nec Adrianum, nec Alexandrum Hiberniæ principatum Henrico tradidisse publico fidei instrumento affirmant. Camdenus autem, accuratus Auctor, diplomatis quidem meminit: ita tamen, ut non omnem ei fidem præstare se insinuet. Nam Giraldum sequutus hæc habet. [Coactis copiis transmisit in Hiberniam Henricus noster secundus anno Christi millesimo centesimo septuagesimo secundo, & Insulæ principatum obtinuit. Omne enim imperium suum, & potestatem, in illum transtulerunt Hiberniæ ordines, Rothericus Insulæ monarcha, proceres & populus: ut Adriani Pontificis diploma & annulum investituræ signum omittam.] Hæc ille.

AUTHORES ALIQUI NIHIL DE DIPLOMATE.

Gadovvin in Hibernia.

XXXVII. Ego certè diploma omittere salvâ historiæ fide non potui: Adriano tamen illud tribuere, quasi ab ipso hoc anno scriptum horrui: & opinor, nemo contendet. Quòd priùs illud scribere potuerit, suadent aliqua. Imprimis constat, sub Henrici Regis initia, ipsum, Adrianum, tunc Romæ sedentem, missa legatione coluisse; cùm tres Episcopi Lexoviensis, Cenomanensis, & Ebroicensis è Normannia à Rege missi: [quatenus quædam ardua negotia Regalia (de quibus non pertinet, ut enarremus ad præsens) Romæ expedirent inquit, Parisiensis, & ego *supra, suo loco dixi, de negotiis tamen & Parenthesi nihil loquutus. Jam verò inspectâ Regis indole, & dominandi cupiditate, quam ab exordio regni, in provinciarum acquisitione prodidit: Quidni putem, tunc illum animo concepisse quod diploma disertè illum concepisse affirmat? è qua clausula, & verbis illis *Significasti te Hiberniæ Insulam velle intrare*; & denique ex Apostolico indulto, *quo laudabili desiderio favor*, & *assensus* impenditur; ut Insulam illam ingrediatur: Satis, inquam, inde colligitur Henricũ, cum facultas petitur, & conceditur, Hiberniam ingressum non fuisse: ideoque datum diploma (si tamen datum) ante annum millesimum centesimum septuagesimum primum: & fortè ante annos quindecim, cum Regii oratores, apud Adrianum, Beneventi tunc morantem, pro Rege oraverunt quod à Giraldo inventum, importunè satis, & extra ordinem collocavit.

*V. an. 1156. 14.

QUANDO DATUM DIPLOMA

XXXVIII. Cæterùm Romani Pontificis calculum in dominii possessione acquirenda, petitum & impetratum nollem ab aliquo controverti. Id enim vel in senescente Anglorum monarchia, & exulceratis Normannorum exordiis, & cognitum satis, & in usu positum, ut Guilielmi Conquestoris primordia testantur. Nec enim Hibernos ad Anglorum imperia tam faciles fuisse, nisi componendæ Hibernorum Reipublicæ id fore remedium, communis Christiani orbis pater approbasset. Unde probabile admodum reddit, quod Polydorus Virgilius, historiæ suæ libro tertio decimo tradit in hunc modum: Henricus Rex, Insulæ præsidiis firmandæ, ejusque statui collocando, summa ope sibi studendum ratus: Dublinum, quæ est Insulæ princeps civitas proficiscitur. Ubi convocatis Regulis ac Episcopis agitat de imperio Insulæ si[bi] ac suis posteris perpetuando. Id Hiberni posse fieri, nisi Romani Pontificis authoritate negabant. Quod jam inde ab initio, post Christianam religionem acceptam, sese ac omnia sua, in ejus ditionem dedidissent: atque constanter affirmabant, non alium habere se Dominum præter ipsum Pontificem, id quod etiam nunc jactitant. His auditis, Rex per legatos quamprimum Alexandrum oravit; ut Hiberniam, quam ipse nuper domuerat, ad regnum Angliæ sua auctoritate adjungeret. Quod haud gravatè fecit Pontifex. Nam cum nihil inde emolumenti haberet: & Hiberni rudes, atque silvestres matrimonium (singuli enim pro opibus, quisque plures uxores habebant) multaque alia, quæ nostræ religionis sunt, nondum ritè servarent, est arbitratus illos cultiores, rerumque divinarum peritiores fore, si uni duntaxat Regi Christiano potentissimo parerent.] Hæc ille. Quæ si vera, Adriani diploma, invisum eo tempore, ideoque suspectum.

RO. PONTIFICIS CALCULUS, IN POSSESSIONEM TERRARUM, PETEBATUR

Polydo. l. 13.

HIBERNI SINE PONTIFICIS AUTHORITATE NEGANT HENRICO IMPERIUM HIBERNIÆ.

XXXIX. Sed instat Spedus, cum aliis Hiberniam, ante Henrici ingressum à nemine, qui Hibernus non esset, possessam, externam dominationem semper respuisse: indéque colligunt Romano Pontifici subditam non fuisse. Assertum probant è Neoburgensi, qui disertè affirmat libro 2. cap. 26. Hiberniam *Romanis inaccessam, rarò, & tepidè ab ullo unquam expugnatam & subactam, nunquam*

NEGA[NT] HIBERNIAM SUBDITAM PONTIFICI.

externa ditioni subjacuisse, usque ad annum a partu Virginis millesimum centesimum septuagesimum primum. Id quidem verè ab Authore dictum, si ea exceperis, quæ locum illum supra explanant: sed imperitè ab aliquibus in defectionis patrocinium affertur. Neoburgensis hostilem invasionem, & inimicos impetus intelligit; qui gladios in devictorum jugulum acuunt & stringunt: & onus grave, quod captivitatem illam sequitur. Non intelligit animarum lucra, quæ Romanus Pontifex, misso per orbem religiosis militie quærit, accipit, & onus leve Evangelicæ legis imponit, itáque animas, ne a dæmone captiventur, aptivat in obsequium fidei.

Hibernia Sanctorum Insula.

Hibernia audit Sanctorum Insula, & revera a Patricii tempore innumeros Sanctos cœlo peperit. Cedo Sanctum, qui Romana non coluerit, & dominationem illam non agnoverit. Quis matrem, quis patrem, externos dixerit? Esto igitur, externæ ditioni Hibernia nunquam ad Henrici secundi tempora non subjacuerit: Quid hoc ad Romanæ Ecclesiæ principatum, quæ in omnem Christi Ecclesiam imperium jurisque ditionem? & cur non potuit cum Psalmista dicere: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo?* atque ita Ecclesiam nulli præterquam Romano Pontifici subdere. Subdidissent autem si Romano Pontifice inconsulto, Anglicanæ Ecclesiæ servitutem promitterent.

XI. S. Thomæ miracula. *Paris hic*

Dum de Hiberniæ imperio disputatur, & sacra ibi Resp. componitur, gloriosus Christi Martyr Thomas, Anglicanam Ecclesiam, pro qua certavit usque ad mortem, mirabiliter illustrat. [nam hoc anno circa Paschalem solemnitatem (loquitur Parisiensis) Dominus Jesus Christus, qui in Sanctis suis semper est, & ubique mirabilis, gloriosissimi Martyris sui Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi vitam laudabilem, *& insuperabilem in morte constantiam crebris cœpit irradiare miraculis. Ut qui pro tuenda libertate periclitantis Ecclesiæ, suam suorúmque proscriptionem tot annis sustinuit patienter dignum pro meritis cognoscatur ab omnibus reportasse triumphum. De sepulchro quoque Martyris gloriosi, nullus in fide accedens, recedit vacuus quacumque sit infirmitate gravatus. Nam restituitur ibi claudis gressus, surdis auditus, cæcis visus, loquela mutis, sanitas leprosis, vita mortuis.] Hæc Author, benè notans Deum per miracula loquentem, velle Thomam ab omnibus coli, claréque mortalibus dicere triumpho dignum, qui in optima causâ cecidisset: nec dubium esse, quia pro Ecclesiæ libertate certare, quam Henricus minuero & delibare satagebat, sit coronam gloriæ mereri immortalem. *Interrogemus igitur ipsa miracula* (sunt verba S. Augustini) *quid nobis loquantur. Habent enim, si intelligantur linguam suam.*

August. tract. 24. in Ioan.

Et profectò tot indies domi, foris, in extremo etiam oriente mirabilia Thomæ sanctitatem, martyriíque gloriam loquuta sunt, ut publicum illi solennémque cultum decerni summi infimique postulaverint, de quo infra. Nunc vocant me Episcopi sub anathematis & censurarum Ecclesiasticarum onere gementes: qui jussi aliquando ab Alexandro, solvi à vinculis: audita postmodum Archiepiscopi morte; ceu conscii, causæque iterum eisdem innodati sunt.

XLI. Arnulphus Lexoviensis advocatus eligitur, qui Episcoporum excommunicatorum & suspensorum causam agat, apud Alexandrum Papam, & pœnam deprecetur. Ille pro Joccelino Saresberiensi Episcopo fortiter advocat: fuerat ille olim à Thoma excommunicationis sententiâ percussus. [Et supplicatum est (inquit Joannes Saresberiensis) ex parte Regis & Legatorum adhibitis multis intercessoribus Domino Papæ pro Episcopo Saresberiensi. Et tandem obtentum est Summus Pontifex sui remitteret injuriam & offensam; & Domino Cantuariensi scriberet, rogans & consulens, ut ei dimitteret injuriam suam, & ipsum à suspensionis sententia relaxans, in gratiam reciperet, & amorem: si tamen ei in propria persona, de satisfactione sufficientem præstiterit cautionem.] An data sit cautio, aut satisfecerit Joccelinus, nescio. Alexandrum tamen eidem indulsisse colligo ex Arnulphi Epistola, quam post mortem Martyris, cum Joccelinus aliique complices Episcopi ab Alexandro iterum & bonis omnibus maledicti sunt. Hanc maculam a Joccelino amovere, vel illam eluere conatur Arnulphus Epistola, quæ ita in magna Patrum Bibliotheca inscribitur.

Arnulphus Lexoviensis eligitur ut excommunicatorum, causam agat. *Ioan. Saresb. Epist. 234.*

Ad Dominum Papam Alexandrum pro *Joscelo Salesbiriensi Episcopo.

*Jocelino

XLII. *Arnulph. Epist. in Bibl. tom. 12. p. 2. fo. 412.*

*PRo Venerabili Patre nostro, & amico charissimo Jo. Salesberiensi Episcopo Majestati Vestræ preces affectuosas offerimus: & benignitati devotas gratiarum exolvimus actiones. Pepercit ei misericordia vestra, & parcendum, ei impotentia ejus ratio postulabat. quia gravitate corporis, ætatis provectu, debilitate plurima circonventus, quantum æstimare possumus, ad vestram non posset præsentiam pervenire. Super eo autem, pro quo graviorem ei vobis placuit irrogare sententiam, quantum de intimo conscientia ejus, quantum de opinione, & attestatione publicâ, quantum de propria existimatione præsumimus; quod ad factum illud lamentabile pertinet, omnino credimus innocentem. Quia nec honestas hominis, nec liberalis animi nota mansuetudo: nec adeo tot informata temporibus, tot experimentis alterius erudita providentia jus prius eum ea deseruisset. Porrò voluntas illa, ab his, a quibus opus illud tam malitiose commissum est, omni studio servabat, & abscondita; ne cujusquam præscientia concepti maleficii peepediret effectum. Quis vero, qui ejusmodi malitiæ concepisset affectum, personæ unquam, præsertim Ecclesiasticæ revelaret, cum non in unius caput stringi gladius, sed in cervicem totius Ecclesiæ videretur. Vidimus nos virum istum pro quo scribimus, in initio tempestatis inter Coepiscopos, scopo illi studiosius adhærentem, multaque, injurias pro libertate Ecclesiæ, & ipsius gratia pertulisse. Quo satis ei apud eum perseveravit gratia, donec *Reginaldus Archidiaconus, qui huic ea quam fatet etiam sanguinis affectione devinctus est, regalibus mancipatus obsequiis, Regalia capit ad vos mandata deferre, quæ util tatibus Archiepiscopi credebantur in aliquibus obviare. Dein tum est visus Patrem punire pro filio, ut eum ab obsequiis illis paternæ compassionis doloris averteret, vel ut utrumque gravior animadversio vindicaret. Verum ille zeli rigorem temperasset ad tempus: quia incassá Ecclesia quam susceperat, solum mansuetudine utilius proficere potuit, si pacificus esset ingressus ejus, suas vindicare distulisset offensas: neque repentinis insufflationibus jocunda nova corona gaudia denigrasset. Sanè de eo quod de corona factum est, Episcopi neque tunc, nec adhuc se credunt in aliquo deliquisse. quia*

*Reginaldus malè.

sicut aiunt literarum vestrarum præcessit auctoritas: & eos ad hoc ipsum multis exemplis antiquitas informabat. Si tamen in hoc eos aliqua in parte deliquisse constaret delicti tamen quantitas bonitatis Apostolicæ misericordiam non excedit. Et de reliquo, secundum assignatum a Sanctitate vestra modum de hujus innocentiá, diligentia vestra, remotá prorsus ambiguitate, constabit. Supplicamus igitur, jam cum fiducia ducimus offerendas quia ex hoc nunc tempus est miserendi, & post diutina flagella paternæ pietatis visceribus abundare. Absit enim a benignitate Vestrá, ut personam Venerabilem, tot acceptam bonis, tot laudibus illustratam, novissima senectutis suæ mœrore satiat, & amaritudine consummare. Profectò preces nulla nos audacia compulisset offerre, nisi secundum rerum veritatem, & personæ meritum ipsum Apostolica dignum misericordia crederemus.*

* preces

XLIII. Inveniuntur qui Regibus ancillantur et e Clero.

Ita Arnulphus pro Jocelino peroravit: in Thomam Martyrem paulò iniquior; quem ideo Deus miraculorum gloriá illustravit; quia futuri erant, qui viri pro Ecclesia constantiam, vel planè arguerent, vel saltem elevarent. Qui Regibus ancillantor invenire est plures, & nonnunquam è Clero aliquos, qui Ecclesiam secum in factionem trahunt, vellentque ancillam esse. Procul hi sunt ab eo spiritu, quo plenus Cantuariensis Thomas Regi restitit, & Episcopos corrigit qui Christi sponsam captivare pergebant. Unde Arnulphus qui defensionem armans, frustra omnes juris apices vexat, ut Londinensem Episcopum benè, Thomam secus fecisse convincat. Nam spiritus ubi vult spirat & sanctúsne an nequam sit probare debet Ecclesia, quam ne erret, aut vacillet, miraculorum, si opus, multitudine confirmabit: Quod factum in Thoma, omni sequentium sæculorum suffragio constat. Quare mirari jure quis poterit, cur tanto conamine Arnulphus pro Gilberto Londinensi; quem sanctus Martyr ut factionis contrariæ coriphæum norat, eoque nomine à fidelium communione removit, adlaboret: & Thomam Martyrem quem Deus Ecclesiæ suæ columnam erexit, premat. Sic enim ad AlexandrumGilberti patronus scribit. Longiuscula est Epistola, sed rebus nuper gestis opportuna.

Arnulphi Epist. biblio. tom 12. p 2. fol 482

XLIV. Arnulphus ad Alexandrum, excusat Gilbertum Lon.

PErsonam Domini Londoniensis apud Excellentiam vestram diligentius commendare supervacuum duxi: quia quod publicè notum est, nec accusatione solenni, nec multa commendationis instantia certum est indigere. Si quidem plenitudo virtutis ejus, & scientia, tot apud nos enituit argumentis tot subnixa suffragiis, tot utilitatibus approbata est: ut quod in multos dignatio divina distribuit: hoc in ipsum majoris affluentia gratia cumularit. Tractus est tamen jam diu homo sanctus in causam, & sermonibus odii circundatus & expugnatus est gratis, & invidiæ quæstionibus infestatus. Intelligit fortè quod historici de eo referunt; cum operosè Regi studens, multa animo versaret, dæmonem ei in hæc verba locutum: *O Gilberte Foliot, dum revolvis tot, & tot; Deus tuus est Ascarot.* Cui etiam Gilbertum respondisse aiunt: *Mentiris dæmon, Deus meus, est Deus Sabaoth.* Hi sermones odii fuerunt. Pergit Arnulphus: *Tractus est*, inquam, *homo sanctus in causam: si tamen causa dicenda est; ubi nullam potuit contradictio facere quæstionem: ubi nullum litigium, nulla judicialis ordinis forma processit. Ubi sine reo & teste, idem actor & judex solitariam formavit de singulari voluntate sententiam. Felicem se iste, & omni donatum beatitudine judicaret; si ei judex suus auditoris communis aream impertisset: si citatus venire, si conventus respondere, si denique dubium experiri potuisset sententia fatalis eventum. Sed in ipsum de alio regno, de transmarinis partibus, de longinquo scilicet, velut in occultis sagitta transmissa est: & hostis, dum praviderè metuit, gladium protinus capiti nescientis illisit. Solent Patres filiorum delictis virgam prius adhibere quàm baculum: & si correctio moderata non proficit, severiora postmodum flagella consumant. Utilius fuerat pepercisse personæ, in quam se noverat totam scandalizare provinciam: quia ad bonum pacis, non tam pœna unius, quàm multorum gratia profuisset.*

Dictum diaboli Londinen. eius huic responsum.

XLV. Monendus fuit Lonoinensis ante pænam excommunicationis.

Videtur de motu animi magis quam de charitate processisse, quod factum est, quia totam se protinus ad pœnam irrogandam potentia Præsidentis effudit; nihil reservans in posterum, in quo dispensare prudentia posset, vel misericordia subvenire. Fuerat fortassis primum ab Episcopali suspendendus officio, ab altaris ministerio prohibendus, à liminibus sequestrandus Ecclesiæ, ut contumaci novissimè gladio feriretur: nec ad perniciem fratris libentius cucurrisse, sed cogi videretur invitus. Neque enim salutem hominis velle credendus est, qui festinat ad sanguinem: sed delinquentes Ecclesiastica etiam censura præmunit, ut scilicet liberentur dilecti, quos pretiosi sanguinis redemit effusio: & fugiant à facie arcus, ut in contumaces tandem spicula superbè provocata descendant. Quod si etiam certum sit, transitum literis, & legatis ad eum pervium non fuisse: sed omnem viam legitimi edicti secularis terrore præclusam, delictum alienum innocentiæ istius præjudicare non debuit: nec ipsi de jure potuit pœna quam non merebatur infligi. Legitimum edictum vocat Arnulphus quo clerici prohibentur sine Regis licentiâ ad Romanum Pontificem, vel Apostolicæ Sedis Legatum transfretare: quod sanctus Martyr primò, inde Romanus Pontifex impium&illegitimum censuit: quod denique Henricus sequenti anno condemnabit: adeo Regii assentatores in devia feruntur, & Regem supra Ecclesiam collocant. Thomas certè non obstante Regis edicto, quo literæ ab ipso in Angliam mittendæ, arcebantur à litore. Nam ille scripsit, misit, & Gilbertum ad tribunal suum, ut suprà, citavit. Si reus adstare noluit, non potuit idem de perverso juris ordine conqueri. Conqueritur tamen Arnulphus, & pergit clientem ab inobedientiæ crimine liberare.

XLVI. Pergit in defensione Gilberti.

Veruntamen est delusa potestatis astutia, sagacitate perferentium aliquas ad ipsum (Londinensem Episcopum) *literas, & mandata: quibus tota diligentia paruit: omnibus scilicet vel denuntiatis publicè, vel effectui debito mancipatis. Porro in tanto discrimine rerum, consulenda videretur præsidentis authoritas: nuntiis hujus ad eum omnis negabatur accessus, nullumque paternæ charitatis extabat judicium; ubi et consilii gratia, simul & remedii copia tollebatur. Ad hæc nobis qui rerum veritatem, ex magná parte, tam experimento, quàm fideli de proximo relatione cognovimus; licet apud Majestatem vestram, de pura testimonium conscientia perhibere: virum inter minas alterius potestatis, & alterius insidias constitutum, quatenus ad eum pervenire potuit, Ecclesiasticis semper præceptionibus obedisse: nec ab initio, discordiæ causam, vel postea fomentum aliquod audacia præstitisse. Ille verò, sicut dictum est, non observatâ causa, vel ordine, virum cujus laus est in Ecclesiá, ad scandalum omnium*

bonorum,

bonorum, in facie confudit Ecclesia: & animam sanctam amaritudine simul, & mœrore complevit. Benedictus autem Deus, qui adversus hujusmodi, Sanctam Romanam Ecclesiam nobis ad solemne refugium, & remedium salutare constituit. ut ejus scilicet præsulatu reducatur ad formam: quod cujuslibet insolentia, vel imperitia denigravit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat, vestræ nimirum discretionis authoritate correctum est: accepto scilicet ab isto juramento, quod in tempore vobis complacito super his de quibus agebatur, mandatis Apostolicis obediret.

XLVII. *Stabat ergo innocens, sub vestri securus expectatione mandati; sed posterior emissa est severior quidem priore sententia, nulloque mandato, nulloque præmisso cujuslibet vocationis aut conventionis alicujus, in eidem vinculum, imò fortius, literis Majestatis vestræ retrusus est; eique remedium mansuetudinis vestræ, in quo respirare caperat, est ablatum. Mirati sunt qui audierunt, tantum adversum innocentiam personæ, tantum adversus ordinem Imprudentia vestra surripi potuisse: cum ipsum à religione juramenti nullatenus deserviisse constaret, nec ipsum postmodum in aliquo judicialis* * *experientia condemnasset. Certum est, & omnibus regionibus incolis manifestum, hominem sanctum, in his quæ male acta sunt, nihil voluntate, nihil consilio, nihil ope deliquisse, eique generale testimonium de pura omnium conscientia perhibetur, ipsum Ecclesiasticis semper præcipientibus fideliter obedisse. Sane verum est, tam ipsum, quam alios imminentis potentiæ vehementiam timuisse: majorisque periculi necessitate compulsos dissimulasse plerumque, & sæpius exhibuisse modestiam, quam rigorem: & tanquam seductores mentium potestatis, consultis quandoque blanditiis delinisse, ut eis veritatem justitiæ, quatenus id fieri poterat, puritas conscientiæ reservaret. Profectò in articulo dierum illorum vidimus statum Ecclesiæ partium nostrarum sub tanto discrimine constitutum; ut scissuræ quantitatem, nulla potentia, nulla divitiæ, nulla posset ad plenum diligentia resarcire. Nec expers tanti mali ipsa etiam Romana Ecclesia præterisset: nisi incendium, quod crescebat, pontificalis temperantia extinxisset.*

* fortè *sententia*

XLVIII. INTERCEDIT PRO EODEM APUD ALEXANDRUM. *Super quo quantas possumus de intimo cordium sanctæ providentiæ Vestræ gratiarum referimus actiones, quod paterna nobis clementia pepercistis, & malum à nobis longanimi patientiâ studuistis avertere, quod nostris credebatur proculdubiò cervicibus imminere. Inde est quòd post multos metus, laboresque diutinos, & naufragium imminens, portus nobis securitatis, & tranquillitatis incipit apparere: certaque spe, per merita vestra, lætos exitus, & jocundos præstolamur eventus. Porrò, licet personam, pro quâ scribimus, facile sit in omnibus excusare: testimonia tamen & preces Venerabilium personarum benignitati Vestræ credidit offerendas, quæ nulla unquam audacia vestram attentarent in aliquo fallere Sanctitatem. Quod si ad omnimodam fidei firmitatem, alterius procedendum crediderit vestra discretio: paratus est coram Legatis vestris, aut personis quibus hoc vobis delegare placuerit,*

EXCUSAT EUM QUÒD ROMAM NON VENERIT. *omnem a se culpam, manifesta veritate depellere: & si res altiùs discussa fuerint, invenietur in plerisque laudem quoque plurimam sagaci solertia meruisse. Affectabat omnis desiderio ad vestram venire præsentiam, idque jam secundo, an posset, expertus est. Sed progressus aliquantulum ætas provectior, personæ gravitas, difficultas itineris, & senectuti semper cognata debilitas reduxerunt. Ad hæc non solum nostra pro eo, sed totius regni, imo etiam regnorum desideria, pietatis vestræ genibus advolvuntur: ut secundum datum vobis à Deo spiritum, justitiam ejus conservetis illæsam: aut si quid etiam imperfectionis est, oculi videant æquitatem: quia nihil de indulgentia beneficio consequetur, quod non excedentia personæ merita recompensent. Et nos quidem illa ad nullius sugillationem, sed ad hujus proventum scribenda censuimus: quia & huic Apostolica poterit gratia providere, & aliis nihilominus, de ejusdem discretionis, & mansuetudinis copiâ subvenire.* Hactenus Orator.

XLIX. GILBERTUS LONDINEN. TRANSFRETAT AD PONTIF. *Paris an. 1169.* Nescio an hoc anno scripta sit Epistola; quia nulla Thomæ Martyris mentio, & tota in Gilberti laudibus Panegyris versatur: ille Sanctus non semel, ille semper innocens appellatur: nihil consilio, nihil voluntate, nihil ope deliquisse asseritur. & tamen in Matthæo Parisiensi legitur ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum nonum. [Gilbertus Londonensis Episcopus transfretavit, suam Domino Papæ exhibiturus præsentiam, & causas appellationis redditurus. Quo veniente ad Regem Anglorum in Normanniam, tractare cœperunt communiter, quomodo Beatum Thomam Cantuariensem dolo circumvenirent, & causam ejus justissimam in conspectu Summi Pontificis denigrarent. Tandem in hoc consenserunt, ut Rex Romam mitteret solemnes nuntios cum literis ipsius, in quibus expressè Domino Papæ denuntiaret: quod nisi superbiam Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, severitatis pede contereret: ipse & omnes Barones Angliæ, cum viris Ecclesiasticis ab ejus obedientiâ recederent.] Hæc ille; quæ si vera: nescio cur Arnulphus; qui olim pientissimè pro Alexandro contra Antipapam pugnavit; nunc Gilbertum toties sanctum, toties innocentem pronuntiet: qui ab Alexandro voluit recedere, & secum trahere omnem Angliæ Clerum. nam Henrico à consiliis fuisse in iis omnibus, quæ Thomam urgebant, non solum Parisiensis, sed quotquot Gilberto favent, affirmant. Favent autem factiosi omnes. unde Godwinus ita scripsit: [In omnibus illis turbis, & contentionibus, quæ inter Becketum & Regem excitatæ sunt, Gilbertus constantissimè semper fidelissiméque Regi adhæsit: & omnium ejus consiliorum particeps fuit: ideóque Pontificem non leviter habuit infensum. A quo nimirum excommunicationis sententia bis tactus est.] quæ aliquid arguunt ab Arnulphi sententiâ alienum. Unde videre est non Angliæ modò, sed Normanniæ quoque Episcopos morbo Regio laborasse. Nam morbum fuisse, quo Gilbertus aliique affecti sunt; probat medicina, quam sequenti anno Apostolicæ Sedis Legati eisdem porrexere.

Godwin. in London. GILBERTUS SEMPER ADHÆSIT HENRICO.

L. LUGET ECCLESIA CANTUARIENSIS. *Paris hoc* Luget interim Cantuariensis Ecclesia, & mœrorem è morte Pastoris multis testatur argumentis. [Nam post mortem Beati Thomæ Martyris (ita scribit ad hunc annum Parisiensis) ferè anno integro Cantuariensis Ecclesia, à divinis cessans obsequiis, continuis perstitit in lamentis: subversum est Ecclesiæ pavimentum, sonus est campanarum suspensus, nudati sunt parietes ornamentis: & sic quasi in cinere & cilicio exequias in tristitiâ & mœrore persolvit.] Non profuit ad ponendum luctum novi Præsulis electio, quâ præcipites monachi, Robertum Beccensis monasterii, uno alterove post Thomæ martyrium elapso, in ejus locum substituere laborarunt. nam ille prudentior, & citæ electionis modum, &

nuperam tempestatem veritus, monachorum votis noluit accedere. Adde: Henricus Rex, & viciniores Episcopi, se inconsultis factam electionem non nisi ægrè laturi erant. Caruit ergò Ecclesia Præsule, quamdiu tempestas Clerum vexavit. Noluit tamen Alexander Pontifex Cantuarienses porrò lugere, sed mandat Ecclesiam, quam nefaria manus sanguinis effusione violaverat, iterum de more benedici. quod sub finem hujus anni factum, teste Parisiensi: [Tandem (inquit ille) ad matris suæ Dorobernensis Ecclesiæ vocationem in festo S. Thomæ Apostoli suffraganei convenerunt Episcopi, ut Ecclesiam longâ suspensione consternatam, juxta mandatum Domini Papæ, in pristinum statum reformarent. Igitur Bartholomæus Exoniensis Episcopus, ad petitionem conventus, Missam celebraturus solemnem, & sermonem ad populum habiturus, sic exorsus est. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant animam meam.*]

Quanto tempore caruit Prælato.

Paris suprà.

Cantuariensis Ecclesia reconciliatur.

LI. Ad leniendum etiam monachorum luctum facit Epistola Petri Blesensis, quam hoc anno scripsit, monachos arguens, quod præter vicinorum conscientiam Episcopum elegerunt. & inscripsit ita:

Petri Blesen. Epist. 27.

Charissimis Fratribus & amicis suis Canonicis de Bello videre, Magister Petrus Blesensis Bathoniensis Archidiaconus, Salutem & dilectionem.

Laus S. Thomæ.

Decessit Pastor animarum nostrarum, cujus obitum flere decreveram: sed recessit, non decessit: Abiit, non obiit. Mors enim per quam mirificavit Dominus Sanctum suum, non est mors, sed dormitio: potius mortis, & porta vitæ, introitus in delicias cælestis patriæ, in potentias Domini, in abyssum claritatis æternæ. Peregrè siquidem profecturus, sacculum pecuniæ secum detulit, in plenilunio reversurus. Ejus enim anima, dives meritis, recedens à corpore, in resurrectione generali, & plena, ad antiquum hospitium revertetur: cum multas virtutes, quasi merces varias, in unum fasciculum comportaverit, ad cælestes nundinas profecturus: plena dierum vetula, mors sæculi scilicet, anus improba, litigiosa, querula, importuna, invida, inimica, & subdola cœpit revolvere sarcinulas ejus, & scrupulosiùs explorare, si quid esset in illo meritorum involucro, quod ad ipsius dominium pertineret. Ipse autem tanquam vir circumspectus & prudens noluit vitæ suæ sustinere dispendium. Diu enim desideraverat dissolvi, & esse cum Christo: & tunc permaximè suspirabat exire de corpore mortis hujus. modicum igitur pulveris projecit in os vetulæ, quasi vice tributi, & nomine vectigalis. Inde cœpit falsus ille rumor populariter evagari, & passim plebescere: quia fera pessima devoravit Ioseph. Tunica siquidem quâ spoliatus est, fallax nuntia mortis erat. Ioseph enim vivit, & dominatur in totâ terrâ Ægypti. Beata ejus anima, corruptibilibus exonerata exuviis, de pulvere hujus conversationis libera, evolavit in cælum. Assumpta est ab eo qui dicit: Vado parare vobis locum: iterum autem veniam, & assumam vos ad meipsum. Consummatus in brevi explevit tempora multa: raptus est nè malitia immutaret intellectum ejus. Vocatus est in cælum, quo mundus non erat dignus: Nec est extincta hæc, sed flatu transitorio percussa est, ut luminosius splendeat; & jam non sub modio abscondita luceat omnibus qui in domo sunt. Visus est oculis insipientium mori: sed vita ejus abscondita est cum Christo in Deo. mors enim vicisse, & absorbuisse visa est: sed absorpta est mors in victoriâ.

LII. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei Domine: diu enim militaverat tibi, propter verba labiorum tuorum custodiens vias duras. Sanè à primitivis adolescentiæ moribus, cœpit morum maturitate senescere: atque carnalis insolentiæ motus vigiliis, jejuniis, disciplinis, cilicio, & jugis continentiæ balteo cohibere. Vocatus est itaque à Domino, tanquam Aaron ad dandam scientiam salutis plebi ejus: reddere populum acceptabilem Domino sectatorem bonorum operum, & parare Domino plebem perfectam. Elegit enim Dominus in Sacerdotem sibi, ut esset in populo ejus ductor, & Doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, & sanctitatis exemplum. Deus scientiarum Dominus, dederat ei linguam eruditam, & infuderat ei abundanter spiritum sapientiæ, & intellectus, ut esset inter doctos, doctior: inter sapientes, sapientior; inter optimos, melior, inter humiles, socius: inter maximos, major. Erat præco verbi divini, tuba Evangelii, amicus sponsi, columna Cleri, oculus cæci, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen, Minister altissimi, Vicarius Christi, Christus Domini. Tota conversatio ejus erat schola honestatis, morum ædificatio, & structura salutis. Erat in judicio rectus, in dispensatione industrius, in præcipiendo discretus, in loquendo modestus, in consilio circumspectus, parcissimus in cibo recipiendo, in donando largissimus, in corde pacificus, in carne Angelus, inter injurias mansuetus, timidus in prosperis, securus in adversis, in eleemosynis effusus, in misericordiis totus. Erat religiosorum gloria, deliciæ plebis, timor Principum, Deus Pharaonis. De isto possumus fiducialiter dicere, & cantare, quia post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ: qui nec acceptor munerum, nec acceptator dignatus est esse personarum. Ceteri in eminentia Cathedralis apicem sublimati, statim curam carnis propensiùs agunt, circumspectiùs se diætant: non minùs timent corporis ægritudinem, quàm gehennam, & in omnibus spatium vitæ productioris affectant. Iste verò à primo suæ promotionis ingressu, summo desiderio appetebat finem vitæ: imò ut veriùs loquar, vivendi principium. Nam sicut Salomon ait. Cum consummaverit homo, tunc incipit. Hujus enim vitæ transeuntis egressus; ingressus est ad illam quæ non transit, nec desinit; vitam. A teneris enim annis incipiens, singulis ætatibus, quasi singulis diei horis; tanquam diligens cultor & strenuus in vinea Domini Sabaoth laboravit, & sic in consummatione Sanctorum vitæ transitoriæ cursum clausit, sanè jam diu conversatione cælestis, & à corpore peregrinans, anhelabat ad illas cælestes delicias, temporalis vitæ transire compendio. Ideo propositum & signum peregrinationis arripiens, de torrente in viâ bibit; propterea exaltatum est nomen ejus in patriâ.*

Quis fuit S. Thomas, et qualis.

LIII. *Sic Domini, & fratres nostri monachi Cathedrales, pupilli facti sunt absque Patre. Deus autem qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum* JESUM CHRISTUM; *ipse (ut verbo Moysi utar) provideat virum super multitudinem hanc. Porrò plurimi conqueruntur, & impatientissimè ferunt: quod Christi tunica inconsutilis, inter eos & Episcopos scissa est. Nec tantum vacca, & aries: sed turtur & columba divisa sunt, & altrinsecùs separata. Ausa est irrumpere usque ad religionis professores, magistra illa discordia, odii fomes, & occasio scandalorum, præsumptuosa, scilicet, usurpatio seorsum & singulariter eligendi: ut contempta, & abjecta Episcoporum & Abbatum deliberatione*

INVEHIT IN CLANDESTINAM ELECTIONEM

communi, fieret electio clandestina, & furtiva, & consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis, & moribus reprobata. Omnes cæteri, qui nunc injuriam & contemptum suum reputant, eam quam Monachi fecerunt electionem, in personam, quæ nominata est, sua vota libenter, & unanimiter, sine omni scissurâ, & scandalo, contulissent. Nunc autem vereor, ne hæc electio, quod Deus avertat, fit ejus dejectio: & hæc acquisitio umbratica libertatis, convertatur Ecclesia Christi in materiam servitutis. Sanè pestis hæc, & alia innumera corpus Ecclesiæ generalis hodie inficiunt, & corrumpunt. Irruunt Laici in Sancta Sanctorum: Sanctuarii verò lapides disperguntur in capite omnium platearum. Convertuntur hodie claustra in castra & fora: religiosi in ethnicos, Pastores in lupos, lilium in spinam, aurum in scoriam, frumentum in lolium, vinum in acetum, oleum in amurcam. Respiciat Dominus in faciem testamenti sui: & non det in conculcationem vineam, quam plantavit dextera ejus, Ecclesiam; quam acquisivit sanguine suo. Suscitet spiritum Moysi, & erigat cornu illius unicornis, Episcopi illius unicè summi, & singulariter generalis: quatenus arripiat judicium manus ejus: ut cornu suo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ, contra sacerdotes Baal, contra Pastores pascentes seipsos; contra judices condentes iniquas leges, contra Canes mutos non valentes latrare, contra amphoram Zachariæ, contra vasa Pastoris stulti, contra ambitionem Simonis Magi, contra tyrannidem sæculi, & ambitionem claustri, contra prævaricantes, contra arrogantes, contra oppressores pauperum, contra turbatores Ecclesiasticæ pacis, & fidei subversores. Ita Petrus.

LIV. Detumuit, opinor, religiosus hic impetus; cum Robertum præcipitanti suffragio electum, aliàs magistratu cathedrâque dignissimum, declinasse Sedem intellexit. Sed occasione solœcismi è cathedralium monachorum luctu emergentis, illosque inconcinnè loqui cogentis, in omnem Cleri ac Monachorum ambitionem invehitur. Nec Laico parcit aut Regibus, qui Sanctuarium ingredi, & Leges ibi figere, ac refigere nitebantur. Enim sub Henrici regnantis umbrâ tenebriones aliqui Ecclesiam hoc tempore pessundederunt, & adhuc pessundabunt; donec posito fastu Regio Henricus è solio ad Thomæ corpus procumbet, & pœnas det quas meritus est: tunc quiescent agere perversè qui priùs Sanctuarii lapides dispersérunt. De quibus Deo dicere possumus: *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli Leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo,* & Ecclesia, *escam sibi. Ortus est sol, & congregabuntur, & in cubilibus suis collocabuntur.* Nunc ad Lucem pergo Ecclesiæ, & Henrici luctum.

Psalm. 103. v. 21 22.23.

ANNUS CHRISTI 1172.

ALEXANDRI III. PAPÆ 14.

HENRICI II. REGIS 18.

I. APOSTOLICÆ Sedis Legati, Theodinus & Albertus, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo in Normanniam venientes, de Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, de crudeli illo, & omnibus sæculis detestando parricidio, de flagitii authoribus, consciis, & complicibus, Apostolica potestate freti quærunt, & reos puniunt. De Episcopis etiam, quos Martyr excommunicationis vinculo, vel suspensionis innodaverat, sententiam pro meritis dicunt. Ad tempus quod attinet & Regis cum Cardinalibus congressum, non aliò, quàm ad hunc annum referri potest. nam Henricum superiùs in Hiberniâ occupatum reliquimus, ubi regno componendo & Anglorum colonias deducendo, annus ferè consumitur: Unde Rogerus accuratus annorum supputator ita scribit. [Anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo secundo; qui erat annus decimus octavus regni Regis Henrici octavi. Idem Rex fuit in Hiberniâ apud Diveline, die Natalis, quæ Sabbato evenit. Et ibi festum Regale tenuit. & factâ ibi morâ usque ad caput jejunii, perrexit inde ad civitatem de Wessefford, & ibi moram fecit usque ad Pascha. Dum autem ibi moram faceret, Theodinus & Albertus Cardinales, missi à latere Summi Pontificis, venerunt in Normanniam. Quorum adventu cognito, Rex ad eos ire properavit. Sed antequam ab Hibernia recederet, dedit, & charta sua confirmavit Hugoni de Lasci, totam terram de Mida, cum omnibus pertinentiis suis: tenendam in feodo, & hæreditate, de ipso & hæredibus suis per servitium centum militum: & tradidit ei in custodia civitatem Divelinæ, & constituit eum Justitiarium Hiberniæ. Et tradidit Roberto, filio Bernardi in custodia civitatem Watefordiæ, & civitatem Wessefordiæ, cum pertinentiis earum: & præcepit castella in iis firmari.

APOSTOLICI LEGATI INQUIRUNT DE MORTE S. TH. EXCOMMUNICANT COMPLICES.

Hoveden. h. c.

HENRICUS HUGONI DE LASCI TRADIT MULTAS TERRAS, ET FACIT JUSTICIARIUM HIBERNIÆ.

Adveniente solennitate Paschali, familia Regis transfretavit de Hiberniâ in Angliam, ipso die Paschæ: & applicuit in portu de Milford, juxta Pembroc. Rex verò propter diem solennem, illo die mare intrare noluit: sed in crastino mare intravit, & applicuit in Wallia, propter sanctum David.] Ita Rogerus: In Anglia mansit exiguo tempore Henricus Rex: tum quia Ludovicus Francorum illi indignatus ob Sancti Thomæ necem, magnam nomini ejus invidiam moverat, Sedem etiam Apostolicam & plures Principes in eum concitarat: Unde & honori suo, & Normanniæ consulens, ad Cardinales festinat: & post unum alterúmque congressum, injunctam sibi pœnam humiliter amplexans, à Legatis absolvitur. Nec enim elata cervix ad pœnitentiæ jugum subeundum flecti primo impetu potuit. In primo Legatorum & Regis congressu (qui à Quadrilogo apud Corbin scribitur: à Baronio, ad Gorram) non invenio de homicidio tractatum: sed tantùm Francorum Regis querelas expositas, & sopitas. Unde Rogerus videtur locum rectiùs nominasse: cum Henricum ex Anglia edúcit in hunc modum. [Deinde venit Rex cum festinatione ad Portesmuth, & ducens secum Henricum filium suum, transfretavit ab Angliâ in Normanniam, & invenit apud Cadomum prædictos Cardinales, & consilio eorum pacem fecit cum Ludovico Rege Francorum de coronatione filiæ suæ: ita quòd ex consensu & consilio prædictorum Cardinalium remisit filium suum in Angliam, & cum eo Rothrodum, Rothomagensem Archiepiscopum, & Ægidium Ebroicensem Episcopum

II. HENRICUS FESTINAT EX HIBERNIA AD LEGATOS, INJUNCTAM PŒNAM HUMILITER AMPLEXATUR.

Quadrilog. l. 4. c. 5. Baron. hic.

Hoveden. fol. 529.

copum, & Rogerum Wigorniensem Episcopum, ad coronandum illum, & Margaretam uxorem suam, filiam Ludovici Regis. & coronaverunt eos Wintoniæ, in Ecclesiâ Sancti Swithuni sexto Kalend. Septembris. & statim post coronationem, Rex filius, & Regina uxor ejus, & Archiepiscopus Rothomagensis, & Ebroicensis & Wigorniensis Episcopi transfretaverunt de Angliâ in Normanniam.] Quid ab Episcoporum reditu factum, dicat Quadrilogus. & eadem habet è Vaticano Codice Baronius: quod tamen priùs factum videtur.

III. *Quadrilog. & Baron. suprà.* CONVENIT REX CUM CARDINALIBUS APUD ABRINCAS.

[In crastino venerunt Saviniacum (Rex & Legati) ubi Archiepiscopus Rothomagensis, & multi Episcopi, & Proceres convenerunt. Cúmque ibidem de pace diu tractatum esset, quam Rex, secundùm mandatum eorum absolutè jurare renuit: Rex ab eis cum indignatione recessit in hæc verba: Redeo, inquit, in Hiberniam: ubi multa mihi incumbunt. Vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit, & agite Legationem sicut vobis injunctum est. sicque ab eis discessit. Tunc Cardinales habito altiori consilio revocaverunt Episcópum Lexoviensem, & Archidiaconum Salesberiensem, & Archidiaconum Pictaviensem: & per eos elaboratum est, quòd sextâ feriâ sequente, Rex & Cardinales, apud Abrincas convenerunt. Ibíque omninò conventum est inter eos, ita quòd Rex quicquid ex parte Cardinalium propositum est, benignè suscepit, & concessit. Sed quia Rex filium suum adesse voluit, in quod Pater promitteret, ille etiam assereraret, terminus rei dilatus est usque ad sequentem Dominicam proximam, videlicet ante Ascensionem Domini. Tunc in publicâ audientiâ, Rex manu suâ tactis sacrosanctis Evangelils juravit: quod neque mandavit, neque voluit, quòd Archiepiscopus Cantuariensis interficeretur: & quòd auditâ morte ejus, plùs inde doluit, quàm lætatus est. Addidit etiam ex propriâ voluntate, quòd de morte Patris sui, vel matris suæ, nunquam tantùm doluit. Juravit etiam, quòd quamcumque pœnitentiam ei Cardinales injungerent, vel satisfactionem, plenariè exequeretur. Dicebat etiam coram omnibus, se intelligere, quòd causa esset mortis Archiepiscopi: & quicquid factum fuit; propter eum factum esse. Non quod ipse mandaverit: sed quod amici & familiares ejus, videntes turbationem vultus ejus, & oculorum; & cognoscentes etiam dolorem cordis: & sæpè audientes quærula verba ejus de Archiepiscopo: injuriam ejus, absque conscientiâ ipsius, ulcisci parabant. Et ideo cum humilitate, & devotione, ad omnia quæ Legati juberent, se expositum asserebat.

PROMITTIT SATISFACTIONEM.

IV. * *alit.* QUÆ INJUNGITUR A PONTIFICE HENRICO.

Tunc injunctum est eis à Legatis: quod * inveniret ducentos milites, per annum integrum suis sumptibus. Videlicet unicuique militi (dans) trecentos aureos, in terra Jerosolymitanâ contra paganos, secundùm dispositionem Templariorum.

Secundò, ut prava statuta de Clarendonâ: & omnes malas consuetudines, quæ in diebus suis in Ecclesias Dei inductæ sunt, penitùs dimitteret. Si quæ autem fuerint malæ, ante tempora sua, illas juxta mandatum Domini Papæ, & consilio religiosorum virorum temperaret.

Tertiò, quòd Ecclesiæ Cantuariensi omnem integritatem suam in terris, & in aliis rebus restitueret; sicut fuit anno antequam iram Regis Archiepiscopus incurreret, & quòd omnes, quibus offensus erat propter Archiepiscopum, pacem & amorem redderet, & possessionum suarum plenitudinem.

Quartò: quòd si necesse fuerit, & Dominus Papa ei mandaverit, ibit in Hispaniam, ad liberandam terram illam à Paganis. Injunxerunt etiam secretiùs jejunia & eleemosynas, & alia quædam quæ ad communem audientiam non pervenerunt.

REX PRÆBUIT OMNIBUS ASSENSUM.

Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præbuit: ita quòd coram omnibus dixit: Ecce, inquit, Domini Legati, corpus meum in manu vestrâ est: Scitote pro certo, quod quicquid jusseritis; sive proficiscendo Jerosolymam, sive Romam, sive ad Sanctum Jacobum: vel quicquid illud sit, paratus sum obtemperare. Unde ferè cuncti qui aderant videntes humilitatem & devotionem ejus vix poterant lacrymas continere.

V. LEGATI ABSOLVUNT REGEM.

His expletis, nè quid ad boni consummationem deesset: deduxerunt Legati eum, ex propriâ Regis voluntate, extra ostium Ecclesiæ; Ibíque flexis genibus, non tamen exutus vestibus, neque verberibus appositis absolutus est, & in Ecclesiam introductus. Et ut aliqui de regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent; statuerunt, quòd Archiepiscopus Turonensis, & suffraganei ejus, coram Rege, à Legatis præsentiam suam exhiberent apud Cadomum proximâ die Martis post Ascensionem Domini. Quod Rex juravit: filius suus manu suâ firmavit in manu Domini Alberti Cardinalis, se ex parte suâ servaturum. Etsi Rex Pater, vel morte, vel aliâ causâ manifestâ præpeditus, pœnitentiam prædictam complere non posset; quod ipse perficeret. Et quidem Regis pœnitentia sic erat tunc devota, & tam humilis; ut ipsi Cardinales videntes eam, illius in psalmographo veritatem versiculi, visis paradigmatibus, contestarentur: Qui respicit terram, & facit eam tremere: Qui tangit montes & fumigant.] Hæc omnia Quadrilogus, omittens id quod è Vaticano Codice addit Baronius: [Nimirum injunctum Regi, quod in sequentibus Christi Natalitiis, Crucem acciperet, per triennium in Palæstinâ militaturus: si Alexandro Papæ, aut successori ejus necessarium, aut utile videretur. Cæterùm utriusque Regis, Parentis & filii, juramentum, in manibus Legatorum exhibitum asservatur in Actis ipsius Alexandri Papæ, ita descriptum, inquit Baronius:

FILIUS REGIS FIRMAT, QUÆ IPSE JURAVIT.

INJUNCTŨ REGI UT CRUCEM ACCIPIAT TRIENNIO IN PALÆSTINA MILITATURUS.

VI. JURAMENTUM REGIS HENRICI. *apud Baron. hoc.*

Ego Henricus Rex juro super hæc sancta Dei Evangelia, quòd mortem Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, neque cogitavi, neque scivi, neque fieri præcepi. Et quando cognovi factum fuisse perpetratum, tristis effectus sum magis quàm si proprium meum filium cognovissem interfectum. Sed in hoc, non me valeo excusare, quod occasione commotionis & iracundiæ meæ, quam adversus sanctum virum conceperam, interfectus fuit. Portò pro hujusmodi reatu; quia causam mortis ejus dedisse videor: milites ducentos, sub expensis meis, ad defensionem Christianitatis, absque dilatione, Hierosolymam destinabo per annum ibi permansuros: vel tantum eis persolvam, unde totidem milites per annum ibi valeant commorari. Signum quoque Dominicæ Crucis usque ad triennium accipiam, & in propriâ personâ illuc proficiscar, nisi de Romani Pontificis licentiâ remaneam. Illicitas consuetudines, quas temporibus meis in totâ terrâ meâ introduxi, penitùs

casso;

casso: & ex hoc minimè observari decerno. Appellationes verò ad Apostolicam Sedem, de cætero liberè fieri permittam, & in hoc neminem prohibebo. Hic alia addidit, quæ priùs Clarendonæ sanxerat: unde orta inter eum & Martyrem discordia, quæ supra* reddidi. denique subjunxit: *Præterea ego, & major filius meus Rex juramus, quòd à Domino Alexandro Papa, & Catholicis ejus successoribus recipiemus & tenebimus regnum Angliæ: Et nos & successores nostri in perpetuum non reputabimus nos Angliæ Reges, donec ipsi nos Catholicos Reges tenuerint.* Ita in Actis Alexandri Papæ, inquit Baronius, & addit: [At hæc licet postrema in Legatorum Cardinalium schedulâ, non continentur: sed hæc tantùm: Juraverunt ambo, quòd à vobis & successoribus vestris non recedent; quamdiu eos sicut Christianos Reges & Catholicos habueritis. Tamen confirmatur esse verum ex literis Henrici Regis sequenti anno suo loco reddendis.] Ita Baronius.

* v. an. 1164. n. 30.

VII. Cæterùm quæ facta sunt hoc anno sub Dominicæ Ascensionis tempus; eadem ab Henrico iterum confirmantur eodem anno in generali conventu sub mensem Septembrem, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, utroque Rege Henrico, & Normanniæ Episcopis. De quo Rogerus: (Henricus Rex Angliæ, Pater (inquit) & Henricus Rex filius ejus, & Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus, & omnes Episcopi, & Abbates Normanniæ convenerunt apud Abrincam civitatem, in præsentia Theodini, & Alberti Cardinalium. In quorum audientiâ Rex Angliæ Pater, quinto Kalendarum Octobris, feria quartâ, festo sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum, in Ecclesiâ sancti Andreæ Apostoli purgavit innocentiam suam, coram prædictis Cardinalibus, & omni Clero, & populo, præstito sacramento super Sanctorum reliquias, & super Sancta Evangelia: quòd ipse, nec præcepit, nec voluit, quod Archiepiscopus Cantuariensis occideretur; & cætera. ut supra. Apponit ad hæc publicum tunc confectum instrumentum, cui ista præmittit: Et ut hæc in memoria Romanæ Ecclesiæ haberentur, Rex Pater fecit apponi sigillum suum scripto illi in quo prædicta capitula continebantur una cum sigillis prædictorum Cardinalium in hanc formam:

Rog. Hoved. fol. 529

Purgavit se Rex de morte S. Thom.

Henrico Dei gratia illustri Regi Anglorum: Albertus titulo Sancti Laurentii in Lucina; & Theodinus tituli S. Vitalis Presbyteri Cardinales. Apostolicæ Sedis Legati. Salûtem in eo qui dat Salutem Regibus.

VIII. Legatorum Epistola ad Henricum.

Ne in dubium veniant, quæ geruntur; & usu habet, & communis consideratio utilitatis exposuit, ut scripturæ serie debeant annotari. Inde quidem quod nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum: quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, occasione motus & turbationis, quam viderunt in vobis, ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen facto, purgationem in præsentiâ nostrâ, de voluntate propria præstitistis: quod videlicet, nec præcepistis, nec voluistis, ut occideretur. Et quando pervenit ad vos, plurimum condoluistis. Ab instanti siquidem festo Pentecostes, usque ad annum, tantam dabitis pecuniam, unde ad arbitrium fratrum Templi, ducenti milites valeant, ad defensionem terræ Hierosolymitanæ, per spatium unius anni, teneri. Vos autem à sequenti Nativitate Domini, usque ad triennium accipietis Crucem, proximâ tunc æstate, illuc in propria personâ, ducente Domino, profecturi: nisi remanseritis per Dominum Papam, vel Catholicos successores ejus. Sanè si contra Saracenos, pro urgente necessitate, in Hispaniam profecti fueritis: quantum temporis fuerit, ex quo arripueritis iter; tantumdem supradictum spatium Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare.

Quæ juravit Henricus præstare.

IX. *Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin liberè fiant in Ecclesiasticis causis, ad Romanum Pontificem, bona fide, & absque fraude, & malo ingenio, ut per Romanum Pontificem causæ tractentur, & consequantur effectum suum. Sic tamen, ut si vobis suspecti fuerint, securitatem faciant, quod malum vestrum, vel regni vestri non quærent. Consuetudines quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ vestræ, in tempore vestro, penitus dimittetis. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in plenum restituetis: sicut habuit uno anno antequam Archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & Laicis utriusque sexus, pacem, vestram in gratiam, & possessiones suas restituetis: quibus occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis auctoritate Domini Papæ, in remissionem peccatorum vestrorum injungimus, & præcipimus observare, absque fraude, & malo ingenio. Hoc sanè coram multitudine personarum jurâvistis vos pro divina reverentia majestatis. Iuravit & filius vester, excepto eo, quod personam vestram specialiter contingebat. Et jurastis ambo, quod à Papa, Domino Alexandro, & Catholicis successoribus ejus, quamdiu vos sicut antecessores vestros, & Catholicos Reges, habuerint, minimè recedetis. Atque ut in memoria Romanæ Ecclesiæ firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi.*

Juravit se interpellantes ad Pontificem non impediturum.

X. Quoniam verò enorme facinus Cantuariæ commissum Europam omnem criminis atrocitate impleverat: & Henrici nomen, Angliæ quoque & Normanniæ in parricidii societatem vocabatur, prudenter æstimatum est, ad eluendam infamiam, Henrici Regis pœnitentiam, publicari. Hinc Apostolicæ Sedis Legati, cum publicum facti instrumentum, & pœnitentiæ tabulas confecissent, cum Romanum etiam Pontificem omnia docuissent: ad alias quoque Ecclesias, quà literarum, quà nuntiorum commercio, rerum gestarum seriem transmiserunt: quo Ecclesia omnis, quæ Anglicanæ Ecclesiæ scissuram noverat, & horruerat; in ejusdem Ecclesiæ reparatione lætaretur: & unà cum Anglis de devicto hoste triumpharet. Hanc ob causam Archiepiscopo Ravennensi literas mittunt, quas Rogerus noster ita recitat:

Æquum visum fuit publicare pœnitentiam Henrici.

Venerabili in Christo, & dilecto Fratri Gilberto, Dei gratia, Ravennensi Archiepiscopo: Albertus dignatione divinâ tituli S. Laurentii in Lucinâ: & Theodinus tituli S. Vitalis Presbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati. Quod promisit Deus diligentibus se.

XI. *Quoniam desiderare vos credimus, ut de statu nostro, & de injuncti nobis promotione negotii, aliquid audiatis: ideirco qualiter nobiscum, & per ministerium mediocritatis nostræ Deus egerit his diebus,*

apud Hoveden f. 530.

fraternitati

Cardinales Legati ad Gilbertum Ravennensem Episc.

fraternitati vestræ, præsenti scripto, duximus indicandum. Noveritis itaque quod postquam illustris Rex Angliæ, venisse nos in regnum suum, in veritate cognoverat, totius amoto tarditatis obstaculo, de Hiberniâ in Angliam, incumbentibus sibi negotiis prætermissis; de Angliâ verò ad Normanniæ partes accessit: atque in continenti plures ad nos nuntios, & honorabiles destinavit: inquirens à nobis; in quo loco potiùs convenire cum eo, & loqui vellemus. Placuit tandem ad Saviniunı monasterium, pro colloquio habendo concurrere: ubi religiosorum virorum piissimis orationibus adjuvari. Convenimus illuc, convenerunt & multæ personæ utriusque ordinis, de regno suo: & tractavimus, diligenti, quâ potuimus, quod ad salutem ipsius, & injunctam nobis obedientiam pertinebat. Cùm autem non possemus in omnibus convenire; recessit à nobis velut in Angliam profecturus: & nos expectavimus sequenti die ad Abrincam civitatem iturı. Postera autem die venerunt ad nos Lexoviensis Episcopus, & duo Archidiaconi: & concesso, quod petebamus, ad prædictam processimus civitatem. Ad quam Dominica, quæ cantatur: Vocem jucunditatis, *convenimus cum personis plurimis, & ipsi nobiscum. Et cum tantâ humilitate, quod fuerat condictum, explevit: ut illius extitisse opus sine dubio credatur, qui respicit terram, & facit eam tremere. Sanè quam timoratum Deo, quam obedientem Ecclesiæ, se curaverit exhibere, non est opus præsenti abbreviatione referre: Satis enim opera illius manifestant, & manifestabunt adhuc pleniùs, sicut & nobis spes data est in futurum.*

XII.

Primum itaque super morte sanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, non de nostrâ exactione; sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis Evangeliis, suam conscientiam expurgavit: jurans scilicet, quod nec præcepit, nec voluit, quod idem Archiepiscopus occideretur. & quando audivit, vehementer doluit. Quia verò, quod factum fuerat, ex suâ occasione factum esse timebat: De satisfactione paranda tale præstitit juramentum. Primò quippe juravit. Quod à Domino Papa nostro Alexandro, & ejus successoribus non recedet: quamdiu sicut Catholicum Regem habuerint eum, & Christianum. Et hoc ipsum jurare fecit filium suum majorem in chartâ absolutionis pro morte Beati Thomæ. Iuravit etiam & alia, Clero, & populo valdè necessaria. Quæ omnia diligenter, & per ordinem, sicut ea juraverat, in absolutionis ejus charta pernotavimus. Promisit etiam alia, de liberâ voluntate gerendâ, quæ non oportet scriptura serie denotare. Hæc autem scripsimus; ut cognoscatis ipsum obedientem Deo: atque ad divinum obsequium, multò ampliùs, quam adhuc fuerit, animatum. Noveritis ad hoc filium suum de prædictis Consuetudinibus pariter cum eo jurasse. Sanè quod ibi actum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret: apud Cadomum in majori frequentiâ personarum publicè statuit se acturum. Relaxavit præterea Episcopos, de promissione, quam ei fecerant, de Consuetudinibus conservandis, & promisit, quod non exiget in futurum. Hactenus Legatorum Epistula. Cujus postrema clausula controversiæ cardinem vertit, & evertit bellè calumniam quæ sancto Martyri imponitur; vel à tepidis Episcopis, qui à Rege potiùs, quàm à ratione: a ... potius prudentia, quam a justitia ducti pro impiis & Ecclesiasticæ ... contrariis consuetudinibus juraverant. Vel ab aliis, qui superbiæ, pertinaciæ, & ... tiæ notam impegerunt, quòd scilicet d...ta Reg...us privilegia nollet concedere.

Juramentum Regis de satisfactione.

Vix Regis negotium Legati absolverant, cum convocatâ Episcoporum Synodo: Quæ in Normannorum Ecclesiis perversa notabantur, facto eorundem scrutinio, communi omnium suffragio corriguntur. & lege lata, ne rursum fiant, prohibentur. Quænam illa fuerint, Rogerus ita digessit: *Pueri ad regimen illarum Ecclesiarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minimè admittantur. Item filii sacerdotum, non ponantur in Ecclesiis patrum suorum. Item Laici partem oblationum in Ecclesiis non percipiant. Item Ecclesiæ Vicariis annui non committantur. Item Sacerdotes majores Ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se Presbyterum cogantur habere. Item Sacerdotes non ordinentur sine certo titulo. Item Ecclesiæ ad Firmam annuam non tradantur. Item de tertia parte decimarum, nihil Presbytero, qui servit Ecclesiæ auferatur. Item de his qui Decimas hereditario jure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo clerico dare: eo quidem tenore, ut post eum ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur. Vir ad Religionem non transeat, uxore in sæculo remanente: vel è converso. nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint. Item in adventu Domini, omnibus qui poterunt, maximè autem clericis, & militibus jejunium & abstinentia carnium indicatur. Item Clerici judices non ponantur, ad jurisdictiones sæcularium potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumpserint, à beneficiis Ecclesiasticis arceantur. Item de novo libro excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt Sacerdotes: & benedictionibus sponsarum, & Baptismo, & de quadraginta & octo libris. quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur: nihil perfectum est; quia Episcopi Normanniæ illud decretum recipere noluerunt. In eodem verò Concilio, Archiepiscopus Turonensis calumniatus est; Archiepiscopatum Doli debere adjacere Archiepiscopatui suo: affirmans sedem Archiepiscopalem ibi esse non debere, sed Clerici de Dolo constanter contradicebant.* Hæc omnia Rogerus.

XIII. Synodus in Normannia pro emendandis abusibus. Hoveden. 531. Abusus tollendi.

Quod ad litem cum Dolensi Archiepiscopo attinet, supra dixi ad annum Domini quingentesimum quinquagesimum nonum, Sampsonem è majori Britanniâ in minorem Saxonum incursione pulsum, eò Pallium, quo Menevensis Ecclesia ornabatur, detulisse. Unde Dolenses Episcopi, qui Sampsonem in eâ Sede exceperunt, Pallii semper prærogativâ aucti, Turonensi Ecclesiæ se subduxerant. Sed quo jure, sæpè disputatum & hoc anno in Cadomensi Synodo, & multò priùs, nimirum anno octingentesimo quinquagesimo nono, in Tullensi Generali Concilio. Unde missa est Synodalis Epistola ad minoris Britanniæ Episcopos, qui se a Metropolitano suo schismate, ut dicebatur, diviserant. [Nec erat modici momenti quæstio (loquitur Baronius) utpote ventilata etiam Apostolicæ Sedis judicio, per plura annorum centenaria.] Nec potuit ante Innocentii tertii tempora plenè decidi, anno nimirum millesimo centesimo nonagesimo nono.

XIV. Lis de pallio cum Dolensi Archiepisc. V an. 559. n. Baron. an. 859. n. 36.

Proxima Legatis cura fuit, Cantuariensem Ecclesiam, & lugentem ibi Clerum, Apostolicæ Sedis nomine consolari: jubendo nimirum luctum ponere, Ecclesiæ sacrificium restituere, & Thomam ibi miraculis illustrem, non porrò flere: sed Deum potiùs laudare, qui est mirabilis in Sanctis suis. Hanc itaque communi nomine ad Cantuarienses mittunt Epistolam:

XV.

Lætamur

XV. Legati Cardinales ad Ecclesiam Cantuariensem. *apud Baron. hic.*

LÆtamur nos, lætatur & quæ audit Congregatio universa justorum, quòd mortem Sanctæ memoriæ Thomæ quondam Archiepiscopi vestri, ita in conspectu suo Deus pretiosam ostendit: & venerandam ejus memoriam tot miraculis illustravit: ut odor unguentorum ipsius jam ferè per totum corpus Ecclesiæ se diffundat: Et virtus ejus in Oriente, & Occidente, communiter prædicetur: ita ut qui felicibus ejus actibus, dum viveret, invidebant, nunc casibus humanis eo exempto, & ad superiorem societatem (ut credimus) fide ac zelo Sacerdotali promerente, translato, venerentur virtutem ipsius, & ei qui facit mirabilia magna solus, gratiarum referant actionem. Quia igitur videtur idoneum; ut cum magnalia quæ apud vos facta, populorum turba decantet; & gratiarum actio, & vox laudis resonet in communi Ecclesiâ vestrâ: quam tanto munere gratia divina donante, sub atrocitatis obtentu diutius non debeat à Conditoris laude cessare. Reddentes vobis mutuæ salutationis alloquium, & petitioni vestræ devoto concurrentes assensu, fraternitati vestræ mandamus: quatenus convocatis Episcopis, & Abbatibus provinciæ vestræ; qui vobis ad hoc idonei visi fuerint, cum solennitate Ecclesiastica, sicut majoribus visum fuerit, moderamine, denuò Ecclesiam vestram consecretis. Si quid minùs fuerit in solemnitate, divinorum miraculorum poterit illustratione suppleri. Nos sane si aliquid fuerit, quod ad profectum vestrum, & vestræ Ecclesiæ facere valeamus: quantum cum Deo poterimus, libenti animo faciemus. Ita Legati ad Cantuarienses scripsere: qui priùs (Opinor) Ecclesiam suam, vocatis ad hoc Episcopis, ut supra consecrarunt, in festo S. Thomæ Apostoli. ut Parisiensis affirmat. Nec enim è re Ecclesiasticâ fuerat, biennio templum à Dei laude cessasse.

XVI. *Baron hic.* Pontificex inquisitione facta de miraculis accelerat Canonizationem S. Thomæ.

Porrò quia miraculorum facta est mentio, Alexander jussit illa Ecclesiastico examine probari; probatáque in Urbem mitti. Unde Baronius ait: [Legati Apostolicæ Sedis ejusdem Pontificis admonitione, diligentissimâ factâ pervestigatione miraculorum gloriosissimi Martyris Thomæ, relationem plenissimam de iis omnibus ad Alexandrum Pontificem miserunt. Quibus visis: ipse absque morâ ad solemnem Martyris canonizationem faciendam sese totum convertit. Revertentes autem Legati intulerunt in Urbem sacra pignora novi Martyris: Nempe quod super Ecclesiæ pavimentum aspersum fuit ejus capitis cerebrum: Necnon ejus tunicam ipsius sanguine cruentatam: quæ hactenus religiosè servantur in Basilicâ Sanctæ Mariæ Majoris] Ita Baronius. Nec mirum in Urbe Principe Sanctum coli cœpisse, cum tot tantáque mirabilia, & magnis Sanctis comparanda, eloquenti argumento, viri sanctitatem testarentur. Joannes Saresberiensis Thomæ in exilio socius, ad Guilhelmum Senonensem scribens, miranda Martyris prædicat: & benè causam reddit, cur Deo placitum, ita pro Ecclesiâ pugnantem coronare. Sic ergò ille

Joan Saresb Epist. 287.

Venerabili Domino, & Patri charissimo Willelmo Dei gratiâ Senonensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato: suus Joannes Salutem, & promptissimæ devotionis obsequium.

XVII. De mirabilibus S. Thom.

*LIcet Anglicana Ecclesia adhuc quidem ad multa sit ingens desolatio: tristitia tamen illius jam ex maximâ parte in gaudium transiit, & luctus in Cantica felici prorsus & læta mutatione conversus est. Siquidem jam à Deo ad memoriam Martyris inaudita miracula crebuerunt: ut si aliàs inaudita illic provenerint; vix censeantur illius miraculis ascribenda. Sicut enim in omni conditione nobilis animus studuit *convicentibus præminere: sic nunc; ut aliorum Sanctorum pace dixerim; alios de quibus legerim, vel audierim, in miraculorum exhibitione præcedit. Quod ideo facilè dixerim provenisse: ut fidem in pluribus orbis nostri partibus, non tam sopitam, quàm ferè extinctam Dominus excitaret, spem erigeret, solidaret charitatem, & obstrueret ora iniquorum, qui sancto viro detrahebant in vitâ, & odio personæ causam Christi persequebantur. Quis enim amodo veram & fidelem dubitet doctrinam Christi, qui verbis suis adhærentem hominem, nobis notam tantâ felicitate remunerat? Quis causam fuisse iniquam (nisi dæmoniacus) dicet, qui patronum suum, tantâ coronat gloriâ? Dubitabatur à plurimis, an pace Domini Papæ in quâ stamus, de justitiâ uteretur: sed eam a crimine schismatis gloriosus Martyr absolvit, qui si fautor esset schismatis, nequaquam tantis miraculis coruscaret. Erat namque vir tantæ prudentiæ, ut non facilè posset errore supplantari in tantis periculo animarum. Mirarer itaque supra modum, cur eum Dominus Papa in catalogo Martyrum recipi non præceperit; nisi quia in Ecclesiasticâ historiâ legisse me recolo: quod cum Pilatus, missâ relatione *Tiberium Cæsarem consuluisset: an Christum, qui tot & tanta fecerat, & à pluribus petebatur, ut Deus, coli oporteret ut Deum: Senatus ab Imperatore consultus respondit colendum quidem fuisse, ut Deum, nisi quod id provinciales, citra Senatus authoritatem præsumpsêrant. Et quidem sic nutu faciente divino responsum est, ne Deitas Christi, cujus nomen erat Judæis & gentibus prædicandum, terrenæ potestati videretur obnoxia, & emendicatam dicerent infideles, qui velint, & nolint, coguntur audire. Quoniam Dominus regnavit, irascantur populi, & exultet terra, in qua Christi fundatur Ecclesia.*

*conniventibus

*v. an. 35. &c. n. 4.

XVIII. S. Thomæ gloria invaluit Christo præcipue auctore.

Sic ergo nutu divino arbitror, ut Martyris hujus gloria, nec decreto Pontificis, nec edicto Principis attollatur: sed Christo præcipuè auctore invalescat; cujus honorem quoad vixit, studuit dilatare: Honorem Christi salvum fore semper expressit: & Christus ei vicem non referret? Absit, ut veritas fallax sit in promissis. Legitur in Actibus Apostolorum, quod quidam nondum baptizati, citra auctoritatem Apostolorum, Spiritum Sanctum acceperant: sed numquid hos senatus Apostolicus infirmavit? Profectò ubi Deus auctor est, frustrà superior desideratur auctoritas. Si quis autem hujus Sancti Martyris gloriam evacuari desiderat; quicunque sit ille, antequam ei credamus, aut majora aut saltem similia operetur. Alioquin peccare creditur in Spiritum S. cujus operibus detrahere non veretur. Hactenus Epist. Quam hoc anno scriptam, vel inde colligo, quod Thomam nondum in Sanctorum Catalogum relatum conqueratur: qui tamen sequenti anno illa honoris prærogativâ donabatur. Porrò quod postremæ literarum clausulæ sugillent aliquos Thomæ Martyris gloriæ detrahentes, intelligit opinor illos, quos Martyr olim vel suspensionis, vel excommunicationis censurâ percusserat: Qui nunc Legatorum authoritate, & præstito juramento, quod Romani Pontificis judicio se submitterent, absoluti sunt. De Londinensi Episcopo sic soluto Parisiensis ad hunc annum ita loquitur: [Gilbertus Londoniensis Episcopus, præstito juramento, quod mortem Beati Thomæ

Martyris nec verbo, nec facto, nec scripto, scienter procuravit, suo est officio restitutus.] Nimirum unà cum Jocelino Saresberiensi, ut infra dicam, n. 30. Eboracensis Episcopi causa Ambianensi Episcopo commissa, per Rothomagensem denique concluditur. & ille libertati restitutus, liberè satis, de Thoma Martyre, de Alexandro Pontifice, & accusatoribus obloquutus est ea Epistola, quam ad Hugonem Dunelmensem è Galliâ misit in hæc verba:

Paris hic ABSOLVUNTUR EPISCOPI.

Ioan. Saresb. Epist. 288.

ROGERUS Dei gratia Eboracensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus. Venerabili Fratri HUGONI Dei gratia Dunelmensi Episcopo, dilectis filiis R. Decano, & WILLELMO Cantuarien. & universo Capitulo Eboracensi, omnibusque Canonicis Sanctæ Mariæ de Sudewelle, Sanctique Wilfridi de Ripum, Sanctique Joannis de Beverley, Abbatibus, Prioribus, Clero, universo populo per Ebor. provinciam constitutis, Salutem, & gratiam.

XIX. ROGERUS EBORAC. EXPLICAT QUID ACTUM FUERIT CONTRA SE.

Non ignorat dilectio vestra, quanta prodigiitate Ecclesia nostra hac tempestate sustinuerim. In quâ tantum invidia mandati adversum me licuit, ut vix aliquis locus veritati relinqueretur. Familiare est omnibus iniquis, quoties nancisci possunt occasionem, maledictis eos quibus invident, instrere, & venenatis verborum jaculis figere innocentes. Fecerunt hoc qui jampridem sederunt mihi in insidiis. Et quidem primo paraverunt mihi laqueum suspensionis: Quo Dominum Papa plùs eorum suggestiones, quàm juris ordinem sequutus, me innodavit. Deinde ne quoquo modo solvi posset, iniquitatem iniquitatis addentes: hinc maximorum virorum libellos, arte multiplici, sicut jam a pluribus retrò annis instructi fuerant, conquirebant. Inde peregrinorum, & qui me nunquam viderant, multitudinem subornabant: ut ea quæ non noverant, mentientes apud summum Pontificem, & Curiam Romanam quocumque modo famam onerarent. Absens eram, & qui in Curiâ ex parte mea pauci tanta multitudini vix resistere poterant, tam exquisitis pressi mendaciis: maximè cum quidam solo habitu religiosi videntes illos prosperari in iniquitatibus suis, cum illis currebant: & neglecto Dei timore, ad eversionem dignitatis Ecclesiæ nostræ, una cum meretricibus suis, quas secum duxerant, ne quis sexus persecutioni meæ deesset, multa dixerunt. Hi omnes in unum convenientes proposuerunt in cordibus suis, gigantes imitati: parietem ex maximis, quasi quibusdam lapidibus & multis mendaciis, fictis ad tempus suspiriis, & gemitibus non solum domos, sed & plateas replentes diurno, & nocturno ululatu: eundemque ipsum parietem, tanquam quodam indissolubili volumine, vim naturæ facientes, simulatis lacrymis linierunt. Sperantes hoc modo cælum claudere se posse, & veritatem perpetuo carceri deputare. Quid plura? Idem Pharao illorum, ille spiritualis, cujus ipsi membra sunt, in tali equitatu incedere videbatur cum coronâ; & ego misera cophini servituti deputatus, respiciebam ad auxilium hominum; & non erat. Cutis mea consumptis carnibus os meum adhæserat.

XX. *Levavi ergo ad cælum oculos, & in angustiâ spiritus mei clamavi ad Deum; & intercedentibus meritis & orationibus vestris, exaudivit me pro suâ reverentiâ; qui in illico bonitatis suæ intuitu, prædicto pariete confracto, & in nihilum redacto, fugientibus Babyloniis, quæ clausa tenebatur, veritatem eduxit: & squaloris carceris detersi, liberam in publicum exire præcepit. Quæ simul ac sua est reddita libertati, ad me velociter advolavit; & in præsentiâ Dominorum Rotrodi Rothomagensis, & eorum quos Episcopus Ambianensis delegaverat: quibus negotium meum, à Domino Papa commissum erat: necnon Episcopi Ebroicensis, multorumque religiosorum, tam Abbatum, quam Priorum, à dextris mihi luce liquidior adstat. Cujus faciem gravem & fulgentem prædicti Archiepiscopi, & viri religiosi à Domino Ambianensi destinati, intuentes, gavisi sunt gaudio magno valde: & nullam moram sustinentes, juxta formam, quam eis Dominus Papa præscripserat, incontinenti me a suspensione, qua tenebar, absolverunt: universis qui aderant benedicentibus Dominum, qui superbos humiliat, qui sapientes in astutiâ suâ comprehendit, qui de misericordiâ suâ præsumentes liberat, & vinctos educit in fortitudine. Ipsi gloria nunc, & per immortalia sæcula sæculorum, Amen. Veniam autem ad vos, Deo volente, in proximo, ut gaudium meum in vobis impleatur. Quos ego ultrà quam dici possit videre desidero: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos pro nobis orantes. Acta sunt hæc secundâ feriâ post Dominicam quâ cantatur* Gaudete, *die festo S. Luciæ apud Albamarlam.* Hæc ille.

Tunc scriptam hanc Epistolam videtur innuere: non autem solutionem à censurâ, quæ sex ante diebus data; cum ille inobedientiam, quod contra Pontificis mandatum, & in Cantuariensis Ecclesiæ præjudicium, Henricum Juniorem coronasset, juramento purgasset, anno superiori. Tunc enim scripsit Parisiensis ita. [Eodem anno (millesimo centesimo septuagesimo primo) in festo Sancti Nicolai, apud Albemarlium, Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, præstito juramento, quod ante Coronationem novi Regis, literas prohibitionis, à Domino Papa, nequaquam susceperat: & quod se Regi de consuetudinibus regni observandis non obligaverat: Quodque mortem gloriosi Martyris, nec verbo, nec scripto, nec facto scienter procuraverat, ad officii sui est plenitudinem restitutus.] Inde post dies paucos literas ad Eboracenses misit, quasi de victoriâ triumphans. Et quia tam illi, quàm alii quoque, qui in vinculis tenebantur, obliquè saltem in Thomam Martyrem linguæ calamique spicula acuebant. Alii fuerunt, qui sanctiori impetu Thomæ martyrium defendentes, causæque justitiam, eundem amplissimè ornaverunt. A quibus cum Deus miraculorum multitudine staret, & beneficia mortalibus ejus nomine plueret: urserunt illi, pro publico, ut coleretur, Ecclesiæ suffragia. famam passionis ejus ubique spargentes. Eos inter, qui Thomam intimiùs noverat, Joannes Saresberiensis, martyrii circumstantias, quas nemo illo diligentiùs notaverat, & præsens viderat, literis commendavit, quas ad Joannem Pictaviensem Episcopum misit. In quibus, licet multa priùs dicta referantur: quia tamen ad Sancti gloriam, & Dei laudem spectant: & aliqua necdum dicta, inseruntur, integrè dabo benè longam Epistolam, quia Canonizationis ejus, quæ brevi sequetur, erit quasi fundamentum.

XXI.

Paris an. 1171. ROGERUS ABSOLVITUR PRÆSTITO IURAMENTO, QUOD NULLO MODO PROMOVERIT MORTEM S. THOM.

XXII. *Ioan. Saresb. Epist. 286.*

[Ex insperato, & in transitu, mihi, gratia Dei propitiante, nuper innotuit, quod ad vos erat lator præsentium transiturus. Gavisus ergò divi-

De circumstantiis Martyris S. Thomæ.

nitùs ministratam occasionem scribendi, eam gratanter arripui; arbitratus mihi longè magnum calamitatis dari solatium, quod in tutis auribus licebat angustiarum cumulum deplorare. Sed unde sumetur exordium? nam dicendi parit inopiam materia copiosa, & exuberans: & quæ non nisi tempore nostro malitia excrevisset ad summum, fidem excedit. Publicas angustias, an domesticas deplorabo? Sed generales mundus agnovit, sua quemque miseria perurit acriùs. Nisi fortè quispiam sectatorum Christi, tanta sit charitate succensus, ut universorum subeat onera, & uratur in scandalo proximorum. Et quia vobis de passione gloriosi Martyris, Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi; qui non modò Ecclesiam propriam, sed utramque provinciam Anglorum, multis miraculis, & maximis irradiat, constare non dubito: in ea non censui mihi diutiùs immorandum. Præsertim cum & tempus scribendi breve sit: Et, ut opinor, jam ferè per orbem Latinum ex relatione plurimorum sit nota & vulgata materia. Hoc tamen in tanto divinæ dispensationis munere silendum esse non credidi: quod ad Dei & Martyris sui gloriam, universi mirantur. Quia sic omnes circumstantiæ concurrerunt in agone Pontificis, ut patientis titulum perpetuò illustrarent, & persequentium revelarent impietatem, & nomen sempiterno macularent opprobrio.

XXIII. *Cõstans animus S. Thom.* Si enim personas hinc inde intueri, & metiri placuerit: occorrent hinc religiosus Archiepiscopus, Britanniarum Primas, Sedis Apostolicæ Legatus, Judex incorruptissimus; utpote nec acceptor personarum, nec munerum: assertor Ecclesiasticæ libertatis; & quasi torris erecta in Jerusalem contra faciem Damasci, malleus impiorum, sed pauperum & mœrentium consolator. Viderit, qui noluerit quis è regione procedat. Et si causa Martyrem facit, quod nulli rectum sapienti venit in dubium: quid justius, quid sanctius causa ejus? Qui opes, & omnem mundi gloriam, qui amicorum, & totius cognationis affectionem, pro Christi amore contemnens, exilium subiit: se & suos omnes exposuit periculis & paupertati: qui pro lege Dei sui tuendâ, & evacuandis abusionibus veterum Tyrannorum, certavit usque ad mortem: Nec in aliqua obligatione, postquam semel lapsus est, captus insidiantium dolo, induci potuit, ut aliquid eorum, quæ ab ipso exigebantur promitteret, quin in omnibus adjiceret honorem Dei, & honestatem Ecclesiæ salvam fore. Nec ad modicum, & quasi ad horam credens, in articulo tentationis recedens adversa perpessus est: sed exilium & acerbam proscriptionem in annum septimum protelavit: tanta quidem virtute constantiæ, via Regia incedens, & Christi & Apostolicorum virorum sequens vestigia: ut invictus ejus animus, nec fortunæ sævientis impetu posset frangi, nec blanditiis emolliri. Sed & ubi sit immolatus advertite. Certè in Ecclesia quæ caput est regni, & aliarum omnium mater in Christo, coram altari, inter Sacerdotes, & manus religiosorum, quos armatorum Carnificum tumultus fecerat ad stupendum & miserabile spectaculum convenire.

XXIV. Qui ergò seipsum à multo tempore exhibuerat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem: qui carnem suam in ordinationibus, vigiliis, jejuniis, & asperioris cilicii usu, cum vitiis & concupiscentiis crucifixerat: qui dorsum, quod Sancti familiares ejus noverant, tanquam Christi puerulus, exponere consueverat ad flagella: qui Christi corpus, & sanguinem offerre solitus erat in altari: coram altari prostratus, effusum manibus impiorum obtulit proprium. Nec licuit ministris Satanæ in immolatione discipuli & servi, quod præambulis eorum in crucifixione Magistri, & Domini. Christus enim nè civitas fœdaretur, nè pollueretur Sabbatum, judicio licet iniquo damnatus, qualem qualem allegandi pro se acceperat facultatem: & ab Urbe ductus, extra portam crucifixus est, ministerio utique gentilium, qui Dominum non noverant, & auctoritate publicæ potestatis: his reum deferentibus, quorum legem jus est impugnare, discipulo filio perditionis proditionis perfidiam procurante. At iste non modò in Urbe, *Locus mortis.*
sed intra Ecclesiam: non tempore prophano; sed dic, quem Nativitatis Dominicæ solennitas con- *Tempus.*
secrabat, & omni jure decuit, ut natalis ejus ad gloriam Dei, qui innocenter & sanctissimè vixerat, natalem Sanctorum Innocentiom sequeretur. Et quidem ut creditur, necem ipsius Traditores procuraverunt discipuli, Sacerdotum Principes formavere: Tantò in malitia Annam & Caipham, Pilatum & Herodem ampliùs præcedentes; quantò diligentiùs peccaverunt, nè in judicium traheretur, nè ab accusatoribus conveniretur, nè appareret ante faciem Præsidis; nè privilegio sacri loci, aut temporis, vel dignitatis, aut gradus, aut reformatæ pacis, aut datæ securitatis conditione, sacrilegas manus evaderet: non gentilium, non hostium; sed eorum qui legem Dei profitebantur, & amicorum fidem.

XXV. Sanè mira Dei cuncta, & sapienter, & salubriter ordinantis dispositione contigit: quod qui hæc tam malè, tam impudenter, & imprudenter permisit fieri, eadem non est passus abscondi: Ut hic etiam temporaliter impleatur, quod Veritas protulit: nihil esse occultum quod non reveletur. Nam quod de signifero proditorum Juda, sermone celebri vulgatum est; pari jure trahendum est, & ad complices ejus: eò quòd de similibus rebus idem constet esse judicium: ut Christianis omnibus ex fide liqueat, quod cæli revelabunt iniquitatem ipsorum, & adversus eos terra consurget. Quis enim fidelium audeat dubitare, quòd Deus auctores & perpetratores tanti sacrilegii, aut convertet, aut conteret? Passurus ante in Ecclesia, ut dictum est, coram altari, Christi Martyr, an- *Occurrit militibus.*
tequam feriretur, cùm se audisset inquiri: militibus qui ad hoc venerant, in turbâ clericorum & monachorum vociferantibus, Ubi est Archiepiscopus? occurrit è gradu, quem ex magna parte ascenderat, vultu intrepido dicens: Ecce ego, quid vultis? Cui unus funestorum militum in spiritu furoris insultit: Ut modo moriaris: impossibile enim est, ut ulteriùs vivas. Respondit autem Archiepiscopus, non minori constantiâ verbi, quàm animi: quia, quod omnium Martyrum pace ex animi mei sententiâ dixerim, nullus eorum videtur in passione, isto fuisse constantior. Et ego pro Deo mori paratus sum, & pro assertione justitiæ, & Ecclesiæ libertate. Sed si caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & sub anathemate, nè cuiquam alii, sive clerico, sive monacho, vel laico majori, vel minori

Deprecatur pœnam aliorum.

in aliquo noceatis: ſed ſint immunes à pœnâ, ſicut extiterunt à causâ. Non enim illis, ſed mihi imputandum eſt, ſi qui eorum cauſam laborantis Eccleſiæ ſuſceperunt. Mortem libenter amplector; dummodo Eccleſia in effuſione ſanguinis mei pacem conſequatur, & libertatem. Quis iſto videtur in charitate ferventior? qui dum ſe pro lege Dei perſecutoribus offerebat; in id ſolum erat ſollicitus; nè proximi in aliquo læderentur. Verba ejus nonne Chriſtum videntur exprimere in paſſione dicentem: *Si me quæritis; ſinite hos abire?*

Commendat ſe Deiparæ et SS.

XXVI. His dictis: videns Carnifices eductis gladiis; in modum orantis inclinavit caput, hæc noviſſima proferens verba: Deo, & Sanctæ Mariæ, & Sanctis hujus Eccleſiæ patronis, & Beato Dionyſio commendo meipſum, & Eccleſiæ cauſam. Cætera quis ſine ſuſpiriis, ſingultibus, & lacrymis referat? ſingula perſequi pietas non permittit, quæ carnifices immaniſſimi Dei timore contempto, & tam fidei, quàm totius humanitatis immemores commiſerunt. Non enim ſuffecit eis ſanguine Sacerdotis, & nece prophanare Eccleſiam, & diem ſacratiſſimum inceſtare, niſi corona capitis, quam ſacri ſchiſmatis unctio Deo dicaverat, amputatâ; quod etiam dictu horribile eſt, funeſtis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum, & per pavimentum cum cruore & oſſibus crudeliſſimè ſpargerent. Immaniores Chriſti crucifixoribus; qui ejus crura, quem obiiſſe viderant, ſicut adhuc viventium non cenſuerunt eſſe frangenda. Sed in his omnibus cruciatibus, invicti animi, & admirandæ conſtantiæ Martyr, nec verbum protulit, nec clamorem emiſit, nec edidit gemitum, nec brachium, aut veſtem oppoſuit ferienti: ſed caput inclinatum, quod gladiis oppoſuerat virtute admiranda, donec conſummaretur, tenebat immobile. Et tandem in terram procidens, recto corpore, non pedem movit, aut manum. Carnifices autem non minùs cupidi, quàm crudeles; inde, tam in Regiæ poteſtatis, quàm divinæ majeſtatis injuriam, ad Eccleſiæ palatium redeuntes, univerſam ſupellectilem, & quicquid in ſcriniis, vel clitellis Archiepiſcopi & ſuorum potuit inveniri, ſive in auro, ſive in argento, aut veſtibus, aut variis ornamentis, aut libris, aut privilegiis, aut aliis quibuſcumque ſcriptis, aut equitatum, inſatiabili avaritiâ, & ſtupendo auſo diripientes; ea ut libuit, inter ſe diviſerunt. Imitatores eorum factis, qui inter ſe Chriſti veſtimenta partiti ſunt; licet eos quodammodo præcedant in ſcelere. Et ut Pontifici jam per martyrium coronato hominum gratia auferretur, omnia ſcripta quæ ſacrilegus prædo ſurripuit, ad Regem in Normanniam tranſmiſſa ſunt. Sed nutu divino contigit; quod quantò magis Athletæ fortiſſimi gloriam offuſcare nitebatur humana temeritas: tantò eam ampliùs Dominus illuſtraret, in oſtenſione virtutis, & miraculorum manifeſtis indiciis. Quod viri impii, qui eum inſatiabiliter oderant intuentes, inhibuerunt nomine publicæ poteſtatis, ne miracula quæ fiebant, quiſquam publicare præſumeret.

Inclinat caput ad ictus.

Milites omnia diripiunt.

XXVII. Cæterùm fruſtrà quis obnubilare deſiderat, quod Deus clarificare diſpoſuit: eò enim ampliùs percrebuere miracula, quò videbantur impiis ſtudioſiùs occultanda. Homo videt in facie. Solus Deus eſt, qui renes & corda ſcrutatur. Nam cum Beati Martyris corpus ſepulturæ tradendum eſſet: & de more Pontificalibus indueretur: quod admodum pauci familiares ejus noverant, inventum eſt cilicio pediculis & vermibus referto involutum: ipſáque femoralia ejus interiora uſque ad poplites, cilicina: quod apud noſtrates antea fuerat inauditum, reperta ſunt: exterior tantùm habitus cæteris conformabatur, juxta Sapientis edictum: *Frons tua populo conveniat; intùs omnia diſſimilia ſint.* Quis referat, quos gemitus, quantos lacrymarum imbres Sanctorum cætus qui aderat, in revelatione adumbratæ religionis, emiſerit? Nec tamen in his omnibus perſecutorum quievit furor dicentium: corpus proditoris inter Sanctos Pontifices non eſſe humandum, ſed projiciendum in paludem viliorem, vel ſuſpendendum eſſe patibulo. Unde ſancti viri qui aderant, vim ſibi timentes inferri, eum in cryptâ, antequam ſatellites Satanæ, qui ad ſacrilegia perpetranda convocati fuerant, convenirent: ante altare Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli, in ſarcophago marmoreo ſepelierunt. Ubi ad gloriam Omnipotentis Dei per eum multa, & magna miracula fiunt, catervatim confluentibus Prælatis, ut videant in aliis, & ſentiant in ſe potentiam, & clementiam ejus, qui ſemper in Sanctis ſuis mirabilis & glorioſus eſt. Nam & in loco paſſionis ejus, & ubi ante majus altare pernoctavit humandus, & ubi tandem ſepultus eſt, paralytici curantur, cæci vident, ſurdi audiunt, loquuntur muti, claudi ambulant, evadunt febricitantes, arrepti à dæmonio liberantur, & à variis morbis ſanantur ægroti, blaſphemi à dæmonio arrepti confunduntur. Illo hæc & plura, quæ referre perlongum eſt, operante, qui ſolus eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula: & eos prælegit eſſe conſortes, quos pro veritate fidei zelum juſtitiæ, confeſſionis virtutem, & invictæ conſtantiæ perſeverantiam facturus erat, de veritatis ac fidei adverſariis triumphantes. Quæ profectò nulla ratione ſcribere præſumpſiſſem, niſi me ſuper his fides oculata certiſſimum reddidiſſet.] Hæc omnia Joannes.

Omnia circa eum reperiuntur cilicina.

Miracula innumera.

XXVIII. Cur non inter Martyris miracula cenſeam Henrici Regis repentinam in factorum pœnitentiâ mutationem: quam Thomæ meritis precibúſque aſcribendam non eſt dubium. Septennis pertinacia, in peſſimarum Conſuetudinum aſſertione, in Eccleſiaſticorum privilegiorum delibatione, & immunitatis inde conſequentis prærogativæ deſtructione, magno ſubitoque dolore, & pœnitentiâ quam audiſti, & majori quàm mox audies, expiatur: & profundè à majeſtate deſcendit, qui ſupra Eccleſiæ dignitatem paulò antè conatus eſt aſcendere. Thomæ etiam pietas eo modo in carnificum pœnitentia eminuit: quos hic non morte violenta, nimirum par pari referendo: ſed ſanctiore martyrio voluit triennali pœna, crimen eluendo, ab æterna liberari. De quo Baronius: [Inter hæc (inquit) ſacrilegi illi Martyris percuſſores, qui hactenus extremam Angliæ oram in unius ex eis poſſeſſionibus habitarunt. Cum viderent ſe ab omnibus hominibus vitari; quin etiam ab animalibus ut execrabiles haberi (canes enim quantumlibet famelici, panem ab eis porrectum, ut intinctum veneno anathematis horrebant) invocantes eum, quem percuſſerant Sanctum, ab eo quærunt miſericordiam; in quem extitiſſent ipſi immiſericordes & crudeliſſimi. Quibus inter

Converſio Regis et pœnitentia maximum miraculum.

Baron. hic.

Percuſſores abhorrentur ab omnibus.

lacryma-

lacrymarum imbres nebulasque mœroris, lux effulsit spei veniæ impetrandæ: iterque ostenditur: nempe ut Romam se conferant, ad Christi Vicarium Alexandrum. Ad cujus vestigia procidentes, peccatum admissum aperientes, ab eo remedium quod exhiberet, acciperent. Veniunt Romam, adeunt Pastorem illum, quem non mactare, & perdere: sed super humeros ovem perditam imponere, ipse à quo tantam acceperat potestatem, docuisset. Cum pastor egregius, quod confractum alligat, quod infirmum consolidat, requirit quod perierat, atque quod abjectum fuerat, reducit. Idemque sapientissimus Archiater, super profunda vulnera sauciorum, oleum infundens ac vinum sic ex alligat, ut absolvat malis ingruentibus totum corpus.

XXIX. Jubentur itaque in expiationem immanissimi sacrilegii transmarinas quærere Christi præsentia illustratas Regiones, petere loca sancta: ut ubi Christus operatus est salutem in medio terræ, sanguine fuso in humani generis redemptionem: illic ipsi, qui iniquissimè sanguinem fudissent innocentissimum, ejus sanguine mundarentur. Dum pergunt, unus ex illis, idemque princeps & instigator, primusque percussor viri Sanctissimi, dictus nomine Willelmus Traci, ubi in Calabriam pervenisset, moras nectens Cosentiæ, gravi percussus corporis infirmitate, cogitur remanere: tribus reliquis capessentibus jussum iter. Ita planè in exemplum justitiæ magni Dei hic retentus est in Italia; ut discerent Occidentales, ne tanto sui detrimento, quis audacem manum in Christum Domini auderet immittere. Etenim tali à Deo percutitur infirmitate, ut putrescentibus carnibus, apparentibus nervis, & ossibus, eædem à compagibus suis solutæ, sivè sponte diffluerent, sivè manibus ipsius sui carnificis doloris impatientis divellerentur, invocantis jugiter in auxilium, quem occidisset Martyrem Thomam, quousque extremum afflavit spiritum. Porrò tum hunc, qui Cosentiæ decessit; tum tres illos, qui Hierosolymam navigarunt, non ultra trienniom ab illatâ nece Martyri, supervixisse, in quadripartita Historia constanter asseritur, sicque sequentis anni curriculum minimè excessisse. Illi verò in loco dicto monte Nigro, tanquam carcere pœnitentiæ clausi, jussu Pontificis, extremum clausere diem, utique pœnitentes. nam & honestâ sunt sepulturâ dignati: nempe ante ostium templi. ubi (inquit Rogerius) ejusmodi apposita fuit inscriptio. *Hic jacent miseri, qui martyrizaverunt Beatum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem.*]

PUNITIONES ILLORUM.

NON AD TRIENNIUM SUPERVIXERUNT.

EPITAPHIUM ILLORUM

XXX. Componi jam cœpit Anglorum Ecclesia, quam novi ritus, novæ & à majorum pietate degenerea consuetudines, novâ ferè lege distraxerant. Henricus jam pœnitens, paliodiam cecinit, Episcopi, qui Ecclesiam Laicis prodiderant à juramento quod Regi fecerant, absolvuntur: inde à vinculo censurarum, quas incurrerant, Apostolicâ authoritate liberantur. nam [Gilbertus Londinensis & Jocelinus Saresberiensis Episcopi, Romam miserunt (inquit ad hunc annum Rogerus) & literas absolutionis in hac formâ acceperunt.]

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Bituriensi Archiepiscopo. & Nivernensi Episcopo: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

apud Rogerum f. 328.

*FRaternitati vestræ non credimus esse incognitum: qualiter sanctæ recordationis Thomas, quondam Cantuariensis Archiepiscopus, de mandato nostro, in Londoniensem & Saresberiensem Episcopum excommunicationis sententiam promulgavit. Quam utique nos ratam habentes, & firmam, eam auctoritate Apostolicâ curavimus confirmare. Quia verò prædicti Episcopi senio, & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præsentiam nostram venire non possunt: vobis de quorum prudentiâ, & honestate confidimus, absolutionem eorum, pro quâ nuntii Regis Angliæ Henrici, ut eorundem * Episcoporum apud nos vehementius institerunt, duximus committendum. Ideoque fraternitati Vestræ per Apostolica scripta mandamus: quatenus infra mensem, postquam iidem nuntii ad propria redierint, de adventu Legatorum nostrorum, quos ad partes illas pro cognoscenda atrocitate illius facinoris, & sceleris, quod perpetratum est, & reconciliatione Regis disposuimus transmittere, quod transalpinaverint vobis non innotuerit: eos publicè, recepto juramento secundùm morem Ecclesiæ, quod nostro debeant astare mandato, ab Excommunicationis vinculo absolvatis, sententiâ suspensionis ob eam causam quâ fuerant ultimo in excommunicationem deducti, in suo robore permanente. Si autem vobis constiterit, quod Saresberiensis Episcopus morbo laborans ad vos venire non possit, illuc in propriâ personâ, quod nobis placeret, accedatis. Aut si accedere non poteritis, personas idoneas, de quibus nos, & vos confidere valeamus, transmittatis, quæ illum recepto juramento, publicè in conspectu Ecclesiæ, quod nostro debeat parere mandato, absolvant. Si autem huic rei, frater Archiepiscope, interesse non poteris: tu frater Episcope, ipse, cum Pontiniacensi Abbate, quæ dicta sunt, diligentiùs exequaris. Data Tusculani Octavo Kal. Maii.*

PRO ABSOLUTIONE EPISCOPORUM QUOS S. THOMAS EXCOMMUNICAVERAT.

* v. an. 1171. n. 41.

Vacavit, rebus in Anglia quietis, ornare Ecclesias, & monasteria fidelibus ponere: Ita Hugo, dictus à mortuo mari vulgo Mortimer, in agro Salopiensi, nisi mavis Herefordiensem appellare ad Wigmore oppidum, nimirum in utriusque agri confinio, Canonicis albis, sive Præmonstratensibus Prioratum erexit anno Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo, ut habet Catalogus ædium destructarum: ubi bis ponitur monasterii fundatio tam in Herefordensi, quàm Salopiensi provincia: sed author sui oblitus hic albos Canonicos, hic nigros ibi ab Hugone positos nominat. Et reverà hoc obscuro & factioso seculo, hac inquam hora tenebrarum, omnia nigrescere non est mirandum. XXXI.

ANNUS CHRISTI 1173.

ALEXANDRI III. PAPÆ 15.

HENRICI II. REGIS 19.

I. *Lætiora tempora.* IAm incipiunt lætiora tempora, & nubes quæ cœlum noſtrum ſeptennio obſcurarunt, Sole magis propitio diſpelluntur: rediit poſtliminio Eccleſiæ pax, Clero ſua dignitas, populo lætitia, orbi lux major: cum anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, Thomas qui biennio ſub modio latuit, ſuper Eccleſiæ candelabrum ponitur; lucetque omnibus qui in Chriſtiano orbe ſunt. Enimvero illum dudum miracula Sanctum clamaverunt, Chriſti fideles illum precibus votiſque invocarunt, inimici ora clauſerunt, amici, familiares, & optimi quique cultum illi voverant: ſed necdum ſolemnis ritus, ſuprema manus, Vaticanum oraculum acceſſerat: quod Ludovicus Gallorum Rex, & Gallicana Eccleſia inſtanter optaverat. & Joannes Sareſberienſis ſupra moram ægrè tuliſſe videtur. Sed Legatorum Alberti, & Theodini reditus in Urbem, miraculorum conſtantia, provinciarum vota, Romani Senatus ſuffragia ſolennitatem præcedere debuerunt, & diligenti ſcrutinio probari, quæ dicebantur miracula: ne qui univerſo orbi colendus proponitur, dubium oriri poſtmodum poſſit de viri ſanctitate. Unde hunc annum ſic auſpicatur Baronius:

II. *apud Baron. hic.* *Alexander retulit S. Thom. in album Martyrum.* [Annus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimus tertius, Indictione ſexta, quo Alexander Papa, ubi Legati, ad Anglorum Regem miſſi, in Urbem rediere, audivit ab eis, quæ Deus in manu potenti, & brachio excelſo, operaretur miracula, in novo martyre Thoma: habitaque de his conſultatione cum fratribus S.R.E. Cardinalibus, ex omnium communi conſenſu, retulit eum in album Sanctorum Martyrum. De his actum, quænam iſta præceſſerint, accuratè perveſtigemus. Poſt fuſum ſanguinem (inquit Eduardus) multis Thomæ ſanctitatem Deus miraculis declaravit. Verùm ea initio occultabantur, tanquam non habitura fidem: donec iis multiplicatis ceſſit adverſariorum impietas, & obſtructum eſt os loquentium iniqua. Ita quidem multitudo, & magnitudo miraculorum increbuit (ſubdit Baronius) ut non ſolùm ſanctus Thomas in his exhibendis nihil minùs habere viſus ſit à cæteris magnis Sanctis, ſed etiam prætergreſſus ſit eos. Ita teſtantibus Petro Bleſenſi, qui aderat, nec non Joanne Saresberienſi, qui eidem Sancto Martyri fuerat à ſecretis.] Quid ſentiat Joannes hic de Sancti miraculis, & quomodo ad Canonizationem ejus anhelaverit, dixi anno ſuperiori*. nunc quid Bleſenſis ſentiat apponam. Qui in Epiſtola ad Richardum Syracuſanum Epiſcopum, qui illum in Siciliam invitaverat, reſcribens, in Thomæ Martyris laudem ſic effunditur.

* v. an. 1172. n. 17.

III. *Richardo Syracuſano Epiſc. de Thomæ laudibus.* [Spes equidem mea eſt (inquit) quod quoties nobis Dominus flagellum ſuæ indignationis intentat: ſtat Martyr in confractione pro nobis, atque gemitibus inenarrabilibus, miſericordiam judicis interpellat. Exulta Anglia, exulta Occidens, quia viſitavit nos Oriens ex alto. Thomam Apoſtolum Indis, & Orientalis Regio jactitabat: ſed Occidentalem reſpexit Eccleſiam, qui in cœlis habitat, & humilia reſpicit. Dedit Dominus Angliæ Thomam noſtrum: non invidemus Indiæ Thomam ſuum. Sit Thomas Apoſtolus in Indiâ: ſit Thomas martyr in Angliâ, ut per hos duos teſtes Chriſti, ab ortu Solis uſque ad occaſum ſit laudabile nomen Domini. Eat qui voluerit in Indiam, ad ſuffragia Beati Apoſtoli. Tam longa peregrinatio nimis laborioſa eſt mihi: mihi ſufficit Thomas meus. Ille palpavit latus Domini, & fixuras clavorum: ille, quia vidit, credidit. Beatus qui non vidit, & credidit; nec dubitavit, atque holocauſtum Chriſto, & pro Chriſto ſe obtulit. Non laboro Martyrem Apoſtolo comparare, cum Apoſtolus ſit major Martyre. Sed glorioſum eſt nos habere Martyrem, qui Apoſtoli nomen habeat, & Apoſtolum miraculis aut imitetur, aut vincat. Non indignatur Apoſtolus, quia non indignatur Dominus Apoſtolorum & Martyrum, ſi quandoque Spiritus Sanctus in operatione virtutum pleniùs & celebriùs alicui ſe infundit. Et hæc (inquit Dominus) facietis, & majora horum facietis.] Ita Bleſenſis, qui paulò poſt eundem Richardum in Angliam invitans, patriam ejus eſſe non obſcurè inſinuat: ita enim:

Petri Bleſen. Epiſt. 46. *Comparat cum S. Thom. Apoſt.*

Richardus fuit Anglus.

[Utinam (inquit) relinqueretis terram illam (Pater) montuoſam & monſtruoſam, & ad nativi aëris dulcedinem rediretis. Ad hoc movere vos debuerant diuturnitas temporis, & ſecuritas vitæ, amor patriæ, naturæ lex, conditio nutrituræ, præcipuè autem & præ omnibus, amor Domini Regis Anglorum, qui vos brachiis ſinceræ charitatis amplectitur: & niſi gratiam reſpueritis oblatam, vobis in terra nativitatis veſtræ incomparabiliter præparavit gloriam & honorem. Veſtræ quæſo nativitati ſepultura reſpondeat, velitis apponi Patribus veſtris: & Anglia cineres veſtros, quos produxit excipiat.]

IV. Redeo ad martyrem Thomam, qui jam biennio, in cœlis gloriâ & honore coronatus, in terris cultum expectat, quem Alexander hoc anno ſolenni ritu decernit; de quo Baronius: [Reverſis Legatis: rebuſque eorundem relatione perſpectis examinatiſque hoc eodem anno, Indictione ſextâ Alexander Papa, ſolemni ritu, Signiæ cum eſſet, retulit in Sanctorum Martyrum numerum, ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum. De quâ Canonizatione, in vitâ ipſius Alexandri hæc habet ſcriptus Codex Vaticanus. Interea cum illuſtrator Anglorum, Beatiſſimus Thomas in multâ coruſcatione miraculorum refulgeret: & non ſolùm amici, ſed etiam perſecutores veniam poſtularent peccatorum; qui ſalutis veniam petituri, ad ejus Eccleſiam inceſſanter accederent. Romanus Pontifex ad inſtantiam populi, & Cleri * Gallicani, eundem Martyrem canonizavit Apoſtolicâ auctoritate, & inter cæteros Sanctos conſcribi præcepit. In die namque Purificationis Beatæ Mariæ convocatis Epiſcopis & Abbatibus Campaniæ apud Signiam, ad honorem ipſius ſpecialiter Miſſarum ſolennia celebravit: & Paſſionis ejuſdem quarto Kalendas Januarii memoriam perpetuo agi debere conſtituit. Unde Occidentalis Eccleſia exultavit in gaudio magno, & glorioſi Martyris nomen augebatur in oſtenſione virtutũ; ita ut ab extraneis etiam gentibus, ex celebris celebrius haberetur. Per ipſius merita Omnipotens Deus evidenter mortuos ſuſcitavit, cæcis quoque viſum, ſurdis auditum, & claudis reddidit greſſum,

Baron. hic.

Canonizatio ſolennis S. Thom.

* *Anglicani*

mundavit

mundavit leprosos, sanavit infirmos, dæmoniacos liberavit, & alia multa per eum mirabilia nihilominùs Deus voluit mirabiliter operari. Ideoque plurimi fidelium, in honorem ipsius, ad laudem, & gloriam Creatoris nostri, Ecclesias construxerunt, & possessionibus, & donis ditaverunt.] Hæc omnia M. S. Codex Vaticanus.

V. Cæterùm ut universo orbi innotesceret, quod à Romano Pontifice, in Italiâ gerebatur, plura misit Alexander Papa canonizationis ab eo factæ instrumenta publica. Imprimis ad Cantuariensem in Anglia Ecclesiam ita scripsit:

apud Quadril. l. 4. c. 13.

ALEXANDER Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Priori & Monachis Cantuariensis Ecclesiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

ALEXANDER P. MANDAT NATALEM DIEM MARTYRIS CELEBRARI.

Gaudendum est universitati fidelium de mirabilibus illius Sancti, & Reverendi viri Thomæ Archiepiscopi vestri. Sed vos exinde tantò ampliori gaudio & exultatione debetis repleri; quantò ipsius miracula oculata fide sæpiùs intuemini, & ejus sanctissimo corpore, Ecclesia vestra spectabiliùs meruit illustrari. Nos autem considerata gloriâ meritorum ejus, quibus in vitâ suâ magnanimiter claruit: & miraculis ejus, non solùm communi & celebri famâ: sed & dilectorum filiorum nostrorum Alberti tituli S. Laurentii in Lucinâ, & Theodini tituli S. Vitalis presbyterorum Cardinalium Apostolicæ Sedis Legatorum, & aliarum plurium personarum testimonio, certitudinem plenam habentes: præfatum Archiepiscopum, in capite jejunii, multitudine Clericorum, & Laicorum præsente, in Ecclesiâ, deliberato cum fratribus nostris consilio, solenniter canonizavimus: eumq; decrevimus Sanctorum Martyrum collegio annumerandum. Vobis & universitati fidelium de Angliâ, Apostolicâ auctoritate mandantes, ut natalem ejus diem, quo vitam suam gloriosa morte finivit, annis singulis cum debitâ veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimum expedit, ut Sanctum corpus ejus, cum eâ, quâ decet, reverentiâ & honore condatur. Discretioni vestræ Apostolicâ auctoritate mandantes: quatenus corpus ejus, devotè & reverenter, factâ solenni processione, aliquo solenni die, congregato Clero, & populo, in altari honorificè recondatis; aut ipsum in aliquâ decenti capsâ ponentes, prout convenit, elevetis in altum: & patrocinium ejus pro salute fidelium, & pace universalis Ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. Valete. Datum Signiæ quarto Idus Martii.*

* *fratrum*

VI. Eodem in loco, eodémque die aliis literis Alexander Pontifex universos Christi fideles ad sancti Martyris cultum excitavit. Leguntur illæ in Quadripartitâ historiâ; & inscriptio ita præfigitur:

Quadrilog. l. 4. c. 14.

Ad omnes Prælatos Ecclesiæ.

ALEXANDER OMNES PRÆLATOS EXCITAT AD CULTUM S. THOMÆ.

Redolet Anglia flagrantiâ & virtute signorum, quæ per merita illius sancti, & venerandi viri, Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi Omnipotens Deus operatur, ut universa ubique lætetur fidelium Christiana religio pro eo, quod ille, qui est mirabilis & gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificavit: cujus vita laudabilis multâ fulsit gloriâ meritorum, & tandem Martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamvis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui ejus, & laudabilem conversationem attendit, & gloriosam considerat passionem: voluit tamen Redemptor, atque Salvator noster ejus Sanctitatis insignia magnificis radiare miraculis. Ut qui pro Christo insuperabilis virtutis constantiâ necessitatis & pericula pertulit sui laboris & certaminis in æterna beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Nos verò auditis innumeris, & magnis miraculis, quæ jugiter per Sancti illius merita fieri universitas lætatur fidelium. Et super non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Theodinum tituli Sancti Vitalis Presbyteros Cardinales atque Apostolicæ Sedis Legatos: qui eadem miracula tanto perspicatiùs didicerunt, quanto ampliùs sunt loco vicini, præcipuè certiores effecti, & plurium aliarum personarum testimonio, fidem, sicut debuimus, adhibentes, prædictum Archiepiscopum solenniter in Ecclesia, magno ibidem Clericorum, & Laicorum collegio præsente, in capite jejunii, deliberato fratrum nostrorum consilio, canonizavimus, ipsumq; decrevimus Sanctorum Catalogo ascribendum. Universitatem itaque vestram monemus, & auctoritate qua fungimur, districtè præcipimus, ut natalem prædicti gloriosi Martyris diem passionis suæ solenniter annis singulis celebretis: & apud ipsum votivis orationibus satagatis veniam promereri. Ut qui pro Christo in vita, exilium, & in morte, virtute constantiæ passionis martyrium pertulit; fidelium jugi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

Denique Alexander Beati Martyris cultum promoturus, ejusdem argumenti literas ad Aversanum Episcopum misit, quas Quadrilogus ita recitat: VII.

Quadrilog. l. 4. c. 10.

ALEXANDER Papa, AVERSANO Episcopo.

ALEXANDER AD AVERSANUM EP. PRO CULTU S. TH.

Qui vice Beati Petri Apostolorum Principis, supremum in Ecclesia Dei, licèt immeritò, locum obtinemus: ex injuncto nobis Apostolatus officio gloriosissimum Martyrem Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum, qui pro Dei justitia, & Ecclesiæ libertate certavit usque ad mortem, & veluti supra firmam fundatus, & à verbis impiorum non timuit, tantò in terris studiosiùs venerari debemus: quantò certiùs meritis ejus exigentibus, eum constat inter exultantium Sanctorum choros, æterna felicitate lætari. Audistis siquidem, & maxima pars orbis, divina gratia revelante cognoscit: qualiter Omnipotens Dominus, qui mirabilis & gloriosus est in Sanctis suis; eum potentia virtutis suæ, à die, quâ per Martyrii palmam, cælos, sicut indubitanter credimus, victor introivit, magnificè in terris glorificavit, & sub nomine ipsius, multa quotidie miraculorum signa non cessat operari. Unde nos deliberato consilio, cum fratribus nostris, post multam sollicitationem Archiepiscoporum, & præsertim commonitione dilectorum filiorum nostrorum, Alberti de titulo S. Laurentii in Lucinâ, & Theodini, de titulo S. Vitalis, Presbyterorum Cardinalium, & Apostolicæ Sedis Legatorum: qui extra se veritatem plenius investigaverunt, & visu, & auditu cognoverunt; ipsum Canonizavimus, Catalogo Sanctorum connumerantes, diem passionis suæ proximum sanctorum Innocentium ad honorem Dei singulis annis solenniter celebrandam, & inter sanctorum Martyrum festivitates enumerandam esse constituimus, & eam per prædictos, nec non & per Archiepiscopos, tàm in Anglia,

quam

quàm in Gallia, nec non in aliis regionibus constitutos præcipimus devotissimè celebrari.

VIII. *Quia ergo, quod à sacro-sancta Romana Ecclesia; quæ ab ipso Domino Caput est, & magistra omnium Ecclesiarum constituta; tam sancta constat, & provida deliberatione ordinatum; ab universis Christi fidelibus, cum magna est veneratione observandum: Fraternitati tuæ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus solemnitatem prænominati Martyris annuatim cum magnâ devotione, celebres, & à parochianis tuis præcipias generaliter observari: eos studiosè commonens, ut ad ipsius Sancti venerationem, ita frequenter intendant, quod meritis suis intervenientibus, redemptoris sui gratiam sibi valeant indeficienter comparare. Ad hæc præsentium tibi auctoritate injungimus, ut fratribus tuis comprovincialibus Episcopis, ex parte nostra significes, te istud mandatum à nobis suscepisse: & eos ad celebrandum illius pretiosi Martyris festivitatem invites attentiùs & horteris. Ita quod ipsi, ad hoc per studium & solicitudinem tuam vehementiùs accendantur: & eam faciant à parochianis suis annuatim, cum magnâ devotione observari. Per cujus merita nos illi societ divina gratia. Amen.* Hæc omnia scripsit Alexander, jussitque publici juris esse.

IX. Non tardior ad cultum sui Martyris, quàm ad mortem illi accelerandam pœnitens Anglia fuit. nam Romani Pontificis jussa devotissimè implens, convocatâ omnium ordinum Synodo, cum Cantuariensem Sedem novo Archiepiscopo implevisset, Thomæ Martyris festum diem, recitatis Alexandri literis, publicarunt. Eminuit tunc Martyris gloria, causæque pro quâ mortuus est, justitia: cum inimici Præsules, qui olim Thomam persecuti, nunc Thomæ supplices, se reos confitentur. Hæc omnia Matthæus Parisiensis, posterorum memoriæ commendavit. ubi ait: [Eodem anno (nimirum millesimo centesimo septuagesimo tertio) pridie nonas Julii, Suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ, & ejusdem loci senior pars conventus, de electione Archiepiscopi tractantes, elegerunt Richardum Priorem Dovernensem. Igitur electione facta, electus ille, Regi fidelitatem juravit, salvo ordine suo; nullâ prorsus habitâ mentione, de consuetudinibus regni conservandis. Acta autem sunt hæc apud Westmonasterium, in Capellâ Sanctæ Catharinæ, Justitiario assensum præbente. In hoc quoque Concilio recitatæ fuerunt literæ Domini Papæ in audientia Episcoporum omnium, & Baronum, hæc inter cætera continentes: *Universitatem vestram monemus, & auctoritate quâ fungimur districtè præcipimus; ut Natalem Thomæ Martyris gloriosi, Cantuariensis olim Archiepiscopi, diem videlicet passionis ejus solemniter sub annis singulis celebretis: & apud eum votivis orationibus satagatis, peccatorum veniam promereri. Ut qui pro Christo in vita exilium, & in morte, virtutis constantia martyrium pertulit passionis, fidelium jugi supplicatione interpellatus, apud Deum pro nobis intercedat.*] Hæc ibi.

Non fuit tarda Anglia ad cultum S. Thomæ.

Paris. hic.

Richardus Prior Dovernensis electus Cantuariensis Episcopus.

X. Non lectæ sunt literæ ad Cantuarienses scriptæ: sed excerptum tantummodo ex eis, quas Alexander ad universos Ecclesiæ Prælatos dedit; quia generale præceptum, & omnibus Christi fidelibus dictandum continebant. Quid inde à recitatione Apostolici mandati sequutum sit in dicto Concilio, est observatione dignissimum, & in Thomæ laudibus, quidni etiam in miraculis ponendum.

Lecta Bulla Canonizationis omnes cantant *Te Deum.*

[Apicibus autem vix perlectis (ita pergit Parisiensis) Levaverunt vocem omnes in sublime dicentes: *Te Deum laudamus.* Et quoniam Suffraganei ejus (Thomæ) debitam Patri reverentiam, aut exulanti, aut ab exilio revertenti, aut etiam reverso, non exhibuerant; sed potiùs fuerant persecuti: ut suum publicè omnibus confiterentur errorem, & iniquitatem: ex ore unius Episcopi, omnium Episcoporum est expressa confessio, dicentis: *Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut qui ex iniquitate nostra, reos non esse cognoscimus, Beati Thomæ Martyris tui, atque Pontificis intercessione liberemur.*] Si sic oravit Gilbertus Londinensis Episcopus (& omnium vice orasse putandus est) cur eum hodie factiosi omnes, Balæo præeunte, & Godwino applaudente, tanto ornant præconio, quòd Henrico Regi fidelissimus consiliarius, quòd Thomæ Archiepiscopi persecutor fuerit. Cum ipse, non ob aliud, se reum appellet. Sed ut hæreses aliæ olim damnatæ, proscriptæque; sic omnes in fide solœcismi, moderno hocce sæculo corraduntur, probantur, efferuntur.

Confessio Episcop. qui S. Thom. fuerant persecuti ab uno legitur.

XI. Vacabant, præter Cantuariensem, aliæ per Angliam sedes: & Apostolici viri Albertus & Theodinus, pro illis, ne vacarent diutiùs, apud Henricum Regem, orarunt; & ille quia facturum se omnia, quæ juberentur, juramento promiserat. Illud unum præ cæteris fuit. nec enim Regis injussu Episcoporum electio fiebat. Unde supra signanter dictum est Cantuariensem electum: Justitiario assensum præbente, eo nimirùm qui Henrici absentis locum tenebat. Sex igitur per Angliam, Ecclesiæ præter Cantuariensem, lugebant, Pastoribus viduatæ, Wintoniensis, Eliensis, Lincolniensis, Bathoniensis, quæ & Wellensis nunc dici cæpta, Herefordensis, & Cicestrensis. His omnibus hoc anno Regis indulgentiâ provisum: licet iterum inimicus homo tam in Richardi Cantuariensis quàm in aliorum electione zizania sparserit, quæ non tam electos, quàm electores terruerunt. Licèt enim nihil ad juris firmitatem videretur deesse, quia tam divina, quàm humana suffragia Cantuariensis electioni accesserant, Henrico Rege suum per Justitiarium porrigente: unde fideles & pii omnes amplissimè gavisi sunt. Junior tamen Henricus; quem Pater in perniciem suam nuper Regem creaverat; Anglicanæ Ecclesiæ gaudium turbavit, submisit literis, quæ electionem ideo irritam pronuntiant, quia se inconsultò factam. Enimvero hoc ipso anno cœpit juvenis Rex, vel suopte genio, vel matre, & socero suggerente, ea contra Patrem præsumere, quæ ingentes postea turbas exciverunt. Hinc iterum in Cantuariensi Ecclesia motus: iterum ad Apostolicam sedem appellatio. Iterum paterna viscera pulsantur, ut beneficium absolvant, quo nuper ab eisdem beati sunt. Odo itaque Monachorum Prior, & Cantuariensis Ecclesiæ conventus, libellum hunc supplicem Alexandro porrexerunt. in quo & novi Præsulis electio, & electioni intercessio exponuntur.

Provisum aliis Ecclesiis de Episcopis.

Junior Henricus interturbare conatur electionem Richardi.

Alexan-

Alexandro Papæ Odo Prior, & Conventus Cantuariensis.

XII. *Apud Joan. Sareb. Ep. 299.* Odo Prior Cantuarien. Alexandro ob pacto Henrici Junioris

Calamitates quas Ecclesia nostra, pleno decennio jam sustinuit, Apostolicæ Sedi non possunt esse incognitæ: quia eas totus Christianus orbis agnovit. Si causa quæritur, justitia se ostendit, apparet libertas Ecclesiæ, reverentia Sedis Apostolicæ; cujus auctoritas evacuabatur in partibus nostris, se esse protestatur, pro quâ & gloriosus Martyr Christi occubuit: pro quâ fratres & alumni Ecclesiæ proscripti diutius exulare coacti sunt: & habiti sicut oves occisionis, spectaculum facti sumus & hominibus, & Deo, & Angelis, & persecutorum Christi canticum totâ die. Attestatur bis apud nos effusus Martyrum sanguis: sed is præcipuè, qui è terra clamans ad Deum fidelium devotione defertur in universum orbem. Sed benedictus Deus, benedictus Apostolus vester, qui nos consolatus est, Dominorum Cardinalium, gratia Dei cooperante, industriâ, in tribulatione nostra: ut post angustias tanti naufragii, ad debitæ libertatis portum accessisse videatur Ecclesia; ut abominationes Ægyptiorum Deo suo securè valeat immolare. Nuper enim emanavit ob eis mandatum de celebrandis electionibus in regno; & Dominus Rex eorum precibus acquiescens, idoneos in Ecclesiis secundum Deum, Pastores præcepit ordinari. Universi lætati sunt. Sed nos, omni jure, præ cæteris, qui in majori discrimine versabamur.

XIII. *Convenimus ergo sæpiùs, accitis Episcopis provincialibus, & aliis ad quos electio pertinebat: & tandem Deo dirigente gressus nostros in beneplacito suo, factum est cor unum, & anima una. Quod sine nutu divino non potuit accidisse, ut tam dissonæ voluntates, in adimplendâ sacrorum Canonum formâ, tam facile unirentur. Tinente ergo desiderio, & prece populi, pari voto, unanimi consensu convenimus in virum, de quo Dominus videtur dixisse nobis: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum eligite: quoniam eum Martyri meo; quem ipse pro me patientem in veritate dilexit, devotè coluit, & in domo mea ab ineunte ætate, fideliter conversatus est, præelegi Vicarium, & ordinari præcipio successorem. Is est Richardus Ecclesiæ nostræ ab adolescentia sua monachus, & apud nos ad omnes promotus Ordines, prior monasterii Doverensis, morum honestate, & literarum eruditione conspicuus, modestus in verbo, providus in consilio, discretus in opere: in habitu & gestu, veram temperati animi exprimens formam. Decentissimè Sacerdotis explet officium: zelus Christi succensus est in corde ejus. Manum suam libenter aperit inopi, liberalitatem gaudenter exercet & exteriorum solicitudinem laudabiliter administrat. Quid mirum, si in tantum, & talem virum universi libentissimè convenerunt: qui etiam rapiendus erat, si aliter haberi non poterat? Cùm ergo liberè, & secundum institutionem sacrorum Canonum, fuisset electio ejus celebrata: Regium, ut mos est, accessit assensus. Eligentes prosecutus est plenus favore clamor; debita laude Dei tota cœpit Ecclesia resultare. Ad metropolitanam sedem cum electo Provinciales Episcopi aliarum Ecclesiarum Electi pariter accesserunt. Pro ritu gentis & majorum consuetudine solemniter inthronizatus est.*

Convenium in electionem Richardi monachi.

Ejus laudes

XIV. Literæ Henrici Junioris retardarunt ejus consecrationem.

Grata Deo & ab hominibus desiderata ipsius instabat consecratio: cùm ecce ex improviso literæ Regis junioris nomen præferentes prolatæ sunt: quibus protestabatur se appellasse, adversus electiones quæ suum non haberent assensum. Literæ quidem ex variis causis, & probabilibus signis arguebantur suspectæ: cuique fidem non esse habendam, erat sententia plurimorum, præsertim in tanto discrimine, ubi libertas potuit periclitari, & animarum salus, & Ecclesiæ protelari desolatio, & rerum jactura irrecuperabilis. Causas enumerare longum est. sed utique, pro Rege illo præsumi debuerat, quòd cum periculo suo, & temporali animarum compendio, nollet Ecclesiam diutiùs captivari. Sed licet præfatæ literæ sapientioribus non viderentur magni esse momenti: de humilitate tamen, & devotione ipsius electi processit, & de fidelitate, quam Patres & majores nostros ad Romanam Ecclesiam semper habuisse recolimus, & de paucorum consilio, ut pro reverentia Nominis vestri consecratio differretur. Speramus enim indubitanter, quòd tantò majorem inveniet in oculis clementiæ vestræ necessitas Ecclesiæ nostræ gratiam, quantò majorem etiam in irreparabili dispendio nostro vobis honorem videbitur esse exhibitum. Scitis, Pater, quia nos supra modum oppressit dira, & diuturna calamitas. Videtis quàm tristia fuerint, quam periculosa sint, & quanto periculosiora, ut timetur, immineant tempora. Occurrit irreparabilis, quam Deus avertat, desolatio, recidivam recemur tempestatem, grandisque necessitas remedium desiderat festinatum. Pietatis itaque vestræ pedibus provoluti supplicamus attentiùs, & tota nobiscum supplicat Ecclesia Anglicana; quatenus provisum a Deo nobis Pastorem, data plenitudine potestatis prout sanctitas vestra melius viderit expedire, auctoritate Apostolicâ adversus eos, qui ruinas Ecclesiarum perpetuare conantur, coborare digneтur. Ut prædecessorum suorum Apostolico munimine fretus, secundùm quod ei Deus inspiraverit, vestigia valeat imitari. Supplicamus, inquam, Vos Ecclesiæ supplicant, supplicant & Patroni Ecclesiæ nostræ, gloriosi Martyres, & confessores: & consona voce omnium, Sanctus Thomas orerat, & multiplicat preces: donec sacratissimum cor vestrum verbum bonum, verbum consolatorium nobis eructet, squallida lugebit sponsa Christi: nec est qui eam consolari valeat, donec Antistitem suum recipiat in plenitudinem potestatis. Quia pedes vestros nequimus, ut volumus, lacrymis rigabimus genas nostras: nec erit eis requies, quousque eas Deo miserante abstergat dextra clementiæ vestræ. Ita ad Alexandrum Papam Odo.

XV. Richardus Toclivius Wintoniensis Episcopus. *Godwin in Winton.*

Hæc junioris Henrici intercessio, Richardi Cantuariensis consecrationem in sequentem annum distulit, electionem quin legitima esset, impedire non potuit. Sicut nec aliorum, ad vacantes sedes electorum, quorum sunt hæc nomina. Ad Wintoniensem electus est Richardus Pictaviensis Archidiaconus, de quo ita Godwinus: [Post mortem Blesensis, vacavit Wintoniensis sedes, annos tres, anno tandem millesimo centesimo septuagesimo tertio, Cardinalium quorundam intercessione mediante, electionis liberæ facultatem Rex monachis Wintoniensibus concessit: qui Episcopum designarunt Richardum Toclivium Archidiaconum Pictaviensem: ab aliis Morum cognominatum, ab aliis verò Richardum de Ivelcester nuncupatum.] Hujus viri elogium legam anno sequenti.

Gaufridus Eliensis Episcopus. *Godwin. in Eliensi.*

Eliensis Ecclesia à morte Nigelli, quinquennio luserat viduitatem suam, & hoc primùm anno ad illam Gaufridus assumitur cognomento Ridal, Cantuariensis Archidiaconus: [Homo arrogantis ingenii (si Godwino credimus) & parùm comis. Unde superbi agnomen meritus.] Plura de illo anno sequenti n. 7.

Roberto Herefordensi Episcopo, ante sexcen-

ROBERTO HEREFORDENSI EPISCOPO MORTUO. *V. an. 1167. 65. ROBERTUS FOLIOT SUCCEDIT.

nium mortuo, succedit Robertus Foliot, Archidiaconus Oxoniensis, ut *suprà, cùm Robertus alter moritur, dicere cœperam. De illo ad Alexandrum Papam Bartholomæus Exoniensis Episcopus hanc scripsit Epistolam, cùm ejus Electio, ob viri merita, ab omnibus probaretur.

XVI. Apud Ioannem Saresb. Ep. 297. BARTHOLOMÆUS EXONIENSIS ALEXANDRO.

ALEXANDRO Papæ BARTHOLOMÆUS Exoniensis Episcopus.

*Membra est vigor à capite; & à Sancta Romana Ecclesia, post Deum salus est omnium Ecclesiarum. Domini Cardinales Legati vestri, desolatis apud nos compatientes Ecclesiis, districtâ præsumptione jussserunt, ut postpositâ omni occasione & morâ; sibi secundum Deum Patres eligerent, & Pastores. Itaque Herefordensis Ecclesia, quæ diutius luxerat, & languerat Pastore proprio viduata, pari voto, unanimi consensu, liberè & secundùm statuta sacrorum Canonum elegit Venerabilem Virum Robertum, Archidiaconum Oxenfordensem, Ecclesiæ suæ Canonicum; tam morum, quam literarum honestate conspicuum, natalibus nobilem, habentem utriusque juris prudentiam: qui domui suæ præesse novit & Ecclesiæ suæ sollicitudinem gerere, gratiosum, & boni testimonii apud omnes. Electioni ejus in præsentia nostra, & fratrum nostrorum, qui omnes in facto isto læti & roborati sunt, Regius est datus assensus, & omnium qui audierunt favor *accessit. Pietati itaque vestræ genibus provoluti supplicamus attentiùs: quatenus eum faciatis maturius promoveri; ad expediendas tam suæ, quam aliarum Ecclesiarum necessitates. Valete.* Causam moræ non aliam invenio ab ea, quæ aliorum Electorum consecrationem impedivit: Qui non ante sequentem annum, ob Henrici junioris intercessionem, inaugurati sunt, ut dicetur

*Decessit.

XVII. GALFRIDUS LINCOLNIEN. ELECTUS NATURALIS FILIUS HENRICI REGIS.

Post diuturnam Lincolniensis Ecclesiæ vacationem, nimirùm ab anno hujus sæculi sexagesimo septimo, Electus est Galfridus, Henrici Regis naturalis filius, è Rosamunda concubina & Lincolniensis Archidiaconus. Hic de consecratione suâ non admodum sollicitus, & Ecclesiæ fructibus contentus, oves totondisse potiùs quàm pavisse dicitur: cùmque septennio Episcopales fructus percepisset, tandem juri suo per electionem acquisito, Patre jubente, renuntians, tamdiu Aulam sequutus est, donec mortuo Eboracensi Archiepiscopo, ad illam sedem assumitur, sub exitum anni millesimi centesimi octogesimi tertii.

MORITUR HILARIUS CICESTRENSIS SUCCEDIT JOANNES.

Post mortem Hilarii Cicestrensis Episcopi, qui præ cæteris Angliæ Episcopis Thomæ Martyris causam suscepit, & ad quem extat Joannis Saresberiensis Epistola, sed annum mortis ejus conjicere necdum potui, electus est hoc anno Joannes cognomento de Greenford, ejusdem Cicestrensis Ecclesiæ Decanus: consecrationem, ut alii, non accepit ante annum sequentem, ob causam suprà memoratam.

REGINALDUS JOCELINI F. BATHONIEN. EPISC. SUCCEDIT ROBERTO LEWENSI MONACHO.

Restat Bathoniensis sedes quam Robertus Lewensis monachus vacuam fecit; & ad illam implendam hoc anno eligitur Reginaldus Fitziocelinus: qui Thomæ Martyri parùm, ut putabatur benevolus, indignus ea sede quibusdam videbatur, donec Petrus Blesensis suspicionem illam diluit, ita pro eo scribens ad amicum.

XVIII. Pet. Blesen. Epist. 45.

Arguitis & damnatis Reginaldum Bathoniensem, tanquam B. Thomæ Martyris persecutor fuerit, & occisor. Scitis equidem quàm periculosum sit homini innocenti notam tanti criminis inurere, & adversus innoxium detestabilem suscitare infamiam, quam cum abolere volueritis, ipsius excursum non poteritis obibere. Scio quia Martyrem dilexit ex corde, & inter desiderabilia hujus mundi, fuit in votis ejus quandoque præcipuum, familiaritati, & obsequio Martyris adhærere. Beatus siquidem Martyr suspenderat patrem ejus Episcopum Saresberiensem: nec mirum eo tempore videbatur; si filius affectu patris compatiens, quandoque durius aut minus consultè de Sancto Martyre loquebatur. Nam & nos insensati vitam ipsius putabamus insaniam, & finem illius sine honore, sed computatus est inter filios Dei, & fors illius inter electos. Qui, quod faciebat charitatis obtentu, & zelo justitiæ in crimen adulatur, & ingratitudine vertebatur. Sed è contra quicquid machinabatur ad ejus infamiam humana malitia, eidem convertebat Dominus ad coronam. De ipso capite nostro Jesu Christo dicit Isaias. Nos putavimus eum leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: & nos quidem pretiosissimum Christi membrum, leprosum putavimus & abjectum. Hæc est lepra, quæ in Sanctos Domini se diffundit. De hac lepra in Levitico memini me legisse. Si effloruerit lepra discurrens in cute, sacerdos lepram mundissimam judicabit. Cum omnis lepra immunda sit; lepra infamiæ, quæ Sanctorum afficit innocentiam, munda est. Nam cùm exteriùs excurrat sinistra opinio; cùm exteriùs mentiatur iniquitas sibi, Sanctorum animæ in manu Dei sunt; justique verba exterioris contumeliæ contemnentes, de thesauro conscientiæ sunt securi. Notam Christo hujus lepræ vestigia, quæ à capite in membra, à Patre in filios derivatur. Curabat Dominus languentes; & violator Sabbati dicebatur. Non est (dicebant) hic homo à Deo qui Sabbatum non custodit. Ejiciebat Dæmones, & hoc maleficium ascribebant. In Beelzebub principe dæmoniorum, inquiunt, ejicit dæmonia. Nunc Samaritanum; nunc filium fabri eum vocabant. Ideo describit eum Zacharias, sordidis vestibus indutum: quod est sit munditia cordis, & inter contumelias detractorum, pura & munda conscientia sit in Sanctis. Propterea Sponsa in Canticis dicit Nigra sum, sed formosa.

SUSPICIONEM DILUIT DE REGINALDO QUOD FUISSET INIMICUS S. THOMÆ.

NON ES…

XIX. *Si ergo Bathoniensis electus, sicut & nos omnes vitam Martyris, quandoque habuit in derisum, si Patri suo beneficium relaxationis obtinere curavit: non est quòd ei debeat imputari ad crimen. Sed etsi adversus eum deliquit in aliquo, excusabilem ignorantia facit. Ecclesiam Dei persecutus sum, dicit Apostolus, sed misericordiam consecutus sum; quia ignorans feci. Credo, quod si sanguis Abel clamat de terra ultionem: sanguis mitissimi Martyris clamat remissionem peccatorum: iis maximè qui pœnitentiam agunt humilem & devotam. Sin autem quantum exterioribus signis perpendere potest, humana fragilitas, quod si præfatus electus, aliquid attentavit in contumeliam Martyris illud expiavit asperitate cilicii, largioribus eleemosynis, lacrimis profusioribus, & austerioribus, disciplinis.* Hæc & plura pro Bathoniensi Episcopo disputat Archidiaconus ejus: quæ ad hunc annum referri debent, cùm electus, nondum consecratus esset. Sed & idem Petrus Reginaldi causam aliis literis egit, prius quàm in Episcopum esset electus. nimirum cùm Sancti Thomæ familiares de Petro quererentur, quod ejusdem Reginaldi contubernio uteretur. Cui querimoniæ Petrus respondit Epistola vigesima quarta, quæ incipit: [Doletis & causamini, quod ad Archidiaconum Saresberiensem me contuli: sed si culpa est accessisse ad eum, reddit me necessitas excusatum. In verbo Domini dico vobis: quod nec noveram, nec audieram, quod

Pet. Blesen. Epist. 24.

Dominus

Dominus noster adversus eum, aliquid rancoris, aut odii concepisset. nunc etiam certissimè novi, quod vestro Domino reconciliari, toto corde desiderat, &c.] Sic scripsit Petrus vivente Sancto Thoma, cùm Reginaldus Saresberiæ Archidiaconus esset, & Jocelinus ejus Pater Episcopus.

XX. Dum Angliæ clerus implendis Episcoporum sedibus attendunt, Henricus Rex Pater, filiorum commodo studens, Joannem è filiis natu minimum, quem *Sine terra* cognominarat hoc anno terrarum amplitudine, & latifundiis augere cupiens, uxorem illi conciliavit. De quo Parisiensis : [Anno Domini millesimo centesimo tertio Rex Anglorum Henricus, Joanni filio suo, cognomento *Sine terra*, Vix Septennem filiam Huberti Comitis de Moriana primogenitam, quam ex relicta Henrici sustulerat, in sponsam accepit.] Sed præcoces fructus rarò maturescunt. Joannes natus anno millesimo centesimo sexagesimo seato impubes adhuc & in præteata fuit: & Septennis filia non apta viro. Sed amplitudo terrarum quam Henricus Pater spe donaverat, ad festinata sponsalia eum invitavit. Rogerus in Annalibus matrimonii aut potiùs sponsaliorum leges accuratè exposuit ita hunc annum auspicatus. [Anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo tertio, qui est annus decimus nonus Regni Regis Henrici filii Mathildis Imperatricis. Idem Rex fuit die natalis Domini apud Chinonem in Andegavia, & Regina Alienor fuit ibi cum eo ; & Rex filius ejus, & uxor illius fuerunt in Normannia. Et post Natale misit Rex Pater pro Rege filio suo, & profecti sunt in Alverniam usque ad montem Ferratz. Et illuc venit ad eos Hubertus Comes de Mauriana & adduxit secum filiam suam Aalays (nos modò Alicism dicimus) primogenitam. Quam Rex Pater comparavit pro quinque millibus marcis argenti, ad opus Joannis filii sui cum toto Comitatu de Moriana, si prædictus Comes filium ex uxore sua non habuerit. Si verò legitimum susceperit filium; prædictus Comes concessit eis in perpetuum & hæredibus eorum, Russillum cum toto mandato suo, sive omnibus pertinentiis suis, & totum Comitatum Belicensem, sicut illum habet, illis concedit : & Perecastel, cum omnibus pertinentiis suis, & totam Vallem Novalesiæ, & Cambriacum cum omnibus pertinentiis suis, & Aiz, & asperum montem, & Rocheram, & montem majorem, & Cameram cum Burgo & toto mandato. Ista omnia cum omnibus pertinentiis suis, eis in contionenti citramontes concedit in perpetuum. Ultra montes quoque illis & hæredibus eorum donat & concedit in perpetuum, Taurinum, totum, cum omnibus pertinentiis suis, Canoreck collegium, cum omnibus pertinentiis suis, & omnia feoda, qua tenent de ipso Comites Cananæis, & eorum servitia, & fidelitates. In Comite quoque de Castro annuit similiter feuda, fidelitates, & servitia. In valle Augustensi concessit eis Castellonium, quod de illo tenet Vice-Comes Augustæ, in perpetuum contra omnes homines.

Parif. hic.

Henricus dat terras Joanni filio suo

Roger. f. 530. seq.

Henricus filium Joannem Sine Terra dictum conjungit cum filia Comitis de Mauriana.

Quas terras daturus erat Comes, si prolem masculam non haberet.

XXI. Hæc omnia præfatus Comes concedit prædicto filio Regis Angliæ in perpetuum, cum filia sua prænominata, ita liberè, integrè, & quietè, in hominibus & Civitatibus, castris, & aliis munitionibus, in pratis, pascuis, & molendinis, in bosco & plano, in aquis & vallibus & montanis, & *paagiis, & in omnibus aliis rebus, sicut unquam Pater ejus, aut ipse meliùs ea omnia quæ subscripta sunt aut liberiùs tenuit. Volt etiam prædictus Comes, quod incontinenti, aut quandocumque placuerit Domino Regi Angliæ, ut filio ejus fiant & præstentur hominia & fidelitates ab omnibus hominibus suis, per totam terram suam ; salvâ fidelitate suâ quamdiu terram tenebit. Præterea concedit ei, & hæredibus eorum in perpetuum quicquid juris habet in toto comitatu Grationopolitano : & quicquid in eo acquirit, vel acquirere poterit. Si autem filia sua primogenita supradicta in fata concesserit, quæcumque cum primogenita concessit illustris Regis Angliæ filio ; cum secunda filia sua, eadem sicut scriptum est, cuncta concedit.

*Est telonium pro transitu.

Vult, ut Joanni sui subditi præstent hominia

XXII. Hanc præscriptam conventionem tenendam inter Dominum Regem Angliæ, & Comitem Mauriañæ, juraverunt ipse Comes Maurianæ, & Comes Gebennæ, & penè omnes alii potentes terræ suæ : quod Comes Maurianensis hanc conventionem servabit firmiter; et si ab ea aliquando resilierit, juraverunt, Quod ad vocationem Domini Regis Angliæ, vel nuntii ipsius ; & etiam sine omni vocatione, si Comes resiliret, ex quo hoc scient, reddent se obsides Domino Regi in terra sua ubicumque voluerit : & tamdiu in sua captione morabuntur, donec Comitem ad Regis beneplacitum revocaverint ; vel cum ipso Rege pro voluntate ipsius composuerint. *Petrus quoque venerabilis Tarentasiensis Archiepiscopus, & Arduino Gebennensis, & Willelmus Maurianensis Episcopi, & Abbas S. Michaelis coram positis Sanctis Evangeliis, de mandato Comitis firmiter promiserunt : quod ad beneplacitum Regis, & quando voluerit, personam Comitis excommunicabunt, & terram ejus sub interdictum ponent : si Comes hanc pactionem inter eos factam non servaverit. Idem facient de personis hominum Comitis, & terris eorum, per quos stabit, quòd non servetur pactio inter Regem, & Comitem facta : & tam diu Comitem, & eos qui pacem servare noluerint, & terras eorum sub interdicto tenebunt, donec Domino Regi satisfactum fuerit.

*V an 1161 s

Episcopi promittunt excommunicare Comitem, si non servet pactionem.

XXIII. Dominus Rex hanc fecit conventionem, & concessionem præscriptam cum Comite Maurianensi, & eam de mandato ipsius tenendam juraverunt. Comes Willelmus de Mandevilla, Willelmus Comes de Arundel, Radulfus de Faia, Willelmus de Curci, Willielmus de *Hinnex, Fulco Painel, Robertus de Brinecourt, Willielmus Maingot, Theobaldus Chabot, Willielmus de Munfutzun, Petrus de Muntaffun, Gaufridus Forestarius. De cætero sciendum est, quod Comes suam secundam filiam nuptui tradere poterit, cui voluerit, sine nimio Comitatus detrimento, postquam primogenita ejus filia, filio Regis fuerit desponsata, vel per legitimam ætatem, vel per Romanæ Ecclesiæ dispensationem ; parentibus autem suis, vel aliis pro salute animæ suæ, poterit de terra sua dare, sine multa Comitatus diminutione. Incontinenti verò mittit Rex Comiti mille marcas argenti, & quàm citò filiam Comitis recipiet. habebit ad minus alias mille marcas argenti : & quicquid fuerit de quinque millibus marcis residuum, recipiet Comes quando matrimonium inter filium Regis, & filiam Comitis fuerit contractum per legitimam ætatem, vel Romanæ Ecclesiæ dispensationem.] Sequuntur plura stipulationis capita, sed hæc sufficiunt, & fortè supersunt : nam horum nihil

*fortè Hunez.

Quinam iuraverunt de hac pactione servanda.

nihil effectui datum, vel immaturâ sponsæ morte, vel Henrici junioris sequiore impetu, nolentis cedere quæ Pater Joanni ad sponsalia firmanda concedere volebat.

XXIV. Enimvero intumescere jam cœperat juvenilis in Patrem animus, & iræ fomenta colligere: quæ matre, socero que urgentibus, in flammam hoc anno inde in magni belli incendium eruperunt. De quo Neoburgensis. [Anno, inquit, à partu Virginis millesimo centesimo septuagesimo tertio, qui fuit Regis Henrici secundi vigesimus (inchoatus nimirùm) cùm idem Rex in Angliam reversus ex Hibernia, in Normanniam post modicum transisset facta est execrabilis & fœda dissensio inter ipsum & filium ejus Henricum tertium, quem ante biennium in Regem fecerat solenniter consecrari. Cùm enim idem crevisset, & pubes jam factus vellet cùm sacramento & nomine, rem sacramenti & nominis obtinere: & Patri saltem conregnare: cùm solus (ut ei à quibusdam insusurrabatur) de jure regnare deberet; quasi eo coronato, regnum expirasset paternum. Indignans maximè expensas Regiè faciendas, sibi à Patre parciùs ministrari, contra Patrem intumuit, atque infremuit: clamque ad socerum suum Regem Francorum, Patri tædium moliturus, profugit. à quo nimirum gratè susceptus: non tam quia gener erat, quàm quia à genitore desciverat; ejus se in omnibus consilio credidit. Francorum ergo virulentissimis adhortationibus animatus, atque instigatus in Patrem, quò minùs jus violaret naturæ, exemplo non est territus scelestissimi Absolonis. Pater verò filii aversione compertâ, & quò profugisset, agnoscens. misit ad Regem Francorum viros honoratos cum verbis pacificis, filium paterno jure reposcens: & si quid circa illum emendandum videretur, ejusdem se Regis consilio maturè se emendaturum pollicens. Ad hoc ille: Quis mihi, inquit, talia mandat? Rex, aiunt, Anglorum. Et ille: Falsum est, inquit, Rex Anglorum ecce adest: per vos mihi nihil mandat. Si autem Patrem hujus olim Anglorum Regem, etiam nunc Regem appellatis: scitote, quis ille Rex mortuus est. Porrò quòd adhuc pro Rege se gerit; cum regnum filio, mundo teste, resignaverit, maturè emendabitur. Sic delusi Responsales ad Dominum suum rediere.] Ita de Henrici junioris à Patre discessu Neoburgensis.

Neoburg. l. 2. c. 27.

Henricus filius jam coronatus rebellat contra Patrem.

Fugit ad Regem Francorum a quo protegitur.

XXV. Alii paulo distinctiùs irarum causas ex eo repetunt, quod Henricus filius, solo Regis nomine, ingloriùs viveret: nullâ provinciâ, nullo oppido, nullâ denique re illustris aut præ aliis emineret. Petierat quidem aut in Anglia, aut in Normannia, aut alibi terrarum, cum Regia dignitate dominari: sed parens cupiditati ejus non accesserat. Iterum quod Henricus pater profusior in filios ætate minores, nuper Joanni natu minimo, urbes & castella concesserat: sibi ad tuendum Regis nomen, & cum dignitate familiam, nihil. Hinc aversi à parente animi principium fluxisse Rogerus ita refert. [Venit ad Limoges Comes Mauriane, & scire voluit, quid & quantum Rex Angliæ Pater daret Joanni filio suo de terra sua. Et cùm Rex vellet ei dare castellum de Chinum, & castellum de Londum, & castellũ de Mirabel: Rex filius nullo modo concedere voluit, nec fieri permisit. Ipse enim jam molestè ferebat, quòd Pater suus aliquam terrarum suarum ei assignare noluit, ubi ipse cum uxore sua morari posset. Ipse quidem petierat à Patre suo donari sibi Normanniam, vel Andegaviam, sive Angliam. Et hanc petitionem fecerat per consilium Regis Franciæ, & Comitum & Baronum Angliæ, & Normanniæ, qui patrem suum odio habebant. Et ex illo tempore Rex filius causas quærebat, & opportunitatem, ut à Patre suo recederet. Etiam animum suum à voluntate ipsius ita declinaverat, ut nihil cum eo pacificè loqui potuisset. Et nactus opportunitatem loci & temporis, Rex filius à Patre suo recessit, & ad Regem Francorum perrexit. Cancellarius autem ejus Richardus Barre, & Walterus Capellanus ejus & Ailwardus Camerarius suus, & Willelmus Blundus hostiarius ejus, relicto eo redierunt ad Patrem. Perdidit itaque Regis filius mentem, perdidit & sensum:] Hæc ille.

Irarum causæ, filii in Patrem.

Hoved fol. 533.

XXVI. Si sola fuisset unius filii à Patre cessio; id minùs mirandum foret, quia vulgare primogeniti filii cacoëthes est, patrimonium ante tempus ambire. Sed quia alii quoque filii in sceleris societatem coierunt: cogor opinari Henricum Patrem necdum expiasse crimen quod in Thomam Sanctum nuper commiserat. Qui enim Pastori suo, Episcopo, Primati, & multo denique titulo Patri, tam impotenter restitit: cur miramur armasse Deum subditos, provincias, filios etiam in parricidii vindictam? Richardus filiorum alter secundò genitus, & Gaufridus ejus frater, in Patrem Henricum, ut Henricus insurgunt: & Eleonoram Matrem in factionem trahunt, ni mavis dicere ab ea tractos, tractione non eguisse. Nec ibi stant ira Dei, & Martyris sanguis altiorem adhuc ultionem clamabat. Gallia, Scotia, Normannia in Henricum pugnant, & tamdiu pugnant, donec ad Thomæ Martyris pedes Regem humilient atque projiciant; ut infrà dicam. Parisiensis de his turbis ita loquitur ad hunc annum: [Eodem anno Rex Henricus juvenis, in consilio abiens impiorum, animum suum à Patre divertit: & ad socerum suum Regem Francorum secessit. Quo facto Richardus Dux Aquitaniæ, & Gaufridus Comes Britanniæ, consilio Matris suæ (ut dicebatur) Alienor Reginæ fratrem potiùs elegerunt sequi quàm Patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ, & incendia. Et sic, ut creditur, in ultionem Beati Thomæ Martyris suscitavit Deus viscera Regis Henrici, contra eum. Videlicet filios suos: qui ipsum usque ad mortem persecuti sunt, ut sequens historia declarabit.]

Alii filii insurgunt in Henricum Patrem.

Paris. hic.

Filii insurgunt in ultionem S. Thomæ.

XXVII. Conjurationum initia in Gallia fuerunt, ubi in Principum conventu Anglicanus ager in proceres dividitur, qui Junioris Henrici causam tueri & propugnare voluerint: Ludovico Rege, generoque Rege præmia proponentibus. De quo ita Rogerus ad hunc annum. [Interim Ludovicus Rex Francorum magnum celebravit Concilium Parisiis, in quo ipse & omnes Principes Franciæ juraverunt filio Regis Angliæ: quod ipsi auxiliarentur ei modis omnibus ad patrem suum è regno ejiciendum, nisi ad voluntatem ipsius composuerit & ipse juravit eis: quod ipse cum Patre suo pacem non faceret, nisi de consensu & voluntate eorum. Deinde juravit se daturum Philippo Comiti Flandriæ, pro Homagio suo mille libratas redditmum in Anglia, & totam Cantiam cum Castello de Dover, & castello Roffense. Et Mattheo Comiti Boloniæ pro homagio suo Socam de Kirketona in Lin-

Rogerus fol. 533.

Conspiratio fit in curia Ludovici pro Henrico juniori contra Patrem.

deseia, & Comitatum Moretonii, cum honore de Heia: & Comiti Theobaldo Blesensi pro homagio suo *ducentas libratas redditum in Andegavia, & castellum de Ambasio, cum toto jure, quod ille calumniatus fuerat in Turonica, & clamavit ei quietum totum jus, quod Rex Pater ejus, & ipse calumniati sunt in castello Reginaldi, & omnes donationes, & alias multas, quas cæteris fecit, confirmavit sigillo suo novo, quod Rex Franciæ ei fieri fecit. Præterea alias fecit donationes, quas ipse eodem sigillo confirmavit. Scilicet Willielmo Regi Scotiæ pro auxilio suo totam Northumbriam usque ad fluvium Tine: & dedit fratri ejusdem Regis pro servitio suo Comitatum de Huntendona, & de Cantebrigeshire: & Comiti Hugoni Bigot Castellum de Norwix pro servitio suo.] Hæc præmia hi triumphi fuerunt ante victoriam.

*Quingentas.

XXVIII. Ingentes ex hoc Parisiensi concilio motus emerserunt. Nam omnium factorum & decretorum gnarus Henricus senior, & vinci dedignatus, qui toties vicerat, congregavit ipse externum militem, cùm regnum provinciasque suas in filii & hæredia fidem jurasse constaret. è Brabantia igitur militem magnâ mercede multoq; numero conductum, vix alium filio opponit: qui sanguine & ætate fervens, vix datâ temporis morâ cum Patre congreditur. de quo author qui supra [Statim post Pascha, regnum Franciæ, & Rex filius Regis Angliæ, & Richardus frater ejus Comes Pictaviæ, & Gaufridus Comes Britanniæ, & ferè omnes Comites & Barones Angliæ, & Normanniæ, & Aquitaniæ, & Andegaviæ, & Britanniæ insurrexerunt in Regem Angliæ patrem: & terras ejus undique devastaverunt igne & gladio, & rapinia: & castella sua obsederunt, fregerunt, & ceperunt. Et non erat qui adjuvaret. Sed ipse in quantum potuit, resistebat illis. Habuit enim secum viginti millia Brabancenorum, qui fideliter servierunt illi, & non sine magna mercede, quam eis dedit. tunc impletum fuisse videtur illud Merlini vaticinium, quo dicitur. Evigilabunt rugientes catuli, & postpositis nemoribus, infra mœnia civitatum venabuntur, stragem non minimam ex obstantibus facient, & linguas taurorum abscindent, colla rugientium onerabunt catenis & avita tempora renovabunt.] Hæc author: Quæ alii paulò fusiùs explicant; & Angliæ ac Scotiæ rebellionem cum Gallicis tumultibus miscent: ut universus ferè Occidens in Henricum uno impetu, junctisque viribus insurrexisse videatur, ob commissum sine dubio sacrilegi parricidii crimen, quod non nisi multo & magnorum virorum sanguine erat expiandum.

Hoved. fol. 134. HENRICUS REX COLLIGIT EXERCITUM BRABANTINORUM

XXIX. [Tunc enim multi potentes & nobiles (loquitur Neoburgensis) tam in Anglia, quàm in partibus transmarinis, vel mero odio, caiendis dissimulato impulsi, vel vanissimis pollicitationibus sollicitati: à patre ad filium paulatim cœperunt deficere, & admotus se bellicos modis omnibus præparare. Comes, scilicet, Leicestrensis, Comes Cestrensis, Hugo Bigotus, Radulphus de Fougeriis, aliique complures, amplitudine opum, & firmitate munitionum terribiles. Multi etiam suis rebus viribusque minus confidentes nè nihil agerent, concedendo in Franciam, hostilem animum declararunt. His accessit hostis truculentior, Rex Scotorum, immites populos, & neque sexui, neque ætati parcituros, finibus immissurus Anglorum. Cùm ergo tot tantique proceres à Rege seniore descivissent: omnesque contra eum tanquam pro anima sua gererent: admodum pauci erant, qui ei fideliter adhærerent: cæteris circa eum pendulè fluitantibus; dum à Regis junioris absorberi victoriâ scrupulosiùs formidarent. Tunc demum vidit Rex senior (sic enim vulgo dicebatur) quàm inconsultè, immò quàm stultè egerit, præmature creando sibi successorem: minus attendens: quod novarum rerum aucupatores, Regem proclivius sequerentur juniorem. Turbatis ergo rebus maxima; dum hostes interni, externique urgerent; his quoque qui sibi adhærere videbantur, in gratiam filii remissiùs agentibus; minùs se credens, stipendiarias Brabantionum copias quas Rutas vocant, accersivit: eò quòd de thesauris Regiis, quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret.

Neoburg. l. 2. c. 27. NOBILES IN ANGLIA REBELLANT

XXX. Præter Brabantinos, quos authores nostri variè efferunt, Externorum Principum opem Henricus senior videtur implorasse. Constat enim, missis literis, docuisse amicos, Reges, & sibi fœdere junctos. quo loco, & quo cardine Anglorum Respublica verteretur, quamque periculosè, vivo, parente, primogeniti exaltentur. Sic monuit Guilielmum Siciliæ Regem, eo nomine secundum; cui Joannam filiam, uxorem destinaverat, & ille tristissimo infortunio compatiens, & loci distantiam causatus; non aliud quam harum literarum subsidium remisit.

MONET HENRICUS PATER EXTERNOS PRINCIPES.

HENRICO Dei gratiâ illustri Anglorum Regi, & Duci Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ: WILLELMUS eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ salutis fælicitatem, & de hostibus desideratum Victoriæ triumphum.

IN receptione literarum vestrarum cognovimus; quod sine admiratione maxima proferre non valemus: videlicet quod ordine humanitatis obliso, & naturæ lege solutâ insurrexit filius in patrem, in genitorem genitus; commota sunt viscera ad bellum intestinum, irruerunt ad arma præcordia: & quod novum prodigium est & nostris temporibus inauditum, caro desævit in sanguinem, & seipsum quærit sanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum comprimendum, potentia nostra auxilium loci incommoditas non admittit: eo quo possumus charitatis affectu, quem locorum spatia non concludunt, personam, & honorem vestrum devotius amplectentes, dolori vestro compatimur, persecutionem vestram molestè ducimus, & quasi propriam reputamus. Confidimus autem, & speramus in Domino, cujus judicio Regum judicia terminantur: Quod diutiùs non permittet filios vestros tentare super id, quod possunt, vel debent. Et qui factus est obediens Patri, usque ad mortem, ipse mentibus filiales lumen obedientiæ inspirabit; per quod memorabuntur, quod caro & sanguis vester sunt, & celitus hostilitatis erroribus, agnoscent se filios, redibunt ad patrem, naturæ solidabunt incommoda; & debita dilectionis fœdera pestilitus ordo commutabit.

Apud Hovedenum fol. 134. GUILIELMUS SICILIÆ REX EXCUSAT SE HENRICO.

Verùm à lectione literarum vario classico avocamur, his in Gallia & Normannia: his in Anglia in Henricum pugnantibus: denique à Septentrione malum emergente, quod provincialium

animos magis exulcerat. Erime Henricus tot conatibus par? Certè in tanto angustiarum labyrintho oblivisci noluit se Regem esse: & si quid timoris aut periculi conscientiæ metus injecit, abstersit magnanimæ mentis vultus exterior. nam teste Parisiensi:

Paris. hic. HENRIC' MAGNANIME DOLORAM DISSIMULAT.

[Rex Henricus senior, inter hæc omnia Rothomagi morabatur, æquo animo; ut populo visum est, ferens ea quæ fiebant; & solito frequentiùs venatui indulgens, ad se venientibus vultum hilariorem prætendit. Dilabebantur autem ab eo hi, quos ab annis puerilibus educaverat, credentes dominationem filii illicò imminere.] Ita ille. Sed quantumvis prudens & magnanimus Rex foris nullius impetum formidare videretur, intùs tamen dolorem pressit, & occurrentibus malis oculatè prospexit, quod Neoburgensis advertit.

Neoburg. l. 2. c. 27 ALII PRINCIPES QUO FINE BELLANT IN HENRICUM

[Igitur inquiens, mense Junio quando solent Reges ad Bella procedere, finitimi Principes contractis undecumque viribus, Regem hostiliter aggrediuntur Anglorum sub obtentu quidem, quasi pro filio æmularentur contra Patrem. Quâ nimirùm æmulatione nihil stultius: re autem verâ proprii vel odii; ut Rex Francorum: vel emolumenti ut Comes Flandrensis, negotium porrectâ occasione agentes. Porrò Rex Anglorum ad excipiendos tantorum hostium impetus, minus se poterat præparare, propter suorũ tumultus internos, quibus vehementissimè angebatur.

MUNIT CASTELLA.

Cùm igitur propter manum imparem irrumpentibus non posset occurrere: munitiones tantùm quæ erant in terminis, dispertitis præsidiis, studuit cautiùs munire.]

XXXII.

Per *tumultus suorum internos*, intelligit author, motus in Anglia, qui eodem tempore tam animum Regis, quàm vires distraxerat. Ibi factiosi novandarum rerum studio, diuturnum Henrici senioris imperium pertæsi, & Orientem solem adorantes, qui gratior quàm Sol Occidens, mortalibus solet esse, facilè, ut dicetur, rebellionis ansam arripiunt. Sed Gallorum motus primi fuerunt: Urbes ibi obsessæ, vastati agri, qui belli seditionisque faciem Insulæ porrexerunt.

Neoburg. l. 2. c. 28.

[Nam Rex Francorum oppidum Vernullium; ita Neoburgicus; nullius rei necessariæ ad tolerandam obsidionem diutinam indigum, circumfuso conclusit exercitu: non nisi capto eo, vel dedito progressurus. Comes verò Flandrensis, cum suis copiis, à parte Flandriæ irruens, obsedit Albemarlam, valido inaniter fultam præsidio: cùm ejus oppidi Dominus, Comes scilicet Albemarlensis contra seniorem Regem, ceu multi alii, fluctuarent.

PRINCIPES, QUI CONSPIRABUNT CUM FILIO HENRICO CAPIUNT CASTELLA

Qui nimirùm pro eo, quòd oppidum minùs oppugnatum, cito expugnatum est, cùm Flandrensi creditus est collusisse. A quo captus, cum omnibus quos illic Rex causâ præsidii miserat, alia quoque castella sua resignavit. Progrediensque Flandrensis exercitus, ad majora faustis animatus principiis, munitionem Regiam, quæ Castellum novum dicitur, per dies aliquot, adhibitis machinis, fortiter expugnavit. Qua tandem dedita Comes Flandrensis gavisus non est. Frater namque ejus Matthæus, Comes Bovoniensis, quo ille, tanquam futuro successore gaudebat, qui de conjuge propria sobolem nequaquam susceperat, aut sperabat: in ejusdem oppidi oppugnatione ictu sagittæ, casu vulneris in pejus vergente; decubuit, & post dies paucissimos, inter curandum, in fata concessit: fratri tantùm ex suo interitu luctum relinquens: ut solutâ mox expeditione lugubris ad propria remearet; sinistrum sibi eventum objectans, atque imputans: qui Regem consobrinum, à quo nunquam læsus, crebrò autem beneficiis præventus extiterat, causâ nequissimi filii hostiliter impetendum duxisset.

XXXIII.

Non terruit Henricum unius oppidi expugnatio, & jactura; sed è Matthæi morte factus erectior, ubi Comitem Flandrensem ad sua rediisse cognovit:

Author sup.

[Considerans etiam (ita pergit qui suprà) se bellicæ sollicitudinis parte dimidiâ pro tempore liberatum: adversus partem reliquam propensiorem mox sumpsit fiduciam. Convocatis ergo stipendiariis copiis, & quotquot eum in illo articulo non deserendum putabant: denuntiavit Regi Francorum, qui jam partem æstatis plurimam in prænominati oppidi (Vernullium suprà author vocat, Rogerus & Parisiensis Vernolium) obsidione consumpserat: eoque maturè se potiturum sperabat: ut vel obsidionem desereret, vel ad diem certum, dictumen sibi bellicum impendere minimè dubitaret. Primùm quidem Franci, natura feroces, simul & arrogantes; præsertim cum numero & apparatu bellico prælstare viderentur; denuntiationem derisere: id eum nullatenus ausurum arbitrantes. Verùm agnito, quòd impavidus cum instructo adventaret exercitu: tunc primò suspicari potuerunt aliquid eum ausurum.

ACCEDENTE HENRICO REX GALLIÆ RECEDIT AB OBSIDIONE.

Illico Rex eorum accitis festinè optimatibus, tractare cum eis cœpit de bello, missisque obviam Regi Anglorum uno Episcopo, & Abbate; qui ab eorum ore acciperent, utrum congressurus accederet: ipse interim pro tempore copias instruebat. Et ecce missi, eidem Regi occurrerunt: qui nescio quid ordinans, seseque cum multa confidentia ostentans, armatus cum paucis, aliquot stadiorum spatio exercitum anteibat. Cui cùm dicerent Regem Francorum velle certificari de prælio: Vultu feroci, & voce terribili. Ite (inquit) & dicite Regi vestro, quia ecce adsum. Cùmque festinanter reversi instantis jam de proximo Principis ferociam, & obstinationem indicassent. Concilium habuerunt Rex, & Optimates Francorum, ut pro tempore cederent, & pugnaturi pro hæreditate Patrum suorum impetum declinarent. Itaque castris relictis, cum tremendis illis copiis in Franciam refugerunt: armati tamen, & compositis ordinibus, nè fugere viderentur. Sicque qui paulò ante ferocibus animis, & grandium rugitu verborum, Leones videbantur: tanquam lepores cedendo fugiendoque repentè inventi sunt. Porrò Rex Anglorum, indecora superborum hostium fugâ contentus, urgere & prosequi noluit fugientes; sed exercitu ad hostilium direptionem converso: oppidum cum solenni lætitiâ, suis qui ibidem fortiter egerant congratulaturus intravit. Repertum est autem in castris frumenti, & vini, & escarum plurimum, cum supellectile varia: quam abeuntes, instantibus adversariis, asportare non poterant.] Ita Neoburgensis.

XXXIV. *Hoved. fol. 534.* OBSIDIO FUSIÙS NARRATUR.

Omittit hic author multa quæ Rogerus narrat fusius dolos, primò inde perjuria Francorum. sic enim de obsidione hæc loquitur. [Rex Franciæ, cùm apud villam Vernolii per mensem moram fecisset, vix expugnavit partionculam villæ illius ex parte illa, ubi machinæ suæ bellicæ ponebantur. Erant quidem infra Vernolium tres burgi præter castellum: & unusquisque eorum separatus erat ab

alteto,

altero, & interclusus forti muro, & fossa aqua plena: & unus illorum dicebatur magnus Burgus: ubi extra murum fixa erant tentoria Regis Franciæ, & machinæ illius bellicæ. In fine autem illius mensis, cùm Burgenses de Burgo magno viderent, quod victus & necessaria eis defecissent, nec haberent quid manducarent; compulsi fame, & inopiâ, inducias triduanas ceperant à Rege Franciæ eundi ad Dominum suum Regem Angliæ propter succursum ab eo habendum. Et nisi infra sequens triduum succursum haberent, redderent illi Burgum illum. Et statutus est eis dies peremptorius in Vigilia S. Laurentii. Et dederunt Regi Franciæ obsides inde: Et Rex Franciæ, & Rex Angliæ filius, & Comes Robertus, frater Regis Franciæ, & Comes Henricus de Trois, & Comes Theobaldus de Blois, & Willielmus Archiepiscopus Senonensis juraverunt eis quòd si ipsi reddidissent Burgum illum Regi Franciæ, ad terminum statutum: Rex Franciæ redderet eis obsides suos liberos & quietos: & quòd eis nullum damnum faceret, nec ab aliis fieri permitteret. His ergo ita concessis supra dicti Burgenses venerunt ad Dominum suum Regem Angliæ, & indicaverunt ei conventionem, quam fecerant, cum Rege Franciæ, & Rege filio suo. Quo audito Rex Angliæ congregavit totum exercitum, quem habere poterat de Normannia, & aliis terris suis, & venit usque ad Bertoel castellum Roberti Comitis Leicestriæ: quod ipse Comes in adventu Regis fugiens sine custode reliquit. Quod ipse Rex totum redegit in cineres, & in crastino præliaturus cum Rege Franciæ processit usque in montem altum propè Vernolium cum exercitu suo, & disposuit acies suas ad bellum. Et dies ille erat dies peremptorius, in quo portio illa de Vernolio reddenda erat, nisi haberent succursum.

XXXV. Et Ludovicus Rex Francorum misit Willielmum Senonensem Archiepiscopum, & Comitem Henricum, & Comitem Theobaldum ad Regem Angliæ patrem, & ceperunt colloquium inter eos in crastino. Et credidit illis Rex Angliæ malo suo: quia deceptus est. Rex namque Franciæ in crastino, nec ad colloquium venit, nec nuntium misit: Rex autem Angliæ miserat exploratores suos, ad explorandum statum Regis Franciæ, & exercitus ejus. Et dum exploratores illi moram facerent, reddita est Regi Franciæ portio illa de Vernolio, quam obsederat. Sed ipse non ausus eam retinere, transgressus est sacramenta, quæ ipse Burgensibus fecerat; Ipse namque obsides eorum non reddidit, nec pacem, quam promiserat, servavit. Sed villam intravit, Burgenses captivavit, catalla eorum asportavit, Burgum incendit, & fugiens duxit secum in Franciam Burgenses prædictos. Quod cùm Regi Angliæ nuntiatum esset, secutus est eos in ore gladii, & multos ex eis interfecit, & quamplures cepit, & in crepusculo Vernolium venit: & ibi una nocte quievit, & muros qui ceciderant, Rex ædificari præcepit. Ut autem hæc in memoria habeantur sciendum est quod hæc fuga Regis Franciæ facta est quinto Idus Augusti, feriâ quintâ in vigilia S. Laurentii ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi.] Ita liberatur ab externo hoste Henricus senior; Francorum Rege fugato, & Flandrensi Comite secessionem suam à consobrino Rege plangente. Internum tamen & domesticum

LUDOVICUS REX GALLIÆ DECEPIT HENRICUM, BURGUM INTERCEPIT NON SERVATIS CONDITIONIBUS SED CUM CIVIBUS RELIQUIT.

malum, quò vicinius, eo fortiùs ac potentiùs paternum pectus premebat. nam minor Britannia, Gaufridum filium in rebellione sequuta jugum abjecerat, & in ipsis Angliæ visceribus Anglorum aliqui, Scotorum plurimi juniores Principes sequebantur. Henricus igitur, cùm cognati Reges laboranti adesse noluerint, ad Alexandrum Papam, commune Christianorum asylum, literas submissione plenas misit in hæc verba.

Sanctissimo Domino suo, ALEXANDRO Dei gratiâ Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifici, HENRICUS Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegavensis, & Cenomanensis Salutem, & devotæ subjectionis obsequium. *apud Pet. Bles. Epist. 136*

XXXVI. HENRICUS ALEXANDRO.

IN magnorum discriminum angustiis, ubi domestica consilium remedium non inveniunt; eorum suffragia imploramus, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit. Longe latéque divulgata est filiorum meorum malitia: quos ita in exitium Patris spiritus iniquitatis armavit, ut gloriam reputent & triumphum, Patrem persequi, & filiales affectus in omnibus deficere; praevenientibus meorum exigentia delictorum. Ubi pleniorem voluptatem contulerat mihi Dominus; ibi gravius me flagellat: & quod sine lacrymis non dico, contra sanguinem meum, & viscera mea cogor odium mortale concipere, & extraneos mihi quærere successores. Illud præterea sub silentio præterire non possum: quòd amici mei recesserunt à me: & domestici quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicavit clandestina conjuratio; ut observantiæ, proditoria conspirationis universa posthabeant. Malunt namque, meis adhærere filiis, contra me transfugæ & mendici, quàm regnare mecum, & in amplissimis dignitatibus profulgere.

CONQUERITUR DE FILIIS.

XXXVII. PETIT PONTIFICIS AUXILIUM.

Quoniam igitur vos extulit Deus in eminentiam officii Pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi ejus: licet absens corpore, præsens tamen animo me vestris advolvo genibus, consilium salutare deposcens. Vestræ jurisdictionis est regnum Angliæ: & quantum ad feudatarii juris obligationem vobis duntaxat obnoxius teneor, & astringor. Experiatur Anglia, quid possit Romanus Pontifex. & quia materialibus armis non utitur, Patrimonium B. Petri spirituali gladio tueatur: Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulsare: sed patrem non possum exuere. Nam & Jeremiâ testante: nudaverunt Lamiæ mammas suas: lactaverunt catulos suos. Et licet errata eorum quasi mentis efferatæ me fecerint, retineo paternos affectus, & quandam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis imperat. Utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent. Lactant filios meos domestici hostes: & occasione malignandi habita non desistunt, quousque redigatur virtus eorum in pulverem: & convertatur caput in caudam, servi eorum dominantur eis, juxta verbum illud Salomonis: Servus astutus filio dominabitur imprudenti. Excitet ergo prudentiam vestram spiritus consilii, ut convertantur corda filiorum ad Patrem. Cor enim Patris pro beneplacito vestro convertetur ad filios: & in fide illius, per quem Reges regnant, vestræ magnitudini promitto, me dispositioni vestræ; in omnibus pariturum. Vos Ecclesia, Pater sancte, diu Christus servet incolumem.

Afflictio dedit intellectum: & qui in Thomæ XXXVIII

HENRICUS SUBMITTIT SE, ET REGNUM FEUDATARIUM PONTIFICI.

Martyris causâ Alexandrum vel audire noluit, vel tergiversando elusit: nunc seriò cogitur ejus opem implorare? quique Friderico in schismate adhærere, Alexandro rebellis promiserat: nunc palinodiam canit, & jurejurando religiosè spondet, se eidem in omnibus pariturum. Est & aliud observatu dignum. Qui magno conatu, ut supra visum, Ecclesiam sibi subdere, sui juris esse, & avita consuetudine subdi debere contendit: Thomam ideo ad mortem usque persecutus: nunc retrò respiciens, & Henrico Avo suo majores atque sanctiores Principes, fatetur quod verum est; regnum Angliæ, Romanæ sedis jurisdictionis esse, seque Principi illi feudatarium. Quo nomine tituloque ab Alexandro Romanæ sedis Præside, contra Francorum Regem, contra filios, contra perduelles omnes patrimonii Beati Petri, nimirum Anglorum Reip. perturbatores, opem, auxilium, & consilium postulat. Permisit ergo Deus filiorum scelus, & eo velut collyrio Henrici Patris oculos inunxit, ut clarè videret, scriptoque testaretur, se immane peccasse, cùm in Ecclesiam matrem, rebellis ipse filius peccavit. Hoc idem legemus inferiùs, ubi Henrici hujus filius Joannes regnum adeptus, Ecclesiam aliquando pessundabit: sed in afflictione, ut modò Pater, prensabit illa ubera, demittet alas, ad Ro. Pontificis pedes se, regnum, coronam projiciet, & regnabit inde feliciùs.

XXXIX. Quid in Henrici Regis gratiam Alexander fecerit, dicam anno sequenti: Lego interim quid alii, ad motus sedandos moliti, Henrico juniori, ut à persequendo Patre, à turbanda Ecclesia, quæ in bellicis tumultibus ruinæ semper est proxima, suggesserint, Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus utriusque Reip. componenda pace ita scripsit.

HENRICO tertio Dei gratiâ, illustri Anglorum Regi, Archiepiscopus, Rothomagensis Salutem in eo, qui dat salutem Regibus.

Apud Pet. Blesen Ep. 33.
ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS HENRICO III.

QUoniam ex officio nobis injuncta administrationis incumbit, animarum curam agere: quarum exactissimam rationem districtus Judex in terribili examine postulabit à nobis: excellentia tua quæso non sit oneri, si te deprecamur, ut Dominum, hortamur ut Regem, docemus ut filium. Nec enim alligatum est in ore nostro verbum Domini: sed in spiritu libertatis loquimur, quod salutem animabus, quod quietem populis, quod Ecclesiæ libertatem, quod honorem Deo, & patriæ liberationem conferat: atque de erroris invio, ad viam veritatis & justitiæ te reducat. Non attendis, fili Charissime, quid inceperis: nec incepti operis metuis exitum. Votis edentium te festinas satisfacere: & in proprium caput provocas inimicum. Non barbaras expugnas nationes; sed familiares & domesticos: non extraneas regiones, non hostiles munitiones invadis, sed tuas. Subjectum tibi affligis populum, non rebellem: non hostem, sed Patrem: imo non Patrem persequeris, sed teipsum. Pater siquidem tuus, posthabitâ corporis & animæ suæ curâ, se omni labori & discrimini exponebat, ut tuum faceret, quod nunc vis facere tuum; & ut veriùs loquar, quod intendis facere, ne sit tuum. Magis non tuum facis pugnando, quod paterna tibi cessio, quod generale votum populi, quod juramenta Principum, quod hæreditaria successio deferebat. Quod Rex & Princeps pacificè possidebat, hoc tyrannus & invasor, spoliatione Ecclesiarum, oppressione pauperum, incendiis & homicidiis, & ad ultimum parricidio nunc usurpas. Parricida siquidem censentur, qui in parentes armati insurgunt quos & leges sæculi damnant, & Canones, à beneficio successionis excludunt. Jus tuum in injuriam convertisti, dum quod æquitas offerebat, per iniquitatem extorquere intendis. Quod sanè puerile diceremus, nisi quia hoc malitiam provecta ætatis excedit. Si cum Patre venias ad conflictum, dubium est, utrum tibi expediat, aut vinci aut vincere.

XL. PATRI DEBERE LEGES DEI, HUMANÆ IUBENT

Si pietas habitaret in terris, gloriosiùs assereres, patri cedere, quàm triumphare de Patre. Patri cedere, & subjici; hoc Lex Moysi, hoc Lex Evangelii, hoc censura Canonum, hoc Apostolorum institutio, hoc leges Imperiales, hoc ipsa hominum conditio, & lex naturalis indicio. Dei & justitiæ inimicum, omniumq; legum te transgressorem constituis, si Patri non obedis, cui totum debes, quod ipse es: de cujus carne & sanguine sementinæ originis, & naturæ beneficio carnem & sanguinem mutuasti. Quis tibi materiam existentiæ præbuit? Pater tuus. Quis te educavit? Pater tuus. Quis te armis militaribus instruxit? Pater tuus. Quis se exinanivit, ut te Regem faceret? Pater tuus. Quis in omnibus laboravit, ut quietè omnia possideres? Pater tuus. Nihil in patre tuo invenis accusandum, nisi quod exuberantem gratiam, tuamq; devotionem: quam fortè remissior munificentia meruisset; sola benigna & effusa liberalitate demeruit. Francorum igitur gentibus successit ad votum. Northmanniam enim eorum imminentem cervicibus, quam semper munitam, & inexpugnabilem invenerant; nunc ex omni parte, te mediante demanimus: ut nec de cætero caput contra eos erigere, nec incursus hostiles valeant sustinere. O levitas adolescentiæ deploranda! nec mirum. Si enim tibi Deus cursum longioris vitæ indulserit, flebis ætate provectior, quod amittis impubes: nec erit tunc locus pœnitendi, cùm res in eam desolationem venerit, ut reformari non possit. Tibi, dilectissime fili, licet amarè, tamen ex amore sic loquor: Inconsultos enim animi tui motus æquanimiter tolerare non possum. Et utinam mors, quam me cogis optare, prævenisset hos dies, quibus te Patris & patriæ persecutorem conspicio, quibus te amicum hostibus tuis, & amicis hostem intueor: quibus in eo statu te video quasi gladium tuo gutturi affixisses. Ad hæc scias Andeliacum unicum esse subsidium vitæ nostræ, ipsum tuæ committo custodiæ. Si Andeliacum prædonibus & incendiariis exposueris, mihi vivendi materiam adimes qui das animum moriendi. Valete. Ita Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus.

OPTAT ARCHIEPISCOPUS SE MORTUUM FUISSE ANTEQUAM HÆC VIDISSET

PATER QUÆ FECIT PRO ILL.

XLI Quoniam verò in eandem contra Henricum seniorem factionem, Eleonora Regina cum filiis conspiraverat; idem Rotrodus ut ad Dominum, ad Regem, ad virum suum redeat hanc ei dictavit Epistolam.

CONQUERITUR QUOD REBELLIONE VELIT EXTORQUERE REGNUM PATRI.

Reginæ Anglorum, Rothomagensis Archiepiscopus, & Suffraganei sui, salutem, & quæ ad pacem sunt, quærere.

IDEM ARCHIEPISCOPUS ELEONORÆ.

IN publicam notitiam venit, nec alicui christiano licitum est ignorare, quod firma, & indissolubilis sit copula conjugalis. Matrimonia semel inita separari non posse, sanxit veritas quæ mentiri non potest. Quos Deus (inquit) conjunxit, homo non separet. Sicut autem divini mandati se transgressorem constituit, qui conjugatos separat: ita culpabilis conjugata est, quæ se à

Conqueritur quod deseruerit partes Regis mariti.

viro suo separat, fidemq; socialis vinculi non observat. Cum una caro Conjuges efficiantur: necesse est, ut unionem corporum comitetur spirituum unitas & paritas in consensu naturæ conditionem. Apostoli mandatum, & Evangelii legem mulier illa evacuat, quæ viro non est subdita. Caput enim mulieris vir est, de viro sumpta est, viro est unita, viri subdita potestati. Omnes itaque communi & lamentabili querimonia deploramus: quod cum sis mulier prudentissima, divertis a viro: recedit latus a latere, membrum capiti non deservit: immo quod enormius est; viscera Domini Regis, & tua pateris insurgere contra Patrem, ut meritò tum Propheta dicat. Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Utinam, sicut alius Propheta commemorat, prævenisset hora novissima dies nostros, & operuisset terra faciem nostram, nè videremus hæc mala. Scimus quia nisi reverteris ad virum tuum, eris generalis ruinæ occasio: & quod singulariter nunc delinquis, in commune dispendium convertetur. [illegible] tere itaque, Regina illustris, ad virum tuum, & Dominum nostrum: ut in tua reconciliatione laborantibus quies, & in tuo reditu lætitia redeat universis.

XLII. Desolatio regni defraudavit illam impedivisse.

Si te ad hæc non permovent preces nostræ, te saltem afflictio populorum imminens pressura Ecclesiæ, & desolatio regni sollicitet. Aut enim mentitur Veritas, aut omne regnum in se divisum desolabitur. Sane hæc desolatio in Dominum Regem converti non potest, sed in filios ejus, & successores eorum. Contra manum fœmineam, & consilium puerile provocatis offensam Domini Regis, cui etiam fortissimi Reges colla [illegible] cimnt. Ea propter, antequam res in deteriorem exitum vergat; redeas cum filiis ad maritum, cui parere, & cohabitare teneris. Te converte, nec tibi aut tuis filiis sit suspectus. Certissimi enim sumus, quod omnimodam vobis exhibebit dilectionem, & securitatis plenissimam firmitatem. Mone quæso filios tuos, ut Patri suo subditi, & devoti existant, pro quibus tot passus est angustias, tot discrimina, tot labores. Unde ne inconsulta facilitas dilapidet ac disperdat, quod tantis est sudoribus acquisitum: hæc tibi, piissima Regina, & zelo Dei dicimus, & sincera charitatis affectu. Parochiana enim nostra es, sicut [illegible] vir tuus: non possumus deesse justitiæ. Vel redibis ad virum tuum; vel jure Canonico constringemur, & tenebimur in te censuram Ecclesiasticam exercere. Quod quidem inviti dicimus: & quod nisi resipueris, cum dolore & lacrymis faciemus. Vale. Parochianam vocat Episcopus, quia Normanniæ Ducissa, & Rothomagum ejus metropolis.

XLIII. Comis Cestriæ et Radulphus de Fulgeriis rebellant. *Hoveden. fol. 535.*

Dum hæc aliaque à variis scribuntur, bellum nihilominùs intestinum ad multorum internecionem sævit in minore Britannia, ubi Hugo Cestrensis Comes pro filiis in parentem armatur. Sed ille ut causâ, ita marte superior evadit. Nam ita de motu illo Rogerus: [Venit Rex Henricus senior) Rothomagum, misitque inde Brabancenos suos, de quibus plùs cæteris confidebat, in Britanniam contra Hugonem Comitem Cestriæ, & Radulphum de Fulgeriis, qui eam jam ferè totam occupaverant. Appropinquantibus autem illis Comes Cestriæ, & Radulphus de Fulgeriis venerunt obviam illis. Disponitur itaque propè bellum: acies dirigitur, pugna paratur. Igitur conserto bello prosternuntur hostes Regis Angliæ, Britones cadunt, & vincuntur. Comes autem & Radulphus de Fulgeriis, cum multis de potentioribus Britanniæ incluserunt se infra turrim Doli, quam dolo ceperant. & Brabancenì obsederunt eos per circuitum decimo-septimo Kal. Septembris, feriâ secundâ.] De hac obsidione Neoburgensis ita narrat: [Plurimi (è rebellibus) ex condicto convenientes & conglobati, Dolum oppidum obtinuerunt. Quod juris quidem est Britannici, sed Normannicis collimitatur finibus. Quo audito Brabantiones Regii maturè affuerunt, & congressi cum eis, primò eorum multitudinem in oppidum refugere, mox etiam capto oppido in unius arcis angustias secedere compulerunt. Quibus ita conclusis; res cum summa celeritate defertur ad Regem Rothomagi consistentem. Ille cibi somnique oblitus, mutando [illegible] ula longa terrarum spatia transmeans, tam celeriter affuit, ut volasse videretur. (Vix biduum intercesserat, ut alter affirmat.) Cumque oppugnandæ arci intenderet: conclusa in [illegible] a[illegible] [illegible] illas non [illegible] ens misericordiam im[illegible] ravit. [illegible] is ergo eis [illegible] vitam cum integritate membrorum, arce de[illegible], insignem illam captivitatem custodiæ mancipavit. Ibi quippe Comes Cestrensis [illegible] R[illegible] lphus de Fougeriis, aliique nobiles ferè [illegible] ntu[illegible], in [illegible] nus R[illegible] is, quem atrocissimis fuerant odiis insectati, Dei judicio inciderunt.]

Nesburg. l. 2. 20. Rex Henricus vicit suos hostes, et multos capit.

XLIV. *Rog. Hoveden. fol. 536.* Agit Henricus de pace cũ filiis, offertque amplas cõditiones, sed Ludovicus Galliæ impedivit.

P[illegible] it hæc [illegible] toria H[illegible] co seniori: & utrique regno ac Reip. profuisset, nisi paci obstitissent, qui p[illegible] [illegible] ute simularunt. De quo Rog[illegible] : [illegible] oll[illegible] s igitur v[illegible] s, quas Deus contulit Regi Angliæ filio Mathildis Imperatricis, Rex Franciæ, & fautores sui dederunt in desperationem, [illegible] modis omnibus nitebantur, ut pax fieret, inter Regem Angliæ, & filios suos. Convenerunt ergo ad ultimum inter Gisortium & Triam, Ludovicus Rex Francorum, cum Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus & Baronibus regni sui, adducens secum Henricum, & Richardum & Gaufridum filios Regis Henrici; & Henricus Rex Angliæ Pater, cum Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus & Baronibus terræ suæ. Et habitum est ibi colloquium de pace faciendâ inter ipsum, & filios suos septimo Kal. Octobris, feriâ tertia. In quo colloquio Rex Angliæ Pater obtulit Regi filio suo medietatem reddituum, suorum dominicorum in Angliæ, & quatuor castella idonea in eadem terra: aut si [illegible] us [illegible] us mallet morari in Normanniâ, Rex Pater obtulit ei medietatem reddituum Normanniæ, & unum castrum in Andegaviâ, & tria castra idonea in Normanniâ, & omnes redditus terræ Patris sui Comitis Andegaviæ. & unum castrum in Cenomanniâ idoneum, & unum castrum in Turonica idoneum. Richardo etiam filio suo obtulit medietatem reddituum Aquitaniæ, & quatuor castella in eadem terrâ idonea. Et Gaufrido filio suo obtulit terram illam, quæ contingebat jure hereditario filiam Comitis Conani, si ipse præfatam mulierem assensu Domini Papæ posset sibi in matrimonium copulare. Supposuit etiam Rex pater se omninò arbitrio Archiepiscopi Tarentensis, & Legatorum Domini Papæ: ut tantum de redditibus superadderet, & daret filiis suis, quantum illi dicerent æquum; retenta sibi justitia, & Regia potestate. Sed non fuit de consilio Regis Franciæ, ut filii Regis hanc pacem cum filio suo facerent.] Hæc ibi.

XLV. Non potuit contentionis flamma in hoc congressu sopiri: sed fax ibi magis accensa, & Oceanum trangressa, Angliam corripuit. Nam Comes

Lecestriæ, cujus castrum paulò antè Henricus senior æquaverat solo, ea in hoc Principum conventu fecit, dixitque quæ exulceratum animum manifestè indicarent. Nam sequitur in præfato authore: [In eodem colloquio, Robertus Comes Leicestriæ multa convitia & opprobria dixit Regi Angliæ patri, & apposuit manum gladio, ut percuteret Regem: sed prohibitum est ei à circumstantibus: & in his finitum est colloquium.] Sed necdum finita controversia. Nam Comes iratior, & spirans minarum, Angliam ingressus cum de Rege vindictam sumeret, Insulam penè omnem terrore implens, se demum suosque perdidit. Nam ita Rogerus: [Robertus Comes Leicestriæ magno congregato exercitu transfretavit in Angliam, & Comes Hugo Bigot suscepit eum in castello de Fremingham, & ministravit ei necessaria. In tempore illo Richardus Luci Justiciarius Angliæ, & Humfredus de Bohun, Regis Constabularius, profecti fuerant cum exercitu magno in terram Regis Scotiæ ad devastandam eam. Qui cum audissent adventum Comitis Leicestriæ in Angliam, timuerunt valdè, & omnibus aliis negotiis postpositis dederunt & ceperunt inducias à Rege Scotiæ: datisque hinc inde obsidibus de pace servandâ, usque ad festum S. Hilarii, festinato cursu pervenerunt ad S. Edmundum. Veneruntque illuc ad eos Reginaldus Comes Cornubiæ avunculus Regis, & Robertus Comes Gloucestriæ, & Willielmus Comes de Arundel. Appropinquante igitur festo omnium Sanctorum, prædictus Comes Leicestriæ, recessit de Fremingham, ad Leicestriam iturus, venitque cum exercitu suo propè S. Edmundum, in loco, qui dicitur Forneham, in quodam marisco, non longè ab Ecclesia S. Genovefæ. Cujus adventu cognito, præfati Comites cum exercitu magno, & Humfridus de Bohun cum trecentis millitibus solidariis Regis, exierunt armati obviam Comiti Leicestriæ præferentes sibi vexillum S. Edmundi Regis & Martyris pro signo; & ordinatis aciebus suis in virtute Dei, & gloriosissimi Martyris sui Edmundi percusserunt aciem, in qua Comes Leicestriæ erat, & in momento, in ictu oculi victus est Comes Leicestriæ, & captus, & uxor ejus, & Hugo de Castellis vir nobilis de regno Francorum, & omnis eorum virtus demolita est. & ceciderunt in prælio illo plùs quàm decem millia Flandrensium. Cæteri autem omnes capti, & vinculis & carceribus mancipati, fame, & inopiâ perierunt. Comes verò Leicestriæ, & uxor ejus, & Hugo de Castellis, & cæteri ditiores, qui cum eis capti fuerant, missi sunt in Normanniam ad Regem Patrem, & Rex incarceravit eos apud Falesiam, & Hugonem Comitem Cestriæ cum eis.

Hoveden fol. 536

Comes Leicestriæ in Anglia turbat omnia contra Regem Henricum II.

Idem supra.

Comes Leicestriæ vincitur.

XLVI. Hæc belli flamma, Leicestriam, urbem in Coritanis Principem corripuit, & in cineres redegit. de quo Camdenus: [Henrici secundi temporibus (& annum consignat millesimum centesimum septuagesimum tertium) Leicestria magna miseriarum mole depressa fuit, mœniaque diruta, cum Robertus cognomento Bossu, id est, Gibbosus, Leicestriæ Comes res novas in Principem affectaret. Quod his verbis docet Matthæus Parisiensis. Propter contumaciam Comitis Roberti contra Regem recalcitrantis obsessa est, & per Regem Henricum subversa nobilis civitas Leicestria, & murus qui videbatur indissolubilis funditùs in circuitu dirutus. Misera etiam tunc temporis civium mulctatio, & miserum exilium: qui cum datâ pecuniâ abeundi licentiam redemissent: in Sancti Albani, & Sancti Edmundi asyla trepidi convolarunt.] Hæc Camdenus, tacens quod in Parisiensi de asylis illis, & locorum sanctitate legitur. nam ita Matthæus de perduellibus: [Ut minas, inquit, & gravamen Regis evaderent, ad terram Sancti Albani Proto-martyris, & Sancti Edmundi Regis & Martyris, quasi ad sinum protectionis confugerunt. Quia tunc temporis tanta fuit eorum reverentia; ut eorum Burgi, omnibus transfugis, asylum, & tutam protectionem ab hostibus præbuerint.] Nimirum id datum tunc Martyrum sanctitati, quam Deus innumeris miraculis testatissimam fecerat. Nunc Sanctis & sanctuarii bellum indicitur: & Sancti in cælo regnantes, omni cultu & reverentia exuuntur. Da, bone Deus, meliora tempora: & Insula tibi olim devotissima, colat te rursus, ut olim, in splendoribus Sanctorum.

Camden. in Leicest.

Leicastria diruta cũ muris

Asyla in veneratione.

Paris hic.

XLVII. Vix Sanctus Martyr, Cantuariensis Thomas, Vaticano oraculo coli jussus est, cum Anglia illi extructo templo cultum dedit, templúmque illi posuit ad Royston oppidum, in agro Hertfordensi, de quo Camdenus, illius oppidi originem & nomenclaturam investigans, & loci situm: [In ipso (inquit) Septentrionali limite, quo Cantabrigiensem Comitatum attingit, sedet Roiston oppidum notum, sed non antiquum. A Normannicis enim temporibus emicuit. Roisia namque mulier, ea ætate celeberrima (quam Norfolciæ Comitissam fuisse credunt nonnulli) Crucem ad viam Regiam eò loci statuit, unde Crux Roisiæ diu dicta, donec Eustachius de Marc cœnobiolum in honorem Sancti Thomæ adjunxit: tunc enim diversoria sunt extructa, & paulatim oppidum surrexit; quod pro Crux Roisiæ, Roiston, id est, Roisiæ oppidum appellatum.] Enim Anglia ad cultum sui Martyris devotissima, cucurrit, gratiásque Alexandro per literas egit, quod cultum indulsit. Unde totius Insulæ nomine Bartholomæus Exoniensis Episcopus illi in hunc modum scripsit, hoc, opinor, anno, quo Cantuariensis Ecclesia, electum quidem Antistitem habuit, sed necdum consecratum.

Templũ erectum S. Thom. apud Royston.

Excellentissimo Domino, & Patri charissimo Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici: B. Exoniensis Episcopus, Salutem.

Ioan. Saresb. Epist. 295.

XLVIII. *Apostolatui Vestro pluribus ex causis Anglicana Ecclesia solitò magis congratulatur. Sed alias ad conciliandum omnium gratiam antecedit: quod gloriosum Christi Martyrem Sanctorum Catalogo præcepisti ascribi; & Legatorum vestrorum industria desolatis Ecclesiis spes vestra consolationis illuxit; ut ad plenam confidentiùs libertatem audeat aspirare. Inter quas mater nostra Cantuariensis Ecclesia, quæ tot, & tantorum Martyrum sanguine laureatur: & se ab initio pro justitiâ, pro libertate Ecclesiæ, pro Sedis Apostolicæ fidelitate periculis semper exposuit: tandem post labores, post damna, post calamitates innumeras, quas referre superfluum est, cum totus eas Christianus orbis agnoverit, meritis ejus divinâ respondente clementiâ, videatur ad finem naufragii pervenisse. Nuper enim cum & hi qui in primâ Sede degunt, & Suffraganei*

Richardum electum Cantuariensem laudat.

provinciæ,

provincia, & omnes ad quos pertinebat electio, convenissent: præeunte desiderio, & prece populi, unanimi consensu, tota Ecclesia, liberè & secundum institutionem sacrorum Canonum, sibi in Patrem & Pastorem elegit virum; cui vita ad conscientiam & exemplum, literarum eruditio, ad formam vitæ, & ad doctrinam facundia suffragatur: Richardum videlicet Cantuariensis Ecclesiæ monachum, Priorem monasterii Doverensis: cujus sollicitudinem, à multis annis, tam laudabiliter gessit, & athleta Christi præcipuè, & pro libertate Ecclesiæ agonizanti in necessitate fidem exhibuit, ut nunc dignus habeatur, ejus successione.

XLIX. *Impetrato igitur Regis assensu, ad Metropolitanam Sedem provinciales Episcopi de more conveniunt, ut ex officio suo munus consecrationis, quam necessitas exigebat, explerent. Sed quia hostis antiquus profectus invidet animarum eo, ut multis visum est, machinante: ex insperato literæ junioris Regis concepta nomine, in medium prodierunt: quibus protestabatur se ad vestram audientiam appellasse adversus electiones, quæ suum non habuerunt assensum. Et licet literæ ex variis causis, quas renuntiare longum est, suspectæ viderentur; & plurimorum esset sententia, eas consecrationi debitæ, præsertim in tantâ necessitate non debere generare dispendium: tamen majestati vestræ censuit Ecclesia deferendum; sperans indubitanter; quod tantò apud Apostolicam Sedem majorem inveniet gratiam; quantò ei plus honoris & reverentiæ, etiam cum discrimine suo, in tam evidenti necessitate studuit humiliter exhibere. Quia ergò desolationem Ecclesiæ prætendere idem est, ac si ipsius ruina, & cæterarum perpetua desolatio procuretur; pietatis vestræ pedibus provoluti supplicamus attentiùs: quatenus nos & Anglicanam Ecclesiam, celeriùs, ut spes est, electo Pastore gaudere faciatis: & Sancto Thomæ substituatis virum, quem in angustiis suis fidelem expertus est. Moveant vos, Pater, Ecclesiæ laborantis angustia, filiorum moveant preces, moveat vos gloriosissimi Martyris reverentia: quem orare confidimus, ut ei in sanctâ Cantuariensi Ecclesiâ successor idoneus subrogetur.* Ita Bartholomæus Episcopus.

L. *Speedus in Catal. Camden. in Cestria.* Meminit Catalogus ædium destructarum, meminit & Camdenus Monasterii hoc anno millesimo centesimo septuagesimo tertio fundati apud Stan-laco in agro Cestrensi, ubi Joannes Laci monachi ædes posuit: quæ postea, nimirum anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, inde propter aquarum irruptiones in Lancacestrensem provinciam translatæ ad Whalley oppidum collocantur.

ANNUS CHRISTI 1174.

ALEXANDRI III. PAPÆ 16.

HENRICI II. REGIS 20.

I. ELECTI EPISCOPI CAUSAM AGUNT ROMÆ. SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus septuagesimus quartus, qui Cantuariensi Ecclesiæ satis feliciter, reliquisque per Angliam benè cessit, alteri tamen Reipubl. luctuosus illuxit. Imprimis quod Ecclesias spectat: qui superiori anno ad Sedes suas electi sunt, Richardus Cantuariensis, Gaufridus Eliensis, Reginaldus Bathoniensis, Robertus Herefordensis, Richardus Wintoniensis, Gaufridus Lincolniensis, & Joannes Cicestrensis, quorum electionem Henricus probavit, improbavit verò Henricus junior: hoc anno pro consecratione suâ in Romanâ Curiâ certare coguntur. Ubi Alexander Pontifex Henrico seniori, utpote potiori, magis accederet: quibus tamen pro juniore contenderunt consecrationi moras pro viribus injecere. Unde electi muniti literis & fida rerum gestarum relatione accedere coacti sunt. An omnes septem Romam perrexerint non habeo dicere. Pro omnibus tamen plures scripsere qui à veritate, & Ecclesiarum commodo stabant. Eminuit inter eos Joannes Saresberiensis, qui pro Cantuariensi imprimis & cæteris electis apud Alexandrum Pontificem his literis egit:

Joan. Saresb. Epist.

II. JOANNES SARISBERIENSIS AD ALEXANDRUM, UT FIAT CONSECRATIO RICHARDI.

Domino Papæ, JOANNES.

A finibus terræ ad vos clamat Anglicana Ecclesia, ut miserabilis illius Ecclesia, quæ præ cæteris omnibus in partibus Occidentis fundata est in variis agonibus, Confessorum minuatis angustias, & electum suum quem Legatorum vestrorum procurante industria, tandem obtinuit, jubeatis acceptâ consecratione vigere plenitudine potestatis. Petunt hoc Episcopi, & Abbates petit Clerus & populus: quorum votis & vocibus, meæ parvitatis non est fas abesse suffragium. Et quidem electionis suæ formam, ipsa mater mea Cantuariensis Ecclesia literis suis vobis luculenter expressit (intelligit quas Odo Cantuariensis Prior, & conventus ille Alexandro dictavit, ut supra *) *quæ tam Episcoporum, quam eorum qui ad vacantium Ecclesiarum regimen electi sunt, roborata * est. Ipsius quoque electi merita retulerunt tanti & tales viri, ut tam ab electo, quàm electione procul arceatur omnis sinistra suspicio. Cum ergò Canonica sit electio, & electus omni acceptione dignus: non ob aliud fortè credendum est, tanti Patris consecrationem fuisse dilatam, nisi ut illustrius splendeat, & fortius vigeat, cum à Sanctitate vestrâ acceperit firmamentum. Plura loqui vereor in auribus Majestatis vestræ: præsertim cum materiæ excellentiam deprimat stylus humilior: & ad exprobranda suscepta causæ merita, quæ per se patent, meus inops & victa lingua succumbat. Pietatem vestram doceat Spiritus Sanctus, ut fidelium vota promoveatis, prout Ecclesiæ expedit, & celeritate adjiciatis, quod oratio non præsumit. Si calamus, Serenissime Pater, excessit, necessitati, quæ legibus arctari nescit, ascribatur, non homini. Angustiæ enim nostræ multiplicatæ sunt super numerum. Valeat semper & vigeat Sanctitas Vestra.*

* v. an. 1173 n. 12.

* aliquid deest.

III. *Idem Epist. 301.* Scripsit eodem argumento literas Joannes hic Bosoni Presbytero Cardinali, quas ita clausit. *Quia ergò vobis Ecclesiæ causam ad plenum commendatam esse non dubito: Paternitati Vestræ preces quantas Patri, & Domino licet, devotissimè porrigo: quatenus electum nostrum, tantis, ut spes est, decessoribus idoneum successorem, & vobis, Deo propitiante devotissimum in omni tempore, ea charitate amplectamini, & diligentiâ tueamini, quâ fovere consuevistis anteriores Archiepiscopos: quia ipse in obsequio vestro, pro facultate suâ, non invenietur inferior.* Ita ille. Cæterùm quia rumor increbuerat Joannem hunc Richardi Cantuariensis consecrationi refragatum. Id ille indignè ferens, calumniam ita diluit.

Ioan. Saresb. Epist. 302.

Venerabili Domino & Patri charissimo Willelmo Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato; suus Joannes de Saresberia, Salutem, & felices semper ad optanda successus.

IV. Pro consecratione Richardi.

Nisi membra capiti cohæserint, corporis incolumitas non subsistit: & meritò publicus hostis arguitur, quisquis Ecclesiæ profectibus adversatur. Quia ergo me Cantuariensis Ecclesiæ membrum, licet modicum esse constat: necesse est, ut votis communibus, pro facultate feram suffragium: & totâ diligentiâ prosequar id, in quod se ostendunt studia potiorum. Et vestra quidem Sanctitas eidem Ecclesiæ semper astitit in laboribus suis, & meritorum vestrorum concurrentibus titulis gloriosis, Martyr agonem suum feliciter consummavit, & Clerus optatâ diu consolatione respirat. Cum enim Dominus noster Rex Anglorum præfatæ Ecclesiæ, sicut per officiales suos, Episcopis & Clero innotuit, liberam concessisset eligendi sibi Archiepiscopum facultatem: tandem concurrentibus eorum, qui in majori degunt Ecclesiâ, & aliorum votis, Canonicè convenerunt in virum, cui divinâ præeunte gratia, literarum eruditio ad doctrinam suffragabitur, vita proficiet ad exemplum, elegantia morum promerebitur gratiam cohabitantium, facundia verbum Dei salubriter dispensabit. Siquidem indubitata spes est: quòd sanctissimus, quem semper dilexit, & coluit, necessitatibus ejus patronus accedet. Et quem successorem elegisse, & vocasse visus est ad laborem, promovere disponat ad participium consolationis & gloriæ. Is est Venerabilis vir Richardus Prior Ecclesiæ Doverensis: pro quo Sanctitatis vestræ genibus provolutus, quantâ possum devotione supplico: quatenus ei dexteram gratiæ, & opem consilii clementer porrigat Excellentia vestra: & Ecclesiæ, quam de naufragio traxistis ad portum, labores & angustias optato solatio relevetis. Id ita demum proveniet, si dignatio vestra obtinuerit, ut electus, accepto consecrationis munere, plenitudine gaudeat potestatis: ut Deo debitum reddere possit obsequium, & indigentium solatium exhibere. Quod Serenissime & dulcissime Pater, tanto magis necesse habeo postulare; quantò majori meo discrimine, quidam mentiri ausi sunt: quod ego apud vos, & per vos consecrationem ejus debuerim impedisse. Hoc autem falsissimum esse novit Deus, & sinceritas conscientiæ vestræ & meæ. Placeat itaque Sanctitati vestræ, qui in hac parte novistis innocentiam meam, divinæ miserationis intuitu, eam cum optimum fuerit exequi face: ut Deus vos & vestros ab omni discrimine tueatur.
Hactenus ipse, pro Cantuariensi electo, ut consecrationem ab Alexandro impetraret Senonensis opera.

V. Pro Richardo Wintoniensi electo, scripsit eodem tempore, Bartholomæus Exoniensis Episcopus, ad Romanum Pontificem Alexandrum, ita:

Ioan. Saresb. Epist. 295.

Domino Papæ, Exoniensis Episcopus.

Pro Richardo Wintoniensi.

Sacro-sancta Romana Ecclesia, sicut indignos ab Ecclesiarum regimine depellere consuevit: Sic ad sollicitudinem Pastoralis officii personas idoneas evocat, & eis Apostolicæ tuitionis impendit gratiam & munimen. Wintoniensis verò Ecclesia, cum ex absentia Pastoris multis & magnis periculis subjaceret. Tandem cælitus, ut speratur, ei data est consolatio, Pastore secundùm Deum electo: Cui justum est, si vobis placet, gratia vestra ulteriorem accommodare favorem. Is est devotissimus filius vester, Richardus quondam Pictaviensis Archidiaconus; cujus eleemosyna consolantur Ecclesias Sanctorum; cujus facultates egenorum subsidia; cujus potestas est firmamentum justitiæ, & iniquitatis exterminatio. Est autem vir prudens in consiliis, discretus in opere, modestus in verbo, & qui in habitu & gestu, temperantiæ normam sequitur; sic ad Dei cultum, ut ex animi sententia loquamur, totâ mente conversus est, ut non modo sua omnia; sed & seipsum impendere paratus sit, pro lege Domini. Sic Pater credimus, & multis & certis signis instructi sumus, ut credamus quod loquimur. Convenit in eum liberè tota Wintoniensis Ecclesia, & Canonicè facta electione, postmodum in præsentia nostra, & Fratrum nostrorum, Regius est ei datus assensus. Quod cum Domini nostri Legatis vestris innotuisset: gratum admodum, sicut e literis eorum percepimus, habuerunt. Et meritò, quia non apparebat alius, qui tam commodè posset præfatæ Ecclesiæ ruinas instaurare, qui Sedis Apostolicæ posset apud nos, tam efficaciter solidare vigorem. Supplicamus itaque Paternitati vestræ; quatenus eum adhibita maturitate, promoveri faciatis: ut promotus Ecclesiæ necessitates faciliùs, & feliciùs expedire, & promovere possit utilitates. Valete.

His aliisque muniti literis, qui superiore anno ad vacantes Ecclesiarum Sedes electi, vel Romam omnes profecti sunt, vel suo nomine literas nuntiosque submiserunt. Contrà verò, Henricus junior, Regis filius, Berterum Aurelianensem, qui intercederet, misit. Quid inde factum dicat ejusdem temporis scriptor Rogerus: [Interim Richardus Cantuariensis electus, & Reginaldus Bathoniensis electus Romam profecti sunt, pro electione suâ, & aliorum electorum Angliæ, electione confirmandâ. Contra quos Henricus Rex filius misit Romam Magistrum Berterum Aurelianensem. Cumque præfatæ partes adversæ in præsentiâ Alexandri Papæ, & Cardinalium consisterent, & Dominus Papa plurimùm increparet cæterorum electorum Angliæ, & Dominus Cantuariensis electus sufficienter eorum absentiam excusaret: Dominus Papa interrogabat attentiùs: Quare non venit ille electus Eliensis? Cui Berterus Aurelianensis sic respondit: Domine Evangelicam habet excusationem. Cui Papa: Quam, Frater, excusationem? Et ille: Uxorem duxit; & ideo non potest venire. VI.

Hoveden. fol. 558.

Captant moderni excusationem pro uxoribus Cleri.

VII. Facetiùs, opinor, quàm veriùs ita dictum; quia non ad excusandum, sed ad accusandum Berterus submittitur: & quia malæ causæ patronus, infirmiora, ut mos est, causæ attulit adminicula. Iterum Godwinus uxoratus Episcopus, colligit ubique in catalogo Episcoporum, per fas & nefas omnem quem potest conjugatum clerum, eumque (præsertim Episcopos) amantissimè suaviatur, & Gaufridum Eliensem, si talis fuisset, summis laudibus extulisset, ejusque conjugium. Tacet tamen omnem matrimonii mentionem, & laudum vice, hominem vocat *arrogantis ingenii*, & cognomine *superbum*, ut suprà notavi *. Denique si reverà uxorem ab electione duxisset, aut priùs habitæ non valè dixisset. Quis nescit nec ad minus, nedum ad majus Sacerdotium ab Alexandro Romano Pontifice admittendum fuisse. Admissus tamen est Gaufridus: licet tam in ejus, quàm aliorum admissione, Berterus impedimenta conetur

* v. an. 1173. nu. 15.

objicere:

objicere: Sequitur enim in Authore: [Et quamvis multa altercatio, & verborum tergiversatio hinc inde coram Domino Papa, & Cardinalibus diducta fuisset: tamen Dominus Papa Cantuariensem electum consecravit.] Unde Reginaldus Bathoniensis electus in hac formâ scripsit Domino suo Regi Angliæ.

HENRICO illustri Angliæ Regi, & Duci Northmanniæ, & Aquitaniæ, Comiti Andegaviæ, Charissimo Domino suo REGINALDUS, Dei gratia, Bathoniensis electus: Salutem in eo qui dat salutem Regibus.

VIII. PONTIFEX CONFIRMAVIT ELECTIONEM RICHARDI.

NOverit Vestra prudentia Majestatis: nos in Curiâ Domini Papæ, duros de regno Franciæ, & de terrâ vestrâ duriores adversarios invenisse. Ideoq; nos ibi multa pati, & moram facere oportuit tædiosam. Tandemq; ad instantiam nostram, divinâ cooperante gratiâ; Domini Papæ duritia adeo est emollita, quod Domini Cantuariensis electi electionem solenniter in præsentiâ omnium confirmavit: eumq; etiam confirmatum, Dominica sequenti consecravit: consecrato pallium tertiâ die dedit, & modici temporis spatio excurrente Primatum addidit. Nos prætereà desiderantes ipsum habere plenariam potestatem, vindictam Ecclesiasticam exercendi in homines regni vestri: qui contra Innocentiam vestram nequiter, & proditione suâ malitia calcaneum extulerunt, multâ sollicitudine obtinuimus: quòd Dominus Papa eidem provinciæ suæ Legationem indulsit. Meum itaque & aliorum Electorum negotium adhuc in pendenti est. Nec de nobis Dominus statuere, & definire decrevit: donec vobiscum filius vester, ad concordiam reformetur. Speramus tamen in Dominô, quod mea & Electorum meorum promotio Domini Cantuariensi Archiepiscopo committetur. Huc usque Reginaldus: minimè falsus, quam suam aliorumque promoverit Cantuariensi committendam. Hinc factum, ut ipse omnium primus in augurationis sacramentum à Richardo Cantuariensi priùs acceperit, quàm in Angliam reverteret. De cujus præfecturâ simul & consecratione ita scribit Godwinus in Catalogo:

IX. *Godwin in Bathon.* REGINALDUS BATHONIENS. EPISCOPUS CONSECRATUR.

[Novem ferè per annos post Roberti (Bathoniensis Episcopi) obitum, vacavit Sedes, cui tandem præficitur Reginaldus, ideo dictus Fitziocelinus, quod Jocelini Longobardi filius extiterit Sarisburiensis Episcopi, qui eum Archidiaconatu ejusdem Ecclesiæ donavit. Consecratus est in oppido S. Joannis in Sabaudiâ per Richardum Cantuariensem Archiepiscopum: cum ætatis annum non excessisset adhuc tricesimum tertium, ut quidam: aut ut alius nè quartum quidem & vicesimum.] Ita Godwinus. Ad alios electos quod attinet, posteriùs à Richardo in Angliam reverso, consecrati sunt. de quo Matthæus Parisiensis:

Paris hic

QUATUOR EPISCOPI CONSECRANTUR.

[Eodem anno (millesimo centesimo septuagesimo quarto) Archiepiscopus Cantuariensis à Romà rediens, Pallium & Primatum Angliæ reportavit. Veniens apud Londonias tertio Kalendas Septembris, vacantium Ecclesiarum personas principales, quæ sibi Pastores elegerant, convocavit. Ubi electionibus confirmatis, Wintoniensem, Heliensem, Herefordensem, & Cicestrensem electos pariter consecravit. Gaufridus verò Lincolniensis electus, quia nondum electio ejus fuerat confirmata, transfretavit in propriâ persoñâ Romam iturus, vel ad ipsam nuntios transmissurus.] Hæc Paris. Sed veriùs consecrationem neglexisse. nam Nothus ille (quantumvis Regius) difficilè Romæ admissus fuisset: & septennio consecratione caruit, ut supra * dictum. ** v. an. 1173. n. 17.*

X. *Antiq. Brit. in Rich.* RICHARDUS ACCIPIT AB ALEXANDRO PLENAM POTESTATEM.

Porrò quod ad Richardi Cantuariensis consecrationem ab Alexandro Papa non Romæ, sed Anagniæ factam scripserunt aliqui. & Author Britannicarum Antiquitatum ita de illâ. [Richardus monachus Benedictinus, Sancti Martini Doverensis monasterii Prior, ab illis electus, & ab Henrico Rege Cantuariensis Archiepiscopus appellatus, ab Alexandro Tertio Anagniæ his verbis consecrabatur. Tibi Richarde, tuisque successoribus Cantuariensis Ecclesiæ Primatum ita plene concedimus, sicut Lanfranco & Anselmo, aliisque ipsorum prædecessoribus quondam Cantuariensibus Archiepiscopis fuisse possessum constat.] Ita Parkerus, imperitè satis Primatus concessionem cum consecratione confundens, cum triduum saltem intercesserit. nec verbis illis aut similibus Episcopi consecrentur. quod ipse à fœminâ tactus Archiepiscopus Cantuariensis videtur ignorasse. Placet tamen quod idem author, ex aliis authoribus refert ita: [Hic electus (Richardum intelligit) Regi fidelitatem juravit, salvo ordine suo: nullâ prorsus factâ mentione, de prioribus regni consuetudinibus observandis] Unde Thomæ Martyris, qui pro iisdem abolendis certavit usque ad mortem, victoria elucet & triumphus. Quem vel ideo Ecclesia meritò veneratur. Sed & Reges statim qui Consuetudines illas sancire conati sunt, vel inviti colent: hoc est, bellis & seditionibus vexati, & afflicti ad cultum coguntur. *Antiquit. suprà.*

XI.

Enimverò gravior quam antea tempestas in Henricum seniorem irruit, & undique provinciæ ejus ab hostibus invaduntur: ipse huc illuc in Galliâ distrahitur, a Regibus & Principibus ubique vapulat, & demum in Angliam redire cogitur: nec ibi quiescet, donec Thomæ Martyri supplex sacri ejus pœnas dederit. videamus singula. [Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo quarto (sic annum præsentem orditur Parisiensis) Rogerus de Molbraio à fidelitate Regis senioris recedens, in Insulâ Axholm, castellum ab antiquo dirutum reparavit. Ad quem multitudo Lincolniensium navigio transvecta castellum obsedit: Constabularium, & milites omnes ad deditionem coëgit, & castellum subvertit. Eodem tempore pridie Kalendas Maii, Rex Anglorum senior, cùm audisset militiam Richardi filii sui urbem Xantonicam occupasse: sumptis secum Pictaviensibus, ad ejus liberationem processit. Milites illi, nec Deo, nec sanctæ Ecclesiæ reverentiam exhibentes, majorem ingressi Ecclesiam, ipsamque in castellum redigentes, armis & victualibus impleverunt. Cum autem Rex hostes in tribus munitionibus confidere edoctus fuisset; ad eos invadendum operam impendit. Duabus igitur munitionibus illicò subjugatis: ad majorem Ecclesiam, militibus armatis, & latrociniatoribus refertam, accessit: ita ut non eam impugnaret: sed à sordibus liberaret. Capti sunt autem tam in Ecclesiâ, quàm in aliis locis milites sexaginta, cum balistariis quadringentis. Positis ergò in securitate finibus illis, Rex in Normanniam reversus est, necessitate compulsus. Philippus enim

Paris hic ROGERUS DE MOLBRAIO RECEDENS A REGE CAPITUR.

RICHARDUS FILIUS REGIS XANTONEM CAPIT: REX RECUPERAT.

Comes Flandrensis, præsente Rege Francorum Ludovico, & majoribus regni ipsius: tactis sacrosanctis reliquiis juraverat, quòd infra dies quindecim, post instans festum S. Joannis, in manu robustâ Angliam intraret, & Regis eam juvenis subjiceret potestati. Qua fiducia Rex junior tractus, pridie Idus Julii apud Witsand venit, Radulphum de la Haye, in Angliam cum multa militiâ transmissurus. Comes Flandrensis trecentos & octodecim milites probatissimos ad transfretandum præmisit. Sed postquam apud Arewellam in Angliam sunt appulsi decimo octavo Kalendas Julii, sociis eorum maxima ex parte periclitatis, Hugonem Bigod Comitem secum illicò assumpserunt: Norwicum invadentes ceperunt: & infinitam inde pecuniam sustulerunt: multos abduxerunt captivos decimo quarto Kalendas Julii, & ad redemptionem gravissimam compulerunt. Quod videntes Justitiarii Regis, de consilio communi miserunt ad Regem Richardum Wintoniensem electum, qui pericula, quæ Angliæ imminebant, fideliter intimaret. Qui celeriter in Normanniam transvectus, omnia quæ fiebant in Anglia remotâ falsitate narravit.] Ita Parisiensis.

Henricus Junior Norwicum capit.

XII. Universus jam Occidens in Henrici senioris exitium conspiraverat: Rege Scotorum & Flandrensi Comite, & Henrico juniore ex una parte Angliam prementibus; eodemque tempore Ludovico Francorum Rege ex altera Normanniam hostili manu ingresso. Quibus sine dubio Henricus unus senior impar fuisset: nisi propitia Dei manus & insignis pœnitentia Thomæ Martyris necem expiasset. De Regis regnique statu infelici ita qui hoc tempore vixit, scripsitque Guilielmus Neoburgensis: [Igitur secundo initæ contentionis anno rursùm à magnis hostibus, scilicet Rege Francorum, Comite Flandrensi, Rege Scottorum bellum adversus seniorem Anglorum Regem totis viribus instauratur. Et Comes quidem Flandrensis fraterni jam oblitus exitii, pro ambitu Anglicanæ provinciæ, quæ Cantia dicitur: de qua scilicet Regi juniori jam hominium fecerat; cum eodem in Angliam transiturus copiis classem parabat. Rex verò Francorum contractum undecumque exercitum, invasurus Normanniam, instruebat. Quibus cognitis, Rex Anglorum senior malens sibi fines transmarinos periclitari, quàm regnum (quos tamen cautè credidit muniendos: prævidebat enim neminem in Angliâ, se absente, & tanquam non extante, illi qui successurus expectabatur, obstiturum) præventis hostibus, cum aliquanto equitatu & unà Brabantionum turmâ in Angliam maturè advehitur.] Ita ille. Sed Parisiensis ejus in Angliam comitatum distinctiùs explicat, & vota ejus, cum moram in litore & maris tempestatem adverterit. Ita ergò ille, cum Richardus Wintoniensis electus, tristem Regi legationem absolvisset.

Neoburg. l. 2. c. 32.

Henricus regreditur in Angliam contra filium et Comitem Flandrensem.

Ludovicus parat exercitum invasurus Normanniam.

XIII. Paris hic.

[Rex autem talem nuntium debitâ cum veneratione suscipiens, & se ad transfretandum præparans, Reginam Alienor, Reginamque Margaretam, filium, & filiam: Joannem, & Joannam secum adduxit, Comitem quoque Legecestrensem, & Comitissam, aliósque quamplures, quos habebat in vinculis, ante faciem suam Barbefluvium præmisit. Ubi navibus congregatis, cum innumerâ armatorum copiâ, impiger naves conscendit. Sed ventus in contrarium veniens, transitum eâ die nautis reddebat suspectum. Cum autem mare Rex turbulentum cognovisset: erectis in cælum luminibus, palam cunctis audientibus, ait: Si ea, quæ ad pacem sunt Cleri & populi, habeam in proposito: Si pacem in adventu meo Rex cælorum dare disposuerit; tunc pro suâ misericordiâ indulgeat mihi portum salutis. Si autem adversus fuerit & regnum Angliæ in virgâ furoris sui visitare decreverit, nunquam mihi concedat fines attingere regionis. Oratione itaque completâ, ipsâ die tranquillâ navigatione, cum rerum indemnitate ad portum Hamonis applicuit. Deinde in pane jejunans & aqua, ab ingressu civitatum abstinuit: quousque vota orationum persolveret, mente concepta Beato Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, & Martyri glorioso.] Ita Parisiensis. Quænam illa vota fuerint, mente conceptâ, ipse statim facto ostendet: & ego narrare pergam si priùs Scotorum irruptionem in Anglorum provincias, & Rogeri Mowbraye cum eo fœdus, & inde fœdatos agros, Henrico Rege in pane & aqua jejunante ostendero: quam Northumbriæ calamitatem Neoburgensis ibi natus aperiet.

Henricus se commendans S. Thom. feliciter et in Angliam.

XIV. Neoburg. l. 2. c. 32.

[Interea Rex Scottorum (inquit ille) cum propriæ gentis infinitâ barbarie, atque accersitorum è Flandriâ stipendiariorum equitum peditumque manu non modicâ, fines Anglorum ingressus, duas in Westmeriâ munitiones Regias, scilicet Burgum, & Appelbi præoccupatas, & sine præsidiis inventas obtinuit. indéque digrediens urbem iterum Carduelensem (Carleolum opinor intelligit) oppugnare statuit. Sed cautione à tepidis civibus præstitâ, quòd ad diem certum civitatem illi traderent: nisi interim à Rege Anglorum sufficiens sibi præsidium mitteretur: ad quandam munitionem super amnem Tinum, quæ dicitur Prudehou, oppugnandam convertit exercitum. Tunc accessit ad eum Rogerius de Moubrai auxilium flagitans. Duabus quippe munitionibus suis à Gaufrido Regis Anglorum filio naturali, tunc Lincolniensi electo fortiter expugnatis, & captis: tertiam Tresch vocatam, cum periculo possidebat. Qui nimirum Rogerius Regi Scottorum in Eboracensem provinciam irruptionem meditanti jam pridem filium primogenitum obsidem dederat, quòd illi assisteret, & pareret in omnibus: & ab eo vicissim sponsionem acceperat, quod in quacumque necessitate, ejus nequaquam auxilio fraudaretur. Verùm idem Rex cum per dies aliquot apud Prudehou casso & suis magis noxio fuisset labore sudatum: audiens Eboracensis provinciæ contra se militiam excitari: Tino transmisso Northumbriæ fines invasit. Corrosum est à Scottis, quibus nulla esca infamis est: quicquid vel à canibus mandi potuit. Et dum prædæ insisterent; jugulare senes, trucidare parvulos, eviscerare fœminas, & hujusmodi quæ horrendum est vel dicere genti inhumanæ & feris plùs efferæ, facere voluptas fuit. Immisso igitur miserabili provinciæ immanissimorum prædonum exercitu, barbarisque immanè debacchantibus: Rex ipse excubante circa se honestiori mitiorique stipatus militiâ vacare videbatur, observabatque circa castellum firmissimum Alnewich nominatum: nè fortè manus ex eo militaris erumpens, circumquaque grassantes perturbaret prædones.] Hæc ille.

Rex Scotiæ hostiliter ingreditur Angliam.

Rogerius de Moubrai favet illi.

En

XV. En Angliam, Normanniam, & quicquid ibi terrarum, Henricus senior, Regis, Ducis, aut Comitis prærogativâ obtinebat; Deo sine dubio irato, turbatum & Thomæ carnificinam sine dubio ulciscente. Videamus nunc Henricum factl pœnitentem, lacrymis culpam, jejunio, humilitate, flagris expiantem; Deúmque illi misericordem atque propitium: nam *cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Neoborgensis ita narrat: [Jam venerat in Angliam à Normannia Rex Henricus Secundus, filio cum Flandrensibus copiis adventuro; suæ murum præsentiæ objecturus. Recordatus autem quantum in Ecclesiam Cantuariensem deliquisset: eandem mox ut applicuit concitè adiit: & ad sepulchrum Beati Pontificis Thomæ fusis uberrimè lacrymis oravit. Ingressusque Capitulum monachorum, prostratus humi humillimè veniam postulavit: & propriæ petitionis instantiâ à cunctis per ordinem fratribus, virgis est vir tantus corporaliter castigatus. Sequenti verò nocte, cuidam Venerabili ejusdem Ecclesiæ monacho seniori dictum est in somnis. Nonne vidisti hodie humilitatis Regiæ tam grande miraculum? Scito quod in brevi quantum hæc Regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum quæ circa ipsum geruntur exitus declarabit.] Ita author de Henrico pœnitente. Sed quia procul ille Cantuariâ, & narrandis Eboracensis agri (ubi natus) motibus intentus, prætermittit aliqua, Regis pœnitentiam comitantia, quæ posterorum memoria, in contriti cordis argumentum sunt dignissima: quæque Cantuariensis Archidiaconus è Quadripartita historia collegit, & sunt quæ sequuntur, Nicolai Harpesfeldi.

Neoburg. l. 2. c. 34.
REX ORAT AD SEPULCHRUM S. THOMÆ, PETIT VENIAM A MONACHIS, ET SE SUBMITTIT ICTIBUS VIRGARUM.

XVI. [Henricus filius Henrici secundi, cum fratribus, Patri adeo infestus fuit: tantumque tamque atrox bellum adversus eum concitavit, ut illo res suas quodammodo deploratas haberet. Reges enim Galliæ, atque Scotiæ, cum multis Proceribus tam Angliæ, quàm transmarinarum Regionum, quæ Anglico parebant imperio, ad eum opprimendum coiere. Et, ô miram Dei providentiam justitiámque! Ut Rex, qui tam indignè Patrem suum spiritualem infestaverat: ipse quoque à filio suo, eóque præsertim, quem insolenti exemplo, singularíque in eum fiduciâ, ad regnum admoverat, tam seditiosè infestaretur. Rex in his tantis angustiis è Normannia Angliam petit. Quam ingressus, Cantuariámque omni celeritate petens (visione quadam didicerat, nullam tusi reconciliatio Thoma Martyre, pacis spem superesse) quamprimum Metropolitanam Ecclesiam, ubi Martyris monumentum est, vidit: vestibus se exuit, nudis pedibus, & nudo etiam corpore (nisi quatenus vilis quædam illud tunica operiebat) civitatem ingreditur. Atque ita per plateas sordidas, sepulchrum adiit: apud quod totum eum diem noctémque insequentem, in jejunio, precibus, & lacrymis vigil perseveravit: Virga ab Episcopis quinquies, à singulis monachis (quorum numerus erat supra octoginta) ter cæsus est. ibique palam pravarum illarum Consuetudinum abolitionem eversionémque pollicitus est: cœnobioque annuas triginta librarum possessiones dedit. Mane verò postquam Missæ in memoriam Martyris ante monumentum ejus celebratæ interfuisset; seque suáque omnia Deo & Martyri commendasset: spei, solatiíque, ex præsumpto Martyris patrocinio, plenus discessit.] Hactenus ille.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 17.

XVII. Hic Regii assentatores, qui nupero sæculo Reges Ecclesiæ præfecerunt, admodum indignantur, Alexandrum Pontificem, imo Romanam ipsam Sedem lacerant, quòd adeo in Regem sævierint. Ita debacchantur Parkerus in Antiquitatibus, & Godwinus in Catalogo, & omnes passim, qui Regiam dignitatem nimiùm efferunt. Godwinus ita loquitur. [Papæ quamprimum hoc parricidium innotuit; non solùm percussores ipsos: sed qui ullo modo consensum aut auxilium homicidio dedissent, excommunicavit omnes. Rex cum adhibito juramento se hujus cædis immunem confirmasset: enactus tamen est, pœnas luere, eásque tales, ut mirari non possim non vehementer, Principem magnanimum, ad tantam usque contumeliam perferendam se demisisse. In his nimirum erant ut ducentos milites per annum unum integrum, in terrâ sanctâ bellum gesturos suis sumptibus aleret (ferri hoc poterat) tum ut ad novi istius Martyris tumulum flexis genibus oraret, (ridiculum) deinde (proh dolor!) ut in monachorum Capitulo à singulis ordine fratribus, uno virgarum plecteretur verbere. denique ut Consuetudinum declarationem Clarindoniæ promulgatam, quæ omnibus his turbis occasionem potissimùm dederat, revocaret, & edicto suo irritam declararet. mandatis Papalibus, tam iniquis, tam absurdis Monarcha sui sæculi potentissimus, & clarissimus, non ausus refragari, primo quoque tempore obtemperavit.] Ita ille, & putidæ ejus parentheses: quæ non Regem Thomæ supplicem, sed seipsum ridiculum præbent. Sed illud parum, quia in fidem divinam ita passim peccat. Illud magis mirandum, quod Henricum, quem laudare se putat: perjurum, ad virgas coactum, ideóque ridiculum facit. Vult Regem juramento firmasse, se cædis immunem esse: & tamen supra Rex fassus est se occasionem cædi, ministrisque dedisse Thomam occidendi: ideóque pœnitentiam postulasse. Dicebat enim coram omnibus, iterum repeto quòd supra* dixi: se intelligere quod causa est mortis Archiepiscopi: & quicquid factum fuit, propter eum factum esse.

Godwin in Thom. Cant.
PARKERUS ET GODWINUS INVEHUNTUR IN PONTIFICEM, OB PÆNAS REGIS.

*v. an. 1172. n. 3.

XVIII. Sed cur tam iniqua, tam absurda inflicta est potentissimo Regi pœna? Cur mandato Papali coactus virgis cæsus? Immo cur Godwinus frontem adeò perfricuit, aut potiùs omnem exuit, ut Alexandro imponeret, quod Alexandro nunquam in mentem venit. Ego supra, oculatis & auritis testibus omnem Regi à Legatis pœnam impositam, accuratè descripsi; & Regem juramento præstito absolutum: Parkerus tamen (qui Godwinum duxit): [Rex (inquit) absolvi non poterant, nisi certis pœnarum generibus peractis: In his erant, ut in Angliam reversus, ad Thomæ tumulum flexis genibus devotè oraret, & in monachorum Capitulo, à singulis ordine fratribus, uno virgæ ictu percuteretur.] Hoc falsum esse probant supra dicta. ubi qui judicio præsentes fuerunt, ita scribunt: [His expletis (nimirum impositâ pœnitentiâ, quæ quatuor tantummodo capita continebat) ne quid ad boni consummationem deesset: deduxerunt Legati eum (Henricum) ex propriâ Regis voluntate, extra ostium Ecclesiæ, ibique flexis genibus non tamen exutus vestibus, neque verberibus appositis absolutus est.]

Antiq. Brit. in Thoma Cantuar.

v an. 1172. n. 5.
REX NON EST COACTUS AD PÆNAM, SED VOLUNTARIE SUBIIT.

est.] Hæc non in Angliâ, sed in Galliâ: non Cantuariæ; sed apud Abrincas peracta sunt: non anno millesimo centesimo septuagesimo quarto, sed anno millesimo centesimo septuagesimo secundo. Nec omnia hæc coacta, sed ex propriâ voluntate fiunt. Quis ergo majus, quam Romanus Pontifex aut Legati ejus, imperium sibi Cantuariæ præsumpsit, & Regem ad vilia coegit? Nemo prorsùs, sed factiosis libido est, Romam quæsitis undique figmentis, lacerandi: & pœnam quam Rex *voto suo*, cum mare, ut suprà*, ingressus Deum oravit, sibi imposuit: Unde Neoburgensis signanter dixit: *propria petitionis instantiâ à cunctis per ordinem fratribus, virgis castigatum*: non ergo mandato Papali coactus est: Addo nec iniquum aut absurdum est, parricidam filium virgis vapulare. Sed valde iniquum & absurdum est, pœnitentiam, voluntate propria susceptam, à Deo mirabiliter probatam, ab omni superiore sæculo laudatam, & in Regiæ submissionis egregiique facinoris exemplum, posterorum memoriæ commendatam, moderni tribunalis sententiâ condemnare.

* v. an. 1172. n. 13.

XIX. Probemus divino argumento, non iniquum, non absurdum, sed Deo gratum fuisse Regiæ humilitatis sacrificium, cor contritum, corpus humiliatum. Non alio tamen quàm rerum narratione, mirabili victoriâ, & hostium undique irruentium, vel fugâ, vel ruinâ. Dicat omnia Neoburgensis ejus sæculi scriptor: Denique (inquit) ipse qui tangit montes & fumigant; illam montis fumigantis devotionem, quanti appenderit; insigni mox judicio claruit. Quippe ipsâ die, atque ipsâ, ut dicitur horâ, quâ mons ille Cantuariæ fumigavit, hostem ejus immanissimum, scilicet Regem Scottorum, in extremis Angliæ finibus virtus divina pessundedit: ut merces pii operis, non consequuta ipsum opus; sed comitata potiùs videretur: nullúsque super hoc ambigere sineretur. Idem autem Princeps Cantuariâ digressus, Lundonias properavit, præmissis adversus Hugonem Bigorum, militaribus copiis: ipse venâ incisâ, modicam ibidem moram fecit. Et ecce circa noctem mediam; missus à Ranulpho de Glanvilla cursor velocissimus, ad januam pulsavit Regiam. Increpatus à janitore, & vigilibus ut taceret: pulsavit instantiùs, dicens in ore suo bonum esse nuntium: quem modis omnibus oporteret ipsa nocte à Rege audiri. Vicit tandem instantis improbitas; præsertim cum bona nuntiaturus speraretur. Admissus itaque intra januam: eodem modo cubicularios quoque vicit Regios. Introductúsque in cubiculum Regium, audacter accessit ad lectum Principis, & excitavit quiescentem. Et expergefactus: Quis es tu? inquit: & ille. Puer sum, inquit, Ranulphi de Glanvilla, fidelis vestri, à quo missus Celsitudini vestræ bonus venio nuntius. Sanusne est, ait, Ranulphus noster. Et ille, Valet, inquit, idem Dominus meus: & ecce hostem vestrum, Scottorum Regem captum tenet in vinculis apud Richemontem. Rex verò ad hoc stupidus: Dic, inquit, adhuc: At ille iteravit verbum. Habesne, ait, literas. Mox ille protulit literas signatas Regi, rei gestæ seriem continentes. Quibus Rex statim inspectis, strato exiliens, quibus potuit modis ei, qui facit mirabilia solus, piis madidas lacrymis gratias egit. Mane autem venerunt & alii cursores idipsum nuntiantes. Vulgatum est statim verbum bonum, populis solenniter acclamantibus, & campanis per totas Lundonias concrepantibus.] Hæc omnia Neoburgensis.

Neoburg. l. 2. c. 34.

Hora qua humiliavit se Rex Henricus, captus est Rex Scotiæ.

XX. Multa sunt, quæ Henrici de Scotorum Rege victoriam, mirabilem faciunt probantque Deum pro pœnitente Rege pugnasse. Refert illa author qui suprà, oculatus rerum gestarum testis, nam Eboracensis ipse. Eboracensis provinciæ Regii Proceres (inquit ille) ingenuè indignati, quod Scoti fines Anglicos infestarent, apud Castellum novum, super fluvium Tinum, cum equitatu valido convenerunt. Urgente quippe negotio, pedestres non poterant copias congregare. Venerunt autem illuc die Sabbati, longo & laborioso itinere fatigati. Ibi sanè, cùm in commune tractarent, quid esset agendum: prudentiores allegarunt: multum jam esse actum, cum Rex Scottorum, adventu eorum præcognito, longiùs recesserit. Suæ hoc mediocritati, pro tempore debere sufficere: sibi non esse tutum, nec Regi Anglorum utile, ulteriùs progredi: ne forte paucitatem suam devorandam, sicut escam panis, infinitæ barbarorum multitudini exponere viderentur, sibi non plusquam quadringentos equites; in hostili verò exercitu, plusquam octo armatorum millia æstimari. Ad hæc ferventiores respondentes; hostes nequissimos modis omnibus esse impetendos: Victoriam desperari non debere, quæ procul dubio justitiam sequeretur. Denique horum sententia prævalente (quia Deus sic voluit; ut voluntati magis divinæ, quàm potentiæ, vel humanæ prudentiæ ascriberetur eventus) viri virtutis, in quibus erant præcipui Robertus de Stutevilla, Ranulphus de Glanvilla, Bernardus de Baliolo, Guilielmus de Vesci, nocturnâ requie paulisper recreati, summo mane progressi sunt tantâ velocitate, tanquam propellente vi aliquâ properantes, ut quod armorum pondere gravatis minùs tolerabile videbatur, ante horam quintam viginti quatuor millia passuum transmearent. Verùm dum irent, tam densa, ut dicitur, eos operuit nebula, ut penè nescirent quò irent. Tum prudentiores periculosum iter causantes, certum sibi imminere discrimen allegarunt, nisi mox conversi redirent. Ad hoc Bernardus de Baliolo, vir nobilis, atque magnanimus: Recedat, inquit, qui voluerit: ego autem etiamsi nullus sequatur procedam: & perpetuam mihi maculam non inuram. Cum ergò procederent, subitò evanescente nebulâ, castellum de Alnewich præ oculis habentes, id sibi tutum fore receptaculum, si hostes urgerent, læti censuerunt.

Eboracenses Comites occurrunt Regi Scotiæ.
Neoburg. l. 2. c. 38.

Angli post varia Consilia progrediuntur in Scotos.

XXI. Et ecce Rex Scotorum cum turmâ equitum circiter sexaginta, aut paulò ampliùs, haud procul in campis patentibus, & tanquam securus, & nihil minus, quàm nostrorum irruptionem intuens, observabat*, barbarorum multitudine, cum parte equitatus, ad prædas latè dispersâ. Qui nimirum nostris conspectis: primò quidem eos de suis à prædâ redeuntibus esse ratus est. Sed mox vexillis nostrorum cautè notatis; tunc demum intellexit nostros jam ausos, quod ipsos nec suspicari potuit esse ausuros. Attamen non est territus: suo quippe tam vasto, quamvis minùs conglobato circumvallatus exercitu, conclusam illam paucitatem facilè absorbendam esse à circumfusâ multitudine, nec ambigere dignabatur. Illico

* oberrabat melius.

Rex Scotorum capitur cum tota sua turma.

ferociter arma concutiens, ſuóſque verbo ſimul & exemplo accendens: Modo, inquit, apparebit, quis miles eſſe noverit. Primúſque in hoſtem ſequentibus cæteris irruens; mox a noſtris excipitur, atque interfecto dejectus equo, cum totâ ferè turmâ ſuâ capitur. nam & qui per fugam evadere potuerunt, eo capto fugam detrectantes, ut cum eo caperentur, in manus ſe hoſtium ſponte dederunt. Quidam etiam nobiles, qui forte tunc aberant, ſed non longè erant, agnito quod acciderat, curſu mox rapidiſſimo affuere: atque in manus hoſtium ingerentes ſe potius quàm incidentes, dominico communicare periculo honeſtum duxere. Porrò Rogerus de Mubrai, qui ibidem tunc aderat Rege capto elapſus evaſit, refugítque in Scotiam. Noſtri verò Proceres, nobilem cum gaudio prædam revehentes, Caſtellum novum, unde mane digreſſi fuerant, veſpere rediere: eámque ad Dominum ſuum illuſtrem Anglorum Regem opportunè mittendam apud Richmontem cautiſſimè cuſtodiri fecerunt. Geſtum eſt hoc feliciter Deo propitio, anno a plenitudine temporis, quo verbum Caro factum eſt, milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, tertio Idus Julii, die Sabbati] Hæc Author.

XXII.

Walſingam. in Edvvardo primo, fol. 82.

Meminit hujus victoriæ Thomas Walſingamus, cum ait captivum Regem nominans: Anno viceſimo regni Regis Henrici Secundi, Wilhelmus Rex Scotiæ rebellare incipiens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, & exercuit in populo magnam cladem. Cui occurrentes milites Comitatus Eboracenſis apud Alnewik ipſum ceperunt, & dicto Henrico Angliæ Regi reddiderunt.] Ad locum quod attinet ubi Gulielmus Rex capitur, vel inde memorabilis eſt & Camdenus illum deſcribens, nobilitatem ab hac victoriâ illi tribuit. [Alaunum flumen inquit

Camden. in Northum.

Anwic nobile victoria de Scotis.

quo nomine Ptolomæo innotuit, contractè Alne dicitur, ad cujus ripam, Alnewic, vulgò Anwic, cubat victoria Anglorum in Scotos nobilitatum oppidum, qua majorum virtus Gulielmum Scotorum Regem Henrico noſtro ſecundo captivum tradidit.] Benè victoriam tribuit *Virtuti majorum.* nam Henricus Rex, mirabiliter pœnitendo, Victoriam magis quàm Eboracenſis provinciæ milites pugnando, obtinuit. Nam Deus Sabauth; nimirum exercituum; prece lacrymis voluntario ſupplicio expugnatur. & ſupinè factioſus eſt quiſquis Regis factum calumniari præſumit. Nec unum Scotorum Regem Henricus ſuperavit; ſuperavit, fugavitque potentiorem, Ludovicum, inquam, Francorum Regem, filiumque ſuum, quem Regem ipſe regnique conſortem dixerat.

Paris hic

Eodem die quo victus Rex Scotiæ, Filius Henricus, et Comes Flandriæ coacti sunt redire in Galliam.

Et quidem quod ad filium ſpectat, eo die quo Scotorum Rex capitur, nimirum tertio Idus Julii, die Sabbati: Oceanus noſter in eum pugnaſſe videtur. nam Pariſienſis, ubi Henrici pœnitentiam deſcripſiſſet. [Unde (inquit.) Beatum Martyrem ſibi reddens placabilem, ipſa die Sabbati, quâ ſibi ab eo indulgentiam dari poſtulabat, tradidit Deus Regem Scotiæ Williehnum in manus apud Richmont Caſtellum cuſtodiæ mancipatum. Ipſâ etiam die Sabbati, Rex filius ejus, navibus, quas congregaverat ad transfretandum, ut eam ſubjugaret, diſſipatis penitùs & ferè ſubmerſis, coactus eſt ad Galliam rediro. Aderat etiam illi Flandrenſis Comes, & uterque magnum paraverat belli apparatum: ſed Martyr Thomas negavit tranſitum]

XXIII.

Nec ſtetit ibi ſancti in Henricum Regem pietas: abſolvit enim quod operat beneficium: & Ludovicum Francorum Regem clementer monuit, ne noceret. Rothomagum ille militari manu cinxerat Normanniæ Caput, ſed conatu irrito. Quod quia ad Regiæ pœnitentiæ vim declarandam, & rem eodem tempore geſtam perficiet, dicat iam Neuburgenſis. [Inter hæc inquit, & præceſſit Scotorum Regis captivitas) Rex Francorum cum tremendo exercitu Normanniam ab Oriente ingreſſus. qua, ſcilicet, captis a Comite Flandrenſi caſtellis, patere videbatur; Rothomagum ejuſdem provinciæ metropolim adiit & obſedit. Eſt autem Rothomagum, una ex clariſſimis Europæ civitatibus, ſita ſuper Sequanam fluvium maximum: per quem eidem civitati multarum Regionum commercia invehuntur. eodem flumine ſimul & objectu montium ita munita, ut ab uno exercitu, ejus vix tertia pars valeat obſideri.

Neuburg. l. 2. c.

Rex Galliæ obsidet Rotomagum.

Porrò Rex junior, & Flandrenſis Comes, cum in portu Morinorum, unde breviſſimus eſt in Angliam tranſitus, claſſe paratâ, vaſtiſſimis vallati copiis tranſfretandi opportunitatem captarent, cognito quod Rex ſenior jam in Angliâ conſiſteret eorum procul dubio impetum ferociter excepturus: tranſire in Angliam nequaquam ſibi tutum duxerunt. Itaque mutato conſilio, & toto illo paratæ jam claſſis apparatu irrito. quanti eſſet negotii Rothomagenſis obſidio, & quanti momenti ejuſdem civitatis irruptio, perpendentes, vaſtas illas atque terribiles copias Rothomagum tranſtulerunt, & obſidentem exercitum in immenſum auxerunt. Verum cum tantus eſſet exercitus, quantus in Europa, ab annis retro plurimis viſus non eſt; ejuſdem tamen Urbis partem vix tertiam potuit obſidere, &c.

XXIV.

Neuburg. l. 2. c. 36.

Dum Durat Rothomagenſis obſidio Henricus in Angliâ Rex caſtella quæ defecerant ſui juris facit. [Tum rebus, Deo volente ad votum diſpoſitis ita author qui ſupra Rex cum ingentibus copiis celeriter transfretavit Ducens ſecum, paulo ante exhibitum Regem Scotorum, Comitemque Leiceſtrenſem, aliosque captivos inſignes. Populis autem ob celerem & felicem ejus reditum exultantibus, Rothomagum in conſpectu hoſtium pompaticè ingreſſus eſt. Hoſtes accepto ante dies paucos, de captione Regis Scotorum nuntio ſaucii: ejus quoque ſunt repentino & triumphali ex Anglia reditu ſtupefacti. Attamen in robore multitudinis innumeræ confidentes in obſidione perſiſtebant. Porrò ipſe Wallenſium turmam ex Angliâ accitam, per noctem latenter emiſit, ſilvarum opacitate tectam. (nam hoc genus hominum agile & ſilvarum gnarum eſt) locis opportuniſs obſervarent, quò tanto exercitui neceſſaria convehebant.

Solvunt obsidionem hostes Henrici, intercepta annona per Wallenses.

Hi nimirum captato tempore ſilvis erumpentes commeatum invaſerunt; equitibus à quibus deducebatur in fugam actis, toto illo apparatu perfundato, cum ingenti hominum & jumentorum exitio, in ſilvas ſe receperunt. Tunc vulgatum eſt ſilvas Wallenſibus eſſe refertas: Atque ita intercepto commeatu, exercitus per biduum medio laboravit. Hac neceſſitate ſoluta eſt obſidio: & Principes nullam aliam tanti laboris mercedem, quàm ignominiam reportantes; cum vaſto illo exercitu abierunt: compoſitis tamen ordinibus, ad repellendum periculum, ſi forte hoſtes a tergo urgerent. Ita quicquid in Regem Anglorum,

ab hostibus maliciosè agentibus, vel concinnatum est, vel attentatum, Deo illi propitio, in ejus est gloriam commutatum.] Hactenus ille.

XXV. Quis hic non videt Regis pœnitentiam, Regi regnóque salutarem fuisse? Quis dicet, orasse ad Thomæ Martyris sepulchrum, ridiculum: & flagra Regi, *ad propria petitionis instantiam*, inflicta, iniqua, & injusta? Nemo sanè, qui sanæ mentis fideique est. nam Thoma Walsinghamo teste, de Regis pœnitentia scribente: [Quin Martyrem sibi placabilem jam reddidit, quoniam peccatum ejus translatum sit, non est qui dubitet. nam ipsa die qua indulgentiam sibi dari postulabat a Martyre, sepulchrum Martyris frequenter deosculans, tradidit Dominum Guilielmum Regem Scotorum in manus suas, custodiæ mancipatum apud Richmond. Ipsa etiam die Rex filius navibus quas congregaverat ad transfretandum in Angliam dissipatis, cœpit redire in Galliam.] Sic immensa illa tempestas, quæ Angliæ, & Galliæ ruinam minabatur: quámque (quis dubitat?) Henrici peccata, odium in Thomam, & obstinatus in conservandis pravis consuetudinibus animus excitarat: nunc Thoma reconciliato, odio in amorem cultúmque verso, damnatis consuetudinibus, & omni peccato, insigni pœnitentiâ expiato, mirabiliter subsidit. ut discant factiosi, quod nolunt intelligere, Sanctos in cælo regno regnantes, & irasci posse, & placari. Deúmque pro Sanctis stare, quos coli posse ac deberi infinito miraculo ostendit.

Walsing. hypodig. Neust. hoc anno.

Henrico ubi placasset S. Thomam, omnia prospere succedunt.

XXVI. Omiseram ferè, quæ de Regis pœnitentiâ tradit Rogerus Hovedenus, addens aliqua, quæ Authores cæteri videntur tacuisse. & quoniam singulare fuit Regiæ humilitatis, ac pietatis exemplum, & posteris commendandum, nihil omittendum quod illud illustret; præsertim cum omnes passim affirment, ut etiam hic Author, Victorias illi à Deo datas, hujusce submissionis intuitu. Ita ergò Rogerus cùm Henricum è Normanniâ in Angliam reduxisset. [In crastino (inquit) ad Beatum Thomam Cantuariensem Martyrem peregrè profectus est. Et cum appropinquasset, ex quo Ecclesiam videre potuit, in qua corpus Beati Martyris sepultum est, equum in quo sedebat, deseruit: & extractis calceamentis, nudus pedes, & in pannis laneis, per tria milliaria profectus usque ad sepulchrum Martyris, in tanta humilitate, & cordis compunctione; ut credatur illius opus sine dubio extitisse, qui respicit terram, & facit eam tremere (non ergò iniquum aut absurdum opus, ut fabulatur) Vestigia autem ejus in viâ quâ ambulabat intuentibus apparuerunt sanguinolenta, & erant. Sanguis enim multus à teneris pedibus ejus lapidibus duris incisis, profluebat in terram. Cum autem ad tumbam venisset, pium erat intueri afflictiones quas faciebat cum fletu singultuoso, & disciplinas, quas de manu Episcoporum, Sacerdotumque plurimorum & Monachorum recepit. Ibidem etiam, ante sepulchrum Beati Martyris, in oratione in jejunio, & planctu pernoctavit, adjutus plurimorum sanctorum virorum suffragiis. [illegible] m & redditus, quos Ecclesiæ illi in remissionem peccatorum suorum contulit, à membris Ecclesiæ, nulla poterunt ratione divelli. In crastino autem summo mane, Missâ au[illegible]itâ, inde recessit tertio Idus Julii, Sabbato Londonias i[illegible]s. [illegible]oniam memor fuit

Hoveden. fol. 539

Qua humilitate per tria milliaria nudis pedibus adivit Rex sepulchrum S. Thom.

Domini in toto corde suo: dedit ei Dominus victoriam de inimicis suis, & tradidit eos captivos in manu sua.] Hæc Author, addens eodem die Sabbati Scotorum Regis vincula, & carceres.

XXVII. Sequitur Henrici senioris, & filiorum concordia. quæ hoc eodem anno feliciter conclusa: iis pro pace mediantibus, qui pacem turbaverant. De quo Neoburgensis. [Cum ergò eidem Principi (Henricum intelligit Regem seniorem) in omnibus, quæ ab ipso, vel circa ipsum fiebant, propitia arrideret divinitas. hostes ejus successibus territi, & humiliati, de pace tractare cœperunt: ipsis reformandæ pacis mediatoribus effectis, qui discordiæ præcipui fuerant incentores. Itaque celebri inter partes colloquio habito, exitialis illa simultas Principum, & inquietudo provinciarum pariter quieverunt.] Fuit in componenda pace litigium aliquod, quia filiorum unus in Pictaviâ grassabatur. quem propterea à cæteris excludi oportebat, de quo Rogerus. [Paucis evolutis diebus (nimirum à solutione obsidionis) misit Ludovicus Rex iterum Archiepiscopum Senonensem & Comitem Theobaldum ad Regem Angliæ, statuens diem colloquii apud Gisortium in Nativitate Sanctæ Mariæ. Quò cum venissent, non potuit inter eos convenire, propter Richardum Comitem Pictaviæ, qui tempore illo erat in Pictaviâ expugnans castella, & homines Patris sui. Et ideò aliud ceperunt inter se colloquium, hoc est ad festum Sancti Michaelis, inter Turonim, & Ambasium, & statuerunt treugas inter se hac conditione. Quod scilicet Richardus Comes Pictaviæ excluderetur à treugis illis: & quòd Rex Franciæ, & Rex Angliæ filius, nullum succursum ei facerent. His itaque hinc & inde concessis, Rex Angliæ Pater promovit exercitum suum in Pictaviam. Cujus adventum Richardus Comes Pictaviæ filius ejus, non ausus expectare, fugit de loco, in locum. Et cum constaret illi, quod Rex Franciæ, & Rex Frater suus, exclusissent eum à treugis; indignatus est inde. Et cum lacrymis veniens cecidit pronus in terram, ante pedes Regis Patris sui: & postulans veniam in sinu Patris recipitur. Facta sunt hæc in Pictaviâ undecimo Kalendas Octobris, feriâ secundâ. Et ita Rex & Richardus filius ejus facti amici, civitatem Pictavis ingressi sunt. Deinde ambo simul profecti sunt ad colloquium inter Turonim & Ambasium pridiè Kalendas Octobris feriâ secundâ in crastino S. Michaelis, ubi Rex filius, & Richardus, & Gaufridus fratres ejus; consilio & voluntate Regis & Baronum Franciæ hanc pacem subscriptam fecerunt, cum Rege Patre suo.

Neoburg. l. 2 c. 3.

Agitur de concordia inter Henricum et filium.

Hoveden fol. 540.

Richardus filius excluditur a treugis.

Richardus recipitur in gratiam.

XXVIII. Notum sit tam præsentibus, quàm futuris. quòd pax inter Dominum Regem, & filios suos, Henricum videlicet, & Richardum, & Gaufridum, in hunc modum Deo volente reformata est. Henricus Rex, filius ejus, & fratres sui prædicti, ad Patrem suum, & ad servitium ejus, sicut ad Dominum suum redierunt liberi, & absoluti ab omni juramento: & in ipsa, quam inter se, vel cum aliis fecerunt, contra eum, vel homines suos; & omnes homines, & Barones, qui à fidelitate Patris, causa eorum recesserant, clamaverunt quietos ab omni juramento, quod iis fecerant. Et ita quieti & liberi ab omni juramento, & absoluti ab omni conventione, quam iis fecerant, in hominium, & ligantiam Domini Regis redierunt.

Et

Et Dominus Rex debet rehabere, ipse. & homines sui, & Barones sui, omnes terras suas, & castella sua; quæ habuerunt quindecim diebus, antequam filii sui recederent ab eo. Similiter, & Barones, & homines sui: qui recesserunt ab eo, & sequuti sunt filios suos, debent rehabere terras suas, quas habuerunt quindecim diebus, antequam ab eo recederent. Et Dominus Rex remisit omnem malevolentiam Baronibus & hominibus suis, qui recesserunt ab eo; ita quòd, propter hoc, nullum malum eis faciet, quamdiu fideliter ei servient; sicut Ligio Domino suo. Et Rex filius ejus similiter perdonavit omnibus tam Clericis, quàm Laicis, qui cum Patre suo fuerant, omnem malevolentiam, & adsecuravit in manu Domini Regis Patris sui, quod illis, qui servierunt ei, nec malum, nec damnum aliquod, hac de causa faciet, vel perquiret in totâ vitâ suâ.

XXIX. Conditiones Pacis inter Henricum et filios.

Et Dominus Rex per hanc conditionem donat Regi filio suo duo castella idonea, in Normanniâ, ad voluntatem Patris illius, & singulis annis quindecim millia librarum Andegavensium. Et Richardo filio suo duo receptacula idonea in Pictaviâ: Unde Regi damnum non possit provenire, & medietatem reddituum Pictaviæ in denariis. Gaufrido verò filio suo dat in Britanniâ in denariis medietatem maritagii filiæ Comitis Conani, quam ducere debet in uxorem. Et postquam concessione Romanæ Ecclesiæ, eam in uxorem duxerit, habebit omnes reditus illius maritagii; sicut continetur in chartâ Comitis Conani. Prisones autem, qui cum Domino Rege finem fecerunt, ante factam pacem cum Domino Rege: videlicet Rex Scotiæ, & Comes Leicestriæ, & Comes Cestriæ, & Radulfus de Fulgeriis, & obsides eorum, & obsides aliorum Prisonum, quos priùs habuerat, sunt extra conventionem istam. Alii autem Prisones ex utrâque parte deliberari debent: ita scilicet, quod Dominus Rex obsides accipiet de Prisonibus suis, de quibus habere voluerit, & qui dare poterunt. Et de aliis habebit securitatem per fidem, & Sacramentum suum, & amicorum suorum. Castella verò, quæ firmata sunt, vel infortiata, postquam guerra incepit in terra Domini Regis: pro voluntate sua debent redigi in illum statum, in quo fuerunt quindecim diebus ante guerram.

Quinam Prisones excepti.

XXX. Henricus filius iurat observaturum se donationem Joanni.

Prætereà sciendum est, quod Rex Henricus filius Regis, concessit Domino Regi Patri suo, se quàm firmiter concessurum omnes donationes eleemosynarum, quas dederat, vel daturus erat, pro servitio suo. Concessit etiam se firmiter & inconcussè observaturum donationem; quam Rex Pater suus fecit Joanni fratri suo, videlicet mille libratas reddituum in Angliâ, de Dominico suo, & excaetis* suis, ad voluntatem suam, & pertinentiis suis: & castellum de Nottingham cum Comitatu; & castellum de Merleberga, cum pertinentiis suis: & in Normanniâ mille libratas redditum Andegavensium: & duo castella in Normanniâ, ad voluntatem Patris: & in Andegaviâ, & in terrâ, quæ fuit Comitis Andegaviæ, mille libratas reddituum Andegaviæ, & unum castellum in Andegaviâ, & unum castellum in Turonicâ, & unum castellum in Cenomanniâ. Concessum est autem à Domino Rege, pro amore filii sui: quòd omnes illi, qui recesserunt ab eo post filium suum; & in recessu suo foris fecerunt, in terrâ Domini Regis, ad pacem ejus revertantur. Ita quod de Catallis, quæ asportaverunt in recessu suo non respondeant: de morte, vel proditione, vel perditione alicujus membri respondeant secundùm judicium & consuetudinem terræ. Qui autem ante guerram, quacumque de causâ aufugerunt, & ad servitium filii sui venerunt, pro amore filii sui ad pacem revertantur; si vagium*, & plegium dederunt standi judicio de his, quæ ante guerram foris fecerunt. Illi autem, qui in placito erant, quando recesserunt ad filium suum, ad pacem revertantur; ita quòd in eo statu placita sua sint, in quo erant, quando recesserunt. Hanc conventionem tenendam firmiter ex parte sua assecuravit Henricus Rex filius Domini Regis, in manu Patris sui. Prætereà assecuraverunt Henricus filius Regis, & fratres sui, quod à Domino Rege Patre suo, nunquam ampliùs exigent ultra donationem præscriptam & determinatam, contra voluntatem, & beneplacitum Patris sui: & quòd neque se, neque servitia sua Patri suo subtraherent. Richardus verò, & Gaufridus frater ejus devenerunt homines Patris sui de his, quæ eis concessit & dedit. Cum autem filius ejus Henricus hominium ei facere voluisset, noluit Dominus Rex ab eo recipere, quia Rex erat, sed securitatem accepit ab eo.]

*Sunt bona, quæ obveniunt Dno ultra redditum.

*Vadimonium standi judicio.

Noluit Rex accipere hominium ab Henrico filio, sed tantùm securitatem.

XXXI.

Descripsi fusiùs has sancitæ pacis leges, qua constet Henricum Patrem ubique superiorem fuisse: idque potissimum Thomæ Martyris patrocinio, quem supplex insigni pœnitentiâ propitium sibi fecerat. Nam tot tantósque hostes, tam brevi temporis spatio superasse, ut multi meritò mirati sunt, ita censuere omnes in Beati Martyris laude ponendum. Unde Herebertus in Quadrilogo: [Quis (inquit) per singula narret quæ Rex post tam humilem, tam devotam peregrinationem senserit in dies. Nec longa mora, & Cismarini, & Transmarini ei rebelles, in reticulum quod ipsi Domino suo tetenderant, inciderunt. Videntes autem alii tam subitò cum Rege, Domini manum tam validam siluerunt universi. Et ita supra mundi assertionem & spem; sicut ex insperato & subito siluit omnis terra in conspectu ejus, & factum est in pace regnum ejus. Domino jam super iram inimicorum suorum manum extendente. Quem super inimicos suos successum talem, & pacem tantam, & tam perfectam, eò plùs miraculosam, quò tam citam, omnium sic animos adversus se elevantes infirmavit. Rex autem totum ascripsit Domino, & glorioso Martyri Thomæ, cui certissimè erat ascribendum.] Ita ille. Hinc Regis in Martyrem crevit devotio, quem sibi in cælo patronum, & advocatum habuit. teste Petro Blesensi, qui ad Archiepiscopum Panormitanum scribens: hæc ait inter cætera. *Illud quoque noveritis Dominum Regem, gloriosum Martyrem (Thomam) in omnibus angustiis suis patronum habere præcipuum. Eâdem siquidem die, quâ primo Martyris tumulum visitavit, Regem Scotiæ persecutorem, & impugnatorem fortissimum, captum vinculis carceralibus mancipavit. Continuatóque deinceps favore successuum, ope Martyris, de universis hostibus gloriosissimè triumphavit. Sciatis ergo certissimè, quòd charitatem, qua se olim Rex & Martyr, mutuò dilexerunt, neque mors, neque gladius abolevit.* De Rege Henrico, & re hoc anno benè ab eo gesta, satis.

Quadrilog. l. 4. c. 8.

Petro Blesen. Epist. 66.

Elegit Rex S. Thom. in patronum.

XXXII. Dudùm in Septentrione contenderant Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, & Hugo Episcopus Dunelmensis: Rogerus in Ecclesiam Haugustaldensem, quæ aliquando, deficientibus ibi Episcopis, Eboracensi Sedi fuit annexa, juris adhuc dictionem prætendit: Contrà, Prior Hagustaldensis, Ecclesiam, & terram, quam olim Sanctus Wilfridus, à Sanctâ Virgine, & Reginâ Ediltrude, aliarum possessionum commutatione acceperat, ut supra * suo loco dictum, inter monasterii sui bona numeravit. Quo argumento forsan Hugo Dunelmensis ad suum & ipse territorium referebat. Iterum in agro Eboracensi, & Alverton oppido; de capellâ & cæmiterio contenditur, quod suum in sua diœcesi, Rogerus, Hugo ad Dunelmensem Ecclesiam donatione Guilielmi * Rufi cum agro adjacenti causabantur. Hagustaldensis etiam Prior tam capellam, quàm cæmiterium ad suum pertinere monasterium, & aliorum cessione, & præscripti temporis privilegio ostendit. Quamdiu controversia hæc inter Episcopos ventilata sit non invenio: sed tantum hoc anno decisam. Nam ita Rogerus. [Eodem anno (præsentem signat) Pax, & finalis concordia facta est inter Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, & Hugonem Dunelmensem Episcopum, in hac forma. Capella & cæmiterium in Alvertun, in manu Prioris Haugustaldensis erit: ita quod Archiepiscopus non coget aliquem ibi sepeliri: nec Episcopus prohibebit. Ecclesia Haugustaldensis chrisma & oleum recipiet à Dunelmensi Episcopo, sicut solet. Prior quoque Haugustaldensis veniet ad Synodum Dunelmensem. Clerici & Canonici Haugustaldenses ab Episcopo Dunelmensi ordines recipient. Parochiani Haugustaldenses, in Pentecoste, si voluerint visitabunt Ecclesiam Dunelmensem, sine coactione Episcopi, vel suorum: & sine prohibitione Archiepiscopi, vel suorum. Quod si sui contra facere præsumpserint; ipsi Domini corrigent. Prior Augustaldensis, omnia Ecclesiastica illius parochiæ placitabit, sine pœnâ pecuniariâ: sed & pœnitentias dabit. Decedente verò Priore, qui nunc est, Richardo, eandem auctoritatem habebit Episcopus Dunelmensis, in alterius Episcopi constitutione, quam idem Prior Richardus, & Prior de Gisseburne, & Petrus frater Prioris de Bridlington, juraverunt Ecclesiam Dunelmensem habuisse, in constitutione ejusdem Prioris Richardi, si quam habuisse eam juraverint.]

v. an. 687. n. 5. & 789. n. 8.

vide Camd. in Eboracen.

Hoveden. fol. 541. CONCORDIA INTER DUNELMENSEM EPISCOPUM ET PRIOREM HAUGUSTALDENSEM.

XXXIII. Sequuntur alia de Ecclesiis Sancti Cuthberti, quæ eodem tempore, inter dictos Antistites aliquando controversa, finem tandem sortita sunt: Controversiæ Capita, legésque utrinque confirmatæ. Nam pergit Author. [Hæc supradicta firmaverunt Archiepiscopus & Episcopus, fide invicem interposita, se servaturos sine dolo, & fraude, quamdiu ipsi duo vixerint, sine præjudicio utriúsve Ecclesiæ post alterius decessum. Præterea promisit Archiepiscopus, Episcopo sub eâdem fidei interpositione, quòd ipsum, vel Ecclesiam suam, vel aliquem de Episcopatu suo, in nullo gravabit; nisi causa prius palam cognita judiciario ordine.]

Idem supra. JURAVIT IN OBSERVATIONEM CONCORDIÆ.

XXXIV. Moritur hoc anno Guilielmus Turbus, quem ad Norwicensem Ecclesiam consecravimus anno millesimo centesimo quinquagesimo primo, ad quem Joannes adhuc in exilio degens, tunc Epistolam cum ab eo ad cedendum Regis Consuetudinibus animatur: sic enim rescripsit:

MORITUR GUILIELMUS NORWICENSIS EPS.

WILLELMO Norwicensi Episcopo.

Ioan Saresb. Epist. 250.

*INtermissionem officii, quod me vobis debere profiteor, inducit necessitas non contemptus. Voluntas enim obedire parata est, si obsequium decreveritis admittendum. Sed fortasse pro tempore dispensatis, & dum furor in cursu est, cedendum * potius ducitis, quàm reluctandum. Nec ego consilium improbo, quod ratio prudentia moderatur, ne utilitati prospiciat, & non deserat honestatem. Cæterùm per gratiam Dei, in brevi futurum est, ut hac dispensatione usus sit opus; quia procella jam detumuit; & Ecclesiæ pax esse videtur in januis. In proximo est, auctore Deo, ut quod loquor pleniùs innotescat. Laboravit Petrus & condiscipuli in remigando: quorum unus est Dominus Cantuariensis, qui suis, aut gentis alienæ stipendiis militans, totius Anglicanæ Ecclesiæ servit utilitati. Nam cum obtinuerit, redundabit in gloriam Dei, triumphum consequetur Ecclesia, Clerus liberationem, & populus consolationem. Et quidem tunc, sicut nec in extremo judicio, non displicebit, si quis testimonio conscientiæ gaudeat, ut opem tulerit Ecclesiæ naufraganti. Adversus hæc fortasse prætendetur publica potestatis metus, & persecutorum insidiæ. Sed certè non est, qui sine eorum conscientiâ, quando libitum est, non faciat sumptum. Nec hoc, Deo teste, mei compendii causa dixerim: sed ut præmuniam Dominum meum, & expleam officium debitæ charitatis.*

** credendum malè.*

XXXV. Ita scripsit Joannes Thomæ Martyria Comes individuus, causámque ejus defendit; probavitque insigni vaticinio, quod exilium ejus totius Ecclesiæ Anglicanæ serviret utilitati; quod cum obtinuerit (ut paulò post obtinuit) coronam Martyrii, redundaret in gloriam Dei, triumphum consequeretur Ecclesia, Clerus liberationem, & populus consolationem: Quæ omnia Guilielmus Norwicensis Episcopus: impleta vidit: sit moritur sub finem hujus anni, ut velle videtur Rogerus, vel sub initium sequentis, ut habet Matthæus Westmonasteriensis. Godwinus mortis diem, non annum notat, cum ait: *Obiit Pontificatus sui anno vigesimo quinto, Ianuarii decimo septimo.* Vidit, inquam, Guilielmus, quæ Joannes prædixit, Deum in Martyre Thoma mirabilem, & gloriosum, vidit, quem de pravis consuetudinibus, & Henrico Rege triumphum consecuta est Ecclesia: ni mavis dicere, Vidit Ecclesia Henricum de seipso triumphantem; cum animum, coronam, vestes, pertinaciam denique, ad Martyris pedes deposuit. Unde & nacta est libertatem. Joannes hæc scripsit, post paucos annos, nimirum anno Christi millesimo centesimo septuagesimo septimo factus est, merito suo, in Gallia Senonensi Carnotensis Episcopus, vir scriptis, & literarum commercio notus.

Hoveden. fol. 541.

Westmonast. an 1175 Godwin in Norwicen. VIDIT GUILIELMUS DEUM IN S. THOMA MIRABILEM.

ANNUS CHRISTI 1175.

ALEXANDRI III. PAPÆ 17.

HENRICI II. REGIS 21.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus septuagesimus quintus: [Quo in Anglia (ut Ecclesiastica priùs quàm bellica pertractemus

Baron. hic.

inquit)

Concilium a Richardo Cantuarien. Westmonasterii celebratum.

inquit hoc loco Cæsar Baronius) Dominica die ante Ascensionem Domini Concilium Westmonasteriense celebratur à Richardo Archiepiscopo Cantuariensi, ubi Româ, imbutus admonitione Pontificis in Angliam rediit: statutæ sunt in eo ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam Canones decem & octo, quos singulos Rogerius in Annalibus refert, eosdémque omnes concinnos & accommodatos decretis Romanorum Pontificum. Et inter alios, qui numeratur decimus quartus, prohibet ex decreto Alexandri tunc Romani Pontificis: Nè quis novam Præfationem, ultra decem, quæ essent in usu Romanæ Ecclesiæ, addere Missis, aliquo pacto præsumeret. hæc & alia ibidem conscripta, digna memoria.] Ita Baronius. Qui quoniam affirmat plura esse memoriâ posterorum digna: ingrediar paulò altiùs Londinensem hanc Synodum, dispiciam quæ ibi primùm gesta; inde quæ digesta in Canones: quia præcedentes, Regis in Ecclesiam præsumptio, Episcoporum inter se discordia, Cleri depressio, Laicorum inde auctæ in Clerum vires, sanctiorem Rempublicam sine dubio vulnerarunt adeò, ut nihil mirum sit, restitui debere plurima: & externis uti remediis, cum domestica non sufficerent.

II. *Neoburg. l. 3. c. 1*

Quo anno Concilium.

Quod ad tempus attinet celebratæ Synodi, ita Neoburgensis: [Anno à plenitudine temporis, quo veritas de terra orta est, millesimo centesimo septuagesimo quinto, qui fuit Regis Henrici vigesimus secundus, Provinciale Concilium Londoniis celebratum à Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, considentibus Suffraganeis, & aliarum Ecclesiasticarum personarum cætu copioso.] Qui hic dicitur annus vigesimus secundus, à Rogero (nec multum interest) vigesimus primus appellatur; uno completos annos, alio incompletos numerante, vocat Provinciale Concilium, cui Suffraganei tantum Episcopi adfuerunt. Sed quia Legatus ipse Apostolicæ Sedis, fortè Eboracensis Archiepiscopus venire jussus, renuit; ob inveteratam inter Cantuariensem & Eboracensem Sedem, de prærogativa quæstionem. Parkerus de hac Synodo scribens, disertè affirmat, Rogerum Eboracensem non venisse. Parisiensis *Generale Concilium* vocat, & Eboracensem Concilio noluisse interesse affirmat. Unde vocatum colligo, sed quoniam nuper Richardus, Diœcesim lustrans, in Contumaces Eboracensis Archiepiscopi Clericos anathematis sententiam dictaverat: inde novæ lites, novæ querimoniæ, non solùm hanc Synodum turbarunt, sed Romanam etiam Curiam, quæ postea, ut dicetur, ad componendos animorum motus, Legatum ex ea Sede submittere coacta est. Interim ad Londinensem Synodum venerunt hoc anno Eboracenses Clerici, & in Episcoporum præsentiâ contra Richardum Cantuariensem, qui excommunicationis sententiam indebitè protulerat, fortiter disputarunt: ursérunt etiam alia minùs concinnè. & plura causati sunt Cantuariensi Ecclesiæ admodum inimica, quæ factiosos fuisse satis convincunt: De quibus omnibus ita Rogerus:

Antiq. Brit. in Richardo Cant. Paris hic.

Eboracensis non venit ad Concilium.

III. *Roger fol. 344.*

[In quo Concilio, Clerici Rogeri Eboracensis Archiepiscopi calumniati fuerunt jus Eboracensis Ecclesiæ pro Cruce portanda in Cantuariensi diœcesi. Quod tamen, ut supra vidimus, Alexander nuper ne fieret, caveat. Sequitur. Præterea calumniati sunt ex parte Eboracensis Archiepiscopi, Episcopatum Lincolniensem, & Episcopatum Cestrensem, & Episcopatum Wigorniensem, & Episcopatum Herefordensem de jure pertinere debere, ad Metropolitanam Eboracensium Ecclesiam. Et super hoc prædictum Archiepiscopum Cantuariensem appellaverunt ad Romani Pontificis præsentiam. Præterea appellaverunt ipsum Cantuariensem Archiepiscopum ad Romanum Pontificem, super injuriâ, & anathematis sententiâ, quam intulit Clericis Eboracensis Archiepiscopi, qui per eum ministraverunt in Ecclesiâ sancti Oswaldi de Gloucestriâ, pro eo quod ad illum venire nolebant ad ipsius summonitionem, prout Clerici suæ diœcesis fecerunt] Hæ fuerunt Eboracensium querelæ, quas Synodus ad superiùs tribunal, & à Romano Pontifice componendas retulit. Nec enim, opinor, aut stare Synodi judicio, aut Præsidis sententiam audire voluerunt. Dilata igitur contentio illa, potentiori brachio terminanda, & sequenti patebit summa factionis, cum Roma Judicem submittet.

Querelæ Cleri Eboracensis contra Richardum.

IV.

Aliud in Concilio actum, & feliciùs peractum est: cum Asaphensi Ecclesiæ, quæ sine Pastore plures annos luxerat, præficitur Episcopus. Dixi suprà Godefridum; sive, ut communior est dialectus, Galfredum Monumetensem, Asaphensem Episcopum, suorum contribulium infestatione, vel potiùs inopia pressum, sedem Ecclesiamque suam reliquisse, & ab Henrico Rege, Abbatiâ Abendoniæ donatum donec quietis, ut prætendebat, turbis, quietior ad Sedem remeare posset. Id ante plures annos factum, interim Asaphensi Sede vacante. Nunc ergo à Synodo postulatum ut illam, vel de novo alius impleret, vel denuò Galfridus ad illam rediret, Synodali præcepto, cogeretur. Quod ita Rogerus aperit: [In ipso (inquiens) Concilio, Clerici Ecclesiæ S. Asaf, petierunt à Cantuariensi Archiepiscopo: ut in vi obedientiæ præciperet Godefrido, Episcopo Sancti Asaf, ad Sedem Ecclesiæ suæ redire; cui præfuit Pontificali dignitate. Vel ut prædictus Archiepiscopus, alium Episcopum loco illius institueret. Ipse enim Godefridus Episcopatum suum deseruit, paupertate, Wallensium infestatione compulsus: veniensque in Angliam à Christianissimo Rege Henrico benignè & honorificè susceptus est, cui & tradidit Abbatiam Abendoniæ vacantem, in custodia: donec ad propriam Sedem liberum haberet regressum. Itaque præfatus Cantuariensis Archiepiscopus in ipso Concilio, ad instantiam prænominatorum Clericorum, & admonitione Alexandri Summi Pontificis, nec non consilio Venerabilium Coëpiscoporum suorum, convenit jam dictum Godefridum: ut in vi obedientiæ ad propriam Sedem rediret: vel Curam Pastoralem, quæ sibi fuerat commissa, in manu ipsius liberè, & absolutè resignaret. Ipse verò Godefridus speratus quod Abbatia de Abendonia, quæ tradita ei fuerat in custodia, posset sibi remanere: Episcopatum suum nullo cogente resignavit in manu Cantuariensis Archiepiscopi, liberè & absolutè tradens ei annulum & baculum Pastoralem. Et sic deceptus amisit utrumque. Nam Rex dedit Episcopatum Sancti Asaf Magistro Adæ Wallensi: & Abbatiam de Abendona cuidam Monacho.] Hæc Rogerius.

Idem suprà

Godefridus Episc. S. Asaph, et Episcopatum et Abbatiam perdidit, quia vocatus ad suam Sedem non venit.

V. ADAM ASAPHENSIS EPISCOPUS.

Quid inde de Godefrido actum non reperio. Nam Cardinalem fuisse, licet id asserant Ponticus Virunnius, & Ciaconius, qui omnium Cardinalium vitas scripsit, assentire non possum. Ad successorem quod attinet, Godwinus, nescio qua fide affirmat Guilielmum cognomento Parvum, quem ego supra sæpè Neoburgensem dixi, Asaphensem sedem, à Godefridi cessione, ambivisse: sed repulsum, & à Davide Walliæ Principe parùm amicè susceptum: in Godefridum inprimis, & omnem gentem calamum strinxisse. Sed mirum esset, & incongruum, ut qui Parvus esse, & vocari voluit, affectaret Infulam. Illud certum non illum, sed Adamum Asaphensem sedem hoc anno implesse, usque ad annum hujus sæculi octogesimum, quando Oxonii decumbens moritur, & in Osneiensi cœnobio voluit mortuus sepeliri.

VI. REX CUM FILIO TRANSFRETAT E NORMANNIA. Hoveden. fol. 542.

Dum hæc in Londinensi Concilio ventilantur; Henricus senior, è Normaonia solvens in Angliam trajecit, unáque Henricus, qui rectâ Londinum venientes Episcoporum Concilio adesse, & præsentiæ suæ authoritate Synodi decreta firmare voluerunt: de quo Rogerus: *Rex Pater, & Rex filius transfretaverunt, & applicuerunt in Angliâ apud Porsmouth septimo Idus Maii, feria sextâ, & venientes Lundoniae invenerunt Richardum Cantuariensem Archiepiscopum apud Westmonasterium celebraturum Concilium die Dominicâ ante Ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt omnes ferè Episcopi, & Abbates Cantuariensis diœcesis. Et coram prænominatis Regibus, & Episcopis, & Abbatibus, Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, in eminentiori loco constitutus hæc decreta subscripta promulgavit.*

QUINAM PRÆLATI VENERUNT AD CONCILIUM.

CANONES CONCILII

Ideo in Ecclesiâ Dei, secundum antiquam Patrum consuetudinem, Concilia congregantur; ut hi, qui constituti sunt in eminentiori curâ Pastorali, vitam subditorum, de communi consilio, regularibus institutis informent: & enormitates quæ pullulant incessanter, consultiore censurâ compescant. Nos itaque potiùs inhærentes Orthodoxorum Patrum regulis, quàm aliquid de novo statuentes: quædam certa Capitula dignum duximus in medium promulganda: quæ universis provincialibus nostris firmiter & inviolabiliter observanda injungimus. Omnes enim sacrorum censemus Canonum transgressores, qui statutis hujus sacro-sanctæ Synodi præsumpserint contraire.

VII. CANON PRO CONTINENTIA CLERICORUM.

Si quis Sacerdos vel Clericus, in sacris Ordinibus constitutus, Ecclesiam vel Ecclesiasticum beneficium habens, publicè fornicariam habeat: & semel, secundò, & tertiò commonitus, fornicariam suam non dimiserit: & à se penitùs non expulerit; sed potiùs in immunditiâ suâ duxerit persistendum; omni officio & beneficio Ecclesiastico spolietur. Si qui verò infra subdiaconatum constituti Matrimonia contraxerint: ab uxoribus suis, nisi de communi consensu ad religionem transire voluerint; & ibi in Dei servitio jugiter permanere; nullatenus separentur. Sed cum uxoribus viventes Ecclesiastica beneficia nullo modo percipiant. Qui autem in Subdiaconatu, vel supra, ad Matrimonia convolaverint; mulieres etiam invitas, & renitentes relinquant. Decrevimus etiam ejusdem Epistolæ auctoritate, ne filii Sacerdotum, in paternis Ecclesiis à modo personæ instituantur: nec eas qualibet occasione, mediâ non intercedente persona, obtineant.

NON ADEANT TABERNAS.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, edendi vel bibendi causâ, tabernas non ingrediãtur: nec publicis potationibus intersint: nisi peregrinationis necessitate cõpulsi. Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.

NON AGITENT CAUSAM SANGUINIS.

His qui in sacris Ordinibus constituti sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Unde nos prohibemus, ne aut per se membrorum truncationes faciant, aut infirendas judicent. Quod si quis tale fecerit; concessi ordinis privetur officio, & loco. Inhibemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos habeat Vice-comitatum, aut Præpositi sæcularis officium.

NON NUTRIANT COMAM.

Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam inviti tondeantur, vestimentis etiam vel calceamentis, nisi quæ honestatem, & religionem deceant, eos uti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat.

VIII.

Quia quidam Clerici desperantes ab Episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem; extra provinciam suam, interdum etiam à transmarinis Episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur; ignota sigilla Episcopis suis deferentes: statuimus talium ordinationem irritam esse habendam. Sub interminatione Anathematis inhibentes: ne à quoquam, ad officii sui executionem suscipiantur. Episcopum quoque nostræ jurisdictioni, qui talem sciens, & prudens ordinaverit, vel susceperit: ab illius ordinis collatione, ad quem eum ordinavit, vel suscepit, usque ad condignam satisfactionem, se noverit esse suspensum. Item cum Ecclesia Dei secundum Evangelicam veritatem, domus esse debeat, & non spelunca latronum, & sanguinis forum: sæculares causas, in quibus de sanguinis effusione, vel de pœnâ corporali agitur, in Ecclesiis vel cœmiteriis agitari, sub interminatione Anathematis (prohibemus.) Absurdum enim est, & crudele, ibi sanguinis judicium exerceri, ubi & reis constituta est tutela refugii.

NIL EXIGANT PRO SACRAMENTIS.

Dictum est, solere in quibusdam locis, pro perceptione Chrismatis nummos dari: similiter pro Baptismo, & Communione. Hæc Simoniacæ hæresis esse detestata est sancta Synodus, & anathematizavit. Statuimus ergo ut de cætero, nec pro Ordinatione, nec pro Chrismate, nec pro Baptismo, nec pro Extrema-unctione, nec pro Sepultura, nec pro Communione, nec pro Dedicatione quicquam exigatur. Sed gratis dona Christi, gratuita dispensatione donentur. Si quis contra hoc facere præsumpserit, anathema sit.

EPISCOPUS NIL ACCIPIAT A MONACHO.

Nullus Prælatus in recipiendo Monacho, vel Canonico, vel sanctimoniali, pretium sumere, vel exigere ab his qui ad conversionem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat. Si quis autem hoc fecerit, Anathema sit.

Nulli liceat Ecclesiam nomine Dotalitii ad aliquem transferre; vel pro præsentatione alicujus personæ pecuniam; vel aliquod emolumentum pacto interveniente, accipere. Quod si quis fecerit & inde in jure, vel confessus, vel convictus fuerit; ipsum, tam Regiâ, quam nostrâ fieri authoritate, patrocinio ejusdem Ecclesiæ in perpetuum privari statuimus.

IX. NON NEGOTIENTUR CLERICI OB LUCRUM.

Secundùm instituta Patrum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici, causa lucri negotientur: Et ne Monachi à Clericis, vel laicis firmas teneant: neque laici Ecclesiastica beneficia ad firmas suscipiant.

NON INCEDANT ARMATI.

Quicumque ex Clero videntur esse, arma non portent, nec armati incedant: sed professionis suæ vocabulum, religiosis moribus, ex religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiasticæ authoritatis prophanatores proprii gradus amissione mulctentur: quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

Illud

Illud etiam de Vicariis, qui Personis fide & Sacramento obligati sunt, duximus statuendum: quod si fide, vel Sacramenti religione contemptâ, Personatum sibi falsò assumentes contra Personas se erexerint; super hoc in jure, vel confessi, vel convicti fuerint, de cætero in eodem Episcopatu, ad officii sui executionem non admittantur.

DECIMÆ DENTUR.

Omnes Decimæ terræ, sive de frugibus, sive de fructibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia multi modo inveniuntur, Decimas dare nolentes: Statuimus ut juxta Domini Papæ præcepta, admoneantur semel, secundò, & tertiò, ut de grano, de vino, de fructibus arborum, de fœtibus animalium, de lana, de agnis, de butyro & caseo, de lino, & canabe, & de reliquis quæ annuatim renovantur Decimas integrè persolvant. Quod si commoniti non emendaverint, anathemati se noverint subjacere.

Item calumniam & audaciam temerè litigantium condemnando in expensas, & alio multiplici remedio Imperialis sanctio compescat. Quoniam igitur hoc sacris institutis consonare dignoscitur; præcipimus ut de cætero in causis pecuniariis, quæ inter clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expensis. Qui autem solvendo non fuerit, eum in arbitrio Episcopi sui, puniendum relinquo.

X. DE PRÆFATIONIBUS.

Invenimus tantum decem Præfationes in sacro Catalogo recipiendas. Unam in Albis Paschalibus: Et te quidem omni tempore. *Secundam, in die Ascensionis:* Qui post Resurrectionem. *Tertiam, in Pentecoste* Qui ascendens super omnes cœlos. *Quartam de Natali:* Quia per incarnati Verbi mysterium. *Quintam, de apparitione Domini:* Quia cum Unigenitus tuus. *Sextam, de Apostolis:* Et te Domine suppliciter exorare. *Septimam, de Sancta Trinitate:* Qui cum Unigenito tuo. *Octavam, de Cruce:* Qui salutem humani generis. *Nonam, de jejunio Quadragesimali tantummodo dicendam:* Qui corporali jejunio. *Decimam, de Beata Virgine:* Et te in Veneratione Beatæ Mariæ. *Hujus igitur decreti, & Domini Papæ auctoritate districtè præcipimus, ut nullus præfatis Præfationibus aliquam omnino præsumat adjicere.*

NON PORRIGANT INTINCTAM EUCHARISTIAM.

Inhibemus ne quis, quasi pro complemento, intinctam alicui Eucharistiam tradat. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus: excepto illo tantum discipulo, quem intinctâ buccellâ magistri proditorem ostenderit, non quæ Sacramenti hujus institutionem signaret.

NON CONSECRETUR IN STANNO, SED AURO VEL ARGENTO.

Præcipimus ne consecretur Eucharistia, nisi in calice aureo, vel argenteo: & ne stanneum calicem aliquis Episcopus a modo benedicat, interdicimus.

NON FIANT OCCULTÆ NUPTIÆ.

Nullus fidelis cujusq; conditionis sit, occultè nuptias faciat: sed benedictione acceptâ a Sacerdote publicè nubat in Domino. Si quis Sacerdos aliquos occultè conjunxisse inventus fuerit, triennio ab officio suspendatur.

NON CONJUGANTUR IMPUBERES.

Ubi non est consensus utriusque non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, nihil faciant: nisi uterque puerorum, postquam venerint ad tempus discretionis consentiat. Hujus ergo decreti auctoritate inhibemus; ne de cætero aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus constitutam, & à Canonibus determinatam non pervenit, conjungantur: nisi fortè aliquando urgente necessitate interveniente pro bono pacis conjunctio talis toleretur. Hactenus Concilii decreta, quorum suprà meminit Baronius.

XI.

Sequitur Norwicensis Episcopi electio atque consecratio, nam Ecclesiam illam a morte Guilielmi superiori anno vacasse diximus. Itaque [anno salutis millesimo centesimo septuagesimo quinto (inquit Godwinus) Joannes Oxoniensis, Sarisburiensis Archidiaconus, in Episcopum hujus Ecclesiæ consecratus est] Ita paucis negotium absolvit. Alii fusius Episcopos convenisse narrant, & ona utrumque Regem: quorum opera am Norwicensi Ecclesiæ, quàm plurimis monasteriis de Pastoribus provisum. Ita ergò hæc narrat ad hunc annum Rogerus: [Eodem anno in octavis Nativitatis S. Joannis Baptistæ: Venerunt ambo Reges apud Woodstoke: & occurrerunt eis illuc Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, & Richardus Wintoniensis Episcopus, & Reginaldus Bathoniensis Episcopus, & Jocelinus Saresbiriensis Episcopus, & Rogerus Wigorniensis Episcopus, & Gaufridus Eliensis Episcopus, & Joannes Cicestriensis, & Walterus Roffensis Episcopus, & Bartholomæus Exoniensis Episcopus, & Hugo Dunelmensis Episcopus, qui illuc venerat pro negotio suo. Venerunt etiam illuc omnes Abbates Cantuariensis diœcesis, & magnum celebraverunt Concilium, de Pastore eligendo ad Sedem Pontificalem Norwicensis Ecclesiæ, & de Pastoribus eligendis ad Abbatias, quæ tunc vacabant per Angliam. Videlicet Abbatia de Grimesby, Abbatia de Crowland, Abbatia de Thorney, Abbatia de Holmo, Abbatia de Westminster, Abbatia S. Augustini Cantuariæ, Abbatia de Bello, Abbatia de Hida, Wintoniæ, Abbatia de Abenduoe, Abbatia de Abbotesbery, Abbatia de Michenia. Joannes verò de Oxeneforde clericus Regis electus est ad Episcopatum Norwicensis Ecclesiæ, & consecratus est a Richardo Cantuariensi Archiepiscopo. Prædictæ autem Abbatiæ, distributæ sunt viris religiosis, sicut Domino Regi, & prædicto Archiepiscopo placuit.] Quatuor Abbatum nomina recitat Robertus in Chronico Sigeberti, ad annum 1176. [Prior Cantuariensis (inquit) factus est Abbas de Bello: Petrus, Prior Montis-acuti, Hidæ. Prior Bermondesei, Abbendoniæ: Prior Wintoniæ, Westmonasterii.]

Godwin. in Norwicen.

JOANNES OXONIENSIS NORWICEÑ. EPS.

Hoveden. fol. 344.

XII.

Ita Londinensi Synodo finis impositus, sed non controversiæ, quam Eboracenses contra Cantuariensem Richardum super Ecclesiarum suarum prærogativa excitarunt: quam ad Romanum tribunal, & Rex Henricus, & omnis Synodus censuit remittendam. Hinc Romam itum, petitúmque omnium nomine, Delegatum cum summa potestate in Angliam inde mitti, qui litem decideret. Et æquissimo postulato Alexander annuit, misitque hoc ipso anno à latere nuntium. de quo Baronius de Londinensi Synodo agens: [In eodem (inquit) Concilio pertractatæ sunt complures Ecclesiasticæ controversiæ diversi generis. Sed lx majoris momenti, quæ emerserant inter duos ipsos primarios Angliæ Archiepiscopos, nempe Cantuariensem, atque Eboracensem. Quæ quidem; quoniam maximi ponderis esse viderentur; delatæ sunt per appellationem ad Apostolicam Sedem. Quarum causa, Rege petente, ab Alexandro Romano Pontifice decreta est in Angliam Legatio à latere, per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem Sancti Michaëlis Hugezum de Petro Leone implenda.] Ita Baronius: Parisiensis noster paulò aliter Cardinalem, & hoc anno in Angliam venisse affirmat: nimirum sub anni

Baron. hoc.

LEGATUS A LATERE MITTITUR ROMA, AD COMPONENDAM CONTROVERSIAM INTER CANTUARIEÑ. ET EBORACEÑ.

Paris hic.

finem. [Hugo , inquit) Petro Leonis, Diaconus Cardinalis, venit Legatus in Angliam, & præstitit authoritatem tradendi Cl ricos ante Judicem sæcularem pro forisfacto Forestæ, & laico feudo, in favorem Regis.] uod infra excutiendum. nam majoris momenti ventilata priùs, decisa tamen si tamen decis posteriùs fuit. Dicat ergò Legati adventum, r sque ab eo gestas Rogerus.

XIII. *Hoveden. fol. 547.* REX HUMANITER EXCIPIT NŪCIUM APOSTOLICUM.

[Eodem anno paulò ante festum omnium Sanctorum, applicuit in Anglia qui am Cardinalis, nomine Hugozun, Apostolicæ Sedis Legatus pro quo Dominus Rex Romam miserat. Et invenit Dominum Regem apud Wintoniam. Et Dominus Rex venit ei obviam, & Henricus filius ejus cum eo · & eum cum debito honore susceperunt. Et Dominus Rex per aliquot dies moram faciens apud Wintoniam diutissimè tractavit de pace faciendâ inter Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, & Richardum Cantuariensem Archiepiscopum: & de Capellâ S. Oswaldi Glocestriæ: & de Cruce Archiepiscopi E oracensis portandâ. Et tandem, per consilium Regis, inter prædictos Archiepiscopos in hunc modum convenit. Quod scilicet Archiepiscopus Cantuariensis, quietam * clamavit Archiepiscopo Eboracensi, & liberam ab omni jurisdictione suâ, Capellam S. Oswaldi; sicut Dominicam Capellam Domini Regis: & absolvit Clericos Eboracensis Archiepiscopi, quos excommunicaverat. Et de Cruce portanda, & aliis controversiis, quæ inter Ecclesias erant, starent judi io Rothomagensis Archiepiscopi, & aliorum vicinorum Episcoporum de regno Franciæ. Et quod sic pacem inter se haberent per quinquennium. ita quod neuter illorum alteri malum vel damnum quæreret, donec controversia illa determinata esset, & ad debitum finem perducta, per prædictum Archiepiscopum, & alios Episcopos. Sequitur in auctore, quod Parisiensis suprà, unicum & singulare in Cardinalis Legatione adnotavit. [Prædictus autem Hugezun Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus, dedit Domino Regi licentiam implacitandi Clericos regni sui, de forestis suis, & de captione Venationis.]

* *quieta clamantia, est juris sui renunciatio.*

CONVENIUNT CANTUARIENSIS ET EBORACENSIS.

NUNCIUS DAT REGI VENIAM IMPLACITANDI CLERICOS DE FORESTIS SUIS.

XIV. Nec aliud occurrit hoc anno à Cardinali factum: mansit ille in Angliâ ad annum usque sequentem; quando convocatâ Episcoporum Synodo, conatus est aliqua stabilire. fecissetque, nisi Rogeri Eboracensis iniquitas, & dominandi libido obstitisset: de quo anno sequenti. Interim Richardus Cantuariensis Abbatem Petriburgensem pro merito tractavit, qui religiosæ modestiæ oblitus, turbas in monasterio excitavit. de quo hujus temporis auctor fidelissimus. Eodem anno inquit ad hunc annum Rogerus) Richardus Cantuariensis Archiepiscopus deposuit Willielmum de Waltervile Abbatem, Abbatem S. Petri e Burgo, pro eo quod ipse violenta manu, & armatâ, claustrum suum infregerat & reliquias Sanctorum, unà cum brachio S. Oswaldi Regis & Martyris asportare volebat. In quorum defensione monachi, & ministri Ecclesiæ quidam vulnerati, & quidem interfecti sunt. Hujus tamen defensionis summa, & principalis causa fuit; quòd Dominus Rex eum oderat, propter Walterum de Waltervile fratrem suum, quem ipse cum cæteris inimicis Re receptaverat tempore hostilitatis.

Hoveden. fol. 547. RICHARDUS CANTUARIEN. DEPONIT ABBATEM S. PETRI DE BURGO.

XV. A , ad alteram Rempublicam transeo, redeoque ad hujus anni exordium, ut Henrici Regis vestigia legens, colligam spolia, eáque opima, quæ ipse post victoriam sui, quæque amplissima fuerunt, consequutus st. Nec enim domesticos solùm, aut sibi in Galliâ & Anglia jure dominationis olim subditos. sed Hiberniam Scotiámque magis quàm antea ad servitutis jugum faciles habuit, ut just icetur Christus in sermonibus suis, cum ait: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* Henricus Rex id speravit complendum; quia tristi experimento alterius lemmatis partem didicerat. se exaltat, & Ecclesiæ dominari contendit, humiliabitur. Dicat ergò Rogerus Henrici Regis prospera post hostes devictos, & pacem Reipublicæ utriusque. [Anno gratiæ (inquit ille millesimo centesimo septuagesimo quinto, qui est annus vigesimus primus Regni Regis Henrici secundi fi ii Mathildis Imperatricis: Idem Rex fuit in Normannia apud Argentonium in festo Nativitatis Domini: & in Purificatione Sanctæ Mariæ ipse Rex & filius ejus fuerunt apud Cenomannum: & inde redierunt in Normanniam, & habuerunt colloquium apud Gisortium, cum Ludovico Rege Francorum. Et cum inde venissent in Normanniam apud Burum, Rex filius, ut omnem ambiguitatem ab animo Patris sui tolleret, devenit homo suus Ligius, & juravit ei fidelitatem contra omnes homines, coram Rotrodo Rothomagensi Archiepiscopo, & Henrico Baiocensi Episcopo, & Willielmo Comite de Mandevilla, & Richardo de Humez constabulario, & aliis multis de familiâ utriusque Regis. Et post Pascha venerunt Cadomum, obviam Philippo Comiti Flandriæ, qui paulò ante Crucem Jerosolymitanæ peregrinationis acceperat. Adversus quem Rex Pater effecit: quod ipse quietum clamavit Regem filium ab omni conventione, quam cum eo fecerat tempore hostilitatis. Et Comes Flandriæ tradidit in manu Regis Patris, chartam Regis filii, quam habuit de supradicta conventione. Et ipsi confirmaverunt prædicto Comiti redditum, quem ipse annuatim percipere solebat in Angliâ, ante guerram. Rex verò Pater, misit Richardum filium suum in Pictaviam; & Gaufridum filium in Britanniam: præcipiens ut castella, quæ firmata, vel inforciata fuerant tempore guerræ, redigerentur in eum statum, quo fuerant quindecim diebus ante guerram.] Ita ille: & habes in Galliâ, omnia quieta.

Hoveden. fol. 548. PROSPERA HENRICI POST HUMILIATIONEM.

HENRICUS FILIUS HOMO LIGIUS PATRIS.

IN GALLIA OMNIA QUIETA.

XVI. Scotorum Rex Guilielmus ab anno superiori, ibi apud Falesiam vinctus tenebatur; quem data cautione permisit in Scotiam abire; ut pacta promissáque ejus illius regni consensu & suffragio firmarentur. Unde Thomas Walsinghamus cum captum Regem, & Henrico præsentatum dixisset anno millesimo centesimo septuagesimo quarto: mox addit: [Anno sequenti, 15. Kalendas Maii, idem Rex Wilhelmus permissus est liberè abire. Postea verò apud Eboracum anno eodem, septimo decimo Kalend. Septembris: Idem Wilhelmus Rex Scotorum, de consensu Prælatorum, Comitum, Baronum, & Procerum, & aliorum Magnatum regni Scotiæ, Domino suo Regi Angliæ, Henrico, filio Mathildis Imperatricis, suis literis patentibus cavisse noscitur, quod ipse & heredes, & successores sui, Reges Scotiæ, Episcopi, Abbates, Priores, Comites, & Barones, & alii homines

Walsing. in Edoardo I. fol. 82. REX SCOTIÆ CUM PROCERIBUS SUIS IURAT FIDELITATEM REGI HEN.

regni

regni Scotiæ, de quibus Dominus Rex Henricus habere voluerit: Facient Domino Regi Angliæ homagium, fidelitatem, & ligismentum, & ut ligio Domino suo, contra omnem hominem obedient. Et in signum subjectionis, Capellum suum, & cellam, atque lanceam super Altare Beati Petri obtulit, quæ in eadem Ecclesia usque in hodiernum diem remanent & servantur. Item Episcopi, Comites, & Barones dicti Regni Scotiæ conventionaverunt (ut verbis utamur hujusmodi conventionis) cum Domino Rege Angliæ, & Henrico filio ejus, prædictis: Quod si Rex Scotiæ, aliquo casu, à fidelitate Regis Angliæ, & conventione prædicta recederet: ipsi cum Rege Angliæ tenebunt, sicut eum Ligio Domino suo contra Regem Scotiæ, quousque ad fidelitatem Regis Angliæ redeat.] Ita Walsinghamus. Idem habet Parisiensis, in eo disenrs, quod conventionem hanc referat ad sextũ Idus Decembris. Neuter locum conventionis explicat, licet Ecclesiam nominent S. Petri.

XVII. *Hoved. fol. 145.* CONVENIUNT REGES EBORACI

Melius itaque Rogerus: [Ambo Reges, inquit, perrexerunt Eboracum: ubi occurrerunt eis Willielmus Rex Scotorum, & David frater ejus ferè cum universis Episcopis & Abbatibus, & aliis magnatibus terrarum suarum. Et ibi renovata est pax, & finalis concordia, quam prædictus Rex Scotiæ fecerat cum Domino suo Rege Angliæ Patre, apud Falesiam, dum esset in captione ejus, coram Rege filio suo, & Rogero Eboracensi Archiepiscopo, & Hugone Dunelmensi Episcopo, & Comitibus & Baronibus Angliæ, & coram Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, & Baronibus de regno Scotiæ, in Ecclesia Sancti Petri Eboraci lecta est, & concessa in hunc.] De hac Ecclesia, quæ in Eboracensi urbe princeps est, ab Edwino Sancto Rege & Martyre cœpta, & ab Oswaldo Rege Sancto & Martyre perfecta est; dixi ad annum Domini sexcentesimum trigesimum quintum.

V. an. 635. 24.

In hujus Ecclesiæ thesauro (ut loqui videtur Parisiensis) servata est Charta Regia sive diploma subjectionis Scotorum. Sic enim ille loquitur, cùm chartæ solùm exordium retulisset. [Hæc est (inquit) forma chartæ veræ, quæ est in thesauro; ubi appensa sunt omnia sigilla Episcoporum & Baronum Scotiæ.] Sed integrum diploma noluit exponere; fortè quis longum illud, & de more aliquando barbarum. Ego non possum illud præterire, quia Henricum supra pœnitentem, & humiliatum exposui: nune debeo regnantem propterea, & triumphantem dicere. Est ergo hujusmodi.

Paris. hic.

XVIII. *Apud Hoved. supra.* CHARTA HOMAGII QUOD PRÆSTITIT REX SCOTIÆ HENRICO

[Willielmus Rex Scotiæ devenit homo ligius Domini Regis contra omnes homines de Scotia, & de omnibus aliis terris suis: Et fidelitatem fecit, ut ligio Domino suo: sicut alii homines sui ipsius facere solent. Similiter fecit homagium filio suo Henrico Regi, salva fide Domini Regis Patris sui. Omnes verò Episcopi, Abbates, & Clerus terræ Regis Scotiæ, & successores sui facient Domino Regi sicut ligio Domino fidelitatem de quibus habere voluerit: sicut alii Episcopi suiipsi facere solent & Henrico Regi filio suo, & hæredibus eorum. Concessit autem Rex Scotiæ, & David frater ejus, & Barones, & alii homines sui Domino Regi; quod Ecclesia Scotiæ talem subjectionem amodo faciet Ecclesiæ Angliæ; qualem illi facere debet, & solebat tempore Regum Angliæ prædecessorum suorum. Similiter Richardus Episcopus Sancti Andreæ, & Richardus de Dunfeldjen, & Gaufridus Abbas de Dunfermelin, & Herbertus Prior de Coldingham, concesserunt ut etiam Ecclesiæ Anglicanæ illud habeant jus in Ecclesias Scotiæ, quod de jure debet habere: & quod ipsi non erunt contra jus Anglicanæ Ecclesiæ. Et de hac concessione, sicut quando ligiam fidelitatem Domino Regi, & Henrico filio suo fecerunt, ita eos inde assecuraverunt. Hoc idem facient alii Episcopi, & Clerus Scotiæ per conventionem, inter Dominum Regem, & Regem Scotiæ, & David fratrem suum, & Barones suos factam. Comites etiam & Barones, & alii homines, de terra Regis Scotiæ, de quibus Dominus Rex habere voluerit, facient ei homagium contra omnem hominem, & fidelitatem, ut ligio Domino suo; sicut alii homines sui facere ei solent, & Henrico Regi filio suo, & hæredibus suis salvâ fide Domini Regis Patris sui. Similiter hæredes Regis Scotiæ, & Baronum, & hominum suorum homagium, & ligantiam facient hæredibus Domini Regis contra omnem hominem.

XIX. NE FELONES VE… IN SCOTIA VE… IN ANGLIA F… VEANTU…

Preterea Rex Scotiæ, & homines sui nullum amodo fugitivum de terra Domini Regis pro felonia receptabunt in Scotia, vel in alia terra sua; nisi voluerit venire ad rectum in curia Domini Regis, & stare judicio Curiæ: Sed Rex Scotiæ & homines sui, quàm citiùs poterunt, eum capient & Domino Regi reddent, vel Justitiariis, vel Ballivis suis in Anglia. Si autem de terra Regis Scotiæ aliquis fugitivus fuerit pro felonia in Anglia: nisi voluerit venire ad rectum in Curia Domini Regis Scotiæ, & stare judicio Curiæ, non receptabitur in terra Regis, sed liberabitur hominibus Regis Scotiæ, per Ballivos Domini Regis, ubi inventus fuerit. Præterea homines Domini Regis habebunt terras suas, quas habebant, & habere debent de Domino Rege, & hominibus suis: & de Rege Scotiæ, & de hominibus suis. Et homines Regis Scotiæ habebunt terras, quas habebant, & habere debent, de Domino Rege, & hominibus suis. Pro ista verò conventione, & fine firmiter observando Domino Regi, & Henrico filio suo, & hæredibus suis, à Rege Scotiæ & hæredibus suis liberavit Rex Scotiæ Domino Regi castellum de Rokesburch, & castellum de Berewic, & castellum de Seddewurde, & castellum Puellarum, & castellum de Striveline, in misericordia Domini Regis. Et ad custodienda castella illa assignabit Rex Scotiæ, de redditu suo mensurabiliter ad voluntatem Domini Regis. Præterea pro prædicta conventione, & fine exequendo liberavit Rex Scotiæ Domino Regi, David fratrem suum in obsidem, & Comitem Duncanum, & Comitem Waldevum, & Comitem Gilbertum, & Comitem de Anegus, & Richardum de Moreville constabularium, &c.] Hic plures Scoti nominantur obsides, quos omitto. Sequitur.

OBSIDE… QUI SCOTORUM…

XX. REDDITIS CASTELLIS LIBERANDUS REX SCOTIÆ.

[Quando verò castella reddita fuerint: Willielmus Rex Scotiæ, & David frater suus liberabuntur: Comites quidem & Barones prænominati, unusquisque postquam liberaverit obsidem suum: scilicet filium legitimum, qui habuerit, & alii nepotes suos, vel propinquiores sibi hæredes, & castellis (ut dictum est) redditis liberabuntur. Præterea Rex Scotiæ, & Barones sui prænominati

assecuraverunt; quod ipsi bonâ fide, & sine malo ingenio, & sine occasione, facient ut Episcopi, & Barones, & cæteri homines terræ suæ, qui non affuerunt, quando Rex Scotiæ cum Domino Rege finivit eandem ligantiam, & fidelitatem Domino Regi, & Henrico filio suo, quam ipsi fecerunt. & ut Barones, & homines qui affuerunt obsides liberabunt Domino Regi, de quibus habere voluerit. Præterea Episcopi, Comites, & Barones conventionaverunt Domino Regi, & Henrico filio suo: quod si Rex Scotiæ, aliquo casu à fidelitate Domini Regis, & filii sui, & à conventione prædicta recesserit, ipsi cum Domino Rege tenebunt, sicut cum ligio Domino suo, contra Regem Scotiæ, & contra omnes homines Regi inimicantes. Et ipsi sub interdicto ponent terram Regis Scotiæ, donec ipse ad fidelitatem Domini Regis redeat.

XXI. Prædictam itaque conventionem firmiter observandam, bona fide, & sine malo ingenio, Domino Regi, & Henrico filio suo & hæredibus suis, à Willielmo Rege Scotiæ, & David fratre suo, & à Baronibus suis prædictis, & hæredibus eorum, assecuravit ipse Rex Scotiæ, & David frater ejus, & omnes Barones ejus prænominati, sicut ligii homines Domini Regis, contra omnem hominem, & Henrici filii sui salva fidelitate Patris sui. Testibus his, Richardo Episcopo Abrincensi, & Joanne Sarisberiensis Decano (hunc supra Norwicensem Episcopum consecratum diximus,) & Roberto Abbate Malmesberiæ, & Radulpho Abbate de Mundeburg, & Herberto Archidiacono Northamtoniæ, & Waltero de Constantiis, & Rogero Capellano Regis, & Osberto clerico de Camera: Et Richardo filio Domini Regis, Comite Pictaviæ, & Gaufredo filio Domini Regis, Comite Britanniæ, & Comite Willielmo de Essex, Hugone Comite Cestriæ, & Richardo de Humez constabulario, & Comite de Mellent, & Jordano Thessun, & Humfrido de Bohun, & Willielmo de Curci, senescalco, & Gilleberto Malet, senescalco, apud Falesiam. His itaque recitatis in Ecclesia Sancti Petri Eboraci, coram prædictis Regibus Angliæ, & David fratre Regis Scotiæ, & universo populo: Episcopi, Comites, & Barones, & milites de terra Regis Scotiæ juraverunt Domino Regi Angliæ, & Henrico filio suo, & Hæredibus suis fidelitatem contra omnem hominem, sicut Ligiis Dominis suis.]

Testes conventionis.

XXII. E Testibus appositis colligo conventionem hanc priùs factam quàm Guilielmus Scotorum Rex è vinculis solveretur, in Gallia nimirum & & apud Falesiam. Cautum tamen ibi, ut eadem ab omni Scotorum regno quantociùs probaretur. Itaque superiori anno facta pactorum stipulatio, & libertati redditus captivus Rex, in Decembri: confirmatio ratique omnium habitio, & totius regni Scotorum suffragia, hoc anno decimo septimo Kalendas Septembris (ut *inpta Walsingamus) accesserunt. Sicque debet Parisiensis intelligi ad hunc annum ita scribens. [Eodem anno Willielmus Rex Scotorum, apud Falesiam tentus in vinculis, cum Rege Anglorum pacem fecit in hunc modum, sexto idus Decembris. Rex Scotorum devenit homo Ligius Regis Anglorum de regno Scotiæ, & omnibus terris suis, & homagium fecit ei & Ligantiam, ut Domino suo specia li, & Henrico filio ejus, salva fide Patris sui. Et similiter omnes Episcopi, cum Comitibus, & Baronibus de regno Scotiæ, de quibus Rex Anglorum homagium voluit, & fidelitatem habere. &c. Itaque Rex Scotorum datis obsidibus, rediit in Angliam sub libera deputatus custodia, donec castella quæ Regi pepigerat, pro illius arbitrio redderentur.] Hoc igitur anno sub Septembrem Ebotaci recitata sunt pacta, à Scotorum Rege, à Davide fratre, ab Episcopis, & omni ordine comprobata, castella reddita, & supremum Scotiæ Dominium, in Henrico Rege & hæredibus resedit.

*V. hic n.16 Paris. hic.

Conventio facta Falesiæ antequam Rex Scotiæ fuerit dimissus.

XXIII. Restat Hibernia, quam superioribus annis Henricus ingressus, litore quidem vicinisque provinciis potitus est; sed Rodericus Connactiæ Rex, qui se totius Hiberniæ Dominum jactitabat, Henrico subesse noluit, aut monarcham agnoscere. Nunc autem Anglorum Regis perspecta felicitate, noluit porrò cum eo contendere: sed submissis in Angliam Tuamensi Archi-Episcopo, regnique sui Cancellario, pacem petiit, omnem Henrico servitutem, quæ in Regem cadere posset, & tributi solutionem pollicitus. Nec abnuit Henricus, Reges sibi obsequentes habere. Quamobrem acceptâ Scotorum fide, & illa servitute; vix mense interjecto Connactiæ Regis Legati in Angliam appellunt: ubi Rex in publico Episcoporum & Procerum conventu, cum Hibernis eo ferè modo quo, nuper cum Scotis, paciscitur. Pactorum capita, ad posterorum memoriam Annalibus commendantur. De quibus ita Rogerus. [Eodem anno (nimirum millesimo centesimo septuagesimo quinto) Henricus Rex Pater magnum congregavit Concilium apud Windeshores in octavis festi Sancti Michaelis, præsentibus Rege Filio, & Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, & Episcopis Angliæ, & coram Laurentio Dublinensi Archiepiscopo: præsentibus etiam Comitibus, & Baronibus Angliæ. In quo Concilio Catholicus Tuamensis Archiepiscopus & Cantordis Abbas Sancti Brandani, & Magister Laurentius Cancellarius Regis Connactensis hunc finem & Concordiam fecerunt, cum Domino Rege Patre, ex parte Roderici Regis Conactæ.

Rex Conactæ noluit subesse Henrico

Hoved. fol. 545.

XXIV. Hic est finis & concordia, quæ facta fuit apud Windeshores, in octavis Sancti Michaelis, anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo quinto, inter Dominum Regem Angliæ Henricum filium Mathildis Imperatricis, & Rodericum Regem Connactæ, per Catholicum Archiepiscopum Tuamensem & Cantordem Abbatem Sancti Brandani, & Magistrum Laurentium Cancellarium Regis Connactæ. Scilicet: quod Rex Angliæ concedit prædicto Roderico Ligio homini suo, Regi Conactæ, quamdiu ei fideliter serviet: ut sit Rex sub eo, paratus ad servitium suum, sicut homo suus: Et ut teneat terram suam ita benè, & in pace, sicut tenuit, antequam Dominus Rex Angliæ intraret Hiberniam, reddendo ei tributum, & totam aliam terram: & habitatores terræ habeat sub se, & justitiet, ut tributum Regi Angliæ integrè persolvant, & per manum ejus sua jura sibi conservent: & illi qui modo tenent, teneant in pace, quamdiu manserint in fidelitate Regis Angliæ, & ei fideliter & integrè persolverint tributum, & alia jura, quæ ei debent, per manum Regis Conactæ, salvo in omnibus jure, & honore Domini Regis Angliæ, & suo. Et si qui ex eis, Regi Angliæ, & ei rebelles

Fit homo Ligius Henrici

Conditiones cum Rege Conactæ.

fuerint, & tributum, & alia jura Regis Angliæ per manum suam solvere noluerint: & à fidelitate Regis Angliæ recesserint: ipse eos justitiet & amoveat. Et si eos per se justitiare non poterit: Constabularius Regis Angliæ & familia sua, de terra illa, juvabunt eum ad hoc faciendum, cùm ab ipso fuerint requisiti, & ipsi viderint, quod necesse fuerit.

XXV. Rex Conactæ dat tributum.

Et propter hunc finem, reddit prædictus Rex Conactæ Domino Regi Angliæ tributum singulis annis, scilicet de singulis decem animalibus unum corium placabile mercatoribus, tam de tota terra sua, quàm de aliena. Excepto quod de terris illis, quas Dominus Rex Angliæ retinuit in dominio suo, & in Dominio Baronum suorum, nihil se intromittet; scilicet Divelina, cum pertinentiis suis, Nida cum omnibus pertinentiis suis, sicut unquam Marchat Vamailethlack lin eam meliùs & pleniùs tenuit aut aliqui qui eam de eo tenuerunt: Et exceptâ Wasefordia, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet cum tota Lagenia, & excepta Watersfordia, cum tota terra illa, quæ est à Waterford usque ad Duncarvan, ita quod Duncarvan sit cum omnibus pertinentiis suis infra terram illam. Et si Hibernenses qui aufugerunt, redire voluerint ad terram Baronum Regis Angliæ, redeant in pace reddendo tributum prædictum, quod alii reddunt, vel faciendo antiqua servitia, quæ facere solebant pro terris suis. Et hoc sit in arbitrio, & voluntate Dominorum suorum. Et si aliqui eorum redire noluerint, ad Dominum eorum Regem Conactæ: ipse cogat eos redire ad terram suam: ut ibi remaneant, & pacem habeant: Et Rex Conactæ accipiat obsides, ab omnibus quos ei commisit Rex Angliæ, ad voluntatem Domini Regis, & suam. Et ipse dabit obsides ad voluntatem Domini Regis Angliæ, illos vel alios, & ipsi servient Domino Regi, de canibus, & avibus suis, singulis annis, de præsentiis suis. Et nullum omnino de quacumque terra Domini Regis sit, retinebunt contra voluntatem & mandatum Domini Regis. His testibus: Richardo Episcopo Wintoniæ, Gaufrido Episcopo Eliensi; Laurentio Divilensi Archiepiscopo, Gaufrido. & Nicholao, & Rogero, Capellanis Regis: Willielmo Comite de Essex, Richardo de Luci, Gaufrido de Pertico, Regunaldo de Cortinea, & aliis multis.] Hactenus charta, de servitute Roderici Regis Conactæ.

XXVI.

Voluit etiam Henricus in hoc Windeshoriensi Concilio supremi dominii jurisque sui dictionis argumentum præbere: cùm ad vacantem ibi Ecclesiam Episcopum nominavit. Ita subdit Rogerus cùm pactorum legem recitasset: [In eodem (inquit) Concilio dedit Rex Angliæ Magistro Augustino Hibernensi Episcopatum Waterfordiæ qui tunc vacabat in Hibernia. Et misit eum in Hiberniam, cum Laurentio Divelniæ Archiepiscopo, consecrandum à Donato Casselensi Archiepiscopo.] Ita Rex Henricus, qui paulò antea turbatam ubique Remp. & Cives subditosque rebelles habuit nimium præsumendo, & supra alios Reges Ecclesiis dominando: cùm se, infra se, Regesque alios, heroico facinore, Ecclesiæ submisisset, meruit præ aliis Regibus triumphare: Nam præter Angliam, Normanniam, Pictaviam, Cenomanniam, & Britanniam denique pacatam ac quietam, nova Regum regnorumque accessione illustrissimè ornavit coronam Angliæ, modestè sanè potestate utens. Cùm enim omnes in Hibernia Reges, subditos sibique obsequentes haberet, Magnus, sine dubio monarcha: tamen, vel Romani Pontificis intuitu, vel suopte genio jam humilitatem docto, Regis Hiberniæ nomine abstinuit, Domini appellatione contentus. Quo titulo sequentes Reges aucti, ornatique sunt. Henricus verò cujus cor contritum & humiliatum Deus respexit, cùm Thomam Martyrem, in suum apud Deum patronum assumpsisset, illum præcipuo amore cultuque prosecutus est, in cujus rei argumentum Thomæ Martyris sororem ante biennium Abbatissæ dignitate auxit, de qua Parisiensis: [Anno millesimo centesimo septuagesimo tertio, Maria soror Thomæ Martyris, Rege jubente, facta est Abbatissa Berkingensis.]

Hoved. fol. 547

Dat Rex Episcopatum Waterfordiæ Augustino.

Meruit triumphare pro humilitate.

Paris. anno 1173.

ANNUS CHRISTI 1176.

ALEXANDRI III. PAPÆ 18.

HENRICI II. REGIS 22.

I. Deferuntur Episcopi ad Alexandrum quòd gregem negligant.

Anno Domini, qui sequitur, millesimo centesimo septuagesimo sexto, Anglorum Ecclesia, domi, forisque maculam contraxit, quæ domi difficiliùs potuit, quàm foris abstergi. Nescio qui religionem præ se ferentes, & zelum Ecclesiarum, Angliæ Episcopos ad Romanum Alexandrum detulerunt, quod neglecto grege, aut Curiam Regis, aut munera sequerentur. Alexander hanc maculam eluere conatus, monet Episcopos, & severè arguit, quod Ecclesiam in postremis, non in primis haberent. Hoc ægrè tulerunt Anglorum Episcopi, & calumniam reputantes, Primatem appellarunt, ut testimonium veritati perhiberet. Ille intercessit, scripsitque ad Alexandrum hasce literas.

Apud Pet. Blesen. Ep. 84

ALEXANDRO Dei gratiâ Summo Pontifici, RICHARDUS Cantuariensis Ecclesiæ Minister, devotum humilitatis, & obedientiæ famulatum.

II. Alexandro Richardus Cantuariensis defendit Episcopos.

Detractores Deo odibiles, serenitati vestræ, de nostris Episcopis, enormia suggesserunt: asserentes quod Venerabiles fratres nostri Richardus Wintoniensis, & Gaufredus Eliensis, atque Joannes Norvicensis Episcopi; sequentes odorem munerum, & omnino abjectâ sollicitudine Pastorali: militia, ne dicam malitia, curialis fluctibus se immergunt. Dicunt quod judicia sanguinis exercent: ideoq; tanquam viri sanguinum à sacris abstinent: & ad mensam Domini non accedunt. Ea propter accensa est adversus eos indignatio vestra, nobisq; pœnam indicitis, si excessus hujusmodi Canonicè non punimus. Inhonestum siquidem esset, graviq; animadversione dignissimum, si esset in hac parte os loquentium iniqua; veridicum sed mentita est iniquitas sibi. Nam ut excerpamus pauca de multis: Wintoniensi Episcopo nullus est afflictis compatientior: nullus in oculis suis humilior, nullus in altari devotior, nullus in beneficiis profusior. Unde sicut unguentum effusum est nomen ejus: & eleemosinas ejus enarrat omnis Ecclesia Sanctorum. Eliensis autem, ex quo juxta beneplaciti nostri formam, citra omnem infamiam tamen, & quasi ex abundanti, suam purgatione Canonicâ, innocentiam

declaravit : plene & efficaciter implevit Episcopum : sanctaque & honesta conversatione, mendaces ostendit qui maculaverunt innoxium. Ipse etiam Episcopus Norvicensis : cujus honestatem & prudentiam frequenter, dum ad vos mitteretur : à Domino Rege, diutina conversatione & experientiâ didicistis : Ecclesias suas pauperes invenerunt : sed possessiones earum prudenter & strenuè revocantes, & amplissimè dilatantes, ipsas nunc in statum optimum erexerunt.

III. Episcopi meritò intersunt Consiliis Regis.

Non est equidem novum, quod regum consiliis intersunt Episcopi. Sicut enim honestate & sapientiâ ceteros antecedunt : sic expeditiores & efficaciores in Reip. administratione censentur. Quia sicut scriptum est : minùs salubriter disponitur regnum, quod non regitur consilio sapientum. Scriptum etiam legitis. Væ terræ, cujus Rex puer est : & cujus Principes manè comedunt. Beata terra est, cujus Principes vescuntur tempore suo. In quo notatur eos consiliis Regum debere assistere ; qui sciant, & velint, & possint, patientibus compati, pacem terræ, ac populi saluti prospicere, erudire ad justitiam Reges, imminentibus occurrere periculis, ottaque maturioris exemplis informare subditos : & quadam auctoritate potestativâ præsumptionem malignantium cohibere.

3. Reg. 12. *Regnum Hebræorum temporibus Roboam non fuisset divisum, nec recessissent ab eo decem tribus, si prudentiores viros sibi consiliarios elegisset. Cùm esset*

1. Reg. 16. *Saul prophetam inter eos qui invocabant nomen Domini, regnum tamen David erexit, & firmavit ejus*

4. Reg. 20. *solium institutio Samuelis. Rex Ezechias oppressus à Sennacherib, & quasi in extremis angustiis constitutus ; per Isaiam civitatis liberationem, & beneficium consolationis obtinuit.*

Ibid. 6. *Elisæus acrisiam Syris induxit, & ejus beneficio Samaria obsessores converterunt in fu-*

Ibid. 11. *gam. Isiada sacerdos Joas filium Ochoziæ, à facie Athaliæ persequentis abscondit : quem cùm erexisset in Regem, sanctis eum moribus informavit. Sed Isiada*

2. Paral. 24 *mortuo, cæpit Joas à Dei legitimis declinare. Quem cùm Zacharias argueret, eum lapidibus obruit, &*

Ierem. 22. & 4. Reg. 25. *contrivit. In quo manifestissimè liquet, quàm utilis & necessaria sit conversatio, & doctrina justorum his qui populi regimen acceperunt. Nam temporibus Sedeciæ Regis non fuisset exterminatum regnum Judæorum, nisi adversus Jeremiam qui publicæ consulebat utilitati prævaluissent mendacia pseudo prophetarum.*

IV. Episcopi sunt apti Consiliarii Regum.

Unum noveritis : quia nisi familiares & consiliarii Regis essent, præfati Episcopi supra dorsum Ecclesiæ fabricarent hodie peccatores, & inhumaniter, & intolerabiliter opprimeret clerum præsumptio laicalis. Nunc autem si quid in Ecclesia attentatur injuriæ, auctoritate Pontificali corripitur. Aut si ad hoc Ecclesiastica censura non sufficit, spiritualis gladii defectus civili suppletur. Et ad eorum arbitrium principalis animadversio exercetur. Si quando ut solet, adversus insolens Regis indignatio vehementius excandescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus mansuescit circa simplices judiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur : revelatur pauperum indigentia, firmatur in clero libertas, pax in populis, in monasteriis quies, justitia liberè exercetur, superbia deprimitur ; augetur laicorum devotio, religio fovetur, diriguntur judicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent, & possessiones Ecclesiasticæ dilatantur. Isti singulis præcipuis solennitatibus suis intersunt Ecclesiis : ubi eleemosynarum largitione, consolatione pupillorum ac viduarum, subjectorum correctione, atque aliis sanctitatis operibus redimunt dies quos in curia consumpserunt. Porro Archiepiscopi, vel Episcopi, qui in curia Regis Siculi conversantur, per septennium aut decennium à curia non recedunt. Nec refert, vivant aut decesserint, quantum ad Ecclesiasticarum possessionum custodiam vel regimen animarum.

V. Quare non subtrahet prudentiores Episcopos a Consiliis Regis.

Ab hac equidem curialitate nostros quandoque volumus Episcopos prohibere, sed consiliosis & prudentibus viris, visa est expediens eorum habitatio circa Regem. quos si extraheremus à familiaritate illius : subtraheremus quietem monasteriis, oppressis solatium, Ecclesiis libertatem. Unde licet propter incommoditates varias, quas ibi sustinent, desiderio desiderarent egredi : publicæ tamen utilitatis obtentu, communi fratrum nostrorum consilio ; non solum in hac vita castrensi tolerari, sed ad eam etiam debuerant & compelli. Utilitatem itaque Anglicanæ Ecclesiæ, & malitiam detractorum, qui vobis veritati contraria suggesserunt, velitis Pater in libra æquitatis appendere, & quod super hoc in oculis vestris acceptum fuerit, nostræ parvitati, nuntio vel literis velitis intimare. Rei veritatem prius vobis declarari oportuit : ut ad hujus rei decisionem certius & confidentius procedatis. Nos autem cum receperimus vestræ sanctitatis oraculum, Apostolicæ jussionis executores efficaces erimus, & devoti. Conservet vos Deus Ecclesiæ suæ per tempora longa sanctissime Pater. Ita diluit crimen quod Anglorum Episcopis quidam objecerant, Richardus Cantuariensis : qui etiam aliis ad eundem Alexandrum literis, de Monasteriorum exemptionibus graviter conqueritur ; quis nimirum Episcopis obedientia subtrahitur. Benè literas claudendo advertit, ob Episcoporum tyrannidem exemptiones illas & privilegia emanasse : quod ante ipsum adverterat Magnus Gregorius Anglorum Apostolus in Constituto suo, quod ad annum sexcentesimum decimum superius retuli. Richardi Epistolam, & querulas voces *inferiùs referam.

V. Petrum Blesensem

*an. 1177. n. 16.

VI.

Abstersi nubes quæ Episcoporum vitam obscurarunt foris : utinam ita possem Rogeri Eboracensis Archiepiscopi causam tueri, aut immodestiam excusare, quam Londinensi Synodo hoc anno collecta, & in gravissimorum virorum consessu notatus est, & indignè habitus. Tegere illam non valeo, quia non solùm domestici omnes Annales, sed Conditor Annalium Baronius illam propalavit. Deflet illam Gulielmus Neoburgensis : qui cùm superioris anni Synodum retulisset mox addit. [Sequenti anno Hugo Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, nescio quid ordinaturus venit in Angliam. Qui cùm totius Angliæ generale Concilium celebraturus, favore adjutus Regio, utriusque Provinciæ, id est, Cantuariensis & Eboracensis Ecclesiasticas personas Lundonias convocasset : statuto Concilii die : cùm jam sumptis insignibus processurus esset ; facta est contentio vehemens inter ipsos Archiepiscopos, de prioratu sessionis in Concilio. Quippè illa Apostolica regula, honore invicem prævenientes à nostri temporis Episcopis ita est abrogata, ut sollicitudine Pastorali postpositâ, Episcopi quantò pervicaciùs, tantò & vaniùs de excellentia litigent : & omnis ferè Episcopalis controversia circa honorum prærogativa versetur. Denique Eboracensis maturiùs adveniens primam sedem præoccupavit, eandem sibi allegans competere ex antiquo B. Gregorii decreto, quo statutum noscitur, ut Metropolitanorum Angliæ ipse prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus. Cantuariensis verò solenniter positâ præoccupatæ sedis querelâ, secundam sedem, quasi passus præjudicium recusavit. mox subditis ejus ferociùs pro ipso æmulantibus, simplica ver-

Neuberg l. 3. c. 1.

Hugo Cardinalis Pontificis Legatus celebrat Concilium

borum

borum contentio crevit in rixam. Eboracensis autem, quoniam pars adversa fortior, loco præmaturè occupato, cum contumelia deturbatus, cappam conscissam, illatæ sibi violentiæ indicem, Legato exhibuit, & Cantuariensem ad Sedem Apostolicam provocavit. Metropolitanis ergo ita contendentibus, rebusque turbatis, Concilium non celebratum, sed dissipatum est.]

VII. AUTHOR FAVENTIOR EBORACEN.

Hic Author Eboracensis ipse gravi nimis censurâ sacrum Episcoporum ordinem perstringit, Eboracensi Archiepiscopo faventior. Nec enim simplex tantùm verborum contentio fuit, sed, si aliis adhibenda fides, Rogerus immodestè satis sibi sedem Cantuariensi paratam arrogavit: quod ita Parkerus refert in rem suam, quia & ipse Cantuariensem, non Dei, sed Elisabethæ Reginæ gratiâ ascendit. [Cùm dies (inquit) inchoandi Concilii aderat, Legatus in sublimi sedens solio, dextras Cantuariensi Archiepiscopo concessit. Sed Eboracensis, Regem sibi quàm Cantuariensi propitiorem sperans, sinistras respuit: & impudentissimè inter Legatum & Cantuariensem, natibus in-

Antiquit. Britan. in Richard.

oitens sedere, tandem in primatis sui gremio resedit. Vix tandem umbone suo, quo ad medium locum obtinendum decertavit Cantuariensem attigerat, cùm à plurimis tam Episcopis, quàm clericis, atque Laicis turpiter reprehensus est. Ministri Cantuariensis Archiepiscopi, facinoris indignitate, & justæ correptionis vehementiâ incitati, Eboracensem è Domini sui gremio eruptum, & humi dejectum, pedibus conculcant, & Archiepiscopalibus insignibus contumeliosissimè detractis, atque laceratis pugnis contundunt. At Cantuariensis, cùm suos tantâ irâ percitos avocare & continere non poterat: saltem ut discessu suo secum abduceret, Concilio exivit. Ministri Dominum sequuti, Eboracensem humi prostratum, vestibusque discerptis obsitum relinquunt. Tandem Eboracensis anhelitu frequenti respirans semianimis surgit. Ad Regem, qui cum filio suo Concilio intererat, horridus, squallidusque accedit: querelam contra Cantuariensem exponit. Rex accepto Eboracensis tantùm nuntio, in Cantuariensem primò incensus est; postea temeritatis & impudentiæ propriæ patefactâ veritate, eum tam ridiculum ludibriis & cachinnis affectum dimisit. Cùm jam à Rege Eboracensis, cum ignominia discederet: plerique cum clamoribus insecuti: Vade, Vade, inquiunt, traditor S. Thomæ, manus tuæ adhuc fætent sanguine. Ille autem miser non jam Thomæ, sed proprio madebat sanguine.] Hæc omnia Parkerus.

EBORACENSIS MALE TRACTATUR A MINISTRIS CANTUARIENSIS.

CACHINNIS ET CLAMORIBUS POPULI EXCIPITUR.

VIII. RELATIO PARKERI NON APPROBATUR.

Quæ ideo retuli, ut, quo impetu omnia scripserit: quâ modestiâ in controversiis exponendis agat, quo judicio prudentiaque authores referat, Lector intelligat. Neminem hactenus reperi qui tam irreligiose factum narret: neminem qui dicat ministros Cantuariensis justæ correptionis vehementia incitatos, tam fœdè infulam tractasse. Minùs quidem decenter Rogerus in primam, post Legatum, sedem se intrusit: sed magis indecenter Parkerus illud refert: Rudes admodum fuerunt qui nullâ reverentiâ Archiepiscopum pedibus pugnisque exceperunt. Sed rudior ille, qui justam fuisse correptionem asserit. Rogerus quidem in Sanctum Thomam paulò iniquior, Cantuariensis Ecclesiæ prærogativam, in Henrico filio coronando præsumpserat: & utriusque Regis gratiam præ Richardo Cantuariensi, ea arte inierat: unde factus audacior, indecorè contendit: sed Parkerus qui jure non adeo liquido Cantuariensem sedem tenuit debuit pro illa honestiùs advocare. Interim Legatus Cardinalis hos mores exosus noluit porrò pergere: cùm in occupandis sedibus Episcopos tam discordes vidisset. Favisse tamen Eboracensi dicitur, fortè quia tam miserè tractatum, misericordiâ dignum censuit. Utrimque appellatum ad Romanam sedem, quod Legati manum sententiamque continuit. Dicamus lætiora.

IX. *Hoved. fol. 552.* FILIAM DAT HENRICUS REGI SICILIÆ

[Hoc eodem anno (ita ad hunc annum Rogerus Hovedenus) venerunt in Angliam nuntii Willielmi Regis Siciliæ, videlicet Episcopus Trajocensis, & electus Capuæ, & Comes Florius ad Henricum Regem Angliæ Patrem, & petierunt ab eo Joannam filiam suam donari in uxorem Willielmo Regi Siciliæ Domino suo. Habito igitur inde Concilio Londoniis; Rex Pater consilio universorum Episcoporum Comitum, & Baronum regni, concessit Regi Siciliæ filiam suam. Et cum illa concessione præmisit Rex ad Regem Siciliæ, Episcopum Trajocensem, & Joannem Norwicensem Episcopum, & Parisium Roffensem Archidiaconum, & Balduinum Bulot, & Richardum de Camuile. Et Rex Pater præparavit interim Joannæ filiæ suæ, & itineri suo necessaria. Quibus more debito completis, Rex misit Joannam filiam suam Willielmo Regi Siciliæ in uxorem. Quæ cùm Panormum veniret in Sicilia, unà cum Ægidio Ebroicensi Episcopo, & aliis nuntiis Domini Regis, tota civitas eis applausit, & tot ac tanta accensa sunt luminaria, ut civitas penitùs crederetur comburi; & stellarum radii pro fulgore tantorum luminum nullatenus possent comparere. De nocte enim intraverant civitatem Panormum. Ducta est igitur prædicta Regis Angliæ filia, super equum Regium, vestibus Regalibus insignita, in quoddam palatium, ut ibidem desponsationis & coronationis suæ diem gratiùs posset expectare. Paucis itaque lapsis diebus, prænominata Regis Angliæ filia desponsata est Willielmo Regi Siciliæ, & solenniter coronata Panormi, in capella Regis coram Ægidio Ebroicensi Episcopo, & aliis nuntiis Angliæ, qui propter hoc missi fuerant. Desponsata itaque & coronata fuit die Dominica ante ingressum septuagesimæ, idibus Februarii, & dotata est honorificè de Comitatu S. Angeli, & de civitate Siponti, & de civitate Vestæ, & pluribus aliis tam castellis, quàm locis. Unde Rex Siciliæ fecit ei chartam suam in hac forma.

EXCIPITUR FILIA HONORIFICE PANORMI.

Charta WILLELMI Regis Siciliæ quam fecit JOANNÆ filiæ HENRICI Regis Angliæ, de dote sua.

X. GUILIELMUS SICILIÆ REX DAT DOTEM JOANNÆ SPONSÆ HENRICI FILIÆ

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Rerum fœdus, & concordiam humanarum, inter cætera pacis bona ligat fortiùs & astringit vinculum conjugale: quod & sacramenti altitudine venerandum, & ipsa suæ institutionis est singularitate præclarum: & solemni ab initio mundi & temporis consuetudine celebratum. Cujus itaque virtus & forma, quia de divina institutione traxit originem, nec de peccato induit maculam; nec de longævi seriè temporis desuetudinis potuit sentire jacturam. Quin etiam id honoris venerando accessit mysterio: ut maris & fœminæ consensus

in matrimonium Christi, & Ecclesia teneat sacramentum. Tanti igitur mysterii ratione simul, & veneratione inducti: Nos Willielmus divinâ favente gratiâ, Rex Siciliæ, & Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Iohannam puellam Regia excellentia sanguinis illustrissimam, filiam Henrici, Magnifici Regis Anglorum, divino nutu, & felici auspicio, sacra lege matrimonii, & maritali nobis fœdere copulamus: ut bonum conjugii casta dilectionis fidei exhibeat: unde nobis imposterùm proles Regia, Deo donante, succedat: quæ divinâ gratiâ muneris virtutum simul & generis titulo, ad regni possit & debeat fastigium sublimari. Quia verò dignum nostra est celsitudine; ut tam nobile ac insigne conjugium, decenti dotario debeat honorari: per hoc præsens scriptum damus, & in dotarium concedimus præfata Reginæ charissimæ uxori nostræ Comitatum montis S. Angeli, civitatem Siponti, & civitatem Vestæ, cum omnibus justis tenementis, & pertinentiis earum. In servitio autem concedimus ei de tenementis Comitis Godefridi Alesine, Peschizam, Bicum, Caprile, Baranum, & Filizum: & omnia alia quæ idem Comes de honore ejusdem Comitatus montis Sancti Angeli tenere dignoscitur.

XI. *Concedimus etiam ei similiter in servitio Candelarium sanctum Clericum Castellum Paganum, Berscatium, & Cagnanum. Insuper concedimus, ut sint de honore ipsius dotarii monasterium Sanctæ Mariæ de Pulsano, & monasterium Sancti Iohannis de Lama, cum omnibus tenementis, quæ ipsa monasteria tenent de honore prædicti Comitatus Sancti Angeli. Ita quidem ut ipsa Regina, uxor nostra, prædicta omnia semper recognoscat ab hæredibus nostris, nobis nostra ordinatione in regnum succedentibus, & de omnibus prascriptis tenementis servitium, prout exigit feodum illorum, integrè & illibatè jam dictis hæredibus nostris faciat; & maneat semper in eorum fidelitate. Ad hujus autem donationis & concessionis memoriam, & inviolabile firmamentum; privilegium præsens, per manus Alexandri Notarii nostri scribi, & bulla aurea nostro typario impressa, roboratum nostro sigillo jussimus decorari. In quo familiares nostri, & aliæ personæ præcepto nostro se subscripserunt hoc modo.*

Ego Walterus Panormi Archiepiscopus.
Ego Alfanus Capuanus Archiepiscopus.
Ego Richardus Syracusanus Episcopus, &c.

Sequuntur plures Episcopi, Abbates, Comites, & Officiales Regii, ad quorum calcem ponitur data diplomatis, unde constat, post nuptias celebratas, & sequenti anno, confectum esse instrumentum. Nam ibi sic legitur. [Data in urbe Panormi per manus Walteri Venerabilis Archiepiscopi Panormi, & Matthæi Regis Vice-Cancellarii, & Richardi Venerabilis Episcopi Syracusani, familiarium Domini Regis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo septimo, mense Februario Indictione decima: Regni verò Domini nostri Willielmi Dei gratiâ magnifici, & gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, anno undecimo feliciter, Amen.]

XII. Hujus conjugationis Willielmi Regis, cum Joanna Henrici Regis filia, princeps causa Alexander Romanus Pontifex fuit, qui intellecto Fridericum Imperatorem in pessimo adhuc schismate pertinacem pro filia sua ambire Guilielmi Regis nuptias; quo eundem, ab Alexandri obedientia, ad factionem suam traheret; intercessit, Regique persuasit Angliam procari. quod ita Baronius hunc annum auspicatus exponit. [Millesimus, inquit centesimus septuagesimus sextus, Indictione nona sequitur annus; quo Fridericus Imperator, cùm minus polleret viribus, magis more suo dolis atque fallaciis præstans, omnes excogitat artes, ut divelleret Willielmum Siciliæ Regem potentissimum ab Alexandri Romani Pontificis amicitia & obsequio, ut ejus præsidio destitutum, posset ipsum sibi subjicere. Ad hæc implenda, opportuno remedio utitur: nimirum, ut eum sibi devinciat fœdere nuptiarum. Nondum enim ille uxorem duxerat. Ista adeo Ecclesiæ Catholicæ damnosa moliente Imperatore, Alexander Pontifex intercessit, effecitque ut Rex religiosissimus aversaretur, unà cum Imperatore persecutore, etiam progeniem ejus, atque statueret, ut non nisi Patris arbitrio; nempè ipsius Alexandri Pontificis deliberatione iniret connubium. Qui ipsi suasit, filiam Regis Angliæ Joannam ducere in uxorem: quod hoc anno factum esse Romualdus Archiepiscopus Salernitanus affirmat in Chronico. Interea (inquit) Rex Willelmus consilio Papæ Alexandri Eliam Troianum electum, & Arnulphum Caputaquensem Episcopum, & Florium de Camerota justitiarium ad Regem Henricum in Angliam misit, ut ei Joannam minorem filiam suam in uxorem daret. Rex autem Angliæ Henricus, Papæ Alexandri & Principum suorum consiliis acquiescens, petitioni Regiæ præbuit gratanter assensum, & filiam suam cum nuntiis ejusdem Regis & principibus suis, usque ad sanctum Ægidium honestè transmisit. Quo cognito Rex Willelmus Alphanum Capuanum Archiepiscopum, & Richardum Syracusanum Episcopum, & Comitem Robertum de Caserta cum viginti quinque galeis ei obviam misit. Qui venientes usque ad Sanctum Ægidium prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes, usque Neapolim deduxerunt.]

Baron. hic. ALEXANDER DIVERTIT GUILIELMUM SICILIÆ A FILIA IMPERATORIS.

SUASIT HAS NUPTIAS CUM JOANNA.

XIII. Cùm magnum Henrici Anglorum nomen, quà victoriarum famâ, quà filiorum, filiarumque numero, & fœdere nuptiarum, quà denique longè latèque imperium proferendo, Occidentem nostrum implesset, pervasit etiam Orientem. Ubi Manuel Comnenus Imperator, in Sultanum Iconii pugnaturus, Principes ex Anglia viros sibi auxiliares habuit: quorum ope victoriam reportavit, ut ipse sequenti anno literis ad Henricum datis gloriatur, ubi etiam cum Henrico, per puerorum suorum intimam consanguinitatem, amicitiam jactat. Literas de anno sequenti, licèt Rogerus huc referat: sed quia datæ dicuntur Indictione decima, opportuniùs referuntur inferiùs. Interim Henrici Regis pietas eluxit hoc anno cùm Ecclesiam ab Avo restauratam, Deiparæ consecratam vidit, dotemque auxit. Ut Primus Henricus monasterium in Dobunis, & Glocestrensi agro ad oppidum Cirencestriæ, vel cœpit ipse, vel dirutum restituit, dixi supra ad annum Domini millesimum centesimum decimum septimum: An Ecclesia tunc structa, consecrata tunc fuerit, non reperio: constat tamen hoc anno millesimo centesimo septuagesimo sexto, vel eandem vel aliam eo loci structam consecratione auctam. Nam ita Rogerus: [Eodem anno decimo sexto Kalendas Novembris, die Dominicâ, dedicata est Ecclesia Canonicorum Regularium Cirencestriæ in honore Beatæ Dei Genitricis Mariæ, à Bartholomæo Exoniensi Episcopo, præsente Domino Rege

MANUEL COMNENUS OPE ANGLORUM TULIT VICTORIAM DE SULTANO.

V. an. 117. 1.

Hoved. fol. 554.

Angliæ Patre, qui eidem Ecclesiæ, in dedicatione sua magnos redditus dedit.]

XIV. DAVID MENEVENSIS EPISCOPUS MORITUR. V. an. 1148. 12. *Rogerus Hoved. fol. 555.* SUBROGATUR PRIOR WENLOKIÆ. *Godwin in Menevensi.*

Davidem eo nomine secundum supra dixi Menevensem Episcopum, Bernardi successorem, anno millesimo centesimo quadragesimo octavo: nunc debeo, eo morte sublato alium substituere, nam Godwinus quæstionem de Davidis genere ita claudit. [Ipse David (inquit) quicumque demum fuerit, decessit anno millesimo centesimo septuagesimo sexto.] cui consonans Rogeri Annales, ubi ad eum annum legitur ita: [Eodem anno Petrus Prior de Wenlock factus est Episcopus Sancti David in Wallia.] Ita Menevensem sedem authores passim vocant. Petri in Sedem illam merita, Godwinus in Catalogo in hunc modum memorat. [Petrus (inquit) Benedictinorum cœnobii Wenlokiæ Prior, anno millesimo centesimo septuagesimo sexto nondum exacto consecratus est (Menevensis Episcopus) Ecclesia Cathedralis Sanctorum Andreæ & Davidis honori dicata, à Danis aut aliis hostibus sæpè fueras eversa, & primis hujus (Petri) temporibus, in rideribus suis jacebat ferè sepulta; donec ille conatu laudatissimo, ingenti sumptu, eam refecit: ita ut Ecclesiæ quam nunc cernimus Conditor haud injuria possit censeri. Quamdiu sederit, non comperi: coronationi certè Richardi Primi Regis interfuit anno millesimo centesimo octogesimo nono.] Hæc Godwinus.

XV.

Sextus hic annus est à cæde Cantuariensis Thomæ, cujus nomen, & miraculorum fama plures per Europam provincias ad cultum excitarat adeo ut illi ædes sacras, & altare ponerent. De Hispania testis est Mariana, qui libro undecimo historiæ ad annum Christi millesimum centesimum septuagesimum primum hæc habet. [Fuit is annus insignis cæde Thomæ Cantuariensis in Anglia. Occisi injuria nomen Alexander tertius, Romanus Pontifex fastis addidit. Eâ religione in Hispania susceptâ, Toleti in Templo maximo sexto non amplius ab obitu anno, Altare Thomæ nomine constitutum constat, Alcabonis prædiis à Nunnio Comite, & uxore Therasia, in ejus cultum attributis: quod Martyris sanctitati: sed & Reginæ ejus gentilis gratiæ datum fuisse judicatur. Id altare magnæ conjecturæ indicant extitisse: quo nunc loco sacellum D. Jacobi nomine, Magistri equitum Alvari Lunæ nobile monimentum extat.] Reginæ gentilis nomine Eleonoram author intelligit, quæ Alfonso Castellæ Regi ante sexennium, in sponsam tradita: Henrici Patris nomen celebre per Hispanias fecit. Unde cùm turbas ibi quidam, in Castellæ Regem movissent, turbarum Principe, Legionensium Rege, Alfonsi patruo, quem bello aggressum Alfonsus contriverat; non ante in pacis federa conventum, quàm Henricus Angliæ, pro tribunali sedens, litem dirimeret. Quod hoc anno cœptum controverti, testis est Walsingamus, in hypodigmate ad hunc an. [Aldefonsus Rex Castellæ, inquit, gener Regis (Henrici) & Sanctius Rex Navarræ, avunculus Aldefonsi, discordes ad invicem, in Regem Angliæ compromiserunt: & directis in Angliam nuntiis, se staturos Regis (Henrici) Patris Arbitrio juraverunt.] Ita ille. Quid inde factum, dicam anno sequenti.

Mariana l. 2. TEMPLŨ ERECTUM IN HISPANIA S. THOMÆ 6. ANNO A MARTYRIO.

Walsingh. hic.

XVI. *Mariana ad hunc annũ.*

Non est dubium quin Hispanicarum rerum scriptor Joannes Mariana, licet Henricum non nominet Angliæ Regem, eum tamen inter pacis arbitros intellexit, cùm controversiam explicans ita scribit. [Accidit consequenti anno millesimo centesimo septuagesimo sexto, ut Alfonsum Castellæ Rex, ætate confirmata, certusq; eas injurias vindicandi, quæ à Vasconibus & Legionensibus, annis prioribus, erant illatæ, bellum compararet; vota priusquam proficisceretur, Toleti nuncupata. Oppida Illescæ (nam ad Regis ditionem redierat) & Hasagnia, Toletano templo donavit mense Julio: ut bellum quod inferre parabat, felici exitu concluderetur, Divos indigetes precatus. Cum magnis copiis in Rivogiam ad Iberi ripam penetratum. Quid præterea rerum gestum sit, ignoramus; nisi quod Vasconibus mulctatis, satis constat arma in Legionense regnum conversa; vastatos agros, capta, direpta, incensa oppida: cùm Rex Patruus viribus inferior esset & prævalidi juvenis congressum declinaret. In novos Divi Jacobi milites, Legionensis Regis conversa rabies; quoniam eos Castellæ Regi, veteri Domino favere suspicatur, omnes regno expulit. In Castellam illi migrarunt. Regem Ferdinandum brevi pœnitentia subiit, tanto præsidio regnum, haud satis idonea causa nudasse. neque mutare tamen potuit. Viris tantùm sanctis, & proceribus annitentibus, quodam induciarum genere, tunc quidem ab armis discessum est.] Nimirum Henrico Rege intercedente, ut supra dixit Walsingamus: & addit eodem tempore aliorum etiam Regum, Principumque negotia, in Anglorum Regis Curia, fuisse ventilata: [Sub eisdem diebus (inquit) Manuelis Constantinopolitani, nuntium Frederici Romani Imperatoris, Nuntium Guilhelmi Rhemensis Archiepiscopi, Nuntium Henrici Ducis Saxonici, Nuntium Philippi Flandrensium Comitis, quos varia trahebant negotia; tanquam ex condicto, simul in Curia Regis Anglorum conspiceres apud Westmonasterium.] Hæc in Henrici laudem dicta sunto.

REX HENRICUS ARBITER INTER REGEM CASTELLÆ ET NAVARRÆ.

Walsingh. supra.

XVII.

Eodem spectant Joannis (Henrici Regis filii) nuptiæ, quas ad amplitudinem status conciliaverat Pater. Illum enim, quem olim natum *Sine terra* cognominavit, terris undique augere, indulgens Pater non omisit. Cùm ergo Aliciam Maurianæ Ducis (unde Sabaudiæ Duces) filiam sponsamque suam Joannes sepelivisset, factam terrarum ibi jacturam Henricus hoc anno voluit resarcire. Unde Walsinghamus: [Guilielmus (inquit) Comes Glocestriæ, dum filium non haberet, ægrè ferens hæreditatem inter filias dividendam: Joannem, filium Regis hæredem instituit, apud Windleshores.] Verùm non aliter, quam ductâ Guilielmi filia, institutus est hæres. Idque ea lege, ut Romani Pontificis, consanguinitatis impedimentum amoventis, authoritas intercederet: unde Rogerus ad hunc annum: [Hoc eodem anno inquit, Willielmus Comes Gloucestriæ, filius Roberti Comitis, fratris Imperatricis (naturalem Henrici primi filium intelligit, de quo vide annum millesimum centesimum sextum) dedit Joanni filio Regis Angliæ, filiam suam in uxorem, cum Comitatu Gloucestriæ, si prædictam mulierem, licentia Domini Papæ, posset sibi in matrimonio copulare. Et pro hac concessione, Dominus Rex Angliæ Pater, dedit primogenitis filiabus ejusdem Comitis, ducentas libratas reddituum in Anglia. Videlicet uxori Amauri Comitis Ebroicarum centum libratas, & uxori Comitis de Clare,

Idem.

Hoved. hic.

ROBERTI GLOCESTRIÆ FILIA DESPONSATA JOANNI FILIO HENRICI

centum

centum libratas.] Per libratas, non libras pecuniæ, sed libratas terræ intellige: quæ ita redduntur; ut unaquæque librata, quatuor Bovatæ terræ; & singulæ Bovata, tredecim jugera signent. qua notione centum libratæ, multum terrarum continent. Filiarum nomina non apponuntur: infra tamen, cùm Joannes hic regnat in Angliæ, ejus prima uxor Hawissia, vel Avis nominabitur: quæ hoc anno sponsa potiùs quàm uxor appellanda. Nam diu post, nec nisi ab Henrici Regis morte, nupta: an Pontificis Romani indulto (ut cautum) nescio. Joannes tamen Rex decennio ἄκαρπος libellum repudii consanguinitatis titulo dedit, amore liberorum.

XVII. Prioratus Bernardinorum.

In catalogo ædium destructarum, fundatio Prioratus ponitur ad Croxden in agro Staffordiensi, quem Bernardinis monachis Bertramus de Verdon implesse dicitur anno Domini millesimo centesimo septuagesimo sexto, & vigesimo tertio regnantis Henrici: quem ideo ad hujus anni calcem refero eùm ille revera eum regni annum auspicatur.

ANNUS CHRISTI 1177.

ALEXANDRI III. PAPÆ 19

HENRICI II. REGIS 23.

I.

Fridericus Imperator se humiliat Alexandro.

Sequitur Christi annus millesimus centesimus septuagesimus septimus, Romanæ Ecclesiæ, & fideli populo jucundissimus; cùm dirum schisma, quod plures annos vexavit Orthodoxos: Frederici Imperatoris operâ, inceptum ab Octaviano, in Guidone Cremensi continuatum, finitum denique in Joanne de Strumo, qui se Apostolicæ sedis Pontifices mentiti fuerant: nunc demum ejusdem Imperatoris pœnitentiâ, humilique obsequio, Deo imprimis pro Alexandro stante, finem habuit. Cùm humile Imperatoris obsequium voco, prostratum eum ad Romani Pontificis pedes puta, eos devotè osculantem: noli tamen vulgo jactatam fabulam quantumvis auctorum numero satis illustrem attendere: quod osculum figens dixerit Alexandro *Non tibi, sed Petro*: quod osculum admittens, Augusti Imperatoris caput presserit, reponens: *Et mihi. & Petro.* Nam incuriosi capitis figmentum est à Baronio, aliisque doctissimis luculenter explosum. Sed & luculenter satis refellitur è literis, quas Romanus Pontifex pace compositâ, in Angliam scripsit; ubi nulla intumescentis Friderici vocis mentio: nulla Alexandri latebrarum, quæ tamen fabulam comitantur, mentio. Ideo missis aliorum argumentis, rem gestam, & pacem inter Imperatorem & Romanum Pontificem compositam, ex ipsius Alexandri literis, ad duos in Angliæ Archiepiscopos datis, accipe: illas imprimis ad Cantuariensem quas Rogerus noster, & ex eo Baronius ita recitant.

Apud Hovedenum, fol. 569.

Alexander Episcopus, Servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus: & dilectis Abbatibus specialiter ad Romanam Ecclesiam pertinentibus in Archiepiscopatu Cantuariensi constitutis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

II. Alexandri Richardo Cantuariensi de reconciliatione Friderici Imperatoris

Immensas laudes, & gratias agimus Omnipotenti Deo: qui licet navem Petri, diu permisisset procellosa maris tempestate quassari: nunc tandem imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna: ita ut pacatis maris savientis fluctibus, prædicta navis, ad portum quietis reducta sit, & salutis. Sane charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum Imperator proximo præterito die, Dominica ante festum Beati Iacobi, tum Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus regni Teotonici, cum multa devotione venit Venetiam, ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum, altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut Summo Pontifici, omnem reverentiam & honorem exhibuit: & in festo B. Jacobi nobis ad preces ejus Beati Marci Ecclesiam adeuntibus, pro celebranda Missarum solemniis, obviam venit: & finita Missa, quam à nobis licet indignis reverenter audivit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores ejus nostris consueverunt antecessoribus exhibere. In Kalendis verò instantis mensis Augusti, præfatus Imperator, ubi erat numerosa hominum multitudo, in anima sua jurare fecit; & Principes sui, quos præsentes habebat, tam Ecclesiastici quàm sæculares, præstito juramento firmaverunt, quod pacem Ecclesiæ perpetuò, & pacem Charissimi in Christo filii nostri Willelmi, illustris Siciliæ Regis, usque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum à prædictis Kalendis Augusti, usque ad sex annos: sicut pax & tregua ipsa disposita est, & tractata, & in scriptis redacta, illæsam debeat, & illibatam servare. Sicut autem idem Imperator, nos in Catholicum Papam, & spiritualem Patrem recepit: ita nos eum in Catholicum Imperatorem, & uxorem ejus in Catholicam Imperatricem, & filium ipsorum in Catholicum Regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori nostro, qui sponsam suam sacrosanctam Ecclesiam, suâ miseratione respexit: & ei post multas persecutiones, quibus graviter pressa est, & attrita, per suam gratiam plenam pacem reddidit & quietam. Data Venetiæ in Rivo alto, octavo Idus Augusti.

Eodem plane argumento Septentrionalem Ecclesiam nostram suis Alexander Literis consolatus est, cùm ad Eboracenses & Dunelmenses scripsit ita.

Alexander Episcopus, Servus servorum Dei Venerabilibus fratribus Rogero Eboracensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, & Hugoni Dunelmensi Episcopo, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

III.

Exigunt gratissima devotionis obsequia; quæ nobis, & Ecclesiæ, tam devotè, quàm laudabiliter exhibuisse noscimini, ut felices successus Ecclesiæ, vobis, sicut devotis & specialibus Ecclesiæ filiis spiritualibus desiderabamus

DE PACE QUAM FECERAT IMPERATOR CUM ECCLESIA

cum dignum ſit, & conveniens, & honeſtum, ut quos ita babuimus in noſtrâ devotione firmos & ſtabiles: de proſperitate noſtrâ, & ipſius Eccleſia reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque unà nobiſcum Omnipotenti Deo gratias, qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit de ſupernis: de cujus munere venit, ut ſponſa ſua, ſacroſancta Eccleſia, diu, & graviter procelloſis fluctibus, & validiſſimâ tempeſtate quaſſata, nunc tandem portum ſalutis attigerit, & pacatis ſævientibus procellis, debitâ & deſideratâ tranquillitate latetur. Sanè duodecimo Kalendas inſtantis menſis Auguſti, de mandato chariſſimi filii noſtri in Chriſto, Frederici, illuſtris Romanorum Imperatoris, filius Marchionis Alberti, vir nobilis, magnus, & potens, & Camerarius ipſius Imperatoris, præſentibus Principibus Eccleſiaſticis, & etiam Sæcularibus Teutonici regni, publicè in animâ ejus, in præſentiâ noſtrâ, coram innumerosâ hominum multitudine, præſtiterunt, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juramentum: quod poſtquam idem Imperator veniret Venetias, omni quæſtione, & contradictione ſopitâ, pacem Eccleſiæ, ſicut per fratres noſtros, & Principes ſuos, diſpoſita eſt, & tractata: & pacem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Wellelmi, illuſtris Siciliæ Regis, uſque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum uſque ad ſex annos, in animâ ſuâ, & etiam à Principibus ſuis faceret, ſicut in ſcripto pacis, & treguæ continetur, juramento firmari, & Principes Teutonici regni; ſcilicet Venerabiles fratres noſtri, Magdeburgenſis, Colonienſis, & Chriſtianus dictus Moguntinus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Principes Teutonici regni abrenuntiantes ſchiſmati, per fratres noſtros Epiſcopos, & Cardinales, de mandato noſtro, præſentibus quibuſdam aliis, abſolutionis beneficium meruerunt.

IV. *Deinde venerunt Venetias: & ibi ante Eccleſiam Beati Marci, prædictus Imperator, innumera multitudine virorum ac mulierum præſente, altâ voce reddentes gratias, & laudes altiſſimo: nobis ſicut Summo Pontifici obedientiam & reverentiam humiliter & reverenter exhibuit: & recepto à nobis pacis oſculo, nos devotè dextravit: & cum reverentiâ quâ decuit, & devotione, uſque ad altare, in Eccleſiam introduxit. Sequenti verò die, in feſto Beati Iacobi, ab eodem Imperatore rogati, ad prædictam Eccleſiam ſancti Marci Miſſarum ſolemnia celebraturi acceſſimus. Et nobis illuc venientibus, præfatus Imperator, extra Eccleſiam obviam venit, & dextro latere noſtro devotè ſuſcepto, nos in Eccleſiam introduxit. Et peractis Miſſarum ſolemniis, nos uſque ad ipſius Eccleſiæ portam dextravit. Et cum aſcenderemus palafredum noſtrum, ibi paratum, ſtapham tenuit, & omnem honorem & reverentiam nobis exhibuit, quam prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere. Erit itaque ſollicitudinis veſtræ nobis, & Eccleſiæ, in proſperis ſucceſſibus congaudere, & effectum pacis, aliis devotis Eccleſiæ filiis aperire. Ut hi quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere divinitùs dato, in Domino gaudeant, & exultent. Data Venetiis in Rivo alto ſeptimo Kalend. Auguſt.*

V. E dictis Epiſtolis aptè colligitur, ſolennem illam fabulam de Frederico dicente, Non tibi, ſed Petro: de Alexandro referente, Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, Angliam non priùs invaſiſſe, quàm hæreſis & cacodoxi Angliam fœdaverunt. Si enim Alexander Anglorum Eccleſiam docuit: Fredericum omnem illi honorem reverentiamque detuliſſe, quam olim Imperatores & Auguſti Romanis Pontificibus detulerunt: & nuſquam legamus cum oſculo pedum tam inconcinnè dictum. Si Alexandro equum aſcendenti tam devotè ſervivit, ſtratoris functus officio: quia credet Aſpides & Baſiliſcos pacem funeſtaſſe. Adde Rogerus noſter ejus temporis ſcriptor recenſet κατὰ μέρος, quæ Venetiis acta, numerat & nominat Epiſcopos, & Principes, omnem Alexandro reverentiam à Frederico exhibitam deprædicat, nihil denique memoria dignum in illâ ſolemni actione geſtum omittit, nulla dictorum lemmatum mentione factâ, non moveor authorum numero qui alia finxerunt. Quis enim neſcit, res præclarè geſtas, progenio ſcriptoris, aut efferri nimiùm, aut premi. Id Sanctorum vitis, zelo magis quàm judicio, accidiſſe omnes ingemiſcimus. Et cur Pontificum Romanorum, Principumque facinora, ab hac injuriâ, immunia putabimus: quæ ſemel aut ſcripto, aut ſermone tradita, ſequentia ſæcula, rei novitate capta, ſine delectu arripiunt, ſic fama creſcit eundo. Ita (quis dubitat?) in Joanna Papiſſa peccatum; quam plurimi auctores (quos Godwmua in Catalogo, in Romanæ, ut putat, ſedis opprobrium recitat) in Romanâ ſede tam inverecundè locaverunt, quàm ipſi in rerum narratione diſcordes fuere: nec in fœminæ nomine, aut patriâ conſonantes, ut ſuprà * ſuo loco oſtendi. Iterum in Anglorum Annalibus nihil occurrit frequentius, quàm Robertum primi Gulielmi Regis filium primogenitum à fratre Henrico Rege primo exoculatum, vel oculorum luce privatum eſſe: Nec oſcitanter id, aut ab inaccuratis authoribus traditum, creditumque, & tamen in hiſtoriâ ſolœciſmum eſſe, nuper * (opinor) evici.

*v. an. 853 n. 6. 7. &c

*v an. 1134 n. 8. & an. 1135. n. 10.

VI. Quid actum, à pace, Alexandrum inter & Fridericum initâ, Rogerus ita narrat: [In hoc (inquit) Concilio Joannes Abbas de Strumâ, qui vocatus fuerat Papa Calixtus, qui etiam tertius, & ultimus ſchiſmatis hujus Antipapa extiterat, degradatus eſt: & ab ipſo Imperatore, & ab omnibus Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus dejectus eſt, & reprobatus. Similiter omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates Teutonici regni, qui ab eo, & aliis Antipapis prædeceſſoribus ſuis, videlicet ab Octaviano, qui Papa Victor vocabatur, vel à Guidone de Creme, qui Papa Paſchalis vocabatur, ordinati fuerant, degradati ſunt. Et altaria quæ ab ipſis, ſive ab ordinatis ſuis, dedicata erant, demolita ſunt.] Memoria etiam dignum eſt, quod idem author conſequenter narrat, de Chriſtiano, Moguntino Archiepiſcopo, qui pulſo Conredo ad eam Sedem electo, ſed nolente ab Octaviano conſecrari, ſucceſſit, & ab eodem Octaviano pallium ſuſceperat: [Nunc pace compoſita, Venetiis in palatio Patriarchæ (narrat author) coram Alexandro Papa, & Cardinalibus univerſis, dictus Moguntinus propriis manibus pallium combuſſit: & à Domino Papa abſolutus, remanſit Archiepiſcopus Moguntinus, & pallium ab Alexandro recepit.] Unde ſatis conſtat, deteſtandum fuiſſe ſchiſma, quod Occidentem noſtrum per octodecim annos, & Angliam ferè concuſſerat. Verùm Dei factum providentiâ, & obſervantiæ majorum noſtrorum erga Romanam Sedem, argumentum eſto, ut quantumvis Anglorum Rex Henticua, & Epiſcoporum plerique, in re non parvi momenti claudicaverint, & Eccleſiæ libertatem ſauciare conati ſint, ab Alexandro moniti, reprehenſi, excommunicati: ab ejus tamen

Reg. Hoveden. fol. 561

DEGRADANTUR ORDINATI AB ANTIPAPIS.

obedientiâ, schismati inhærendo, separari noluerunt: sed eum, quem inter primos coluerunt, constantissimè venerati sunt.

VII. Laudanda etiam Alexandri Pontificis, in summis rerum angustiis constantia, qui quamvis Henricum paterno semper amore foveret; eidem tamen, cum Ecclesiam læderet, & in obsequio vacillaret, probè restitit: &, cùm opus, ministeruit. ut supra in Thomæ Martyris causâ vidimus: sed & hoc anno rursum, cum Ludovici Francorum Regis filiam, & destinatam Richardo Henrici Regis filio sponsam, præter pacta sponsalia, Henricus à nuptiis arceret, sorrexit Alexander in vindictam, & Normanniam interdicto subjici mandat. [Eodem anno (narrat hic Rogerus) Petrus tituli Sancti Chrysogoni, Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, quondam Meldensis electus, venit in Franciam, & ab Alexandro Papa in mandatis recepit; quod tota Normannia, & omnes terræ Regis Angliæ cismarinæ, & transmarinæ, sub interdicto ponerentur: nisi ipse permiserit Richardum filium suum Comitem Pictaviæ, ducere in uxorem Alesiam, filiam Ludovici Regis Franciæ: quam ipse Rex Angliæ, diu, & ultra quam inter eos convenerat, in custodiâ retinuerat. Quod cum Regi Angliæ constaret, appellavit ad præsentiam Domini Papæ, pro seipso, & pro terris suis. Et mox transfretavit de Angliâ in Normanniam: & habito colloquio, inter ipsum & Regem Franciæ apud Iveri, undecimo Calendas Octobris, coram dicto Cardinali, & Magnatibus utriusque regni, Rex Angliæ Pater, per suos fidem dedit, & in animam suam jurare fecit: quod Richardus filius ejus Comes Pictaviæ, prædictam Alesiam in uxorem duceret: si Rex Franciæ Pater puellæ, dederit præfato Richardo, Comiti Pictaviæ, civitatem Bituricensem, cum pertinentiis suis, in maritagium cum filiâ suâ: sicut conventio inter illos, inde facta exigit: & Henrico Regi filio suo totum Vougesin Francigenum: videlicet totam terram, quæ est inter Gisortium & Punterse: quam ipse promiserat, se daturum illi in maritagium, cum filiâ suâ. Sed quia Rex Franciæ hæc dare noluit: Rex Angliæ non permisit Richardum filium suum, prædictam Alesiam in uxorem ducere.] Hæc Auctor.

Hoveden. fol. 570.

ALEXANDER MINATUR INTERDICTUM TERRIS REGIS TRANSMARINIS, SI NON PERMITTAT RICHARDŪ FILIUM DUCERE ALESIAM

VIII. *Polyd. l. 11.* AN RICHARDUS DUXERIT, INCARTUM.

An Alesiam postea Richardus duxerit, pendeo: licet Polydorus Adelam, & conjugem vocet: Scio illam, ad pacem inter Reges firmandam, cum Henricus filiis veniam, & pacem dedit, Richardo desponsatam fuisse, traditámque Henrico Patri in custodiam, ad pubertatem usque: An tunc vitio ab Henrico seniore cognitam, idcóque protractas nuptias, ut Polydorus aliique suspicantur, non affirmo: constat Richardum Angliæ corona auctum, illam respuisse, vel Patris incontinentiâ motum, vel odio Philippi tunc in Franciâ regnantis, Alesiæ, sive Adelæ fratris. Cæterùm quod ad præfatum utriusque Regis colloquium attinet: non obstante de nuptiis controversia, Reges novum amicitiæ fœdus sanxerunt. Guido Jerosolymorum Rex, à Saladino Ægypti Rege bello petitur: impar sine dubio futurus erat, nisi Christianorum Principum viribus juvaretur: nam Palæstina, & loca sancta Christi sanguine, & Apostolorum sudore olim madentia, in barbarorum, & infidelium manus, ventura erant, si Europa non adesset. Id plures hoc sæculo movit Cruce muniri, eoque Hieroglyphico, se Christi milites profiteri. Hos inter Henricus, & Ludovicus Reges censeri voluerunt: missisque controversiarum fibris, quæ sæpè pullulabant, sacram militiam unà profiteri: Quod quia Richardus Henrici filius amplissimè postmodum prosequutus est, dicamus hoc loco, ut præcesserit Pater: & unà fœdus cum Ludovico sancitum: quod ita ab Hovedeno explicatur. [Tamen (inquit) in eodem colloquio, consilio Cardinalis, Principum utriusque regni, facta est amicitia & finalis concordia inter Francorum, & Regem Angliæ, in hunc modum:

IX. REGES GALLIÆ ET ANGLIÆ FACIUNT PACEM, ET INEUNT FŒDUS SUSCIPIENDI CRUCEM.

Sciant omnes tam præsentes, quàm futuri: Quòd Ego Ludowicus Dei gratiâ, Francorum Rex: & Ego Henricus eâdem gratiâ, Rex Angliæ: Volumus ad omnium tam præsentium, quàm futurorum notitiam pervenire: Nos, Deo inspirante, promisisse, & jurasse; quòd simul ibimus in servitium Christianitatis, & Crucem suscipiemus, ituri Ierosolymam: sicut in scripto, de susceptione Crucis inter nos facto continetur. Volumus etiam, quod omnes sciant, quod sic sumus, & amodò esse volumus amici: quod uterque nostrum alteri conservabit vitam, & membra, & terrenum honorem suum contra omnes homines pro posse suo. Et si quæcumque persona alterutri nostrum malum facere præsumpserit, Ego Henricus juvabo Ludovicum Regem Franciæ Dominum meum contra omnes homines, pro posse meo: & Ego Ludowicus juvabo Henricum Regem Angliæ contra omnes homines pro posse meo; sicut hominem & fidelem meum; salvâ fide, quam debemus hominibus nostris; quamdiu ipsi fidem nobis servaverint: & neuter nostrum amodò retinebit inimicum alterius in terrâ suâ; ex quo requisitus inde fuerit. Et ut inter nos amodò tollatur materia omnis discordiæ, concessimus adinvicem: quod de terris, & possessionibus, & aliis rebus, quas quisque nostrum modò possidet; alter adversus alterum inde nihil amodò petet: excepto eo de Alverniâ, unde contentio inter nos est: & excepto feodo de castro Radulfi: & exceptis minutis feodis, & devisis terrarum nostrarum, de Beria, si homines nostri aliquid inde intercceperint, inter se, vel adversus alterum nostrum.

X. QUID SI NON POTUERINT REGES PER SEMETIPSOS

Si autem super his, quæ superius excepta sunt, per nosmetipsos convenire non poterimus; Ego Ludowicus Rex Francorum, elegi tres Episcopos, Claremontensem, Nivernensem, Trecerensem: & tres Barones, Comitem Theobaldum, & Comitem Robertum, & Petrum de Tartenay, fratres meos. Et Ego Henricus Rex Angliæ elegi tres Episcopos, Willielmum Cenomanensem, Petrum Petragorensem, & Robertum Nannetensem: & tres Barones, Mauritium de Craun, Willielmum Maingot, & Petrum de monte Rabel, ex parte meâ: qui inquisitâ diligenter hinc, & inde veritate, tam per seipsos, quàm per juramenta hominum illarum terrarum, prædicti Episcopi, in verbo veritatis asserent, & Laici jurabunt: quod quæcumque cognoverint de jure cujusque nostrum esse, hoc inter nos dicent: & nos eorum dicto, bona fide, firmiter stabimus. Si verò omnes illi Episcopi, quos ego Ludowicus elegi, interesse non poterunt: nihilominus stabimus dicto illorum duorum, qui interierunt. Et si omnes Barones, ex parte meâ nominati non interfuerint, pro eo non remanebit, quin stemus dicto aliorum duorum, qui interfuerint. Et similiter erit de illis, quos Ego Henricus elegi, tam de Episcopis, quàm de Baronibus.

Iuravimus

Iuravimus etiam, quod nullum malum faciemus eis, propter hoc quod veritatem inde dixerint. Et si fortè, quod Deus avertat, inter nos, de terris nostris aliqua querela amodò oriatur, per eosdem bonâ fide, & sine malo ingenio, sine dilatione terminetur. Si autem aliqua prædictarum personarum interim mortua fuerit, altera loco ipsius substituatur. Si verò alteruter nostrum, ante susceptionem Crucis, iter peregrinationis arripere voluerit; alter qui remanebit, terram illius, qui in peregrinatione erit, & homines, sicut sua propria, & Dominica fideliter custodiet, & manutenebit. Postquam verò, Deo volente, Crucem susceperimus; homines nostros, qui nobiscum ibunt, faciemus jurare, quod si alteruter nostrum in viâ decesserit; quod Deus avertat; ita illi, qui superstes erit, fideliter servient, sicut servirent Domino suo, si vivus esset: quamdiu in terrâ Ierosolymitanâ morari voluerint. Pecuniam verò defuncti habebit vivus ad faciendum servitium Christianitatis, præter pecuniam illam, quam ante iter suum, certis locis, & certis personis dandam decreverit.

XI. Conveniunt de pecunia statuenda pro bello.

Et si uterque nostrum decesserit, eligemus, si Deus nobis spatium indulserit, de probis, & fidelibus hominibus nostris, quibus committetur pecunia utriusque nostrum ad faciendum servitium Christianitatis: & qui ducent & regent homines nostros, antequam etiam iter arripiamus post susceptam Crucem, faciemus illos jurare, quos custodes & gubernatores constituemus terrarum nostrarum: quod ipsi bonâ fide, cum omni posse suo, si necesse fuerit, sese ad invicem juvabunt ad defendendum terras nostras, cum ab invicem requisiti fuerint. Quod illi, quos Ego Henricus Rex Angliæ præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni posse suo juvabunt, ad defendendum terras Ludovici Regis Franciæ Domini mei: quemadmodum terras meas defenderent, si civitas mea Rothomagi obsessa esset. Et eodem modo, quod illi, quos Ego Ludovicus Rex Franciæ præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni posse suo juvabunt ad defendendum terras Henrici Regis Angliæ: quemadmodum terras meas defenderent, si civitas mea Parisius obsessa esset. Volo etiam quod mercatores, & omnes homines, tam clerici, quàm laici de terrâ suâ, cum omnibus rebus suis, securi sint, & pacem habeant per omnes terras meas. Et Ego Henricus Rex Angliæ similiter volo, quod mercatores, & omnes homines, tam clerici, quam laici, de terrâ Regis Franciæ Domini mei, cum omnibus rebus suis, securi sint, & pacem habeant per omnes terras meas.

XII. *Hæc autem supra scripta nos firmiter observaturos promisimus, & juravimus in præsentiâ Venerabilis Petri, tituli Sancti Chrysogoni Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, & in præsentiâ Richardi Wintoniensis Episcopi, & Ioannis Carnotensis Episcopi,* (Hic est ille quem sæpè suprà Saresberiensem appellavi, & hoc ipso anno consecratur Carnotensis Episcopus) *& Henrici Bajocensis Episcopi, & Frogerii Sagiensis Episcopi, & Ægydii Ebroicensis Episcopi, & Henrici Regis Angliæ filii, & Comitis Theobaldi, & Comitis Roberti, & Petri de Curteras, & Comitis Simonis Ebroicensis, & VVillielmi de Humez, & multorum aliorum, tam Clericorum quàm Laicorum.* Hactenus pacis, amicitiæ, & fœderis leges. Sequitur non inter Reges, sed Ecclesiarum Prælatos de immunitate contentio: ubi Episcopi Romani Pōtificis privilegiis muniti, alios intra se privilegiis muniri ægrè & verè ægrè, hoc est non sanè ferunt.

XIII. Augustinus Anglorum Apostolus monasterium propè Cantuariam, sub Petri & Pauli Apostolorum Principum patrocinio fundarat, ut tomo secundo diximus. Illud monasticæ & regularis disciplinæ seminarium, Romani semper Pontifices, ob prima fundatoris merita, & illustria sequentium Monachorum pietatis exempla, paterno amore foverunt, privilegiis, & gratiis auxerunt; denique ut specialem Romanæ Ecclesiæ filiam, ab aliorum Prælatorum subjectione exemerunt. Æquanimiter hactenus id tulisse videntur Cantuarienses Archiepiscopi, donec Richardus Sedem illam ascendit, & monasterii Abbate mortuo, Rogerus in Abbatis locum eligitur, qui cum Abbatis officio pro dignitate fungi, absq; Episcopali benedictione non posset, à Richardo inaugurari petiit. nec ille renuit, modo solenni verborum clausulâ obedientiam suæ Sedi, suisq́ue successoribus promitteret. Id alter stipulari noluit, loci privilegio, Romanorumq́ue Pontificum authoritate ab ea lege eximius. Hinc orta contentio, quæ superiore anno cœpta, ad hunc annum duravit, cum uterque Romam, & loci sui prærogativam appellasset. — Abbas Cantuariensis dissidet ab Episcopo.

Controversiæ Cardinem Parkerus in suis Antiquitatibus, imperitè vertit, ut ubique solet: & invidiosè dicit Rogerum auro muneribusq́ue privilegium impetrantem, Alexandrum expugnasse, cum aliud non egit Alexander, quàm præcedentium Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo, monachis indulgere, quod illi olim multisq́ue de causis indulserant. Jussit enim Rogerum nullâ obedientiæ factâ professione, consecrari: quod ægrè, ut dixi ferens Richardus, de Regularium privilegiis (quibus ipse olim gavisus) querimoniam instituit, cum non modo Rogerus; sed Malmesburiensis etiam Abbas, Episcopi sui obedientiam declinaret. Sic ergo ille Alexandro conqueritur: — Invidiose Parkerus culpat Rogerum.

Sanctissimo Patri, ac Domino Alexandro, Dei gratia, summo Pontifici: Richardus Ecclesiæ Cantuariensis humilis minister devotissimum subjectionis obsequium. — *apud Petr. Blesen. Epist. 68.*

XIV. Contra Abbates

Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis, magistram omnium Ecclesiarum profitemur: sic ab ipsâ, consilia in ambiguis, in angustiis solatia, responsa in judiciis expectamus: monasterium Malmesberiense, quod in Saresberiensi diœcesi situm est, nuper sibi Abbatem delegerat. Cumq; Saresberiensis Episcopus appellasset, atque ex parte vestrâ constanter inhibuisset electo: ne aliunde, quàm a se munus benedictionis acciperet: ille nihilominus occultè profectus in Wallias, ab Episcopo Landavensi clandestinam, & furtivam benedictionem adeptus, sibi abbatis officium usurpavit. Nos autem querelâ Episcopi, & veritate rei diligentius inquisitâ suspendimus Wallensem Episcopum & Abbatem: donec ad excusationem tanti accessus, libertatis aut dignitatis privilegium allegarent. Partibus itaque in nostrâ præsentiâ constitutis, & Ecclesiarum privilegiis productis in medium, nihil invenimus; quare Malmesburiense monasterium Episcopo Saresberiensi subesse non debeat, & humiliter obedire: eo solo excepto, quod Abbas quasdam exemptionis suæ literas prætendebat, quæ in filo, & bullâ videbantur vitiosæ, stilumq; Romanæ Curiæ minimè redolebant: ideoq; & eas falsitatis Episcopus arguebat. Abbas nitebatur testibus asserere decessores suos, benedictiones a quibus volebant Episcopis, pro suo libitu, extra professionis vinculum suscepisse. Episcopus è contrario multas professiones

Abbatum Malmesburiensium exhibebat, sibi & prædecessoribus suis factas: quibus sibi Abbatis obedientiam, & subjectionem monasterii vendicabat. Productis itaque, & receptis Abbatis testibus, redactis eorum attestationibus in scripturam: quia secundum productionem postulabat Abbas instantius, diem alium præfiximus. In quo cum rogaremus more nostro, quæ pacis sunt: Episcopus & pacis, & judicio humiliter se offerebat. Abbas verò consilio cujusdam advocati diffugiens ad versutis juris præstigias; nec judicio acquiescere voluit, nec verbum pacis admittere: asserens se de cætero, nulli Episcopo, vel Archiepiscopo, nisi soli Summo Pontifici, super professione, vel obedientiâ respondere. recedensque contumaciter. Viles, inquit, sunt Abbates, & miseri, qui potestatem Episcoporum non exterminant; cum pro annuâ auri unciâ, plenam à Sede Romanâ possint assequi libertatem.

XV. Abbatem ita liberè loquutum, nisi id diceret Cantuariensis Archiepiscopus, quis crederet? Sed antiqua monasteriorum privilegia, Romana authoritate eborata, temporis diuturnitate præscripta, factorumque evidentiâ attestata, in dubium vertere & evertere: & alia monasteriis injuria facere, quod teste Magno Gregorio aliquando ab Episcopis factitatum, impatientis animi impetum facilè exprimunt. De Malmesberiensis monasterii privilegiis olim ab Aldelmo sancto Romæ impetratis, dixi ad annum Domini sexcentesimum octogesimum nonum. ubi Romanam Sedem loco illi favisse & indulta concessisse improbandum non est: Nam ævo illo, præcedenti etiam & subsequenti; è monasteriis Episcopos, Ecclesiæ ornatum atque dignitatem, omnia denique sanctitatis argumenta, Fidem etiam sanctitatis fundamentum, fuisse in superioribus ostensum est. Unde nihil mirum, Romanos Pontifices, illa Christianæ fidei seminaria fovisse, amasse, & quod consequens est, singulare illis patrocinium, multa non tam indulgendo, quàm præmiando concessisse, quæ si posteri delibant, aut convellũt, supremam in Ecclesias potestatem, aut elevant, aut controverunt, viamque aperiunt & demonstrant iis, qui nuper monasteria omnia destruxerunt: ingens, & irreparabile orthodoxæ Fidei præjudicium. Quod si antiqua privilegia, eorumque autographa, vitio temporis, vitium fecere, aut erasa, combusta, perdita; quod in tantis Insulæ deprædationibus, & militari licentiâ obvium; è prætеritorum sæculorum factis, privilegiorum firmitas metienda. Si Aldelmus sanctus, cum Cedwalla & Rege & sancto Romam * ivit; si privilegia Malmesberiensi suo monasterio impetravit, & Inas Occidentalium Saxonum Rex, & alii post eum Reges privilegia illa probaverunt, ut supra dictum: ingens suspicio est, locum illum ab aliorum jurisdictione eximium fuisse. Quod quia Augustini monasterio apud Cantuarienses, id absque controversiâ concessum, ideo fortè Cantuariensis Archiepiscopus, à Malmesberiensi sumens querelæ exordium, vellet privilegiis omnibus derogari; quia scilicet, si paucis faveas, Principatus læditur. Nam itaque stibus implet omnia; quia nimirum Rogerus locum monachósque Augustini (ut ipse) successores, Romanorum Pontificum oraculo, Romanæ solum Sedi subditos, Cantuariensi Sedi subjicere voluit. Nam ita pergit:

v. an. 689. n. 13.

PONTIFICES SEMPER FOVERUNT MONASTERIA.

* v. an. 688. n. 5.

XVI. *Ideo hæc ad aures Eminentiæ vestræ, Reverende Pater, communi deploratione deferimus; quia pestis illa latissimè se diffundit. Adversus Primates, & Episcopos intumescunt Abbates: nec est, qui majoribus suis reverentiam exhibeat, & honorem. Evacuatum est obedientiæ jugum: in quâ erat unica spes salutis, & prævaricationis antiquæ remedium. Detestantur Abbates habere suorum excessuum correctorem; vagam impunitatis licentiam amplectuntur: claustralisque militiæ jugum relaxant in omnem desiderii libertatem. Hinc est, quod monasteriorum ferè omnium facultates datæ sunt in direptionem, & prædam. Nam Abbates curam carnis in desideriis agunt; non curantes, dummodò lautè exhibeantur, & fiat in diebus eorum. Claustrales verò quasi acephali otio vacant, & vaniloquio. Nec enim Præsidem habent, qui eos ad frugem vitæ melioris inclinent. Quod si tumultuosas eorum contentiones audiretis, claustrum non multum differre crederetis à foro. Hæc omnia, Reverende Pater, vestræ correctionis judicium postulant tempestivum. Nisi enim huic malo remedium maturius adhibeatur: verendum est, ne sicut Abbates ab Episcopis, ita Episcopi ab Archiepiscopis; & à Prælatis suis, Decani, & Archidiaconi eximantur. Et quæ est hæc forma justitiæ, aut potius juris deformitas, prohibere ne discipuli magistro consentiant, nè filii obediant Patri, nè milites sequantur Principem, nè servi Domino sint subjecti? Quid est eximere ab Episcoporum jurisdictione Abbates: nisi contumaciam & rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant quæso ista, & judicent, qui judicant Orbem terræ, nè inde emanare videatur injuria, unde jura sumuntur. Arguemur temeritatis, & dicemur os nostrum posuisse in cœlum: qui non de superbia spiritus, sed de atramentario doloris hæc scribimus. Sentimus etenim familiares angustias, qui publicas deploramus. Nec fortitudo nostra, fortitudo est lapidis, nec caro nostra ænea est, ut tam enormes injurias dissimulare possimus.*

Petr. Blesen. Epist. 68.

CONQUERITUR DE INOBEDIENTIA ABBATUM.

POSTULAT REMEDIUM A PONTIFICE.

XVII. Per familiares angustias, quæ querulas voces hactenus expresserunt, Rogerum intelligit Abbatem electum, nolentem Pontificium privilegium ad ipsius pedes deponere: quod revera fuisset subjectionem solvere Romanæ Sedi debitam: & sic æquo jure, ille diceretur, filius in parentem, discipulus in magistrum, servus in Dominum rebellis. Sed pergat Richardus monachis irasci: & facilè Lector perspiciet, unde ortus est irarum impetus: *Post Uriæ mortem, inquit, & adulterium Bersabeæ, missus est ad David Propheta, proponens ei paradigma de paupere, qui unicam habebat oviculam, quam abstulit ei dives, qui oves habebat innumeras. David verò de sententiâ requisitus, judicium mortis dictavit in divitem, & per consequentiam in seipsum. Et quis est hodie dives, qui habet oves innumeras, nisi Romanus Pontifex, qui Ecclesias orbis possidet universas? Et quis pauperior, quam Ecclesia Cantuariensis, quæ cum unam & unicam Abbatiam haberet, monasterium scilicet Sancti Augustini: quam sua providentia Pastoralis, paterno fovebat amplexu, eam dives ille propheticus, ne dicam Romanus Pontifex, in suam specialem, & propriam usurpavit. Si auderemus dicere quod sentimus: cum ex officio justitiæ reddatur unicuique quod suum est: non multum Romani Pontificis justitiam promovet: si alicui in alienam injuriam beneficium confert: si quod meum est, aufert; si ea committit in rebus Ecclesiasticis, quæ mundana potestas in sæcularibus abhorret. Apostolus ad Romanos loquens: Omnis inquit Creatura potestatibus sublimioribus subdita sit. Si Ecclesia Romana sic Apostolus scribit; quis tu Ecclesiâ Romanâ doctrinâ Apostolica contraire præsumpsisti? Ad Hebræos etiam scribens, dicit: Obedite Præpositis vestris.*

Blesen suprà. 2. Reg. 12.

URGET OBEDIENTIAM ABBATUM.

In hu-

In humano corpore membrum unum servire alteri non detrectat. Quidam Angeli aliis præsunt, nec inter se superbiam emancipationis admittunt. Unus eorum quandoque se eximere voluit à potestate divinâ, & de Angelo, diabolus factus est. Hodie per hujusmodi extraordinarias libertates multorum præcipitia machinantur. Adhuc replicamus, quia de facto Summi Pontificis disputasse, & sacrilegium commisisse dicemur. Veruntamen non est æqua disputatio: ubi sustinenti respondere non licet: nec rixa est, ubi tu pulsas, ergo vapulo tantum.

XVIII. *Si ex turbatione spiritus, & abundantiâ cordis os loquitur, inconsulto calori misericorditer indulgere velitis, Clementissime Pater; Dolor enim noster in conspectu vestro est, & gemitus noster non est à vobis absconditus.*

INTERCEDIT PRO ECCLESIA CANTUARIENSI.

Utinam in caput meum manum animadversionis indignatio vestra extenderet: dummodo per opprobria, & dolores meos Ecclesia Cantuariensis, in antiqua dignitatis gratiam respiraret. Quandoque Romanus Pontifex cogitabit per misericordiam Dei, ut complacitior sit adhuc. Nam si Ecclesiam S. Augustini specialem filiam vocat, filia specialior, & speciosior, & longè est dignior Ecclesia Cantuariensis: cui si monasterium sancti Augustini subjiciat: nihil subtrahit, nisi restituat alienum. Nam teste Gregorio nihil Ecclesiasticis deperit utilitatibus, si quæ sunt aliena reddantur. Scimus equidem quod ob quietem monasteriorum, & Episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserunt. Veruntamen in contrarium res versa est: monasteria enim quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis, sive Apostolicâ authoritate, sive quod frequentius est, bullis adulterinis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt. Ideoque & multa domus, quæ nominatissima sunt in sanctitate, & religione, has immunitates, aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuò rejecerunt. Si ergo Malmesburiensis Abbas, qui apud nos reputatur arbor sterilis, ficus fatua, & truncus inutilis, ad Vos venerit, vel miseris vitam, & opinionem illius, in librâ justitiæ appendatis: nec illius admittatis privilegia: donec manifeste liqueat, ex collatione scripturæ, & Bullarum; quo tempore, & à quibus Patribus sint indulta. Falsariorum enim præstigiosa malitia, ita in Episcoporum contumeliam se armavit; ut falsitas in omnium ferè monasteriorum exemptione prævaleat: nisi in decisionibus, & examinationibus faciendis, judex veritatis exacter districtissimus intercedat. Conservet vos Dominus, ad servandam debitam Ecclesiis libertatem.

XIX. Miratus sum aliquando, cur Guilielmus Neoburgensis, patriâ Eboracensis, in nuperâ lite inter Archiepiscopos duos, in Episcoporum ordinem calamum acuit, cum ibi Eboracensis causa iniquior fuerit: sed Cantuariensem quoque pupugit ea sententia: *Omnis ferè Episcopalis controversia circa honorum prærogativa versatur.* Sed venia dignus est hac vice Richardus, ingenuè professus se ex turbatione spiritus, & abundantia cordis loquutum, indignationem Pontificis, & animadversionis manum mereri. Enimvero Alexander nullam querulis vocibus aurem dans: quas facilè in querentem retorquere poterat: mandatum ille mittit, jubétque Rogerum, sine obedientiæ professione consecrare. Nolens, & indecorum putans, Gregorii magni, & multorum Romanorum Pontificum decretis refragari. Et quoniam è turbatione spiritus facilè vidit moram necti, & consecrationem protrahi posse: Wigorniensi Episcopo consecrandi Abbatis munus imponit; casu quo Cantuariensis, aut nolit, aut aliqua de novo causetur. Scripsit ergo Pontifex ita:

Neoburg. l. 3. c. 1.

EXCUSATUR RICHARDUS.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei: Venerabili Fratri ROGERO Wigorniensi Episcopo, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

apud Hoveden fol. 322.

XX. PRO ABBATE CANTUARIENSI.

CUm Venerabili Fratri nostro Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, olim dederimus in mandatis, ut dilecto filio nostro, electo sancti Augustini, in monasterio suo, quod ad jurisdictionem Romanæ Ecclesiæ nullo mediante, pertinet, munus benedictionis non differret aliquatenus impertiri: ex eo quod Archiepiscopus hoc agere recusavit: de jure potuissemus eidem electo, benedictionem ipsam per nos, vel etiam per alium, qui nobis non ita de facili contradiceret, exhibere. Volentes autem in eo adhuc obedientiæ virtutem pleniùs experiri: post longam disceptationem, quam idem Archiepiscopus, in præsentiâ nostrâ, per nuntios suos, contra ipsum electum super controversiâ benedictionis habuit: Quæ de communi Fratrum nostrorum Consilio per definitivam sententiam ita decisa est: Quod Cantuariensis Archiepiscopus, ipsum, & successores suos, in monasterio S. Augustini, absque exactione obedientiæ, contradictione postposita, benedicat, ex consueta, & abundanti Sedis Apostolicæ benignitate, eundem electum, pro munere benedictionis, ad memoratum Archiepiscopum duximus remittendum. Attendentes igitur labores, & expensas, quas idem monasterium super hoc, jam longo tempore sustinuit; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute Obedientiæ injungimus, quatenus si memoratus Archiepiscopus infra terminum nostris literis constitutum, eundem electum, sicut à nobis definitum est, benedicere distulerit: tu nostra fretus authoritate, omni excusatione, contradictione, & appellatione cessante, quàm citiùs, super hoc fueris requisitus, id efficere non moreris nullo decreto nostro, vel alterius, quo præceptum sit appellationi deferendum, impediente, nullis etiam literis obstantibus à nobis impetratis, vel impetrandis, nulla exceptione, qua minus, vel tardius mandatum nostrum adimpleas, resistente. Data Laterani decimo quinto Kalendas Maii.

XXI. Nihil obstantibus fortissimis his clausulis: nec Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, nec Rogerus Wigorniensis Episcopus, Rogerum Abbatem consecrasse videntur: nam nostri Annalium Scriptores, Abbatem, post multi temporis litem ab ipso Alexandro consecratum referunt. non quod Richardus Cantuariensis mandato refragatus sit: sed vel consecrationem accelerando, eandem declinaverit: vel certè fugerit alter benedictionem ejus. nam ita rem gestam narrat Rogerus: [Quod cum prædictus Cantuariensis audisset (nimirum scriptas ab Alexandro ad Wigorniensem literas, ut Rogerum, si nollet Richardus, consecraret) statim se ad monasterium Sancti Augustini venturum, ad prædictum electum benedicendum, secundùm formam Apostolici mandati. Quadam verò die, dum prædictus electus, pro negotiis domus suæ, in aliâ provinciâ iter ageret; venit ipse Archiepiscopus, cum clericis, & laicis quampluribus ad monasterium Sancti Augustini, asserens se illuc advenisse, ad prædictum electum benedicendum: & illo non invento, appellavit ad Dominum Papam, pro se,

RECUSANTE RICHARDO BENEDICERE ABBATEM S. AUGUSTINI BENEDICITUR AB ALEXANDRO. *Hoveden. fol. 373.*

PARKERUS OMNIA PERVERTIT.

& Ecclesiæ suæ dignitate. Unde factum est, quod electus ille, Romam profectus ab Alexandro Papa munus benedictionis accepit.] Ita ille. Hic contentiosum funem longiùs protrahit pseudo Cantuariensis Parkerus; vultque Richardum, ad Henricum Regem in Normanniam trajecisse, ibi de injuriâ questum, Regémque illi propitium, in Alexandri cupiditatem, omnia ejecisse. Sed imperitè pro suâ, non suâ, Sede disputat. Quid enim Henricus Rex, in eo negotio præstaret, quod non priùs Alexander præstitit: debuitne Rex, privilegia ab Ethelberto, Saxonum Regum primo Christiano Principe asserta, probatáque à consequentibus monachis, ad queruli Antistitis voces evertere? Noli id dicere: puta, quod verius est, Parkerum Romanis Pontificibus iratum, ubique Regibus adblandiri: quia eorum, non Dei, aut Romanæ Sedis gratia, Sedem ascendit. fuitque nomine tenus, sine benedictionis munere Cantuariensis Præsul.

XXII. Cæterùm quod ad Regularium subjectionem, obedientiámque Episcopis præstandum: licet aliqui, vel meritis suis, vel majoris spe fructus, vel consueta, ut supra Romanæ Sedis benignitate, eximii fuerint. Id tamen religioso instituto commune non fuit: & Regulares Canonici, qui à majori Augustino regulam cepêre, hoc anno Gilberto Londinensi Episcopo subjectionis votum ediderunt: dato illis monasterio, in Essexiensi agro, quod Haroldum sæcularibus Canonicis implevit, anno millesimo sexagesimo secundo, ut dictum ibi *. A quo tempore, ad hunc usque annum, Sæculares Canonici, incolæ fuerunt. Nunc Regi & Episcopo visum aliter, & Sæcularium loco Regulares succedunt. Ita habet Parisiensis: [Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, amotis ab Ecclesia Walthamensi, Canonicis, quos Sæculares vocant, introducti sunt Regulares authoritate Summi Pontificis, in vigiliâ Pentecostes, Rege procurante Henrico & præsente; & eâdem die Radulphus Cicestrensis Canonicus, de manu Londoniensis Episcopi curam Ecclesiæ prædictæ suscipiens; ipsi tanquam diœcesano, de Canonica obedientia servanda, verbis se obligavit expressè. Et fratribus cum eo introductis, Prior est ab eodem Episcopo assignatus, & in sua Sede solenniter collocatus.]

* v. an. 1062. n. 1. & an. 1066 n. 13.

Paris hoc.

REGULARES CANONICI S. AUGUSTINI INDUCTI IN LOCUM SÆCULARIUM CANONICORUM.

XXIII. Dixi supra *, excitatam inter Hispaniarum Reges controversiam; & huis arbitrum (Judicem potiùs) ab utraque parte electum, Angliæ Regem, directos denique ad eum Oratores, qui controversiæ capita, nodósque, quos Henricus expediret, exponerent. Henricus hoc anno, maturo, cum Episcopis, & regni Proceribus consilio, cum litem solvisset, ita ad Hispaniarum Reges, pro eorundem concordiâ rescripsit:

* v. an. 1176. n. 15.

apud Hoveden fol 565.

HENRICUS REGIBUS IN HISPANIA PRO PACE INTER ILLOS.

HENRICUS Dei gratia Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, & Aquitanniæ, & Comes Andegaviæ: Charissimis amicis suis, ALDEFONSO Regi Castellæ, & Sanctio Regis Navarræ, Salutem.

Sicut ex literarum vestrarum tenore, & nuntiorum vestrorum Ioannis Episcopi Terasonensis, Petri de Areis, Gunteri, Petri de Rinoso, relatione: & nuntiorum vestrorum, Episcopi Palentina, Comitis Gumes, Loldiez, Gomes Garsia, Garsi Garsi, Petri, Petri, Gotteri Fernanz, Episcopi Pampeluna, Garsia Bermer, Sanctii Ramiri, Espaignol de Taisonal, Petri Raimiri, Ascenar de Chalez, assertione cognovimus: placuit utrique vestrum, querimonias inter vos habitas, super quibusdam Castellis, & terris, cum earum terminis, & pertinentiis, judicio nostro terminari. Nos verò fidelibus, & nuntiis vestris, eâ, quâ decuit, veneratione susceptis; pacem inter vos, honori Dei, & toti Christianitati plurimùm profuturam attendentes: divina pietatis, & communis utilitatis intuitu, negotium hoc in nos suscepimus. Fidelibus itaque à vobis communiter electis, & procuratoribus, & advocatis causarum vestrarum, in præsentia nostra, & Episcoporum, & Comitum, & Baronum nostrorum constitutis; petitiones, & allegationes utriusque partis diligenter audivimus, & intelleximus.

XXIV. CAUSÆ DISSENSIONIS INTER ILLOS REGES.

Proponebant siquidem hi, quibus causa Aldefonsi Regis Castellæ commissa fuerat, Sanctium Regem Navarræ, memorato Regi Castellæ, dum adhuc pupillus esset, & orphanus, castella, & terras, scilicet Logronium, Navarret, Andeva, Aptol, Agoscio, cum omnibus terminis & pertinentiis suis, quæ Pater suus, die qua decessit, & ipse post, aliquot annis, quietè possederat, injustè & violenter abstulisse. Unde & eorum fieri restitutionem postulabant. Illi verò, quibus causa Sanctii Regis Navarræ commissa fuerat: nihil eorum quæ ab aliis proposita fuerunt contradicentes: afferebant Aldefonsum præfatum Regem Castellæ, prænominato Sanctio Regi Navarræ, castella: scilicet Legunn, Portol, & castellum quod tenet Godin, per guerram, & injustè abstulisse. Et parte altera in nullo contradicente sibi, eorum sibi fieri petitionem, pari petebant instantia. Præterea in scripto vestro continebatur communi; vos treguas inter vos, usque in septennium fide interposita firmasse: & hoc ipsum nuntii vestri in jure palam sunt protestati.

XXV. MONET HENRICUS UT PACEM FACIANT.

Habito igitur cum Episcopis, Comitibus, & Baronibus nostris, cum deliberatione consilio; pacem inter vos ad fidem Christianorum propagandam, & inimicorum Christi confessionem necessariam fore considerantes: plenam etiam tam ex scriptis vestris, quàm nuntiorum assertionibus, fiduciam concipientes: quod in pace firmanda, & servanda, consilio nostro, & praecepto parebitis, ante judicii pronuntiationem, suprascriptis querelis, & treguis. Mandamus vobis per nuntios vestros, & consulimus, & præcipimus, & adhuc etiam præsenti scripto mandamus: ut pacem inter vos firmetis, & in perpetuum fideliter observetis. Super querelis verò prætaxatis, de castellis, & terris cum omnibus terminis & pertinentiis suis, hinc inde injustè & violenter ablatis: cum nihil contra violentiam, utrinque objectam, a parte alterutrâ, alteri responderetur: nec quicquam quò minùs restitutiones, quas petebant, faciendæ essent, allegaretur: plenariam utrique parti supradictorum, quæ in jure petita erant, fieri restitutionem adjudicavimus. Adjunximus etiam ex judicio treguas præfatas inter vos (ut prædictum est) fide firmatas; sicut ex scripto vestro, & nuntiorum vestrorum publica confessione, in jure facta, nobis constitit, usque ad constitutum inter vos terminum, inviolabiliter observandas. Volumus etiam, & præcipimus pro bono pacis, ut Rex Aldefonsus dilectus Filius noster, donet Sanctio Regi Navarræ, avunculo suo, singulis annis, usque ad decennium, tria millia Marabotinorum, ad tres terminos in anno, Burgis recipienda: scilicet, ad quatuor primorum mensium, post prædictam restitutionem utrinque factam, mille Marabotinorum: & ad finem quatuor mensium proximò

UT TREGUAS OBSERVENT.

QUÆ ALDEFONSUS DEBUIT DARE SANCTIO REGI.

sequen-

ſequentium, mille marabotinorum, & adfinem quatuor menſium tertio ſequentium, mille marabotinorum. Ita ut ſingulis de decem annis ſequentibus prædictam reſtitutionem, ſolvantur tria millia marabotinorum, ad eoſdem terminos, & in loco prænominato, Sanctio Regi Navarræ. Præterea nuntii utriuſque firmiter juraverunt ante ſententiæ pronuntiationem, vos prædictum judicium noſtrum, tam de reſtitutionibus, quàm de treugis, firmiter obſervaturos. Et niſi feceritis, quod corpora ſua tradent in manum noſtram, & poteſtatem.

XXVI. *Teſtibus his Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Hugone Dunelmenſi Epiſcopo, Gaufrido Elienſi Epiſcopo, Rogero Wigornenſi Epiſcopo, Bartholomæo Exonienſi Epiſcopo, Gileberto Londonienſi Epiſcopo, Waltero Roffenſi Epiſcopo, Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo, Ioanne Norwicenſi Epiſcopo, Ioanne Ciceſtrenſi Epiſcopo, Roberto Herefordenſi Epiſcopo, Epiſcopo de Sancto David* (Petrum intelligit ſuperiori anno conſecratum Menevenſem Epiſcopum) *magiſtro Ada, Epiſcopo de Sancto Aſaph, Epiſcopo de Bangor, Chriſtiano Epiſcopo Candidæ Caſæ: & Gaufrido filio Regis, Comite Britanniæ, Willielmo Comite Albemarliæ, Roberto Comite Leiceſtriæ, Willielmo de Mandevile Comite de Eſſex, Willielmo Comite Glouceſtriæ, Willielmo de Arundel Comite de Suſſexe, Hugone Comite Ceſtriæ. Et de Baronibus Angliæ, Richardo de Luci, Willielmo de Veſci, Henrico de Laci, Odouel de Umfranvile, Roberto de Vals, Rogero de Mubray, Roberto de Stutevile, Philippo de Kimbe, Rogero Bigot: & aliis multis tam Clericis, quàm Laïcis.* Hactenus Henrici Regis judicium: datum hoc anno, ut ex ſubſcriptis teſtibus ferè patet. Nam Epiſcopos ſupra ſuis locis nominavimus. inter quos Scotus unus ponitur Chriſtianus Candidæ Caſæ Antiſtes: quam Sedem olim ad Saxonem ſpectaſſe, & Eboracenſi Archiepiſcopo, ſupra probavimus. nunc autem, & deinceps, locus ille, Scotorum juris eſt: vel Anglorum ceſſione, vel Scotorum ambitu pomerium ſuum, ubi opportunum eſt, proferentium. Ad Eboracenſem tamen Eccleſiam, Candidæ Caſæ Epiſcopum ſpectare, Rogerus ſtatim ſtipulabitur.

Candida Casa quando Juris Scotorum.

XXVII. E nominatis Comitibus, qui teſtimonio ſuffragati ſunt, aliqui hoc anno in Palæſtinam profecti, egregiam ibi Chriſtianæ rei operam præſtiterunt, & inſigni victoriâ, Chriſti fidem propagarunt, eos inter Gulielmus de Mandevilla Eſſexiæ qui aliis celebratur: de quorum expeditione hoc anno ita ſcribit Rogerus: [Eodem anno venit in Angliam Philippus, Comes Flandrenſis, ad loquendum cum Rege Angliæ: & acceptâ ab eo licentiâ peregrinandi, ipſe, & Willielmus de Mandevile Comes de Eſſex, & multi Barones, & milites de diverſis Regionibus, ſigno Crucis ſignati Jeroſolymam profecti ſunt.] Commodum accidit eorum in Palæſtinam adventus; Enimverò Saladinus, niſi pro Chriſto fortiter feciſſent, Chriſtianam ibi fidem Turcarum rabie oppreſſiſſet. Sed noluit Deus, docuitque Chriſtianos Conſtantino duce, Cruce inquam explicatâ, in perfidos pugnare: qui victoriâ, de hoſte triumpharunt dicat id Rogerus cum Guilielmum de Mandeville præmiſiſſet. [Interim Saladinus (inquit) Rex Babyloniæ aſſociatis ſibi Regibus, & Principibus Paganorum, cum pluſquam quingentis millibus militum, & peditum, intravit terram Chriſtianorum: & non longè à ſancta Civitate Jeruſalem, ſua fixerunt tentoria. Quo audito Templarii, & Hoſpitalares, & milites Regis Jeruſalem, qui ad civitatem cuſtodiendam remanſerant, exierunt obviam paganis, cum plebe urbis armatâ, Epiſcopo de Bethleem, lignum Dominicæ Crucis præferente; & audacter fecerunt impetum in Paganos, & longiùs ire coegerunt. O ſumma virtus altiſſimi! Chriſtiani cum non eſſent pluſquam decem millia virorum pugnantium victoriam habuerunt de quingentis millibus Paganorum, per virtutem altiſſimi. Viſum enim erat Paganis, militia cœleſtis exercitus quaſi per ſcalam deſcenderet in ſimilitudinem militum armatorum: & congreſſum cum illis faceret, in adjutorium Chriſtianorum. Cujus impetum Pagani ſuſtinere non valentes, verſi ſunt in fugam: & Chriſtiani ſecuti ſunt eos in ore gladii, & interfecerunt ex illis, pluſquam centum millia, & multos ceperunt. Sed Saladinus per Curſarios ſuos evaſit: multos tamen de nepotibus, & conſanguineis ſuis, & Principibus exercitus ſui, in prælio illo amiſit. Præterea ad confuſionem Paganorum, & Chriſtianæ fidei confirmationem, viſum erat Paganis, quòd ſummitas ligni Dominicæ Crucis, quod Epiſcopus Bethleemiticus geſtabat, cælum attingebat: & quòd brachia illius totum amplexabantur orbem: & inde exterriti fugerunt. Chriſtiani autem glorioſa potiti victoria, cum gaudio reverſi ſunt in Jeruſalem, & repleverunt terram ſpoliis interfectorum. Factum eſt autem prælium hoc ad laudem, & gloriam Domini noſtri Jesu Christi, anno gratiæ millesimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, in planitie de Rames, ſeptimo Kalend. Decembris.]

Roger. Hoved fo. 566.

Saladinus cum quingentis millibus intrat Terram Sanctam

Roger. ſupra.

XXVIII. Libenter lego trophœa Crucis, qua Britannorum, Saxonum, Anglorum Reges ſæpè ſoſpites triumpharunt. Illo telo Conſtantinus in Licinium, in Maxentium, in barbaras gentes pugnavit, & vicit: Illo Oſwaldus* Rex, ingentem Pendæ Regis infidelis exercitum profligavit: Illo Ethelredus* Monarcha Danos mirabiliter fudit, cum Angliam miſerè laceraſſent; quæ ſupra ſuis locis annotavi, primo, altero, tertióque tomo. Nam ubi de fidei exterminio agitur, Crux ubique feliciter explicatur; quæ cælum capite tangens, brachia latiſſimè expandit; dextero fovens bonos, malos ſiniſtro terrens, utrobique nobis ſuggerens Chriſtum Cruce mundum ſubjugaſſe: Hinc Angeli in cælo, & Orthodoxi in terris, Cruci ſemper plurimum detulerunt; illam in templis, ædibúſque ſacris, ad cultum; in urbibus, in foro, in compitis, addo etiam in campis, viarúmque divortiis, ob Chriſti paſſionis memoriam: denique in coronis Regum ſtatuerunt; ut quocumque oculos verterent, redemptionis mnemoſynon, animo cum gaudio volventes, cælum ſuſpirarent. Dæmones contra, infideles, barbari, cacodoxi, Crucis aſpectu cruciantur; è templis illam amovent, publicè proſtantem dejiciunt, privatim inventam lacerant, ab eo ſine dubio docti, quem Chriſtus in Cruce triumphavit. Comes noſter Eſſexiæ hoc anno Cruce ſignatus, & eo hieroglyphico, Chriſti ſe ſervum profeſſus, multos ſecum ex Angliâ duxit, in Crucis hoſtes pugnaturos: & piis pugnantium votis Deus adfuit. Elatam Crucem, nec barbari, nec Barbarorum dux Cacodæmon ſuſtinuit, nullam in Crucis beneficio redemptionis partem habituri.

Trophæa Crucis.

* v. an. 63[4] n. 5.

* v. an. 87[1] n. 11 12. &c.

XXIX. HENRICUS CREAT IOANNEM FILIUM DOMINUM HIBERNIÆ.

Henricum interim Anglorum Regem, qui Cruce se signandum voverat, in Angliâ publica regni negotia detinent. Ille filiorum commodis totus intentus, Joannem ultimò genitum, quem sibi obsequentem habuit, & eo nomine fovebat teneriùs, Hiberniæ Dominum creat. In eam rem Ordinum conventum hoc anno Oxonium vocat, & Alexandri permissu, si Rogerum audimus, Hiberniæ etiam Regem dicit. Giraldus Cambrensis præmissum in Hiberniam Dubliniensem Episcopum narrat, qui Joanni venturo viam, animósque provincialium præpararet. [Anglorum (inquit) Rex, quod olim mente conceperat, totum Hiberniæ dominium in juniorem filium, Joannem nomine, cum effectu transferre procurans: qui cuncta quoque terræ illius homagia, patris assensu, dudum susceperat, Joannem Dublioensem Archiepiscopum circa Kalend. Augusti, tanquam adventus filii sui præcursorem in Hiberniam transmisit.] Joannes non eodem, sed diu post, sequutus est Episcopum. nam idem Author paulò inferiùs ita scribit: [Præparatis igitur & expeditis ad tantam expeditionem, patris opera necessariis. Joannes Anglorum Regis filius, natu junior, translato in ipsum Hibernici regni dominio, sequenti Quadragesimali tempore (nimirum ab adventu Patriarchæ, ut dicam an. 1185.) per maritimam Australis Cambriæ viam ad Meneviæ partes tendens; & Pembrochiam veniens: virum quoque magnificum, Ranulfum Glanvillensem, principalem, & præcipuum Regis, ac regni tunc Consiliarium, & Angliæ totius Justitiarium, usque ad navem ipsam deductorem habens, quarto Paschali die, euro ad vota spirante, pulcherrimam in Milvordico portu constitutam classem ingreditur: ob prematurum auræ favorem, Venerabili Menevensi Ecclesia, omine sinistro, prætermissa. Vesperi verò se mari committens, circa meridiem mane, maris permenso spatio, cum militibus quasi trecentis *, satellitibus quoque equestribus, & sagittariis multis, apud Waterfordiam applicuit.]

Girald. Hib. expug. l. 2. c. 24.

Hæc de adventu Ioannis in Hiberniam, non ad hunc annum, sed ad annum Domini 1186. referenda.

Idem suprà c. 31.

JOANNES APPLICAT IN HIBERNIAM

*alias 400.

XXX.

Prosequitur auctor, narratque Comites, qui Joannem in Hiberniam secuti sunt; eos inter Giraldus ipse, vir sanè eruditus, & expugnatæ Hiberniæ, aliorúmque librorum scriptor, Joanni datus in magistrum, proficiscitur, de quo ipse in hunc modum. [Transmissi sunt cum ipso, & eodem navigio, Clerici plures, quorum unus specialiùs à Patre cum filio directus, naturalis historiæ diligens perscrutator, per biennium tunc in Insulâ, & ante, moram faciens, tanquam pretium laboris, & præmium, tam libri vaticinalis, quàm Topographiæ, secum materiam reportavit. Quam & in Britanniam postmodum, tamen inter ipsas Curiæ curas, quinquennali studio digerens, & disponens, Topographiam triennio, Vaticinalem historiam biennii labore complevit.] Ita auctor de seipso. Joannis in Hiberniam adventus, provincialium animos in amorem primò, mox in odium excitavit. nam juvenis Princeps, & qui cum eo, Hibernorum mores, & agrestem habitum subsannantes, ex amicis alienos, è subditis, rebelles fecere. Gens enim contumeliæ impatiens, Anglorum amicitiam & societatem colere, nemini verò servire docta, exulceratum in omnes Anglos animum, statim à Joannis adventu cœpit ostendere. Unde res ibi in deterius lapsa. Ad tempus quod attinet appulsus novæ coloniæ, Rogerus illud ita consignat. [Deinde Henricus Rex venit Oxeneford (nimirum anno millesimo centesimo septuagesimo septimo) & in generali Concilio ibi celebrato, constituit Joannem suum Regem in Hiberniâ, concessione & confirmatione Alexandri Summi Pontificis.] Regis tamen titulum, aut Henrico, aut filio, ab Alexandro datum, apud alios non invenio: intellige igitur eo nomine, supremum in Hibernos dominium: & quia Reges ibi, Joanni subdebantur, non malè Regiæ excellentiæ nomenclatura exprimitur.

Girald. sup.

PLURES CLERICI IVERUNT CUM JOANNE.

JOANNES OFFENDIT HIBERNOS.

Hoveden. fol. 566.

XXXI.

In prædicto Oxoniensi conventu multa præter Joannis præfecturam ventilata sanciuntur: officiorum in Hiberniâ collatio, terrarum, juriúmque dispensatio; provinciarum distinctio; quæ in speciem Anglorum regno commoda: sed quia populo frænum, nováque & major servitus, odium peperêre. Walliæ etiam Principes conventui adfuerunt, Resus Griffini filius inter Silures Princeps; Ordnvicus quoque Regulus David filius Oweni, qui Henrici Regis sororem, uxorem duxerat: Cadwalanus etiam, Owenus alter, & Griffinus de Brunfield, & alii è Britannorum primoribus: [Et omnes (inquit) devenerunt homines Regis Angliæ Patris: & fidelitatem ei contra omnes homines, & pacem sibi, & regno suo servandam juraverunt. In eodem autem Concilio (pergit auctor) dedit Dominus Rex Angliæ prædicto Reso, filio Griffini, terram de Meronnh (est Ordovicum regio, editis montibus conspicua, quam Latini quandoque Merviniam dixerunt) & David filio Owenoi, terram de Ellesmere (Regiuncula est in Coroaviis, & Salopiensi agro, quam David modico temporis spatio videtur tenuisse.) nam Joannes, Angliæ tunc Rex, nunc Hiberniæ Dominus, dedit Regionem illam Lewelino Northwalliæ Principi in dotem, cum illi filiam suam Notham in matrimonium collocavit.] inquit Cestrensis monachus.

PRINCIPES WALLIÆ FIUNT HOMINES REGIS.

Hoved. sup.

apud Camd. in Shropshir.

XXXII.

Hoc etiam anno Vivianus S. R. E. Presbyter Cardinalis, qui paulò ante in Hiberniam ab Alexandro, Apostolicæ Sedis Legatus missus est: [Peractâ Legatione (inquit Rogerus) rediit in Angliam: & per conductum Domini Regis redit in Scotiam: & celebrato Concilio apud castellum puellarum, suspendit à Pontificali officio Christianum Episcopum Candidæ Casæ; quia ad Concilium suum venire noluit Sed Episcopus Candidæ Casæ suspensionem illam non tenuit, septus munimine Rogeri Eboracensis Archiepiscopi, cujus suffraganeus ipse erat.] Nos * supra pluribus in locis, multorúmque testimonio ostendimus Candidam Casam, Northumbrorum Regum juris fuisse, in Berniciorum provinciâ, ubi Ninianus, Britannus ipse, Sedem primus constituit. Unde supra ad annum septingentesimum vigesimum tertium Thomæ Dempsteri confidentiam accusavi scribentis. [Hoc certo liquet, Candidæ Casæ Episcopatum semper ditionis fuisse Scoticæ.] Nam non solùm Beda, Malmesburiensis, & antiquiores plurimi in contrarium sunt: sed nuper Jacobus Usserus in Primordiis Dempsteri lemma illud frontémque miratus, doctè redarguit. nec video Christianum hoc anno accusari, postquam Eboracensis Episcopus, suspensioni intercessit. quod etiam tunc Anglorum Ecclesiæ juris fuisse, argumentum est; quantumvis ab Edgari Regis cessione, Laudonia omnis ad

Hoveden. fol. 567.

VIVIANUS CARDINALIS SUSPENDIT AB OFFICIO EPISCOP. CANDIDÆ CASÆ.

* v. an. 565. n. 4. & an. 723. n. 21. & 703. n. 3.

v. an. 723. 21.

Scotos transiverit, anno, ut dictum est nongentesimo sexagesimo. n. 14.

XXXIII. RELIGIO IN SANCTOS.

Magna fuit his temporibus fidelium Christianorum erga Sanctos, eorúmque reliquias, devotio atque religio: & anno sequenti Deus illam mirabiliter probabit, faciétque Reges, Sanctis, Sanctorúmque corporibus supplices. Quod ad hunc annum spectat, cum Anglia Sanctorum corporibus exuviisque abundaret, qui in minori Britanniâ erant fideles, rati nullam in holocausto rapinam, peccatum esse; cum è majori Britanniâ, nec prece, nec pretio hujusmodi thesauros nancisci possent; furtivè corpus Sancti Petroci, è Cornubia, in minorem Britanniam; incertum quo anno, transtulerunt: & in Sancti Maini sive Mevennii (è nostrâ quoque Britanniâ oriundi*) monasterio posuerunt. Non ante hoc rescitum quàm Henricus regnaret, secundus eo nomine: qui auditâ Cornubiensium querimoniâ, & juris in minorem Britanniam habens ditionem, mandat sacra ossa postliminiì jure restitui. De quo ad hunc annum ita Rogerus: [Eodem anno Martinus Canonicus Regularis de Bomine (Bobminiam intelligit, de qua ad annum quingentesimum sexagesimum quartum) furtivè asportavit corpus Sancti Petroci: & fugiens secum detulit in Britanniam ad Abbatiam sancti Mevenni. Quo comperto, Rogerus Prior Ecclesiæ de Bomine, cum saniore parte Capituli sui, adiit Regem Angliæ patrem: & adversus eum effecit, quod præcipiendo mandavit Abbati, & conventui sancti Mevenni; ut sine dilatione redderent corpus Beati Petroci, Priori de Bomine. Et nisi fecerint, præcepit Rex Rollando de Dinant, Justitiario Britanniæ, ut corpus illud sanctum vi tolleret, & prædicto Priori de Bomine traderet. Quo audito Abbas & conventus S. Mevenni, Ecclesiæ suæ præcaventes indemnitati, & non audentes Regiæ resistere voluntati, corpus illud reddiderunt sine ulla diminutione, Rogero Priori de Bomine: jurantes super sancta Evangelia, & super Sanctorum reliquias, quod ipsum idem corpus, & non alteratum, cum omni integritate reddiderunt.]

*v. an. 566. n. 21.

Roger Hoveden fol. 387. MARTINUS CANONICUS FURTIVE ASPORTAVIT CORP. S. PATROCI IN BRITANNIAM.

REX JUBET ITERUM REDUCI.

ANNUS CHRISTI 1178.

ALEXANDRI III. PAPÆ 20.

HENRICI II. REGIS 24.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus centesimus septuagesimus octavus: quo extincta schismatis peste, quæ universum Orbem concusserat; alia nascitur in Gothicanis partibus, & Tolosates inficit: quam Deus sine dubio permisit, ut firmarentur in fide fideles; & orthodoxi, omni sæculo, scirent, quâ ratione cavenda, quâ ratione curanda sit hæresis. *Nam* (ut ait Apostolus) *oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Imprimis laudanda est nostrorum Regum pietas & religio, quæ in Ecclesiæ pacis, fideíque turbatores justissimâ irâ insurrexit, brachiumque in vindictam exercere priùs cœpit, quàm ab Ecclesiastico judice rogarentur; sed impetum illum, secundæ, hoc est, meliores curæ tenuerunt, ut Ecclesiæ judicium sæcularem manum præcederet. De quo ita Baronius ad hunc annum: [Duo Reges, pietate insignes, Francorum scilicet, atque Anglorum, adversus Tolosanos hæreticos sæpè fugatos, & pœnè extinctos, iidem reviviscentes, sibi dant dexteram, ut junctis viribus illuc se conferant, cum militibus ad eosdem radicitus extirpandos. Sed mutato consilio consultius visum: ut per Ecclesiæ ministros, verbi prædicatione rem agerent. Sicque per Legationem Apostolicæ Sedis, & viros doctrinâ, atque sanctitate insignes experiri, & ipsorum conversionem curare studerent. Quid autem actum fuerit Rogerus in Annalibus Anglorum, scriptor accuratissimus ita describit.] Hæc Baronius.

1. Cor. c. 11. v. 19.

Baron. hic. REGES FRANC. ET ANGL. CONVENIUNT IN HÆRETICOS TOLOSANOS.

II. Et quoniam Annalium conditori placuit Rogerum exscribere; ejus ego industriam sequutus, unum præfabor, vix ullum his postremis sæculis nasci in fide monstrum, quod ex antiquis, profligatis, damnatisque hæresiarchis, originem ortúmve non repetat. Nam quod uno tempore, uno sæculo, unâ viâ perficere cacodæmon nequit: conatur alio: & semper circuit quærens quem devoret. Et demum cum videt, stante Ecclesiæ authoritate firmâ, inconcussâ, infallibili; sua dogmata stare nullo modo posse: ad illam subvertendam, hoc nupero sæculo, arietem omnem conatumque admovit: ut muro illo & antemurali dejecto, ad omnem errorem, & omne vitium egressus pateret: incassum aliter sine dubio laboraturus. Enimvero quamdiu medico, & medicinæ peritis, in morbi curatione creditur, sperari potest ægri salus: si neglecto medico, & omnibus medendi peritis; aut æger ipse seipsum: aut imperitus alter curandi munus præsumit: de ægri valetudine, quis non timeret? Ariana hæresis Britanniam nostram afflixit olim: Et Gallia misit insignes medicos, Germanum, Lupum, Severum Episcopos: & Deo laus plenam eo modo sanitatem est adepta. Nunc simili morbo Galliæ pars, Narbonensis provincia laborans, non Regia manu, & armorum strepitu præcedente: sed eo modo (si opus est) subsequente: & Angliæ Episcopo suppeditante curanda est. Et ita factum. Nam Reges, ad mali curationem Brachium Ecclesiasticum implorarunt, & duos è suis Episcopis Henricus in remedium misit: quod Rogerus ita refert:

NULLA HÆRESIS NASCITUR IAM QUÆ AB ANTIQUIS ORIGINEM NON HABET.

III. [Interim Ariana hæresis (Manichæam potiùs dicendam esse monet Baronius) quæ damnata erat, in provinciâ Tolosanâ, jam revixerat. Quod cum ad aures Regis Franciæ, & Regis Angliæ perveniret; zelo Christianæ fidei accensi statuerunt, quod illuc irent in propriis personis: ut prædictos hæreticos prorsùs è finibus illis eliminarent: Elapso deinde aliquanto temporis spatio; videbatur eis plus posse proficere, si viros sapientes illuc misissent, qui hæreticos prædicatione & doctrinâ ad fidem Christianam converterent; quàm si ipsi, in propriis personis illuc ire properassent. Dictum enim eis erat: Vindictam mandasse sat est. Plus numinis horror, quàm tuus ensis aget: Minuit præsentia famam. Miserunt ergo illuc Petrum tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, & Bituricensem, & Narbonensem Archiepiscopos, & Reginaldum Bathoniensem Episcopum, & Joannem Pictaviensem Episcopum, & Henricum Abbatem Clarevallensem, & alios multos viros

Hoveden. fol. 378. ARIANA SEU POTIUS MANICHÆA HÆRESIS REVIXIT.

Ecclesiasticos: ut prædicatione sua, hæreticos illos, ad fidem Christianam convertereut: vel rationibus probabilibus illos esse hæreticos manifestarent: & à liminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, & fidelium consortio sequestrarent. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat. Præterea prædicti Reges elegerunt Raimundum, Comitem Tolosanum, & Vice-Comitem de Turena, & Raimundum de Castronovo, & alios viros potentes: & præceperunt quòd ipsi prædicto Cardinali, & sociis suis, in fide Christi assisterent; & hæreticos illos è finibus illis expellerent.

IV. Cum igitur prædictus Cardinalis, & cæteri viri Catholici, Tolosam essent ingressi, invenerunt ibi quendam divitem, duo castella habentem, unum intra civitatem, & aliud extra muros civitatis: qui ante illorum adventum se hæreticæ pravitatis sectatorem confitebatur: sed jam præ timore exterritus, sectam illam execrabilem velare cupiens, Christianissimum se esse simulabat. Quod cum Cardinali innotuit; præcepit prædictum divitem sibi præsentari. Qui cum venisset, ut fidem suam confiteretur; in omnibus articulis inventus est fidei Christianæ contrarius. Et ideo à prædicto Cardinali, & Episcopis, qui cum eo erant manifestus hæreticus judicatus est, & condemnatus. Et ab illis præceptum est, ut res illius confiscarentur, & turres ejus quas proceras, & pulcherrimas habuit, demolirentur. Videns ergo se damnatum, & res suas confiscari, venit ad Cardinalem, & socios suos Episcopos: & ad eorum pedes prostratus veniam postulavit: & injunctâ sibi pœnitentiâ, nudus ducitur, & flagellatur per plateas & vicos civitatis. Deinde juravit se Hierosolymam iturum, & ibidem in Dei servitio, per triennium moram facturum: etsi post triennium, domum rediret, possessiones suæ redderentur ei: ita tamen ut turres suæ caderent in testimonium hæreticæ pravitatis: & ipse daret Domino suo Comiti Tolosano quingentas libras argenti. His ita gestis, multi hæretici timentes, ne simili modo tractarentur, venerunt ad Cardinalem, & ad socios suos: & secretò confessi errorem suum, & veniam postulantes, misericordiam consecuti sunt.

Uno hæretico punito, reliqui convertuntur.

V. Inter hæc pervenit ad aures eorum; quod quidam falsi fratres, Raimundus videlicet, & Bernardus Raimundi, & quidam alii hæresiarchæ, transfigurantes se in Angelos lucis; cum sint Satanæ, & Christianæ fidei contraria prædicantes; multorum animas falsa prædicatione sua decipiebant, & secum traxerant ad inferos. Qui cùm invitati fuissent; ut ad præsentiam Cardinalis sociorúmque ejus venirent, ut fidem suam confiterentur. Responderunt se ad eorum præsentiam venturos; si eundi, & redeundi haberent securitatem. Data itaque eis securitate eundi & redeundi: venerunt coram prædicto Cardinali, & Episcopis, & Comitibus, & Baronibus, & Clero, & populo, qui aderant: & in medio protulerunt quandam chartam, in qua fidei suæ articulos conscripserant. Quam cum prolixiùs perlegissent; quædam verba videbantur in ea suspecta exilltere: & nisi pleniùs exponerentur, hæresim, quam prædicaverant, possent velare. Cumque unus illorum articulos illos conscriptos exponere, & latinè loqui vellet; vix duo verba conjungere potuit; utpote qui linguam Latinam penitùs ignoravit. Tunc necesse fuit Cardinalem illum, & Episcopos illis condescendere: & propter illorum imperitiam, vulgarem habere sermonem. Itaque de articulis fidei Christianæ examinati; responderunt super omnibus articulis fidei, ita sanè, & circumspectè, ac si Christianissimi essent. Quod cum Comes Tolosæ & cæteri, qui priùs audierant ipsos Christianæ fidei contraria prædicasse, audissent; vehementi admiratione commoti, Christianæ fidei zelo succensi surrexerunt, & eos planè in caput suum mentitos fuisse, manifestiùs convicerunt dicentes: se audisse à quibusdam illorum: quod duo Dii existerent; alter bonus, & alter malus. Bonus, qui invisibilia tantùm, & ea quæ mutari, aut corrumpi non possunt, fecisset. Malus, qui cælum, terram, hominem, & alia visibilia condidisset. Alii autem affirmaverunt, se in illorum prædicatione audisse, corpus Christi non confici per ministerium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Alii autem dicebant, se audisse ab eis, in prædicatione sua, virum cum uxore non posse salvari, si alter alteri debitum reddat. Alii autem dicebant: se ab eis audisse; Baptismum parvulorum parvulis non prodesse: & alias quamplures contra Deum, & Sanctam Ecclesiam, atque Catholicam fidem blasphemias protulisse: quas abominabili earum enormitate tacere utilius est, quàm referre.

Raymundus et Bernardus Raymundi hæretici.

Offerût chartam suæ professionis.

VI. Hæretici antem illi, ad hæc, contradicebant, & dicebant illos falsum dixisse adversus eos testimonium. Dicebant enim publicè, coram prædicto Cardinali, & Episcopis, & universis adstantibus, & confitebantur, & firmiter asseruerunt, quòd unus Deus altissimus omnia visibilia, & invisibilia condidisset, & penitùs denegabant duo esse principia. Confessi sunt etiam; quòd Sacerdos, sive bonus, sive malus, justus, vel injustus; & talis etiam, quem adulterum, aut aliàs criminosum indubitanter esse scirent; corpus & sanguinem Christi posset conficere, & per ministerium hujusmodi Sacerdotis, & virtutem divinorum verborum, quæ à Domino prolata sunt; panis, & vinum, in corpus, & sanguinem Christi verè transfsubstantiabatur. Asseruerunt; quòd parvuli, vel adulti nostro baptismate baptizati, salvantur: & nullus sine eodem baptismo potest salvari: omnino inficiantes se aliud baptisma, aut manus impositionem, sicut eis imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilominùs, quòd vir & mulier matrimonio copulati; si aliud peccatum non impediat: licet carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonium excusati salvantur, & propter hoc nunquam damnantur. Archiepiscopos præterea, & Episcopos, & Presbyteros, Monachos, Eremitas, Templarios, & Hospitalarios affirmaverunt esse salvandos. Dignum quoque & justum esse dicebant, ut Ecclesias in honorem Dei, & Sanctorum fundatas, cum summâ devotione visitantes adirent: & Sacerdotibus, & aliis earum ministris honorem & reverentiam exhibentes, primitias & decimas eis deberent solvere: & de omnibus parochialibus devotè & fideliter respondere. Eleemosynas etiam tam Ecclesiis, quàm pauperibus, necnon & omni petenti esse tribuendas, inter cætera laudabiliter asserebant. Hæc omnia licet priùs dicerentur negasse, juxta sanum intellectum se intelligere

Excusant se hæretici, palliatis quibusdam opinionibus.

asserentes;

asserentes; prædictus Cardinalis & Episcopi præceperunt, quòd ipsi jurassent, se ita corde credere, sicut ore confitebantur.

VII. NOLUERUNT SUAM HÆRESIM RELINQUERE.
Ipsi verò, sicut homines tortæ mentis, & intentionis obliquæ, tandem hæresim noluerunt relinquere; ubi crassum & sopitum intellectum illorum, alicujus auctoritatis superficies videbatur jurare: occasione verbi illius, quod Dominus in Evangelio dixisse legitur. *Nolite omnino jurare & sit sermo vester Est, Est: Non, Non.* dicentes se non debere jurare: cum ipse Dominus sæpè jurasse legatur, sicut scriptum est. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum:* & alibi: *Per memetipsum juravi dicit Dominus:* & Apostolus: *Omnis controversiæ finis est juramentum.* Cæterùm ipsi tanquam viri idiotæ non intelligentes Scripturas, in laqueum, quem absconderant, ceciderunt. Quia cum priùs juramentum tanquam rem execrabilem, & à Domino prohibitam abhorrerent; in ipsâ confessionis suæ chartâ, jurasse convicti sunt, cum dixerint: In veritate, quæ Deus est, ita credimus & dicimus; quòd hæc est fides nostra: nescientes quod Veritatem, & Verbum Dei in testimonium veræ assertionis adducere, procul dubio sit jurare. Sicut de Apostolo legimus, cum dixerit. *Hæc enim vobis dicimus in verbo Dei:* & alibi: *Testis est mihi Deus:* & alia similia comprobant; quæ ab illis, qui divinas Scripturas intelligunt, & legerunt, faciliùs possunt inveniri. Cum igitur à multis & sufficientibus testibus fuissent convicti; & adhuc multi se ad ferendum contra eos testimonium præpararent: quia Ecclesia consuevit redeuntibus misericordiæ gremium non negare; eos diligentiùs monuerunt, ut omni hæretica pravitate depòsita, ad fidei veritatem redirent. Et quia à Domino Papa, & à prædicto Cardinali, & Bituricensi, & Narbonensi Archiepiscopis, & à Tolosano Episcopo, propter perversam prædicationem & sectam, excommunicati fuerant: ut ad fidem Catholicam, juxta formam Ecclesiæ, reconciliandi venirent, monuerunt.

Matth. 5.
Psalm. 109.
ad Hebr. 6.
1. Thess. 4.
Rom 1.

VIII. EXCOMMUNICATUR, ET MODUS EXCOMMUNICATIONIS.
Quod cum illi in arcum pravum conversi, & mente perdita indurati, facere recusarent: prædictus Cardinalis, & prænominati Episcopi, in conspectu totius populi, eos iterum accensis candelis, una cum præfato Pictaviensi Episcopo, & aliis religiosis viris, qui cum illis in omnibus astiterunt, excommunicatos denuntiaverunt; & ipsos cum suo auctore diabolo condemnaverunt: & universis Christi fidelibus præceperunt; quatenus prædictos Raymundum, & Bernardum, & eorum complices, tanquam excommunicatos, & satanæ traditos cautiùs evitarent: & si quando aliud, quàm in audientia illorum sunt confessi, ejs de cætero prædicaverint; prædicationem illorum tanquam falsam, & Catholicæ, atque Apostolicæ fidei contrariam respuerent: & ipsos tanquam hæreticos, & Antichristi præambulos, à finibus eorum longiùs expellerent. Comes autem Tolosanus, & cæteri illius provinciæ potentiores, coram omni populo, præstito juramento firmaverunt: quod amodò, nec prece, nec pretio, favebunt hæreticis.] Unde prædictus Cardinalis universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, in hac formâ scripsit.

Petrus, Dei gratiâ, tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, Catholicam, & Apostolicam servantibus in Domino, Salutem.

IX. PROCESSUS RAYMUNDI ET BERNARDI HÆRETICORUM.
Testante Apostolo, sicut unus Deus, ita & una Fides esse dignoscitur: à cujus integritate nullus potest, sine periculo, deviare. Cujus fundamentum, præter quod nullus aliud potest ponere, Apostoli, & Apostolici viri, successores eorum, inspirante, & docente Spiritu Sancto sanis doctrinis, tanquam vivis ex lapidibus ita firmiter & circumspectè jecerunt: quod nec sonantis impetus Aquilonis, nec impiorum machinæ, licet crebris assultibus impugnetur, illud poterunt, à sua firmitate movere. Unde quamvis diebus istis, quidam falsi fratres, Raimundus videlicet de Baimiaco, Bernardus Raymundi, & quidam alii hæresiarchæ, transfigurantes se in Angelos lucis, cum sint satanæ, priùs Christianæ, & Apostolicæ fidei contraria prædicantes, multorum animas venenatâ prædicatione deceperunt: & secum traxerunt in interitum. Novissimè tamen ille, qui revelat mysteria, & ad confutandos seniores Israel, dedit spiritum Danieli, ad animas diabolicâ fraude deceptas respiciens, noluit ulteriùs perfidiam illorum velari: nec Christianæ fidei sinceritatem illorum prædicatione corrumpi: sed sua admirabili potestate, audientibus, & videntibus multis, quod priùs latuerat, venenum perfidiæ detexit, in augmentum & gloriam Fidei Christianæ.

X.
*Cum itaque prædicti Raymundus, & Bernardus, atque alii, venerabili fratri nostro Reginaldo Bathoniensi Episcopo, & nobilibus viris, Vicecomiti de Turena, & Raimundo de Castro novo, qui de Concilio nostro, in terram Rogeri de Beders, pro liberatione Venerabilis fratris nostri * Albanensis Episcopi venerant, occurrissent: & se conquerentes à nobili viro Comite Tolosano, & aliis Baronibus, qui eos in perpetuum abjuraverant, injustè tractari: cum pro defensione fidei suæ ad præsentiam nostram se venturos proponerent: si veniendi & redeundi securitatem haberent: memorati, Episcopus, & Vice-Comes, ne corda simplicium, qui illorum fæce erant imbuti, scandalum paterentur, & diffidentiæ nostræ adscriberent, si eis audientia negaretur: ex parte nostrâ, & prædicti Comitis indulserunt, ut cum omni securitate, se conspectui nostro præsentarent: quatenus sub nostro, & Venerabilis fratris nostri Pictaviensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, & aliorum discretorum virorum, & totius populi examine audirentur: Et si rectè, & sanè crederent, probarentur. Et postquam à nobis examinati fuissent, nihilominus ad propria remearent securi: ne metu, vel violentiâ qualibet viderentur inducti ad confessionem veræ fidei: Ita tamen quod post elapsos octo dies juxta edictum quod exierat, nisi ad fidem nostram redirent, de terris Principum, qui eos abjuraverant, deberent expelli.*

* Albiensis

SECURITAS DATUR ILLIS SE PRÆSENTANDI.

XI.
Nos itaque indulgentiam eis ab Episcopo, & Vice-Comite factam: quamvis à præfato Comite Tolosano, & aliis nobilibus viris, ut diximus, jam exierat edictum, ut de terris eorum deberent expelli; ratam habentes: eodem Pictaviensi Episcopo, & prædicto Comite Tolosano, & aliis Clericis & Laicis, quasi trecentis, in Ecclesiâ Beati Stephani nobiscum pariter congregatis, illis injunximus, ut fidem suam nobis exponerent: & ad Catholicæ fidei unitatem redeuntes, infamiam, quam & totâ terrâ, & ipsi per damnabilem prædicatio-

EDUNT CATHOLICAM CONFESSIONEM SED NON SINCERE.

nem intuererant, per salutiferam confessionem veræ fidei, removerent. Ipsi verò inter alia verba, quæ hinc inde processerunt; chartam quandam, in quâ fidei suæ articulos conscripserant, in medium protulerunt: & eam, sicut prolixiùs scripta fuerat, perlegerunt. In quâ cum verba quædam deprehendissemus; quæ & suspecta videbantur existere; & nisi pleniùs exponerentur, hæresim quam prædicaverant, possent velare: quæsivimus ut latinis verbis respondentes, suam fidem defenderent. Tum quia lingua eorum non erat nobis satis nota: Tum quia Evangelia, & Epistolæ; quibus tantummodo fidem suam confirmare volebant, latino eloquio noscuntur esse scripta. Cumq; id facere non auderent; utpote qui linguam latinam penitùs ignorabant: sicut in verbis unius illorum apparuit: qui cum latinè vellet loqui, vix duo verba jungere potuit, & omninò defecit: Necesse fuit nos illis condescendere; & de Ecclesiasticis Sacramentis propter imperitiam illorum, quamvis satis esset absurdum, vulgarem habere sermonem.

XII. PROFITENTUR CATHOLICA DOGMATA, CONTRA QUÆ DOCUERANT

Illi ergò duo esse principia denegantes, publicè coram nobis, & prædictis viris confessi sunt, & firmiter asseruerunt: quòd unus Deus altissimus, omnia visibilia, & invisibilia condidisset: quod etiam Scripturis, sicut verum est, Evangelicis atque Apostolicis comprobabant. Confessi sunt etiam, quòd Sacerdos noster, bonus, sive malus; justus, vel injustus: & talis etiam, quem adulterum, vel aliàs criminosum indubitanter esse scirent; corpus & sanguinem Christi posset conficere. & per ministerium hujusmodi Sacerdotis, & virtutem divinorum verborum, quæ à Domino prolata sunt; panis & vinum in corpus, & sanguinem Christi verè transsubstantiantur. Asseruerunt quoque quòd parvuli, vel adulti nostro baptismate baptizati, salvantur: & nullus sine eodem baptismo potest salvari: omninò inficiantes se aliud baptisma, aut manus impositionem, sicut eis imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilominus, quod & vir & mulier matrimonio copulati; si aliud peccatum non impediat, licet carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonii excusati salvantur, & propter hoc nunquam damnantur. Archiepiscopos præterea, & Episcopos, Presbyteros, Monachos, Canonicos, & Eremitas, Templarios, & Hospitalarios affirmaverunt esse salvandos. Dignum quoque & justum esse dicebant; ut Ecclesias in honore Dei, & Sanctorum fundatas, cum summâ devotione visitantes adirent, & Sacerdotibus & aliis earum ministris honorem & reverentiam exhibentes; primitias, & decimas eis deberent solvere: & de omnibus parochialibus devotè & fideliter respondere. Eleëmosynas etiam tam Ecclesiis, quàm pauperibus, necnon & omni petenti esse tribuendas, inter cætera laudabiliter asserebant. Hæc omnia, licet priùs diceremur negasse, juxta nostrum sanum intellectum se intelligere asserebant.

XIII. *Postquam autem ita à nobis examinati fuerunt, & ea quæ diximus spontaneâ voluntate confessi; Ecclesiam B. Iacobi intravimus. Ubi nobiscum innumera populi multitudo, quæ se quasi ad spectandum præparabat, convenit: & confessionem fidei eorum, quæ in prædictâ chartulâ conscripta fuerat, vulgari sermone audivit. Porro cum a nobis, & omni populo, qui ibidem convenerat; in omni patientiâ & sine tumultu aliquo fuissent auditi, & ipsi sponte dicendi finem fecissent; quia expositio suæ fidei satis laudabilis, & Catholica videbatur: iterum ab eis, audiente universo populo, quæsivimus; si corde crederent, quod ore fuerant confessi: & si aliquando in contrarium; sicut eis sæpiùs impositum fuerat, prædicassent. Illis verò respondentibus, se ita credere; & nihilominus negantibus se unquam aliter prædicasse: nobilis vir Comes Tolosanus, & multi alii Clerici, & Laici, qui eos audierant aliter prædicantes; vehementi admiratione commoti, & Christianæ fidei zelo succensi surrexerunt, & eos planè in caput suum mentitos fuisse manifestius convicerunt. Quidam enim constanter proposuerunt: se à quibusdam illorum audisse: quod duo Dii existerent, unus bonus, & alter malus. Bonus, qui invisibilia tantùm, & ea quæ mutari, aut corrumpi non possunt, fecisset: Malus, qui cælum, terram, hominem, & alia visibilia condidisset. Alii affirmaverunt, se in eorum prædicatione audisse; corpus Christi non confici per ministerium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. multi similiter testati sunt, eos prorsus negantes audisse, virum cum uxore non salvari, si alter alteri debitum reddat. Alii in faciem illis firmiter opponebant, quod ab ipsis audissent: Baptismum parvulis non prodesse, & alias quamplures contra Deum, & Sanctam Ecclesiam, & Catholicam Fidem blasphemias protulisse: quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quàm referre. Quicquid autem illi, in sua superiori confessione, quæ satis videbatur sufficere ad salutem: si ita corde crederent ad justitiam, & in corde, & corde dixerint, sicut homines tortæ mentis, & intentionis obliquæ: tandem hæresim noluerunt relinquere: ubi crassum & sopitum intellectum eorum, alicujus auctoritatis superficies videbatur juvare; occasione verbi illius, quod Dominus in Evangelio dixisse legitur: Nolite omninò jurare. Et sit sermo vester est, est: Non, non: dicentes se non debere jurare: cum ipse Dominus sæpè jurasse legatur sicut scriptum est. Iuravit Dominus, &c.**

* v. hic n. 7.

PUNCTA DOCTRINÆ ILLORUM.

XIV. *Cum autem a multis & sufficientibus testibus fuissent convicti: & adhuc multi se ad ferendum contra eos testimonium præpararent; quia Ecclesia consuevit redeuntibus misericordiæ gremium non negare, eos diligentiùs monuimus, ut omni hæreticâ pravitate depositâ, ad fidei unitatem redirent: Et quia à Domino Papa, & Venerabilibus fratribus nostris Bituricensi & Narbonensi Archiepiscopis, & à Tolosano Episcopo, & a nobis ipsis, propter perversam prædicationem & sectam excommunicati fuerant, ad nos juxta formam Ecclesiæ reconciliandi venirent. Quod cum illi in arcum pravum conversi, & mente perditâ indurati facere recusarent: Nos in conspectu totius populi, qui jugiter acclamabat, & in eos multa immanitate fremebat, eos iterum accensis candelis, una cum prædicto Pictavensi Episcopo, & aliis religiosis viris, qui nobis in omnibus astiterunt, excommunicatos denuntiavimus, & ipsos cum suo auctore diabolo condemnavimus. Ea propter universitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum injungimus: quatenus prædictos Raimundum, & Bernardum, & complices eorum, tanquam excommunicatos, & satanæ traditos cautius evitetis. Et si quando aliud, quam in audientiâ nostrâ, sicut præscripsimus, sunt confessi, vobis de cætero præsumpserint prædicare: prædicationem eorum tanquam falsam, & Catholicæ, atque Apostolicæ fidei contrariam respuatis: & ipsos tanquam hæreticos, & Antichristi præambulos à sinceritatis vestræ consortio, & vestris finibus longius expellatis.*

NOLENTES HÆRESIM RELINQUERE EXCOMMUNICANTUR.

XV. Longior fui in apertione perversi dogmatis, & sectatoribus ejus; quia habet hic Lector antiquum Ecclesiæ morem, in hæresi persequenda, curanda, punienda, semper servatum: habet, si

non

Zalus Principum cōtra hæreticos.

non Arium in Nicænâ Synodo; Manetem saltem Romanæ Sedis auctoritate profligatum: Habet Constantinum pium Principem; imo duos Constantinos, Henricum Anglorum Regem Constantini successorem, & Ludovicum Gallorum Regem, sæculari brachio Ecclesiæ fideique causam propugnantes. Habet etiam, quod imprimis spectari vellem, versipelles homines, Arianorum more, perfidiæ venenum, nunc spargentes, nunc tegentes: nunc affirmantes, nunc negantes, ubique tergiversantes, & verborum involucris Catholicam fidem impugnantes, antiquis hæreticis omninò similes. In uno tantùm dispares, quod antiqui doctiùs delirarint. nam illi scientiâ utcumque & eruditione tincti, ideoque inflati dogmata honestiùs nuodinari poterant: isti idiotæ, eoque perversiores. nam curari potuerunt, qui sequiore impetu mentem falsâ opinione pervertentes; intellectu, & ratiocinio valebant. quippe faciliùs fidei lucem, & veritatis radios excipiunt. Verùm vel cerebro carentes, vel obtusi, adeo ut lucem à tenebris, rationem à sensu, verum à falso ægrè discriminent: helleboro fortè, sed alio argumento ægrè curantur. Ideoque inter antiqui temporis, & moderni sæculi hæreses, notandum hoc discrimen: olim pauci, doctique serpente suggerente, dogmata à fide aliena cudebant, docebantque: sed dedoceri poterant, & rationum solidarum vi dedocti sunt. nunc plures desipiunt, indocti, plebæi, nec literaturâ, nec honestis moribus, quos sola format eruditio, tincti. Et quis curabit eos? Olim de divinitate Filii & Spiritus Sancti, de personarum processione, distinctionéque & arcano Trinitatis mysterio nequiter quandoque disputabant: sed argumentorum vi, & illustrissima fidei veritate convinci poterant: modo oculos, quos habebant, rectâ non obliquè intenderent. Nunc cæci homines crassoque sub æthere nati, quod vident intelligunt, aliud nihil, fidei oculis, & intellecto privati. Quis ergò medebitur illis? Ideò Henricus Claravallensis Abbas in Tolosanos hæreticos; quos Anglorum Rex, & Reginaldus Bathoniensis Episcopus sanare laborarunt; justè in hunc modum declamans invehitur.

Discrimen antiquorum hæreticorum, et modernorum.

XVI.
apud Hoveden fol 577.
Henricus Claravallensis de hac hæresi.

Declamat cōtra eos.

AUdite cæli quod plangimus: sciat terra gemitum cordis nostri. Doleant viros Christi Catholici Christiani; & ad detrimenta fidei fidelis populus ingemiscat. Quique terrigenæ, & filii hominum, humanæ salutis damna deplorent, & generalis vita nostra subversio ab omnibus viventibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Israël novus nostri temporis Philisthæus, hæreticorum ordo, exercitus perversorum: qui agminibus Dei viventis irreverenter exprobat: & Deum majestatis in peruâ præsumptione blasphemat. Quid dubitas O David? Quid trepidas vir fidelis? Sume tibi fundam, & lapidem, percutiatur protinus in fronte blasphemus: & caput nequam, quod impudenter erigitur, suo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Christi vincitur: si vel ad modicum, & in puncto mater Ecclesia conculcatur; scimus pro certo causâ non deesse meritum, sed patronum. Scimus quod non negabitur agonista nostro triumphus; si amore fidei militat pugnaturus. Verùm quia juxta Veritatis verbum: Messis multa est, operarii pauci. si introierint audacter, tuorum, bone Jesu, depopulatores agrorum, parati sicut operarii subdoli, acerba magis eradicare, quàm matura demetere; quasi tuæ messionis diem suis direptionibus putant prævenire. Ubi sunt ergò agricolæ tui constituti super agrum fertilem & jucundum, tuo cruore floridum, & aspersione pii sanguinis irrigatum? Surgant & opitulentur nobis, & in necessitate nos protegant, seque ad cruentas bestias murum nobis defensionis opponant. Surgite, inquam, surgite viri Patres, Duces gentium, Principes populorum, abigite feras pessimas, quas vidimus, quas monstramus: vel saltem vulpes parvulas effugate. Sed capere quidem est melius. Sed ad hoc quis idoneus? non habent certos aditus: semitas ambulant circulares, & in quodam fraudum suarum labyrintho monstra sævissima reconduntur. Tanquam damula de manu diffugiunt: & instar colubri tortuosi; quo eos plùs astrinxeris, faciliùs elabuntur. Deo autem gratias, quod etsi capi nequeant, fugari possunt: ut cum prodiderint, quod demoliebantur in nobis, confundantur & pereant in semetipsis. Hoc autem, quod sit facile; per ea quæ vidimus, & tractavimus, approbavimus. Ut jam amodo si factum non fuerit: non tam illorum nequitiam, quàm defectus nostros, nostrorumque negligentiam deploremus.

XVII.

Tolosa quam fuerat hæresi corrupta.

Contigit enim nuper ad imperium Domini Papæ, & hortatu piissimorum Principum, Ludovici Francorum, & Henrici Angliæ Regum, Dominum Petrum, Apostolicæ Sedis Legatum, virosque Venerabiles Pictaviensem, & Bathoniensem Episcopos, nosque in Comitatu eorum, urbem adire Tolosam: quæ sicut erat civitas maxima multitudinis; ita etiam dicebatur esse mater hæresis, & caput erroris. Perreximus ergò ad illam, ut sciremus, si juxta clamorem, qui ascendit, esset dolor ejus. Et ecce inventa est plaga ejus magna nimis; ita ut à plantâ pedis usque ad verticem capitis vix esset in ea sanitas. Verè enim tertia pars nobis nuntiata non fuerat, de omnibus abominationibus suis malis, quas civitas illa nobilis, in incredulitatis suæ gremio confovebat. Locum in eâ sibi abominatio desolationis invenerat, & propheticorum similitudo reptilium, in latibulis ejus domicilium obtinebat. Ibi hæretici principabantur in populo, dominabantur in Clero: eò quòd ut populus sic sacerdos; & in interitum gregis ipsa configurabatur vita Pastoris. Loquebantur hæretici, & omnes admirabantur. Loquebatur Catholicus, & dicebant. Quis est hic? in stuporem, & miraculum deducentes, si esset aliquis inter eos; qui de verbo fidei auderet aliquid vel mutire. In tantum prævaluerat pestis in terrâ; quòd illi sibi, non solum Sacerdotes, & Pontifices fecerant; sed etiam Evangelistas habebant: qui corruptâ, & cancellatâ Evangelicâ veritate; nova illis Evangelia cuderent: & de corde suo nequam, recentia dogmata seducto populo prædicarent.

XVIII.

Dives, ignarus Princeps hæreticorum.

Mentior si non erat inter eos homo quidam ætate grandævus, rebus locuples, ornatus fratribus & amicis, & magnus omninò inter maximos civitatis, quem ita peccatis exigentibus, diabolus excæcaverat, ut seipsum Ioannem Evangelistam diceret: & Verbum, quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio, tanquam à Deo altero segregaret. Hic erat in Urbe illa pereuntium caput, & Princeps hæreticorum. Qui licet tanquam laicus, & idiota nihil saperet: inter eos tamen, velut quidam diabolicæ sapientiæ fons, perditionis & mortis felleos latices emanabat. Conveniebant ad eum noctibus noctua tenebrosa: & ille indumento quodam adinstar tunicæ Dalmaticæ vestitus cum sederet inter eos, tanquam Rex, circumstante exercitu, erat. & inter eos desipientium prædicator. Totam penitùs urbem discipulis suis, &

disciplina repleverat. Quippe cui aliquis de urbe, præ fortitudine sua, resistere non audebat. In ipso quoque introitu nostro; tanta erat hæreticis ubique licentia: ut nos quoque per vicos, & plateas, cœlo digito demonstrarent: Nos apostatas, nos hypocritas, nos hæreticos conclamantes. Verùm procedente tempore, & datâ nobis requie diebus paucis, injunctum est uni de nobis verbum exhortationis assumere: & de Regulâ veræ fidei, coram infideli multitudine disputare. Habito

PRÆDICATIONE HÆRESIS DISSIPATUR.

autem sermone orthodoxæ prædicationis ad plebem; conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: ita ut qui priùs obstruebant ora loquentium; jam apparere coram loquentibus non auderent. Audiens illicò vel videns vulpes transfiguratas in talpas: ut quæ priùs impunè in publico discurrebant: jam terrarum latebris, jam se cellulis immergerent cavernosis: & plantaria sacra, quæ jam non audebant in aperto commandere, intra terræ viscera corroderent, & necarent: ne autem pardus ille discolor pellis suæ varietate se proderet; sermonem sibi nequam callidis adinventionibus firmaverunt: ut ad nostræ confirmationis similitudinem simulandam tracti, ad discussionis examen, quidquid nos credimus se credere mentirentur.

XIX. Ex illa ergò die, Dominus Legatus, & nos alii, qui cum feris bestiis in aperto congredi putabamus; ad perscrutandos eos, quos timor, & confusio, tanquam ignobiles in ima terræ detruserat, studium totum convertimus & laborem: ut vel coacti prodirent in publicum, & abjicerent in luce, opera tenebrarum. Factum est exinde, præcipiente Legato, ut juraret Episcopus, & quidam de Clero, & Consules civitatis, aliique, civitatis verè fideles, quos nondum in aliqua perfidiæ fama respergerat: Quod quoscumque vel hactenus noverant, vel nosse eos contingeret in futuro: qui essent hujus hæresis, vel complices, vel auctores eorum, nobis nomina scripto depromerent; nulli penitùs, vel amore, vel pretio, vel cujuspiam necessitudinis ratione parcentes. Cumque per singulos dies innumera multitudo, in catalogum illius conscriptionis incideret, nominatus est, inter alios, Petrus Moranus, quem Joannem Evangelistam, ut supra diximus, nominabant. Super quo nos omnes communicato consilio, decrevimus ab illo inchoare judicium: ut turba, in reliquis perfidis conteremiscere; cum falsi Evangelistæ versutiam, veri Evangelii simplicitas condemnasset. Missis ergò apparitoribus, præcepit eum Comes Sancti Ægidii, qui fideliter nobis aderat, accersiri. Sed ille, in multitudinis divitiarum suarum, & parentum numerositate confidens, primæ citationis edictum, fastuosa dilationis colludio declinavit. Altera ergò die prædictum Comes, blanditiis magis, quam terroribus usitatus; eundem Petrum, per amicos, & notos leniter advocavit, & eum nobis tandem, post difficultates plurimas veniendi, mixtis cum terrore blanditiis, præsentavit. Tunc unus qui loquebatur è nobis, taliter eum exorsus est commonere: Eia nunc, Petre, tui te concives accusant, quòd sanæ fidei regulis confutatis, in Arriana hæresis deveneris pravitatem: immò per multiplicium errorum devia, & ducas ipse alios, & ab aliis deducaris. Ad hæc ille de profundo suspirans, & tactus dolore cordis intrinsecus, se non esse hujusmodi, est prima fronte mentitus: & requisitus an hoc juramento probaret? simplici assertioni suæ, tanquam fidelis viri, & illustris credi oportere contendit.

XX. Cæterum cum in exigendo juramento universi pariter instaremus: promisit se continuò juraturum: ut in hoc ipso deprehenderetur hæreticus; si juxta quod consuetudo illius erroris obtinuit, vitandi juramenti existeret obstinatus. Mox igitur Sanctorum reliquiæ honorabiliter afferuntur, cum tanta solemni reverentiâ, & devotione suscepta: ut & fidelis populus compungeretur ad lacrymas; & hæreticos, qui advenerant, latebræ potiùs, quàm talia spectacula delectarent. Ipsum verò Petrum in cantu, quem ad invocandum Spiritus Sancti præsentiam, profusis lacrymis cantabamus, tremor evidens, & pallor operuit: ita ut ab eo, & color vultus aufugeret, & vigor animi deperiret. Quomodo enim adveniente Spiritu-Sancto, in adversario ejus spiritus remaneret? Cernere erat hominem, quasi morbo paralytico dissolutum, nec loquelam retinuisse, nec sensum: quamvis tanta facundia fuisse diceretur ab omnibus, quod omnes in dicendo sit solitus superare. Quid plura? Jurat infelix astantibus universis: quod de omnibus articulis fidei, quos requireremus ab eo, suæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, & in tali spectaculo pia jucunditate gratissima! Apertus est liber in quo juraverat: & uno de circumstantibus, religioso quodam joco, occurrentis literæ prænosticum perquirente, illius Scripturæ textus occurrit: Quid tibi, & nobis JESU, fili Dei, venisti ante tempus torquere nos? Verè Domine JESU, nihil tibi & illis, quos Pater tuus cœlestis, à te, vite vera, tanquam infructuosos palmites amputarat, & foras miserat, ut arescant. At nobis in tuo nomine congregatis lætitia multiplicatur augmentum, & in gratiarum actione, & voce laudis virtutis tuæ gloria resonabat.

Demum Petrus in virtute Sacramenti requisitus simpliciter, ut de Sacramento altaris, suam nobis fidem, sine fraude aliqua fateretur. Sed quod corde non credidit ad justitiam, nec ore confessus est ad salutem: sed contra id, quod de omnibus mentiri decreverat, falsitatis suæ prodidit veritatem: & panem sanctum vitæ æternæ, Sacerdotis ministerio, in verbo Domini consecratum, non esse corpus Domini, NOVO DOGMATE contendebat asserere. Tunc surrexerunt omnes, eum quodammodo lacrymis obruentes: quas & Sacramentorum Christi contemptus elicuit: & habita ergo miserum compassio Christiana produxit. Nec plura. XXI. Dant Comiti responsa: Reus & hæreticus judicatus est. statimque sub diligenti pollicitatione parentum, custodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos, & plateas amplissimæ civitatis. Aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia, in tua, Christe, præconia resolvuntur. Velut tunc primùm in eadem urbe fidei splendor erumperet: & in spem salutis æternæ, desperata dudum civitas respiraret. Ex tunc ergo, & deinceps verbum Dei crescebat, & multiplicabatur in dies; ita ut universa urbis facies lætior videretur: per quam in candorem lucidæ veritatis de tenebris evadebat errores.

HÆRETICUS JUDICATUS TRADITUR CUSTODIÆ.

XXII. Interea Petrus ad se reversus, & Domino respiciente, compunctus, cum se dignum penitus tam præsenti morte cerneret, quàm futura: missis mediatoribus, satisfactionis quærit aditum, & conversionis pollicetur effectum, ut posset in frugem melioris vitæ, ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, & in conspectu sistitur populi contristantis, nudo quidem corpore, veteris perfidiæ exuens pravitatem. Ibi se coram omnibus hæreticum recognovit: ibi dedit manus fidei. Ibi renuntiavit errori, præstito coram omnibus, manu dextra, juramento: & datis fidejussoribus, tam Comiti ipsi, quam militibus, & præcipuis concivibus suis: quod ad omne mandatum Domini Legati se subderet, & jussionem ejus in omnibus adimpleret. Tunc indictum est populo, ut omnes pariter ad Ecclesiam

Sancti

Sancti Saturnini, die altera convenirent: audituri, & visuri solemniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet observandam.

XXIII. *Omnes igitur sequenti die, ut fuerant prænominati, convenerunt, tanta utique multitudo, eam frequens, ut vix remaneret, secus ipsa altaris cornua, locus vacuus, qui Domino Legato Missa solemnia celebranti, sine compressione nimiâ præberetur. Et ecce coram illâ multitudine multa nimis, Petrus ille jam jam noster, per ipsas Ecclesiæ valvas, nudus & discalceatus adducitur, cadentibus hinc inde cum Episcopo Tolosano, & Abbate Sancti Saturnini, donec ad pedes Legati in ipsis altaris gradibus poneretur. Et ibi in facie Ecclesiæ Ecclesiasticis reconciliatus est Sacramentis, abjurata omni hæresi, & hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem possessionibus ejus publicatis universaliter, & proscriptis; pœnitentia illi talis injungitur: Ut infra quadraginta dies à patriâ suâ exulaturus abscederet, in servitio pauperum triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis, Ecclesias Tolosanæ Urbis nudus & discalceatus, cum disciplinalibus virgis jussus est circuire, Ecclesiarum bona, quæ abstulerat, reddere: usuras omnes quas acceperat, restituere; damna pauperum, quos afflixerat, resarcire: & castrum quoddam suum, quod hæreticorum conventiculis profanarat, ab ipsis fundamentis evertere. Deus bone! Quot ibi lacrymas lætitia sancta profudit? Quas gratiarum actiones & laudes, populus jubilans & devotus cælestibus choris ingessit: cum de cavernis perfidiæ, talpa talis educitur, & in Israëliticam ovem lupus rapacissimus reformatur?*

XXIV. ALBIENSIS DIOECESIS HÆRESI INFECTA.

Post hæc, illo dimisso; Dominus Legatus ad alios manus misit, excommunicaturus utique illos, quos in magno numero, vel suspicio publica, vel accusatio privata notaverat. Nos autem vix tandem cum lacrymis exoptâ lætitiâ revertendi, pro eo quod instantia Capituli nostros jam reditus exigebat: petitâ licentiâ, sub eâ nobis est exceptione concessa, ut Albiensem diœcesim intraremus, commoni turi Principem terræ Rogerum videlicet de Beders, ut & Albiensem Episcopum: quem sub custodiâ hæreticorum in vinculis tenebat, absolveret: & universam terram suam, juxta præceptum Domini Legati, eliminatis hæreticis, emendaret. Ingredientibus ergò nobis unà cum supradicto Bathoniensi Episcopo, illam perditissimam regionem, quæ velut totius sentinæ malitiæ, totam in se colluvionem hæresis illuc desinentis excepit: prædictus Rogerus, in ultimos, & inaccessibiles terræ suæ fines abscessit, tam malâ conscientiâ profugus, quam causæ suæ meritò desperatus. Oderat enim lucem veritatis auctor malitiæ: nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera tenebrarum. Pervenimus tamen ad quoddam munitissimum castrum ejus, quod propriè ac singulariter Castri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat uxor illius, cum militiâ magnâ, & familiâ multâ nimis. Omnes ferè habitatores ejusdem Castri, vel hæretici, vel hæreticorum complices erant: licet sola Domini virtute repressi nihil contra fidem, quam prædicabamus, præsumerent vel mutire. Quamvis enim essemus in manus eorum positi, & velut in eorum quosdam potentia sua compedes hæreticâ undique multitudine circumventi: verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis invectionibus & increpationibus feriremus. Cumq; videremus quòd nihil omninò præsumerent respondere: judicavimus prædictum Rogerum proditorem, hæreticum, & de violatâ Episcopi securitate perjurum; tum tanquam publicâ excommunicatione damnatum, ex parte Domini Papæ, & prædictorum Regum, in præsentiâ conjugis, militumq; suorum in nomine Christi confidenter diffidantes. Ecce amodò satis apparet, quàm grande, & evidens, ostium patet Principibus Christianis, ut Christi ulciscantur injurias, ponantq; desertum, quasi hortum Domini, & solitudinem ejus, in delicias paradisi. Ne autem, vel parùm, vel nihil contra eos fieri posse censeatur: Sciant omnes generalem fuisse in Urbe Tolosana sententiam: quod si ista visitatio fuisset adhuc triennio retardata, vix inveniretur in ea, qui nomen Christi ampliùs invocaret. Super hæc autem omnia prædictus Comes S. Ægidii, coram populo Civitatis præstito juramento firmavit, quod amodo, nec prece, nec pretio favebit hæreticis. Hactenus Henrici Abbatis Epistola.

XXV. Volui illam totam exscribere, ut videat Lector quantum Anglia Albigensium dogmata horruerit: quantum Henricus & ejus Episcopi, Pictaviensis nimirum, & Bathoniensis Antistites, paradoxa illa persecuti sint; quæ postera ætas, stupente orbe amplectitur. Porrò si antiqua Britannorum Saxonum, Anglorum fides, inconcussa semper, & illæsa mansisset; & unio cum capite, nunquam in has hæreses Insula devenisset. nam verissimè dixit S. Cyprianus: *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata: quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus IUDEX, vice Christi cogitatur. Cui si secundùm magisteria divina, obtemperaret fraternitas universa. Nemo adversus Sacerdotum collegium, quicquam moveret: Nemo post divinum judicium, post populi suffragium; post Coepiscoporum consensum; judicem se, jam non Episcopi, sed Dei faceret. nemo dissidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibiplacens, ac tumens, seorsum foris novam hæresim conderet.* Hæc ille, nunc omnia eversa, & perversa sunt. nam unus in Ecclesia Judex contemnitur, Episcopalis ordo invertitur primò, mox evertitur; quod idem hoc duodecimo sæculo futurum, nisi Henricus Rex, & Episcopi ejus vigilassent, & Gallorum Episcopos ad opem ferendam excitassent. Controversiarum judice Romanæ Sedis Legato.

Cyprian. Ep. 55. ad Cornel. Pap.

UNDE ORTA EST HÆRESIS.

XXVI. UTERQUE REX GALLIÆ ET ANGLIÆ HONORANT SEPULCHRUM S. THOMÆ PRÆSENTIA SUA.

Reges qui hoc annò in premenda Albigensium hæresi industrii, & illustres fuerunt; Romanam & orthodoxam Fidem illustri etiam argumento probaverunt; cum uterque, Anglorum, inquam, & Gallorum Rex, Sancti Thomæ Martyris sepulchrum sua præsentia, humili cultu, regiáque largitione, & muneribus honorarunt. Præcessit Henricus, qui Normanniâ sub Gallorum Regis patrocinio relictâ in Angliam trajecit. de quo Rogerus: [Anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo octavo, qui erat annus vigesimus quartus regni Regis Henrici filii Mathildis Imperatricis; Idem Henricus fuit die Natalis Domini apud Andegaviam civitatem: Eodem anno desiderio magno desideravit Rex Angliæ patre redire in Angliam, & missis nuntiis suis ad Ludovicum, Regem Francorum, impetravit ab eo literas protectionis in hunc modum: *Ludovicus Rex Francorum, omnibus ad quos hæ literæ pervenerint, Salutem. Noverit universitas vestra, quod nos recepimus in custodiam nostram totam terram Henrici Regis Angliæ, Charissimi Fratris nostri, in Cismarinis partibus sitam; si contigerit enim in Angliam transfretare, vel peregrè profi-*

Roger. fol. 573.

ſcripto antiquis temporibus continetur apud Sanctum Albanum. Ut enim habet paſſionis illius textus: alii occubuerunt gladiis cæſi, ipſe verò viſceribus priùs patefactis, & inteſtinis ejectis, & poſt lanceis confoſſus & cultellis, occubuit tandem lapidibus conquaſſatus. Unde nullum ferè ex oſſibus ejus integrum apparebat: cùm ſociorum ipſius oſſa illæſa penitùs extitiſſent. Abbas autem (ut diximus) audito nuntio deſiderato, adjuncto ſibi Priore, cum aliquot fratribus de conventu; Sanctorum celeriter aditi ſepulturas: & effoſſas reliquias erigens, in linteaminibus idoneis collocavit. Metuensque ſupra modum fraudem plebis, & vim turbæ undique confluentis; quam à compreſſione inventi theſauri arcere non poterat, placuit Abbati, ut Martyres Sancti, in Beati Albani Baſilicam portarentur, ubi cuſtodia diligenter, & ſecuritas amplior poterat adhiberi. Quid multa? redeunt cum Abbate Fratres ſeparatim SS. pignora proceſſionaliter deferentes. Procedit Martyribus obviam cum proceſſione Conventus, Corpus lecum Beati Martyris Albani deportantes. Quod cùm aliquoties conſuevit, prout ejus portatoribus conſtat, ſatis exiſtere ponderoſum; tantam ſui facilitatem iſta hora exhibuit, ut volare potiùs, quàm humeris ferentium incumbere videretur. Occurrit ergo Martyr Martyribus, Magiſtro diſcipulus, & jam palam Magiſtrum recepit revertentem, quem habebat olim clam fidei doctorem in tugurio latitantem. Sed miraculum, quod in elementis ſuis Dominus oſtendere dignatus eſt, cùm obviantes ſibi penitùs reliquiæ pariter convenerunt, non debet ſub ſilentio præteriri. Cùm enim ſiccitas prolixior, exuſtis herbis & fructibus, diutius perdurâſſet, & agricolas deſperatos reddidiſſet, eodem momento, cùm in aëre nec minima appareret nubecula, tanta pluviarum inundatio prorupit; ut & copiosè deſcendentes imbres terram decorarent; & deſperatæ Meſſis ſpem promitterent lætiorem.] Hæc omnia Pariſienſis. Cæterùm quomodo poſt annos octo ſub Abbate Gwarino, horum Martyrum oſſa decenter ad cultum collocata ſint, dicam eo anno.

ABBAS PROCESSIONALITER CUM CORPORE S. ALBANI, PROGRESSUS DEDUCIT CORPUS MARTYRIS.

XXXVI. Indicitur hoc anno ab Alexandro Papa Generale Concilium ſequenti anno celebrandum. Eum in finem in Orientem pariter & omnem Occidentem citationes ad Concilium, literæ & nuntii deſtinantur. Qui in Angliam propterea venerint, Rogerus ita nominat. [Hoc anno (inquit) Alexander Papa miſit Legatos ſuos per univerſum orbem Romanæ Eccleſiæ ſubditum: ad invitandum Eccleſiæ Prælatos, ut Romam venirent, in capite jejunii anni proximo ſequentis, ad ſolenne Concilium, & Generale celebrandum. Quoties enim morborum violentia, celeri greſſu, ad animæ ſecreta feſtinat, obvias manus afferre non poteſt ſalutare Concilium; niſi ex collatione multorum. igitur in Angliam duo Legati Albertus de Suma; cui commiſſa erat Angliæ & Normanniæ Pontificum & Abbatum citatio. Et Petrus de S. Agatha; cui commiſſa erat Scotiæ, & Hiberniæ, & Inſularum adjacentium, Epiſcoporum & Abbatum citatio. Idem autem Petrus de S. Agatha pro licentia tranſeundi per terram Regis Angliæ juravit, tactis Sacroſanctis Evangeliis: quod in legatione ſua, neque Regi, neque regno ſuo malum quæreret, & quod per eum rediret.] Quid legatione hac effectum ſit, & quinam ex Anglia ad Lateranenſe Concilium iverint, dicam anno ſequenti.

Hoved. fol. 95.
ALEXANDER INVITAT AD CONCILIU LATERANENSE EPISCOPOS ANGLIÆ.

ANNUS CHRISTI 1179.

ALEXANDRI III. PAPÆ 21.

HENRICI II. REGIS 25.

I. SEQUITUR Chriſti annus milleſimus ſeptuageſimus nonus, Lateranenſis Concilii celebratione illuſtris: quando ſumma diligentia vigilavit Alexander Pontifex, [ut diſperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, ſimulque omnes (ſunt verba Baronii) quæ in diſciplinam Eccleſiaſticam irrepſiſſent corruptelas, inſurrexiſſent pravæ conſuetudines, irrupiſſent ex Tyrannorum violentia ſervitutes, & oppreſſiones Eccleſiaſticæ libertatis è medio tolleret. Obortaſque recens hæreſes, ſive veteres malè curatas, latiùs propagatas excideret: cohiberet faſtum & avaritiam Eccleſiaſticorum in ſibi ſubditos dominantium, & alia id genus, quæ viginti ſeptem capitibus continentur.] Hæc cogendæ Synodi cauſa: quam tot annorum ſchiſmata, & tot è ſchiſmate emergentia mala neceſſariam ſine dubio proclamabant.

Baron. hic.
NITITUR OMNES CORRUPTELAS TOLLERE

II. Non eſt opus Concilii hujus omnia proſequi, quæ plurimi authores fusè dixêre, dicam ſolùm quæ ſunt Anglicanæ Eccleſiæ Annalibus, medendiſque erroribus (quos iterum è ſchiſmate prodeunt, videt, ſentit, & ingemiſcit Inſula) propria. Imprimis quod ad tempus ſpectat, & Epiſcopos qui hinc Romam profecti ſunt, ita Rogerus. [Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, qui erat annus vigeſimus quintus regni Henrici Regis filii Mathildis Imperatricis. Idem Henricus fuit in Anglia die Natalis Domini apud Wintoniam. Poſt Natale Domini venerunt de Hibernia in Angliam Laurentius Dublinenſis, & Catholicus Tuamenſis Archiepiſcopi, & quinque vel ſex Epiſcopi, Romam ad Concilium ituri. Similiter de regno Scotiæ tranſierunt per Angliam Epiſcopi, & Abbates quàm plures & illi omnes, tam de Hibernia, quàm de Scotia, & aliis Inſulis, per Angliam tranſeuntes, pro licentia tranſeundi juraverunt; quod neque Regi, neque regno ejus damnum quærerent. De Anglia autem quatuor Epiſcopi tantùm Romam profecti ſunt: videlicet Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & Joannes Norwicenſis Epiſcopus, & Robertus Herefordenſis Epiſcopus, & Reginaldus, Bathonienſis Epiſcopus, & Abbates quàm plures. Epiſcopi autem Angliæ conſtanter aſſeruerunt: quod ad Generale Concilium Domini Papæ, quatuor Epiſcopi de Anglia tantùm Romam mittendi ſunt.] Hæc Auctor.

Hoved. fol. 182.
IVERUNT QUINQUE EPISCOPI EX ANGLIA AD LATERANENSE CONCILIUM.

III. Quod ad Epiſcoporum aſſertionem attinet, quatuor tantùm ad Synodum Generalem mittendos ex Anglia Antiſtites: ita quidem ſub Henrico Rege primo factum vidimus, cùm Calliſtus, Generale Rhemis Concilium indixit, anno milleſimo centeſimo decimo nono, ut *ibi dixi. Cæterùm id perpetui juris non fuiſſe ſequentium ſæculorum acta teſtantur. Nam ad Lugdunenſe Concilium plures Epiſcopi vocati, & non niſi gravi de cauſa eximii fuerunt. Quarto Innocentio jubente, om-

*V. an. 1119. 2.
4. EPISCOPI EX ANGLIA MISSI AD HOC CONCILIUM.

nes, laborantì Ecclesiæ manum porrigere. Itetum ad Constantiense Concilium anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quartò celebratum, Episcopi omnes vel per se venire, vel suo nomine optionem mittere jubentur. Sic enim Henricus quartus ad Aquitaniæ ordines literas & mandatum misit. [Ordinavimus quod Oratores nostri solemnes, ad diem, & locum dicti Concilii transmittentur: quodque duo Archiepiscopi, cum quatuor Doctoribus in eorum Comitativa, & quinque Episcopi, cum totidem Doctoribus unà secum ibidem debeant personaliter interesse. Et quilibet cæterorum Episcoporum, tam regni nostri prædicti, quàm terræ nostræ Hiberniæ, ad dictum Concilium, certè forsan ex causis minimè transeuntium, unum Doctorem pro se & Clero suæ Diœcesis, destinabit. Et quòd quælibet universitatum nostrarum duos doctores, quorum unus sit in Theologia, alter in jure Canonico, vel Civili. Et nigri Monachi quatuor Abbates, Cistercienses verò duos. Canonici Regulares similiter Abbates duos: Cluniacenses verò Abbates duos, vel Priores: Carthusienses unum Priorem: Præmonstratenses verò unum Abbatem: & quodlibet etiam Capitulum Ecclesiæ Cathedralis unum Doctorem ad dictum transmittet Concilium. Quodque Prior Hospitalis Sancti Joannis Jerusalem, in Anglia residens, illuc in propria persona se transferat. Has autem ordinationes nostras, & quascumque alias factas, aut faciendas, tangentes materiam Schismatis, aut unionis prædictam, non solum in regno nostro prædicto, & dicta terra Hiberniæ, verùm etiam in Ducatu nostro Aquitaniæ volumus observari.

Apud Seld. in notis ad Edmerum fol. 213. QUOT MISIT HENRICUS IV. AD CONSTANTIENSE.

IV. HENRICUS IV. DE CONSTANTIENSI CONCILIO ET QUI EO IVERINT.

Ita scripsit Henricus Quartus, cum inconsutilem Christi tunicam, quam unus solùm gestare debuisset, tres, uno eodemque tempore, induerent. Adeo in tollendo scandalo, Anglorum Reges erant solliciti. Nec minor fuit Henrici II., qui plures quàm quatuor Romam mitti voluit, sed Episcoporum intercessione, & assertione acquievit licet revera gravissimum Schisma & zizania in Ecclesiis succrescentia, auxiliares ad impugnandum copias requireret. Cæterùm quâ fulti potestate brachii etiam sæcularis, solerent Episcopi ad Generalem Synodum mitti: ex quo impetu pietatis, Reges nostri, in Sacrosancta Concilia, & eorundem decreta ferri consueverint, non erit importunum hoc loco adnotare; quia hoc ipsum modo ab Henrico secundo factum nemo dubitabit, qui ad tollendum Octaviani & sequentium Antipaparum factionem, cum inter primos laborasse cognovit. Itaque Henricus sextus, cùm Episcopi ex Anglia ad Basileense Concilium proficiscerentur anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo primo, has dedit patentes literas, seque Concilii decretis obsequentem fore promisit.

V. HENRICUS VI. DE CONCILIO BASILEENSI.

R*Ex omnibus ad quos hæ literæ pervenerint, salutem. Sciatis quod cùm juxta decreta Constantiensis Concilii, præsens Concilium Basileense actualiter celebretur, sub sanctissimo Patre, Domino Eugenio Papa quarto. Nos eidem Concilio nedum ex parte ejusdem Concilii, per suos Oratores, nobis ex hac causa specialiter destinatos, verùm etiam Apostolicis, & Imperialibus, ac aliorum quamplurimorum Sanctæ Matris Ecclesiæ Patrum, & Principum sæcularium literis creberrimè instigati, ad Dei laudem, Sanctæ Matris Ecclesiæ prosperitatem optatam, & honorem, & præsertim ob Fidei Catholicæ exaltationem interesse cupientes; variis & diversis causis rationabiliter præpediti, quo minus personaliter eidem interesse poterimus, ut vellemus. Venerabiles Patres, Robertum, Londonensem; Philippum, Lexoviensem; Ioannem Roffensem, Ioannem Bajocensem, & Bernardum Aquensem; Episcopos: ac charissimum consanguineum nostrum, Edmundum Comitem Moritonii. dilectos nobis Nicolaum Abbatem Glastoniensem; Willielmum Abbatem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Eborum, & Willielmum Priorem Norwicensem; nec non dilectos & fideles nostros Henricum Bromflete militem, Magistrum Thomam Brown, utriusque Iuris Doctorem, Sarum Decanum; Joannem Colvelle militem, Magistrum Petrum mauritii Doctorem in Theologia, & Magistrum Nicholaum David Archidiaconum Constantiensem, & Licentiatum in utroque jure, nostros Ambassiatores, Oratores veros, & indubitatos procuratores, Actores, Factores, & Nuntios speciales constituimus, facimus & deputamus per præsentes dantes, & damus eis, & ipsorum majori parti potestatem & mandatum, tam generale, quàm speciale, nomine nostro, & pro nobis in eodem Concilio interessendi, tractandi, communicandi, & concludendi, tam de his quæ reformationem Ecclesiæ universalis in capite, & in membris, quam in his, quæ Fidei orthodoxæ fulcimentum, Regumque ac Principum pacificationem concernere poterunt: nec non de, & super pace perpetua, guerrarumque abstinentia inter nos, & Carolum adversarium nostrum de Francia: ac etiam tractandi, communicandi, & appunctuandi, consentiendi insuper, & si opus fuerit, dissentiendi, quæ juxta deliberationem dicti Concilii ibi statui, & ordinari contigerit. Promittentes, & promittimus, bona fide, nos ratum, gratum, & firmum perpetuo habiturum totum, & quicquid per dictos Ambassiatores, Oratores, & Procuratores nostros, aut majorem partem eorundem, actum, factum, seu gestum fuerit in præmissis, & in singulis præmissorum. Et hoc idem, cùm de, & super his certiorati fuerimus: quantum ad nos, & Christianum Principem attinet, executioni debitæ curabimus demandare. In cujus testimonium, has literas nostras fecimus patentes. Datum sub magni sigilli nostri testimonio in palatio nostro Westminster decimo Iulii.*

QUI EX ANGLIA AD ILLUD IVERUNT.

HENRICUS VI. REFERT AD CONCILIUM, CONTROVERSIAM DECIDENDAM INTER ILLUM ET CAROLUM GALLIÆ.

VI. Quod scripsit Henricus sextus, pro Basileensi Concilio: hoc pro Constantiensi, Henricus IV. hoc pro Lateranensi Henricus secundus, hoc denique pro Rhemensi scripsit Henricus primus. nimirum ad vocem & oraculum Romani Pontificis, non solùm permiserunt Ecclesiarum Prælatis, summum Christiani gregis Pastorem, ad Concilia sequi, mandatum excipere, congregari, sententiamque pro rerum exigentia dicere: sed si non præsentiam, vices saltem suas, ad decreta excipiendaque firmandaque accommodare consueverunt. dicamus ergo quid hoc anno sive pro evitando imposterum schismate, in Caput Ecclesiæ, sive pro exorta nuper hæresi, sive demum pro morum honestate dictatum, decretum, firmatumque in Laterensi Synodo. Nam Regem, Ecclesiam, omnemque Insulam paruisse in confesso est. Cautum imprimis, & ante omnia, ne rursum Ecclesia Capite laboraret; scinderetúrque orbis in varias factiones, ut nuper in Romani Pontificis creatione contigit: Quam in rem ita decretum, sanctumque est.

VII. [Licet de vitanda discordia, in electione Romani Pontificis, manifesta satis à prædecessoribus

nostris institota manaverint, quia tamen sæpè post per illam improbæ ambitionis audaciam, gravem passa est scissuram Ecclesia: nos etiam ad hoc malum evitandum, de consilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilii, aliquid decernimus adjungendum. Statuimus ergo, ut si fortè superseminante zizaniâ inter Cardinales, de substituendo Pontifice; non potuerit esse plena concordia: & duabus partibus concordantibus, tertia pars concordare noluerit: aut sibi alterum præsumpserit nominare. Ille ab universa Ecclesia accipiatur Episcopus qui à duabus partibus electus fuerit, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis electione confisus: quia rem non potest, nomen Episcopi sibi usurpaverit: tam ipse quàm qui eum receperint, excommunicationi subjaceant: & totius sacri ordinis privatione mulctentur: ita ut viatici eis etiam, nisi tantùm in ultimis, communio denegetur. Et nisi resipuerint, cum Dathan, & Abiron (quos terra vivos absorbuit) accipiant portionem. Præterea si à paucioribus aliquis quàm à duabus partibus electus fuerit ad Apostolatus officium: nisi major assensus & concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & dictæ pœnæ subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis institutionibus, & aliis Ecclesiis præjudicium generetur: in quibus majoris, & sanioris partis debet sententia prævalere. Quia quod in eis dubium venerit; superioris judicio poterit, definiri. In Romana verò curia, & Ecclesia speciale aliquid constituitur; quia non potest ad superiorem recursus haberi.]

VIII. Decretum de perperam ordinatis. *Neoburg. l. 3. c. 4.*

Sequitur decretum de perperam ordinatis in schismate: de iis nimirum quos pseudopapæ ad sacros Ordines nullo jure consecraverunt. Recitat illud Guihelmus Neoburgensis in hunc modum. [Quod à prædecessore nostro, felicis memoriæ Innocenno factum est, innovantes: Ordinationes ab Octaviano, & Guidone hæresiarchis, nec non à Joanne Strumenli, qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus: Adjicientes etiam, ut qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia, per prædictos schismaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes quoque, seu invasiones, quæ per eosdem schismaticos sive per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere revertantur. Si quis contraire præsumpserit, excommunicationi se noverit subjacere: illos autem qui sponte juramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus & dignitatibus decernimus esse suspensos.]

Tangit hoc Germanos qui adhæserunt Friderico. *Baron. hic.*

Tangit hoc decretum Germaniarum Episcopos, eosque omnes, qui Friderico schismatico adhæserunt, quos tamen pœnitentes Alexander Pontifex, & Concilii Patres, factum, & schisma retractantes, ad ordines & dignitates ea lege admiserunt, ut palinodiam pœnitendo canerent eo modo, quo Baronius illam recitat. [In Cantuariensi Concilio (inquit) Episcopi illi Germaniæ, & alii qui contra Alexandrum secuti sunt Imperatorem schismaticum, schisma abdicantes veniam supplices postularunt hac forma præscripta.

IX. Juramenti forma.

Ego N. anathematizo & recuso omnem hæresim extollentem se adversus Sanctam Ro. Ecclesiã Catholicam: præcipuè verò schisma Octaviani, Guidonis & Joannis. & ordinationea eorum irritas judico, & eis contradico: & modò, & in antea me obediturum juro, & promitto fidelitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Alexandro, & successoribus ejus justè intrantibus, ipsisque serviam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem secundùm ordinem meum. Consilia ejus quæ mihi scripto certò mandaverit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam: nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, ducam, & reducam, & juvabo expensis. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Evangelia.]

X. Contra Tolosanam hæresim decretum.

De Tolosana hæresi, quæ nuper nostrorum Principum industriam exercuit cautum quoque in Synodo est, nè porrò serperet: dictumque ita: [Sicut ait Beatus Leo Papa. Licet Ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas effugiat ultiones, Catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur: ut sæpè quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Ea propter quia in Gasconia, Albigesio, & Partibus Tolosanis & aliis locis, ita hæreticorum (quos alii Catharos, alii Publicanoa aliis nominibus vocant) invaluit damnanda perversitas: ut jam non in occulto, sicut alii, nequitiam suam exerceant; sed errorem suum publicè manifestent, & ad consensum simplices attrahunt, & infirmos: eos & defensores eorum, & receptores anathemati decernimus subjacere: & sub anathemate prohibemus, nè quis eos in domo sua, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, nec sub privilegiorum nostrorum quibuscumque indultorum obtentu: nec sub alia causa, & occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam.]

XI.

Plura fuerunt clericorum mores, & sacrorum honestatem spectantia, quæ alii passim referunt. In Angliam ego transeo, visurus ibi pietatis opera, & Ludovicum Gallorum Regem Thomæ Martyri supplicem. Enimvero miraculorum fama, & ingens quâ premebatur angustia illum hoc anno Cantuariam invitavit. De qua Matthæus Westmonasteriensis ita scribit: [Anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo nono, Ludovicus Rex Francorum, licèt senex, & corpore jam debilis, Fide tamen alacer & devotione, venit in Angliam. nec impedivit eum transfretatio, licèt illud super omnia abhorruisset: ut Sanctum Martyrem Beatum Thomam ad sepulchrum ejus in Ecclesia Cantuariensi, factâ *oblatione, veneranter adoraret. Ut ipse jam Dei amicus evidenter effectus, pro Rege, & regno Francorum, Deum exoraret: quia quem Anglia persequens expulit; meruit feliciter exulem recipere, protegere, & consolari.] Hæc ille, tacens causam, quæ Regem imprimis ad illam expeditionem impulit, deploratam nimirum filii valetudinem quam voto Beato Martyri facto, resarcire cupiebat. Casum ejus filii ita narrat Appendix ad Chronicon Sigeberti ad hunc annum.

Westmonast. hic.

Rex Galliæ venit ad Sepulchrum S. Thomæ. **Oratione.*

XII. *Sigeberti Chronicon anno. 1179.*

[Cùm Rex Francorum vellet coronare filium suum Philippum, posuit locum Rhemis: terminum, Assumptionem Beatæ Mariæ. Et congregatis, quæ ad tantum negotium necessaria erant: & convocatis omnibus Baronibus totius regni Franciæ ut ad eundem locum convenirent: Juvenis coronandus, obiter cum sui similibus in silvam

venatum divertit. Et amissis omnibus sociis, per unam noctem vagabundus in silva permansit. Tandem invento quodam homine, qui ad opus fabrorum carbones parabat; per eum ad socios suos reductus est. Ex solitudine tamen & pavore, tantam infirmitatem incurrit, quod coronatio ejus tunc remansit. Pater autem ejus iratus, & pro se, & pro filio, rogaturus ad memoriam Beati Thomæ, in Angliam pertexit: cui multam humanitatem exhibuit, cùm in Galliis exularet. Dedit autem idem Rex, ob amorem & honorem Dei, & Beati Thomæ, monachis in Cantuariensi Ecclesia jugiter Deo famulantibus, centum modios vini, singulis annis præfatis monachis accipiendos: Quo autem honore, quo gaudio, & quam multiplici donorum largitate, Rex Henricus eum susceperit, non est nostrum edicere.] Ita ille. Dicat igitur illud Matthæus Parisiensis, & suppleat, quod Sigeberti continuator noluit edicere.

Dedit famulantibus in Cantuariensi Ecclesia 100. modios vini singulis annis.

XIII. [Eodem anno (inquit ille ad hunc annum) Ludovicus Rex Francorum, Beatum Thomam Martyrem, orationis gratiâ visitare decernens, Angliam, quam nec ipse, nec suorum aliquis antecessorum aliquo tempore visitaverat, devotus intravit. Rex autem Anglorum, navem apud Doveram egredienti Francorum Regi undecimo Calendas Septembris festitanter occurrit. Cui quicquid honoris ab aliquo excogitari potuit, vel impendi: tam ipsi quàm suis Comitibus est impensum. Concurrentibus enim Archiepiscopo, cum suis Suffraganeis; cum Comitibus, & Baronibus; cum Clero & populo; solennis processio in tanti adventum Principis, majorem Ecclesiam illustravit. Quantum auri, vel argenti Gallicanæ nobilitati Rex Henricus contulerit; quantumque in vasis, & lapidibus pretiosis, omnes honoravit; cùm non sit qui hoc sciat, desit qui scribat. Centum vini modios Rex Francorum, annuatim in perpetuum Parisiis solvendos, ob reverentiam Martyris gloriosi, in usum Collegii Cantuariensis convertit. Rex autem Henricus gazas totius regni sui: & quicquid ipse, & antecessores ejus in divitiis congesserant, Regi Francorum & suis exposuit. Sed ne Franci aliud quàm Martyrem quæsivisse viderentur, manum à munere cohibentes, Martyrem forsitan oblatis præferentes invectum. Sic Rex Francorum cùm in vigiliis, jejuniis & orationibus Cantuariæ triduum complevisset: & Xeniola quædam parva, à Rege Anglorum in signum dilectionis accepisset, septimo Calendas Septembris, ad Galliam transfretavit] Omittit Parisiensis quod *alii affirmant, Ludovicum aureum Calicem Martyri obtulisse, gemmamque insignem, Regale Francicum appellatum: quod postmodum Henricus octavus annulo inclusum pollici suo aptavit, gestavitque. Omittit etiam quod habet Rogerus: [Ludovicum divina revelatione in somnis admonitum, ut devota peregrinatione adiret Beatum Thomam Cantuariensem si vellet filium suum sanitati restitui.] Ex eodem authore constat concessisse Ludovicum quod, quæcumque de cætero emerentur in Regno Franciæ ad usum illorum Monachorum, quieta sint de Telonio, & omnibus aliis consuetudinibus, & hæc omnia sua charta confirmasse. Vide illum fol 592.

Paris. hic. *Henrico occurrit Ludovico venienti in Angliam.*

**In Stow. hoc anno.*

XIV. Venisse in Angliam cum Ludovico Rege, ex omni ordine plures non est dubium: de Philippo Flandriæ Comite, de Balduino Comite de Gines, & Henrico Duce Lovaniensi constat. Ego puto Pictaviensem Regi adfuisse. nam ipsum hoc tempore, cùm Philippus Princeps æger decumberet, peregrinum ad Martyrem nostrum ivisse, & humaniter ab Anglorum Rege exceptum fuisse, testatur Thomæ olim familiaris Stephanus Tornacensis Episcopus; qui illum ex Anglia redeuntem his literis excepit.

JOANNI Pictaviensi Episcopo salutem. & quam mundus dare non potest pacem.

Stephanus Tornacensis Ep 13. Biblioth. to. 10.

Peregrinationem vestram absentia tanti Patris mihi fecerat gravem: devotio tanti Martyris gratiosam. Redeunti summa gratiarum actione latus occurro: quem summa orationum instantia tristis fueram prosecutus. Reditum desiderabam communi salute; pro pace Principis minus sollicitus, quia minus solitum exorare. Cumulatius accessit votis meis salutationis officium, & pacis signum, osculo oris sui vobis à Principe datum, levis mihi nuntiavit chartula gravis lingua. Crescat indies, obsecro gratia, qua tantum gratiarum non displiceat authori: Nec dubia, quæ in quibusdam nostri temporis sacerdotibus, latriam exclusit, vestram audeat opinionem tentare. Communem Patronum, & minùs sapiens dicam, olim Dominum, & amicum, Sanctum Thomam precor, ut sacris sollicitetis precibus: ne post gloriam Martyrii sui, me tanquam indignum rejiciat; quem ante colloquio simul & consortio suo dignum aliquando judicabat. Ita Stephanus.

Non minor fuit Anglorum in Galliarum Martyrem, hoc annò, devotio religioque: nam Richardus Henrici Regis secundò genitus, Dux Aquitaniæ, qui primus à parentis morte in regnum successit, Sancto Dionysio Galliarum Martyri & Patrono, templum in Anglia, apud Southamtonam hoc anno posuit, & Canonicis nigris monasterium: ita refert Catalogus ædium destructarum in Comitatu Hamtoniensi, obi etiam legitur in ipsa urbe Southamtoniæ templum & hospitale Sanctæ Mariæ Magdalenæ sacrum: quod Alexander hoc anno Romanus Pontifex consecrasse dicitur. Monasteria etiam hoc tempore adeo floruerunt, ut nobilissimus quisque non solùm illa concederet, sed in illis recondi voluerunt. Ita narrat hoc anno Rogerus summum Angliæ Irenarcham, Richardum Luci, supra toties nominatum, religiosam vestem in monasterio quod erexerat, induisse: & ibidem vitam cum veste exuisse. [Post Pascha (Inquit) Richardus de Luci, Justitiarius Angliæ; relicta justitiaria potestate, factus est Canonicus Regularis in Abbatia sua de Leves, quam ipse in fundo suo fecerat, & bonis multis ditaverat; & paulò post ibidem obiit] Ita Rogerus, sed mendosè aliquantulum. Nam nō in Lewis, & Suffexiensi agro, sed in Lesnes, juxta Tamesim in Cantio Richardus Prioratum erexit: vel ut Camdenus refert: [Abbatiam fundavit Richardus de Lucy anno millesimo centesimo septuagesimo nono, quam Deo & memoriæ Sancti Thomæ Martyris consecravit: Cujus sanctitatem adeo admiratus est, ut ibidem secularia ponens, Canonicum induerit.]

XV. *Devotio Anglorum in S. Dionysium.* *Apud Sped. & Harpesf.*

Hoved. fol. 300. *Richardus de Luci Justiciarius Regis Canonicum Regularem induit.* *Camden. in Cantio. 4.*

Moritur hoc anno Rogerus Wigorniensis Episcopus, qui à Sancto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo consceratus anno millesimo centesimo sexagesimo tertio, primus numeratur qui ab eo consecrationis munus accepit. fuit Glocestrensis

XVI. *Moritur Rogerus Wigorniēn. Ep.*

Comitis filius, & planè dignus infulâ, cujus præconia *supra recensui: Refert Harpesfeldus, eum multis molestiis & periculis Thomæ Martyris gratiâ, cui constanter adhæserat objectum. Successorem post biennium habuit Balduinum, de quo plura inferiùs, quia Cantuariensem etiam sedem ascendet. Cæterum Rogerus ante mortem in Gallias profectus ibidem moritur. [Hoc anno (inquit Rogerus) Rogerus Wigorniensis Episcopus obiit apud Turonim, & ibi sepultus est.] Non ita Philippus Ludovici filius, cui Patris pietas & in Martyrem Thomam devotio, vitam & sanitatem impetravit, de quo author modò nominatus.

V. an. 1163. 24 Harpesf. sæc. 2 cap. 13

Hoved. fol. 592.

XVII. *Idem sup* LUDOVICUS GALLIÆ CORONAT PHILIPPUM FILIUM.

[Interim Philippus Ludovici filius, meritis & precibus Beati Thomæ Martyris, pristinam adeptus est sanitatem. Quo audito Rex Franciæ, in magno fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, ut omnes Principes regni sui, Ecclesiastici & sæculares, convenirent Rhemis in capite Calendarum Novembrium, ad coronationem Philippi filii sui. Quibus congregatis Willielmus Rhemensis Archiepiscopus, præfatum Philippum filium Alæ sororis suæ, jam quintum decimum ætatis suæ annum agentem coronavit, & in Regem unxit Rhemis in Ecclesia sedis Pontificalis, die solennitatis omnium Sanctorum: ministrantibus ei in illo officio Willielmo Turonensi, & Bituricensi, & Senonensi Archiepiscopis, & ferè omnibus Episcopis Regni. Henricus autem Rex Angliæ filius in progressione è thalamo usque ad Ecclesiam, ipso die Coronationis, ibat ante ipsum gestans coronam auream, de jure Ducatus Normanniæ, qua prædictus Philippus coronandus erat. Et Philippus Comes Flandriæ præibat ferens ante illum gladium Regni. Alii verò Duces, Comites, & Barones præibant, & sequebantur diversi, diversis deputati obsequiis prout Rex exigebat. Sed Ludovicus Rex Pater ejus, senio & morbo laborans paralytico, coronationi illius interesse non potuit. Nam cùm ab Anglia rediret, & ad Beatum Dionysium iter arriperet, subito percussus frigore, incidit in Paralysim, & usum dextræ partis corporis amisit.

XVIII. PARALYSI CORREPTUS NON INTERFUIT CORONATIONI FILII.

Hoc senium, & ægra Ludovici valetudo festinum ex Anglia reditum effecit. alter in Insula longiorem moram traxisset. Enimvero Amphibali corporis nuper inventi fama, & mirabilium Dei operatio Gallias pervaserunt, magnumque in Ludovico, videndi reliquias colendique desiderium accenderant. Cùm itaque Thomam Martyrem Cantuariæ piè invisisset, porrò in Insulam, ad Albanense usque monasterium perrexisset, nisi medicorum, opinor, consilio suasuque prohibitus. Quod Westmonasteriensis ita narrat. [Quia charissimus Rex Ludovicus, magnalia Dei audivit in Beato Amphibalo Martyre, & sociis suis, nuper inventis celebrari, proposuit illuc ire: sed consilium suorum non permisit eum à terra sua tantùm elongari. Super quo dolens, sed contradicere nolens; misit illuc quasi vice vicaria Capellanum, dona eximia pro oblatione deferentem: & sic ad quædam alia loca per Angliam constituta.

ANNUS CHRISTI. 1180.

ALEXANDRI III. PAPÆ 22

HENRICI II. REGIS 26.

I. ANGLIA QUIETA CONCURRIT AD PACANDA ALIA REGNA.

CUM Anno Christi millesimo centesimo octogesimo Anglorum Ecclesia magno Dei beneficio, pace, pietate, & religione floreret: vicinæ provinciæ regnaque turbata sunt; & Anglia ad eis succurrendum, tam Regio, quàm Ecclesiastico brachio, invitatur. In Scotia pro Episcopi sede contentiosè disputatur: & Eboracensis Provinciæ Episcopi jubentur ab Ecclesiarum Principe, manum laborantibus porrigere; aut amicam, si sapuerint, aut iratam, si secus. Gallia decumbente Ludovico, & Paralysi dissoluto, in Philippum, nuper coronatum, regni administrationem immaturè conjecerat: & juniorum consortio, consilioque addictior, in parentem alteram, & consanguineos peccat. Henricus tunc Anglorum Rex ad Galliæ morbum, motusque sedandos, à saniore parte invitatur quæ gestorum hoc anno summa, & compendium sunto.

III.

Quod Anglorum Ecclesia paci & pietati studuerit, in Henrici Regis laude ponendum: qui hoc anno, non avitas consuetudines; sed antiquiores Saxonum leges, quas Guilielmus Normannorum primus Rex olim confirmaverat, novo decreto renovari, & sanciri præcepit. de quo Baronius ad hunc annum. [Porrò (inquit) hoc eodem anno ipse Henricus Anglorum Rex leges pias valde Ecclesiæ rebus faventes condidit, quas recitat in suis Annalibus Rogerus, quibus abstersit, quas contraxit maculas impugnando Ecclesiasticam libertatem, temporibus Sancti Thomæ Martyris.] Hæc ille. Harum legum aliquas hic subjicio Ecclesiam, pietatemque spectantes, ut videat ætas postera, quantum à majorum pietate desciverint.

III. *Hoved. fol. 601.* LEGES ALIQUÆ SALUTARES HENRICI II. IN BONŨ ECCLESIÆ.

Imprimis de Clericis & eorum possessionibus ita statuitur. [Omnis clericus, & omnes etiam scholares, & omnes res & possessiones eorum, ubicumque fuerint, pacem Dei, & Sanctæ Ecclesiæ habeant.] Nimirum Ecclesiæ privilegio, foroque fruantur, ab omni sæculari brachio, & jurisdictione absoluti. Cùm enim pax, legis authoritate datur; ea lege decernitur, ab omni molestia, à prehensione, ac in jus tractione abstinendum. Quo sensu secundo loco statuitur: [De temporibus, & diebus pacis Domini Regis. Ab adventu Domini, usque ad octavam Epiphaniæ Pax Dei, & Ecclesiæ, per omne regnum. Similiter à septuagesima, usque ad octavam Paschæ. Similiter ab Ascensione Domini, usque ad octavas Pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbatis ab hora nona, usque in diem Lunæ. Item vigiliis Sanctæ Mariæ, Michaelis, Joannis Baptistæ, omnium sanctorum, Apostolorum, & Sanctorum quorum solemnitates à Sacerdotibus, Dominicis annuntiantur diebus, & omnium Sanctorum in Kalendis Novembris, semper ab hora nona vigiliarum in subsequentem solemnitatem. Item in parochiis Ecclesiarum, ubi proprii festivitas Sancti celebratur. Et si quispiam devotè ad celebrationem veniat Sancti, pacem habeat eundo, subsistendo, redeundo. Item omnibus Christianis, ad Ecclesiam causa

QUO TEMPORE ET DIEBUS PAX TENENDA.

orationis euntibus, pax in eundo, & redeondo, sit eis. Similiter ad dedicationes, ad Synodos, ad Capitula venientibus: sive summoniti sint, sive per se quid agendum habuerint Sit pax summa etiamsi excommunicatus aliquis absolvendi causâ ad Episcopum confugerit, absolutos eundo, & redeundo pacem Dei & Ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei foris fecerit, Episcopus inde justitiam faciat. Veruntamen si quis arrogans, pro Episcopi justitiâ emendare noluerit: Episcopus Regi notum faciat, Rex autem constringet malefactorem ut emendet, cui foris facturam fecit, scilicet primum Episcopo, deinde Regi: & sic erunt ibi duo gladii: & gladius gladium juvabit.

IV. His duobus gladiis pulcherrimè hactenus in Insula, in hæreses, in errores, & in rea sequiores pugnatum. His iterum defensa Ecclesiæ libertas, & castigati, ubi opus etiam clericorum crimina. Sic pugnavit, & pugnandum censuit Edgarus Rex Saxonum potentissimus, cùm in oratione ad Episcopos eleganter dixit illos alloquens: [Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus: jungamus dextras, gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii Levi.] Ita ille, cùm nequior clerus monasteria invasisset. hoc pugnandi genere, non Ecclesiæ modò, sed regno etiam, & utriusque Reip. paci consulitur. Sed ubi nunc hi gladii duo? ubi Ecclesiæ, regisq; Pax? ubi permissus olim, imo præceptus sanctorum cultus, & indusia colentibus Pax; ubi Paschatis, Pentecostes, Deiparæ, Apostolorum solemnia? ubi Episcoporum jurisdictio, quam non dico Henricus secundus: sed omnia Christiana sæcula probaverunt? Notum est, pudendo schismate eversa esse omnia, extinctos Reges, Episcopos premi, exulare Sanctos, nullâ Ecclesiis libertatem esse: & quis non videt? nullam pacem: quia sunt novissimi primi, & primi novissimi. Nunc pergat Henricus Ecclesiam honorare.

V.an.969 5.

DUOBUS GLADIIS SPIRITUALI ET SÆCULARI CONSULITUR ECCLESIÆ.

ALLUDIT AD TEMPUS REBELLIONIS.

V. [De Justitia Sanctæ Ecclesiæ (ita statuitur) Ubicumque Regis justitia, vel cujuscumque sit, placita tenuerit: si ullus Episcopus veniat illuc, & aperuerit causam Sanctæ Ecclesiæ, ipsa priùs terminetur. Justitia enim est; ut Deus ubique præ cæteris honoretur. Quicumque de Ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo Ecclesiæ mansionem habuerit, extra Curiam Ecclesiasticam, coactus non placitabit: quamvis foris fecerit. nisi (quod absit) in Curia Ecclesiastica rectum defecerit. Ubicumque reus vel noxius, ad Ecclesiam causâ præsidii confugerit: ex quo aditum Ecclesiæ tenuerit, ab aliquo insequente nullatenus deprehendatur: nisi per Pontificem vel ministros ejus. Quod si fugiendo, domum Sacerdotis, vel curiam ejus intraverit, eandem pacem, & securitatem habeat, quam & apud Ecclesiam: dum tamen Sacerdotis domus & curia ejus, in Ecclesiæ fundo consistant.] Hæc & plura pro Ecclesiarum sanctitate, & Christianorum pace, sanxit Henricus Rex, vel olim sancita jussit observari. Unde sequuta Ecclesiæ libertas, pro qua Thomæ Martyris sanguis in cœlum clamavit, exoravitque: & potuit deinceps Insula, pace qua fruebatur, vicina regna provinciasque beare. Quod quomodo in Galliis factum, ubi sub ægro capite laboratum, videamus.

CAUSA ECCLESIÆ 1. AUDIENDA ET IN CURIA ECCLESIASTICA.

VI. [Anno gratiæ millesimo centesimo octogesimo (narrat Rogerus) qui erat annus vigesimus sextus regni Henrici Regis filii Mathildis Imperatricis. Idem Rex Henricus fuit in Anglia, die Natalis Domini apud Nottingham. Cui festo interfuit Willielmus Rex Scotorum. Eodem anno Philippus Rex Francorum videns quod Pater suus morbo laboraret paralytico, adhæsit in omnibus consilio Philippi Comitis Flandriæ. cujus consilio tyrannidem cœpit exercere in populo, & omnes quos noverat patri fuisse familiares sprevit, & odiu habuit. & Matrem suam adeo prosequebatur, quod à Dominatione sua expulit, & Willielmum Remeosem Archiepiscopum, & Comitem Theobaldum, & Comitem Stephanum avunculos suos graviter persequebatur. Quorum prece Henricus Rex Angliæ filius transfretavit in Angliam; & indicavit Patri suo excessus, & importunitates, quas Philippus Rex Franciæ faciebat Matri suæ, & Avunculis suis, per consilium Comitis Flandriæ. Quo audito Rex Angliæ Pater, & Rex Angliæ filius, transfretaverunt in Normanniam ante Pascha. Venerunt ergo ad eos in Normanniam præfata Regina Francorum, & Comes Theobaldus cum ea, & Comes Stephanus Frater eius, & alii quamplures Nobiles de Regno Franciæ. Et datis Regi Angliæ Patri obsidibus, & præstitis sacramentis, quod à suo consilio non recederent, adhæserunt ei.

Hoved. fol. 393.

PHILIPPUS PERSEQUITUR MATREM ET AMICOS PATRIS.

MATER à PHILIPPO CONFUGIT AD HENRICUM.

VII. Quo facto Rex Angliæ Pater magnum congregavit exercitum de terris suis Cismarinis, & transmarinis, habens in proposito, quod post Pascha intraret hostiliter terram Regis Franciæ, in vindictam injuriarum, quas novus ille Rex Franciæ fecerat Matri suæ & Avunculis suis, Post Pascha verò Philippus Rex Franciæ duxit in uxorem filiam Comitis de Hanon (Hannoniæ) neptem Philippi Comitis Flandriæ, filiam sororis suæ. Cui idem Comes Flandriæ dedit in maritagio cum Nepte sua, totam terram de Vermandeis, usque ad aquam de Lis. Deinde statuit Philippus Rex Franciæ, quod ipse & uxor ejus coronarentur die Pentecostes apud Senonem civitatem. Sed per consilium Comitis Flandriæ, anticipavit terminum illum: & fecit se & uxorem suam coronari die Ascensionis apud Sanctum Dionysium, ab Archiepiscopo Senonense. Quod cùm Willielmo Remensi Archiepiscopo constaret, indignatus est vehementer, & Alexandro Summo Pontifici conquestus est, de transgressione Archiepiscopi Senonensis: qui contra jus & dignitatem Ecclesiæ Remensis, Regem Franciæ præsumpserat coronare.

HENRICUS COLLIGIT EXERCITUM.

PHILIPPUS FACIT SE ET UXOREM CORONARI.

VIII. Deinde Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ Pater convenerunt ad colloquium inter Gisortium & Trie. In quo colloquio Rex Angliæ nunc blandis, nunc asperis effecit versus Regem Franciæ, quod ipse contra consilium Comitis Flandriæ, & Roberti Clement, omnem malitiam & indignationem, quas in animo adversus Matrem, & Avunculos suos conceperat, remisit eis: & eos in debitam familiaritatem recepit: statuens quod singulis diebus solveret Matri suæ 7. libras Parisiorum, ad quotidianum victum; & post discessum Patris sui redderet ei dotalitium suum plenarium, & integrum, retentis sibi Castellis. & munitionibus. In eodem colloquio, Rex Angliæ Pater ad abundantem cautelam, recepit homagium Philippi Comitis Flandriæ, coram Philippo Rege Franciæ. Et pro homagio illo concessit ei mille marcas argenti singulis annis recipiendas Londo-

HENRICUS RECONCILIAT PHILIPPUM MATRI.

niis ad Scaccarium. Ita tamen quòd in recompensatione illarum mille Marcarum, Comes Flandriæ inveniet singulis annis quingentos milites in obsequium Regis Angliæ per spatium quadraginta dierum, quando summonitus inde fuerit.]

IX.

Moritur Ludovicus.

Henrici in Galliam adventus, terrorque exercitus, juvenilem Philippi Regis impetum, ad pacem cum suis, & amicitiam cum exteris composuit. Enimvero dum fortiter Henricus pro animorum unione agit, Ludovicus Gallorum Rex eo nomine septimus, senio morbisque confectus moritur.

Apud Rog. Hoved. fol. 593.

Pax inter Philippum et Henricum.

Et fœdus inde inter Henricum Angliæ, & Philippum denuò coronatum Regem Gallorum, loco ubi prius convenerant, nimirum inter Gisortium & Trie, data hinc inde acceptaque fide, in hunc modum sancitur. [Ego Philippus Dei gratiâ Rex Francorum: & ego Henricus eadem gratiâ Rex Anglorum: volumus ad omnium tam præsentium, quàm futurorum pervenire notitiam: quod fœdus & amicitiã, fide & sacramento mediantibus, innovavimus: quam Dominus meus Ludovicus Rex Francorum, & ego Henricus firmaveramus inter nos in præsentia Petri tituli Sancti Chrysogoni, presbyteri Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati, & Richardi Wintoniensis Episcopi, & aliorum plurimorum Episcoporum, Comitum & Baronum, qui aderant. Videlicet quod sic sumus, & amodò volumus esse amici: quod uterque nostrum alteri observabit vitam, & membra, & terrenum honorem suum, contra omnes homines pro posse suo. Et si quæcumque persona alteri nostrum malum facere præsumpserit.

Offensiva et defensiva.

Ego Henricus juvabo Philippum Regem Franciæ Dominum meum contra omnes homines pro posse meo. Et ego Philippus juvabo Henricum Regem Angliæ contra omnes homines pro posse meo: sicut hominem & fidelem meum: salvâ fide, quam debemus hominibus nostris, quamdiu ipsi nobis fidem servabunt: & neuter nostrum amodo retinebit inimicum alterius in terra sua, ex quo inde requisitus fuerit.

X.

Conveniunt nihil accipere de terris ad invicem, quibusdam exceptis.

Et ut inter nos tollatur amodò omnis materia discordiæ, concessimus ad invicem, quòd de terris & possessionibus, & omnibus aliis rebus, quas modo habemus, alter adversus alterum, nihil amodò petet, excepto eo, de Alvernia, unde contentio inter nos est: & excepto feodo, de castro Radulfi: & exceptis minutis feodis, & divisis terrarum nostrarum de Berri; si homines nostri aliquid interceperint, inter se, vel adversus alterum nostrum. Si autem super his, quæ superiùs excepta sunt, per nosmetipsos convenire non poterimus: Ego Philippus Rex Francorum, elegi tres Episcopos, Claremontensem, Nivernensem, Trecensem; & tres Barones Comitem Theobaldum, & Comitem Robertum, & Petrum de Turrena patruos meos. Et ego Henricus Rex Angliæ, elegi tres Episcopos Willielmum Cenomannensem, Petrum Petragoritensem, Robertum Nannetensem;

Testes pacis.

& tres Barones, Mauritium de Croun, Willielmum Maingot, Petrum de Monte Rabel, ex parte mea, qui inquisitâ veritate hinc inde, tam per seipsos, quàm per juramenta hominum terrarum illarum, prædicti Episcopi in verbo veritatis asserent, & Laici jurabunt, quod quicquid cognoverint, de jure alterius nostrum esse; hoc inter nos dicent: & nos eorum dicto bona fide firmiter stabimus. Si verò omnes illi Episcopi, quos ego Philippus elegi, interesse non poterunt; nihilominus stabimus dicto illorum duorum, qui intererunt. Et si omnes Barones ex parte mea nominati, non intererunt; pro eo non remanebit, quin stemus dicto illorum duorum qui intererunt. Et similiter de iis quos ego Henricus elegi, tam de Episcopis, quàm de Baronibus. Juravimus etiam quod nullum malum faciemus eis propter hoc quod veritatem dixerint. Et si fortè, quod Deus avertat, inter nos de terris nostris, aliqua querela oriatur, per eosdem bona fide, & sine malo ingenio, sine dilatione terminetur. Si autem aliqua prædictarum personarum interim mortua fuerit; altera loco ipsius substituatur.

XI.

Conditiones 1.

Si verò alter nostrum iter perigrinationis arripere voluerit; alter qui remanebit, terram illius, qui in peregrinatione erit, & homines, sicut sua propria, & Dominica custodiet fideliter, & manutenebit, & defendet contra omnes homines, sicut ego Philippus defenderem civitatem meam Parisios, si esset obsessa: Et sicut ego Henricus defenderem civitatem meam Rothomagi si esset obsessa.

2. Pro libertate Mercatorum.

Ego etiam Philippus volo, quod mercatores, & omnes tam clerici, quàm Laici, de terra Henrici Regis Angliæ, cum omnibus rebus suis securi sint, & habeant pacem per omnes terras meas. Et ego Henricus similiter volo, quod mercatores, & omnes homines tam Clerici, quàm Laici de terra Domini mei Regis Franciæ, securi sint, & pacem habeant per omnes terras meas. Hæc antem omnia supradicta nos observaturos, & fide, & sacramento promisimus. Juraverunt etiam de præcepto nostro homines nostri post nos, quod bona fide consulent nos ad conservandum quod juravimus; nec consilium præstabunt, quo minus observetur.] Hæc fuerunt pacis fœdera; quæ Galliam & Normanniam aliquamdiu beaverunt. Restat Scotiæ regnum, ubi periclitante Ecclesiæ pace, & Rege nimium præsumente, animorum motus & turbæ fuerunt. quibus sedandis cùm impar esset Anglia, Roma tamen potestate munita, in Scotos imperium exercuit: & tandem coegit obsequi. Rem omnem à Rogero Hovedeno relatam in Annalibus, iisdem verbis exhibeo.

XII.

Schisma circa electionem Episcopi S. Andreæ, cùm Canonici elegissent Joannem. Rex Hugonem Capellanum suum.

[Eodem anno (inquit præsentem consignans) Richardus Episcopus Sancti Andreæ in Scotia obiit. Quo defuncto statim fit schisma, de electione Pontificis. Canonici enim de Ecclesia Sancti Andreæ elegerunt sibi in Episcopum Magistrum Joannem cognomento Scotum: & Willielmus Rex Scottorum elegit Hugonem Capellanum suum, & consecrari fecit ab Episcopis regni sui, contra appellationem à prædicto Joanne electo, ad Dominum Papam factam. Unde factum est, quod Alexander Summus Pontifex misit Alesim Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum in Scotiam ad cognoscendam controversiam, quæ erat inter Joannem electum, & Hugonem consecratum; & ad illam determinandam. Qui cùm in Scotiam venisset, & coram clero, & populo regni, diu tractasset de electione Joannis, & Hugonis: & de consecratione ipsius Hugonis: & cognovisset, quod Canonicè fuisset electus: & quod Hugo post appellationem ad Romanum Pontificem factam, in Episcopatum Sancti Andreæ per Regem violenter esset intrusus: eum sine dilatione, de Episcopatu Sancti Andreæ deposuit: & perpetuum ei silentium, auctoritate, qua fungebatur imposuit:

&

& electionem quæ de Joanne facta fuit, confirmavit, & eum ab Episcopis Scotiæ. Rege nec prohibente, nec contradicente, imo per consilium Episcoporum Regni permittente, in Episcopum Sancti Andreæ consecrari fecit. Sed Rex statim post consecrationem suam, prohibuit ei, ne ipse in Regno suo moram faceret. Hugo verò non minùs gerebat se Episcopum, quàm antea: & asportatis secum Capella Episcopali, & baculo, & annulo, cum cæteris, quæ illicitè detinebat, Romam iturus abiit. Et quia ipse asportata reddere noluit, Alexis excommunicavit eum: & Summus Pontifex sententiam illam confirmavit.

XIII. Hinc motuum & turbarum initia fuêre. nam Regis imperio seducti plures, Joanni parere vel nolentes, vel timentes; eum, ne sede quietè frueretur, fugere coegerunt. Quod ubi Alexandro Pontifici innotuit, has ad omnes Scotiæ Episcopos literas dictavit.

ALEXANDER Episcopus, Servus servorum Dei Venerabilibus fratribus universis Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum prælatis per Scotiam constitutis, Priori, Canonicis, & Populo S. Andreæ Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apud Rog. Hoved. fol. 590

ALEXANDER SCOTIÆ EPISCOPIS. HUGONIS ELECTIONEM CASSAT. PROBAT ELECTIONEM JOANNIS.

COmperto nobis, quod jam pridem Venerabilis frater noster Joannes nunc Episcopus Sancti Andreæ, Canonicè fuisset electus: & post electionem suam Hugo (appellatione interposita) in Ecclesia per potentiam laicalem intrusus consecrari ausu temerario præsumpsisset. Electionem ipsius Apostolica auctoritate cassantes, dilectum filium nostrum Alexium, subdiaconum nostrum sedis Apostolicæ Legatum, de electione præfati Joannis cogniturum, ad partes vestras direximus. Qui cùm maturè satis, sicut per multorum testimonia nobis innotuit, & Canonicè processisset; electionem ipsius canonicam comperiens: post multiplices inducias, in quibus Regiæ magnitudini detulit, auctoritate apostolica confirmavit: præcipiens omnibus, quod ad Ecclesiam Sancti Andreæ pertinerent ex parte nostra; ut ipsi Ioanni, sicut electo reverentiam, & obedientiam exhiberent. Unde cùm nullus propter metum regium in manifesto obedire auderet, idem Legatus, non regnum, sicut de jure poterat; sed Episcopatum interdicto subjecit.

XIX. *Cùm igitur tam Ecclesiastici, quàm sæculares Principes, à charissimo in Christo filio nostro Willelmo illustri Scottorum Rege districtiùs adjurati fuissent de recto consilio dando, firmiter promittente ipso Rege, quod eorum consilio staret: responderunt omnes tanquam unus ut præfati Ioannis consecrationem coram Legato nostro, & quatuor Episcopis (quinto ægrotante, sed scripto consentiente) celebratam ulteriùs non turbaret, sed permitteret eum in pace in sua sede consecrari. Inde est quod universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus; atque sub officii, & beneficii pœna præcipimus, quatenus spiritum fortitudinis induentes, ipsum Episcopum infra octo dies, post harum susceptionem literarum honorificè, appellatione postpositâ ad sedem suam reducatis: & pro servanda Ecclesiastica justitia prudenter & viriliter laboretis; & ad placandum motum Regium adhibeatis operam diligentem: atque præfato Episcopo omnem exhibeatis reverentiam & honorem, quem ipsius prædecessoribus impendistis. Quod si Rex aliud voluerit; aut etiam consilio pravorum inclinatus fuerit; Deo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ magis oportet obedire, quàm hominibus. Alioquin sententiam, quam Venerabilis frater noster Hugo Dunelmensis Episcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo, ratam habebimus, & præcipimus firmiter observari.*

JUBETUT REDUCANT EPISCOPUM AD SEDEM SUAM

ALEXANDER VICES SUAS ROGERO EBORACENSI, ET HUGONI DUNELMENSI COMMISERAT.

Ita Alexander cùm priùs Rogero Eboracensi, & Hugoni Dunelmensi, Episcopis, mandatum, & suas vices commisisset, ad Regem vel in officio continendum; vel eundem ad officium censuris compellendum. Quam ob causam Archiepiscopus Eboracensis Rogerus, Apostolicæ Sedis per Scotiæ Regnum ab Alexandro creatur, cui etiam interdicendi regnum, & Regem ipsum excommunicandi potestatem dedit, ut patet è literis Alexandri, ad Regem datis, quæ sequuntur.

XV.

ALEXANDER Episcopus, Servus servorum Dei, WILLELMO Illustri Scottorum Regi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

apud Baron hic.

ALEXANDER GUILLELMO SCOTIÆ REGI.

PRo pace tua, & libertate nos sollicitè meminimus laborasse; sperantes quod ex hoc in devotione sedis Apostolicæ inclius firmareris, & cresceteris: & libentius servares Ecclesiasticam libertatem. Cæterùm attendentes circa factum Venerabilis fratris nostri Ioannis Episcopi Sancti Andreæ de Scotia, quod volueris usque modo inclinari, contrarium spei, quàm de fervore devotionis Regiæ habebamus, cogimur æstimare. Volentes tamen experiri adhuc, si patientia nostra ad pœnitentiam Regium motum, adducat magnitudinem tuam per Apostolica scripta monemus attentiùs & mandamus: quatenus memorato Episcopo infra viginti dies post harum susceptionem literarum, pacem & securitatem largiaris; ita quod non oporteat eum de indignatione Regia dubitare. Alioquin noveris nos Venerabili fratri nostro Rogero Eboracensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato in Scotia mandasse, ut regnum tuum nullius appellatione obstante subjiciat interdicto, excommunicationis sententiā in personā tuā, si desistere nolueris, prolaturus. Pro certo quoque teneas, quod si in tua duxeris violentia perdurandum; sicut laboravimus, ut regnum tuum libertatem haberet: sic dabimus studium, ut in pristinam subjectionem revertatur. Hæc Alexander ad Guilelmum Regem, qui in rebellione persistens, non obstante mādato Apostolico, Rogerus Eboracensis, & Hugo Dunelmensis, unà cum Alexio, sententiam excommunicationis in eum, & in Scotiæ regnum interdicti, prout Alexander jusserat, protulerunt. Quid inde factum dicam anno sequenti.

XVI. JOANNES CICESTRENSIS EPISCOPUS MORTUUS *an. 1173. 17.* SEFRIDUS CICESTRENSIS EPISCOPUS.

Obiit hoc anno Joannes de Greenford, Cicestrensis Episcopus, ad illam sedem assumptus anno millesimo centesimo septuagesimo tertio, & sequenti consecratus. de quo non aliud memoria, & Annalibus dignum traditur. Successit illi, (incertum quo anno) Sifridus eo nomine secundus: quo sedente Cathedralis Ecclesia incendium passa, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, ejusdem Sefridi opera in pristinum splendorem surrexit.

ANNUS CHRISTI 1181.

ALEXANDRI III. PAPÆ 23.

HENRICI II. REGIS 27.

I. SALADINUS OMNIA TURBAT.

EXORDIUM anni millesimi centesimi octogesimi primi Palæstinæ calamitas implevit: cùm Saladinus, Saracenorum Rex, Christianis in Oriente terribilis, Occidentis Principum opes & auxilium imploravit. misera tunc erat Palestinæ facies, & Principem ibi Urbem Barbarorum rabies sibi in prædam voverat. Hinc preces libellique supplices Occidenti porrecti, ut Sacrosanctum Christi sepulchrum, ab injuria tuerentur: futurum id Occidenti, si Deus annueret gloriosum: si opi ferendæ nemo manum apponeret, & Orienti simul & Occidenti luctuosum. Missæ ob hoc è Palæstina ad Alexandrum literæ: quia ad illum Christiana res imprimis spectabat. Et ille, quod erat proximum, Christianos Principes, per literas, excitat, ut loca Terræ sanctæ, ab infidelium incursibus submisso in auxilium milite, defenderet. Literæ Anglorum & Gallorum Regibus porriguntur, qui aliàs egregiam ibi operam laborantibus attulerant. Auxit calamitatem Balduini Jerosolymorum Regis infirmitas, qui sibi ipsi non sufficeret, & multò poterat aliis periclitantibus adesse. Commodùm accidit, utrumque Regem, Henricum Angliæ, & Philippum Galliarum, simul esse, cùm Alexandri literæ, sub anni exordium scriptæ, in Gallias deferuntur. Ubi visa lectaque Orientalium Christianorum sorte infelici, missuros se eò suppetias pollicentur.

IMPLORATUR AUXILIŨ PONTIFICUM ET CHRISTIANORUM PRINCIPUM.

II. *Hoveden. fol. 611.*

Annales nostri hunc casum ita referunt. [Eodem anno (millesimo centesimo octogesimo primo: non anno superiori, ut ex iisdem Annalibus supputat Baronius) Saladinus Rex Babyloniæ videns, quod Baldewinus Rex Jerusalem lepra percussus, non haberet vires resistendi ei, magno congregato exercitu venit in terram Jerusalem, & eam devastavit, & non erat, qui resisteret ei. Eodem anno Rex Angliæ, fuit apud Chinonem in solennitate Paschali, & post Pascha rediit in Normanniam: & habuit colloquium cum Philippo Rege Franciæ, ad Vadum Sancti Remigii quinto Calendas Maii feria secunda.] In quo colloquio Templarii & Hospitalares Jerusalem obtulerunt prædictis Regibus Literas Alexandri Summi Pontificis in hac forma.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Nobilibus viris, Ducibus, & Principibus, Comitibus, Baronibus, universis Dei fidelibus, ad quos literæ pervenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

III. ALEXANDER PRINCIPIBUS DE TUENDA TERRA SANCTA.

COr nostrum, & omnium fratrum nostrorum sinistri rumores, qui de Hierosolymitanis partibus, ad nos communium transeuntium relatione pervenerunt, nimio dolore conturbant: cùm vix unquam aliquis, qui Christiano nomine censeatur, sine lacrymis & suspiriis ondere valeat, quæ de statu illius terræ miserabili recitantur. Etsi quidem infidelium (quod dolentes dicimus) incursione contrita, & usque adeo fortium virorum potentiâ, & proborum virorum consilio viduata, quod nisi à Christianis Regibus, Principibus orbis, celerem & potentem succursum habuerit: desolationem ipsam (quod absit) in ignominiam Dei, & in contemptum Fidei Christianæ, de proximo formidamus. Non est enim Rex qui terram illam regere possit: cùm ille, videlicet Balduinus, qui regni gubernacula possidet, ita sit graviter (sicut nosse vos credimus) justo Dei judicio flagellatus, ut vix ad tolerandos sufficiat sui corporis cruciatus. Quàm gravem siquidem jacturam, & quàm miserabilem casum, in personis & rebus illa terra (pro qua Patres & genitores nostri sanguinem proprium effuderunt in conflictu quem olim cum gentibus habuerunt) peccatis exigentibus sit perpessa. Nec nos sine multa cordis commotione recolimus: nec aliqui zelantes legem Domini possunt tantam stragem fidelium patienti animo tolerare. Præsertim cùm illa gens pessima Paganorum, ex incommodis & periculis, quæ genti Christianorum intulerunt, tantam audaciam sumpsisse dicantur, ut se jactent impudenter, terram illam, quod avertat Dominus, invasuros.

MONET PRINCIPES AD AUXILIŨ.

GRAVITER LABORABAT BALDUINUS REX.

IV. *Moveat itaque vos zelus Domini: nec Religio Christiana, super tanta, quæ illi terræ imminet, constitutione dormitet. Sed universa loca illa, quæ Salvator & Redemptor noster corporali præsentiâ dedicavit, viriliter tueamini, & contemnite gentes, quæ abjiciunt Dominum, & Christianum nomen de terris abolere nituntur. Non est utique Christianus, qui præscripta terra calamitatibus non movetur: nec accingitur ad ipsam, ab infidelium incursibus defendendam, quam occupare laborant; & sua (quod absit) spurcitiis profanare. Hi autem, qui ex vobis fortes sunt, & bellis exercendis idonei; non minùs scuto fidei, & lorica justitiæ, quàm materialibus armis induti, tam pium, quàm necessarium opus ac laborem hujus peregrinationis assumant: & loca illa, in quibus Redemptor humani generis, pro nobis nasci voluit, & mortem subiit temporalem, potenti virtute defendant: ne temporibus nostris sustineat in illis partibus Christianitas detrimentum. Cùm enim Christus, pro salute nostra opprobria multa, & demum Crucis patibulum sustinuerit, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu: expedit admodum saluti fidelium; ut pro ipso corpora nostra periculis & laboribus exponamus: ne pretium sanguinis, quem pro nobis effudit, videamur obliti. Animadvertite igitur, dilecti in Christo filii & videte, quàm mœrore dignum existeret Christianis, si adversus habitatores terræ illius, inimici Crucis Christi denuò prævalerent, sicut eos prævalituros non modicam formidamus: nisi de diversis partibus Christianorum auxilium habitatoribus ipsis cum festinatione succurrat.*

V. *Ne igitur Christianitas gentilitati succumbat: totis nisibus provideta: quia melius est futuro malo ante tempus occurrere; quàm remedium post causam quærere vulneratam. Illis autem qui pro Christo hujus viæ laborem assumpserint, illam indulgentiam peccatorum, quam Patres & Prædecessores nostri Urbanus, & Eugenius Romani Pontifices statuerunt, Apostolica auctoritate concedimus, & confirmamus. Uxores quoque & filios eorum, & bona, & possessiones suas sub Beati Petri, & nostri, nec non & Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ decernimus protectione manere: Prohibentes attentiùs, ne adversus eos de his, quæ pacificè possident, aliqua post susceptam Crucem quæstio moveatur; donec redeant, vel de ipsorum obitu certissimè cognoscatur. Liceat autem eis terras seu possessiones alias; postquam propinqui, aut etiam Domini sui (ad quorum feudum pertinent)*

pecuniam ipsis mutuare, aut noluerint, aut non potuerint; Ecclesiis vel Ecclesiasticis viris, aut aliis fidelibus liberè, & sine ulla reclamatione, pro expensis hujus itineris, titulo pignoris obligare. Præterea quicumque de viris bellicosis, & ad illius terræ defensionem idoneis illa sancta loca fervore devotionis adierint: & ibi duobus annis contra Saracenos, pro Christiani nominis defensione pugnaverint; de Jesu Christi pietate, & de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, eis

ABSOLUTIO GENERALIS IIS QUI 2. ANNIS IBI PUGNARUNT.

omnium suorum, de quibus corde contrito, & humiliato confessionem susceperint, absolutionem facimus delictorum: nisi fortè aliena bona rapuerint, vel usuras extorserint, aut commiserint furta, quæ omnia debent in integrum emendare. Si verò non est in facultatibus delinquentium, unde valeant emendare: nihilominus consequentur veniam, prout diximus de commissis. Iis autem qui illic per annum sicut diximus, moram habuerint: de medietate sibi injunctæ pœnitentiæ indulgentiam & remissionem suorum obtineant peccatorum. Omnibus autem sepulchrū Domini, pro instanti necessitate visitare volentibus, sive in itinere moriantur; sive ad istum locum perveniant, laborem itineris, ad pœnitentiam, & obedientiam, & remissionem omnium peccatorum injungimus: ut de vita præsentis ergastulo, ad illam beatitudinem, Domino largiente, perveniant: quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam repromisit Dominus diligentibus se. Datum Tusculani decimo septimo Kalend. Februarii.

VI. Lectæ sunt etiam in eodem Regum Colloquio, aliæ Alexandri Pontificis literæ, quibus Ecclesiarum Prælatis injungitur, ut Palæstinæ calamitatem, & Jerosolymitanæ urbis periculum, in parochiis faciant publicari, hortenturque fideles ad opem rebus ibi deploratis ferendam. Literarum hæc series fuit.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ALEXANDER EPIS. ET ABBATIBUS UT ANIMENT SUOS AD HOC BELLUM.

CUm Orientalis terra, per impressiones infidelium & incursus, fortium virorum potentia sit & proborum virorum consilio destituta, multo tempore percutitur & ad implorandam subventionem fidelium dilectos filios nostros, milites templi latores præsentium, viros utique religiosos, & Deum timentes, Archiepiscopi, Episcopi & alii Principes terræ ad partes vestras mittere decreverunt. Nos autem, quos illius terræ calamitas, gravi dolore conturbat, exemplo Patrum & prædecessorum nostrorum, de ipsius conservatione solliciti, Christianos Reges & Principes orbis, ad defensionem locorum istorum, in quibus steterunt pedes Domini, salubribus monitis exhortamur: & sicut Patres & prædecessores nostri, Urbanus & Eugenius, Romani Pontifices statuerunt;

INDULGENTIAM PLENARIAM CONCESSIT SICUT ALII PP. CONCESSERUNT.

ita & nos remissionem & indulgentiam peccatorum statuimus universis, qui pro Christo laborem Jerosolymitanum assumpserint, & contra Saracenos fideli curaverint devotione certare. Monemus itaque universitatem vestram attentiùs, & mandamus: quatenus fratres, qui ad hoc missi sunt, benigno recipiatis affectu: & per eos Orientalis terræ statu & necessitate comperta; Principes, Comites, & alios fideles Christi, parochianos vestros, crebris, & sollicitis exhortationibus laborem inducere: ut terram illam, pro cujus liberatione Patres, & genitores eorum, sanguinem proprium effuderunt: & contra inimicos Crucis Christi potentiâ, & virtute decertent. Literas autē quas propter hoc generaliter mittimus; universis faciatis Ecclesiis publicè legi: & exponatis earum tenorem, & remissionem peccatorum, quam faciemus illis, qui tam pium, & necessarium opus assumpserint, nuncietis: & ita omnes ad exequendum, quod suggerimus, moneatis; quò per sollicitudinem & exhortationem vestram, terra illa festinantes fidelium sentiat auxilium, & juvamen: & vos propter hoc ab Omnipotenti Deo mercedem possitis consequi sempiternam. Datum Tusculani decimo sexto Januarii.

VII. Lectis his literis animorum motus fuerunt: nam pergit Rogerus: [Quibus auditis: Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ plurimùm condolentes de adversitate, & desolatione terræ Jerosolymitanæ, promiserunt se, Domino auxiliante, celerem succursum facturos terræ illi, & in his finitum est colloquium.] Nec aliud hoc anno, in illa expeditione factum. Porrò sequentibus annis, accensa sunt Romanorum Pontificum literis plurimorum Anglorum corda, ad Crucem sanctæ expeditionis hieroglyphicum capiendam. Et sequenti anno [Rex Anglorum Henricus (loquitur Walsingamus) ætatis annum inchoans quadragesimum nonum, necessitatibus Jerosolymitanorum quadraginta duo millia marcarum argenti, & quingentas marcas auri distribuit.] Sed & Henrici nunc regnantis successor primus, filiusque secundo-genitus, pii Principis officium explens, & in Palæstinam profectus egregiam ibi Rei Christianæ operam præstitit, ut suo loco dicetur. Interim, hanc Palæstinæ & Christianorum ibi afflictionem religiosis mentibus intellectum dedit, & alimentum pietatis. Enimvero, cùm plures omni sæculo religionis ergo loca sancta invisere, ibique moram trahere, vel etiam sedem figere consuevissent, sparsi per loca illa, eremitarum more, quæ Christus Dominus suâ præsentiâ, labore, prædicatione, sudore, sanguine etiam consecraverat: nunc è Republica visum, hos per diversa loca sparsos, Barbarorum incursibus subductos, in unum colligere, ut procul periculis, & plures simul habitarent in unum. Haimericus Patriarcha Antiochenus, & Apostolicæ sedis in Oriente Legatus, pii consilii princeps fuit, & auctor, ut Eremitæ illi Carmelum montem Eliæ habitatione illustrem incolerent. Unde Carmelitarum ordo sub hæc tempora fluxisse creditur, qui postea Occidentem, & omnem Ecclesiam illustravit.

Hoveden. fol. 615

Walsingh hypod 1182.

EREMITÆ INHABITANT CARMELI MONTEM.

VIII. Manet adhuc excommunicationis sententiâ innodatus Guilielmus Scotorum Rex, quam Rogerus Eboracensis inflixerat, quod duobus è Scotia fugatis Episcopis, auctoritate sua alium elegisset, ut dictum est superiùs. nunc idem Rex secundis & melioribus curis doctior, Henricum Anglorum Regem implorat, ut pro absolutione intercedat, vinculumque, quo tenebatur, expediri faciat. Et quia suprà Henricum in Normannia reliquimus: eò Guilielmus hoc anno profectus, rem eo modo conficit, quo Rogerus narrat. [interim, inquit, Willielmus Rex Scotiæ, per mandatum Regis Angliæ venit in Normanniam: cujus admonitione & consilio, idem Rex Scotiæ concessit Matthæo de Aberden Episcopo, & Joanni Episcopo Sancti Andreæ, quos ipse è Scotia fugaverat, licentiam repatriandi. Convenit etiam, inter eos, coram

Hoved. fol. 614.

HENRICUS REX ADDUCIT GUILIELMUM SCOTIÆ AD PACEM

Rege Angliæ in hunc modum. Quod Matthæus Episcopus de Aberden. liberè & sine aliqua contradictione, per conductum Regis Scotiæ, ad Sedem propriam remearet: & si quæ ei ablata fuissent, restituerentur. Et Joannes, qui consecratus fuerat ad Episcopatum Sancti Andreæ, propter amorem Domini sui Regis Scotiæ habendum, concessit ei se dimissurum Episcopatum illum, si liceret ei eligere quem vellet Episcopatum de regno Scotiæ: & si Rex Scotiæ insuper dedisset ei Cancellariam suam, & omnes redditus suos, quos habuit ante consecrationem suam: & quadraginta Marcas redditum in Ecclesia Sancti Andreæ. Misit igitur Rex Scotiæ ad Alexandrum Papam, nuntios suos, postulans ut ipse pro bono pacis concederet hanc fieri sedium Episcopalium commutationem. Sed Dominus Papa hoc concedere noluit.] Hæc author.

IX. Mansit adhuc extra Ecclesiæ septa, anathemate percussus Scotorum Rex, & fortè ob repulsam ab Alexandro passam, in contumacia durior. Quod Rogerum Eboracensem, & Hugonem Dunelmensem denuò impulit, Ecclesiasticæ censuræ rigorem opponere, & Diœcesanos Sancti Andreæ, ad Joanni Episcopo obsequendum cogere, ovæ rursum in Scotia turbæ, Regis pervicacia excitatæ: quas author suprà ita describit. [Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, Legatus in Scotia, & Hugo Dunelmensis Episcopus, ex auctoritate Domini Papæ mandaverunt Priori Sancti Andreæ, & personis Ecclesiasticis per Episcopatum Sancti Andreæ constitutis, ut venirent ad Joannem Episcopum suum, & illi debitæ subjectionis reverentiam facerent; sin minùs, in contumaces & rebelles, sententiam suspensionis inferrent. Cùm autem quidam virorum Ecclesiasticorum, de Episcopatu Sancti Andreæ, metu suspensionis venirent ad præfatum Joannem Episcopum: Willielmus Rex Scotiæ illos è regno suo ejecit, cum filiis & cognatis, & etiam illis qui adhuc pendentes ab uberibus matrum vagiebant in cunis. Quorum miserandam proscriptionem, & exilium Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, & Hugo Dunelmensis videntes; processerunt in mandatum Domini Papæ. Rogerus Eboracensis Archiepiscopus excommunicavit (rursus) Willielmum Regem Scotiæ, & ipse, & Hugo Dunelmensis Episcopus tulerunt sententiam interdicti in totam terram Regis Scotiæ, mandantes Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & cæteris viris Ecclesiasticis, sententiam illam interdicti firmiter & inconcussè observare: & ipsum Regem sic excommunicatum cautiùs evitare.

Hoved. fol 614.

GUILIELMUS SCOTIÆ REX ITERUM EXCOMMUNICATUR

X. Dum hæc in Scotia geruntur moritur Alexander Papa, cùm duos & viginti ferè annos Romanam sedem, cum varia rerum vicissitudine implevisset: vir posterorum memoriâ dignus, & Ecclesiasticæ disciplinæ cum magna mansuetudine, egregius assertor: cùm hoc ipso anno Lincolniensem Ecclesiæ electũ, Gaufridum Henrici filius naturalẽ, qui necdum consecrationem acceperat; vel de more consecrari, vel loco & Episcopatu cedere coegit. de quo ex authoribus nostris ita Baronius: [Eodem anno (quo moritur Alexander) Dominus Papa districtiùs in mandatis dederat Richardo Cantuariensi Archiepiscopo; ut omni occasione & excusatione postpositâ Gaufredum Lincolniensis Ecclesiæ electum, Domini Regis Angliæ filium, Ecclesiasticâ censurâ compelleret; electioni suæ renuntiare, vel sine dilatione ordinem Sacerdotis, & Pontificalis officii dignitatem recipere. Gaufredus igitur in arcto positus, & imperfectum suum sentiens; considerans que se tantæ administrationi non posse sufficere: maluit ab Episcopalibus abstinere, quam onus importabile sibi imponere; unde in hac forma scripsit Richardo Cantuariensi Archiepiscopo.

MORITUR ALEXANDER.

Baron hic.

MANDARAT ANTE MORTEM CANTUARIENSI UT GAUF. LINCOLÕ ELECTUM COMPELLERET RESIGNARE ELECTIONI.

Venerabili Patri, & Domino, RICHARDO, Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato, GAUFREDUS Domini Regis Angliæ filius, & Cancellarius, Salutem. & reverentiam debitam ac devotam.

XI. *PLacuit majestati Apostolicæ, vestra injungere sanctitati, ut me certo tempore vocaretis ad suscipiendum ordinem Sacerdotis, & Pontificalis officii dignitatem. Ego verò considerans, quamplures Episcopos maturiores ac provectiores prudentiâ, & ætate, vix tanta administrationi sufficere: nec sine periculo animarum sui officium Pontificatus ad perfectum explere: veritus sum onus, importabile senioribus, mihi imponere juniori, faciens hoc, non ex aliqua levitate animi: sed ob reverentiam sacramenti. Habito itaque tractatu super hoc, cum Domino Rege, Patre meo, Dominisq; fratribus meis, Rege, & Pictavia, & Britanniorum Comitibus, Episcopis etiam, Henrico Bajocensi, Frogerio Sagiensi, Reginaldo Bathoniensi, Sigefrido Cicestrensi, qui præsentes aderant: aliter de vita,. & statu meo disposui: volens patris mei obsequiis militare ad tempus, & ab Episcopalibus abstinere. Omne itaque jus electionis meæ, & Lincolniensem Episcopatum spontaneè, liberè, & integrè in manu vestra (Pater sancte) resigno, tam electionis, quam Episcopatus absolutionem postulans à vobis, tanquam à Metropolitano meo, & ad hoc, ab Apostolica sede specialiter delegato. Bene Vale.*

GAUFREDUS FILI, NATURALIS HENRICI RICHARDO CANTUARIENSI.

RESIGNAT EPISCOPATUM.

In eam etiam rem scripsit idem Gaufredus ad Lincolniensis Ecclesiæ Canonicos, à quibus absolvi ab omni electionis onere postulavit. Porrò Henricus Pater eum Regni Cancellarium sine mora constituit, & mille marcarum annuos redditus.

XII. Plures, hoc anno, Episcopi, vel sede, vel vitâ cesserunt. Arnulphus Lexoviensis, qui in Thomæ Martyris caussa, parùm pro Martyre, multùm pro Henrico Rege fecit, scripsitque. nunc versâ vice, iratam Henrici frontem sensit, nec porrò sentire voluit. Dubius ergo & animo pendens, quid facto opus, an Regis iram dimisso Episcopatu, fugere, aut infestum Principem sustinere, scripsit in Angliam, & Petrum Blesensem dubius mentis arbitrum, & interpretem petiit: Cui ille sic rescripsit.

ARNULFO LEXOVIENSIS CADIT E GRATIA REGIS CUIUS PARTES TENUERAT CONTRA S. THOMAM.

Reverendo Patri, ac Domino ARNULPHO Dei gratiâ Lexoviensi Episcopo. PETRUS BLESENSIS, Salutem spiritumque consilii, & fortitudinis.

PETRUS BLESÑ. ARNULFO

CVm sitis vir alti consilii, & prudentiæ approbatæ; miror quòd à me, & cæteris minoribus, in re periculosa, & ardua, consilium postulatis. nisi quia & hoc ipsum prudentia est, in arduis rebus minorum explorare

consilium

consilium. Frequenter enim minori revelat Deus quæ majoribus absconduntur. Habetis in desideriis Episcopali administratione cedere, & ad sanctum otium vos transferre. Si super hoc amicorum vestrorum habeatis consilium, & assensum. Temerarium esset mihi, in re tam periculosa, & ardua præcipitare sententiam; nisi prius omnes vestri status circumstantias cognovissem. Scio, quia jam declinatis in senectam, & senium; corpusq; confractum laboribus, & ætate, suum prænunciat imperfectum. Habet equidem Sanctorum Patrum institutio, ut Episcopis infirmis, & senibus coadjutor addatur. Nam & Valerio Hipponensi Episcopo adjunctus est Augustinus. Quod si Principis indignationem, aut Capituli vestri vexationes, aut alias hujus vitæ molestias formidatis, & ideo pacem eligitis, & quietem. Hominem degenerem & dejecti animi decet hæc facere; non vos, quem constat præ cæteris cor magnificum, & munificum habuisse. Sane in hac requie, non inveneritis requiem: & ecce in pace vestra esset amaritudo amarissima: dum secolerent cum angustia spiritus gementes, vos ibi defecisse, ubi fortius erat standum: abjectoq; spiritu consilii & fortitudinis, videretis vos a pusillanimitate spiritus, & modica tempestate submersum. Ad resignationem Episcopatus nulla, si mihi creditis, vexatio vos inducet. Nam hæc omnia fortè operatur Dominus, ut det vobis vexatio intellectum. Trituratur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in templi ædificio collocetur: movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum. Si vero vestri Principis gratiam affectatis, tam potestis obtinere levissimè: dummodo vos habeatis circa eum humiliter & devotè. Ipse homo est, qui rebellionem, & contumaciam in Episcopis super omnia detestatur. Ipse est qui solà humilitate vincit, & vincitur.

DAT RATIONES CUR NON RESIGNET.

XIII. ALIÆ RATIONES.

Porrò aliunde subesse potest legitima resignationis occasio. Cùm enim scriptum sit: quia proni sunt sensus hominis ab adolescentia in malum: dicitur, quòd ab adolescentia cœpistis Ecclesiasticos honores olfacere: & ad hunc honorem, qui nunc onerosus est vobis, obsequiis & intercessionibus, & aliis ambitionis humanæ suffragiis aspirare. Currite ergo ad conscientiæ vestræ testimonium: & si inveneritis vos minus Canonicum habuisse ingressum; sitis sollicitus de egressu. nam hic resignatio habet locum. Beato enim Gregorio teste, Qui in ovile ovium, non per ostium, sed aliunde ascendit, ad æternæ salutis bravium, in vanum se fatigat: nisi honorem in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo & salubris est cogitatio facta de Episcopatus cessione, privatam eligere vitam, si cesolitis conscientiam vestram, jam dictæ promotionis obtentu, fuisse vel immodice vulneratam. Si meæ parvitatis acceptatis consilium: nihil omnino retinebitis penes vos, quod exquisieritis per peccatum. Jam advesperascit vobis, & vitæ vestræ inclinati sunt dies: observat etiam inimicus calcaneum vestrum: & ad luctam vos expectat extremam. Dissolvite colligationes iniquas, & jugum exactoris abjicite, deponite sarcinas ambitiosæ supellectilis: nè vos luctator occultus inveniat oneratum. Nudus athleta fortiùs dimicat, natator exuitur, ut flumen transeat. Viator exoneratur a sarcinis, ut expeditiùs currat. In hac vita torrentem mortis naturus es in proximo; pugnaturus cum eo, cum quo semper est anceps congressus, periculosus casus, difficilis reparatio, rara & nunquam secura victoria. Nihil quasi in vobis reperiat suum: sed qui vos in annis fortioribus, quandoq; devicit; ipse vos victorem inveniat licèt decrepitum & infirmum. Vale.

SI RESIGNET SUADET, UT NIHIL RETINEAT, QUOD ADQUISIERIT PER PECCATŪ.

XIV. ARNULFO DEPONIT EPISCOPATUM

Vicit Petri exhortatio. Arnulphus cùm quadraginta annos Lexoviensem Ecclesiam rexisset, sive conscientia mordente, sive Rege eum persequente, sedem reliquit. De quo Rogerus noster, cùm paulò ante Gaufredum Cancellarium dixisset, docet quis prius officium illud habuerat. [Radulpho (inquit) Marneville Cancellario suo, Eboracensis Ecclesiæ thesaurario, Henricus Angliæ Rex dedit Episcopatum Lexoviensem, quem Arnulphus Lexoviensis Episcopus reliquerat propter odium, quod Rex adversus eum habuit: cujus amorem, cùm nec pretio obtinere potuisset, maluit ab Episcopalibus abstinere: quàm odium Regis diutiùs sustinere. & collectis undique auro, & argento, quorum copiam habere dicebatur: & acceptâ à Rege Angliæ pecuniâ magnâ pro dimissione Episcopatus sui, Parisios ivit: & ibi in Ecclesia Sancti Victoris usque ad obitum suum permansit.] Nimirum in ædibus ibi à se constructis. ut habet Petri literarum interpres. Sed & auctarium ad Sigeberti Cronicon affirmat eum hoc anno ibidem vitâ functum. Denique Baronius [Ita planè (inquit) qui adversus Sanctum Thomam (Cantuariensem intelligit) cùm aliis ipsi adversantibus Episcopis conspiraverat; privatus sui ipsius judicio Episcopatu, apud externos vixit ingloriùs.

Hoved fol. 613.

MORITUR PARISIIS.

Baron. hic.

XV. MORITUR ROGERUS EBORACENSIS EPISCOPUS.

Moritur hoc anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, de quo multa superiùs; & aliqua adhuc dicenda restant, diem mortis, & privilegium ei ab Alexandro concessum ita refert ad hunc annum Parisiensis: [Eodem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, diem clausit extremum, duodecimo Kalendas Decembris. Qui adhuc vivens, à Papa Alexandro privilegium impetraverat, ut si clericus suæ jurisdictionis suppositus, agens in extremis testamentum condiderit, & propriis manibus bona sua moriens non distribuerit, Archiepiscopus facultatem haberet injiciendi manus in bona defuncti. Et quoniam quod quisque juris in alterum statuerit, uti debet eodem. post mortem Archiepiscopi, quæcumque reperta sunt in thesauris ejus, justo sunt Dei judicio confiscata. Quorum summa undecim millia librarum argenti, & aurei trecenti, cuppa aurea, & argenteæ septem, sciphi argentei novem. &c.] Hanc ipse pecuniæ summam, & supellectilem, moriens diversis legaverat: sed audita ejus morte Rex in fiscum suum omnia redegit, fortè quia propriis manibus illa, ut privilegii forma habebat, non dispersferat. Ita Henrici factum Rogerus etiam commentatur. [Cùm nunciatum esset (inquit) Domino Regi Angliæ, quod præfatus Archiepiscopus viam universæ carnis esset ingressus, misit ministros suos per Archiepiscopatum Eboracensem, præcipiens quod universa quæ prædictus Archiepiscopus in infirmitate sua distribuerat, confiscarentur. sicque factum est. Nam tota divisa, quam ipse in infirmitate sua fecerat, per præceptum Regis ad nihilum redacta est. Dicebat enim Dominus Rex, quod præfatus Eboracensis Archiepiscopus, judicium fecerat in vita sua: quòd de jure non liceret alicui viro Ecclesiastico divisam facere, nisi priùs quàm ægrotare inciperet.

HENRICUS CAPIT EIUS BONA.

Hoveden. fol. 615

XVI. AVARITIA NIMIA HENRICI

Ut nimiam Rogeri prudentiam in colligendis pecuniis laudare non possum; ita avaram Henrici Regis manum debeo condemnare, qui porrò progressus repetiit omnia quæ pauperibus erat priusquam decumberet Rogerus elargitus. & sordi-

Idem supra dum nimis se probavit, cùm Hugonem Episcopum, qui illa in egenos contulerat, persecutus est. De quo author qui suprà. [Defuncto Rogero Eboracensi Archiepiscopo, Dominus Rex præcepit Justitiis suis Angliæ, quod diligentem inquisitionem facerent de pecuniis prædicti Archiepiscopi: & ubicumque illam invenirent, ad opus illius exigeretur. Unde factum est, quod prædictæ Justitiæ exegerunt ab Hugone Dunelmensi Episcopo trecentas marcas argenti, quas idem Episcopus pauperibus distribuendas receperat de pecunia Archiepiscopi. Quibus ipse respondit: Ego has trecentas marcas argenti quas à me exigitis, vivente Archiepiscopo, qui eas mihi tradidit, distribui leprosis, cæcis, claudis, mutis, & cæteris pauperibus: & in Ecclesiarum, & pontium refectionibus, pro salute animæ ipsius; sicut ipse præceperat. Et qui eas habere voluerit, colligat; quia per me nunquam colligentur. Talis itaque responsio supra modum Domini Regis animum exasperavit: adeo quod ipse præcepit, quod Castellum de Dunelmo in manu sua saisiaretur; ut ipse Episcopus omnimodis afflictionibus affligeretur.]

XVIII. *Annus mortis.* *Eius dotes.*

Quod ad mortis annum spectat, Neoburgensis illum, & Rogeri dotes explicat. [Anno qui fuit à partu Virginis millesimus centesimus octogesimus primus, & Pontificatus Alexandri Papæ vicesimus tertius, generale debitum solvit idem Venerabilis Pontifex, cui successit Lucius. Eodem quoque anno decessit Rogerius Eboracensis Archiepiscopus homo literatus, & eloquens, atque in commodis temporalibus prudentiæ pœnè singularis. In officio quidem Episcopali, hoc est in cura animarum minùs sollicitus: in his autem quæ officio non Deus, sed propter Deum mundus annexavit conservandis, & promovendis, efficaciter studiosus. In bonis quippe temporalibus Archiepiscopatum Eboracensem ita provexit, ut de augmentis redditùum, vel amplitudine ædificiorum ferè nullam successoribus suis curam reliquerit.] Addit Stubbesius apud Godwinum in Catalogo Eboracensium Episcoporum, ejus opera in Ecclesia Sedis suæ ornanda, quæ plura sanè, & illustria fuêre. [Iste Rogerus (inquit) chorum Cathedralis Ecclesiæ Sancti Petri Eboracensis, cum cryptis ejusdem, & palatium Episcopale, quod juxta ipsam Ecclesiam situm est, de novo construxit. Condidit etiam Capellam Sancti Sepulchri ad januam ipsius palatii, ex parte boreali ejusdem Ecclesiæ; eamque undecim Ecclesiis (quarum quinque ex sua propria largitione, sex verò ex collatione quorundam fidelium suæ Diœcesis extiterant) dotavit. & tredecim ministros Ecclesiasticos, diversi ordinis, ad celebrationem divinorum, in ea perpetuos instituit. Quorum quatuor esse Sacerdotes, quatuor Diaconos; quatuor verò Subdiaconos, & unum Sacristam, qui præesset reliquis, decrevit: quem custodem ipsius Capellæ, & procuratorem omnium proventuum dictarũ undecim Ecclesiarum, ad eandem Capellam pertinentium constituit. Et ne eisdẽ ministris competens deesset sustentatio, statuit idem Archiepiscopus, ut unusquisque dictorum presbyterorum decem marcas; Diaconorum centum solidos; Subdiaconorũ verò sex marcas argenti, quolibet anno per manum Sacristæ perciperent. Residuum verò prædictorum redituum in usum Sacristæ converti disposuit.]

Godwin in Rogero Eboracensi. *Quæ construxit.* *Capellæ S. Sepulchri ministris providit.*

IX.

Vacavit à morte Rogeri, Eboracensis sedes per annos decem, ut Godwinus affirmat: & tunc qui nuper Lincolniensi Ecclesiæ valedixit, Cancellarius ab Henrico factus Gaufredus, cognomento Plantagenet, Rogero in Episcopatu successit: An interim Eboracensis Ecclesiæ bona, quæ Antistiti debebantur, invaserit Henricus Rex, non habeo dicere. Hoc solùm constat, alteram Rempublicam tam strenuè, prudenterque administrasse; ut vicini Principes, ejus se tutelæ suaque omnia commiserint. vel fallitur Matthæus Parisiensis, ita scribens: [Anno Domini millesimo centesimo octogesimo primo, cùm Rex Francorum Philippus, cum quibusdam de suis sibi ad memoriam reducentibus, cognovisset; qualiter Rex Anglorum regnum suum tam latè diffusum, à tam nationibus Barbaris, Scotis licet, & Wallensibus, pacificè protegeret: de communi consilio domesticorum suorum, prædicti Regis dispositioni, omne regnum suum, & seipsum commisit.] Si sacram Rempublicam tam moderatè prudenterque rexisset: & Episcoporum sedes, Episcopis decedentibus implesset, ingentem sine dubio laudem, & in cœlo terraque præmium meruisset.

Quot annis vacavit sedes. *Paris. hic.*

XX. *Balduinus Wigorniensis Ep. factus monachus Cisterciensis.*

Cæterùm hoc anno Wigorniensem Ecclesiam à Rogeri Glocestrensis Comitis filii morte vacantem, novo antistite ornari permisit. Fuit is Balduinus nomine, Cisterciensis Ordinis vir Religiosus, & Fordensis Monasterii Abbas in Devonia: De quo vide annum millesimum centesimum quadragesimum. Porrò Balduinus ita se in minoribus gessit, ita in Abbatiali dignitate, ita denique sub Wigorniensi infulâ, ut Regis Henrici, & Episcoporum Angliæ judicio post triennium factus sit Cantuariensis Archiepiscopus. De illo itaque plura inferiùs. nam Christianam Rem in Oriente, non juvit solùm Insulam peragrando, movendoque plures ad sacram expeditionem: sed ipse præsentia sua, Palæstinam & loca sancta religiosè lustravit, ibidem ut dicetur mortuus.

XXI. *Joannes Sarisb. mortuus hoc anno.* *Eius laus.* *Baron. hic.* *Laurentius Dublinẽ. mortuus.* *Hoved. fol. 611.* *Eius laus.* *Baron. hic.*

Inter hujus anni mortuos Antistites duo numerantur, quos nefas est præterire. Joannes nimirum Sarisberiensis, quem suprà sæpè loquentem feci: ille ex Anglia in Carnotensem sedem assumptus, [clarus inter celebriores hujus sæculi scriptores, illustrior fuit ex Sancti Thomæ Martyris, cui erat à secretis, familiaritate, inquit Baronius.] Alter è mortuis, cujus tamen memoria vivit, & in benedictione est, Laurentius Dublinensis Episcopus, qui nuper per Angliam in Gallias profectus, [obiit in Normannia apud Aucum, & ibidem sepultus est, inquit Rogerus.] Vir fuit sanctitate insignis, dignusque qui Romano Martyrologio inscriptus, inter Sanctos legeretur. De illo ad hunc annum Baronius. [Eodem anno Sanctus Laurentius Dublinensis Episcopus, ex hac vita migravit, ad Dominum decimo octavo Calendas Decembris. Cui venerando funeri interfuit Alexius S. R. E. Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus. Retulit autem eum in Sanctorum numerum Honorius Papa, Reate, anno sui Pontificatus decimo.] Honorium Tertium intelligit, ut ipse in notis ad Martyrologium explicat. [Laurentio defuncto (inquit Rogerus) Rex Angliæ misit in Hiberniam Gaufridum de Haia, clericum suum, & clericum Alexi Legati, ad saisiendum Archiepiscopatum de Diveline in manu sua. nimirum, quo se Hiberniæ Dominum, & Ecclesia-

Idem in notis ad Martyr. 14. Novembris. *Hoved. fol. 611.*

rum

arum tutorem provinciales agnoſcerent: coque nomine, Archiepiſcopatum illum Joanni Cumin clerico dedit. cùm in Angliam reverſurus, apud Eveshamesset,] ut Rogerus affirmat.

Hovad. fol 614.

ANNUS CHRISTI. 1182.

LUCII III. PAPÆ 1.

HENRICI II. REGIS 28.

Lucius Papa Etruſcus

SEQUITUR Chriſti annus milleſimus centeſimus octogeſimus ſecundus, qui Lucii tertii cognomine Romani Pontificis, primus numeratur, fuit natione Etruſcus, nomine Humbaldus, dignitate Cardinalis, Oſtienſis Epiſcopus, & ſuperiore anno quarto Kalendas Septembris creatus Romanus Pontifex ad quem Guilielmus Scotorum Rex, quem Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, excommunicationis vinculo ligaverat, legationem pro vinculi ſolutione miſit, De quo hæc habet Rogerus, in rebus geſtis anni ſuperioris. [Audito quod Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus eſſet delúctus Wilhelmus Rex Scotiæ gaviſus eſt gaudio magno: & habito, cum Epiſcopis, & Comitibus, & majoribus terræ ſuæ conſilio, Jocelinum Glaſcuenſem Epiſcopum, & Arnulphum Abbatem de Melros, & cæteros viros Eccleſiaſticos, ſapientes & diſcretos de regno ſuo miſit ad Lucium ſummum Pontif. ut ipſe à præfata excommunicationis ſententia; & terra ſua, ab interdicto abſolverentur. Et ut ſi ullo modo fieri poſſet, Joannes Epiſcopus Sancti Andreæ deponeretur.] Ita ipſe ad annum milleſimum centeſimum octogeſimum primum; ſtatim ut accepit Lucium Alexandro ſucceſſiſſe, & Rogerum Eboracenſem obiiſſe. Cæterùm hoc anno, audita Romæ legatio, & reddita à Lucio, Guilielmo Regi Chriſtiana Communio Sic enim ex Annalibus noſtris narrat Baronius. [Eodem anno (nimirum milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo) ad inſtantiam nuntiorum Regis Scotiæ videlicet Jocelini Glaſcuenſis Epiſcopi, & Arnaldi (Arnulfum ſupra Rogerus vocaverat, hic autem Arnoldum) Abbatis de Melros, & Osberti Abbatis de Kelron, & Walteri Prioris Sanctæ Columbæ de Inſula (ita Monaſterium paſſim vocat Rogerus, & eum ſecutus Baronius. Ego ſuſpicior legendum Sancti Columbæ de Inſula Hy, quem Jonam dicimus. Nam ibi Columba Sanctus ſedem fixerat, & Monachos formaverat, de quibus tomo ſecundo pluribus egi.) [Lucius Papa tertius abſolvit Willielmum Regem Scotiæ, à ſententia excommunicationis, & regnum ſuum ab interdicto, Romæ in Lateranenſi palatio, coram Cardinalibus ſuis, ſcilicet Petro de Pavia Epiſcopo Tuſculanenſi, & Epiſcopo Præneſte, & Alberto Cancellario, & Hyacintho & Hugezon, & Petro de Bova & Magiſtro Viviano, & Rainerio Magno, & Chinchecapel, & Rainerio parvo, & Hardeſrun, & Arde vvino, & Matthæo Andegavenſi. Et poſtea tradidit literas abſolutionis ſuæ præfatis nuntiis Regis Scotiæ in hac forma.

Hoveden. fol. 615

Guilielmus Scotiæ mittit ad Lucium Papam pro abſolutione.

Baron. hic. & Rogerus Hoved. fol 616.

V. an. 635. 22.

Lucius absolvit Guilielmum Scotiæ.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus Epiſcopis, Abbatibus, Clero, & Populo per Scotiam conſtituto. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

III

Lucius Epiſcopis, clero & populo Scotiæ.

CUm Regibus tanquam præcellentibus, Apoſtolus ſtatuerit deferendum, dignum eſt, & conſonum rationi; ut eos tanquam filios chariſſimos propenſius honoremus: & in devotione Beati Petri & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ annuendo, juſtis illorum deſideriis attendamus. Accepimus autem, quod cùm Chariſſimus in Chriſto filius noſter Willielmus, illuſtris Rex Scotorum electioni, & conſecrationi Venerabilis Fratris noſtri Joannis Epiſcopi, inexorabiliter obviaret, obtentu literarum ſanctæ recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, bonæ memoriæ Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, & jam Epiſcopus dictus, in eum, & regnum & quoſdam de regno, ſententiam excommunicationis promulgarunt. Cæterum Venerabilis Frater noſter Jocelinus Glaſcuenſis Epiſcopus, & dilecti filii Arnaldus de Melros, & Osbertus Kalrenſis Abbates, & Walterus Prior S. Columbæ de Inſula, propter hoc ad ſedem Apoſtolicam accedentes, ſua nobis aſſertione monſtrarunt: quòd Archiepiſcopus excommunicationis in Regem, & interdicti in regnum, & Epiſcopus jam dictus in quoſdam de regno, excommunicationis ſententiam protulerunt quam ex multiplici ratione retractandam fore, rationabiliter coram nobis & Fratribus oſtenderunt. Inde utique fuit, quod præfato Regi tanquam chariſſimo in Chriſto filio deferentes omnem ſententiam jam dicti Epiſcopi pro præfata cauſa in eum, vel ſuos, vel regnum prolatam, de communi conſilio fratrum auctoritate Apoſtolica relaxavimus, & ſtatuimus illum & ſuos, excommunicatione, & regnum interdicto, & præſcriptâ ſententia noſtra non teneri. Quo circa univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, præcipiendo mandamus: quatenus ei tanquam Regi Catholico, & habenti communionem Apoſtolicæ ſedis participare minimè dubitetis: ſed in omnibus honorem congruum impendatis. Quanto enim certiores ſumus de ſinceritate devotionis illius Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis regni ſui; tanto amplius eum volumus, in omnibus in quibus ſecundum Deum poſſumus, honorari. Datum Valettæ XVI Kal. Aprilis.

Declaratam ablatam ſententiam excommunicationis quam tulerat in eum Rex Scotiæ.

Licet Guillielmus Scotorum Rex ab excommunicationis vinculo ſolutus, & liber Apoſtolico oraculo fuerit; cauſa tamen integra, & adhuc indeciſa, cum inter & Joannem Epiſcopum manſit. Unde hoc eodem anno miſſa in Scotiam ab Apoſtolica ſede legatio, de componendis ibi motibus, controverſiæ tandem finem impoſuiſſet; ſi Aquilonarium ingenia mitiora fuiſſent. Munus hoc Dolenſi Electo, & Rievallenſi Abbati impoſitum. De quibus iſta Rogerus: [Eodem anno Rolandus, Dolenſis electus Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus venit in Angliam ex parte Papæ Lucii, ad pacem faciendam inter Regem Scotiæ, & Joannem Epiſcopum Sancti Andreæ. & perrexit ad Regem Scotorum, unà cum Selvano Abbate Rievallenſi, collega ſuo: & diutiſſimè tractaverunt cum illo de pace facienda inter illum, & Joannem Epiſcopum Sancti Andreæ. ad quorum inſtantiam convenit in hunc modum, inter Regem & prædictum Epiſcopum, Quod Hugo abjuraret Epiſcopatum S. Andreæ; & Joannes eundem Epiſcopatum, quietum, & clamaret à calumnia ipſius, &

III.

Hoved. fol. 617

Rolandus Dolensis missus Roma ad pacem faciendam inter Regem Scotiæ et Joan. S. Andreæ

loco

Qua conditione pax facta.

loco illius haberet Episcopatum de Dunkelden, & omnes redditus, quos ipse ante electionem suam habebat, in Cancellariam Regis, & quadraginta *marcatas redditus de Episcopatu S. Andreæ, in vita sua. Hugo tamen cùm requisitus esset à Domino suo Rege Scotiæ, quod abjurasset Episcopatum Sancti Andreæ: Respondit se malle suscipere judicium de Romana Curia, quàm sic abjurare Episcopatum, ad quem ipse fuerat consecratus. Et statim literas, quas Joannes Episcopus, contra eum à Romano Pontifice impetraverat, arguit falsitatis, & appellavit ad Romanum Pontificem.

*Marcas

IV. Hæc inquieti hominis intercessio, Ecclesiæ pacem, & Legatorum patientiam vexavit: nec porrò in negotio processum. Rolandus ad Lucium Papam literas dedit, quas recitat Rogerus, obscuras & impeditas adeo, ut illas earumque sensum non sit obvium expedire. Exprimere fortè voluit factionis genium, qui varius est, & versipellis, versutus & perfidia plenos, denique intellectu difficilis. Sed quia Hugo appellatione judicium interrupit, statuerunt Legati prædictis Episcopis, Joanni & Hugoni terminum Kalendas Octobris, quo tempore juberentur Romano Pontifici suam præsentiam exhibere. Quid inde hoc anno factum, non inveni. quid actum sequenti, dicam ibi. Interim redeo ad Henricum Regem, qui in procerum conventu, apud Walthan, in Trinobantibus, & agro Essexiensi, [ad subventionem Terræ sanctæ quadraginta duo millia marcharum argenti, & quingentas marcas auri, liberaliter assignavit, & sic in Normanniam transfretavit,] inquit Parisiensis.

Hugo Episcopus interrumpit pacem.

Paris. hic.

V. Causa trajectionis fuit inquietum Henrici filii ingenium; qui Regis titulo non contentus, omni conatu, plena Regis potestate potiri, & parentem ante mortem sepelire laboravit. Ecce rem in Annalibus ita describtam. [Hoc eodem anno millesimo centesimo octogesimo secundo, Henricus Rex Angliæ Pater transfretavit de Anglia in Normanniam, propter importunitates & excessus, quos Henricus Rex filius suus ei faciebat. Ipse enim ad Philippum Regem Franciæ eum uxore sua profectus, mala omnia quæ potuit, machinabatur in perniciem Regis Patris sui contra fidem, & sacramenta, quæ illi sæpiùs fecerat de fidelitate servanda. Petens ab eo, per consilium Philippi Regis Franciæ, fratris uxoris suæ, totam Normanniam, vel aliquam aliam terrarum suarum: in qua ipse, & uxor sua morarentur: & unde ipse militibus, & servientibus suis servitia sua solvere posset. Attamen divina inspirante gratia ad Patrem suum rediit, & juravit quod de cætero à voluntate & consilio suo non recederet; nec ab eo amplius exigeret; quàm centum libras Andegavensis monetæ, in die, ad suas expensas, & decem libras ejusdem monetæ, in die ad expensas uxoris suæ. Præterea Rex Pater concessit Regi filio suo, quod infra annum illum, centum de militibus suis servitia sua redderet.] Hæc Rogerus. Pax hæc diuturna non fuit. Nam Henricus Pater, qui cæteroquin felicissimus fuit; domi, forisque celebris, & terrarum amplitudine, divitiarum copiâ, & militari gloriâ omnium fecundus: in filiis tamen miser & miserabilis imposterum vixit. ut sequentis anni acta dictabunt.

Hoveden fol. 613.

Henricus filius insurgit in Patrem.

VI. Dux Saxonum Henricus, qui Mathildem Henrici Regis Filiam duxerat (ut *supra dictum) in exilium à Friderico Imperatore pulsus, hoc anno in Normanniam ad Henricum socerum & Angliæ Regem venit: conquestusque de injuria levamentum petiit. Sed durus Imperator Ducinihil, ejus conjugi aliquid, regis intercessione concessit. [His diebus (inquit hic Parisiensis) Dux Saxonum Henricus, & gener Regis, ab Imperatore in exilium pulsus, in Normanniam venit ad Regem, ducens secum Ducissam, & duos filios ejus Henricum; & Othonem (illum nimirum Othonem, quisub annum oonum sequentis sæculi IV. eo nomine Imperator fuit) & per tres annos exhibitus est à Regali munificentia in omnibus vitæ necessariis abundanter.] Non desiit Henricus Rex ut exilii sententiam intellexit; generi filiæque causam agere, & missa legatione Imperatorem sollicitare, ut positâ irâ, tantum Germaniæ Principem amaret. Sed ille Cæsareæ dignitatis æmulum simoit: ne tamen Henricum Regem à se averteret, filiæ ejus indulsit omnia. [Eodem anno (inquit Rogerus) Rex Angliæ Pater, misit nuntios suos, videlicet Willielmum de Mandevilla, Comitem Albemarliæ, & quosdam alios familiares suos, ad Fridericum Romanorum Imperatorem, ut si aliquo modo fieri posses, averterent iram, & malevolentiam suam ab Henrico Duce Saxoniæ. Quod cùm ad plenum fieri non posset: concessit Imperator, quod omnes qui cum eo ire vellent, licentiam haberent repatriandi. Præterea idem Imperator concessit Mathildi Ducissæ Saxoniæ, pro amore Regis Angliæ Patris sui; ut ipsa liberè, & in pace remaneret, & totam dotem suam liberam, & quietam haberet. Et si mallet cum Domino suo in exilium ire; concessit ei Imperator, ut custodes suos poneret ad dotem suam custodiendam. Appropinquante igitur termino, quo præfatus Dux à terra, & cognatione sua recederet: ipse & uxor ejus, cum filiis & filiabus suis: & cum Comitibus, & Baronibus, & ditioribus terræ suæ, egressi sunt de terra, & cognatione sua, & venerunt in Normanniam, ad Henricum Regem Angliæ Patrem prædictæ Ducissæ, quos ipse cum gaudio suscepit. Et paulò post præfatus Dux dedit Comitibus, & Baronibus, & ditioribus terræ suæ licentiam repatriandi. Quibus Rex Angliæ Pater Ducissæ munera multa dedit, & dimisit eos. Et Dux ipse peregrè profectus est, ad Beatum Jacobum: & Ducissa uxor ejus remansit cum Rege Patre suo in Normannia prægnans apud Argentonium, & peperit filium.]

Dux Saxoniæ confugit ad Henricum.

*an 1156.91.

Paris. hic.

Hoveden. fol. 617.

VII. Cessione Gaufridi Lincolniensis Electi, vacavit sedes illa ab anno superiore. Hoc autem anno, Sedem illam intravit Walterus de Constantiis Archidiaconus Oxoniensis, ut Matthæus uterque affirmas, Rogerus & Godwinus non nisi sub finem anni sequentis ingressum assignant. [Consecratus est (inquit Parisiensis) Episcopus Lincolniensis, à Richardo Cantuariensi Archiepiscopo Andegavis in Ecclesia Sancti Laudi.] Fuit Laudus Constantiensis Episcopus, Dei jussu, cùm puer duodennis esset, ad sedem illam electus. qui postea virtutibus & miraculis clarus in Gallicano Martyrologio inter Sanctos locum meruit ad vigesimum primum Septembris. Timuit Walterus Lincolniæ sedem ingredi, ob nuperum Vaticinium (de quo *supra) neminem à morte Roberti de Querceto, in ea sede sessurum. Sed metum sustulit

Walterus de Constantiis creatur Episcopus Lincolniē.

Paris. hic.

*an. 1167.63.

WALTERUS HIC TRANSLATUS AD SEDEM ROTHOMAGENSEM. *Godvuin in Lincolnen.*

sustulit subita ejus ad aliam sedem migratio. nam anno millesimo centesimo octogesimo quarto Rothomagum translatus, pallii quidem dignitate, sed non opibus auctior fuit. De quo Godwinus: [Walterus Lincolniæ vix consederat, quando Archiepiscopatum Rothomagensem ultrò oblatum non renuit accipere : dignitate quidem, præsulatu quem jam obtinebat, potiorem; redditibus verò & opulentiâ (vide quid possit ambitio) multis gradibus postponendum.]

VIII. WALTERUS ROFFEN. EPS. MORITUR. v. an. 1147. n. 9.

Obiit Walterus alter, Roffensis Episcopus; qui ab anno millesimo centesimo quadragesimo septimo consecratus, triginta quinque annos ferè sedit: extat ad eum Epistola, quam S. Thomæ Martyris esse putamus, ideoque non omittendam. legitur inter Joannis Saresberiensis Epistolas, numero quinquagesima quinta, sic inscripta:

WALTERO Roffensi Episcopo.

Ioan Sarisb. Epist. 55. WALTERO ROFF. VIDETUR EPISTOLA S. THOMÆ.

GRaviter offendit in Christum, cui in fratrum unitate, amantissimus factus est locus; qui ea, quæ in domo ejus, ad pacem facta sunt, nititur perturbare. Nos autem Cantuariensis Ecclesiæ, semper dileximus pacem, Domino propitio, nobis in fratres nostros charitatis in dies profecit affectus: ab eis post tempora nostra, omnem auferri cupimus materiam scandalorum. Ex nostrâ itaque conscientiâ, idoneos pro facultate custodes præfecimus ordini: quorum ministerio, per gratiam Domini, jam annis pluribus religio proficit, & extrinseca administratio possessionũ, solitò laudabiliùs procurata est. Quod enim statuimus, authoritate quâ fungimur, manere præcipimus inconvulsum. Priores amori, utilitati subditorum insistere, subditos in omni humilitate reverentiâ, suis obedire Prælatis.

WALTERUM AMOVERAT A PRIORATU.

Gualterium, quoque quem ob suam non Ecclesiæ culpam, à Prioratu amovimus; ab officio Prioratus, Supprioratus, omni prælatione, ordine in Ecclesia Cantuariensi, in perpetuum submovemus: indulgentes tamen ei si pacificus fuerit, consortium fratrum, cohabitationem Cantuariensis Ecclesiæ, & si laudabiliter se privatim habuerit, eum ad alias obedientias Ecclesiæ nostræ, & ad alterius Ecclesiæ regimen ascendere non vetamus: dum ad Prioratum, & Supprioratum, & cæteras claves ordinis interdictas nequaquam aspiret. Si verò unquam ad hoc aspiraverit; omnes quos hujus molimini habuerit adjutores, anathemati subjugamus. Tibi quoque Waltere, ne hoc facias, ex parte Omnipotentis Domini, sub anathemate interdicimus, quacunque die hoc attentaveris, omnibus fratribus nostris Episcopis, & omnibus parochianis & subditis vestris, in virtute Obedientiæ præcipimus ne tibi, donec cesses, & condignè satisfacias, ullo modo communicare præsumant. Sed & si quid machinatus fueris in fraudem hujus nostræ Constitutionis, te cum omnibus complicibus tuis jam dictâ sententiâ noveris subjacere. Noli ergo frater errare; noli: Deus enim non irridetur. Sed habe pacem cum fratribus tuis. Quod in nos immeritos deliquisti, tibi indulgeat Deus. Deus pacis & solatii sit vobiscum, dilectissimè frater: nos quod ad præsens separat humanæ conditionis infirmitas; in æterna beatitudine secum perpetuò faciat exultare. Ita scripsit in exilio S. Thomas.

IX. Porrò quòd existimem has literas à sancto Thoma, Waltero dictatas, hæc ratio redditur, quòd ad eundem Walterum, Roffensem Episcopum, Joannes Saresberiensis olim scripsit Epistolam, quæ numeratur ducentesima quadragesima tertia. ibique inter alia hæc habet: *Dominus, & Pater vester, pro libertate Ecclesiæ, & causâ Dei exul est & proscriptus: & multis coëxulibus oneratur. Si ei subveneritis, & conscientiam liberabitis. Et cum liberum fuerit, quæ cujusq; sint opera, declarare, expedietis famam, & vobis & vestris prospicietis imposterum. Sed fortè timetis Regem, aut prætenditis paupertatem, & onera gentis vestræ. Certè Deus est homini præ timendus, & sumptum multos facitis, præter conscientiam Regis, & suorum, imo & familiarium vestrorum. Nescio enim quid de Episcopo sentiam, cujus dextera ad pauperes non extenditur, ignorante sinistra,* &c. Quis Waltero in Roffensi Sede successerit, dicam anno sequenti, num. 23. *Ioan Saresb Epist 243.*

X. MONAST. PRÆMONSTRATENSIUM. *Cat adium destruct in Richmondshire. Camd. ibid.*

Surrexit hoc anno monasterium ad Coverham oppidum in Richmondiæ Comitatu apud Brigantes, quod Ranulphus, Conani Britanniæ Comitis filius Præmonstratensibus fundavit, ut habet Catalogus ædium destructarum. Meminit etiam Camdenus Abbatiæ hujus, & Ranulphi fundatoris. Locum Coverham vocat, sed nunc contractiùs Corham.

ANNUS CHRISTI 1183.

LUCII III. PAPÆ 2.

HENRICI II. REGIS 29.

I. ROMANORUM FACTIO IN LUCIUM. *Hoveden. fol. 621 Baron. hic.*

ANnus Christi octogesimus tertius supra millesimum centesimum, à tumultibus cœpit, & in Regio funere desiit. Tumultus multi fuerunt, & domi, & foris, Romano etiam periclitante Lucio. Inde rerum gestarum exordium sumens, referam quæ Annales nostri, & ex illis Baronius, narrant. [Hoc anno ortum est grave dissidium inter Romanos, & Papam Lucium super consuetudinibus quibusdam, quas prædecessores sui facere consueverant, quas prædictus Papa juravit se nunquam facturum. Unde Romani indignati sunt, & frequenter rapinas, & iniquas combustiones fecerunt in terrâ Domini Papæ. Dominus verò Papa, de loco in locum fugiens, castella sua, & civitates munitas adiit. Ad cujus defensionem Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Domini Friderici Romanorum Imperatoris Cancellarius magno congregato exercitu advenit. Cui Romani resistere non valentes, Romam redierunt. Quos prædictus Cancellarius persequens, omnia ad Romanos pertinentia devastavit: & eos usque ad portas Civitatis Romæ secutus est, omnia suburbana incendio tradens. Romani verò videntes se perditioni traditos, machinabantur, qualiter prædictum Cancellarium dolo interficerent. Et cum alter aditus eis defecisset, statuerunt venenò interficere, & ita fecerunt. Nam cum Cancellarius ille, & exercitus ejus ferè per decem milliaria ab Urbe remoti essent, Romani direxerunt in paupere cultu Legatos, qui statum Curiæ addiscerent. Qui cum totum didicissent, inter cætera compererunt unum quod perditioni ejus prælegerunt. Erat námque prope locum illum fons nitidissimæ aquæ, quam solitus erat Cancellarius & exercitus ejus vino mixtam potare. Fontem itaque aggressi sunt nefandi proditores illi, & ipsum undique affecerunt veneno, ita ut

CANCELLARIUS IMPERATORIS PERSECUTUS EST ROMANOS, ET ADIUVASAT LUCIUM.

manans aqua corrumperetur. Ut igitur potavit ex ea Cancellarius, festinæ morti succubuit. Occubuerunt & post illum plusquam mille homines, qui ex prædicto fonte potaverunt.

II. Cum autem obitus Cancellarii divulgaretur, exercitus ejus dissipatus est, & in fugam conversus. & Romani acriùs insurrexerunt in Dominum Papam. Idem verò Papa, non valens resistere Romanis, misit Legatos suos ad Reges, & Principes terrarum; tam Sæculares, quàm Ecclesiasticos, pro auxilio habendo ad defensionem Beati Petri contra Romanos. Venerunt ergò Nuntii sui ad Henricum Regem Angliæ, postulantes ab eo, & à Clericatu Angliæ auxilium. Consuluit itaque Rex Episcopos suos, & Clerum Angliæ de petitione Summi Pontificis. Cui Episcopi, & Clerus consuluerunt: ut ipse secundùm voluntatem suam, & honorem, faceret auxilium Domino Papæ; tam pro seipso, quàm pro illis. Quia tolerabilius esset. & plus placeret eis, quod Dominus Rex, si vellet, accepisset ab eis compensationem auxilii illius; quàm si permisisset Nuntios Domini Papæ in Angliam venire ad capiendum de iis auxilium. Quia si aliter fieret, posset verti in consuetudinem ad detrimentum regni. Acquievit Rex consilio eorum, & fecit auxilium magnum Domino Papæ in auro & argento. Dominus autem Papa per pecuniam illam, & per pecuniam aliorum Principum, sibi undique allatam, pacem fecit cum Romanis, & sibi & Ecclesiæ Romanæ necessariam.] Hæc Rogerus.

FONTE A ROMANIS INFECTO, CANCELLARIUS IMPERATORIS CŪ MILLE ALIIS INTERFICIUNTUR.

III. Potuit interim Lucius Papa Scotorum lites, de quibus superiori anno, & dissidentes Episcopos componere: & verò composuit, quantum Aquilonis asperitas, & nata ibi indoles potuit componi. Appellantes igitur supra ad Romanam Sedem hoc anno Velitris Lucium invenerunt, qui controversiam eo modo diremit, quo narrat Author supra. [Eodem anno (inquit) Joannes & Hugo Episcopi, de quibus mentionem feceramus, Velletrem venerunt ad audientiam Papæ Lucii; & uterque illorum proposuit coram Domino Papa, & universis Cardinalibus suis, jus, quod petebat in Episcopatu S. Andreæ. Quo audito Dominus Papa, de communi Fratrum consilio, abjudicavit Episcopatum illum utrique: & ipsi in manu Summi Pontificis resignaverunt præfatum Episcopatum S. Andreæ liberè, & absolutè: & sic à Curiâ recesserunt, expectantes Summi Pontificis misericordiam. Et post paucos dies, & per concilium universorum Cardinalium, Summus Pontifex reddidit Hugoni Episcopo Episcopatum Sancti Andreæ: & confirmavit, & concessit Joanni Episcopo Episcopatum de Dunkelden, cum universis supradictis, quæ ei ex parte Regis Scotiæ ablata fuerant & confirmavit. Hugo autem domum rediit, & recepit Episcopatum S. Andreæ. Joannes verò Episcopus recepit Episcopatum de Dunkelden. Sed quia Rex Scotiæ noluit ei ablata restituere, ipse iterum movit quæstionem contra Hugonem Episcopum de Episcopatu Sancti Andreæ.] Sic lites è litibus sine fine generantur.

Hoveden. fol. 621.

DE DISSIDIO EPISCOPORUM SCOTIÆ.

IV. Sed major graviorque in Angliâ contentio inter Regem, & Regis filios fuit. Parens in filios, & fratres in fratres armantur: nec nisi funesta morte lites sopiuntur. Henrici peccatum Thomam persequentis, quem ceu parentem colere & venerari debuisset, necdum plenè expiatum fuit. Sentire ergò debet rebelles filios, qui filiis rebellionis exemplum, pessimo exemplo dedit. Ille in Thomæ Martyris ignominiam coronari fecit ab Eboracensi Episcopo Henricum filium: nunc illi Deus coronam, quam aliena manus imposuit, detrahet, cum priùs parentem vario, & inconstanti impetu vexavisset. [Contigit hoc eodem anno (narrat Baronius) obitus Regis Angliæ, Henrici junioris, filii Henrici ipsius secundi, quem Pater in contumeliam S. Thomæ per Archiepiscopum Eboracensem coronari fecerat: qui post reconciliationes alias sæpè factas, rursus ad scissuras, & discordias leviter revocatus: tandem ulciscente Numine, dedit pœnas: sed miserante Deo, veræ pœnitentiæ, post immensa peccata, memorandum reliquit exemplum.] Sic ille compendio, quæ debeo paululum diffundere: & miseram hujus anni faciem, quam filiorum rebellio, fratrúmque discordia formavit, aut deformavit potiùs. Controversiæ statum, & inconstantes filiorum motus ita aperit Rogerus.

ITERUM FILII REBELLANT IN HENRICUM.

Baron. hic.

DE MORTE HENRICI JUNIORIS.

V. [Ut autem hujus nefandæ controversiæ, quæ inter Patrem, & filios suos orta est, causa sciatur; Sciendum est, quòd sacrosancto Dominicæ Circumcisionis die, Henricus Rex filius Domini Regis Angliæ, sponte sua, nullo cogente, tactis sacrosanctis Evangeliis, adhibitâ quoque Clericorum & Laicorum copiosâ multitudine, juravit se ab illa die deinceps, omnibus diebus vitæ suæ, Henrico Regi Angliæ, sicut Patri suo & Domino fidelitatem integram servaturum; & honorem, & servitium debitum exhibiturum. Et quia, ut asserebat, nullam malitiam, nullúmque rancorem in animo suo Rex filius retinere volebat; unde Rex Pater suus postmodum posset offendi; manifestavit ei, se Baronibus Aquitaniæ, contra fratrem suum Richardum, obligatum esse: ea scilicet intentione motus, quòd prædictus frater castellum de Clereşvals (castellum de Clarsvalle appellant alii) in patrimonio, sibi post Patrem suum debito, contra suam firmavit voluntatem. Unde Patri suo plurimum supplicavit, ut præfatum castellum Richardo subtraheret, & in custodiâ suâ retineret. Super quo Richardus à Domino Rege admonitus; quamvis priùs facere recusaret, postmodum tamen liberè tradidit, ad Patris sui beneplacitum disponendum. Tres itaque filii Domini Regis, Rex scilicet, Richardus, & Gaufridus venerunt Andegaviam, cum Domino Rege Patre suo, inter se fœdus pacis perpetuò firmaturi. Unde horum trium singuli, fidelitatem perpetuam Domino Regi, Patri suo contra omnes homines juraverunt servandam, & honorem ei, & servitium perpetuum se præstituros. Juraverunt etiam, quòd justa dispositionem Patris sui, pacem inter se perpetuam observarent.

Hoveden. fol. 618.

QUA PERFIDIA FILII HENRICI PROCESSERŪT CUM ILLO.

TRES FILII JURARUNT PACEM PATRI.

VI. Quis non crederet, pacem utrimque tam sanctè firmatam, diuturnam fore, & Henricum Patrem in filiis beatum. Sequitur tamen: Statuta igitur die pacis inter eos, dispositione Patris sui, confirmandæ apud Mirabel; quia Barones Aquitaniæ, quibus Rex filius juraverat, non aderant; misit Rex Pater Gaufridum filium suum ad eos, ut ad hanc pacem, & concordiam venirent, & interim ab hostilitate cessarent. Præfatus verò Gaufridus, Dei, & paternæ reverentiæ, & jussionis prorsus immemor, non pacem misit, sed gladium: & contempto Sacramento, & homagio,

GAUFRIDUS FILIUS INVITATUS, NON PACEM MISIT, SED GLADIUM.

& fideli-

& fidelitate, quæ toties Patri præstiterat; cum inimicis Patris sui fœdus iniit persecutionis, gentémque sacrilegam, & ab Ecclesiâ Romanâ detestatam, ad destruendam terram Patris sui induxit. Hoc autem audiens Rex filius, supplicavit Patri suo, ut pacem inter Richardum fratrem suum, & Barones Aquitaniæ stabiliret. Dominus verò Rex ad preces filii sui, pacem se servaturum promisit. quo, & sicut in præteritâ æstate fuerat ordinata, ita & excessus ab utraque partium facti emendarentur: aut si Baronibus hoc non placeret, eos secundùm Curiæ suæ judicium judicaret. Quod Regi filio plurimùm placuit: Ita tamen, quod castellum de Cleresvals in manu Regis Patris sui salvum esset. Rex itaque filius impetrato a Patre suo quod petierat, cum licentiâ Patris sui profectus est Lemovicum: ut tam Gaufridum fratrem suum, quam Barones Aquitaniæ ad concordiam revocaret: & uxorem suam misit in Franciam, ad Regem Franciæ, fratrem illius, interim custodiendam. Et Rex Pater de voluntate, & consilio Regis filii, cum paucis aliâ viâ, Lemovicum venit, tutus de filiis, tutus de suis.

VII. Rex accedens ad castra sua male acceptus.

Et cum in propria venisset; sui eum pessimè receperunt: quia in eum miserunt sagittas, ita ut etiam supertunicale suum crudeliter perforarent: & quendam militem suum coram oculis ejus vulnerarent: ipsumque Regem, ab ingressu tam civitatis, quam castelli, violenter arcerent. Unde oportuit eum, & Richardum filium suum migrare inde. Postmodum Dominus Rex civitatem Lemovicum ingressus est. Ipso quoque ab eâdem egresso, ut cum filiis suis paternaliter loqueretur; præsentibus filiis suis, præfati castelli satellites, sagittas dir[ex]erunt letiferas: adeò ut equum, quo Rex Pater ferebatur, in capite vulnerarent. & nisi equus ad adventum sagittæ, altiùs caput elevasset; sagitta in Regio pectore profundiùs descendisset. Quod filii ejus Henricus & Gaufridus, contemnentes; nec vindicarunt, nec eò minùs ad letiferos hostes Domini, & Patris sui redierunt. Paulo post Rex filius, ad Patrem veniens obtulit ei: quod nisi Barones Aquitaniæ, ad pedes suos pacem impetraturi venirent; ipse, eis prorsus relictis, ad eum rediret omnimodo serviturus. Rex Pater, precibus filii interim motus, pacem, quam prius Baronibus promiserat, repromisit. Quare Rex filius, ut dicebat, ad fratrem suum Gaufridum, & Barones Aquitaniæ proficiscens; & ab eis revertens ad Patrem, eos prorsus inobedientes asseruit, & rebelles: quare ad servitium & voluntatem Patris sui revertebantur.

VIII. Omnia dolo acta, ut Gaufridus spoliaret.

Hoc autem, ut ex post facto apparuit, fraudulenter actum est; ut interim gens perfida Brabancenorum, & filius perditionis Gaufridus, in terram Regis Patris licentiùs grassarentur; eámque nefariè devastarent, ornamenta Ecclesiastica auferendo, oppida, & villas incendiis inflammando: ovilia & agros rapinis evacuando, adeò ut mortificarent omnia, nec ætati, nec sexui, nec ordini, nec religioni parcentes: imo sola, ut videbatur, homicidia, sacrilegia, & rapinas affectantes. Postmodum Rex quoque filius, audiens hæc à Gaufrido fratre suo fieri; dixit Patri suo: quod quicquid fecerat, in hac parte, consilio Gaufridi fratris sui fecerat. Et Patri suo arma sua & equum tradidit conservanda. Et sic cum Patre suo aliquot diebus moratus est. Verùm cum in eâdem mensâ, cum Patre sui comedisset, & in eodem catino manum intinxisset: recessit a Patre, & iterum cum inimicis Patris sui se Sacramento præstito obligavit. Et ad Patrem rediens, dixit se nullo modo posse videre, quod ille hominibus Castelli mala faceret, quæ meruerant. Sicque recedens à Patre profectus est Doratum. Pater verò putans eum pacificum, revocavit. Qui rediens, & ingrediens Castellum: & scelus quod conceperat, ad optatum perducere effectum non valens; supra corpus B. Martialis juravit se Crucem accepturum. Pater verò credens eum hoc magis ex indignatione, quàm ex religione fecisse, ab incauto voto paternaliter studuit revocare: quærens ab eo flexis genibus, coram eo lacrymans: utrum votum illud, occasione rancoris, vel indignationis, vel paupertatis, vel religionis provenisset. Cui filius cum omni juramento respondit, se votum hoc vovisse ob solam remissionem peccatorum, quæ ipse in Patrem suum fecerat. Adjecit quoque, cum Patrem suum lacrymari, & contradicere videret, quòd se propriâ manu interficeret; nisi Pater desisteret revocando eum à proposito Crucis accipiendæ: quia corpus Dominicum, quod sacrari die illo coram oculis suis viderat, testabatur, quod Crucem à multo retro tempore accepisset. sed hoc nondum manifestaverat: sperans, & confidens se Patris sui gratiam pleniùs habiturum; quia peregrinari sine ejus gratiâ nolebat. Pater verò intelligens propositum ejus sanctum, & firmum, ait: Fiat voluntas Dei & tua. Et ego ero tibi provisor, & adjutor in acquirendo Comitatu, & sumptibus copiosis adeo, Deo volente, ut nemo, quem audierim in partibus Jerosolymitanis servitium Dei potuisset aliquando copiosiùs fecisse.

Henricus filius dolose agit cum Patre.

Jurat se Crucem accepturum.

Minatur se ipsum interficere, nisi parens cõsentiat.

IX.

Tunc Rex filius gratias agens Patri multiplices, supplicavit ei, ut cum hominibus castelli, & Baronibus Aquitaniæ misericorditer ageret. Pater verò lacrymatus, promisit ad beneplacitum suum de his omnibus se facturum. Filius autem Rex iterum gratias agens Patri, Burgenses castelli adduxit ei: & invito Patre cum ipsis Burgensibus ad genua Patris provolutus, pacem pro eis petiit, & accepit, obsides tamen servandæ concordiæ præstaturus. Rex verò Pater ad accipiendos obsides, quosdam misit de suis; qui ferè ab eis, qui tradere debebant, interfecti sunt. Quod Rex filius nullatenus vindicavit: sed abjectâ Crucis religione, factus est, cum eis hostis, & Patris proprii persecutor. Postea Rex filius se pacem velle simulans, petiit à Patre, ut ei Mauritium de Croun, cum treugâ mitteret, & alios Barones quosdam: & dum cum [eo] loquerentur quidam, qui secum sunt eos, ab inimicis Domini Regis, præsente Rege filio, interfecti sunt. Aliquot diebus post elapsis, Gaufridus filius iniquitatis, malitiosè supplicavit, ut ei Oliverium filium Ernisii, & Gerom de Multerol, in treugâ mitteret. Quorum alter scilicet Gerom percussus est cum gladio, per Cappam & Tunicam, & Camisiam, non sine sanguinis effusione. Alter, scilicet Oliverius, de ponte in aquam projectus est, ipso Gaufrido præsente: nec illam injuriam vindicante. Postea iterum ille filius cum Patre loqui volens; securè venit ad Patrem; & de pace faciendâ

Regis nuncii missi ad Burgensium obsides accipiendos occisi.

HENRICUS FILIUS DECORTICAVIT FERETRUM B. MARTIALIS.

dolosè tractans, petiit à Patre licentiam intrandi castellum, ut fratrem suum Regem, & alios Domini Regis inimicos, ad voluntatem Domini Regis inclinaret. Data est ei licentia: intravit, & Beati Martialis feretrum decorticavit, & alia monasterii illius vasa aurea, & argentea asportavit: & cum præda illa, per Patrem suum rediens, treugas usque in crastinum petiit prorogari. Data est ei treuga, & ipse pontem transiens eadem die renuntiavit Patri treugam dissolutam. & de sacrilegio & furto, quod B. Martiali fecerat, Brabancenis suis sua stipendia persolvit. Summa verò præfati furti secundùm æstimationem bonorum virorum, fuit quinquaginta duæ marcæ auri, & viginti septem marcæ argenti.]

X. Fui longior in explicandâ tragœdiâ filiorum Henrici, ut justa Dei judicia in pœnâ filiorum, quæ secuta est, religiosiùs perpendantur. Cum enim parentes filiis nimium indulgent; exurgit in judicium Deus. Sed & Ecclesia filiorum parricidium, & sacrilegia detestata, excommunicationis sententiam, Richardo Cantuariensi, Henrico Baiocensi, Joanni Ebroicensi, Radulfo Lexoviensi, Frogerio Sagiensi, & Waleranno Roffensi Episcopis, illam cum Abbatibus, Clero, & omni Normanniæ populo, dictantibus, *in omnes, qui pacem, & concordiam, inter Dominum Regem, & filios suos faciendam impedirent, exceptâ solius Regis filii personâ*, inquit Rogerus. Sed quia Rex filius culpæ etiam particeps, si non Princeps fuit. Rothrodus Rothomagensis Archiepiscopus, qui hoc anno moritur, eum gravissimis literis olim monuerat, ut Patri obediens, ab injuriâ cessaret. & benè inter extera dixit. *Nihil in Patre tuo invenis ac infandum, nisi quod exuberantem gratiam, tuamq́; devotionem, quam fortè remissior munificentia meruisset, sola benigna, & offensa liberalitate demeruit. O levitas adolescentiæ deploranda! Si enim Deus tibi cursum longioris vitæ indulserit, sic ætate provectior, quod amicitis impubes. Nec erit tunc locus pœnitendi, cum res in eam desolationem venerit, ut reformari non possit. Tibi, dilectissime fili, licet amarè, tamen ex amore sic loquor. Inconsultos enim animi tui motus æquanimiter tolerare non possum. Et utinam mors, quam optare me cogis, prævenisset hos dies; quibus te Patris, & Patriæ persecutorem conspicio: quibus te inimicum hostibus suis, & amicis hostem intueor. quibus in eo statu te video, quasi gladium tuo gutturi affixisses.* Ita Rotrodus, mortem optans, quæ hoc anno illi obvenit.

Hoveden. fol. 620.

apud Petr. Blesen. Epist. 33.

ROTHRODUS ROTHOMAGENSIS ADMONET FILIUM REGIS.

XI. Sed & Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, priusquam excommunicationis sententiam in pacis turbatores fulminaret, amicè, paternè, graviter, eum, quem à Censuræ rigore exemerat, monet; ut Patri filiale obsequium exhibeat, nisi excommunicationis fulmen mallet experiri. Scribit ad illum benè longam Epistolam, quæ inter Petri Blesensis Epistolas, numero quadragesima septima legitur, sic inscripta. *Henrico Tertio, Dei gratia Regi Angliæ, & Domini Regis filio, Richardus Cantuariensis Ecclesia humilis minister spiritum consilii cum salute.* harum literarum exordium, & finem sat erit apponere. sic ergò incipit: *Si quid durum tibi locuturi sumus, Illustrissime Princeps, sustine patienter. nam ex abundantiâ cordis & vehementia doloris os loquitur. non feras molestè si rogamus, quæ ad pacem sunt: si operam damus ut convertantur corda filiorum ad Patrem. Dolemus, doloremq́; dissimulare non possumus; quia Patrem tuum persequeris, terramq́; ipsius, quam usque ad sanguinis effusionem tueri debueras, turpem das in direptionem, & prædam. Et unde hoc tibi, quod Brebantionum factus es ductor? gentiq́; excommunicatæ, & perditissimæ adhæsisti, ut perderes devotissimam tibi gentem? In quo offendit? In quo gratiam tuam demeruit Pater tuus? &c. Nonne consultius tibi est, per prudentiam fidelissimi Patris, in pace populum conservare, quàm per adulatores infidos, quietem & pacem commissi tibi populi conturbare? Adhuc, amantissime fili, devotè & humiliter supplicamus; quatenus facias & loquaris pacem in plebem tuam: & derelictâ societate illius excommunicatæ & perditæ gentis, quæ te in devium malitiæ trahit, revertaris ad Patrem. Nos autem ita honori, & commoditati tuæ studebimus providere, quod ampliùs obtinebis pacis beneficio, quàm possis per ignem & gladium extorquere. Quod si nostro, & Suffraganeorum nostrorum consilio, qui super hoc generaliter tibi scribunt, acquiescere & consentire detrectes: Scias nos recepisse à Summo Pontifice, in mandatis, ut te, & omnes, qui pacem Domini tui turbant, sublato appellationis remedio, excommunicationis vinculo innodemus: Nosq́; mandatum nobis injunctum, licet inviti, & dolentes, prompto effectu, & debitâ reverentiâ, nisi infra quindecim dies resipueris, plenissimè prosequemur.* Hæc & plura Richardus.

apud Petr. Blesen. Epist. 47.

RICHARDUS CANTUARIEN. HENRICO III. UT PACEM TENEAT CUM PATRE.

EXCOMMUNICARE MINATUR SI PACEM NON INEAT.

XII. Cum verba minæque non sufficerent ad furentis juvenis tundendos impetus, Deus Opt. Max. manum extendit, mitem eniminverò atque misericordem. nam ne porrò in impietate pergeret & peccata peccatis adderet, apparitorem misit, qui ad judicium traheret. Sed mentem prius eo lumine beavit, quo peccatorum inspectâ fœditate, contriti cordis argumenta dedit, omni sæculo memoranda. Nam [Paucis post elapsis diebus (ita ad hunc annum Rogerus) Rex filius, cum vidisset se non posse multum nocere Patri suo, ex indignatione & animi rancore, in gravem incidit infirmitatem, in villâ, quæ dicitur Martel, non longè à civitate Lemovicensi. Primò enim arripuit eum febris: deinde fluxus ventris, & contrivit eum usque ad mortem. Qui cùm sensisset mortem sibi imminere; misit pro Domino Rege Patre suo. Qui ad eum venire noluit: Timuit enim insidias illius. Rex igitur filius, convocatis coram se Episcopis, & viris religiosis, qui aderant: primum secretò, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam, & suorum recepit absolutionem peccatorum. Et tradidit Willielmo Marescallo familiari suo Crucem suam Jerosolymam deferendam. Deinde depositis mollioribus indumentis, cilicium induit: & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, & cæteris viris religiosis circumstantibus: Trado me peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium, per funem istum vobis ministris Dei postulans, ut Dominus noster Jesus Christus, qui latroni confitenti in Cruce peccata dimisit, per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiam, misereatur infelicissimæ animæ meæ. Et respondentes omnes, Amen. Et ipse ait illis: Trahite me à lecto isto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo; quem sibi præparaverat: & fecerunt sicut ipse præcepit illis: & apposuerunt capiti, & pedibus suis duos lapides magnos quadratos: & omnibus ritè peractis, ipse præcepit

Hoveden. fol. 620.

HENRICUS III. FILIUS PŒNITENS MORITUR.

corpus

corpus suum deferri in Normanniam usque Rothomagum, & ibidem sepeliri. Et his dictis, ipse sacrosancti Corporis, & Sanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emisit spiritum.

XIII. PARENS PLANXIT FILIUM. Quod cum Domino Regi Patri suo nuntiatum esset; lacrymatus corruit in terram, & vehementer planxit filium. O quàm nefandum est filios Patrem persequi! Injuriam namque Patris non pugnantis gladius, non hostilis manus defendit: sed vindicat febris, ulciscitur fluxus ventris cum excoriatione intestinorum. Redeunt cuncti ad Patrem, prostrato filio. Gaudent omnes solus Pater plangit filium.] Hæc auctor. Henricus certè ita rebellem filium planxit, ut modum excessisse prudentioribus videretur. unde Petrus Blesensis consolatoriam vel objurgatoriam potiùs ei misit Epistolam, in hæc verba.

Pet. Blesen Epist. 2.

HENRICO Dei gratia, illustri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ, & Aquitaniæ, Comiti Andegavensi: suus PETRUS Blesensis Bathoniensis Archidiaconus Salutem, & spiritum fortitudinis in adversis.

XIV. PETRI BLESENSIS CONSOLATORIA HENRICO DE MORTE FILII. *Audivi & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. nam ex familiarium vestrorum relatione cognovi; quod illa vestra magnanimitas, celebri hactenus opinione conspicua, in morte filii vestri mortificata est, & quadam mollitie muliebri degenerans, gemitibus indulget & lacrymis: atque reverentiâ Regiæ majestatis abjectâ, supervacuis doloribus pueriliter intabescit. Dolorem affectum in vobis non arguo, sed dolendi excessum. Scio, quia pium est, flere mortuum: & hujusmodi mæstuosos affectus lex naturæ indicet. Nam & Iob, auditâ filiorum suorum morte, vestimentorum scissione, & aspersione pulveris, doloris vim expressit. Abraham, mortuâ Sarâ, venit ut fleret eam, & plangeret. Iacob existimans filium suum Ioseph, devoratum a bestiâ, multosque dies continuavit in planctu. Ioseph etiam cum fratribus suis, & cunctis senioribus domus Pharaonis, Patrem suum deferens mortuum, venit ad aream Atad, trans Iordanem: ubi septem dies, super morte Iacob in fletu & gemitu compleverunt. Sed & Iosia Rege mortuo, scriptum est, quia universus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, & præ omnibus Rex Adadremmon ita quod in proverbium versum est. & populariter dicebatur. Planctum opus, sicut planctus Adadremmon. In Ecclesiastico etiam legimus, quòd luctus mortui septem diebus legitime celebratur. & ibidem hac verba reguntur Fili in mortuum produc lacrymas. Christus lacrymas produxit in Lazarum. Ideoque non miror si ea deplorando functi, paterni lacrymas exhibetis. Nec enim de numero eorum estis, de quibus Dominus dixit per Prophetam. Percussi eos, & non doluerunt. Et ut verbis Iob utar: Nec fortitudo vestra, fortitudo lapidis est. nec caro vestra ænea est.*

2 Paralip. 35.

XV. *Sed sit quæso hic dolendi modus ne vos dolor capiat ultra modum. Temperantior debet esse apud vos, erga defunctum filium dolendi occasio, quia Christianissime abiit, ne dicam obiit: & dolendo penitus dolores æternos evasit. Nobis super eum flentibus, jam securissime dixit: Nolite super me flere; sed super vosmetipsos flete. Planxit David filium parricidam Absalon, fili mi Absalon. Planxit super Saul & Ionatham, finem eorum deplorans, quos dominium mortis involverat sine fine. Veruntamen si circa filium vestrum pium est flere. pium est & gaudere. Si enim Petrus Apostolus, si Magdalena suos defleverunt excessus: iste licet adolescens, & inter malitiæ incentores, & ut ita loquar, tanquam lilium inter spinas, in omnem se dejecit pænitentiæ humilitatem, mundi gaudia convertens in planctum, & delicias in dolorem. Conversus est planctus ejus in gaudium; convertatur & vester. Cedat vobis ad plenitudinem gaudiorum, talem filium de lumbis vestris processisse; in quem naturæ dotes universæ confluxerant: quem timebant remotissimæ nationes quem vereri, & diligere, etiam inimicus, & invidus tenebatur. Qui cum præ universis mortalibus obtinuisset gloriam, & supereminentiam militiæ sæcularis, tandem in abjectione temporalium, & humilitate pænitentiæ factus, & defunctus est Christi miles. Exemplum dedit vobis, ut & vos sequamini vestigia pænitentis. Nemo enim fuit in confessione humilior, in sui accusatione contritior, in emendatione devotior, in propriæ carnis afflictione crudelior, in omni satisfactione ... consilio suorum, & suggestione pravorum factionis, minus consulte, contra vos exercitat, & direxerat arcum suum. Sed Dominus adversus eum tetendit arcum suum, & in eo paravit vasa mortis. volens vobis ... aliis dare in eo ... ut fugiatis a facie arcus, & liberentur dilecti ejus. ... de salute ejus spem certissimam habeamus (Beati enim qui in Domino moriuntur) ut voce Apostoli utar. Nolite contristari de dormientibus sicut & illi qui spem non habent. Omne judicium jam evasit: judicavit enim seipsum, ne in posterum judicetur. Utinam amantissime Princeps, dum hoc sæculum manet, imo potius dum hoc sæculum manat, judicemus nosmetipsos. Fallax enim est mundus, vita brevis, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, pœna infinita. Planctus itaque quos impenditis mortuo, in arma pænitentiæ convertatis: ut sicut turbato fatalitatis ordine, filius vos præcessit ad mortem: sic ... hujus mortalitatis excursu, cæteros præcedatis ad vitam.* Ita scripsit ad Henricum Regem Petrus Blesensis.

XVI. Super est, ut juvenem immature mortuum sepulchro contraditum, quid ita à Rogerio refertur. [Servientes autem Regis defuncti corpus Regium, multo sale aspersum, extracto cerebro & visceribus, & apud Martel sepultis, plumbo & coriis tauri involverunt, ut sic Rothomagum deferrent, ad sepeliendum ibi. Et profecti sunt una cum illo cadavere Regio. Et cum venissent in civitate Cenomannis; & in Ecclesiâ Beati Juliani Confessoris, atque Pontificis circa illud cum ... & Canticis pernoctassent: & mane voluissent inde cum cadavere illo recedere, Episcopus civitatis, & Clerus unà cum plebe, non permiserunt illos asportare illud: sed sepelierunt illud ... in Ecclesia Beati Juliani. Quod cum Rothomagensibus nuntiatum esset; indignati sunt in ..., & constanter petierunt corpus ejus; juxta ..., quod per vim tollerent illud, nisi celerius redderetur eis. Rex ergo Pater præcepit, ut corpus illud traderetur Rothomagensibus, sicut Rex ..., dum adhuc viveret, præcepit, & ... Et effoderunt corpus Regis, à loco, ubi sepultum fuerat, & portaverunt Rothomagum, & sepelierunt illud in Ecclesiâ Beatæ Mariæ.] Nimirum pœnitens Princeps, in contritione cordis Deiparam invocaverat, & voluit sub ejus

Roger. Hoden. f. 621.

SEPULTURA HENRICI FILII.

patrocinio quiescere, quæ scitur esse Refugium peccatorum.

XVII. LUXIT ORBIS, PRÆSERTIM PALÆSTINA HUIUS MORTEM.

Pervasit Orientem tristissimus, de Henrici Principis morte, nuntius; & flevit Palæstina Cruce signatum, Christi militem, quem remotissimæ nationes, ut Blesensis supra, Saraceni nimirum timuerunt, tam citò obiisse. Eò etiam Eleonoræ Reginæ luctus, literarum commercio delatus, erexit Christianorum animos, ad ejus animæ benè precandum, qui se militiæ illi devoverat. Scribunt igitur, & lugentes ipsi, lugentem matrem consolari conantur hisce literis, quas Petrus Blesensis suis inseruit, ita inscriptas:

Ad ALEONORAM Reginam Angliæ.

apud Petr. Blesen Epist. 164. CONSOLATORIÆ PRO MORTE FILII.

RUmor flebilis, & tristis eventus, in terra nostra nuper insonuit, amaritudine plenus, & plenitudine doloris non vacuus, ac diversitate vulneris corda nostrorum saucians, cunctis quidem dolendus fidelibus, cunctisq; Christicolis deplorandus: sed nobis eò ferendus molestiùs, eò acerbiùs molestandus; quò inter luctuosa pericula, & anxietates funebres constituti: unde subventionis expectavimus auxilium. unde tranquillitatis portum de tot fluctibus confidimus obtinere: unde denique terra sancta, per incrementa temporum, à primævis temporibus beneficia continuata provenerunt, & grata remedia se effundunt, illuc proh dolor refundere antidotum consolationis compellimur: illuc compassionis affectum expandere cogimur: illuc denique mitigationis unguentum, & curationis solatium ministrare arctamur. Sed qui ad vestris luctibus desistendum, & nostris repellendum periculis nequaquam sufficimus: quomodo ad temperamentum tam acerbi doloris, vestræ Celsitudini, sufficientes poterimus reperiri? Qui nostris mitigandis vulneribus, vel curandis omninò defecimus: qualiter materno vulneri medentis manum, & medicinæ remedium apponemus?

Scimus quidem animum vestrum, ex acerbo raptu filii dolentem non modicum, & intimis præcordiis sauciatum: nec immeritò: quia turbato fatalitatis ordine, mater pro filio lacrymas offert, quas matri filius reservabat. Juvenem necdum firmè puberem, priùs conspicit intempestiva mortis subiisse judicium, quam senectutis indicium advenisset. Et qui successor talis dignitatis expectabatur ab omnibus; nunc sicut flos decidens ante fructum; sicut fructus decerptus, statu temporis immaturi, justè lugetur & deploratur ab omnibus, qui posteritatem talium diligunt, & generis sui immortalia cupiunt incrementa. Magna igitur undique dolendi materia: sed non desunt consolationis antidota, si rationem vis doloris admitteret; si non carnalis sensus sequeremur voluntatem. Sed cùm prudentiam, & Regum exempla revolvimus antiquorum: Sanè Rex ille inclytus, & spiritu Dei plenus: licet in morbo nati lugeret graviter, & luctuosos duceret dies; tamen in funere nati, non solum se, sed & alios, consolatione multiplici, à doloris pelago relevavit. dum se iterum ad filium, filium de cætero non rediturum ad eum, nec fletus alicujus subsidio reversurum, tam prophetico spiritu, quàm humanæ similiter rationis perspicacitate professus. Memento te, inclyta Domina, vos filium genuisse mortalem: nec ullam momentaneam mortalitatis celsitudinem accepisse nec satis diuturnam doloris habere maceriam, in unius subtractione filii; quam Dominus tanta dotavit sobole, tanta denique prosperitate ditavit. Quis scit si Spiritus Sanctus, idcirco humanæ generationis novacula, vitæ telam, in nato Regio, quam nondum perfectè texuerat, tempestivè præciderit. ne fascinatio nugacitatis impostérum averteret sensum ejus, & mundanæ fictionis dolositas deciperet animam illius? Et ideo, quia placita erat Deo anima ejus; ideò factus dilectus, de tenebris ad lucem, de carcere ad regnum, de mortalitate ad vitam, de exilio denique ad patriam est translatus.

XVIII.

Sed quid agimus? Nunquid non indignè reprehensioni patebimus, cum potum fonti, cibum pani, consolationem consolatrici omnium præsentamus? Scimus etenim, inclyta Domina, quòd in totum orbem, per Dei gratiam fama Regalis nominis est diffusa quòd etsi ex naturali affectu, materna viscera, super funere tanti nati, & raptu talis liberi, sint commota: tamen ex cælestis charismatis unctione; quâ vos, præ cæteris prædecessoribus vestris, Omnipotens copiosè perunxit, ad exemplum virtutis, & patientiæ; tanta in vobis consolatio redundavit, quod refusa in alios, aliis refrigerium præstitit, aliis exultationem refudit, alios ad exemplum virtutis & patientiæ provocavit. Præterea Excellentissima, & specialis Domina, verbis consolatoriis velut minùs sufficientes, & idonei desistentes, magnitudini vestræ compassionis præcordia, & devotionis insignia intimamus; quibus totus populus Aconensis, audita morte charissimi filii tui, in plena subjectionis & affectionis ostensionem effluxit. Nam universis Prælatis & Rectoribus Ecclesiarum, regnique Jerosolymitani Baronibus, ac universo populo advocatis, in Ecclesiâ Sanctæ Crucis, celebratisq; ex more exequiis, ac in crastinum Missarum solemniis per Legatum Sedis Apostolicæ celebratis; magnaq; datâ indulgentiâ, ex parte Legati, & aliorum Prælatorum: Prædictus Legatus, nobis sibi assistentibus. pro requie mortui. speciales orationes injunxit populo universo. Sed & pro vitâ Regis, Reginæ, & filiorum, & fratrum conservandâ per tempora longiora, specialiùs, & amplius orare mandavit. Regnum & Regem, cum consorte, & liberis, Bethleemitanæ puerperæ devotius recommendans, sicut semper in suis sermonibus consuevit. Hactenus Orientis literæ, luctus, & solatia.

XIX. OSSA GUILIELMI EBORACENSIS TRANSLATA. v. an. 1154. n. 3. &c.

Sepelivimus supra, ad annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum quartum, & sanctiùs funus ornavimus Guilielmi Eboracensis Archiepiscopi. Ille tot annis sub terra latens; cum quotannis per eum Deus mirabilia operaretur, Clero nunc visum, & fideli populo, ejus corpus efferre, cultùmque Sanctis debitum (dudum eorum numero solemni orbis suffragio adscriptus fuerat) impendere. In ejus vitâ apud Capgravium hæc habentur: [Post obitum verò ejus, puellam quandam à nativitate cæcam illuminavit, contractos tres gressibus restituit, surdo auditum præbuit, hydropicum sanavit, & usque in hodiernum diem in loco requietionis ejus Omnipotens Dominus precibus ejus, & meritis, miracula ostendit. Anno autem Domini millesimo centesimo octogesimo tertio, translata sunt magno cum honore, ossa ejus, & in scrinio pretioso collocata.] Eumdem annum, & delatum ei honorem consignat, & explicat, Lectio nona in Breviario ad usum Sarum, & Eboracensis Ecclesiæ. ubi vitiosè satis quorundam nomina leguntur, quæ vel expungi debent, vel in alia mutari. Expungi debet Eboracensis Episcopi nomen, cujus ministerio ossa transferri dicuntur: quia hoc anno, nemo Eboraci sedit, ut supra visum. mutari debet Regis nomen, qui funeri adfuisse scribitur, cætera non malè efferuntur, in hunc modum:

Capgrav. in S. Willelmo

XX. *Lect. in Brevia. Sarum* CANONIZATUS EST.

Gloriosus Antistes Eboracensis Wilhelmus, postquam migravit a seculo, multis & magis coruscavit miraculis. Unde ex decreto Summi Pontificis Catalogo Sanctorum ascriptus est. Unde ad consummationem gloriæ ejus, anno, ab Incarnatione Domini, millesimo centesimo octogesimo tertio, Translatio ejus celebrata est, ministerio devoto Venerabilis Patris Wilhelmi Archiepiscopi Eboracensis (lege, vel *Willelmi Archidiaconi Eboracensis*, vel *Wilhelmi Turonensis Archiepiscopi*, qui Eboracensem Archiepiscopum post annos octo consecravit) *qui una cum Dunelmensi, & Menevensi Episcopis, post orationes ad tumbam Sancti se prosternentes, repererunt Sancti Pontificis corpus, multipliciter involutum sacris vestibus, olei pinguedine* (*quod de sancto corpore resudaverat*) *infusis. Die autem signato, circa horam primam, convenientibus ad Ecclesiam Prælatis, præsentibus Rege Edwardo* (lege *Henrico*) *Regina Elenora, magnoque comitatu Nobilium: Rex ipse, & Episcopi, capsam sanctarum reliquiarum humeris suis, ad locum sancto assignatum, bajulabant. Quod sacellum cum postea, una cum parte Civitatis, incendio esset vehementissimo absumptum, ita ut communi opinione corpus cum ossibus, in cineres esset redactum: divinitus tamen factum est: ut nec serica vestis, in qua cœlestis gleba fuerat involuta, ulla ex parte exusta fuerit. Cujus virtute, multa, & antea, & post miraculosa sanitates facta sunt.*

OPERA xiiii.

XXI. DISCUTITUR, QUI HENRICUS ADESSE POTUERIT.

Hic oritur difficultas, quam nec dissimulare, nec facilè expedire possum: quomodo Henricus Rex hoc anno millesimo centesimo octogesimo tertio, Translationi adesse potuerit, qui ab anni exordio ad finem usque, in Galliis hæsit, & litigantes ibi filios sustinuit: nec Angliam hoc anno intrasse legitur, præsertim sub ejus exordium quo facta translatio, tam in Martyrologio nostro, quàm in Breviario ponitur, nimirum Januarii septimo, vel octavo die. quando in Normannia fuisse Rogeri verba probare videntur, qui ita hunc annum auspicatur, [Anno gratiæ millesimo centesimo octogesimo tertio, qui erat annus vigesimus nonus regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis: Idem Rex Angliæ fuit in Normannia apud Cadomum die Natalis Domini, & Rex, & Richardus, & Gaufridus filii ejus, & Henricus Dux Saxoniæ, & uxor ejus, cum filiis & filiabus, & familiâ multâ, & Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, & Joannes Cumin Dublinensis Archiepiscopus, & Episcopi, & Comites, & Barones, multi fuerunt ibidem cum illo.] Meliùs ergo ad superioris anni initium, quo constat ex eodem Authore Henricum Regem in Angliâ fuisse, translatio Sancti Gulielmi poneretur. Tunc enim Wintoniæ Rex Christi Natalitia celebravit. Cæterùm unius anni transpositio passim in Authoribus, & venialiter occurrit.

Hoveden. fol. 618.

XXII. RICHARDUS COVENTREN. EPISCOPUS MORITUR: SUCCEDIT GIRARDUS LA PUCELLE. *Godwin in Cat. Coven. Episcoporū.*

Sic mortuus ponitur hoc anno millesimo centesimo octogesimo tertio, Richardus, cognomento Peche, Coventrensis & Lichfeldensis Episcopus, de quo ad eum annum scribit Rogerus ita: [Eodem anno obiit Richardus Peche Episcopus Cestriæ; cui successit Giraldus la Pucelle.] Eundem Authorem Godwinus exscribens, de anno non eodem modo loquitur, dicit enim: [Richardus decessit secundum Hovedenum anno millesimo centesimo octogesimo secundo.] in eo falsus quod Rogerum Hovedenum ita scripsisse affirmet: qui planè sequentem annum consignat. Fundavit Richardus, priusquam moreretur, Ecclesiam, quam Sancto Thomæ Martyri consecravit, ut supra * dixi ad annum millesimum centesimum sexagesimum secundum. num. 14.

XXIII. LAUDES GIRARDI. *Quadrilog. l. 4. c. 12.*

Successit in ea Sede Girardus, de quo ita legitur in Quadrilogo lib. 4. cap. 12. ubi adnotantur egregii viri, pietate & literis insignes, qui Thomæ Martyri in exilio, priùs, & posteriùs adhæserunt. [Girardus (inquit) nomine & famâ celebris, cognomento puella, natione Anglicus, post longos potus turbidarum aquarum Siloy, hausit tandem purissimas de fontibus Siloe: Quem Sanctus (Thomas) priusquam peregrinaretur, primùm in ordinem Clericatus promovit, & primus ei beneficium Ecclesiasticum contulit. Qui post Domini sui transitum, bonæ, mansuetæ, & honestæ conversationis suæ, & scientiæ meritis, in Coventrensem Episcopum promotus est.] Cæterùm quod supra dicatur Cestrensis Episcopus, ea ratio redditur, quòd olim apud Cestriam Antistites sederint, qui inde Coventriam migraverunt, ut supra adverti. & benè etiam notat, qui Sigeberti Chronicon hucusque produxit, ubi sic legitur: [Magister Girardus cognomento puella, vir magnæ literaturæ, & honestatis, electus est in Episcopatum Cestrensem: qui Episcopatus habet tres Sedes Cestrensem, Coventrensem, & Lichfeldensem.] Ita ille ad annum superiorem, quod Godwinum fortè fefellit, nescientem annos in Chronico illo, non aptè semper ad marginem poni, ut sæpè Baronius conquestus est. Rectiùs igitur cum Hovedeno Girardi ingressum ad hunc annum octogesimum tertium consignamus. ut etiam uterque Matthæus affirmat: Westmonasteriensis ita: [Eodem anno millesimo centesimo octogesimo tertio, Girardus cognomento Puella, consecratus est Episcopus Coventrensis, qui cum Sancto Thoma Martyre, multos passus labores, per ejusdem orationes, omnibus superatis, dignè Sedem ascendit Pontificalem.] Quo etiam anno Roffensem Sedem ascendit Gualeranus Baionensis Archidiaconus, de quo anno sequenti quo moritur. & Walterus de Constantiis, fit Lincolniensis, inde Rothomagensis Archiepiscopus.

Chronicon Sigeberti an. 1182.

Paris hic.

Westmonast. hic.

GUALERANUS ROFFEN. EPS. *Godwin in Lincolniens.*

ANNUS CHRISTI 1184.

LUCII III. PAPÆ 3.

HENRICI II. REGIS 30.

I. RICHARDUS CANTUARIENSIS MORITUR. *Roger. Hoveden. fol. 622.*

SUb anni millesimi centesimi octogesimi quarti exordium, moritur Richardus Cantuariensis Episcopus, Sancti Thomæ in eâ Sede primus successor, licet in constantiam ejus, & intuendâ Ecclesiæ libertate pietatem minimè successisse videatur. Nec enim sine causâ sub mortis horam negligentiæ arguitur. de quo Rogerus: [Hoc eodem anno (inquit) Richardus Cantuariensis Archiepiscopus obiit decimo quarto Kalendas Martii: Cui antequam inciperet ægrotare, apparuit Dominus in visione, dicens: Tu dissipasti bona Ecclesiæ meæ, & ego extirpabo te à terrâ. Qui visione plurimùm perterritus, statim incepit ægrotare, & octavâ die sequenti obiit.] Dissipasse

Ecclesiæ bona Richardus arguitur; quia eadem administrare neglexit, permisitque Regem, Episcoporum Sedes, & Abbatias, earúmque bona invadere. nam Eboracensis Ecclesia Pastore viduata diu luxit, lugebitque: & nobilissimum Glastoniense monasterium, per plures annos in aulicorum fuerat potestate; & nuper Henricus custodiam illius cœnobii Petro cuidam commiserat, cupiebatque in Abbatis locum intrudere, pessimo & infelici exemplo: nam & turbæ inde natæ; & secutum est incendium, quo prima in Britanniæ pietatis sedes conflagravit. Quod Adamus de Domerham ita refert, & deflet in illius loci Antiquitatibus.

Antiq. Glast. sub finem.

II. [Orbata suo Pastore Glastooiensis Ecclesia, in manus Henrici secundi Regis devoluta est, quam per plures annos tenuit. aliquot deinde evolutis annis Abbatiæ tunc vacantis custodiam Petro de Marck monacho Cluniacensi commisit. Qui Glastoniam contendens, & unanimiter à conventu eligi desiderans, benignum se monachis & liberalem exhibebat; muneribus & promissis eos quantum potuit sibi concilians. Sed quia monachi Glastonienses viros dudum religiosissimos & probatissimos in Pastores habuerant, in eum consentire nequibant: eò quòd dicebatur eum in partibus suis, in detrimentum Ecclesiæ suæ castrum obfirmasse. Eidem quoque irregularitatem objiciebant; quia quamplures homines propter eum, & per eum occisos se audisse dicebant. Petrus autem crimen hoc falsiter fuisse objectum manifestare volens, & qualitercumque obliterare, Die Natalis Domini proximo sequenti in aurorâ duobus tantum monachis sibi familiaribus astantibus, in vetustâ Ecclesiâ se divina celebrare simulavit. Duo tamen monachi Ecclesiæ custodes, illum divina temerantem Sacramenta, viderunt, & aliis nuntiaverunt. Cumque pro tanto vitio necessaria fuisset Ecclesiæ reconciliatio, antequam divinorum Sacramentorum repeteretur consecratio, & id dissimularet monachorum devotio. vetera fortè reminiscens peccata, nováque addita abhorrens, ultio plectebat divina. Æstate enim sequenti die S. Urbani, totum monasterium præter Cameram cum suâ Capellâ, à Roberto Abbate constructam, in quâ monachi postea sese receperunt; præter etiam Campanarium, ab Henrico (Blesensi) constructum, consumpsit incendium. Ædificiorum ab Henrico Episcopo nuper erectorum speciositas, locus omnibus venerabilis, Ecclesia tot Sanctorum obumbraculum in cumulum cineris rediguntur. Reliquiarum confusio, thesauri tam in auro, & argento, quàm in pannis sericis, libris, & cæteris Ecclesiasticis ornamentis direptio, etiam remotos quosque hoc audientes non immeritò posset ad lamenta provocare. Quos gemitus, quas lacrymas, quosque planctus videntes emiserint, perpendere possunt, qui simile quid perpessi sunt. Monachos igitur pristinæ fælicitatis memores, dolor angebat vehementior: cum in omni adversitate fortunæ, infelicissimum sit genus infortunii, fuisse fælicem. Nec multò post mors etiam supradicti Petri velociter est secuta, anno Domini millesimo centesimo octogesimo quarto.]

Glastonienses monachi recusant Petrū de Marck.

Glastoniense monasterium incensum.

III. Hæc Ecclesiarum adversa, ad Richardum referuntur, qui præter primæ suæ Sedis dignitatem, & Apostolicæ Legationis prærogativam, Ecclesias vacare, & Abbatias distrahi permiserat. Non tacuit id Richardo familiarissimus, illique à consiliis, consiliarius optimus Petrus Blesensis, cum illi ita scripsit.

Reverendo Patri, & Domino, Richardo Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, & Apostolicæ Sedis Legato, Petrus Blesensis Archidiaconus: Salutem, & in melius expergisci.

Petr. Blesen. Epist. 5.

Richardo Cantuariensi. In qua audet excitare ipsius remissum animum.

Habebam in desiderio ad vos cum festinatione reverti: sed auctoritas Regia, non permisit. millies postulavi licentiam reversurus: sed nec repulsam passus sum, nec licentiam adeptus. Quoties causor moram quam facio, & allego vestra revocationis instantiam: unica & quotidiana est ejus responsio: Cras recedes. In omnibus diebus anni, cras istud invenire non potui. Dum quæritur, latet. Et fortassè quando non quæretur, occurret. In eo autem turbata est anima mea valdè: & sicut araneam tabescere me fecisti; quia exprobraverunt, qui me tribulant inimici mei, mihi: Dum dicunt mihi per singulos dies. Ubi est Dominus tuus? ubi latitat? Usquequò piger dormit? Exurgat, qui dormit, & exurgat à mortuis. Et jam hora esset à somno surgere; & vigilare super commissum sibi gregem, & attendere, qualem habuit decessorem. Nunquid Dei gratiam recepit in vacuum: ut & gratiam sibi datam, & gloriam sui decessoris evacuet? Iam evacuavit ex parte, nec videmus, quando restauret, quod amisit: quando redimat, quod commisit.

IV. *Vobis itaque imputant, quòd ab Allophylis arca Domini capitur: quòd a Laicis Ecclesia Dei conculcatur: quòd gladium Petri rubigo consumit: quòd Christi Sacramenta vilescunt: quòd terribile nomen Dei in vanum assumitur: quòd sub prætextu perjurii legitima conjugia dissolvuntur. Vobis imputant, quòd Malcus in Christum, quod Phassur in Ieremiam, quòd Balthasar, in vasa Domini manus extendit sacrilegas. Quoties autem gratiam innocentiæ, & humilitatis extollo in vobis: non sufficit, inquiunt, tantæ prælationis homini, non facere malum: nisi adjiciat facere bonum. Non solum enim arbor, quæ fructus malos facit; sed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur, & in ignem mittetur. Reperit, inquiunt, Archiepiscopus tuus Ecclesiam in optimo statu: ipse verò eam destituit, & dejecit. Cantuariensis Ecclesiæ dignitates, quas gloriosus Martyr rubricaverat sanguine suo, & quasi testamentum æternum morte, & cerebri effusione firmaverat, pusillanimitas ejus evacuat, eamq; reduxit in antiquæ servitutis opprobrium: quò se in gratiam plenæ libertatis erexerat. Vt quid (inquiunt) terram occupat? Quando morietur, & peribit nomen ejus? Cur saltem expergiscitur? Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat? In his omnibus verecundia mea tota die contra me est: & confusio cooperuit faciem meam, à voce exprobrantis, & obloquentis. Sunt itaque lacrymæ meæ, panes, die ac nocte: & ubi sub umbra vestri nominis magnificari, & extolli speraveram: Ibi improperium expectavit cor meum & miseriam. Estis enim fabula in ore hominum; studiumq; omnium ferè commune est, linguas procaces laxare contra vos in detestandum susurrium.*

V. *Quòd si vestram velim prædicare industriam, circa ædificiorum meliorationem; circa prædiorum culturam;*

& circa

& circa hujuſmodi exteriorem adminiſtrationem, qua inceſſanter exigit humana neceſſitas: ipſi univerſa depravant. Qua gloria eſt (inquiunt) quòd vivaria conſtruit; quòd claudit feras indagine: ſi Clerici imprecantur: ſi in omnem diſſolutionem religioſorum clauſtrorum oſtia relaxantur? Quæ utilitas, quòd fimo, & creta ager ſationarius impinguatur; ſi in Dominica meſſis cultura, nec ſpina evellitur, nec extirpatur tribulus; nec verbum Domini ſeminatur? Cur injunctæ ſibi Legationis officium non exercet? Ligatus eſt potius, quàm Legatus. Propheta (inquiunt) cui Dominus Legationem injunxerat, præcepit: ut evellat, & deſtruat; ut diſſipet, & perdat; ædificet, & plantet. Dominus tuus officii ſpiritualis intelligentiam convertit in literam: aut ut dicatur verius, in lituram. Illud mihi ad cumulum doloris accedit, quòd Dominus Rex, qui ex toto corde vos diligit: cujus ergo vos dilectionem lego aſſiduè in libro experientiæ: qui turbatoribus veſtris, in Romana Curia murum inexpugnabilem ſe opponit: ipſe frequenter incuriam, & deſidiam veſtram, ſecretâ tamen, & modeſtâ correctione redarguit. Ipſe crebrò vos excitat ſcriptis, & nuntiis; graviſſimè ferens, quòd terra ſua maleficos, ad exceſſus enormes per impunitatis licentiam, provocatis. Quàm amicabilia nuper vobis ſcripſerit, & mandaverit, memoriæ credo tenaciter affixiſtis. Inter quæ ego, qui conſcius ſecretorum fui, verbum illud confidenter, in communem deduco notitiam. Verbum enim memorabile eſt: Sciat (inquit) Dominus Archiepiſcopus: quòd ſi filius meus electus, aut aliquis Epiſcopus terræ, vel Comes, vel aliqua perſona illuſtris ſuæ voluntati, aut diſpoſitioni contraire præſumpſerit, aut impedierit, quo minus opus ſibi commiſſæ Legationis adimpleat; inveniet me ſui contemptus perſecutorem, & vindicem: ac ſi in Coronam meam proditoriè commiſiſſet. Scio quidem, Pater, Dominum Regem diu bibuiſſe, & adhuc habere in votis; ut conſilio, & auxilio veſtro, fiant increpationes in populis; ut arripiat manus veſtra judicium, & arguat pro manſuetis terræ.

VI. *Dura quidem vobis retuli, amantiſſime Pater; & fortè hoc aliquis temeritati aſcribet, quòd non blandior, quòd non palpo, quòd reverendum populis caput peccatoris oleo non impinguo. Quicquid immundiſſimæ ſues grunniant: Ego in Chriſti viſceribus, & jugi beneficiorum veſtrorum memoria vos moneo, & monebo; quatenus eum ea diligentia impleatis Pontificium, ut non vituperetur miniſterium veſtrum. Legiſtis enim: Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter. A clauſtrali, & ſpirituali militiâ elegit vos Deus in Sacerdotem ſibi: Videte, ne cum ſpiritu cœperitis, carne conſummemini: Et nè de vobis intelligatur illud: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum; quia caro eſt. Putatis, quòd de commiſſis vobis animabus, vos in diſtricto examine non oporteat reddere rationem? Propter hoc irritavit impius Deum: dixit enim in corde ſuo: Non requiret. Sed certè requiret exactiſſimè uſque ad noviſſimum quadrantem. Et vereor nè tempeſtivius, aut durius, quam credere, aut timere velimus. Utinam velitis recolere comminationes altiſſimi: quibus apertiſſima viſione nobis terribilem ſuæ indignationis ſententiam revelavit. Horrendum eſt autem incidere in manus Dei viventis. Ignis enim ſuccenſus eſt in furore ejus, quem quandoque ſpiritualiter vidiſtis, nunquam autem ſenſibiliter ſenſiſtis.* Hæc omnia Bleſenſis.

VII. Hæc ſcripta videntur paulò ante Archipræſulis obitum: quæ viſio confirmaſſe, & eadem exprobaſſe videtur: unde nihil mirum, quòd eorum recordatione perterritus, in morbum primò, inde mortem corruerit. In eligendo ſucceſſore diu laboratum, Suffraganeis Epiſcopis, cum Cantuarienſibus monachis de jure, & prærogativa eligendi contendentibus. Epiſcopi juris apices urgendo, ſuffragia cum monachis ferre volebant: monachi ſibi ſolis ſuffragandi jus eſſe aſſerebant. Henricus pro Epiſcopis interceſſit, monachi interceſſionem non admittunt. Inde ad ſummum Eccleſiæ tribunal itur. Lucius pro Epiſcopis eſt, quibus ſimul cum monachis, eligendi jus eſſe decernit. Electioni dies præfigitur: abſunt monachi, ne ſuo ſe facto condemnent. Epiſcopi Balduinum eligunt Wigornienſem Epiſcopum, quod à Rege, non à monachis, probatur. Sed quia deficiente monachorum ſuffragio, electio nutabat: Rex monachorum quoque aſſenſum requirit, ut omni impoſterum controverſiæ obviaret. Et quia durum erat, & à Regio pectore alienum, invitos cogere, & ſuffragium extorquere, mitioribus armis monachos aggreditur. nam teſte Rogero: [Venit Dominus Rex Cantuariam, ad malitiam monachorum extinguendam; & habito colloquio cum illis, obtinuit adverſus eos, quòd illi eligerent ſibi in Archiepiſcopum, præfatum Baldwinum. Et fecerunt ita: nam Alanus Prior Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ venit Lundonias cum ſaniore parte Capituli, & cum literis ratihabitionis. Qui convenientes in unum in Capitulo monachorum Weſtmonaſterii, elegerunt ſibi, & Cantuarienſi Eccleſiæ, in Archiepiſcopum, prædictum Balduinum, Wigornienſem Epiſcopum. Et ne viderentur aſſenſum præbuiſſe electioni Epiſcoporum, ſtatim cantaverunt *Te Deum laudamus*: & perduxerunt eum ad altare: & recepto eo in pacis oſculo, & præſentaverunt eum Regi; qui iterum recepit eum in oſculo pacis, & dilectionis, ſimiliter fecit Richardus Comes Pictaviæ, Regis filius.] Contentio duravit ad finem uſque præſentis anni. nam quarto Nonas Decembris, paulò poſt à monachis electus eſt: & ſequenti tantum anno conſecratus.

Episcopi et monachi Cantuarien. certant de iure electionis.

Lucius Pap. dat et ius Episcopis.

Hoveden. fol. 423.

Balduinus eligitur Cantuarien. Archiepiscopus.

VIII. [Henricus interim Angliæ Rex, ſollicitus de pace faciendâ (ita ſcribit ad hunc annum è Rogero noſtro Baronius) inter Ducem Saxoniæ, & Imperatorem Fridericum, conſilio Archiepiſcopi Colonienſis, miſit nuntios ſuos, videlicet Hugonem de Nunant Lexovienſem Archidiaconum, & quoſdam alios de Clericis, & familiaribus ſuis ad Lucium Summum Pontificem: ut auxilio ejus præfatus Imperator reciperet Ducem Saxoniæ in amorem. Venientes itaque nuntii Regis ad Curiam Domini Papæ invenerunt eum in Italiâ apud Veronam. Et dum ibi moram cum eo facerent, venit illuc Fridericus Romanorum Imperator ad loquendum cum Domino Papâ. Ad cujus inſtantiam prædictus Imperator dedit Duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam ſuam: & relaxavit ei omne Sacramentum quod ei fecerat de exilio exequendo, & Dominus Papa abſolvit eum Sacramento illo, quod ipſe Imperatori fecerat.] Erat tunc in Angliâ Saxonum Dux Henricus, cum Mathilde thori conſorte, Henrici Regis filiâ, quæ hoc anno Wintoniæ filium enixa eſt, quem Guilielmum in Baptiſmo vocari placuit. ſuit is Bruſwicenſium Ducum in Germaniâ parens primus, qui materno jure Regum Angliæ gentilitia inſignia pro ſuis habuere.

Baron. hic. Hoveden. fol. 624.

Guilielmus filius Mathildis natus in Anglia, Ducum Brunsuicensium parens.

IX. Plures hoc anno & Principes viri, religionis ergo ad ſepulchrum Sancti Martyris Thomæ, in Angliam venerunt. Venit imprimis Colonienſis Archiepiſcopus, cujus ſupra facta eſt mentio, & unà cum illo Flandrenſis Comes: venit etiam Comes Theobaldus Bleſenſis. de quo ita ſcribit Rogerus: [Eodem anno Comes Theobaldus de Blais, avunculus Philippi Regis venit in Angliam, in peregrinatione ad Sanctum Thomam Cantuarienſem.] De duobus aliis ita Pariſienſis, cum Balduini electionem abſolviſſet. [Eodem (inquit) tempore, Philippus Archiepiſcopus Colonienſis, & Philippus Comes Flandrenſis, venerunt in Angliam, vota orationum Beato Thomæ Martyri ſoluturi. Quibus Rex occurrens, petiit ut Londonias venirent, viſuri Regiam civitatem. In quorum adventu (quod antea non erat viſum) civitas coronata reſplenduit: gaudium & tripudium per omnes plateas inſonuit. Archiepiſcopus verò Colonienſis, & cum eo Comes Flandrenſis, in Eccleſiâ Sancti Pauli ſuſcepti ſunt proceſſione ſolemni: & die eodem ſimili honore ſibi exhibito, tandem per quinque dies in Palatio Regis, expenſis ſunt effuſiſſimis hoſpitati.] Idem habet ad hunc annum Rogerus, qui addit: [Henrici Regis operâ, Colonienſis Archiepiſcopus perdonavit Henrico Duci Saxoniæ iram, & malevolentiam ſuam, & eum in priſtinam dilectionis familiaritatem recepit. Prædictus etiam Colonienſis, ad petitionem Regis Angliæ conceſſit Richardo Comiti Pictaviæ Regis filio, filiam Friderici Imperatoris dari in uxorem. Sciebat enim Imperatorem hoc velle, & plurimum deſideraſſe.] Ita ille. Sed ultra non proceſſit conjugii contractus: quia hoc eodem anno Imperatoris filia, Richardi ſponſa moritur.

Hoved. fol. 622.

Paris hist. Archiepiscopus Coloniensis et Comes Fland. veniunt ad sepulchrũ S. Thomæ.

Hoveden. fol. 623.

X. Mortalis enimverò hic annus erat, & Inſulis admodum funeſtus. nam plures Epiſcopos mors ubique rapuit, præter Richardum Cantuarienſem: de quo ſupra. moritur Girardus Coventrenſis Epiſcopus, qui paucos tantùm menſes ſedit. nam Januarii duodecimo, & ſequenti poſt conſecrationem anno, in fata conceſſit, Coventriæ ſepultus. Obiit etiam hoc anno Jocelinus Sareſburienſis Epiſcopus: qui cum quamplurimos annos (inquit Godwinus) Sareſburienſi Eccleſiæ præfuiſſet, obiit anno milleſimo centeſimo octogeſimo quarto, monachi Ciſtercienſis habitu priùs ſuſcepto. Quod à multis hoc tempore factum, quos religionis amor, & conſcientiæ puritas urgebat. Sic Balduinus ex Archidiaconatu (ad illum Archidiaconum extat Joannis Sareſberienſis Epiſtola ducenteſima trigeſima quinta) in Ciſtercienſem monachum tranſiit, priuſquam Fordenſis Abbas crearetur: & ita magnis pietatis paſſibus Cantuarienſem Sedem aſcendit.

Girardus Coventreñ. Episcop. moritur, et Jocelinus Saresberiensis. *Godwin. in Saresb.*

XI. Moritur etiam hoc anno Bartholomæus Exonienſis Epiſcopus, qui ab anno milleſimo centeſimo ſexageſimo primo conſecratus, nunc demum infulam poſuit. De illo hæc habet Godwinus in Catalogo: [Bartholomæus Exonienſis, Balduino Abbati Fordenſi, & poſtmodum Cantuarienſi Archiepiſcopo intima familiaritate conjunctus, ab eo itidem magnoperè colebatur. Unde alter alteri immortalitati conſecrans, opera quædam mutuò ac viciſſim ſibi dedicarunt. Joannis etiam Sariſberienſis, Carnotenſis Epiſcopi, Epiſtolæ aliquot extant ad illum conſcriptæ.] Nos illas ſuprà, pro re natâ, non ſemel exſcripſimus. Quis illi, & Coventrenſi Girardo ſucceſſerit, dicam poſt annum ſequentem. & fortè corrigi debet Rogerus, & alii, qui Bartholomæum hunc hoc anno mortuum ſcribunt. nam ſequenti anno Regio diplomati ſubſcribet.

Bartholomæus Exonsen. Episcop. moritur. *Godwin. in Exonien.*

XII. Denique hoc anno moritur Gualeranus Roffenſis Epiſcopus, ſuperiori tantum anno conſecratus. Hic dum Romam cogitat; quò cum Henricus negotiorum causâ mittere decreverat, morte impeditus, ad majus iter accingitur. Poſt ejus mortem de paſtorali baculo nata eſt quæſtio, quò eſſet deferendus. Enimverò cum Richardus Archiepiſcopus Walterum à monachis Roffenſibus eligi permiſiſſet, in ejus conſecratione, inter cætera, cautum eſt, ut defuncti Roffenſis baculum Cantuariam deferretur, ibi ad novi Epiſcopi conſecrationem reponendum. Quod quia Roffenſes monachi, juri eligendi Antiſtitem præjudicium fore putabant, Valeranni baculum, cum Valeranno ſepeliunt. Sed quæſtionem ſolvit Balduinus, juſſitque baculum è ſepulchro efferri, deferrique Cantuariam: quem Gilberto tradidit anno ſequenti.

Moritur Gualeranus Roffensis Eps.

Walterus eligitur.

ANNUS CHRISTI 1185.

LUCII III. PAPÆ 4.

HENRICI II. REGIS 31.

I. ANNUM Domini milleſimum centeſimum octogeſimum quintum illuſtrat nobilis expeditio, quâ multi, Cruce muniti, Chriſtianis in Palæſtinâ laborantibus opem attulere. Tunc enim Heraclius Jeroſolymitanæ Urbis Patriarcha in Occidentem veniens; Romanum Pontificem, Principéſque omnes, imprimis Anglorum Regem in ſubſidium vocavit. De quo ex Annalibus noſtris hæc habet Baronius. [Inter hæc in deterius quotidie prolabentibus rebus Chriſtianorum in Palæſtinâ, Saladino adverſus eos prævalente: coëuntibus unà Principibus ſimul cum Patriarchâ Hieroſolymitano, & aliis, de mittendâ legatione ad Chriſtianos Principes transmontanos, ut opem ferrent periclitandis Hieroſolymis, inter eos decretum eſt, & firmiter ſtabilitum. Primum autem omnium adornant primariam legationem ad univerſalem promotorem ejuſmodi expeditionum in terram ſanctam, nempe ad ipſum Romanum Pontificem, Lucium Papam; more majorum pulſantes primùm omnium Apoſtolicam Sedem: cujus nutu reliqui omnes occidentales Principes moveri ſolerent, impartienda ab eadem remiſſione peccatorum, loco militaris ſtipendii: quâ ſolerent quique fideles, magnâ frequentiâ, ſacræ militiæ nomen dare.

Baron. hic. Promovetur expeditio Hierosolymitana.

II. Venerunt ergò Legati Romam: ubi acceptis literis à Lucio Papa, ad Anglorum Regem, magnâ celeritate Angliam verſus, ut in mandatis acceperant, dirigunt iter. Quid autem per eos, cum Anglorum Rege tranſactum fuerit, habet iſta Rogerus hoc anno in Anglorum Annalibus. Eodem anno Balduinus Leproſus Rex Hieruſalem, & Templares, & Hoſpitalares, miſerunt

Rex Hierusalem mittit Legatos ad Henricum. *Hoveden. fol. 628.*

ad Re-

ad Regem Angliæ, filium Mathildis Imperatricis, Heraclium sanctæ civitatis Jerusalem Patriarcham, & summos Hospitalis, & Templi magistros, unà cum vexillo Regio, & clavibus sepulchri Domini, & turris David, & Civitatis Jerusalem: postulantes ab eo celerem succursum, sicut ab hærede & Domino terræ Jerusalem. Est enim sciendum: quòd Fulco frater Gaufredi Comitis Andegaviæ, patris quoque istius Henrici, fuit Rex Jerusalem. Cum autem prædictus Patriarcha, & Magister Hospitalis venisent in Angliam, Rex Angliæ occurrit eis in villâ de Redinges, & eos cum gaudio suscepit. Qui statim ad pedes Regis provoluti, cum fletu magno, & singultu verba salutationis ex parte Regis & Principum, & universæ plebis terræ Jerosolymitanæ proferebant: & exponentes causam adventus eorum, tradiderunt ei vexillum Regium, & claves sepulchri Domini, & claves turris David, & Civitatis Jerusalem, ex parte Regis, & Principum terræ Jerosolymitanæ: & literas ex parte Lucii Papæ, in hac formâ:]

REX CONVENIT LEGATOS.

Lucius Episcopus, Servus servorum Dei, HENRICO illustri Anglorum Regi: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

III. MONET ILLUM AD SUCCURRENDUM TERRÆ SANCTÆ.

CUm cuncti prædecessores tui, præ cæteris terræ Principibus armorum gloriâ, & animi nobilitate longè retrò claruerunt: eosq; fidelium populus habere didicerit in sua adversitate patronos: meritò ad Te, non tantùm regni, sed paternarum virtutum hæredem, quadam securitate præsumptâ recurritur: ubi populo Christiano imminere periculum, immò exterminium formidatur: ut per brachium Regiæ magnitudinis, membris ejus impendatur præsidium, qui te ut ad sancta gloriæ, & prælationis apicem pervenires, suâ pietate concessit: & te contra sui nominis impugnatores nefarios, murum inexpugnabilem ordinavit. Primùm noverit Serenitas tua; jam crebris, & molestis super hac pulsata querelis, qualiter terra Ierosolymitana, specialis hæreditas Crucifixi, in quâ nostræ salutis sunt prænunciata mysteria, & ipsius rei exhibitione completa, quam ille, qui cuncta condidit, in suam sortem, peculiari privilegio deputavit, perfida, & spurcissimæ gentis attrita & convallata pressuris; nisi ei celeri remedio succurratur, prona sit ad ruinam: & inde (quod absit) sustineat irreparabilem religio Christiana jacturam. Ille enim Saladinus, sancti & tremendi nominis immanissimus persecutor, ita spiritu furoris incanduit, & totius nequitiæ suæ vires, ad internecionem populi fidelis exercet: ut nisi immanitatis ejus vehemens impetus, quasi objectis obicibus, reprimatur: certam spem fiduciamq; suscipiat quod Iordanis influat in os ejus: & terra aspersione vivifici sanguinis consecrata, spurcissimæ superstitionis ejus contagio polluatur. Et quam gloriosi, & nobiles prædecessores tui, à Domino gentis incredulæ, multis laboribus & periculis exemerunt, rursus nefando tyranni nequissimi dominio subjugetur.

IV. *Ob hanc itaque necessitatis, & imminentis doloris instantiam, Magnificentiam tuam Apostolicis literis duximus exorandam: immò dilatatis præcordiis, summâ acclamatione pulsandam: quatenus ad honorem ipsius respiciens, qui te constituit in sublimi; & juxta nomen magnorum, qui sunt in terris, nomen tibi contulit gloriosum: ad desolationem præfatæ terræ, pietatis studio te convertas: & ut ejus confusio in hac parte tollatur, qui pro te in ipsa terra voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem: quatenus prædecessorum tuorum vestigia subsecutus; quam ipsi de Principis tenebrarum faucibus eripuerunt; in cultu magni Dei, per tuam diligentiam, auxiliante Domino, conservetur. Eò autem curiosiùs Celsitudinem tuam, in tantâ oppressionis angustiâ, convenit laborare, quòd terram ipsam, Regis intelliges præsidio destitutam; & totam spem defensionis suæ, ipsius Proceres, in tuæ magnitudinis duxerunt patrocinio collocandam: Quod inde clariùs tua Serenitas potest agnoscere; quòd summos terræ illius & magnificos defensores, Venerabilem fratrem nostrum Heraclium Patriarcham, & dilectum filium nostrum, Magistrum hospitalis, ad tuam excellentiam destinarunt: ut ex ipsorum præsentiâ, consideratâ dignitate, perpenderes quantæ fuerit necessitatis angustia, pro quâ eorum sustinent tam diu carere præsidio: ut per ipsos faciliùs, ad vota sua, tuam devotionem inclinent. Viros igitur præfatos, tanquam ab ipso Domino tibi destinatos, benignè suscipias, & debita charitate pertractes; eorum postulationibus, tantò faciliùs acquiescas; quantò gravitatis & honestatis intuitu, favor est eis, & gratia exhibenda. Sanè recolat prudentia tua, & sollicita secum meditatione revolvat, promissionem illam, quâ de impendendo sæpè dictæ terræ præsidio tuam Celsitudinem obligasti: & ita in hac parte te cautum, & studiosum exhibeas, ut te in tremendo judicio tua conscientia non accuset: & te ejus qui non fallitur districti Iudicis interrogatio non condemnet.*

V. HERACLIUM MISIT PONTIFEX IN ANGLIAM, ET SOCIUM CUM EO.

Ita Lucius ad Henricum scripsit, Heraclium jubens in Angliam pergere: & quò major negotio authoritas accederet, Igmarum Tusculanum Episcopum Apostolica legatione fungentem, Patriarchæ collegam adjunxit, qui fidem literis, & Orientalium precibus pondus adderet, mentemque Pontificis penitùs intimaret. Tacent id quidem authores nostri, sed Chronicon Cluniacense id disertè affirmat, laudatque virum hoc modo: [Igmarus sub Domno Lucio Papa, legatione fungens in Angliam transfretavit, ubi vices agens Apostolicas, manus suas excutiens à turpi munere, ad subvertendum judicium, nullis potuit pecuniis expugnari.] Magna enimvero Apostolici viri laus, & meritò Annalibus commendanda: qui passim Legatos accusant, quod colligendis pecuniis nimiùm intenderint: quòd adeò provincialibus displicuit; ut qui odii in Romanum Pontificem (quo omnis nunc Anglia pessimè flagrat) causam eò referret imprimis, & ante alia, alienum à veritate dicere, convinci non possit. Sed ad Patriarcham ex Oriente, & Igmarum Roma missos redeo, visurus quos animorum motus, recitatæ superiùs literæ effecerint. Magni sanè fuerunt, sed non admodum diuturni: quia primum mobile, ad cujus motum Ecclesiastica, & omnis benè ordinata Respublica movetur, moveri desiit.

apud Baron. hic.

PONTIFEX CULPAVIT AVARITIAM LEGATORUM

VI. [His auditis (pergit narrare è Rogero Baronius) Dominus Rex (Henricus) respondit, eam benè processuram, Deo volente, & statuit eis terminum suæ responsionis Dominicam Quadragesimæ, apud Londonias. Ad quam Dominicam, Dominus Rex, & Patriarcha, & Episcopi, & Abbates, & Comites, & Barones regni Angliæ: & Willelmus Rex Scotiæ, & David frater ejus, cum Comitibus, & Baronibus terræ suæ convenerunt Londoniis: Et habito inde cum

Hoveden. fol. 629.

Rex dat veniam suis ut capiant Crucem.

deliberatione conſilio; placuit vniverſis; quòd Dominus Rex conſuleret inde Dominum ſuum Philippum Regem Franciæ. Et ſic ſoluto conſilio, Dominus Rex dedit univerſis hominibus ſuis, tam Clericis, quàm Laicis licentiam capiendi Crucem. Unde factum eſt, quòd Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Ranulphus Juſtitiarius Angliæ, & Walterus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & alii quamplures Epiſcopi tranſmarini, & ciſmarini, & ferè omnes Comites, & Barones, & milites Angliæ, Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Britanniæ, & Andegaviæ, & Cenomaniæ, & Turoniæ, Crucem ceperunt.] Nec porrò proceſſum, quia priùs Anglorum, & Gallorum Reges convenire debuerunt, quàm aliquid decerni.

Multi Crucem ceperūt.

XII. Reparandum curat monast. Glastoniense. *Antiq. Glaſt. ſub finem.*

Interim Henricus Rex, audito gemitu, & viſis Glaſtonienſium monachorum lacrymis, quas pro monaſterii & Eccleſiæ nuperâ conflagratione profuderunt, pium opus aggreditur, & ædem illam, antiquæ fidei, & pietatis eloquens argumentum, reparandam curat. de quo in illius loci Antiquitatibus ita legitur. [Henricus Rex, tantæ monachorum Glaſtonienſium compaſſus calamitati, memoratam Abbatiam Radulpho, filio Regis Stephani, Camerario ſuo commiſit reparandam, ea conditione, ut monachos ejuſdem loci competenter exhibens, totum reſiduum de redditibus, in ædificiis reparandis, in Eccleſiâ conſtruendâ effunderet. Contulit, & privilegium in hæc verba:

Henricus Dei gratia, Rex Angliæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Aquitaniæ: Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Juſtitiariis, Baronibus, Vicecomitibus, & omnibus fidelibus ſuis Francis, & Anglis, totius Angliæ: Salutem.

De reparando Monasterio Glast. Diploma.

QUoniam quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Eccleſiæ Glaſtonienſis fundamentum jaciens; quæ dum in manu meâ fuerat, incendio conſumpta, in cinerem reſedit. Eam Domino volente, perſuadentibus Eraclio Patriarcha Hieroſolymitano, Balduino Archiepiſcopo Cantuarienſi, Richardo VVintonienſi Epiſcopo, Bartholomæo Exonienſi Epiſcopo, Radulfo de Glanvil, tum multis aliis per me, aut per hæredes meos conſummandam; magnificentiùs reparare decrevi. Quæcumque etiam à prædeceſſoribus meis, VVillielmo primo, VVillielmo ſecundo, & Henrico avo meo. Sed & ab antiquioribus, videlicet Sancto Edgaro, Patre Sancti Edouardi, ab Edmundo & Patre ipſius Edouardo, & Elfredo avo ejuſdem, Bringwalthio, Kenrwino, Baldredo, Ina, inclyto Arthuro, Cundredo, & multis aliis Regibus Chriſtianis. Sed & à Kenewalle quodam Rege pagano. quorum privilegia, & chartas feci diligenter inquiri, & coram me præſentari, & legi: confirmata ſunt prædictæ Eccleſiæ, quæ olim à quibuſdam MATER SANCTORVM, dicta eſt: ab aliis, TVMVLVS SANCTORVM: quoniam ab ipſis diſcipulis Domini ædificatam, & ab ipſo Domino dedicatam primò fuiſſe, Venerabilis habet antiquorum authoritas.

XIII. Confirmat omnes libertates, possessiones &c.

Ego quoque in honorem Dei, & Beatiſſimæ Virginis matris ſuæ, quæ locum ſibi ſpecialem, & primum in hoc regno elegit, & omnium Sanctorum ibidem quieſcentium; pro ſalute animæ meæ, & anteceſſorum, & hæredum meorum, Concedo, & hac meâ chartâ confirmo omnes libertates, & dignitates, privilegia, & liberas conſuetudines, quæ à prædictis nobilibus viris collata ſunt præfatæ Eccleſiæ, & Apoſtolicis ſanctionibus ſunt munita, & à Beato Elphego, & Dunſtano Archiepiſcopis, & quondam loci illius monachis, & à prædeceſſoribus, & poſteris roborata. Habeat igitur, & poſſideat ſæpedicta Eccleſia omnes poſſeſſiones & terras, & omnes forefacturas earum, feoda, ſervitia militum, ubicumque fuerint in regno meo, in pace, & quiete, liberè & inconcuſſè, ſicut Ego res meas Dominicas liberiùs habeo, fugitivos ſuos, ubicumque inventi fuerint, abſque omni calumniâ, & impedimento habeant: & ſint Abbas, & monachi, & familia eorum quieti per totum regnum meum de Tom & pagio. Habeat quoque eadem Eccleſia, & omnes terra ſua Soccam, & Saccam, on Strude, & on Streme, on VVode, & on Felde, on Gripbreche, on Burchbrich, Hundrenſetene, Adas, & Ordelas, Galle, Hordaubeſa, Eordan & Benedan, Infangenthef, & Flemeſerdem, Hanſocne, Fridbrich, Foriſtal, Tol, & Theam. Sed præcipuè villa Glaſton in vetuſtâ Eccleſiâ genitricis Dei ſita; quæ fons, & origo totius Religionis Angliæ pro certo habetur, præ cæteris ſit liberior cum Inſulis ſuis, ſcilicet Betarea, quæ parva Hibernia dicitur, Godeneia, Martineſia, Fertamere, Dathenebga, & Adsedeſia: ut nullus hominum, Rex, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Iuſtitiarius, vir foreſtarius, vel alius Balliuus, ſive miniſter, vel alius aliquis hominum, audeat intrare prædicta loca, placitandi causâ, aut perſcrutandi, aut capiendi, aut aliud faciendi; quod Eccleſiæ dignitati, vel ibidem Deo ſervientibus contrarium eſſe poſſit, aut moleſtum. Sed Abbati tantùm, & Conventui ſit poteſtas, in cauſis tam notis, quàm ignotis; in modicis, & in magnis; & in omnibus omninò negotiis tractandis & terminandis.

XIV. Monasterii Privilegia.

Concedo etiam eiſdem eandem authoritatem, & poteſtatem puniendi, & dimittendi commiſſa delinquentium in locis prædictis, quantum mea Dominica Curia habet, & quantum ad Regiam poteſtatem pertinet, volo & præcipio, ſicut prædeceſſores mei ſtatuerunt, & Summi Pontifices ſanxerunt, necnon & Eccleſiæ Cantuarienſis Prælati confirmaverunt: ſed & diœceſani Epiſcopi aſſenſum præſtantes roboraverunt: quòd eadem Eccleſia cum præfatis Inſulis, & cum ſeptem Eccleſiis ei ſubjectis, ſcilicet de Sereta, Pilloria, Dichſeata, Budekeleia, Sapvvica, Merelinus, Sovvi, cum capellis earum, Presbyteris, Clericis, & ſervientibus, libera ſit omninò ab omni juriſdictione Epiſcopi Bathonienſis, ſicut mea propria corona. Benedictionem quoque Abbatis, Ordines, & omnia Sacramenta ab Epiſcopo celebranda; à quocumque voluerint Epiſcopo faciant fieri. Habeant quoque monachi libertatem, poteſtatem, dignitatem eligendi, & conſtituendi ſibi Rectorem juxta regulam Beati Benedicti, ſine omni contradictione, & impedimento. Sed nec aliquis omnino hominum, in Eccleſiâ Glaſtoniæ, aut in prædictis Inſulis, vel Eccleſiis, aut capellis ſuis, quacumque ex causâ præſumat cathedram Epiſcopalem ſtatuere. Si quid tandem ampliùs, Regum vel Pontificum privilegiis, Eccleſiæ ſæpiùs memoratæ quod ad dignitatem, vel libertatem faciat; collatum fuerit: ratum, & inconvulſum volo eſſe in perpetuum, & firmiter obſervari ab univerſis præcipio. Valdè nempe verendum, & modis omnibus cavendum eſt, tot Sanctorum Regum & Pontificum contraire privilegiis,

quibus

quibus Eccleſia illa hactenus inſignita eſt: ne tot Sanctorum maledictiones, in temerè venientes datas, vel alio modo ſtatuere præſumentes incurrant. Teſtibus, Eraclio Patriarcha, iterum Willelmo Remenſi Archiepiſcopo, Balduino Archiepiſcopo Cantuarienſi, Richardo Wintonienſi Epiſcopo, Bartholomæo Exonienſi Epiſcopo, Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo, Wilhelmo Comite de Mandevil, Radulpho de Glandvil, & multis aliis apud Weſtmonaſterium.

XV. Retuli hoc Regium diploma, cum de Joſepho Arimathæo, & ſociis diſputavi tomo primo, ad annum Domini ſexageſimum quartum. Unde conſtat, cur monaſterium hocce *fons & origo* dicatur *totius religionis Angliæ*; ubi etiam multo argumento oſtendit, Eccleſiam ab ipſo Domino dedicatam primò fuiſſe. Cæterùm quod hoc anno illud referam, Heraclius Patriarcha ſingulare argumentum eſt: quem hoc anno Angliam ingreſſum, & eodem quoque anno egreſſum, Authores affirmant, & ego ſtatim dicam. Porrò quòd Bartholomæus Exonienſis Epiſcopus inter teſtes nominetur, qui ſuperiori anno mortuus ſcribitur: dicendum eſt, vel conſilium Henrico dediſſe, & ſuaſiſſe ante mortem illius opus pietatis; ut diploma præ ſe fert; ideóque non malè inter teſtes poni: vel præcipitaſſe Authores, & perperam mortis annum nominaſſe. Quamvis ut ſupra monui, unius anni differentia, è vario inchoandi anni exordio ſæpè componitur. & Patriarcham ſub hujus anni initium in Angliam veniſſe, declarant ſequentia, in quibus Henrici itinera, & temporis ratio à Rogero accuratè conſignantur.

Cur Bartholomæus Exonienſis hic poſitus.

XVI. [Deinde (nimirum poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, quando conſultatio habita, de ſubveniendâ Palæſtinâ) Dominus Rex venit uſque Windeshores, & ibi in Dominicâ quâ cantatur Lætare Jeruſalem; quæ illo anno pridie Kalendas Aprilis, fecit Joannem filium ſuum militem: & ſtatim miſit eum in Hiberniam: & inde eum Regem conſtituit. Interim terræ motus magnus auditus eſt, ferè per totam Angliam; qualis ab initio mundi in terrâ illâ non erat auditus. Petræ enim ſciſſæ ſunt, domus lapideæ ceciderunt, Eccleſia Lincolnienſis Metropolitana ſciſſa eſt à ſummo uſque deorſum. Contigit autem terræ motus iſte in craſtino die Dominicæ in ramis palmarum: videlicet decimo ſeptimo Calendas Maii. Et in craſtino illius terræ motus, Dominus Rex Angliæ, & Eraclius Patriacha, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & multi de Principibus Angliæ transfretaverunt inter Dover & Witſand. Dominus autem Rex Angliæ cùm in Normanniam veniſſet, congregavit magnum exercitum, mandans Richardo filio ſuo Comiti Pictaviæ, qui Pictaviam contra eum munierat; & Gaufridum Comitem Britanniæ fratrem ſuum, expugnaverat; quòd niſi redderent Alienor matri ſuæ totam Pictaviam liberam, & quietam, ipſe viſitaret eum in virgâ ferreâ, & potenti virtute debellaret. Ad cujus mandatum prædictus Richardus, relictâ hoſtilitate, reddidit matri ſuæ Pictaviam: & ad Patrem ſuum rediens, manſit cum eo ſic filius manſuetus.]

Hoveden. fol. 629.

Magnus terræ motus in Anglia.

Transfretans Rex mandat Richardo filio ut terras reddat Matri.

XVII. Urget Henricum in Normanniâ Heraclius Patriarcha, ut Palæſtinæ memor, Legationis ſuæ negotium expediat. Quod quia ſuſpenſum, donec uterque Rex Angliæ, & Franciæ ſuper eâ re, in commune tractaret: fit conventus. in unum ambo conveniunt: pecuniam, militémque in Orientem mittendum pari ſuffragio decernunt. Parum id Patriarchæ gratum; qui Principem virum, qui Regem, vel Regiam prolem procari venerat, virum denique, qui jure hereditario, Jeroſolymæ Rex eſſe, & Chriſtianam rem reſtituere poſſet. Cum itaque Henricus prole abundaret; cur in Hiberniam Joannes, non in Orientem mitteretur. Giraldus Cambrenſis, Henrici reſponſum Heraclio datum, & Heraclii redditam Henrico vocem aſperam, minâſque ſic aperit. [Tandem (inquit) reſponſum à Rege Patriarcha ſuſcepit: Quod regnum ſuum abſque tutelâ, & regimine deſtituere terraſque ſuas tranſmarinas, Francorum rapacitati (quibus exoſus extiterat) ei in præſentiarum exponere tutum non erat. Porrò de pecuniâ tam illâ, quam olim ad partes illas ſibi reſervandam tranſmiſerat: quàm & alia ſtatim ei tradenda, ad terræ ſacræ tuitionem, copioſè conferret. Cui Patriarcha: Nihil agis, ô Rex! huic ſtare conſilio, ſi perſtiteris. Quoniam in hunc modum, nec te ſalvabis; nec Chriſti patrimonium conſervabis. Principem enim quærere venimus, non pecuniam. Quælibet ferè mundi pars nobis pecuniam mittit, ſed Principem nulla. Virum igitur appetimus, qui pecuniâ indigeat, non pecuniam quæ viro.

Girald. Hiber. expug. l. 2. c. 26.

Reſponſum Henrici quoad Terram Sanctam.

XVIII. Sed quoniam nullum aliud reſponſum à Rege Patriarcha elicere potuit: ad aliud denique ſe convertit. Rogans ut vel unum filiorum ſuorum; & ſi non alium, ſaltem natu minorem Joannem eis in ſubſidium, Principem daret, ut Regium ſemen de Andegavenſium ſtirpe deſcendens, poſſit eis vel ex hoc ſurculo redivivo germine ſuſcitari. Ipſe verò Joannes (quamquam in Hiberniam ei à Patre datam, jam tunc cum grandi expeditione mittendus foret) patrios ad pedes ſe provolvens: & ut Hieroſolymam potiùs mitteretur, laudabiliter, ut ſemper efflagitans, non impetravit. Videns itaque Patriarcha, quia nihil proficeret; vidêns quia neque mel de petrâ, nec oleum de ſaxo duriſſimo elicere prævaleret: Hæc in Regem, multis audientibus, comminatorio pariter, & prophetico ſpiritu, verba deprompſit. Hactenus inter mundi Principes, incomparabili gratiâ, Rex glorioſe, regnaſti: & cujus, uſque nunc honor, ad Regiæ celſitudinis apicem, magis ac magis accrevit. Sed tibi procul dubio, ad hanc experientiam, in quâ deficis, reſervato: & ob hoc à Domino, quem deſeris, derelicto, gratiâque penitùs deſtituto: De cætero gloria in ærumnam, & uſque ad finalem halitum, honor in ignominiam convertetur. Hanc itaque propheticam comminationem (quam utinam, exemplo Regis Ninive per pœnitentiam evacuaſſet, ſententiámque mutari feciſſet) vir Sanctus, Regi nihil ex contingentibus omittendo, ter emiſit: primò Loodini, deinde Doveriæ, tertiò verò apud Chinonenſe caſtrum, in tranſmarinis.]

Joannem filium offerentem ſe expeditioni Hieroſo. Rex recuſat.

Legatus Apoſt. prophetice comminatur mala.

XIX. Verum fuiſſe vaticinium, quo Henrico imprecatus eſt Patriarcha, idem Giraldus, enumerans adverſa, quæ poſt Regi contigerunt, ſic oſtendit. [Ut autem ad evidentiam majorem paucis ſummatim anticipemus quæ per ordinem poſtea contigerunt; ſicut à præcone veritatis eſt propoſitum, ſic vidimus in brevi poſtmodum diviſione completum. Cum etenim ſeptem ferè luſtra regnando

Mali ſucceſſus Henrici numerantur. Idem ſuprà

compleverit. Sex data fnnt ei, mundanam ad gloriam, ad conversionis tolerantiam, ad devotionis experientiam. Septimum verò tanquam servo ingrato, tanquam abjecto prorsùs & reprobato, cessit ad vindictam, cessit ad ærumnam, cessit ad ignominiam. Secundo námque septimi lustri anno, statim in ipso tanti præconis adventu, primus ejusdem, quem tantâ diligentiâ procuraverat (de filio scilicet Joanne, in Hiberniam mittendo) pereuntibus opera pariter, & impensâ, conatus evanuit: & ad plenum non profecit. Tertio, qui terras nunquam antea perdiderat; sed semper suæ ditioni potenter adjecerat, Philippo Francorum Rege (quāquam annis adhuc tenello) viriliter in illum arma sumente, & damna paterna resarciente, Alverniam ferè totam amisit. Quarto, castellum Radulfi, & Berri ferè totum. Quinto verò septimi lustri anno, & ab adventu Patriarchæ quarto: non solùm Rege Francorum Philippo; sed & Pictaviensium Comite, simul cum ipso in Patrem insurgente, urbes Cenomanensem, & Turonensem, cum castellis multis, & simul seipsum.] Ita Giraldus, Heraclium explicans, quæ sequentibus annis Henrico evenere, per periocham colligit.

XX.
*v. an. 1177 n. 29
MODO AGENDI CUM INCOLIS, JOANNES EOS AVERTIT A SE ET PATRE.

Quod autem de Joanne in Hiberniam misso, & casso Regis in eo promovendo conatu, supra* illud, extra ordinem posui: nimirùm à juvene Principe inhumanè exceptos Hiberniæ incolas, qui obsequii causâ, & reverentiæ præstandæ venerant; provincialium animos tam à Joanne, quàm ab Henrico Rege alienasse. quod referri debet in annum sequentem, cum expressè dicatur, sequente Quadragesimali tempore (post Patriarchæ adventum) Joannem in Hiberniam trajecisse. ut supra * adnotavi: dixique Giraldum hunc authorem Joannem esse in illâ expeditione comitatum. cujus adversi casus, causam, in Henricum Patrem retulit, cùm ait: [Primam causarum omnium dixerim & præcipuam; quòd cùm Rex Pater ad tantam vocationem per Patriarcham, ut dictum est, jam factam, in propriâ statim personâ profectus fuisse, vel saltem aliquem filiorum, pro se in Christi obsequium, prompta devotione mittere debuisset; eodem tantæ citationis tempore, & in ipsâ quoque tanti Legati, tantíque præconis præsentiâ, hunc filium suum (Joannem) non in Orientem, sed in Occidentem; non in Saracenos, sed in Christianos, quæ sua sunt quærentem, non quæ JESU CHRISTI, sumptuosâ magìs quàm utili expeditione transmisit.] Ita ille.

*v. an. 1177 n. 29.
Girald. sup. c. 35
ORIGO MALORŪ QUOD JOANNEM FILIUM, NON MISERIT IN ORIENTEM, SED HIBERNIAM.

Quam inutilis expeditio fuerit, paucis declarat ad hunc annum Rogerus: [Joannes (inquit) filius Regis in Hiberniam veniens, à Joanne Dublinensi Archiepiscopo, & cæteris Patris sui hominibus, qui præcesserant, honorificè est susceptus. Et quia ipse omnia proprio suo inclusit marsupio, nolens sebidariis suis, stipendia sua solvere, maximam exercitus sui partem, in conflictibus plurimis contra Hibernenses factis, amisit: & tandem ad inopiam redactus, constitutis tamen Justitiis, & militibus suis, per loca, ad terram illam custodiendam, rediit in Angliam.] nunc redeo ad historiæ filum & hujus anni propria.

Hoveden. fol. 630.

XXI.
BALDUINUS PALLIO DONATUS.

Hoc anno Balduinus Cantuariensis à Lucio Papa, pallio donatur; quo statim usus, Guilielmum de Glanvilla, Lexoviensem Archidiaconum, Episcopum consecravit Roffensis Ecclesiæ. fuerat hic olim Sancto Martyri Thomæ familiaris; unde characterem ejus Quadrilogus sic expressit, Guilielmum vocans, quem cæteri omnes, Rogerus, Parisiensis, Godwinus, Harpesfeldus, Gilbertum vocant. Sic ergò Quadrilogus: [Guilielmus cognomento de Glanvile, natione Anglicus, formam habens conversationis bonæ, & honestæ; & omnium inter quos conversabatur, bonorum moribus se conformans: & in utroque jure scientiam commendabilem assecutus: postquam Sancto Thomæ semel adhæsit, ipsum deinceps non deseruit. Veruntamen vocatione novissimus fuit: & tamen altissimo disponente, sic qui fuerat vocatione novissimus, factus est Sancto Patri dignitatis loco proximior, in Episcopum videlicet Roffensem electus.] Ita ibi. Gilbertus hic viginti novem annis Sedem tenuit; illique vices suas Balduinus Cantuariensis in Palæstinam discessurus, credidit.

Quadrilog. l. 4. c. 12.
GUILIELMUS DE GLANVILE ELECTUS EST ROFFENSIS EPISCOPUS.

XXII.
ERACLIUS PATRIARCHA REDIT IN PALESTINAM RE INFECTA.
Roger. Hoden. fol. 630.

Verùm quod ad sacram illam expeditionem attinet, nihil hoc anno ab Anglis, à quorum viribus potentiáque Oriens unicè pendebat, actum. quibus non obtentis Eraclius hoc anno in Palæstinam rediit. nam ita Rogerus: [Patriarcha sperabat quod esset reducturus secum ad defensionem Jerosolymitanæ terræ, præfatum Regem Angliæ, vel aliquem de filiis suis, vel aliquem alium virum magnæ auctoritatis: sed quia hoc esse non potuit, repatriaturus dolens, & confusus à curiâ recessit.] Multa fuerunt sacræ expeditioni impedimenta, nec illud inter minima, quod annum hunc, cum vita, clauserit Lucius Papa, qui ad laborem illum peregrinum Principes literis, & legationibus accenderat. In ejus locum magno omnium consensu, Lambertus, Mediolanensis Archiepiscopus, eligitur; qui exinde dici voluit Urbanus eo nomine Tertius.

ANNUS CHRISTI 1186.

URBANI III. PAPÆ 1.

HENRICI II. REGIS 32.

I.
MORITUR LUCIUS P. ELIGITUR URBANUS III.

ANNUS Christi millesimus centesimus octogesimus sextus. Primus Urbani Papæ numeratur, ad quem, statim ut electionis ejus fama Angliam penetravit, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, officii plenas literas dedit, gratiásque pro acceptis ab eo beneficiis refert. Baronius inter ea beneficia numerat, pallii missionem: & revera Parisiensis, quem Baronius sequitur, disertè scribit: [Anno Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, pallium cum legatione, in provinciâ sibi subditâ accepit.] Sed quia superiore anno dixi pallium non ab Urbano, sed à Lucio porrectum; nunc dicti rationem reddens, Parisiensi oppono Rogerum Hovedenum, quem Baronius fidelissimum scriptorem agnoscit, & sequitur passim. Ille Papam, qui Balduino pallium dedit, nominatim exprimit (Parisiensis neminem nominat) & inquit: [Walterus Rothomagensis electus pallium recepit à Papa Lucio: similiter Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus pallium recepit à Papa Lucio, & statim consecravit

Paris. hic.

Hoved. fol. 630.

Gilbertum

Gilbertum de Glanvilla in Roffensem Episcopum dono Regis Angliæ.] & post pauca: Eodem anno (inquit) mense Decembri, obiit Papa Lucius. Quamobrem verosimile est, non pallium, sed legativam potestatem ab Urbano concessam: illudque Balduinum inter beneficia numerasse, cùm hasce literas ad Urbanum scripsit.

Sanctissimo Patri URBANO, Dei gratia, summo Pontifici: BALDWINUS Cantuariensis Ecclesiæ minister; Salutem & debitum devotionis obsequium.

II. *apud Petr. Blesen Ep 79* BALDUINUS CANTUARIENSIS AD URBANUM III.

DOmus Dei, quæ in lapide adjutorii, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum stabilita est, à Petro, & Successoribus ejus, formam semper eruditionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti, rami. quod Capiti, membra, quod radii, soli: quod fonti, rivuli: hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit. Inde est, quod Beatæ recordationis Lucio tertio Papa, viam universæ carnis ingresso (mortis enim tributarii omnes sumus, mortisque responsum habemus in nobis, & fœdus cum ea percussimus) erant & lugebant filiæ apud nos sine sponso. Cumque munus exequiale defuncto, & pios affectus impenderent; electionis vestræ nuntius supervenit: qui nubilum publici mœroris auferens, corda omnium festiviore lætitiâ serenavit. Communis enim fama est, quòd Dominus, qui juxta verbum Amos, suscitat de filiis Prophetas, & de juvenibus Nazaræos: ipse in specula celsitudinis Apostolicæ, talem nunc de filiis suis, per gratiam suam collocare dignatus est, qui prodesse velit, & præesse sciat: qui prudentiâ, & moribus præeminens, Cathedram Sanctorum meritis implere sufficiat. In commune itaque desiderium cedit, verboque celebri, & votiva gratiarum actione, publicè recensetur: qualiter Dei sapientia, suaviter universa disponens, vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, de honore in honorem promoverit: Nec illud deesse permittit ad plenitudinem gaudiorum; quod tanta fuit eligentium vos unanimitas, nullumque sustinuit retè scissionis aut rupturæ dispendium: sed juxta verbum Isaiæ: Quod Dominus exercituum decreverat, quis poterit infirmare. Nec variat casualis eventus, quod consilii cælestis altitudo disposuit.

III. *Quia ergò ex hominibus assumpti estis à Domino Pontifex, & pro hominibus constituti, in his, quæ sunt ad Deum: ipsi qui vos elegit, cum multa gratiarum actione, preces affectuosas offerimus: quatenus is, qui segregavit, & vocavit ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ipse in bonis dies vestros continuet; atque in faciem testamenti, vel Christi sui respiciat, Ecclesiam ab omni errore purgatam, sub vestrâ provisione tranquillet. Ad hæc non quantas volo, sed quantas valeo, vobis gratiarum referens actiones, minerem me profiteor cunctis miserationibus vestris. Nam meorum exigentiam meritorum multipliciter vestrorum beneficiorum magnitudine prævenistis. Non sufficio tantæ gratiæ respondere ad meritum. Ille pro me respondere dignetur, qui secundùm divitias bonitatis suæ, suorum insufficientiam supplet. Ego enim vir videns paupertatem meam, præ munificentiâ, & magnificentia indulta mihi gratia vestra, me vobis totum debere profiteor; quicquid debere servus Domino, magistro discipulus, filius Patri potest. Precor igitur ut imperfectum meum videant oculi vestri: & in eâ plenitudine potestatis, quæ vobis cælitùs data est, meam insufficientiam sustentare velitis. Juvate me, Pater, orationibus vestris, ut quod possibilitas nostra non obtinet, vestræ orationis, & eruditionis suffragio suppleatur. Vale.* Hactenus Balduinus ad Urbanum, quæ retulit inter suas Epistolas Petrus Blesensis.

IV. PETIIT BALDUINUS AB URBANO UT PROMOVEATUR HONOR S. THOMÆ.

Petierat etiam, inter cætera ab Urbano Balduinus, quædam Cantuariensi Ecclesiæ commoda, & conscientiæ suæ futura levamina. Ecclesiæ Deique honori profuturum sine dubio credebatur, si Thomæ Martyris memoria, in omnem posteritatem structo templo promitteretur: cujus sanctitas, miracula, & pro Ecclesiæ defensione constantia, Orientem non minùs quàm Occidentem impleverant: cujus etiam sepulchrum, summi, infimi; domestici, externi, omnis ordo & sexus frequentabant. Et quoniam Balduinus in Cantuariensem Sedem recens intraverat: & Sanctissimo Martyri plurima à fidelibus donabantur; quæsivit ab Urbano; ut olim à Magno Gregorio minor Augustinus; qua ratione, effusæ largitiones illæ, quas incolæ & peregrini, ad Martyris pedes ponebant, religiosè dispensari, aut possent, aut deberent. Ad quæ quæsita rescripsit ita Urbanus Matthæo teste Parisiensi. *Præsentium tibi auctoritate mandamus: ut liceat tibi Ecclesiam in honorem Beatorum Martyrum Stephani, & Thomæ construere, & de idoneis eam ornare personis: quibus beneficia, quæ ad eorum sustentationem constitueris, Canonicè debeas assignare. Item fraternitati tuæ mandamus: ut quarta parte oblationum; quæ ad reliquias Beati Thomæ Martyris offeruntur, monachorum usibus concessa, quarta fabricæ Ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios usus bonos, pro tua voluntatis arbitrio erogare.* Ita jussit Urbanus Papa.

apud Paris hic.

V. QUAMNAM ECCLESIAM PROCURAVIT CONSTRUI S. THOMÆ.

Ad Ecclesiam, quod attinet, quam Balduinus construi Pontificia authoritate procuravit: illa est, quæ prope Cantuariam, ad Hackingtonam vicum; ubi olim Stephani Martyris ædes fuerant; ædificari hoc anno cœpta, ingentis controversiæ seminarium fuit: & si factiosis credimus (nam orthodoxi paucis rem transeunt) Reges, Episcopos, Romanos Pontifices, monachi egregiè vexaverunt. Volunt illi construendæ Ecclesiæ consilium fuisse, monachorum jus, eligendi Archiepiscopum (quod nuper Henrico & Episcopis obviaverat) elidere, & ad Episcopos & sæcularem Clerum, qui Regi, scilicet, promptiùs obtemperant, transferre. Quod monachi sagaciter subodorantes, magnis clamoribus, multa Romam appellatione, avertere conati sunt. Itaque de hac Ecclesia Parkerus invidiosè scribens, ita Britannicas suas Antiquitates inficit: [Thomæ martyrium, per totum orbem Christianum, à Pontificiis scriptoribus diffusum, tam illustre habebatur: ut qui ejus nomini aliquid consecrassent, vel condidissent; Sanctis ipsis pares, atque similes viderentur. Itaque Balduinus ex Regis proposito & consilio Divo Thomæ Martyri novum templum Hackingtoniæ in Ecclesia S. Stephani, quæ à Cantuariâ ad Aquilonem posita, tribus distat stadiis, extruere, & dedicare statuit. In hac Ecclesiâ, ad exemplum & similitudinem S. Thomæ, qui ipse sæcularis fuit; Sæculares Clerici, Canonici, & Præbendarii, instituendi erant, numerúsque præbendariorum æqualis Suffraganeorum Cantuariensis provinciæ numero constitutus fuit: Una præbenda Regiis sumptibus ordinanda,

Antiq Brit. in Balduino

TEMPLŪ ERECTUM S. THOMÆ HACKINGTONIÆ.

Regique

Regíque & ejus successoribus, Angliæ Regibus conferenda fuerat; ut perenni quadam, & longæva per hæredes ad finem sæculi ductâ pœnitentiâ, cædes Thomæ penitùs expiaretur. Reliquæ præbendæ Suffraganeis concedendæ, eorúmque sumptibus erigendæ erant.]

VI. PARKERUS PSEUDO-EPISCOPUS OMNIA CORRUMPIT CONTRA MONACHOS.

O supinum Regiæ & Balduini mentis interpretem! Ut Martyrem Thomam in factionem vocet; eum sæcularem facit Episcopum; eoque intuitu, scilicet ad eum placandum, sæcularibus Clericis & Canonicis Præbendæ consignantur. Quasi verò illustrissimus Martyr, cum Cantuarienli infulâ monachi vestem non induerit: quod quia latenter & secretiùs factum, in publico postmodum orbis Theatro, ab ipso Romano Pontifice, monachi item habitus eidem porrectus, in Pontiniacensi monasterio illum patentissimè gestavit. Unde constat falli Parkerum, dum Cannicos, Clericos, & Præbendarios, ad Thomæ similitudinem institutos vocat: & iterum, ubi Balduînum dicit è Cisterciensi ordine primum fuisse, qui Cantuariensem Sedem intravit. nam quicquid sit de veste primâ, quam latenter induit: illa certè quam tertius Alexander solenni statáque precatione sacravit, quáque indutus biennio inter monachos usus est, Cisterciensis sine dubio fuit. Sed ægrè fert Parkerus ullum, qui Divus, & Sanctus audit (ita Thomam Martyrem ipse vocat) monachum dici, aut fuisse. Meliùs profectò interpretem egisset; si Ecclesiam eamente construendam, & ab Rege, & omnibus Suffraganeis dotandam dixisset; quia Rex, & omnes passim Suffraganei, graviter in Thomam peccaverant, decebátque eos religioso opere crimen expiando, Deum, Sanctúmque venerari. Sed Parkeri oculus, invidiâ caligans, haurire lucem illam non potuit. Sequitur quod est verosimilius.

VII. *Parkerus supra in Antiquit.*

[Ad hoc opus (inquit) quod summâ religionis, tantíque colendi Martyris laude omnium ore ferebatur, accessit Papæ authoritas, & licentia Balduino concessa, quartáque pars omnium oblationum, quæ ab illo die, Thomæ delubro deferrentur. Incepta res est, omnéque tigni genus, undiqúe conquisitum, ad cúmque locum deportatum fuit: sed monachi omnibus callidiores, omnium etiam astutiam olfecerunt. Destinarat enim ex Regis instinctu Balduinus, frequentes Episcoporum cætus ibi celebrare: quibus Rex quoties vellet, cum ex eorum numero, & grege esset, interesse poterat. operéque perfecto, & absoluto, in eâdem Ecclesiâ Episcopos consecrare, Synodos habere, oleum cum lacte ad conflandum chrisma permiscere, singuláque, quæ ordini suo competebant, facere, & paulatim, non eligendi solùm, sed quæcumque alia monachorum Cantuariensium jura eò deducere] Pergit author monachorum iras cum Junone componere; quæ imperii sui locum Carthagine statuit, præter voluntatem Jovis: addit è Virgilio carmina, Æneæ adventum, Æolum, & Neptunum: & puerili ac inani bombo exsufflat omnia, quæ Poëtam fortè decere, Antistitem certè non possunt. doctiùs alii, pleniùs, multóque rectius rem omnem absolvunt, cùm aiunt: Monachos suæ Ecclesiæ præjudicium timentes, obliquis primùm oculis surgentem ædem aspexisse; inde, communi consilio, Urbanum appellasse, jurisque sui apices ad extremum ursisse, itaque incepto operi intercessum, ut post dicetur; quia in sequentes annos duravit contentio.

VIII. REX INTER ALIA QUÆ PETIT AB URBANO, ERAT, UT UNUS DE FILIIS CORONARETUR REX HIBERNIÆ. *Hoved fol. 631.*

Interea Henricus Rex, Romanam arcem, & ipse pulsavit, aliqua cupiens obtinere, quæ Regiæ potestatis limites excedunt: & in quibus Lucium olim Pontificem difficilem senserat. Nec enim regna, aut coronæ, leviter tractantur. Unum referunt Annales, ab Henrico postulatum, ab Urbano concessum; Hiberniæ dominium, Anglorum coronæ jungendum: Ut filius natu minimus; quem tenerrimè Pater, ceu Benjaminum Joseph, diligebat, regiâ dignitate, præ fratribus, qui Patri rebelles fuerant, augeretur. Rogerus noster hoc paucis absolvit. [Hoc eodem anno (inquit) Henricus Rex misit Nuntios suos ad Urbanum Papam, & multa ab eo impetravit; quibus Papa Lucius fortiter resistebat. Quorum unum hoc fuit, quod ab eo impetravit. Quod unus quem vellet, de filiis suis, coronaretur de regno Hiberniæ. Et hoc confirmavit Dominus Papa bullâ suâ; & in argumentum voluntatis, & confirmationis suæ, misit ei coronam de pennâ Pavonis, auro contexam.] Ita ille. Si sanctius hieroglyficum Urbanus misisset, meliùs Hiberniæ corona Joanni (nam illi destinata) sedisset. Verùm nec Regi cessit importuna petitio. Et quamvis Henrici Regis hæredes in Hiberniæ dominium, Papa annuente, concesserint; in Regis tamen titulum, ante modernum schisma, successisse non reperio. & valdè mirum tantoperè Henricum in coronando filio, natu minimo sudasse: qui in filio maximo natu coronando, nullum gloriæ incrementum; sed detrimentum potiùs in utrâque Republicâ sensisset.

IX.

Vacantes in Angliâ Episcoporum Sedes hic annus implevit. Girardum Coventrensem, & Bartholomæum Exoniensem Episcopos, mortuos anno Domini millesimo centesimo octogesimo quarto, hoc anno novi Præsules exceperunt. Girardo successor eligitur Hugo Nunant, natione Normannus; de quo ita legitur in Quadrilogo, ubi eruditi viri, quorum familiaritate & consortio usus est Sanctus Martyr Thomas, cum in vivis esset, vigeretque: [Hugo cognomento Dantinant (ita ibi, sed vitiosè opinor. nam alii Nunant, vel Nouant vocant) natione Normannus, tunc Archilevita Oxoniensis, pro juventutis suæ annis, in consiliis discretus, in agendis providus; & strenuus in exequendis. Girardo viam universæ carnis ingresso, ad eandem Pontificalem Sedem promotus est.] Annum consecrationis ejus consignat Godwinus, ubi de Coventriæ, & Lichfeldiæ Episcopis agit, & ait: [Anno millesimo centesimo octogesimo sexto, Hugo Nunant, vel Nouant, è Normannia oriundus; sed qui in academiâ Oxoniensi bonis literis olim operam navaverat, in Episcopum Lichfeldensem consecratus est.] Sed fallitur: hoc tantum anno eligitur, post annum sequentem consecrandus, ut ibi *. De illo dicendum plura inferiùs: nam capto, detentóque, per Leopoldum Austriæ Ducem, Richardo Anglorum Rege Henrici filio, & successore; cum Joannes Richardi frater, regni coronam procaretur, Hugo ministravit ambitionis alimentum, quod carò illi constitit, ut dicetur.

HUGO COVENTRENSIS EPISCOPUS ELECTUS.

Quadrilog. l. 4. c. 12.

EIUS LAUDES.

* v. an. 1188. n. 7.

X. JOANNES EXONIENSIS EPS.

Bartholomæo Exoniensi successit hoc anno Joannes, Sarisburiensis Ecclesiæ Subdecanus, & Exoniensis Ecclesiæ Præcentor, dono & voto

Henrici

Guilielmus Wigornień. Episcop. *Hoveden. fol. 632.*

Henrici Regis: qui eodem etiam tempore, Wigorniensi Ecclesiæ præficiendum curavit Guilielmum de Northale, ut Rogerus, & uterque Matthæus affirmant. Rogerus ita ad hunc annum. [Eodem anno Dominus Rex Angliæ dedit Guilielmo de Northale Episcopatum Wigorniensem, & Joanni Subdecano Salisberiensis Ecclesiæ Episcopatum Exoniensem, quos Baldewinus Archiepiscopus Cantuariæ consecravit.] Corrige ergò Godwinum in Catalòg. scribentem: *Guilielmus de Northale consecratus 21. Septemb. 1179. obiit anno 1190.*

Godwin. in Wigorn.

XI. S. Hugo Lincol. Episcop.

Lincolniensem Ecclesiam Walterus de Constantiis, pro Rothomagensi mutavit, sub annum Dñi 1183. quam nunc Henricus Rex Sanctissimo Præsuli commendavit. Is est Hugo, cognomento Sanctus, quem è Burgundiâ vocatum; ubi regularis disciplinæ institutum susceperat, Carthusiensem ordinem ingressus; Henricus monasterio præfecerat, quod antea sub Carthusiensi regulâ erexerat, ad Witham oppidum in agro Somersetensi. Ibi cum optimè religiosis præfuisset, ad infulam invitus trahitur. nec mirum illud; quia à quietæ vitæ dulcedine trahi noluit, cùm in Angliam vocaretur. Quod ita in ejus vitâ exprimitur. [Cum fama viri ad aures Henrici Regis Angliæ pervenisset, misit nuntios Carthusiam, ut eum Priorem Withamiæ in Episcopatu Bathoniensi constitueret. Qui statim fratribus ait: In medio vestræ sanctitatis tamdiu conversatus, monitis & exemplis vestris adjutus, nunquam per unum diem animam meam custodire scivi. Unde miror, quomodo ad regendas aliorum animas mitti longiùs debeam: qualiter instituere novam domum sufficiam, qui antiquorum instituta servare nequivi. Puerilia sunt ista quæ audio, & nec deliberationis tantæ spatio aliquatenus digna. Tandem verò licet multum renitens, Prior Withamiæ factus est.]

apud Capgravium. Hugo Prior Withamiæ deprecatur munus Episcopale.

XII. Primum monasteriû Carthusianorum.

Fuit monasterium illud, primum omninò Carthusiensis ordinis, & cæterorum, quæ inde erecta sunt, parens, & exemplum. Illud Henricus suis sumptibus erigendum, & construendum susceperat: jam virum nactus, qui sanctitatem ibi & institutum promoveret: Sed quia, sub Prioris adventum, nec domus, nec Ecclesia ad monachorum usus erat absoluta, religiosorum patientiam Rex exercuit: & Hugo illis providere ex officio tenebatur. Monet ergò Regem, deesse domui, deesse monachis, deesse Ecclesiæ, quæ necessaria censebantur. Cui nuntio, cum Rex verba, & promissa, & aliud nihil reponeret: Hugo cogitur Regem adire: quid ibi acciderit, in ejus vitâ ita refertur: [Factum est autem, ut deficerent sumptus ad ædificia construenda. Et mittens Hugo semel atque iterum fratres ad Regem, cum nihil præter promissiones & verba: Assumpto quodam fratre nomine Gerardo, ad Curiam profectus est. Quos Rex benignè excipiens, blanda locutus, bona pollicitus, causam dilationis excusans, celeriùs omnia perficienda promittens: sumptus tamen non contulit, nec quando esset collaturus certiùs intimavit. Tunc frater Gerardus Regem duriùs cœpit arguere, inter cætera dicens: Totum vobis regnum vestrum, Domine Rex, quietum cedo: & ad nostram potiùs Carthusiensem eremum vobis valefaciens mox redibo. Putatis vos gratiam nobis exhibere, si vestro nos vel pane sustenteis, cum eo penitùs non egemus? Verùm melius nobis est ad saxa nostrarum fugere Alpium, quàm ad talem hominem habere conflictum, qui totum, quod pro suâ suggeritur salute, tanquam perditū arbitratur. Habeat igitur citiùs amissurus; & cui nescit ingrato relicturus. Opes quas tantum amat; nec Christus his dignatur nec quisquam bonus Christianus participari.

apud Capg.

XIII. Gerardus Carthusiensis objurgat Regem.

Hæc & satis duriora Gerardo prosequente, tanto (vice Regis) Hugo suffusus est rubore; ut totus inhorresceret, & vix confusionem cordis sui toleraret. monebat fratrem modestiùs effari, talibus parcere, aut penitùs silere. Verùm ut erat conscientiæ purioris, jam dictis alia atque alia, quibus Principem corrigeret, aut erudiret, superaddit. Interea verò Rex, nec vultum mutavit, nec verbum edidit: Immò tacitus, & tranquillus dicentem sustinuit: quousque universa quæ mente conceperat, ore parturiret. Habito post hæc aliquamdiu silentio, Priore vultum præ confusione deprimente: Rex conversus ad Hugonem ait: Nunquid tu abire disponis, & cedere nobis regnum nostrum? & complexus eum, cum juramento ait: Per salutem animæ meæ dum vixero, tu à regno meo non discedes. tecum enim partiar consilia salutaria, tecum & studia animæ meæ necessaria. Et mittens confestim sumptus, opus cum summâ instantiâ compleri jussit.] Ita ibi, de Withamiæ monasterio, quod Henricum agnoscit fundatorem: quamvis ibidem præextitisse putentur ædes sacræ, quas sacræ Deo Virgines aliquando incoluerint. nunc verò, id est ante paucos annos quàm Hugo Lincolniam vocaretur, novo ordini cesserunt. Hugonem ergò Rex, ob vitæ sanctitatem in pretio habuit, à primo ejus in Angliam ingressu: ejus se precibus & præsens, & absens commendabat: eóque monitore, se ad mortem brevi venturam disposuit. Porrò quantum ejus precibus, & apud Deum patrocinio confideret, abundè patuit, cum in summo periculo constitutus, absentis opem piè imploravit, quod ita ex Authore supra refertur.

Quanti fecit Rex Hugonem Carthusiensem.

XIV. *apud Capgravium in Hugone Confess.* Rex iactatus in mare, precibus S. Hugonis se cõmendat, et liberatur.

[Contigit Regem Henricum, cum magnâ classe suâ, ortâ tempestate, in mari ferè naufragari. A prima enim vigilia noctis, mare intumescens, sævientibus ventis, naves nunc astris inserere, nunc immergere abysso laborabat. Rex tandem his malis pressus, in hæc verba prorupit. O (inquit) si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo meus, si secretis intenderet modò precibus: si cum fratribus suis, divinis interesset officiis, non ita in longum mei oblivisceretur Deus. Tunc altiùs ingemiscens ait: Deus Omnipotens cui servit Prior Withamiæ, in veritate, illius interventu, ac meritis nobis, in tantâ, pro peccatis nostris, angustiâ justè deprehensis, clementer miserere. Fertur quidam, eum vovisse, quod si ad portum incolumis perveniret, eum ad Pontificalem gradum promoveret. Nec mora pelagi fragor, ventorum turbo subsedit, & evanuit; cadunt fluctus, redit aura lenior, fretum funditùs complanatur, naves optato potiuntur litore: referunt universi gratiarum actiones divinæ clementiæ.] Votum ergò Henricus Rex hoc anno solvit, cum vacantes Ecclesias impleri procuravit: & Lincolniensem viro Sanctissimo commendavit. Qui non ut cæteri hominum cæco ferè impetu, ad culmen illud honoris ascendit. Sed infirmitatem suam Pontificiæ dignitati commetiens,

multa causatur, quæ moram protraherent. Nec enim, nisi per gradus, fastigium illud petendum duxit. Dicat hoc, qui Hugonis vitam apud Capgravium scripsit.

XV. *Vit supra.* HUGO ELECTUS IN LINCOLNIEN. VIX CONSENTIT.

[Waltero tandem (inquit) Lincolniensi Episcopo, in Archiepiscopum Rothomagensem electo de consensu Regis: Hugo in Episcopum Lincolniensem electus cum magnâ instantiâ, & difficultate vix consensit. Cum enim ei fuisset electio nuntiata, respondit: quòd Pontificalis officii non susciperet dignitatem, nisi Prioris Carthusiæ prævenisset assensus. Qui cum fuisset assensus, non sine gravi labore solemnium nuntiorum: & nuntiatum ei fuisset: dixit quod ad regimen Ecclesiæ Lincolniensis non accederet, nisi de Canonicorum unanimi & liberâ voluntate constaret. Decanus igitur Lincolniæ, cum majoribus Capituli sui, accessit ad locum, cui præerat vir Sanctus: qui inter prima colloquia, sic eorum sibi gratiam comparavit: quod eum Patrem ac Pastorem habere, devotionis affectû ferventer optabant: & tunc primò consensit. Prima nocte quâ in Episcopatu suo dormiens quievit, audivit vocem dicentem sibi: Egressus es in salutem populi tui, cum Christo tuo.] Quod verum fuisse, eventus docuit. nam veri Pastoris munus integerrimè implevit (consecratus hoc anno in festo S. Matthæi ut habet Parisiensis) infimis paterna viscera aperiens, & summis etiam viris virgam, si peccarent, intrepidè ostentans. Cum tribus Regibus pugnandum illi fuisset, qui Clerum lædere præsumpserant; cum Henrico nunc regnante, & duobus filiis Richardo, & Joanne, coronæ succedentibus. & ille nec Henricum, à quo summè amabatur, nec ejus filios reveritus: justitiæ orbitam nè latum unguem egredi, sed suum cuique dare constanter voluit. Id statim ab ingressu in Lincolniensem patuit, cùm Henrico in duobus se opposuit, quæ sic narrantur.

Paris hic.

XVI. S. HUGO LIBERE NEGAT DUO REGI. 1. NOLUIT AUFERRE EXCOMMUNICATIONEM. 2. NOLUIT DARE PRÆBENDAM CŌMENDATO A REGE.

[Processu temporis summum Regis forestarium contra Ecclesiæ libertatem debacchantem (puniverat clericum, qui in Regiis vivariis feras occiderat) districtè convenit, & excommunicavit. Quo audito Rex vehementer contra eum motus est.] Hoc primum exasperati in Hugonem animi argumentum fuit. nam Henricus ut supra in Thoma Martyre vidimus; familiares suos, se inconsulto, excommunicari ægerrimè ferebat. aliud sic refertur: [Vacante quadam Præbenda, rogavit Hugonem Rex, ut ad instantiam suam, cuidam clerico suo eam conferre curaret. Qui literis perlectis ait: Non Aulicis, sed potiùs Ecclesiasticis Ecclesiastica oportet beneficia conferri personis. Habet Dominus Rex unde recompenset in temporalibus, pro temporalibus sibi militantium laborem. Quibus auditis Rex nimis offensus ipsum protinus accersivit. Et in nemore quodam residens, magnatibus in modum coronæ considentibus, præcepit ut nullus advenientem salutaret. Nec mora, adest Episcopus, salutat Regem & considentes, sed nullus eum resalutat. Quo viso accessit Episcopus propiùs, manúque leviter scapulis cujusdam magni Ducis, qui Regi assidebat, impositâ, locum sibi juxta Regem fecit. Facto autem aliquantulum silentio: Rex tandem vultum erigens demissum, dari à quodam assistentium, acum sibi præcepit, cum filo. quo facto suere cœpit manu propriâ læsum, panniculóque involutum lævæ suæ digitum. Hoc videns Episcopus, & sui causâ silentium factum esse cognoscens: conversus ad Regem his verbis totam cordis ejus erectionem tumidam elisit dicens: Quàm similis es modo cognatis tuis de Phalesiâ.

DICTERIUM S. HUGONIS IN REGEM. XVII.

Hoc quidem telo blando & levi, sed mirum in modum penetrabili & præacuto, Rex præcordialiter trajectus, conserit digitos, solvitur in cachinnum ore supino in terram deponens cervicem, risibúsque diutiùs fræna laxabat. Mirabantur assidentes supra modum, & stupebant sub tali articulo improperium tale, tanto Principi, à tali homine fuisse intortum. Et admirans Rex viri confidentiam, palam dixit: Num intelligitis cujusmodi contumeliam nobis barbarus iste intulerit. Ego vobis dictum illius explanabo. Constat genitricem proavi nostri Willelmi Conquestoris, de stirpe mediocri traxisse originem, ac de Phalesiâ oriundam. municipium hoc arte pelliparià celebrius excolitur. Quia verò me suere digitum meum derisor iste conspexit, cognatis meis Phalesiensibus me similem esse improperavit. Cúmque Rex modestè eum arguisset de forestarii excommunicatione, & clerici ad Præbendam non acceptatione: & ille rationabiliter ad omnia respondisset, placatus Rex; orationibus Sancti Episcopi se commendavit: & speciali benevolentiâ eum de reliquo amplexatus est.] Plura de Hugone Sancto dicentur inferiùs; nam quatuordecim annos Lincolniensem Ecclesiam pientissimè gubernavit, ita tamen ut Withamiam, columbarium suum castissima columna sæpè repeteret; ubi sua suorúmque errata gemens, spiritum hauriebat, quem in sibi subditos postea abundè effudit.

REX SUBRIDENS EXPONIT DICTERIUM.

XVIII.

Dixi supra mirabiliter inventa S. Amphibali ac sociorum Martyrum corpora, delatáque ad Sancti Proto-martyris Albani templum: ubi ad hunc annum sine magno illisque debito apparatu quieverunt. Nunc verò sublimiùs posita, & ad cultum exposita ita narrat Albanensis monachus in vitâ Gwarini Abbatis, qui Simoni successerat. [Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo sexto, ex præcepto Domini Gwarini Abbatis Ecclesiæ S. Albani, per Suppriorem ejusdem Ecclesiæ, & Adami Cantorem, & Gilebertum, & Balduinum Sacristas, & Rogerum de Hospitali, custodem reliquiarum S. Amphibali sociorúmque ejus, octavo Kalendas Julii translatæ sunt reliquiæ prædictæ de locello, in quo primùm conditæ fuerant, sub Domino Simone Abbate, in feretrum novum ad hoc specialiter adaptatum, & ad honorem eorumdem Martyrum, & decorem domus Dei, auro, & argento, arte exclusoriâ * splendidè adornatum. Quod nimirum feretrum, medius quidem paries interscecat interiùs: & in eâ parte, cujus frons in-intrinsecùs passionem S. Amphibali exprimit, repositæ sunt reliquiæ ipsius Martyris, & trium sociorum ejusdem (qui simul consepulti inventi sunt) singulæ in singulis ligaturis. In reliquâ verò parte, reliquiæ sex reliquorum sociorum ejusdem: quorum sepulturæ seorsum inventæ sunt, singulæ in singulis ligaturis colligatæ. In locello autem illo, qui prætatas reliquias continebat, aliquantula portio earundem reliquiarum remansit, simul cum multâ numerositate venustorum corporalium, quæ ob sui reverentiam ibidem collocata sunt.] Vetusta fortè corporalia Author

Paris in vita Abbatū.

FERETRŪ S. ALBANI ET SOCIORUM.

*In qua parte positæ reliquiæ S. Amphibali & 3. sociorum, in reliqua aliorū.

intelligit

intelligit, quæ aliis quàm usibus deservire non poterunt.

XIX. RELATIO HÆC VERIOR ILLA, QUAM RECITAT URSULA, VINDICATA. *apud Ursul. vindicatam fol. 1104.*

Hæc relatio veritati consonantior est, quàm illa, quam è Coloniensi manuscripto Codice recitat Ursula Vindicata. ubi Henricus S. Pantaleonis Cœnobiarcha extulisse dicitur *pretiosas Protomartyris Britanniæ reliquias*, quem Albinum novo baptismate Coloniæ collato, vocat, & in narrationis fine subditur: *Acta sunt hæc anno millesimo centesimo octogesimo sexto, sub Philippo Coloniensi Archiepiscopo, & Abbate nostro Henrico.* Ego Albinum Coloniensibus promptissimè cedo; Albanum Britanniæ Proto-martyrem si concederem, silentium Annalibus nostris, impietatem Albanensibus monachis, supinam Episcopis negligentiam, stupiditatem denique Regibus nostris, & externis imponere deberem, quod horret omninò calamus. nam Reges, & Principes viros, qui per annos septingentos & ampliùs immensa bona in Albani corporis cultum

NON PROBAT RELATIONEM FACTAM IN URSULA VINDICATA.

profuderunt, erectis templis, altaribus, monasteriis, quæ etiamnum orbis admiratur, adeò cæcutientes fuisse, si quis velit credere: ego sanè affirmare non audeo. Adde si Coloniensis Codex Proto-martyrem Britanniæ vocat, qui anno ducentesimo octogesimo sexto martyrium subiit; cur alter Coloniensis Codex operosè probat Ursulam, & undecim millia Virginum, martyrio sine dubio coronatas (quæ Britannicæ Virgines passim appellantur, & sine dubio fuerunt) obiisse anno ducentesimo trigesimo septimo? nimirum septuaginta ante Proto-martyrem annos. Hunc nodum supra tomo primo nexui, qui certè expediri non potest, nisi dixerim Ursulam passam (ut revera passa est) anno Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio. ut ibi dictum.

XX. MORITUR ROBERT' HERFFORDEN. EPS. SUCCEDIT GUILIELMUS.

Obiit hoc anno (si Godwinum sequimur) Robertus Foliottus Herefordensis Episcopus, & eodem anno successit in Sedem Guilielmus Verus, de quo Parisiensis ad hunc annum. [Willelmus de Ver in festo S. Laurentii Herefordensis est consecratus Antistes.] Idem habet ad eum annum Matthæus Westmonasteriensis, nec plura de illo scribunt: unus Godwinus dicit ex aliorum opinione eum multa construxisse, mortuum anno millesimo centesimo nonagesimo nono, vigesimo quarto Decembris, sepultùmque juxta antecessorem suum.

XXI. BERNARDUS CARLEOLENSIS VIDETUR IAM MORTUUS. *Hoved fol. 631.*

Bernardum etiam Carleolensem Episcopum hoc tempore in vivis esse desiisse conjectura est (nam certum mortis tempus ignoratur) conjecturam firmat Henrici Regis ad Urbem illam adventus. de quo Rogerus hæc habet, cum Hugonem Sanctum à Balduino Archiepiscopo consecratum dixisset. [Deinde venit Rex cum magno exercito usque Carleolum, volens ulteriùs procedere ad debellandum Rolandum filium Uthredi, filii Fergus, propter injurias, & dissaisinas, quas ipse fecerat, Duncano filio Gilberti, filii Fergus. Sed prædictus Rolandus venit illuc ad Regem, & fecit pacem cum eo. Rex verò ibidem fecit Paulinum de Ledes, eligi ad Episcopatum Carleoli: quem idem Paulinus refutavit Et ut Paulinus Episcopatum illum recipere vellet, obtulit ei Rex quòd Episcopatum illum ditaret de trecentis marcarum redditibus: videlicet de Ecclesiâ de Bamburg, & Ecclesiâ de Scartheburg, & Capellaniâ de Tibhil, & duobus maneriis Regis propè Carleolum.]

REX VENIT CARLEOLUM CONTRA ROLANDUM, QUI SE SUBMISIT. ELIGI FECIT IN EPISCOPATUM PAULINŨ DE LEDES.

Addunt alii nec hæc Henrici Regis promissa Paulinum à sententiâ dimovisse. Vacavit ergò Sedes illa per annos plures, donec Gualo Apostolicæ Sedis Legatus. Hugonem Abbatem de Bello Episcopum constituit, sub annum Domini millesimum ducentesimum decimum octavum. quamvis interea Leonardus quidam Sclavorum Archiepiscopus, Carleolensis Ecclesiæ bona, Episcopo olim assignata, Henrici, vel filiorum beneficio percepisse videatur.

XXII. GAUFRIDUS HENRICI FILIUS MORITUR CONTRITUS PEDIBUS EQUITUM. *Hoveden. fol. 631.* *Paris hic.*

Claudit hunc annum, qui vitam clausit, Gaufridus Henrici Regis filius, Britanniæ Comes: qui in Patrem aliquoties rebellis, benedictione caruit, quâ illi fruuntur, qui parentes honorant: nec enim longævus fuit super terram, quam Dominus Deus daturus erat ei, si paululùm superstes fuisset. Nam ante Joannem natus, Joannem, qui post paucos annos regnavit, in regno hereditario jure præcessisset. Sed noluit Deus. [Nam in conflictu militari, pedibus equinis contritus Parisiis obiit, & in Ecclesiâ Cathedrali ejusdem civitatis sepultus est (inquit Rogerus.) Reliquit autem duas filias (ita Parisiensis) quas genuerat ex Constantia uxore sua, filia scilicet Conani, Comitis Britanniæ: quæ etiam tempore, qoo vir ejus obiit, gravida fuit: quæ poltca filium pariens Arthurum illum vocavit.]

ANNUS CHRISTI 1187.

URBANI III. PAPÆ 2.

HENRICI II. REGIS 33.

I. OCTAVIANUS MITTIT IN ANGLIAM. *Hoveden. fol. 634.* * Diaconum.

SEQUENTEM annum Rogerus Hovedenus in hunc modum auspicatur: [Anno gratiæ millesimo centesimo octogesimo septimo, qui est annus tricesimus tertius regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis; Idem Rex fuit in Angliâ die Natalis Domini apud Geldeford. Eodem anno post Natale Domini Urbanus Papa misit in Angliam Octavianum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum * Cardinalem, & cum eo Hugonem de Nunant, quibus ipse commisit Legatiam in Hiberniam; ad coronandum ibi Joannem filium Regis. Sed Dominus Rex coronationem illam distulit: & prædictos Legatos duxit secum in Northmanniam ad colloquium inter ipsum, & Philippum Regem Franciæ. Transfretavit itaque Rex Angliæ, & applicuit apud Witsand in Flandriâ, & prædicti Legati cum eo. Et paulò post habito colloquio inter ipsum, & Regem Franciæ, ad vadum Sancti Remigii: inter eos convenire non potuit propter intolerabiles exigentias, quas Rex Franciæ sibi fieri postulavit. Et sic sine spe pacis & concordiæ recesserunt.]

REX ANGLIÆ, ET GALLIÆ NON CONVENERŨT.

II. Hoc igitur anno Petrus Blesensis zelo peritus ornandi, defendendique domum Dei, quam sanctitudo decebat: Legato suggerit quid in Anglorum Regis dominio: quid in Angliâ, inquam, & Normanniâ vitiosum, quid in Ecclesiâ distortum, quid in mores irrepserat, emendandum: quæ literis expressit ita.

Clarissimo Domino, & amico O Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Apostolicæ Sedi Legato: P. Bathoniensis Archidiaconus, Salutem.

Ita legitur inter Petri Blesensis Epistolas, Epistola vigesima tertia: ubi singularis litera O. Octavianum sine dubio notat, ut interpres ejus & illustrator Joannes Busæus advertit: Verùm cur *Presbyter Cardinalis* appelletur, qui apud Rogerium *Diaconus* audit, non habeo dicere. Literæ autem sic incipiunt.

apud Petr. Blesen Ep 23. CONTRA INDIGNE PROMOTOS. O *cæcitas hominum! O quantum est in rebus inane! O inanis gloria! O ambitio cæca! O terrenorum honorum inexplebilis fames! O tinea cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum! Unde obrepsit hæc pestis? Unde invaluit hæc execranda præsumptio, ut indigni dignitates ambiant? & quanto minùs meruerunt ascendere ad honores; tantò importuniùs se honoribus importent? Hodie per fas & nefas; hodie in animæ corporisque discrimine, currunt infelices ad cathedram pastoralem: nec attendunt, quod sit ei cathedra pestilentiæ; dum sibi & aliis sunt causa ruinæ. In gregibus & armentis, teste Hieronymo, aries, & taurus, corpore & animositate præstantior, alios antecedit: homo verò bestiis omnibus bestialior, tantò inde frectiùs, & audaciùs melioribus antecesse præsumit; quantò minus de virtutum titulis, aut conscientiæ sinceritate confidit. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent: nec populi iniquitates suis excessibus aggregarent.*

III. Eccles. 7. *Verba sunt Ecclesiastici: Noli quærere ab homine ducatum: neque à Rege cathedram honoris. Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates populi, ne te immittas in populum, non alliges tibi peccata duplicia. Qui nihil didicit, aliorum Doctor efficitur: & quasi æs sonans, aut cymbalum tinniens usurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis, & idolum mutum. Apud veteres erat conditio sapientum inæstimabiliter venerabilis; hodieque prudentia, tanquam vilis & abjecta calcatur. quadam verò abominabili mutatione, stultitia ponitur in sublimi.* Eccl. 10. *Hoc est, quod Ecclesiasticus deplorando conqueritur. Vidi, inquit, malum quod sub Sole est, stultum positum in dignitate sublimi, & sapientes sedere deorsum. Sacræ Scripturæ prorsus expertes, onus importabile dignitatis usurpant, de alienâ potiùs, quàm de suâ scientiâ præsumentes. Alia erat Apostoli sententia discipulum instruentis. Tibi, inquit, com-* 1. Tim. c. 1. *mendo, fili Timothee, regere Ecclesiam Dei, secundùm* 2. Tim. c. 3. *quod novi te habere sacrarum literarum peritiam. Scientia siquidem spiritualis gladius est in manu potētis. Hæc est pera, in quâ David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostravit. Hæc est asinæ mandibula, quâ Sampson mille hostium stragem fecit. Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit. Episcopus illiteratus, præco est mutus. Prælati est erudire subjectos, reddere populum acceptabilem Domino, aperiendo mysteria Scripturarum. Petro enim, & successoribus ejus præcipitur ducere in altum rete; id est, profundam sacræ Scripturæ intelligentiam, in capturam hominum aperire. Veruntamen hodie, sicut populus, sic Sacerdos: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Erubesce Sidon, ait mare: erubescat, doleatque Prælatus præesse populo, nec prodesse: docentis assumpsisse officium, & in doctrina populi mutum esse. Verbum lamentationis prophetæ est. Grex perditus, factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos. Canes muti non valentes latrare. Lupos à gregibus suis arcere debuerant: sed ipsi lupi sunt in suos: nec de sua, suorumque salute curantes. Se cum gregibus suis in foveam mortis æternæ præcipitant. Hodie in Episcopi dignitatem, adolescentuli promoventur, & molles. Sic venditur Ioseph Phutiphari Eunucho, dum Christi magisterium, dum dispensationem Sacramentorum Dei, sibi damnabiliter usurpare præsumit, infructuosus, & mollis Episcopus.*

Porrò dum ad eruditionem populi mitteret Dominus Ieremiam, quem sanctificaverat, ex utero matris suæ: Propheta suum considerans imperfectum, tanquam adhuc elementarius & rudis in formatione verborum: IV.
respondit: A a a Domine Deus nescio loqui. Moyses etiam dum à Domino destinatur ad liberationem populi Israel de Ægypto: Obsecro (inquit) Domine, mitte, quem missurus es: ab heri & nudius-tertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguæ factus sum. Et quis hodie à Pontificali onere se excusat? Quis hodie allegat insufficientiam suam? Quis hodie invitus trahitur, aut reclamat? Ubi hodie similis Ammonio invenitur? quem cùm Clerus & populus, in Episcopum elegissent, electioni nullatenus consentire volebat: prævalentibus illis & invitum trahentibus, aurem sinistram cunctis videntibus sibi radicitùs secuit, dicens: Lex divina nullum præcisâ aure Episcopari permittit. Cumque Timotheus Patriarcha censeret hunc Episcopatu dignum, etiamsi nare & aure truncatus esset, dummodo scientiâ, & virtutibus præemineret: illis rursum Ammonium rapientibus, & invitum trahentibus: Ammonius dixit: Linguam meam propter quam vobis placeo, nisi me citiùs dimittatis, abscindam. Dignitatis equidem appetitus, natione cælestis est, in cælo concepit, & peperit iniquitatem. Per hanc affectabat sedere in lateribus Aquilonis, qui non laboraverat, ut sederet. Sed & isti nondum laboraverunt ut sedeant, ut eminentiam cathedræ Pastoralis ascendant, nondum propositum perfectionis aggressi sunt. Nondum cum Petro, rete: cum Ioanne, syndonem: cum Matthæo, telonium: cum Ioseph, Pallium; cum homine Evangelico, sepulturam Patris; cum muliere Samaritana, hydriam: idest, cupiditatem sæculi reliquerunt. Peccato talium, quasi filiorum Heli translata est hodie Arca, sive gloria Domini de Israël in Azotum; ignem scilicet concupiscentiæ. Ignis autem iste non inflammat, sed infumat: non illuminat, sed excæcat: sicut scriptum est: Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. De Azoto transfertur in templum Dagon, idest tristitiæ, vel desolationis. Nonne idolum tristitiæ, & mœroris est, Prælatus illiteratus & fatuus? qui in irâ Dei, & populi desolatione eligitur, & quasi idolum erigitur; ut veniat, quod legitur in Matthæo. Cum videritis abbominationem desolationis stantem in loco sancto, idest, in Ecclesiâ Dei: tunc væ prægnantibus & nutrientibus: illi enim, qui spiritum salutis conceperant, exemplo talium suffocantur. Qui verò vitæ cælestis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur. Parvuli, inquit Propheta, petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

Tu igitur, amantissime Pater, qui à latere summi Pontificis missus es, ut Legatione fungaris pro Christo, V.
surge in extirpationem execratissimæ pestis hujus. Ecce constituit te Dominus super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, ut disperdas, & dissipes: & ædifices, & plantes. Accendatur, & ignescat zelus tuæ

auctoritatis

auctoritatis adversus ambitionis malum, dissipa & evelle plantationis iniquas. Ædifica & planta in Ecclesia Dei tales, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior, & literatura commendet; qui subjectos doceant, qui divites non palpent, pauperes non graventi; qui minas potentum non timeant, qui crimina corrigant, & marsupia non emungant. Quorum sermo sit doctrina, quorum conversatio sit justitia: quorum auctoritas sit non in habitu, non in fastu, sed in eruditione, & destrusione sidri: quorum vita sit publicè commendabilis: quorum memoria in benedictione. Ad tuum & collegæ tui ingressum, quæso lætetur Ecclesia Christi, ut à Simoniacis, & ambitiosis oppressa, sub vestra consolatione respiret. Congaudeant Clerici, & exultent populi, se hodie in vobis suscepisse cives Apostolorum, & domesticos Dei: portantes pacem, & illuminantes patriam: nobis & aliis vitæ æternæ poscentes præmia, ut de labore & sollicitudine vestræ legationis, immarcescibiles justitiæ manipulos reportetis. Hæc omnia ad Legatum Petrus Blesensis.

VI. Bellorum strepitus, hoc anno, Occidentem nostrum; sed multò immaniùs Orientem turbavit. Sedebat Romæ Urbanus, qui vice Christi, surgentes in Oceano nostro fluctus sedare cum imperio potuit: nam venti Galliæ, & mare obediunt ei. Erat, fuitque semper, Anglorum in Normanniam, Aquitaniam, minorémque Britanniam, & plures in Galliâ provincias, imperium; sudes in Gallorum oculis, & rixarum frequens occasio. Hoc igitur anno de Castro Radulfi contenditur, quod penes Anglos, Henrici filii occupabant. Inde illos exturbare Philippus Gallorum Rex hostili manu nititur. [Itaque post Pentecostem Philippus Rex Franciæ (narrat Rogerus) magno congregato exercitu, obsedit Richardum, & Joannem, filios Regis Angliæ, in Castro Radulfi. Quod Rex Angliæ audiens, venit illuc cum magno exercitu, ad succurrendum filiis suis obsessis. Cui Rex Franciæ cum exercitu suo occurrens, disposuit acies suas ad bellum campestre; sed per Dei misericordiam, & mandatum Summi Pontificis Urbani, necnon per consilium Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Principum utriusque regni, statuerunt inter se treugas per biennium Ita quod Rex Franciæ haberet Issoudum, & Ursinn de Freteval, usque ad terminum treugarum; & sub hac conditione deponentes arma ad propria remearunt. Et post pacem illam Richardus Comes Pictaviæ remansit cum Rege Franciæ, contra voluntatem Patris sui: quem Rex Franciæ in tantum honorabat, quod singulis diebus in unâ mensâ, ad unum catinum manducabant: & in noctibus non separabat eos lectus.] Ita ille. Nimius hic amor, in Henrici Regis exitium brevi cedet: & in Richardum ipsum hæc tandem faba cudetur.

Hoved fol. 634.

Rex Angliæ, et Galliæ præliaturi veniunt ad pacem.

VII. Sequitur miseriarum cumulus, qui Orientem hoc anno inundavit: Cum Saladinus, immensis viribus Christianos aggressus, Palæstinam invasit, multisque occisis, urbes, agros, ipsam denique Jerosolymitanam urbem cepit. describunt hic alii Orientalium gemitus, quos hi effuderunt, ego illos tantùm referam, Christiani ibi Principi Henrico Anglorum Regi per literas & nuntios expresserunt.

Miseriæ Orientis.

Haimrericus Dei gratia, sanctæ & Apostolicæ Sedis Antiochiæ Patriarcha, Henrico, per eandem gratiam Anglorum illustrissimo Regi, dilecto Domino, & amico, in illo regnare per quem Reges regnant.

De miseriis Terræ Sanctæ.

Condignum & inæstimabilem dolorem nostrum pro insperato, & terribili, quod nobis, immò toti Christianitati nuper accidit, infortunio, cum lacrymis & singultibus Excellentia vestra per hunc præsentem denuntiamus. Audiat vobiscum omne seculum dolorem nostrum; ut sciat unde veniat, aut quò tendat noster luctus, & nostra lamentatio. Quarto die mensis Iulii, anno Incarnati verbi millesimo centesimo octogesimo septimo, Saladinus, collectâ hostium peregrinâ multitudine, prælium commisit cum his, qui erant in terrâ Ierusalem Christianis: & fusis eorum copiis; de ipsis pro velle suo triumphavit: Vivificâ Cruce ludibrio Turcarum expositâ; capto Rege, & magistro Templi, Raymundo quoque Principe propriis manibus nefandi Saladini interfecto: & Episcopis cum Templariis, & Hospitalariis, & cum omni ferè multitudine mille ducentorum, & peditum triginta millia, in tuitione Sanctæ Crucis, gladiis jugulatis; exceptâ multitudine copiosâ, quæ postea in Urbibus, quas cepit, est interempta vel captivata. Satiatus denique sanguine Christianorum, Tiberiadem cepit, & munivit: deinde civitatem nobilem Accaron, Cayphas, Cæsaream, Joppen, Nazareth, Sebasten, Neapolim, Lidden, Ramatham, Arsur, Hebron, Bethleem; & tunc demum Sanctam Civitatem Hierusalem, & sepulchrum Domini obsedit: putans quod ipsum sinistatim comminuet: & ejus minutias in profundum maris projiciet. Pro residuis formidolosa nos detinet hæsitatio: ignorantes diem, & horam; in quâ subjiciantur ditioni ejus, & habitatores earum vel captiventur, vel occidantur maximè, cum victualibus, & equitaturis, & armis bellicis, & defensoribus constet esse spoliatos.

VIII. *Pro hac tantâ irâ & indignatione Dei in nos effusâ desuper, panem nostrum cum lacrymis manducamus: & turbamur terrore horribili, nè sepulchrum Dominicum exteris tradatur nationibus: nè pauci qui remansimus in terrâ Christianâ, si tardaverit succursus, urgentibus inimicis, nostras cervices gladiis ferentium supponamus. Et quidem prudentia, & opinione, & divitiis, cæteris Regibus Occidentalibus præeminetis: cujus auxilium semper expectavimus: Precamur, ut Terræ sanctæ, potenti festinanter succurratis auxilio. Et si tardaveritis, sepulchrum Dominicum, cum Antiochiâ nobili civitate, & terrâ sibi adjacente, in opprobrium sempiternum exteris subjacebit nationibus. Mementote laudis & nominis vestri: ut Deus, qui vos sublevavit * in regnum, per vos exaltetur. Et si huic tam digno operi, volueritis manum apponere, ut veniatis; vel optimum nobis mittatis succursum: totius terræ sanctæ liberatio vobis post Deum imputabitur: & nos ipsi, in quantum possumus, lugentes, & cum pectora percutientes ad Deum clamamus, ut ipse donet vobis & velle, & posse idipsum sic perficiendi ad laudem, & gloriam sui nominis: quatenus in hoc mortis articulo, terræ sanctæ, & nobis succurratis. Alioquin nobis, qui variis subjacentes periculis, diutino labori succumbimus, jam necesse erit expirare: & fuso sanguine Christianorum, Dominicum sepulchrum, & Antiochiam nobilem Civitatem, cum terrâ sibi adjacente, in opprobrium sempiternum exteris nationibus subjacere.*

* sublimavit.

Rogamus præterea, ut dilectos fratres, Cabelonensem, & Valeniensem Episcopos, quos pro hoc ipso ad vos mandavimus, commendatos habeatis. Valete.

IX. Præter enumeratas supra civitates, & loca, à Saladino intercepta, capta quoque est hoc anno, quarto Kalendas Octobris, Urbs ipsa sancta Jerusalem; ut Teericus magnus Templariorum Præceptor literis ad Henricum Anglorum Regem datis his verbis significat.

apud Hoveden fol 645.

Charissimo Domino HENRICO Dei gratia, illustri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ, & Aquitanniæ, & Comiti Andegaviæ: Frater TERRICUS quidam Magnus Præceptor Templi Jerusalem; Salutem in eo qui dat salutem Regibus.

DE MISERIIS TERRÆ SANCTÆ.

Sciatis quòd Ierusalem, cum arce David reddita est Saladino. Syrii autem habent custodiam sepulchri usque ad quartum diem post festum S. Michaëlis: & ipse Saladinus in domo hospitalis permisit remanere decem de fratribus hospitalis ad custodiendum infirmos, usque in unum annum. Fratres verò hospitalis de Belliverio optimè resistunt Saracenis adhuc, & duas jam Carvanas Saracenorum expugnaverunt: in quarum alterius captione, omnia arma, & utensilia, & victuaria, quæ erant in castro Fabæ, quod Saraceni destruxerant, viriliter lucrati sunt. Addunt etiam: resistunt Saladino Gragem montis Regalis, & mons Regalis, & Saphet Templi, & Gragchm hospitalis, & Margatum, & Castellum Blancum, & terra Tripolis, & terra Antiochiæ. Capta autem Ierosolyma, Saladinus Crucem de templo Domini deponi fecit: & eam per duos dies per civitatem in oilentum fustigando portari fecit. Deinde fecit templum Domini aquâ rosatâ intus & exterius; sursum & deorsum lavari, & legem suam desuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. A festo verò Sancti Martini, usque ad Circumcisionem Domini obsedit Tyrum, tredecim petrariis, die, noctéq; lapides in eam incessanter jactantibus. In vigiliâ S. Silvestri, Dominus Conradus Marchio, milites & pedites per murum civitatis disposuit: & armatis septemdecim galeis, & decem aliis naviculis, cum auxilio domus Hospitalis, & fratrum templi, adversus galeas Saladini dimicavit: eásque expugnans, undecim ex eis retinuit, & magnum Alexandriæ Admiraldum, cum octo aliis Admiraldis cepit, Saracenorum multitudine interfecta. Reliquiæ verò galeæ Saladini, Christianorum manus evadentes, ad Saladini exercitum confugerunt: quibus præcepto illius ad terram extractis; ipse Saladinus igne apposito in cinerem & favillam fecit redigi: nimióq; dolore commotus, equi sui auriculas, & caudam amputans, equum illum per totum exercitum videntibus omnibus equitavit. Valete.*

* Gregeus.

X. CONRADUS DE EISDEM MISERIIS AD BALDUINUM CANTUARIENSEM.

Eodem argumento, Conradus, filius Marchionis literas scripsit ad Balduinum Cantuariensem Archiepiscopum, in hæc verba.

Turbantur elementa, & Catholicæ fidei derogatur, cùm Sedes Ierosolymitana Apostolicæ Sedi subtrahitur. Periit enim Ierosolyma: & inertia Christianorum à Saracenis vilissime pertractatur. Fœdant namq; Dominicum sepulchrum, destruunt Calvariæ locum, Nativitatem Christi contemnunt, & Beatæ Virginis eradicant sepulchrum. Sedes Constantinopolitana Romanæ Sedi nullam exhibet reverentiam. Antiochena quidem laborare dignoscitur in extremis. Hæc autem omnia Christianorum constat desidiâ contigisse. Lugenda est civitas Ierusalem atque lugubriter lamentanda; quæ suis cultoribus spoliata, qui Christo, per horas dies ac noctis constitutis, Deo cantando, & orando, famulabantur. Nunc proh dolor! Mahometh excelsa voce laudatur, civibus polluta Saracenis. Vestræ igitur Celsitudini preces cum lacrymis porrigo commixtas; quatenus calamitatem terræ Sanctæ misereri dignemini: ut confortetis Reges, commoneatis fideles: ut canibus expulsis à patrimonio JESU CHRISTI misericorditer subveniant, vincula solvant, profanata mundent: ut terra sanctis Christi pedibus calcata, de potestate infidelium potenter liberetur. Accedit etiam ad cumulum iniquitatis, ad opprobrium & desolationem Christianitatis, familiaritas quæ viget inter Saladinum, & Imperatorem Constantinopolitanum; cui idem Saladinus tradidit omnes Ecclesias terræ promissionis; ut in eisdem serviatur secundùm ritum Græcorum. Insuper etiam idem Saladinus misit idolum suum Constantinopolim Imperatoris assensu, ut ibi publicè coleretur: Sed per gratiam Dei captum est in mari à Ianuensibus; & cum ipsa navi perductum est Tyrum. Nuper etiam exercitus constructus est copiosus, ante urbem Antiochiæ: & dictus Imperator promisit centum galeas. Saladinus etiam dedit ei totam terram Promissionis: ita scilicet, ut impediat viam Christianorum, maximè autem Francorum, ad succursum terræ Sanctæ properantium. Nec est aliquis apud Constantinopolim, qui Crucem accipiat; quin statim capiatur, & incarceretur. Hoc autem nobis solatium est, quod nuper frater Saladini, & filius ante Antiochiam capti sunt, & sub salvâ custodiâ deputati.

Ita has literas recitat Baronius.

XI. QUO ANNO LITERÆ PERVENERŨT IN ANGLIAM.

Quos animorum motus hæ literæ in Anglorum Rege, in Cantuariensi Archiepiscopo, ad quos scriptæ sunt; denique in omni Anglorum gente excitarint; opportuniùs dicetur anno sequenti, quo reverà, nec priùs, in Angliam literæ pervenerunt. Interim Henricus Rex à domesticis, ad suppetias Orienti ferendas avocatur. Displicebat illi nimia Richardi filii cum Philippo Francorum Rege, suis provinciis semper imminente, familiaritas, sagaciter prospiciens quò demum illa tenderet. Jubet ergò filium ad Patrem redire: & ille promptus reditum simulat, quò cautiùs Patrem fallat. Sed malo Rogerum loquentem audire. [Propter illum vehementem amorem, qui inter illos esse videbatur, Rex Angliæ nimio stupore arreptus mirabatur quid hoc esset: & præcavens sibi in futurum, misit nuntios suos in Franciam ad revocandum Richardum filium suum: qui simulans se pacificum, & ad Patrem suum venire volentem, transitum fecit per Chinonem, & maximam partem thesaurorum Patris sui, invito Custode, secum asportavit, & castella sua Pictaviæ inde munivit: nec tamen ad Patrem suum venire voluit. Et hoc Dei providentia factum esse creditur: nè Rex Pater simolatâ dilectione filii deciperetur: nec festinaret promovere illum ad regni gubernacula, sicut & alium promoverat, qui eum, ut supra dictum est injustis vexationibus supra modum inquietavit. Sed tandem hoc fit Dei misericordia, quòd Richardus Comes Pictaviæ, spreto pravorum consilio, ad Patrem suum redit: & iterum homo suus devenit, coram multis tam Clericis, quàm Laicis, & super sacrosancta Evangelia juravit ei

Hoveden. fol. 635.

RICHARDUS COMES PICTAVIÆ, RECONCILIATUR PATRI HENRICO.

fidelitatem

fidelitatem contra omnes homines. Quo facto Rex Angliæ profectus est in Britanniam, & obsidione cepit castellum de Muntrelais, quod Hervous de Liuns, & Guimar frater ejus occupaverunt post mortem Gaufredi Comitis Britanniæ.]

XII. Inhibet Urbanus Balowino ne ædificet Ecclesiam Hackingtonam.

Inhibuit Urbanus Papa, & hoc anno scriptis literis mandat Balduino Cantuariensi Archiepiscopo nè porrò pergat Ecclesiam erigere ad Hackingtonam, cujus tamen constructioni superiori (ut dictum est) anno subscripserat. Sed Monachorum Cantuariensium intercessione, nunc ita scripsit: *Dilecti filii, Prior, & conventus Ecclesiæ tibi commissæ, ad nostram præsentiam literas & nuntios destinantes, proposuerunt de Ecclesiâ, quam ædificare cœpisti; sibi & Ecclesiæ dispendium proventurum: & nisi fuerit ab ejus constructione cessatum, præscripta Ecclesia suæ honestatis, & status miserabile suscipiet detrimentum. Nos autem sollicitè providere volentes, nè inter te & fratres tuos materia remaneat jurgiorum (cum non possunt convenienter intendere divinis obsequiis, qui sunt in contentionibus) de consilio Fratrum nostrorum monemus fraternitatem tuam, & districtè præcipimus; quatenus (donec causa cognita statuamus quid de ipsâ fieri debeat) omni occasione, & appellatione postpositâ, ab illius Ecclesiæ constructione desistas; literis aliis non obstantibus, à Sede Apostolica impetratis.* Ita Urbani literas recitat Parisiensis.

XIII. Ex dolore captæ Hierusalem, et Crucis. Hoveden. fol. 636. Urbanus III. moritur: Succedit Gregorius VIII.

Orientis adversa Occidentem nostrum adeò turbaverunt, ut qui ad Ecclesiæ clavum pro Christianis omnibus excubabat Urbanus Papa, tristi nuntio percussus ad clavum ultra sedere desiit, sed petiit animæ suæ, ut moreretur. [Eodem anno (inquit Rogerus) Urbanus Papa, cùm audisset, quod temporibus suis captus esset Rex Hierosolymitanus, & Crux Dominica, & civitas sancta Hierusalem: doluit vehementer: & incidit in ægritudinem, & mortuus est decimo tertio Kalendarum Novembris apud Ferrariam.] Ita ille. Successit Urbano in Romanâ Sede Albertus Cardinalis, ab ingressu in Sedem, dictus Gregorius eo nomine Octavus: Successit etiam in luctum, successit denique post mensem & aliquot dies in tumulum; cum doloris sensum de Cruce perditâ, & Christianorum in Oriente afflictione his literis expressisset, quas è Rogero & Neubrigensi nostris recitat Baronius.

apud Hoveden. fol. 637.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos literæ istæ pervenerint; Salutem & Apostolicam benedictionem.

XIV. De miseriis Terræ Sanctæ.

Auditâ tremendâ severitate judicii, quod super terram Hierusalem divina manus exercuit: tanto sumus nos & fratres nostri horrore confusi, tantisque afflicti doloribus: ut non facilè nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus; nisi quòd Psalmista deplorat & dicit: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, coinquinaverunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: Carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ, & escas volatilibus cæli. Ex occasione quippe dissensionis, quæ malitia hominum, ex suggestione diaboli facta est nuper in terra: accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas; & occurrentibus eis, Rege, & Episcopis, & Templariis, & Hospitalariis, Baronibus & militibus terræ, & Cruce Dominica (per quam ex memoriâ, & fide passionis Christi, qui pependit, & genus humanum redemit, terenus solebat esse tutamen, & contra Paganorum incursus desiderata defensio) factâ congressione inter eos, & superatâ parte nostrorum, capta est Crux Dominica, trucidati Episcopi, captus est Rex: & universi ferè aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi: itaut paucissimi per fugam dicantur elapsi: ipsi quoque Templarii, & Hospitalarii in ejus oculis decollati. Superato autem exercitu; qualiter subsequenter invaserint, & rapuerint universa; itaut non nisi pauca loca remansisse dicantur, quæ in eorum non devenerint potestatem, non credimus nostris literis explicandum. Nos autem licet cum Prophetâ dicere habeamus: Quis det Capiti meo aquam; & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo nocte & die interfectos populi mei? non tamen adeo dejicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus: & credamus Deum ita populo suo iratum, ut quod communium faciente multitudine peccatorum, fieri permisit iratus; non citò per misericordiam pœnitentia placatus alleviet; & post lacrymationem & fletum, exultationem inducat.

XV. Thesaurum Christi aperit omnibus euntibus.

Inde cum pluribus ad pœnitentiæ opera Pontifex fideles esset adhortatus, Ecclesiæ thesaurum, Christi, Deiparæ, Sanctorúmque meritis inexhaustum aperit; & spirituali præmio invitat, ut labore itineris, viarum incommodis, dubioque belli eventu, periculis peccata sua redimant: Quem in finem; *En autem* (inquit) *qui corde contrito, & humiliato spiritu, itinera hujus laborem assumpserint, & in pœnitentiâ peccatorum, & fide rectâ decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam post censur æternam. Sivè autem supervixerint, sivè mortui fuerint, de omnibus peccatis suis de quibus rectam Confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem de Omnipotentis Dei misericordiâ, & Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate, & nostrâ se noverint habituros. Bona quoque ipsorum, ex quo Crucem acceperint, cum suis familiis, sub sanctâ Romana Ecclesia, necnon Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant: & nullam de his, quæ in susceptione quietè possederunt; donec de ipsorum reditu, vel obitu, certissimè cognoscatur, sustineant quæstionem: sed bona eorum integra maneant, & quieta. Ad dandas quoque usuras, si tenentur alicui, non cogantur. Nec eant in vestibus pretiosis, & cum canibus, sive avibus, aut aliis, quæ ostentationi potiùs, & lascivia, quam necessariis videantur usibus deservire. Sed in modesto apparatu, & habitu in quo pœnitentiam potius agere, quam inanem affectare gloriam videantur. Datum Ferrariæ quarto Kalendas Novembris Indictione sextâ.*

Qualiter vult Pontifex eundum in Terram Sanctam.

XVI. Eodem die, eodémque in loco alias per Christianum orbem literas misit, quibus ad quinquennium, certis hebdomadæ diebus, jejunium indixit, ita scribens:

apud Hoveden. f. 639.

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos literæ istæ pervenerint: Salutem & Apostolicam benedictionem.

Indicit Papa jejunium.

Nunquam melius superni Judicis ira placatur; quàm cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria extinguuntur. Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimen, quod irruentibus Saracenis nuper evenit, ex

peccato

peccato maximè habitatorum terræ, & totius populi Christiani accidisse non dubitamus: Nos de Fratrum nostrorum communi consilio, multis Episcopis approbantibus statuimus: Ut omnes usque ad quinquennium, saltem per omnes sextas ferias, in cibo Quadragesimali jejunent: Et Missa ubi cantanda fuerit, ad Nonam cantetur: quod ab adventu Domini, usque ad Natale Domini statuimus observandum. Feriâ verò quartâ, & Sabbato, omnes indifferenter, qui benè valent à carnibus abstineant. Nos autem, & fratres nostri, in secundâ quoque feriâ, nobis, & familiis nostris esum carnis interdicimus: nisi fortè aut infirmitas, aut magna solemnitas, vel alia evidens causa visa fuerit expedire. Sperantes, quod sic nobis ignoscet Dominus, & relinquet post se benedictionem. Hoc igitur adeo statuimus observandum, ut quicumque transgressor extiterit, quasi prævaricator Quadragesimalis jejunii habeatur. Datum Ferrariæ quarto Kalendas Novembris.

XVII. Moritur Gregorius VIII. Cum hæc aliáque pauca scripsisset Gregorius Papa, & vix sesqui mensem in Petri cathedrâ sedisset, morti succubuit, decimo septimo Kalendas Januarii. Cæterùm in literis vivit, quas in Angliam missas, ut Anglorum mentes ad opem Orienti ferendam, accenderent, Rogerus Hovedenus, qui in Henrici Regis Curiâ vivebat, ab interitu vindicatas posteritati transcripsit. Cui, eo nomine, Annalium conditor Baronius gratias habet, refertque. Et quia Gregorii nomen Anglis semper faustum fortunatumque fuit; Gregorii hujus literæ, magnos Anglis animos ad peregrinam expeditionem addidere: ut mox ostendam.

XVIII. Gilbertus Londinensis moritur. Moritur hoc anno Gilbertus Londinensis Episcopus, qui olim Thomæ Martyri adversarius, & Regi nimis obsequens; Regem in pœnitendo secutum esse pium est existimare. Nam à Martyris excessu eomitiouit se, & colere debuit, quem prius fuerat persecutus. [Excessit è vivis (inquit Godwinus) decimo octavo Februarii, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, vir non modò prudentissimus, sed ut illa ferebant tempora, egregiè doctus: quod posteritati testatum reliquit scriptis editis.] Hunc inter illustres Angliæ scriptores non malè refert Joannes Pitsens, qui hoc etiam anno mortuum affirmat: sed quòd velit, Sanctum Bernardum ad eum scripsisse Epistolam vigesimam quartam, assentire non possum: nam Epistola illa Gilberto quidem Londinensi inscribitur, sed constat Bernardum priùs mortuum, quàm hic Gilbertus Londinum transferretur: Bernardus moritur anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio: Gilbertus iste non ante annum millesimum centesimum sexagesimum primum, Londini sedere cœpit. Dic ergò, ad Gilbertum alium, quem supra Universalem appellatum esse docui, dictatam esse Epistolam: quod alia probatione non indiget, quàm ostensione Epigraphes, quæ ita literis præfigitur. *Ad Magistrum Gilbertum Universalem Londinensem Episcopum.* Unde literas illas supra * recitavi.

* v. an. 1135. n. 3.

ANNUS CHRISTI 1188.

CLEMENTIS III. PAPÆ 1.

HENRICI II. REGIS 34.

I. Clemens III. renunciatur Pontifex. Anno Domini millesimo centesimo octogesimo octavo in demortui Gregorii locum Romanus Pontifex renuntiatur Clemens eo nomine tertius. Cardinalis antea, & Prænestinus Episcopus, Paulinus nomine, qui Palæstinæ negotium, non minùs quàm qui præesserant, ursit: & [indulgentiam confirmavit (ita Baronius) statuens, quòd quicumque eâ de causâ sacram Crucem susceperit, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confessus fuerit, auctoritate Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli esset liber & absolutus.] Hoc nuntio Clemens missis in Occidentem nostrum Apostolicæ Sedis Legatis, Principes ad magna aggredienda excitat. Ad Fredericum Imperatorem, Henricus Albanensis Episcopus Cardinalis mittitur; in Gallias Guilielmus Tyri Archiepiscopus, qui egregiè legatione functi, Orienti plurimum profuerunt: & sine dubio Terram sanctam è barbarorum manibus extorsissent, nisi discordiæ pomum inter Principes nostros inimicus humani generis projecisset. nam qui maximè, & potentiâ, & viribus, qui etiam auctoritate & expectatione hominum prodesse potuissent, domesticâ factione distracti; ad sui, terrarúmque suarum defensionem convertuntur, hujus anni exordio: quod ita more suo Rogerus auspicatur. *Baron. hic.* Clemens III. Pontifex excitat omnes in subsidium Terræ Sanctæ.

II. *Hoveden. fol. 641.* Rex Galliæ minatur vastare terras transmarinas Regis Angliæ. [Anno gratiæ millesimo centesimo octogesimo octavo: qui erat annus trigesimus quartus regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis, Idem Rex fuit in Normanniâ apud Cadomum die Natalis Domini: & inde recedens venit ad Barbeflustum. Inde transfretavit in Angliam. Quo audito, Philippus Rex Franciæ magnum congregavit exercitum, jactans impudenter se vastaturum Normanniam, & cæteras terras Regis Angliæ transmarinas: nisi ipse reddiderit ei Gisortium cum pertinentiis suis; vel nisi fecerit Richardum Comitem Pictaviæ, filium suum, accipere sibi in conjugem, Alesiam, sororem suam. Quod cum Regi Angliæ constaret, reversus est in Normanniam: & accepto colloquio inter ipsum, & Regem Franciæ, inter Gisortium & Trie, duodecimo Kalendas Februarii, die Sanctæ Agnetis Virginit & Martyris convenerunt illuc cum Archiepiscopis, & Episcopis, & Comitibus, & Baronibus regnorum suorum.] Commodum adfuit Principum conventu, Guilielmus à Romanâ Sede Legatus, nuper ex Oriente pro Oriente oraturus in Urbem missus. Et ille discordes Regum animos paululùm flexit, effecitque ut iras non in domesticos fidei, sed in barbaras gentes, & Christiani nominis hostes effunderent: quod ita prosequitur Author qui supra.

III. *Idem suprà.* Archiepiscopus Tyri, Reges Gall. et Angl. reconciliat. Colloquio interfuit Archiepiscopus Tyri, qui repletus spiritu sapientiæ & intellectus, mirò modo prædicavit verbum Domini coram Regibus, & Principibus: & convertit corda eorum ad Crucem capiendam. Et qui priùs hostes erant; illo prædicante, & Deo cooperante, facti sunt amici in illâ die: & de manu ejus Crucem receperunt.

Et in

ut velint subvenire Terræ Sanctæ.

Et in eâdem horâ apparuit supra eos signum Crucis in cælo. Quo viso miraculo plures catervatim ruebant, ad susceptionem Crucis. Prædicti verò Reges in susceptione Crucis, ad cognoscendam gentem suam, signum evidens sibi & suis providerunt. Rex namque Franciæ, & gens sua susceperunt Cruces rubeas: & Rex Angliæ cum gente suâ suscepit Cruces albas: & Philippus Comes Flandriæ cum gente suâ suscepit Cruces virides. Et sic unusquisque ad providendum sibi & itineri suo necessario reversus est in regionem suam.] Eadem ferè habet Matthæus Parisiensis: addit solum, qui primus inter omnes Cruce signatos, alios duxerit exemplo suo: & ait: [Inter Triam, & Gisortium, Reges, præsente Philippo Comite Flandrensi, in hoc pariter consenserunt: ut sumpto Crucis signaculo iter Hierosolymitanum socialiter expedirent. Rex igitur Anglorum primò Crucis signaculum suscepit de manibus Archiepiscoporum Remensis, & Willelmi Tyrensis: quorum ultimus à Domino Papa, super negotio Crucis, officium legationis susceperat in partibus Occidentis. Deinde Rex Francorum & Philippus Comes Flandrensis Crucem sumentes, exemplum aliis potissimum præbuerunt. Unde tam de imperio, quàm de utroque regno Regum prædictorum; Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Barones, milites, & mediæ manus homines, vulgúsque promiscuum Crucem animosiùs susceperunt.] Sed missis iis, qui vel de imperio, vel de regno Francorum Cruce signantur, de Anglorum expeditione Baronius è Rogerio ista solùm recitat.

Rex Angliæ cum suis suscipit Cruces albas: Rex Galliæ rubeas. *Paris hic.*

IV. *Hoveden. fol. 641.* Henricus imperat decimam redituũ in subsidium Terræ Sanctæ.

[Henricus igitur Rex Angliæ post Crucis susceptionem venit Cenomanum: ubi consilio suorum ordinavit: quòd unusquisque decimam redituum, & mobilium suorum, in eleemosynam dabit ad subventionem terræ Hierosolymitanæ hoc anno: exceptis armis, & equis, & vestibus militum, & exceptis equis, & libris, & vestibus, & vestimentis, & omnimodâ capellâ clericorum: & lapidibus pretiosis, tam Clericorum, quàm Laicorum: factâ priùs excommunicatione ab Archiepiscopis, Episcopis, Archipresbyteris singulis, in singulis parochiis, super unumquemque, qui decimam prætaxatam legitimè non dederit, sub præsentiâ, & conscientiâ illorum, qui debent interesse. Colligatur autem pecunia ista in singulis parochiis, præsente Presbytero parochiæ, & Archipresbytero, & uno Templario, & uno Hospitalario, & servіente Domini Regis, & Clerico Regis: & serviente Baronis, & Clerico ejus, & Clerico Episcopi. Et si aliquis juxta conscientiam illorum, minus dederit, quàm debuerit; eligentur de parochiâ quatuor, vel sex viri legitimi: qui jurati dicant quantitatem illam, quam ille debuisset dedisse: & tunc oportebit illum superaddere, quod minus dedit. Clerici autem, & milites, qui Crucem acceperint, nihil de decimâ illâ dabunt, sed de proprio suo dominio: & quicquid homines eorum debuerint ad opus illorum, colliget per supradictos, & eis totum reddetur. Episcopi autem per literas suas, in singulis parochiis Episcopatum suorum facient nunciari, in die Natalis, & S. Stephani, & Sancti Joannis, & unusquisque decimam prætaxatam infra Purificationem B. Virginis Mariæ penes se colligat, & sequenti die deinceps illis præsentibus, qui dicti sunt, ad locum, quò vocatus fuerit, unusquisque legitimè persolvat.

Dispositum etiam est, ut nemo enormiter juret. & quòd nullus ludat ad aleas, vel ad decios. Et quòd nullus post proximum Pascha utatur vario colore, vel grisio, vel sabellina, vel escarleta. Et quòd omnes contenti sint duobus ferculis ex empto. Et quòd nullus aliquam mulierem secum ducat in peregrinatione, nisi fortè aliquam lotricem peditem, de quâ nulla habeatur suspicio. Et quòd nullus habeat pannos decisos vel laceratos. Dispositum etiam, quòd quicumque Clericus, vel Laicus, redditus suos, ante susceptionem Crucis invadiaverit, exitus hujus anni integrè habeat: & transito anno, creditor redditus rehabeat: ita quod fructus, quos inde receperit, in solutione debiti computentur: & debitum post susceptionem Crucis, quamdiu debitor erit in peregrinatione, non usuret. Statutum etiam est, quòd omnes Clerici, & Laici, qui in hac peregrinatione proficiscentur, possunt licitè invadiare redditus suos; sive Ecclesiasticos, sive Laicos, sive alios, à Pascha cùm iter arripuerint; usque ad tres annos: ita quòd creditores, quicquid de * creditoribus cōtingat, fructus omnes redditum, quos in vadio habebunt, à prædicto Pascha, usque ad tres annos, integrè percipiant.

V. Ordinata ab Henrico Rege, pro expeditione Terræ sanctæ.

* debitoribus.

VI.

Dispositum quoque est, quòd quicumque in peregrinatione decesserit: pecuniam suam, quam secum in peregrinatione attulerit, ad sustentationem servientium suorum, & ad auxilium terræ Hierosolymitanæ, & ad sustentationem pauperum, dividet juxta consilium discretorum virorum, qui ad hoc constituentur. Hæc omnia supradicta statuta sunt & disposita, ab Henrico Rege Angliæ in præsentiâ Richardi filii ejus, Comitis Pictaviæ, & Willelmi Turonensis Archiepiscopi, & Balduini Cantuariensis Archiepiscopi, & Walteri Rothomagensis Archiepiscopi: & in præsentiâ Joannis Ebroicensis Episcopi, & Radulfi Andegavensis Episcopi, & R. Cenomanensis Episcopi, & M. Nannetensis Episcopi, & in præsentiâ Hugonis de Nunant Cestrensis electi, & Lisardi Sagiensis electi: & in præsentiâ Baronum Andegaviæ, & Cenomaniæ, & Turonorum apud Cenomanum.

Qui erant præsentes huic ordinationi.

VII.

His igitur præordinatis, Rex Angliæ constituit servientes suos Clericos, & Laicos, ad prædictas decimas colligendas, per omnes terras suas transmarinas: & postea transfretavit, & applicuit in Angliâ apud Winchilse Sabbato tertio Kalendarum Februarii. Interim Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus in Angliam veniens ante Regem, consecravit Hugonem de Nunant in Episcopum Coventrensem. Dominus verò Rex statim postquam in Angliam applicuit, magnum congregavit Concilium Episcoporum, Abbatum, Comitum, Baronum, & aliorum multorum tam Clericorum, quàm Laicorum apud Gaintington; ubi in publicâ audientiâ recitari fecit omnia supradicta Capitula, quæ constituerat de Cruce capienda. Quibus recitatis, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, & Gilbertus Roffensis Episcopus Vicarius ejus, mirificè prædicaverunt illo die coram Rege, & Principibus suis verbum Domini, & salutiferæ Crucis mysterium. Ad quorum prædicationem, multi, tam Clerici, quàm Laici Crucem receperunt. Et tunc Dominus Rex misit

Hugo Coventrẽ. Eps consecratur.

Rex convocat Concilium, apud Gaintington.

Recitantur capitula.

MITTUNTUR CLERICI PER SINGULOS COMITATUS AD DECIMAS COLLIGENDAS.

misit servientes suos Clericos & Laicos per singulos Comitatus Angliæ ad decimas colligendas secundùm prædictam præordinationem in terris suis transmarinis constitutam. Sed de singulis urbibus totius Angliæ fecit eligi omnes ditiores, videlicet de Londonia ducentos, & de Eboraco centum: & de aliis urbibus secundùm quantitatem, & numerum eorum: & fecit omnes sibi præsentari, diebus, & locis statutis. De quibus cæpit decimam mobilium suorum, secundùm æstimationem virorum fidelium, qui noverant redditus & mobilia eorum. Si quos autem invenisset rebelles, statim fecit eos incarcerari, & in vinculis teneri, donec ultimum quadrantem persolverent. Similiter fecit de Judæis terræ suæ. Unde inæstimabilem sibi acquisivit pecuniam. Deinde misit Hugonem Dunelmensem Episcopum, & alios Clericos, & Laicos, ad Willelmum Regem Scotorum pro decimis colligendis in terrâ suâ. Quo audito Rex Scotiæ occurrit eis inter Were, & Brigeham, in Loenas: & non permittens eos terram suam pro decimis colligendis intrare, obtulit se daturum Domino suo Regi Angliæ quinque millia marcharum argenti pro supradictis decimis, & pro castellis suis rehabendis. Sed Rex Angliæ facere noluit.]

REBELLES INCARCERAVIT.

QUÆ OBTULIT REX SCOTIÆ.

VIII. Hanc Henrici Regis industriam refert Rogerius, & unà ejusdem Regis responsum literasque, quibus Orientis legationi, literisque inde ad se missis satisfacit, & promptum illis auxilium pollicetur. Literarum ejus Epigraphe est talis.

Venerabilibus in Christo Patribus, & amicis H. & E. Antiochiæ & Hierusalem Patriarchis, & R. Principi Antiochiæ, & universo populo Christiano Orientalis Ecclesiæ: HENRICUS Dei gratia Rex Angliæ, & Dux Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Salutem & consolationem in Christo,

HENRICUS PATRIARCHÆ HIERUSAL. PROMITTIT AUXILIUM.

Quoniam peccatis nostris exigentibus visitavit Dominus temporibus nostris in virga furoris sui, iniquitates nostras, & terram proprio redemptam sanguine, divino permisit judicio manibus pollui perfidorum: ideò dignum est, ut nos & cuncti, qui Christiana religionis sunt, & ejusdem nominis professores, ad desolationem præfatæ terræ studio pietatis convertamur, & auxilium & consilium studeamus totis viribus impertiri. Cum igitur venisset ad nos A. Dei gratia Venerabilis Valeniensis Episcopus, & dolores & calamitates, quibus Orientalis Ecclesia premitur, profusis lacrymis, & profundis suspiriis indicasset: quantò graviora videmus instare pericula; tanto fortiùs ac celeriùs ad maturum subsidium compassio nos accingit. Habentes itaque in eo spem, & fiduciam, qui in se sperantes nullatenus derelinquit; viriliter agite, & confortetur in Domino cor vestrum: quoniam illud Isaiæ vaticinium credimus jam completum. Hierusalem leva in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes isti congregati venerunt tibi. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

IX. *Nunc autem Dominus, qui respicit super filios hominum; ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, sic Christianorum hactenus sopitos ad servitium suum excitavit affectus: ut unusquisque qui Domini est, gladium jam posuerit super femur suum: & beatum se quisque reputat, & fidelem, qui Patrem, & matrem, & omnia relinquit; ut possit Christo, & terræ sanctæ illatas injurias vindicare. Constantes igitur estote, & in promptu videbimus auxilium Domini vobis præparatum. Citius enim quàm credatis: tanta vobis per terram & mare, in auxilium fidelis populi superveniet multitudo; quantam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam quidem Dominus ad terræ vestræ subsidium præparavit. Inter cæteros autem Principes; Ego, & filius meus, rejecta hujus mundi gloria, & spretis voluptatibus universis, omnibusq; quæ mundi sunt postpositis, in propriis personis, totis viribus vos citò auctore Domino visitabimus. Valete.* Ita Regis literas recitat Rogerus, & addit, quæ insignem, & nunquam in Annalibus tacendam Henrici Regis & Anglorum pietatem, ab incepto feliciter opere retraxère: nimirum novos Francorum Regis, in Anglorum Regis terras, impetus, novámque discordiam; quæ nuperis pactis si non extingui, sopiri tamen debuerat, donec Orienti, & Palæstinæ vel succursum, vel parentatum.

X. [Eodem anno (inquit) Philippus Rex Franciæ, magno congregato exercitu intravit Berriam, & cepit castellum Radulfi, quod Burgenses reddiderunt ei: & inde procedenti reddita est ei ferè tota Berria, exceptis Luches, & cæteris dominicis castellis Regis Angliæ. Buchardus verò de Vendemio reddidit se, & terram, & castella sua, Regi Franciæ, & adhæsit ei. Inquirenti igitur Regi Angliæ, cur hæc sibi fierent: nuntiatum est ei; quòd Rex Francorum hæc faciebat in vindictam injuriarum, quas Richardus Comes Pictaviensis sibi, & Comiti de S. Ægidio fecerat. Habito igitur fidelium suorum consilio, Rex Angliæ misit Balduinum Cantuariensem Archiepiscopum, & Hugonem Lincolniensem Episcopum ad Regem Franciæ, ut saltem iram & indignationem, quas in animo adversus eum conceperat, verbis & exhortationibus mitigarent. Quod cum fieri non posset, Rex Angliæ transfretavit de Angliâ in Normanniam, & applicuit apud Barbeflet quinto Idus Julii: & inde veniens in Alenzun congregavit exercitum magnum de Normanniâ, & cæteris terris suis. Multi autem Wallenses conducti secuti sunt eum in Normanniam. Interim Richardus Comes Pictaviensis, magno congregato exercitu, profectus est in Berriam. Cujus adventu audito, Philippus Rex Francorum tradidit Willielmo de Barres castrum Rodulfi custodiendum, & ipse reversus est in Franciam. Comes verò Richardus terras Comitum, & Baronum, qui adhæserant Regi Franciæ, destruxit: & multos illorum cepit. Rex autem Franciæ propter adventum Regis Angliæ à Francia recedere non est ausus: sed permisit exercitus suos devastare terras Regis Angliæ. Philippus verò Belluacensis Episcopus intravit Normanniam cum exercitu suo, & combussit villam Blangi Comitis de Auco, & Albe-marliam castellum Comitis Willielmi de Mandeville, & provinciam circumjacentem deprædavit: & ipse Rex Franciæ combussit villam de Trou, & castellum totum: nec tamen illud capere potuit. sed quadraginta de militibus Regis Angliæ cepit. Et contra Richardus Comes Pictaviensis cepit munitissimum locum,

BELLA INTER PHILIPPUM GALLIÆ ET HENRICUM ANGLIÆ.

VARIA DAMNA UTRIMQUE ILLATA, OPPIDA CAPTA.

qui vocatur de Roches, ultra Trou versus Vendocinum, & cepit in illo loco viginti quinque milites, & sexaginta servientes.]

XI. Iræ Regum nocurrunt Terræ S.

Hæ Regum iræ, si in Orientem versæ, in Saladinum, in Saracenos, & infideles exarsissent: nae Anglis, Francisque, & omni Christianæ Reipublicæ in gloriæ cumulum, decusque cessissent. Nunc, quis non videt, & quos non pudere deberet, discordiæ incentores? factioni pessimæ, maloque genio, & humani generis fideique hosti militant. Unde hic rectè objici potest: Væ homini illi per quem scandalum venit. Nec hic jurgiorum finis: Sequuntur urbium incendia, agrorum vastationes: nec uno alterove colloquio, componi potuit controversia. narrat hæc author qui supra, sed pudet exscribere: quia licet triste sit & Christianis auribus ingratum, audire infideles ad Orientes in Christianos pugnare, eorum Urbes, immò Christi Domini sacra pessundare: magis tamen luctuosum est Christianos ad Occidentem, in Christianos surgere: & eorum discordia, *Orientalium barbarorum castra promovere. Accessit miseriarum cumulo Scotorum improbitas. Ibi Hugo Episcopus S. Andreæ ad Romanam Curiam vocatus, cùm venire renuisset, à Clemente Papa exauctoratus deponitur: substituto in ejus locum Joanne, quem supra Dunkeldensem Sedem intrasse diximus, cum S. Andreæ Sedes, ad quam Canonicè electus fuerat, ei negaretur. Apparuit in hac lite Romani Pontificis industria simul & in jure dicendo constantia: qui scriptis pro Joanne ad Scotiæ Episcopos literis, aliisque ad Guilielmum Scotorum Regem, quò certiùs Romanæ Curiæ sententia, locum effectùmque sortiretur, ad Henricum Anglorum literas mittit; oratque pro imperio quod in Scotos habebat, Joannem ejus opera, in S. Andreæ Sedem reponi. Literarum series est hujusmodi.

Hugo Episcopus S. Andreæ exauctoratur.

apud Hoveden f. 647

Clemens Episcopus Servus servorum Dei, Henrico illustri Anglorum Regi: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

XII. Ut inducat Regem Scotiæ ad Joannem in Episcopum S. Andreæ admittendum.

Cum ab Apostolicâ Sede preces suscepit Regalis Excellentia, auctoritas, & potestas: quas Ecclesiis in suo statu servandis, & multorum saluti expedit effectui mancipare: diligenter eas debet Regia sublimitas exaudire: & tantò fortiùs & ferventiùs intendere, ut effectum consequantur optatum: quantò certiùs fuerit quod earum devota susceptio, & diligens executio Regalem gloriam respicit pariter & salutem. Hinc est quòd Serenitati Regiæ pro venerabili fratre nostro Ioanne, Episcopo S. Andreæ literas Apostolicas, & preces duximus cum fiducià destinandas; altitudinem Regalis eminentiæ, quanta possumus affectione rogantes, monentes, atque in remissionem peccatorum omnium injungentes: quatenus pro reverentià B. Petri, & nostra, & persecutionis ejus obtentu, quam certum est ipsum longo jam tempore pertulisse, charissimum in Christo Wilhelmum filium nostrum illustrem Regem Scottorum moneas attentiùs, & inducas; & si necesse fuerit districtione Regali, qua es praeminens, & concessa tua Regia celsitudini potestate compellas: ut totius indignationis suæ rancorem, quam erga Episcopum concepit, quorum malitia susurrorum, Regiam dignitatem, & salubria opera pietatis attendens, ei qualibet occasione remota remittat: & diœcesin Sancti Andreæ; quam de communi fratrum consilio, & assensu, Summus Pontifex sibi perpetuò confirmavit, de cætero ipsum quietè permittas, & absque calumnià possidere: Cum & ipse paratus existat Regiæ majestati, prout fuerit consentaneum rationi, existere in omnibus obediens, & fidelis. Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii, Indictione sexta.

XIII.

Scripsit insuper idem Clemens, mandátque Jocelino Glascuensi, & Matthæo Aberdensi, & Richardo Moresensi Episcopis, ut adito Scotorum Rege, moneant, Apostolicis præceptis aurem animúmque ita applicare; ut pacem Ecclesiæ, & Joannes Sedem quietè possideant. *Quod si monitis Apostolicis* (inquit Clemens) *in propriæ salutis periculum, quod absit, duxerit resistendum: in regnum suæ Celsitudinis, & personam suam, & omnes fautores regios nuntietis interdicti sententiam, infra viginti dies, sine appellationis obstaculo, auctoritate à vobis promulgandam. Illos insuper qui Hugoni obedientes extiterunt, & ei fomentum in suá obstinatione dederunt, postquam eum Sedes Apostolica à diœcesi S. Andreæ removit perpetuò, & excommunicationis sententiam in ipsum promulgavit: simili sententia percellatis: & publicè nuntiantes excommunicationi subesse, tam diu faciatis, & ab aliis arctiùs evitari; donec ad mandatum Ecclesiæ revertantur, absolutionis beneficium ab eodem Episcopo potituri. Adhac altaribus, & calicibus, in quibus jam dictus Hugo, dum in excommunicatione positus celebravit, purificationem & sanctificationem juxta Ecclesiæ consuetudinem conferatis.* Hac fractus comminatione, Guilielmus Scotorum Rex, pacem Joanni Episcopo dedit, omniaque eidem reddidit, ea lege, ut ipse Dunkeldensi Ecclesia contentus, Sede Sancti Andreæ cederet; quod factum. Hugo depositus Romam proficisci cogitur, ubi data cautione standi judicio Romanæ Ecclesiæ, absolutus, litigandi finem, & vivendi fecit. hoc nimirum anno, cùm Romæ magna mortalitas esset.

apud Hoved fol. 648

Minatur Clemens Guilielmo Scotiæ excommunicationem.

XIV. Gilbertus Gilbertinorum fundator moritur.

Sanctiùs moritur in Angliâ Gilbertus, Gilbertini ordinis fundator, quem suprà à sanctitate, & ferventi in Deum & proximos charitate laudavimus. de cujus obitu, ita Rogerus: [Eodem anno Magister Joannes Gilbertus de Sempringham, primus inventor & Pastor illius ordinis, qui dicitur Sempringham obiit, in Ecclesiâ suâ de Sempringham inter velatas sepultus est.] Ita ille ad hunc annum: nec admodum abit à tempore, qui Gilberti mortem ad sequentem annum refert, & quartum diem Februarii; quia non nisi sub Martii finem Authores aliquando novum annum ordiuntur. quem si a Kalendis Januarii inchoaveris, numerabis mortis ejus annum sequentem: ita Gilberti vita apud Capgravium, ubi ita legitur. [Anno Domini millesimo centesimo octogesimo nono, & vitæ suæ centesimo sexto: Sanctus Dei servus Gilbertus, operibus bonis, & exemplis plenus, cælestia penetrans pridie nonas Februarii, in monasterio Sempringamiæ ab eo fundato cum honore sepelitur. Canonizatus est autem, & in Sanctorum Catalogo ascriptus à Papa Innocentio, anno Domini millesimo ducentesimo secundo, & eodem anno corpus ejus, de terra translatum in scrinio reponitur.] Cæterùm quod tam citò Roma, Sanctum dixerit, & publicis tabulis colendum censuerit, miracula effecerunt, studiosæque virtutes, quibus vivens claruit. Unde sequitur in ejus vitâ: [In nocte

Hoveden. fol. 649.

apud Capgr. in Gilberto.

Canonizatus ab Innocentio.

Idem suprà.

GLOBUS IGNEUS VISUS IN EIUS MORTE.

diem obitus sui præcedente, viderunt multi globum igneum immensum, & quasi candelas multas simul accensas, tertio de cœlo descendere, & rursum ascendere supra tectum basilicæ contra sepulchrum ejus. & tertiò quasi culmen Ecclesiæ penetrare, & intro cadere videbantur. Die verò quo sæculum reliquit, circiter viros religiosos septingentos, & sorores religiosas mille quingentas Deo famulantes reliquit.] Ejus nomen Sanctis ascriptum, & nostro, & Romano Martyrologio legitur. Harpesfeldus etiam plurima ejus acta recenset, sæculo duodecimo, capite 37. ubi annus mortis, ut etiam in nostro Martyrologio ponitur millesimus centesimus nonagesimus.

Mart. Rom. & Anglica. 4 Febr.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 37.

XV.

Iterum de pace, Anglum inter & Gallum, hoc anno, sed inaniter tractatum: Philippo, Richardum Pictaviæ Comitem, vel ad suas partes trahente, vel illum à Patre separante; utrumvis enim futurum erat causæ suæ firmamentum. De hoc tractatu, ita Rogerus: [Eodem anno Rex Angliæ & Rex Franciæ habuerunt colloquium inter Bonimoltus & Suleinni, decimo quarto Kalendas Septembris, feriâ sextâ. In quo colloquio Rex Franciæ obtulit Regi Angliæ quicquid ceperat de eo per guerram, tali conditione, quòd tradidisset Alais (Alesiam alii vocant) sororem suam Comiti Richardo filio suo in uxorem: & permisisset ipsi Richardo hæredi suo fieri homagia & fidelitates ab hominibus terrarum suarum. Sed Rex Angliæ non immemor injuriarum; quas Rex filius suus ei fecerat pro simili exaltatione: respondit se hoc nullatenus facturum. Unde Comes Richardus plurimùm indignatus, sine consilio, & voluntate Patris sui devenit homo Regis Franciæ de omnibus tenementis Patris sui transmarinis: & fidelitatem juravit ei contra omnes homines: & adhæsit ei. Et Rex Franciæ reddidit ei pro homagio, & fidelitate suâ, castrum Radulfi, & Ilondum cum toto honore.] Hoc novum odii iramque seminarium fuit; & iterum filius in Parentem, multò quàm antea constantiùs armatur. Postulatum est etiam in eo congressu, ut in Palæstinam profecturis Joannes etiam Henrici filius adderetur: ne quod olim Roberto primi Guilielmi filio natu maximo contigit Hierosolymam profecto, denuò in exemplum cederet, & frater major, minori serviret. Et quia Henricus Pater intercessit, noluitque utrumque filium pergere, Joanni regnum optare videbatur: quod Richardum in Parentem magis accendit. nec potuit Apostolicæ Sedis Legatus nequam impetum frangere. Unde Rogerus ita scripsit: [Henricus verò Albanensis Episcopus Cardinalis, quem Dominus Papa miserat ad litem dirimendam inter præfatos Reges, anathematizavit Comitem Richardum, eò quòd ipse pacem illam disturbaverat: & reversus est in Flandriam, & obiit apud Araz.] Successit in ejus locum à Clemente missus Joannes Anagninus Cardinalis, qui indicto Regibus iterum colloquio pacem studuit inter eos componere.

Hoveden. fol. 649.

RICHARDUS FILIUS HENRICI FACIT SE HOMINEM REGIS GALLIÆ.

Idem suprà.

XVI.

Legatum hunc ab Henrico Rege stetisse, & pro illo arbitratum esse, ac censuisse Gallum, componendo fœderi impedimentum objecisse, satis innuunt perversi refragantium impetus, & verba quæ habet Parisiensis: [Hoc colloquio (inquit ille) Cardinalis memoratus constanter asserebat: quod nisi Rex Franciæ, & Comes Richardus, cum Rege Anglorum ad plenum componerent; omnes terras eorundem sub interdicto concluderet. Cui Rex Francorum respondit, se ipsius sententiam nullatenus formidare: cum nulla æquitate fulciretur. Addidit etiam ad Ecclesiam Romanam minimè pertinere in Regem aliquem maximè Francorum, per sententiam animadvertere: si Rex idem, in homines suos demeritos, & indomitos, & regno suo rebelles, ulciscendi causâ insurgere disposuerit. Adjunxit insuper, quòd Cardinalis prænominatus, jam desiderabiles esterlingos Regis Angliæ olfecerat: quorum odore attractus, ipsi plùs æquo (Romanorum more) extitit favorabilis. Unde ipsum Judicem suspectum habebat. Comes etiam Richardus vix se continuit, vixque magnatum manibus retractus est, quin extracto gladio, in ipsum Cardinalem furibundus irruisset. Unde Cardinalis retrocedens latuit tremulus, & verba continuit ampullosa. Archiepiscopi verò, aliique Magnates, impetum Comitis refrænantes; asseruerunt Cardinalem de negotio Crucis, & Christianitatis honore sollicitare.] Quod nimirum Crucis negotium, honoremque Christianitatis Gallorum Rex, & Richardus Comes, omne judicium declinantes, convellere hac vice videbantur: licet postea summa rerum posito, & Henrico Parente mortuo, sanctiore impetu promovere conati sint. Cæterùm cogitanti mihi cur Richardus iste communiter audiat Cuer de Lion: *Cor Leonis*: non apparet potior ratio unde cognomen illud sortitus sit, quàm ex hoc congressu ubi Leonem se magis, quàm humanum, in tanto magnorum virorum consessu, præ se tulit.

Paris. hic.

CARDINALIS LEGATUS VIDETUR STARE AB HENRICO: PHILIPPUS GALLIÆ NON ADMITTIT ILLUM JUDICEM.

UNDE DICTUS RICHARDUS COR LEONIS.

XVII.

RICHARDUS DECLARARI VOLUIT PATRIS HÆRES.

Porrò cum summa quæstionis, in eo cardine verteretur, quod hæres paterni regni, terrarúmque omnium Richardus haberi & declarari cupiebat, & Parenti mortuo succedere. consciúsque se pessimè de illo sæpè meritum; verebatur nè Joannes natu minor, sed in Henrici Regis pectore, & amore major, principatum obtineret. Ideo pro pacis compendio visum est, Henrico Regi persuadere controversiæ nodum dissolvere, & Richardum sine ambage hæredem dicere. Quod ita Parisiensis effert. [Datum est igitur Regi Angliæ consilium; ut petitionibus filii sui præberet assensum. Dignum enim esse, Consiliarii sui dicebant: ut filio suo, & hæredi legitimo, militique tam strenuo, aliquam securitatem faceret gaudenter de hæreditare sua habenda; si ipsi, Deo ordinante, supervixisset. Quibus respondit Rex incontinenti, se nullatenus hoc in tali statu facturum: quiâ id coactus potiùs, quàm spontaneus fecisse videretur. Comes igitur Richardus commotus vehementer, cum talia cognovisset; videntibus cunctis fecit homagium Regi Francorum de toto tenemento Patris sui, quod ad regnum Franciæ pertinebat: salvo Patri tenemento, quamdiu viveret: & salva fide, quam Patri debebat. Sicque soluto colloquio, Reges, & tota recessit multitudo.] Refert hæc omnia Parisiensis ad annum Domini millesimum centesimum octogesimum octavum, Rogerus ad sequentem, quod probabilius est. Ibi igitur illa prosequemur, Henrico Regi parentantes; qui cum regna, terrásque ac provincias suo imperio subjugasset; seipsum tamen vincere, & filiorum sibi adversantium iras concoquerere nequaquam potuit.

Paris. hic.

Cum

XVIII. Cum Scotorum Ecclesia omnis Britannorum primò, inde Saxonum, ac demum Anglorum Ecclesiæ subdita de jure, & more fuerit, hoc primum anno, Guilielmi Scotorum Regis intercessione, emancipata legitur in Clementis Epistolâ, quàm Rogerus recitat, ita præfatus. [Eodem anno Willielmus Rex Scottorum, misit nuntios suos ad Clementem Summum Pontificem, & ab eo literas protectionis suæ obtinuit in hac formâ:]

Hoveden. fol. 651.

CLEMENS Episcopus, Servus servorum Dei, Charissimo in Christo filio WILLIELMO, illustri Scotorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

EXIMIT EPISCOPOS SCOTIÆ AB EBORACENSI ECCLESIA.

CUm universi Christi jugo subjecti, ad Sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant, & favorem: illos tamen specialiùs convenit munimine protectionis confoveri: quorum fidem ac devotionem in pluribus est experta: vel ad ipsius electionis favorem tantò ampliùs provocetur: & ejus reverentia, devotiori affectione subdantur; quantò benevolentia ipsius & gratia pignus se noverint certiùs assecutos. Ea propter (charissime in Christo fili) reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam te habuisse, à longè retro temporibus, Ecclesiam novimus, attendentes i præsentis scripti pagina duximus statuendum: Ut Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante, debeat subjacere. In qua hæ Sedes Episcopales esse noscuntur, Ecclesia videlicet S. Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brechinensis, Abendonensis, Moraviensis, Rosensensis, Katinensis. Et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius Latere destinato, in regnum Scotiæ, interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare: & si promulgata fuerit, decernimus non valere.

XIX. *Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit; nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversia, quæ fuerint de regno illo de possessionibus ejus exorta, ad examen extra regnum positorum judicium non trahantur; nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua verò scripta, contra hujus libertatis statuta apparuerint impetrata; vel imposterum, istius concessionis mentione non habitâ, contigerit impetrari: nullum tibi vel ipsi regno, circa * hujus prærogativæ concessionem, præjudicium generetur. Præterea libertates & immunitates tibi, vel eidem regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus observatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergò hominum liceat paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateram tertio Idus Martii, Pontificatus nostri anno primo.* Ita Clemens, Scotorum Ecclesiam Eboracensi hactenus subditam, Romanæ Ecclesiæ, nulla alia mediante subjecit, vocavitque specialem Romanæ Ecclesiæ filiam. nunc desiit talis esse, quod dolendum est, cum Ecclesiæ non subdita, varios errores & hæreses fovet.

* *citra* fortè.

SUBJECIT ECCLESIAM SCOTIÆ RO. PONTIFICI.

XX. Ad hunc annum referri debet, vel fortè ad superiorem, Balduini Cantuariensis in Cambriam profectio, ut strenuum ibi populum, ad Crucis signum & Hierosolymitani itineris labores suscipiendum excitaret. Comitatus est Præsulem Silvester Giraldus Cambrensis, qui peregrinationem omnem accuratè descripsit, eamque ita exorditur. [Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo octavo, Apostolatus apice regente Urbano (rectiùs Clemente) tertio Imperante Romæ Alemannorum Rege Friderico, Constantinópoli Isacio, Regnante in Franciâ Philippo Ludovici filio, in Angliâ Henrico secundo, in Siciliâ verò Willielmo! In Hungariâ, Bela, in Palæstinâ Guidone, Anno scilicet quo Saladinus, tam Ægyptiorum, quàm Damascenorum Princeps: occulto Dei judicio, sed nunquam injusto publico belli certamine victoria potitus, Hierosolymorum regnum obtinuit, vir Venerabilis, & tam literaturâ, quàm religione conspicuus, Cantuariorum Archipræsul Balduinus, in salutiferæ Crucis obsequium ex Angliâ in Walliam tendens, apud Herefordiæ fines Cambriam intravit.] Inde narrat auctor quæ loca peragraverit, ut plures ad sacrum bellum accenderit: ut demum ipse in Palæstinam profectus, quæ aliis persuaserat, religione, constantiáque perfecerit. Sed hoc posteriùs.

Giraldus in Itinerario. l. 1. c. 1.

BALDUINUS CANTUARIENS. ARCHIEPISCOPUS IVIT IN WALLIAM UT EXCITARET AD TERRAM SANCTAM.

Fundatur hoc anno Prioratus ad Carthmel in Brigantibus, & agro Lancastrensi, ita Catalogus ædium destructarum. Porrò locus ille ante aliquot sæcula, Cuthberto Sancto Regiâ liberalitate concessus, inter Lindisfarnensis, deinde Dunelmensis Ecclesiæ bona numeratus est, ut dixi ad annum Domini sexcentesimum octogesimum quintum. Jam verò in Guilielmi Marescalli senioris manus cum descendisset, ipse eundem locum sacrâ æde, inductisque religiosæ vitæ cultoribus illustravit: de quo hæc habet Camdenus: [Egfridus Nordanhumbrorum Rex, Cuthberto illi sancto terram, quæ vocatur Carthmel, & omnes Britannos in eâ (sic enim in ejus vitâ legitur) elargitus est. Carthmel enim partem Lancastrensis agri esse ad Kentsand, notissimum est, idemque nomen oppidulum in ea etiamnum servat, in quo Guilielmus Marescallus senior Prioratum extruxit, & dotavit.]

XXI. PRIORATUS AD CARTHMEL FUNDATUS.

v. an. 685. n. 5.

Camden in Lancash.

ANNUS CHRISTI 1189.

CLEMENTIS III. PAPÆ 2.

HENRICI II. REGIS 35.

I. ANnus Domini millesimus centesimus octogesimus nonus feliciter satis, & serenus cœpit illucescere: sed nubes tandem cælum obscurarunt. Serenitatem Roma promiserat, misso in Angliam Apostolicæ Sedis Legato, qui Reges inter se discordes ad pacem quà prece, quà imperio cogeret, ut supra dicere cœperam. Sed quia Rogerus ad hunc annum Legationem illam remittit, hic illum exscribo. [Venit ergò (inquit) Joannes Anagninus Cardinalis ad prædictos Reges (Angliæ nimirum, & Galliæ) ex parte Domini Papæ: & illos nunc blandis, nunc asperis, ad pacem faciendam exhortatus est. Ad cujus instantiam præfati Reges, divinâ inspirante gratiâ, cautionem dederunt standi judicio illius, &

Hoveden. fol. 652.

ANAGNINUS CARDINALIS LEGATUS.

Rhemensis, & Bituricensis, & Rothomagensis, & Cantuariensis Archiepiscoporum: & statuerunt sibi diem colloquii, juxta Feritatem Bernardi (ita locus nominatur) in octavis Pentecostes. Et prænotatus Cardinalis, & prædicti quatuor Archiepiscopi statim protulerunt sententiam excommunicationis in omnes tam Clericos, quàm Laicos, per quos staret, quò minùs pax fieret inter prædictos Reges, exceptis personis eorumdem Regum tantummodò.]

II. In Gallias ergò Balduinus Cantuariensis, & qui in Angliâ erant, sub hujus anni exordium proficisci debuerunt. nam Regem Henricum in Galliis hæsisse constat. Ita enim auctor supra hunc

Idem suprà. annum de more exorditur. [Anno gratiæ millesimo centesimo octogesimo nono, qui erat annus tricesimus quintus, & ultimus regni Regis

COLLOQUIO DUORUM REGUM. Henrici, filii Mathildis Imperatricis: Idem Henricus fuit die Natalis Domini, qui die Dominica evenit in Andegaviâ apud Saumur, & solenne festum ibi tenuit. licet complures de Comitibus, & Baronibus suis, eo relicto, adhæsissent Regi Franciæ, & Comiti Richardo contra eum.] Hæc Comitum & Baronum derelictio, & adhæsio Regi non suo, Henriciani regni declinatio fuit: coegitque Regem ad quascumque pacis leges descendere. nam [Adveniente die colloquii (sunt verba Rogerii) Rex Franciæ, & Rex Angliæ, & Comes Richardus, & Joannes Anagninus Cardinalis, & præfati quatuor Archiepiscopi electi, & Comites, & Barones utriusque regni convenerunt juxta Feritatem Bernardi ad colloquium.

QUÆ REX GALLIÆ PETIIT. In quo colloquio Rex Franciæ petiit à Rege Angliæ Alesiam sororem suam, donari in uxorem Richardo Comiti Pictaviæ; & ut fidelitates terrarum suarum eidem Richardo fierent: & ut Joannes frater suus, acceptâ Cruce, Hierosolymam iret. Cui Rex Angliæ respondit hæc se nunquam esse facturum; & obtulit Regi Franciæ: quod si ipse consentire vellet, daret Joanni filio suo præfatam Alesiam, cum omnibus supradictis pleniùs & perfectiùs, quàm petebat. Sed Rex Franciæ hoc concedere noluit: & sic finito colloquio discordes ab invicem recesserunt.]

III. Sequuta est congressum hunc agrorum vastatio, Gallo passim in Anglum prævalente. Unde Henricus in arcto positus, cum castra plurima, & urbes, quà vi, quà suorum incuriâ, & proditione perdidisset: ad pacem qualem qualem coa-

Hoveden. fol. 653. ctus est, in hunc modum. [Convenerunt (inquit Rogerus) prædicti Rex Franciæ, & Rex Angliæ, & Richardus Comes Pictaviæ, cum Archiepiscopis, & Episcopis, Comitibus, & Baronibus suis circa festum Apostolorum Petri, & Pauli, ad colloquium inter Turonim, & Arasie:

QUÆ OBTINUIT. ubi Rex Angliæ posuit se ex toto, in consilio, & voluntate Regis Franciæ. Tunc verò Rex Angliæ iterum fecit homagium Regi Franciæ; quia ipse in principio istius guerræ, quietum clamaverat Regi Franciæ Dominum suum: Et Rex Franciæ quietum clamaverat ei homagium suum. Tunc provisum est à Rege Franciæ, quòd Alesia soror ejus, quam Rex Angliæ in custodiâ habuit, reddita esset, & tradita in custodiam unius de quinque, quos Comes Richardus elegerit. Deinde providit Rex Franciæ: quod per Sacramentum hominum terræ assecuratum esset. quòd prædicta soror sua tradita sit Comiti Richardo, in reversione suâ de Jerusalem. & quòd Comes Richardus haberet fidelitates hominum de terris patris sui, citra mare, & ultra. Et nullus Baronum vel miles, qui in hac guerrâ, à Rege Angliæ recesserit, & ad Comitem Richardum venerit, de cætero redibit ad Regem Angliæ, nisi in ultimo mense ante motionem suam versus Jerusalem. Et terminus motionis erat in media Quadragesima. Ita quod prædicti Reges, & Richardus Comes Pictaviæ erunt apud illum terminum, apud Witeliacum: & omnes burgenses, de dominicis villis Regis Angliæ erunt quieti in totâ terrâ Regis Franciæ, per rectas consuetudines suas, & non implacitabuntur de ulla re, nisi foris fecerint in felonia.

Et Rex Angliæ dabit Regi Franciæ viginti millia marcarum argenti, & omnes Barones Regis IV.
Angliæ jurabunt, quòd si Rex Angliæ noluerit has conventiones tenere; quòd ipsi tenebunt cum Rege Franciæ, & Comite Richardo, & eos adjuvabunt pro posse suo, contra Regem Angliæ. FULMINIS ICTUS CECIDIT INTER REGES, DUM CONFERRENT DE PACE.
Et Rex Franciæ, & Comes Richardus tenebunt in manu suâ civitatem Cenomanis, & civitatem Toronis, & castellum Ligdi, & castellum de Trou. vel si Rex Angliæ maluerit, Rex Franciæ, & Comes Richardus tenebunt castellum de Gisortio, & castellum de Pasci, & castellum de Nuvacourt, tamdiu donec omnia fiant, quæ divisa sunt superiùs per Regem Franciæ. Et dum prædicti Reges, ore ad os loquerentur; intonuit super eos Dominus, & ictus fulmineus cecidit inter eos: sed nullam intulit eis læsionem. At plurimum perterriti, ab invicem separati sunt: & omnes qui aderant multum mirati sunt: quòd tam subitus auditus est tonitrus, cum nulla nubium præcessisset obscuritas. Iterum parvo facto intervallo convenerunt Reges simul locuturi, & iterum auditus est tonitrus major, & terribilior priore; die permanente in pristinâ serenitate. Unde Rex Angliæ plurimum conturbatus in terram corruisset ab eo in quo sedebat, nisi manibus circumstantium sustentatus fuisset.] Hæc auctor.

Henricus itaque ruinæ proximus, è cælo monetur sibi rebusque suis consulere. & qui supre- V.
mum felicitatis culmen, tot victoriis clarus, tot auctus provinciis ascenderat, nunc descendere, & dicti, factique rationem reddere cælesti voce jubetur. Pace quidem nunc inita, vitam sigillare videbitur, sed pacis tormento necabitur. Tormentum voco illam pacis clausulam; quâ exhiberi sibi petiit eorum nomina, qui cum Richardo filio, in ipsum conspiraverant nihil suspicatus filiorum alterum, quem tenerrimè dilexerat, inter rebelles nominandum. Quem ut vidit, legitque imprimis nominatum, non ultra se continuit, nec voluit porrò vivere, cum vitam, quam filiis dederat, omnes ejus filii sibi inviderent.
Dicat hoc qui vidisse potuit Rogerus: [Pacem *Hoveden. fol. 654.*
(inquit) Henricus suprascriptam concessit postulans, ut nomina eorum omnium, qui illo relicto, adhæserunt Regi Franciæ, & Comiti Richardo, scripto commendarentur, & sibi traderentur. HENRICUS LEGENS JOANNEM FILIUM INTER CONSPIRATORES, INCIDIT IN MORBUM.
Quod cùm factum fuisset, invenit Joannem filium suum scriptum, in principio scripti illius: & admirans supra modum, venit ad Chinonem: & tactus dolore intrinsecùs maledixit diei in quâ natus fuit: & maledictionem Dei, & suam dedit filiis suis; quam nunquam voluit relaxare; licet

Episcopi, & cæteri viri religiosi, eum ad relaxationem maledictionis suæ sæpius commovissent. Qui cum ægrotasset usque ad mortem; fecit se deferri in Ecclesiam ante altare: & ibi communionem corporis, & sanguinis Domini devotè suscepit, confitens peccata sua: & ab Episcopis, & Clero absolutus, obiit anno trigesimo quinto regni sui, in octavis Apostolorum Petri & Pauli, feria quinta.] Regnaverat enim triginta quatuor annos, & menses septem, & dies quatuor.

Moritur Henricus.

VI. Sancitæ inter Reges paci triduo tantùm superstes fuit, si Parisiensem audimus: unde doloris ejus magnitudo pensatur. & exponi potest oraculum, quod paulò ante Regulari viro intimatum est, quod ita refertur. [Quidam monachus ordinis Cisterciensis, vir quidem religiosus, & timens Deum, vidit Visionem hujusmodi super Henricum Regem Angliæ. Apparuit siquidem dormienti illi vir quidam miræ magnitudinis, decorus facie, vestibus albis indutus, & ait illi: Vide, lege hæc de Rege. Levavi signum meum super eum: venter uxoris suæ intumescet contra eum, & in tormento tormentum parietur; & inter velatas velabitur.] Filii nimirùm ejus, olim Henricus, & Gaufredus: nunc Richardus, & Joannes tormenta sunt ad mortem usque Patrem torquentia. Quod de velatis dicebatur, Henrici sepulturam notat, qui in sacrarum Virginum Ecclesiâ sepultus est. de quo Rogerus: [Sepelierunt eum (inquit) more Regio. In crastino autem obitus illius, cùm portaretur ad sepeliendum in Ecclesiâ Sanctimonialium Fontis Ebrandi*, Comes Richardus filius suus & heres venit ei obviam, & misertus illius flevit amarè. Sanguis autem continuò fluebat de naribus Regis, superveniente filio. Filius verò processit cum corpore Patris sui usque ad Abbatiam Fontis Ebrardi: & ibi eum sepelivit in choro Sanctimonialium: & sic ipse inter velatas velabatur.] Hæc ille.

Hoveden fol. 650.

Visio de Henrico facta Monacho.

Hoveden. fol. 654.

* *Ebraldi.*

VII Eadem habet Parisiensis, sed paulò distinctiùs morem illum Regium explicat. de quo supra Rogerus: ait ergò: [In crastino autem dum portaretur ad sepeliendum, regio indutus apparatu, coronam in capite habens auream, & chirothecas in manibus, calceamenta auro texta in pedibus, & calcaria, annulum magnum in digito, & in manu sceptrum, accinctúsque gladio discooperto vultu jacebat. Quod cùm Richardo filio suo nuntiaretur, festinanter ei venit obviam, malè sibi conscius. Quo superveniente confestim erupit sanguis è naribus Regis mortui: ac si indignaretur spiritus in adventu ejus, qui ejusdem mortis causa esse credebatur: ut videretur sanguis clamare ad Deum. Quod videns Comes abhorruit; & amarissimè flere cœpit: & inæstimabili perturbatus angustiâ, usque ad Fontem (Ebraldi) feretrum sequens, corpus Patris sui, ab Archiepiscopis Turonensi, & Treverensi, divinis solenniter (ut decuit) celebratis; fecit honorificè tumulari. Et quoniam idem Rex adhuc vivens dicere consueverat, ex animi magnificentiâ: orbem universum, uni non debere, pro voto, Principi magnifico sufficere, inscriptio tumuli talis extitit:

Paris 1188.

Richardo filio accedente, nares Patris defuncti sanguinem emittunt.

Henrici Epitaphium.

Rex Henricus eram, mihi plurima regna subegi
Multiplicíq; modo, Duxq; Comesq; fui.
Cui satis ad votum non essent omnia terræ
Climata, terra modo sufficit octo pedum.
Qui legis hæc, pensa in me discrimina mortis,
Humanæ speculum conditionis habe.
Sufficit hic tumulus, cui non suffecerat orbis.
Res brevis est ampla: cui fuit ampla brevis.

VIII. Quod ad locum sepulturæ pertinet, quem supra Rogerus *Fontem Ebrandi*, Harpesfeldus *Fontem Ebrardi*, vocat: quique in Sancti Bernardi Epistola ducentesima *Fons Everardi*: in Petri Venerabilis Epistola decima septima libri tertii, *Fons Ebrandi*, legitur: rectiùs effertur *Fons Ebraldi*. ut probat Baronius eo anno quo monasterii fundator Robertus de Abrusellis moritur. Unde nutat quod habet noster Walsingamus, de Henrico jam mortuo scribens: *Sepultus est autem* (inquit) *apud Fontem Ebrandi in monasterio Monialium, quod ipse fundaverat, & multipliciter ditaverat.* Fundatorem etiam ejus loci vocat Joannes Stous in Chronico ad hunc annum: sed intelligi debent Henricum magnum loci illius patronum, fautorémque fuisse, quem Robertus supra nominatus, non in Normanniâ, sed in Pictaviæ Andegaviæque confinio, sacris Virginibus erexit: cuique nobilissimæ fœminæ, & Angliæ Regum soboles, Abbatissæ nomine, præfuerant ut supra tactum. Ubi Henrici Regis pietatem, & fidem lego; qui more majorum, in sacro loco quiescere, & Sanctorum tam viventium, quàm in cælo regnantium precibus juvari post mortem petiit: cámque in rem plurima moriens Ecclesiis legavit. nam teste Harpesfeldo: *Testamentum* (inquit) *condidit, quod hodieq; extat tam gallicè: in quo Ecclesiis, pauperibusq; cam in Anglia, quam in aliis ejus ditionibus positis ingentem pecuniam legavit* Multum ergò loco sepulturæ contulit, & priùs contulerat; ut ibi pro tempore, & in cœlo æternam requiem obtineret.

Harpesfeld. sæc. 12. c. 5.

Baron. an. 1117.

Locus sepulchri Fons Ebraldi; monasterio Virginum.

Harpesfeld. supra.

IX. Cæterùm solere Reges, in sacratis locis, & religiosorum præsertim domiciliis sepeliri; & superiorum ætatum exempla, & Regis Arthuri hoc anno reviviscens memoria, testantur. Hujus antiqui Principis; cum deletum ferè esset è mentibus hominum nomen; sepulchrum, multis rei novitatem stupentibus, inventum est. Sepultum illum in Glastoniensi cœnobio anno Domini quingentesimo quadragesimo secundo, pluribus ibi dictum; nunc dicendum, qua ratione, post tot annorum curricula, rursum in hominum notitiam emerserit. Quod in magna Glastoniensium tabula ita narratur. *In hac Insulá, quæ Insula Avallonia dicitur: inibi hoc tumulo Sanctorum requiescit inclytus Rex Arthurus, flos Regum Britanniæ, & Guenhavera ejus uxor. Qui post decessum eorum, juxta vetustam Ecclesiam, inter duas pyramides lapideas, quondam nobiliter insculptas, honorabiliter sepulti fuerunt: & ibidem per multa annorum curricula quieverunt usque ad tempus Henrici de Soili, qui post combustionem ejusdem Ecclesiæ, Abbas fuit illius loci. Prædictus verò Abbas à compluribus admonitus sæpissimè, jussit inter prædictas pyramides fodere, si Regium corpus valerent invenire. Et antequam fodere inciperent, cortinis totum locum circumdederunt. Foderunt igitur in profundum valdè, & ad extremum ingens sarcophagum ligneum totum clausum invenerunt. & illud quam citius potuerunt, cum eorum utensilibus aperuerunt, & Regium corpus intrò invenerunt: & quandam Crucem de plumbo totam in una parte ita descriptam:* Hic Jacet Sepultus Inclitus Rex Arthurus In Insula Avallonia.

Regis soliti sepeliri in Monasteriis.

apud Usser. fol. 117. & Antiquit. Glast. fine.

Arthuri corpus inventum.

Deinde

X. *Deinde tumbam Reginæ aperuerunt, & crines capitis sui, per similitudinem sicut noviter ibidem sepulta erat, circa corpus suum jacuerunt; sed cum eos tetigerunt, tot im inpulverem devenerunt. Abbas verò, & conventus cum ingenti gaudio, & honore maximo, eorum exuvias inde transtulerunt: & in mausoleo intùs bipartito, & extra nobiliter in petra exciso, in majori Ecclesiâ eos ita collocaverunt, Regium videlicet corpus per se ad caput tumbæ: & Reginam in Orientali parte impesuerunt: & hi versus circa Epitaphium subtiliter exsculpti sunt.*

EPITAPHIUM ARTHURI

Hic jacet Arthurus, Flos Regum, gloria regni
Quem mores, probitas, commendant laude perenni.

Arthuri jacet hic conjux tumulata secunda
Quæ meruit cælos virtutum prole fecunda.*

* *secunda.*

XI. TEMPUS INVENTI CORPORIS.

Ad tempus inventi corporis, errasse videntur, qui ad priora retulerunt, cum Henricus de Soliaco non ante hunc annum inter Glastoniensis cœnobii Abbates numeretur: cúmque ab Henrici successore, monasterio præfectum affirmans, qui Antiquitates Glastonienses post Malmesberiensem descripserunt. ubi ita legitur: *Richardus Rex, annuente conventu, præfecit in Abbatem ejusdem loci Henricum de Soliaco, Priorem Bermundisiæ, virum de Regiâ stirpe progenitum, anno Domini millesimo centesimo octogesimo nono, eodem scilicet anno, quo coronatus est.* Quo etiam anno elatum Arthuri corpus probant hi versus, quos de Arthuro sceiptos invenit, & refert Jacobus Usserus.

Antiquit Glast. fine.

VERSUS OSTENDUNT TEMPUS.

Annus millenus, bis centum connumeratur
Tollitur undenus numerus; tunc extumulatur
In tumulo cujus Crux plumbea scripta reperta
Facti tunc hujus reddebat singula certa.

Ex mille ducentis (inquit Usserus) sublato undenario relinquitur annus millesimus centesimus octogesimus nonus. Nec in anno differt Giraldus Cambrensis, vult tamen eruta Regum ossa Henrico Rege vivente. Ait enim: *Regnante nostris in Anglia diebus Henrico secundo: Contigit ut apud Glastoniense cœnobium quondam nobile, sepulchrum Arthuri, dicto Rege monente, & Abbate loci ejusdem Henrico (qui ad Cathedram Wigorniensem translatus postea fuit) procurante, diligenter quæsitum, in cæmiterio sacro à Sancto Dunstano dedicato inter duas pyramides altas, & literatas, in Arthuri memoriam olim erectas, multis laboribus effoderetur: & corpus ejusdem in pulverem & ossa redactum, ab imis, ad auram & statim digniorem transferetur.*

apud Usser. fol. 121.

XII. Fuit hic author Giraldus Cambrensis, corporis inventi testis oculatus, non solùm quia hoc tempore vivebat ipse; sed quia Glastoniam profectus, lustravit oculis, quod postmodum posteritati scripsit. Unde ossium magnitudinem mensus, ita de illis: *Os tibia ipsius* (inquit) *appositum tibia longissimi viri (quod & nobis Abbas ostendit) & juxta pedem terræ illius adfixum, largè tribus digitis ultra genu ipsius se porrexit. Os etiam capitis, tanquam ad prodigium vel ostentum, capax erat, & grossum, adeo ut inter cilium & oculos, palmarem amplitudinem largè contineret: apparebant in hoc decem aut plura vulnera; quæ cuncta, præter unum majus cæteris, quod hiatum grandem fecerat, quodq; solum letale videretur, in solidam concreverant cicatricem.* Vidit etiam hic author plumbeam Crucem, sepulchro ejus superpositam, & literis inscriptam, quas à se lectas affirmat. *In lapide quodam lato* (inquit) *tanquam ad sepulchrum, à fodientibus invento: quasi pedibus septem sub terra* (cum tamen sepulchrum Arthuri, novem pedibus inferiùs inventum fuerit) *reperta fuit Crux plumbea, non superiori, sed quasi inferiori parti lapidis inserta, literas has inscriptas habens. Hic jacet sepultus inclitus Rex Arthurus in Insulâ Avalloniâ cum Wenneveriâ uxore suâ secundâ. Crucem autem hanc extractam à lapide, dicto Abbate Henrico ostendente, perspeximus, & literas legimus.* Ita Giraldus, qui hoc ipso tempore claruit.

apud Usser. fol. 119.

QUALE FUIT CORPUS ARTHURI.

INVENTUS EST CUM UXORE.

XIII. INVENTUR CUM CRUCE.

Christianos fuisse Principes, non potuit clariùs, quàm sacro hieroglyphico demonstrari; Cruce, inquam, quæ nobilissimum redempti humani generis instrumentum, viventibus fidem acuit, ut in crucifixum credant: & morientibus spem facit, Crucifixi sanguine beandos: quotquot Crucis mysteria devotè venerantur. Hanc fidem, hanc spem habere non possunt, qui Crucibus irati, eas è locis sacris, è prophanis, è memoriâ denique hominum obliterare conantes: sine Cruce esse, vivere, & mori solent: quorum sepulchra, si posteri effodient, argumento nostro (vereor) concludent, Christianos non fuisse. Ad Henricum redeo, Crucis studiosum; cujus causa laboriosam sibi expeditionem indixerat, cum Crucem à Saladino captam intellexit. nimirum cruce muniri voluit, & Christi miles ita scribi. Licet autem, in Palæstinam, morte præventus non iverit: multa tamen illis subsidia misit, qui pro recuperanda Cruce pugnaverunt. Unde ipse mortuus, eo modo sepultus est, quo eos sepeliri oportuit, qui Cruce signati, Cruci militare voverant. nimirum tibiis decussatis, Crucémque eo situ formantibus. Porrò licet absens, Palæstinæ tamen bellum præ cunctis sui temporis Principibus promovit. Unde Giraldus dixit: *Henricus fuit incomparabilis eleemosynarum largitor, & præcipuus terræ Palæstinæ sustentator.* Eleemosynarum largitione peccata redimens: recuperandæ Crucis desiderio pietatem acuens, & immortalitatem sperans. quam illi soli sperare possunt, qui Cruce muniti, & Christo consepulti, in Domino moriuntur.

OPERA HENRICI.

QUA CORPORIS POSITIONE SEPULTUS HENRICUS.

Girald. Hibern. exp. l. 1. c. 45.

FINIS.

INDEX RERVM
TOMI QVARTI
ab Anno Domini 1066. ad 1189. inclusivè.

Primus numerus denotat Annum Domini: Secundus §. *vel numerum.*

A

paranda.

B

C

captus,

D

aliud

Mittit

INDEX RERUM.

L

INDEX RERUM.

N

O

ODO

P

SCHISMA

INDEX RERUM.

FINIS INDICIS TOMI QUARTI.

ERRATA TOMI QUARTI.

PARS PRIOR.

Pagina.	*col.*	*num.*	*Errata.*	*corrige.*
2.	2.	VI.	dominatus,	domi natus.
4	2	X.	eundem,	eundum.
Ibidem			Servitu, imperii,	Servitu imperiique.
5.	1.	XII.	sedebat Malè.	sedebat. male.
Ibidem.			benedictionem, ac	sine ac.
6.	2.	XVIII.	Gullelmus,	Gulielmus.
16	2	XVIII.	Scotorum,	Scutorum.
41.	1.	I.	Ponficem,	Pontificem.
63.	1.	II.	ferte,	forte
82.	2.	V.	Professorem,	possessorem.
89	1.	X.	sevandum,	servandum.
105.	2.	IV.	nemnu,	nemini.
106.	1.	VI.	ultimo,	ultimæ.
133.	1.	XX	spreta,	specto
154	1.	VIII.	præsentate,	præsentaret,
168.	2.	I.	Wintoniensem,	Wigorniensem.
178.	1.	VII.	Dea,	Dux.
183.	2.	XXVII.	equanimiter,	æquanimiter,
210.	1.	VI.	Palatium,	Palatio.
230.	2.	XV.	conciatur,	consecratur,
250	1.	XIII	Burhorum,	Burchorum.
272.	1.	XVIII.	baptizasis;	baptizari.
286	1.	VII.	Norwici,	Warwici.
287.	2.	V.	spertum.	opertum.
297.	1.	I.	Ecclesiarum,	Ecclesiam.

PARS POSTERIOR.

Pagina.	*col.*	*num.*	*Errata.*	*corrige.*
3.	2.	XVII.	exactæ,	exoteæ, *in marg.*
17.	2.	II.	tana,	tania.
28.	2.	II.	Domus,	Domum.
34.	1.	XII.	vana,	varia.
39.	2.	III	que	quæ.
51.	1.	XXXI.	Scolis,	Scotis.
67.	2.	IX.	porfices,	forfices.
76.	2.	XIX.	iter,	inter.
127.	2.	XXXII.	agnosceret	agnosceretur.
138	2.	I.	vocantibus,	vacantibus.
194.	1.	XXI	munus,	manus.
200.	1.	VI *in marg.*	jubet,	inhibet.
232.	1.	XXXV	conservari,	conservare.
Ibid.	2.	XXXVIII	meæ,	mè.
248.	2.	XI.	vacabunt,	vacabant.
250.	2.	XVIII.	Beelzebus,	Beelzebub.
251.	1.	XX.	qua,	quæ.
259.	1.	L.	Monachi,	Monachis.
269.	1	II.	Romanum,	Romanam,
270	1.	VII.	profus,	prorsus.
275.	2.	XXVI.	Henrus,	Henricus.
311.	1.	I.	suspicior,	suspicor.
312.	2.	VI.	Friderium,	Fridericum.
325.	2.	XV.	exponeue,	exponere.
338.	1.	VIII.	colores,	dolores.

FINIS.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

JOANNIS MATHIÆ HOVII,

Ad insigne Paradisi Terrestris.

A21 1470433

Digitized by Google

Digitized by Google

H. 56.

Digitized by Google